


R. P. D.

CAROLI MALLETI AVRVM MORALIS THEOLOGIÆ.



AVRVM
MORALIS THEOLOGIÆ.

Ex veterum, & recentiorum Theologorum, necnon Pontificij, Cæsarijq; Iuris Consultorum Thesauris depromptum, & in subtilissimas Bracteas Malleatum,

A R. P. D. CAROLO MALLETO,

Tauriaensi Patritio, Monacho Cistercienſi è Congregatione Reformata Diui Bernardi, Examinatore Synodali, ac Sancti Officij Consultore.

Opus nedum Confessarijs, & Pœnitentibus, sed etiam Theosophis, ac Iuris Vtriusque Doctoribus vtilissimum.

TOMVS PRIOR

DE SACRAMENTIS;

Vbi noua, & breui methodo explicantur omnes difficultates, tàm in Conscientiæ, quàm Iustitiæ foro ad Sacramenta spectantes.

REGIÆ CELSITVDINI

CHRISTIANÆ FRANCICÆ

SABAVDIÆ DVCIS, PEDEM.TIVM PRINCIPIS, CYPRI REGINÆ, &c.

DICATVS.

Cui præponitur Index Malleationum, & Bractearum exactissimus.



AVGVSTÆ TAVRINORVM, MDCLVI.

Sumptibus Alexandri-Federici Caualeri Bibliopolæ. S. R. Celsitudinis

Superiorum permissu.



REGIÆ CELSITVDINI

D. D. CHRISTIANÆ FRANCICÆ

SABAVDIÆ DVCIS, PEDEMONTIVM PRINCIPIS, CYPRI REGINÆ, &c.



QVEMADMODVM præſtat Deum amare, quàm ſimpliciter intelligere, adeo vt intellectus voluntati de dignitate concedat; Ita Theologia Moralis, quæ nobilius obiectum reſpicit, aliqua ratione præcellit. Moralem Theologiam Doctores neceſſariam autumant; Cuius ſcilicet beneficio homines ad Deum diriguntur. Neceſſarium iſtud Moris bonum, OPTIMA PRINCEPS, ſic vitam tuam exornat, vt genuinam Moralis Theologiæ Iconem numeris omnibus abſolutiſsimam exprimat. Præcipua Eccleſiæ Inſtrumenta, Viſibilia inuiſibilis gratiæ ſigna, ſunt ſeptem Sacramenta. Septem quoque ſtellæ coruſcantes in dexterâ Primi, & Nouiſsimi Viuentis in ſecula. Totidem ſunt Candelabra aurea, in quorum medio Altiſsimus ambulat. Totidem Columnæ Domus, quam ſibi ædificauit Sapientia. Eccleſiaſticum Cælum ſeptem habet Planetas, inter quos Euchariſtia tamquam Sol, non neceſsitate, & ordine, ſed perfectione Principatum obtinet. Omnium Bracteas in Aurificina Theologiæ Moralis malleo extenſas, & examinatas, ad Tuum Numen mea iuſtiſsima defert deuotio. Hic nonnulla peculiariter de Euchariſtia veluti Principe, & apud te in delitijs, deque ingenti vtilitate prælibo; vt ab eius vberiore bractea decoratus Regij Tui Culminis ſplendor augeatur. Euchariſtia eſt cœlicum animarum epulum, quo veſcentes ad ſalutem, & vitam mirificè nutriuntur. Quoniam verò (Cyrillo auctore) ij dumtaxat, qui probitatem viriliter amplectuntur, ius habent Hoſtias comedendi, nemini congruentius, quàm Tibi REGINAE RELIGIOSISSIMAE Menſa Eucariſtiæ erat apponenda. Ob tam admirabilis Sacramenti frequen-

frequentiam Tibi ingenitæ virtutes ita confirmantur, vt meritò doneris hoc munere. Quò spectant illa Christi ad Augustinum verba: *Cresce, & manduca, ego enim sum cibus GRANDIVM*. Angelici huius panis ferculo integrum est Tibi ad cęlestium spirituum societatem consurgere; Et mens Tua superhumana intelligendi facultate prædita lucidius illustratur, ac difficillima quæque præcoci, & prope diuina perspicacitate cognoscit. Insuper, si iuxta Cyrillum huiusmodi Iubileo peccata purgantur, si eidem ablutionis delictorum nomen Ambrosius adiecit, Eucharistia pœnitentiæ Sacramentum, indulgentias, & Iubilea, quibus crimina abolentur, eminenter continet. Hæc tria, ceu pedisequæ, Eucharistiam sequi tenentur. Proinde integerrima viuendi ratio, quam sanctissimè seruas, licet expiatione haud egeat, ægrè non patietur, vt eorum Bracteæ Principi Eucharistiæ satellitium faciant, & REGIAE TVAE CELSITVDINI vnà cum Eucharistica necessitudinis iure sacrentur. Cum autem Sapientis testimonio, Iustus etiam septies in die cadat, idcircò inter Te, & huiusmodi Sacra non infrequens intercedit vsus ad meritorum, & pietatis incrementa. Siquidem multiplici luce à pluribus, iisque spiritalibus Thesauris illuminantur Principum animi, qui arcto Sacramentorum vinculo Deo colligantur, vt omnino absit, hinc vel minimum labis eorum gloriosis nominibus aspergi, sed omni virtutum genere impensius erudiantur. Neutiquam minues gloriam Virtutum Tuarum, si mihi indulseris, vt ex innumeris, præter insignem Religionem, paucas attingam. Prodeunt statim Magna erga Subditos Dilectio; Rectum in Dominatione Imperium; Humanitas in colloquendo; Circumspecta in sceleris noxios Lenitas; in pauperes Charitas; in egregiè meritos Munificentia; Cautissimum in rebus agendis Consilium; Sagax in eligendo Solertia; Prudens in statuendo Maturitas; Constans in aduersis Fortitudo; Temperata in prosperis Moderatio; Vbique latè patens Liberalitas, atque in omni actione Sublimitas. Animi Dotium Elenchum claudit Promptissimum; & ad omnia summa Versatile Ingenium; cuius pulcherrimam Sobolem, præsertim Regem Nostrum CAROLVM EMANVELEM II. genesi, ac educatione participem fecisti. Demum ne quis Tuarum laudum veritatem assentationem suspicetur, Deum aduoco, qui cum Te ab æterno suæ Diuinitatis AEuo HEROINARVM FORTISSIMAM cunctis virtutibus pollentem, bellico Eucharistiæ munimine (sicuti à Basilio, & Hugone nuncupatur) firmissimè vallatam præuidisset, tam afflictis temporibus in Pedemontio Italiæ Specula Vigilem Te Custodem constituit. Meis ergo precibus, matutino maximè Sacrificio, in quo Eucharistiæ Sacramentum misticè conficitur, rogabo, vt Idem D.O.M. ad Sabaudæ Domus, Ditionis, totiusque Italiæ tutelam, quàm diutissimè Te seruet incolumem. Præ cæteris validum suis lucubrationibus

Re-

REGIAE TVAE CELSITVDINI patrocinium implorantibus, Humillimum obsequium meum super Tuæ Maiestatis Aram altiùs litauisse gloriabitur; Vbi singula Sacramenta, potissimum Eucharestiam oblationum maximam, Dei quippè Agnum, in victimam sacrificauit. E Cœnobio Taurinensi Beatæ Mariæ Consolatricis. Iulij Die XXIV. siue Sanctæ Christinæ à Te in Patronam selectæ; cuius vt Nomine, ita Virtutibus insigniris MDCLV.

TVÆ REGIÆ CELSITVDINIS.

Seruus, & Subditus Humillimus,
atq; Addictissimus
D. Carolus Malletus Monachus.

AVCTOR AD LECTOREM.



ON planè volens, ſed potius, vt me ab aſſiduis amicorum contentionibus relaxarem, firmioris ætatis meæ de Theologia Morali lucubrationes euulgaui. Nuper hac eadem ſuper materia doctiſſimè æquè, ac luculenter ſcripſerunt Eminentiſſimus Cardinalis Delugo, Doctiſſimus Antoninus Diana, Illuſtriſſimus Ioannes Caramuel Epiſcopus ex Ordine Ciſtercienſi, Eruditiſſimus, & Acutiſſimus Theologus R. D. Petrus à Sancto Ioſeph Congregationis Fuglienſis ex Ordine Ciſtercienſi, & pleriq; alij, ita vt nihil reliqui feciſſe videantur. Accidentia temporum nouas continuò circumſtantias inducunt, & nouas, prioribus minimè cognitas, rationes aperiunt; quò fit, vt nullus poſteræ ſcriptioni finis imponatur.

Non miraberis metaphoricum Auri titulum tritum eſt enim Scriptoribus, ac etiam Theologis Moralibus, metaphoricè libros inſcribere. Clauis Regia, Candelabrum Aureum, Armilla, Margarita Confeſſorum, Speculum Confeſſariorum, idea Theologiæ ſpeculatiuæ, moralis, Sacramentalis Flores Theologiæ practicæ, Medulla Theologiæ Moralis, exempla ſuppeditant. In Capitibus, in diuiſionibus, & ſubdiuiſionibus ſub Malleationum, & Bractearum nomine eamdem rationem ſeruaui, vt Allegoria, quam in principio propoſiui, toto in opere vniformiter ſequeretur; ne cętera membra alienam à facie ſpeciem monſtrificè præſeferrent; & ne vitium illud, quod in alijs minus probaſſem, in me non immeritò reprehenderetur.

Opus bipartitò diuiditur. Primum volumen Sacramenta; Secundum Decalogi, & Eccleſiæ præcepta complectitur.

In vnaquaq; Deciſione tot probatos Auctores protuli, quot opus eſſe cenſui ad opinionem firmandam, alicubi propter vniuerſitatem materię ſunt citationes omiſſæ, nihilominus Deciſiones grauiſſimorum Doctorum auctoritate nituntur.

Omnia proſecutus ſum inculto ſtylo, eoq; quem natura dictauit.

Typographorum tum inſcitiâ, tum incuriâ nonnulla irrepſerunt errata. Plura, quæ characteres variant; numerum ſingularem, itemq; pluralem inuertunt. Pauciora Sententiam immutant. Attamen ea ſunt, vt à peritis Lectoribus facilè corrigantur. Deo fauente tertium volumen propediem typis mandabo tuis, me apud Deum precibus iuua, & vale.

Ego

GO infrascriptus ex commissione Reuerendissimi Patris D. Ioannis à Sancta Catherina Congregationis Monacorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis vidi, & perlegi opus, quod inscribitur, Aurum Moralis Theologiæ, &c. ex veterum,& recentiorum Theologorum,&c. opera,& studio R. P. D. Caroli Malleti Congregationis eiusdem Monachi Sacerdotis, ac in duos Tomos distributum, nihilque in eo inueni, quod fidei Catholicæ, bonisq; moribus aduersetur; Propterea eidem R. D. Carolo facultatem illud in lucem edendi concedo, prçuia tamen approbatione eorum, ad quos spectat. Datum Taurini apud nostrum B. M. Consolatricis Monasterium die xxj. mensis Octobris anno reparatæ salutis 1653.

D. Ioannes Franciscus à Sancto Laurentio alias Populus Congregationis Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi, ac in Monasterijs Allobrogum, & Subalpinorum Prouincialis, &c.

OPvs inscriptum Aurum Moralis Theologiæ ex veterum,& recentiorum Theologorum,&c. in subtilissimas Bracteas malleatum, &c. diligentissimè euolui; in eo ferè omnes conscientiæ casus miro ordine congessit, & subtilissimè digessit dignum sanè pro auctore opus. Taurini die 30. Decembris 1653.

Ita sentio Fr. Ioannes Alexander Ruschi Ordinis Predicatorum Sacræ Teologiæ Magister, & Sancti Officij Taurinensis Vicarius.

VREO volumini condignæ deberentur ab aureo calamo laudes; sçculi nisi ferrei liuorem virtus pertimesceret: Scriptoris attamen ne paueat fama liuidos, emeritos alarum suarũ tribuat pro immortalitate calamos. Casus continet volumen hoc occasus tamen nescium; & quç tinea libros corrodit, aureas non corrumpet paginas. Corruptç interim ætatis errores absque errore perleges. Tu doctas in paginas ingenium fige, & moralis prudentiç acuminatos spiritus intelliges Satisfuerit dixisse. Aureum hoc opus scriptore ab ingenioso pretiosas in bracteas malleatum, est typoghraphica luce dignissimum.

Ego Dominus Valerianus Castillioneus Abbas Benedictinus Casinensis, & Sancti Officij Consultor vidi, & approbaui de mandato Reuerendissimi Patris Domino Inquisitoris Taurinensis Tomum primum, & secundum die 12. mensis Decembris 1653.

GO infrascriptus S. Officij Consultor de mandato Reuerendissimi Patris Inquisitoris Taurinensis duos priores tomos Admodum Reuerendi Patris D. Caroli Malleti quibus titulus est: Aurum Moralis Theologiæ ex veterũ, & recentiorum Theologorũ,&c. in subtilissimas Bracteas malleatũ,&c. vidi,& perlegi: & quia nihil in ipsis Catholicæ fidei, bonis moribus, ac regulis Sac. Conc. Trident. contrarium inueni propterea eosdem ad communem vtilitatem imprimi posse iudicaui. Dat. Taurini in Col. S. Dalmatij Cler. Reg. S. Pauli. Kal. Octob. 1653.

D. Amedeus Comotus Cler. Reg. S. Pauli S. Officij Consult.

Imprimatur.

Fr. Franciscus Maria Inquisit. Taurini.



VSSVS ab Excellentiſſimo Magno Sabaudiæ Cancellario, Illuſtriſſimo Domino Carolo-Philippo Morotij Comite quum recognouerim admodum Reuerendi Patris D. Caroli Malleti Librum Theo-Ethicologicum in duos diſtinctum Tomos, Agnoui ipſum reſpondere Authoris Cognomini; quod Arnobius Afer interpretatur Deſtitutum; deſtitutum planè omni Regiæ Iuriſdictionis, & Morum honeſtatis offenſione, ac quocumque expertem doctrinæ errore. Agnoui ab Authore longius nouennio preſſum, examinatum, Malleatum, ſæpius ſub Malleum incudi redditum, tum rationum ſtabilitate, tum irrefragabilibus grauiſſimorum Theo, & Nomoſophiæ Doctorum ſuffragijs confirmatum; præterea vitia ita comprimere, ita exprimere virtutes, vt *Virtutis Malleus vitia contundens* queat indigitari, rectè non minus, quàm Sprenger, & Inſtitoris tractatus aduerſus Maleficos *Malleus Maleficorum* inſcribatur. Agnoui poſtremò velut Iouialem Malleum in magna habendum eſſe veneratione. Cæterum deprehendi Authorem contra Cognomenti notionem non Deſtitutum, non deſertum, ſed diſertiſſimum, probè inſtitutum, atque abſoluta legum, canonum, triplicis Philoſophiæ, triplicis quoque Theologiæ peritia, & multifaria eruditione refertum. Cuiuſmodi fuerunt Claudius Malletus Auus, in Ampliſſimo Pedemontium Senatu Senator integerrimus, Pater Auguſtinus Malletus e Societate Ieſu, Patruelis, & Gentiles Paulus Malleolus, Albericus Malletus Papienſis, nec non Antonius Malletus Rhedonenſis; quos nobiliorum ſcientiarum ſtudia, & literaria monumenta percelebrant. Opus igitur cenſeo cenſione indignum; dignum immo Inſcriptione ei præfixa; vtque tamquam putum *Aurum Moralis Theologiæ* aureis in laminis, typis adamantinis imprimatur, Margaritis contegatur, & publici iuris fiat ad Religionis, quam Author profitetur, & Noſtratum decus, & bonum, ſub Fauſtiſſimis Auſpicijs CRISTIANÆ Auguſtæ Noſtræ, Optimæ, & Maximæ Principum, Regij, quà pater, Nominis, Sexus, & Seculi Gloriæ, & Phœnicis Vnicæ; quæ æternum viuat in Sabaudienſis Imperij ſalutem; prout ſummis votis adprecor. Taurini Anno Chriſti CLIV. ſupra ſeſquimilleſimum xj. Kal. Iulij, ideſt Natali die Celſiſſimi Ducis, & Regis Noſtri CAROLI-EMANVELIS II. cuius Indoles à Regia, & Pientiſſima Matre accepta, adoleſcentia needum expleta, Auguſto Feliciorem, & Meliorem Traiano futurum ominatur.

Iulius-Cæſar-Antonius Manaſſerus Bennao-Taurinas I.V.D. Almo Taurinenſi Iuriſconſultorum Collegio adſcitus, iamdiu in Patria Academia Anteceſſor, bis duodeuicenarius apud Maiora Synedria Pedemontana cauſarum Patronus, Auguſtiſſimæ D.D. CRISTIANÆ Franciæ, Sabaudiæ Ducis, Pedemontium Principis, Cypri Reginæ, & Dominæ Clementiſſimæ Conſiliarius, Vniuerſi Patrimonij Aduocatus, ac Eiuſdem Regiarum Virtutum Cultor Deuotiſſimus.

Imprimatur die 29. Iulij 1655.
Morotius.

DOCTIS

DOCTISSIMO VIRO ADMODVM REVERENDO PATRI D. CAROLO MALLETO Monacho Ordinis Cisterciensis Reform. Sancti Bernardi, Serenissimæ Celsitudinis LVDOVICAE MARIAE Principis à Sabaudia Confessario.

D. AMEDEVS COMOTVS

Clericus Regularis Sancti Pauli Perennem fœlicitatem.



LVCVBRATIONVM tuarum Theologiæ moralis tomum primum, & secundum mihi exhibitum perlegi, non vt examinarem, aut probarem; quis enim nisi cæcus lucem non probet? aut inuentum sapientiæ Thesaurum, nisi fatuus abnuat? sed vt modestiæ tuæ morem gererem, quæ se vel insufficientiæ meæ submittere non dedignatur. O verè aureum opus affabrè elaboratum, miro ordine dispositum, in quo quid primum, aut potissimum admirer, ignoro. Dictio stricta, sed dilucida: rationes breues, sed firmæ, quot dicta, tot oracula, quot sententiæ, tot veritates: summa denique omnia. Quare ne multorum votis expetitum diutius publici iuris facere differas hortor, iuberem, si possem: sed quod tenuitati meæ non permissum: hoc vtique sicut charitati tuæ concessum pro iure, quod tamquam Regina in omnes tuas actiones obtinet, ita à te illi obtemperandum Censeo. Vale; reliquosque tuos labores, eodem, quo non aptior, stylo prosequaris, obsecro, meque vt soles, ames.


ADM. REV. PATRI D. CAROLO MALLETO Theologo doctissimo, & Amico meritissimo.

CAROLE tartareis indixti prælia turmis,
Dum fugienda mones Doctor, agenda facis.
Deffluere horrisonas animarum grando sub vmbras
Cessabit Cœlum te Duce corda petent.
Iam gemereinspicio manes, iam brachia vinctos.
Post tergum, Sophia, vir venerande trahis.
Nunc, Nunc sidereas homines properemus in auras,
Dum Caroli monstrant aurea scripta viam
Malleus hic postes reseratos fixit Olympi,
Et clausum Ditem Malleus iste quatit.

Camillus de Gabrielibus Secretarius
Illustrissimi, & Reuerendiss. D. Nuntij Apost.

ADM. REVER. PATRI D. CAROLO MALLETO

Domino meo Colendissimo.



LBERTVM Magnum asserentem in capite humano aliquando aurum gigni posse, impugnauit Scaligerus; sed immeritò quidem, habet enim ætas nostra cur admodum glorietur id iam sibi fæliciter contigisse. Scis quò ferar (admodum Reuerende Pater) rem enim declarat aureum feracissimi capitis tui opificium, pretiosissimum inquam Aurum Moralis tuæ Theologiæ; Aurum obrizum, cunctis reuera terreis fuliginibus defæcatum: Aurum sanè factum, non infectum, vt ait Iurisconsultus: Aureus imò imber, non illius tamen Danais violaturus honestatem, sed veriùs rudium fæcundaturus ingenia. Quare iam abeant Thostatus, Lygurus, Auerroes, & alij effutientes aurum arte, haud fieri posse: Aurum hoc enim præstantissimum Paternitatis tuæ affirmantium haud dubiè comprobat sententiam. Hoc non Curius à Samnitum legatis oblatum renueret, non Plato Ciuitate abigendum diceret, non Plinius ad vitæ perniciem adinuentum pronunciaret, non Plautus demum scelerum suasorem efficeret; sed vtcunque frugales, expansis vlnis exciperent, & lato ore commendabile prædicarent. Iam igitur do manus Chemicorum assertioni astruentium arte fieri posse elixirim quemdam, omnia inferiora metalla in perfectissimum aurum conuersurum; Hoc enim habebit Elixir hic tuus, vt plumbeam etiam imperitorum inscitiam in auream facilius commutet sapientiam. Aureas has tuas ego vt vidi Bracteas, illius statim memini, qua pius ille quondam Troadis Heros sibi ad mortuum Patrem parauit accessum: meliori tamen omini, illa enim squallentis Auerni spondebat descensum; hæc autem tuæ fælicius sanè Cælitum sternunt iter ad Sedes. Philippus Macedo à Pithijoraculo accepit, se omnium victorem fore si aureis decertaret lanceis: Hæ autem tuæ sunt verè aureæ lanceæ, quibus sacræ moralis Theologiæ Athletæ decertantes, certam disceptationum suarum omnium sibi spondeant lauream: Codices igitur hos tuos aureos meritò Hortos Hesperidum dixerim; non ad quos tamen Draco vllus custos præpediat aditum, sed qui potenter præbeant omnibus aureos sanè fructus decerpendos. Sed, & aurum ægris exhibitum eorundem cordis affectibus mirum modum opitulari tradit frequenter Medicorum Schola; at sanius hoc tuum animarum curandis erroribus profuturum certa vox omnium euulgat. Nulla demum temporis Aurum diuturnitate minui, eius non inanis est gloria, Symbolum, & hæc illius, quam celeberrimo tuo nomini partam, nulla annorum series est ademptura. Auream igitur effætus prolem tamdiù tibi, & Christianæ Reipublicæ bono viuas, quamdiù patitur ætas, meque eximiæ tuæ virtuti veneratorem obsequentissimum, quique te non minus submissè, quam impensè colit, vberis beneuolentiæ tuæ præsidio foue. V. F. pridie Idus Octobris 1654.

Paternitatis suæ admodum Reuendæ.

Addictissimus seruus

LAVRENTIVS BAZANVS.

I. V. D. & moralis Theologiæ professor.

ANTO-

ANTONII VALZANIÆ, TAVRINENSIS,

Regiæ Sabaudæ Celſitudinis ordinarij à Cubiculo,

AD LECTOREM.

PARÆNESIS.



OLVS Sapiens diues. Non eſt integrum, Amice Lector, non integris moribus integrè ſapere. Nemo ad ſapientiam admittitur, niſi candidiſſimis moribus imbuatur. Morum Candor ad ſapientiam vehiculum eſt. Sapientia nihil aliud eſt, quàm Diuinitatis notitia, imò ipſemet Deus. Sapiens vno duntaxat minor Deo. Chriſtianæ veritatis Aſſertores rerum Diuinarum cognitionem belliſſimè auri nomine vocitarunt. Ioannes, Primicerius Cęli, in Apocalypſis capite tertio, probatum huiuſmodi aurum emendum cenſuit. Diuinum hoc mercimonium tibi comparandum proponitur, vbi ditiſſimus æquè, ac ſapientiſſimus Aurifex.

MALLETVS donat tinnire ſonantius Auro,
Et tenuis magnum Bractea pondus habet.

PER L'OPERE DE' CASI DI CONSCIENZA

Del. M. R. P. D. Carlo Malleto Monaco di S. Bernardo.

SONETTO.

SE in Mar di colpe errate, Alme, godete
Ch'a diſtinguer gli error CARLO v'inſegni:
Egli de' Chioſtri infra i più rari Ingegni
A le procellę voſtre ergè le mete.
Da che venti agitate, e ſe voi ſiete
De l'Abiſſo, o del Ciel vicine a i Regni,
Sù queſti Fogli eterni ei nota i ſegni,
Oue del nauigar la Carta hauete.
Se con ſenno da voi queſta s'adopra,
Non ſia di voſtra Mente il legno abſorto,
Nè che l'onda le ſirti à voi ricopra.
Ammirerete in queſta il Duce accorto,
Come approdando al Cielo, in vn vi ſcopra
Calamita, e Nocchiero il Polo, e'l Porto.

Di Michel Angelo Goltio.

AVCTO-

AVCTORVM
Elenchus, quorum Gazæ Aurum suppeditarunt.

A

Æneas Siluis.
Ambrosius S.
Anselmus S.
Antoninus S.
Athanasius S.
Augustinus S.
Accursius.
Accugna.
Adamus Tannerus.
Ægidius Romanus.
Ægidius Coninchus.
Aymon Craueta.
Albanus Cardinalis.
Albertus Magnus.
Albertus Biglius.
Albertus Cassaneus.
Albertus Bolognetus.
Albericus Malletus.
Alderamus.
Alexander Magnus.
Alexander de Neuo.
Alexander Carerius.
Alexander Peregrinus.
Alexander de Imola.
Alexander Pesantius.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Ambrosinus.
Alexander Alensis.
Alexander Thurrianus.
Aloysius Bariola.
Aloysius de Albertis.
Alphonsus Arragonum Rex.
Alphonsus Viualdus.
Alphonsus à Castro.
Alphonsus Tostatus.
Alphonsus de Leone.
Alphonsus à Mandossa.
Alphonsus Vega.
Alphonsus Narbona.
Alphonsus à Reuello.
Alphonsus Vera Crux.
Ambrosius Patarinus.
Ambrosius Calepinus.
Anastasius Germonius.
Andreas Aluarus.
Andreas Molphesius.
Andreas Tiraquellus.
Andreas Castaldus.
Andreas Victorellus.
Angelus de Clauasio.
Angelus Aretinus.
Antoninus Imperator.
Antoninus Diana.
Antoninus de Butrio.
Antonius Fernandez.
Antonius Naldus.
Antonius Thesaurus.
Antonius Sanctareltus.
Antonius de Escobar.
Antonius Gabriellius.
Antonius Lazarius.
Antonius de Sousa.
Antonius Corsetus.
Antonius de Rosellis.
Antonius Corduba.
Antonius Faber.
Antonius Roscius.
Aluarus Pelagius.
Aluarus Valascus.
Archidiaconus.
Armendarius.
Arnoldus Alberynus.
Arnoldus Coruinus.
Aristoteles.
Aufredus.
Augustinus de Ancona.
Augustinus de Augubinis.
Augustinus Lopez.
Auicena A.
Auerroes.

B.

Basilius S.
Benedictus Abbas S.
Bernardus S.
Bonauentura S.
Bernardinus S.
Baldus.
Bartolus.
Barbatius.
Balthasar Ayala.
Basilius Pontius.
Beda Venerabilis.
Bartholomæus à Sancto Fausto.
Bartholomæus de Ledesma.
Bartholomæus Cepolla.
Bartholomæus Cartagena.
Bartholomæus Cassaneus.
Bartholomeus Salonius.
Bartolomeus Medina.
Bartholomæus Salicetus.
Bartholomæus de Saxo Ferrato.
Bartholomeus Soccinus.
Bartholomeus de Vecchis.
Bartholomeus Vgolinus.
Batholomæus Gomez.
Bartholomæus ab Angelo.
Bertholomeus Gypsius.
Bartholomæus Fumus Armilla.
Bartholomeus Bellencinus.
Benedictus Fernandez.
Benedictus Pererius.
Bartholomeus Quartus.
Belochius.
Berous.
Bernardus Diaz.
Bernardus Comensis.
Bernardus Iustinianus.
Bernardinus de Busto
Bernardinus de Brito.
Bernardinus Rosignolius.
Bernardus de Landriano.
Butrius.
Blasius Flores.
Boerius.
Bursatus.
Burgensis.
Budeus.

C.

Capicius.
Cardenus.
Cardosus.
Cardinalis.
Capra.
Camillus de Curt.
Carolus Sigonius.
Carolus Macignus.
Carolus de Grassis.
Castro Palaus.
Campanilius.
Cæsar Baronius Cardinalis.
Cæsar Angelus.
Cæsar Bottonus.
Christophorus Anguianus.
Christophorus Marcellus.
Christophorus de Pace.
Christophorus Clauius.
Claudius Solerius.
Claudius Seycelius.
Clemens 8.
Clitoueus.
Cicero.
Ciprianus S.
Concilium Romanum.
Concilium Cartaginense.
Concilium Toletanum.
Concilium Lateranense.
Concilium Calcedonense.
Concilium Florentinum.
Concilium Tridentinum.
Corduba.
Cornelius Iansenius.
Cornelius Benineasius.
Coriolanus.
Cosmus Philiareus.
Crotus.
Curtius.

D.

Dauid Rex.
Decius.
Didacus Couarruuias.
Didacus Perez.
Didacus de Brito.
Didacus Cantera.
Didacus de Castilo.
Didacus Lopez.
Dionisius Areopagita.
Dionisius Cartusianus.
Dionisius Cassius.

Dionisius

Dionisius Alexandrinus.
Dionisius Halicarnasseus.
Directorium Inquisitorum.
Dominicus Sotus.
Dominicus Bannez.
Dominicus Nugnus.
Dominicus Grauina.
Dominicus Tuscus.
Domitius Camerota.
Durandus.

E.

Eligius Bassaeus.
Eliodorus.
Emanuel Rodriquez.
Emanuel Sà.
Emanuel Aluarus.
Emanuel Suarez.
Eudoxius Locatellus.
Eustachius à S. Paulo.
Erasmus à Chochier.

F.

Fabrinus.
Flaminius Parisius.
Ferdinandus Rebellus.
Felinus.
Feremitius.
Franciscus Toletus Cardinalis.
Franciscus de Lugo.
Franciscus Merolla.
Franciscus Curtius.
Franciscus à Victoria.
Franciscus Maioris.
Franciscus Pegna.
Franciscus Ripa.
Franciscus Molina.
Franciscus Suarez.
Franciscus Siluius.
Franciscus Coriolanus
Franciscus Bursatus.
Franciscus Felicianus.
Franciscus Galetus.
Franciscus Ghislerius.
Franciscus Longus.
Franciscus Pena.
Franciscus Zabarella.
Franciscus de Pisigianis.
Franciscus Salgado.
Franciscus Sarmiento.
Franciscus Sousa.
Franciscus Titelmanus.
Franciscus Turrianus.
Franciscus Cespedes.
Franciscus Ortiz.
Franciscus Torre Blanca.
Franciscus Alcozer.
Franciscus de Auila.
Franciscus à Ponte.
Franciscus Pelizarius.
Fulgentius Pinellus.

G.

Gabriel Vasquez.
Gabriel Paleotus.
Gabriel Pereira.
Gabriel Prateolus.
Galenus.
Gaspar Perusinus.
Gaspar Sanctius.
Gaspar Antonius Tesaurus.
Geminus.
Genebrardus.
Genuinus.
Georgius Merulus.
Georgius Natta.
Gofredus.
Gondizales.
Grauina.
Gregorius Magnus.
Gregorius Garzia.
Gregorius Sayrus.
Gregorius de Valentia.
Gregorius Lopez.
Grumerius.
Gulielmus Speculator.
Gulielmus Benedictus.
Gulielmus Budeus.
Gulielmus Cassadorus.
Gulielmus Redoanus.

H.

Hasteinus.
Henricus Henriquez.
Henricus Gandauensis.
Henricus Hostiensis.
Henricus Boteus.
Henricus Canisius.
Heimerius.
Hermanus Kirchnerius.
Hermanus Busenbaum.
Hercules Marescotus.
Hieronymus S.
Hieronymus Gratianus.
Hieronymus à Sorbo.
Hieronymus Cenedo.
Hieronymus Fernandez.
Hieronymus Gabriel.
Hieronymus Gigas.
Hieronymus Gonzales.
Hieronymus Gratus.
Hierinymus Magonius.
Hieronymus Liamas.
Hieronymus Honufrius.
Hieronymus Rodericus.
Hieronymus Vuelerus.
Hipolitus Riminaldus.
Homobonus de Bonis.
Hugo Cardinalis.
Hugo de Sancto Vittore.
Hurtadus.
Hyppolitus Bonacosa.
Horatius Mandosa.

I.

Iacobus de Beluiso.
Iacobus Granado.
Iacobus de Graffis.
Iacobus Faber.
Iacobus Bennius.
Iacobus Menochius.
Iacobus Simanca.
Iacobus Sbroz.
Iacobus Puteus.
Ianellus.
Ioannes Andreas.
Ioachim Missinger.
Ioannes Magnus.
Ioannes de Friburgo.
Ioannes Lupus.
Ioannes Dilectus.
Ioannes de Lugo Card.
Ioannes Duns Scotus.
Ioanes Gutierez.
Ioannes Medina.
Ioannes Tabiensis.
Ioannes Baptista Corradus.
Ioannes Turrecremata.
Ioannes Salas.
Ioannes Viguerius.
Ioannes Capreolus.
Ioannes Maior.
Ioannes Azorius.
Ioannes Almaynus.
Ioannes Brunellus.
Ioannes Bursatus.
Ioannes Calderinus.
Ioannes Baptista Caccialupus.
Ioannes Campegius.
Ioannes de Capistrano.
Ioannes Cochier.
Ioannes Costa.
Ioannes de la Crux.
Ioannes Damascenus.
Ioannes Silua.
Ioannes Petrus Surdus.
Ioannes Vualerus.
Ioannes Baptista Vinianus.
Ioannes Driedo.
Ioannes Faber.
Ioannes Geminianus.
Ioannes de Graffis.
Ioannes de Indagine.
Ioannes Paulus Lancellotus.
Ioannes Ledinus.
Ioannes Malderus.
Ioannes Franciscus Leo.
Ioannes Antonius Massobrius.
Ioannes Picus Mirandula.
Iacobus Menochius.
Ioannes Narbona.
Ioannes Pineda.
Ioannes Franciscus Purpurato.
Ioannes Aloysius Riccius.
Ioannes Roias.
Ioannes Antonius Rubeus.
Ioannes Sanctius.
Ioannes Petrus Barchi.
Ioannes Possevinus.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Petrus Moneta.
Ioannes Prepositus.
Ioannes Baptista Scortia.
Ioannes à Lapide.
Ioannes Franciscus Suarez.
Ioannes Caramuel.
Iosephus Hebraeus.
Iosephus Scaliger.
Iosephus Sesse.
Isidorus S.
Iulius Camillus Ferretus.
Iulius Clarus.
Iulius Lauerius.
Iulius Caesar Madius.

Iustus



DE SACRAMENTIS IN GENERE.

MALLEATIO I.

Aggressurus Theologiam moralem duxi incipere à Sacramentis, quia sunt veluti quædam media externa instituta à Christo ad nostram salutem. Primo loco agam de Sacramentis in genere. Secundo de ipsis in specie consideratis, nimirum de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, &c. Tractant Sacramentis Sancti patres Ambrosius, & Hugo de Sacramentis, Concilium Florentinum, in decreto Eugenij 4. §. 5. *Tridentinum* sess. 4. *Scolastici cum Magistro* in 4. dist. 1. *S. Th.* 3. part. à quæst. 60. *& plures Doctores cum eo, Canonistæ de pœnitentia* dist. 1. *& de Consacratione Summistæ verbo* sacramentum; *Nau.* cap. 22. manual. *Valentia* tom. 4. disp. 3. quæst. 1. pun. 1. *Henriquez* lib. 1. *Sairus de sacramentis in genere*, art. 1. *Coninchus de sacramentis in genere* quæst. 6. art. 1. *Vasquez* 3. part. quæst. 60. disp. 128. cap. 1. *Tolet.* lib. 2. instruct. cap. 15. &c.

Quid sit Sacramentum?

BRACTEA I.

R. Sacramentvm varijs modis definiri à Doctoribus, a quibusdam definitur, rei sacræ signum, vel inuisibilis, gratię visibilis forma, & ita *c. sacrificium 32. dist. 2. de consecr.* S. Aug. *lib. 10. de Ciuit. c. 5. & lib. de catechizand. rudib. c. 20. & epist. 166.* Secundò, definitur sacramentum est corporale elementum foris sensibiliter propositum ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & continens spiritualem gratiam. Hugo *de sanct. vict. lib. 1. part. 9. cap. 2.* & ab alijs aliter definitur, sed omissis istis definitionibus.

Respondeo sacramentum esse signum sacrum non solum significans, verum etiam infallibiliter efficiens, rem sacram sanctificans homines, & ita Bonacina *de sacramentis p. 1. vnica propos. num. 1.* & communiter omnes.

Sciendum Sacramentum varijs modis accipi, tum ex parte rei significatæ, tùm ex parte diuersarum habitudinum ad eandem rem sacram, nam ex parte prioris rationis. Primò significat ex Varrone *lib. 4. de lingua lat.* pecuniam illam, quam litigatores pendente lite in loco sacro pro pignore deponebant. Secundò solemne iusiurãdum, idest obligationem sacram numinis contestatione factam, vnde apud Vegetium, *lib. 2. de re milit.* Fides militum Reipublicę data iureiurando interposito dicitur sacramentum militare. Tertiò, accipitur pro secreto sacro, nam hominis arcanum, Tobiæ 12. dicitur sacramentum. Diuina verò secreta vocantur sacramenta; *Sap. 2.* nescierunt sacramenta Dei, & *Daniel. 2.* vocat mysterium, mihi quoque mysterium hoc reuelatum est. Vltimò significat signum rei occultæ, & sacræ, in quo sensu sumitur ab Apostolo ad *Ephesios* 5. cum dicit sacramentum hoc magnum est, loquens de coniugio inter primos homines in Paradiso contracto, eò quod coniunctionem Christi cum Ecclesia significaret; & ex hac postrema, sed generali significatione contracta est vox sacramenti communi vsu Ecclesiæ Theologorum, Canonistarum, &c.

Sciendum 2. sacramentum esse signum ex institutione Diuina significans, & rem sacram, & hominem sanctificans; quod sacramentum sit signum ex institutione, patet ex Diuo Augustino *lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 3.* vbi significationem Sacramentorum cõparat significationi verborum, quod vtraq; est impositione. Tũ etiam, quia nulla res ex natura sua, & ex vi creationi, habet determinatam significationem gratiæ, vel gloriæ, vel redemptionis hominũ, quia hæc nullam habeat ex se connexionem cum rebus naturalibus, ergo si habet res, & verba talem significationem, debent illam habere ex impositione, vt enim ait Augustin. *pr. de Doctrina Christiana cap. 2. & lib. 2. cap. 1.* non solum voces, sed etiam res ipsę possunt imponi ad significandas res alias ad placitum imponentis, vt sonus tubæ significat militibus instare bellum, & ramus, vel tabella pendens significat tabernam, vel hospitium, sic etiam, & in sacramentis tam ablutio aquæ, quam verba in Baptismo significant ex instituto gratiam.

Quod significent ex Instituto Dei, patet, quia eius est tribuere sacramento significationem, cuius est illud instituere. Cum autem sit proprium solius Dei instituere sacramenta, sequitur

tur proprium esse solius Dei tribuere sacramento significationem.

Sciendum 3. quoniam signa ex instituto duplicia sunt, alia quæ habent similitudinem quandam cum rebus, ad quas significandas instituuntur, non quidem conuenientiæ, vel in qualitate, vel in ratione specifica, sed proportionalitatis. Alia vero, quæ non habent hanc similitudinem, sacramenta sunt signa prioris generis, quod patet ex Augustino *epist. 23. ad Bonifacium*, vbi ait quod si sacramenta non haberent similitudinem rerum, quarum sunt sacramenta, sacramenta non essent, quod probatur ratione, quia sacramenta sunt præstantissima signa, & à Deo instituta, vt inquit Alanus *cap. 3.* vt per illa sensus humani è rebus terrenis ad cœlestia supernaturalia erigerentur, at non possunt esse præstantissima signa, nec sic eleuare, nisi haberent naturalem quandam similitudinem, & proportionem ad illa, ergo, &c.

Sciendum 4. quod in definitione dicitur sacramẽtum esse signum sacrum significans, quia sacramentum significat passionem Christi, & futuram gloriam, & gratiam præsentem, siuè sit sanans, siuè perficiens, & est opinio communis, quod sacramentum significet passionem Christi probatur. Primò de sacramentis antiquis, tum quia erant protestationes, & signa illius fidei, qua iustificabantur antiqui, at illi iustificabantur per fidem Christi *ad Rom. 3.* tum quia Christus erat finis legis, non quia solum in illo consumanda erat, sed etiam, quia ad illum referebatur, & homines ad ipsius aduentum præparabat, ergo eius sacramenta debebant illum significare. De sacramentis nouæ legis patet. Primò inductione, nam de Baptismo id docet Apostolus *Rom. 6. de Eucharistia* 1. Corinth. 11. & Luc. 22. quod idem censendum est de alijs. Secundò probatur ratione, tum quia naturale est effectui indicare suam causam, sed nostra sacramenta vim habent à Christo. Tum, quia id significat factum, quod cætera significant futurum, vt docet Augustin. *ep. 49. quæst. 2. contra Faust. cap. 14.* sed illa significabant Christum futurum, ergo, &c.

Quod vero Sacramenta sint signa futuræ gloriæ, probatur primo ad Hebr. 19. vbi lex Mosaica dicitur vmbra, & lex Euãgelica imago futurorum bonorum, idest vitæ æternæ. Secundò, quia Sacramenta sunt media, quibus peruenitur ad gloriam, sed naturale est medio indicare finem; Demum omnia significant gratiam, sed hæc ordinatur ad gloriam, vt ad finem ergo, &c.

Quod Sacramenta significent principaliter gratiam ita vt ratione illius dicantur sacramenta, probatur inductione, nam circumcisio in lege veteri erat signum circumcisionis spiritualis, quæ fit per Christi gratiam. Baptismus est symbolum mortis, qua homo moritur peccato, & nouitatis vitæ *ad Rom. 5.* in quibus duobus posita est iustificatio, *ex Trident.* & de Eucharistia dicitur, qui manducat meam carnem, &c. *dist. 2. de Consecrat.* vbi definitur visibilis forma inuisibilis gratiæ, probatur etiam ex institutione sacramentorum, nam omnia sunt instituta post lapsum ad eius medelam, & satisfactionem, quæ fit formaliter per gratiam. Tum etiam, quia id principaliter significant, quod per verba exprimitur, sed plerumque sola gratia exprimitur, vt patet in verbis Baptismi, & Pœnitentiæ, neque obstat, quod verba Eucharistiæ, hoc est enim, &c. non videntur significare gratiam, sed Corpus Christi, nam illud significant, vt cibum animarum, & spiritualem refectionem, quç fit per gratiam, ergo, &c.

Vtrum Sacramentum sit semper res aliqua sensibilis?

BRACTEA II.

R. Affirmatiue, ratio est, quia sacramenta sunt signa à Deo instituta, vt per illa secundum modum nobis conuenientem deueniamus in cognitionem rerum sacrarum spiritualium, sed nobis connaturale est per sensibilia cognoscere intelligibilia, cum enim homo constet sensibus, non potest statim percipere spiritualia, ac intelligibilia, sed per externa signa, externa sunt sacramẽta, ergo, &c. Minor patet ex Apostolo nàm inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.

R. 2. In Sacramentis, quibus sanctificamur, & colimus Deum oportere vti rebus ex diuina institutione determinatis, & patet, quia oportet vti talibus rebus ab illo determinatè institutis, in cuius potestate est nos sanctificare, vel non, & approbare nostras preces, & cęremonias, sed spectat ad solum Deum nos sanctificare, & approbare nostras preces, & cęremonias, ergo oportet vti rebus ab illo determinatè institutis.

Vtrum in significatione Sacramentum requirantur verba?

BRACTEA III.

R. Quomodocumque considerentur sacramenta, siue ex parte causæ sanctificantis, puta verbi incarnati, siuè ex parte hominis sanctificati, siuè ex parte sanctificationis, congruum esse addere rebus sensibilibus verba, nam sic sacramenta confirmãtur mysterio incarnationis, in quo carni sensibili vnitum est Dei verbum, & cum sint medicinæ proportionantur infirmo curando, qui componitur ex corpore, & anima, & cum inter homines verba obtinuerint principatum significandi, ad perfectionem significationis sacramentis debuit significatio rerum sensibilium per verba determinari.

R. 2. In sacramentis requiri determinata verba. Ratio, quia sicut in composito, ex materia, & forma magis esse debet determinata forma, quàm materia, quia principium determinationis est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis, & terminus materiæ, & quia materia determinata requiritur, vt sit proportionata determinatæ formæ, sed in sacramentis requiritur determinata res sensibilis, quæ se habet, vt materia, ergo multò magis requiritur determinata verborum forma, quæ materiam sacramentorum determinet.

Scien-

Sciendum 2. quod determinatio rerum, quæ debent assumi, vt materia vniuscumque sacramenti non contingere, eodē modo in omnibus sacramentis: sed diuersimodè secundum exigentiam vniuscumque, nam in quibusdam determinantur res secundum speciem infimam, in alijs secundum rationem genericam in sacramento pęnitentiæ materia determinata, sunt actus pęnitentis, non quatenus pertinent ad speciem infimam, sed quatenus sunt manifestatiui peccatorum; siuè manifestatio fiat verbis, siuè nutibus, &c. in quibusdam materia determinatur in specie infima, vt in baptismo aqua, in extrema vnctione oleum, & in alijs aliter determinatur.

An in Sacramentis requirantur res sensibiles, vt materia, & verba determinata tamquam forma?

BRACTEA IV.

R. Primo in omni sacramento requiritur res sensibilis, tamquam necessariò pertinens ad rationem sacramenti, prior pars est de fide, nam in Florentino Concilio singulis sacramentis assignatur materia, & forma sensibilis. Posterior pars est communis contra Aliacensem *quæst. 1. artic. 3.* & alios asserentes de possibili, licet non de facto sacramenta posse esse res insensibiles, contra quos probatur, quia de ratione sacramentorum est, vt sint essentialiter signa apud homines, atque adeò humana, sed huiusmodi signa, vt patet ex definitione signi, & ex modo nostro intelligendi necessariò debent esse sensibilia, alioquin non erunt sacramenta nostra, neque eiusdem rationis cum nostris.

R. 2. In omni sacramento res, quæ sunt sacramentorū materię sunt determinatæ ab ipso institutore Deo, & Christo, est conclusio de fide, nam quoad sacramenta nouæ legis in Concilio Florentino determinantur res, quæ sunt materia sacramentorum, & cōfirmatur ex antiquissima traditione Ecclesiæ; quę semper vsa est determinatis rebus, & pro Hæreticis habuit quicumque ausi sunt has res mutare.

R. 3. Omnia Sacramenta nouæ legis constare determinatis rebus, & verbis consecratorijs à Christo institutis. Prior pars est de fide definitum in Concilio Florentino, & probatur primò ex scriptura, nam ad Ephes. 5. de Baptismo dicitur mundans ex lauacro aquæ, & res in *verbo vitæ*, per quod designatur verbum sacramentale, & consecratorium, in quo inuocatur Trinitas, vt exponunt Chrisostomus, Theodoretus, Theophilatus, & Matth. *vlt.* Christus prius præcipit Apostolos docere gentes, deinde præcipit baptizare. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quod spectat ad verbum consecratorium ex Hieronymo *ibidem* Damasceno 4. de *fide cap. 10. de Eucharistia* Matthæo 25. Accepit Iesus panem, ecce res, & benedixit dicens, Hoc est corpus meum, ecce verba consecrationis, deinde subdit Apostolis, Hoc facite in meam commemorationem. De extrema vnctione, Iacob. 5. orent super eum vngentes eum oleo. De confirmatione Act. 8. vbi ponitur manus impositio, & oratio, quæ fit verbis. De alijs sacramentis non ita expressè, & in particulari constat ex scriptura, quod debeant constare rebus, & verbis, satis tamen debet esse traditio Ecclesiæ, & definitio Concilij citati, & consensus Patrum, vnde est illud Augustini *tract. 80. in Ioann.* Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum, quamquam de Sacramento Pęnitentiæ colligi potest ex Ioanne 20. Quorum remiseritis, &c. Quod sine verbis fieri nequit. De Sacramento Ordinis id docent Ambrosius in *cap. 4. 1. ad Corinth.* & Hieronymus in c. 58. *Isaie.* De Matrimonio res certa est, quia non potest constare mutuus consensus sine verbis, vel signis æquiualentibus. Ratio huius propositionis euidens est Christi volūtas, ex cuius institutione res tota pendet.

R. 4. In Sacramentis res sunt tamquam materia, & verba tamquam forma, & vtraque sunt partes essentiales Sacramenti, ita vt Sacramētū supponat pro aggregato ex rebus, & verbis, & non pro solis rebus, connotādo verba, prior pars est de fide definitum in Florentino dicente, Sacramentum perfici rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma.

Sciendum materiam Sacramentorum duplicem esse, proximam s. & remotam, vt patet inductione in omnibus Sacramentis, vt in Sacramento Baptismi materia remota est aqua naturalis, in Confirmatione est Chrisma cum oleo, & balsamo, in Eucharistia est panis, & vinum, in Pęnitētia sunt peccata, in Extrema vnctione est oleum benedictum, in Ordinatione Sacerdotali est calix cum vino, & patena cum hostia, in Matrimonio consensus contrahentium.

Materia verò proxima Sacramētorum, Baptismo est ablutio, in Confirmatione, & Extrema vnctione est vnctio, in Pęnitētia sunt actus pęnitentis, in Ordinatione porrectio instrumenti, vt in Sacerdotali est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, in Matrimonio traditio corporum.

An Ecclesia possit mutare materiam Sacramentorum?

BRACTEA V.

R. Negatiue, ratio est, quia materia est determinata à Christo, Ecclesia autem non est supra Christum, cum Christus sit caput Ecclesiæ. Tum etiam quia materia est de essentia Sacramenti, sed Ecclesia non potest mutare essentiam Sacramentorum, ergo nec materiam. Ita Suarez *disp. 2. sect. 6.* Reginaldus *lib. 26. num. 15.* & alij.

Quod si dicatur Ecclesiam determinasse, vt matrimonium celebratum sine præsentia Parochi, & duplicis testis, inualidum esse in iis locis, in quibus acceptatum est Concilium Tridentinum, ergo signum est Ecclesiam posse mutare materiam Sacramenti Matrimonij, & efficere ipsum inualidum, quod alioquin esset validum. Respondeo hoc esse peculiare in Sacramento Matrimonij, aut ipsam materiam non mutare, sed solùm reddere contrahentes inhabiles ad contrahendum, nisi præscriptam seruent conditionem, & ita Ægidius Coninchus *quæst. 60. art. 6. num. 42.*

An liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma Sacramentorum?

BRACTEA VI.

R. Qui addit, vel minuit verbis sacramentalibus intendens per hoc inducere ritum non receptum ab Ecclesia, non videtur perficere Sacramentum, quia non videtur intendere facere id, quod facit Ecclesia.

R. 2. Si per additionem, vel demptionem destruatur sensus substantialis verborum sacramentalium, quacunque intentione id fiat, non erit validum Sacramentum. secus si additio, vel diminutio sit tàm parua, vt non destruat sensum substantialem verborum, tunc enim licet peccet sic mutans verba, validum tamen erit Sacramentum.

Sciendum circa primam responsionem tria quæri. Primò vtrum si fiat mutatio accidentalis materiæ manente sensu debito verborum, animo inducēdi nouū ritum in Ecclesia nō receptum tamquā substantialē Sacramento, perficiatur Sacramentum, vt si quis baptizet aqua benedicta, vel aqua mixta gutta vini, putans benedictionem, vel mixtionem talem esse de essentia Sacramenti Baptismi, vel si in consecratione putet particulam enim esse de essentia. Secundò vtrū cōficiat Sacramētum ijs, qui pro verbis, quę in forma adhibētur alia verba substituat, quæ ex communi vsu nihil significant, sed solum ex peculiari institutione ministrantis, vel suscipientis Sacramentum, vt si quis pro Baptizo dicat comburo, intendens idem significare, quod verbo Baptizo. Tertiò quantum quis peccet mutando Sacramentorum formas.

Ad primum dubium respondeo, quod mutās accidentaliter materiam, & formam Sacramenti animo inducēdi nouum ritum non receptum in Ecclesia tamquam essentialem Sacramento, licet non videatur nō perficere Sacramentum, verè tamen, & realiter potest illud perficere, & multò magis si tantum intendat inducere talem ritum tamquam aliquid accidentale, & necessarium tantum ad perfectionē accidentalem Sacramenti, licet contra cōsuetudinem, & præceptum Ecclesiæ. Prima pars est Sancti Doctoris, & aliorum asserentium generaliter, esse mutationem essentialem, & consequenter esse irritum Sacramentum, quando quis scienter mutationem facit, & per illam intendit inducere nouum ritum, & errorem in Ecclesia. Ita Bonacina *art. 2. quæst. 3.* & alij. Ratio est quia intendens inducere talem ritum, præsumitur non intendere, quod intēdit Ecclesia, nam videtur non approbare ritū Ecclesiæ, sed non intendens facere, quod facit Ecclesia, non conficit; ergo, &c. Secunda pars est Durandi *distinct. 6. quæst. 2.* Paludani *quæst. 1. art. 3.* & aliorum. Ratio est, quia intentio inducendi nouum ritū in Ecclesia non receptum, tamquam essentialē Sacramento potest stare cum intentione generali faciendi id, quod Ecclesia in communi facit, & quod Christus instituit, cum hę intentiones non sint contrariæ, vel repugnantes, vt patet ex obiectis illarum, sed posita intentione faciendi, quod facit Ecclesia, si adsit vera materia, & vera forma, perficitur Sacramentum, quia concurrunt illa tria, quibus Concilium Florentinum asserit perfici Sacramentum, nimirum materia, forma, & intentio. Tertia pars patet, quia talis intētio ministri nec repugnat intentioni Ecclesiæ quantum ad substantiam Sacramenti, nec tollit debitum sensum verborum ob mutationem accidentalem, manente debito sensu verborum.

R. 3. Si mutatio est tanta, vt non maneat legitimus sensus, seu pereat tota Sacramēti substantia, vel reddatur dubia, cōmittitur sacrilegiū, atque adeò peccatum mortale, nisi excuset ignorātia, quomodo Laicus excusatur in necessitate baptizans, quia nō tenetur ex officio scire formam Baptismi, vel inaduertentia inculpabilis, vel certè, si ex leui negligentia, vel pręcipiti prolatione fiat mutatio, nam tunc tantū peccatur venialiter, si verò mutatio est quoad accidentalia, salua eius substantia, peccat tantum venialiter, dummodo non fiat talis mutatio, vel ad introducendam hęresim, vel ex contemptu, qui scit peccatum mortale, vel cum magno scandalo. Prior pars est communis 4. *distin. 3.* Ratio est, quia sic mutans grauissimam iniuriā irrogat Sacramento. Posterior pars est communi loco citato. Ratio est, quia sic mutādo formam irrogat aliquam iniuriam Ecclesiæ, quia violatur consuetudo eiusdem, quæ vim legis habet. Quod verò venaliter tantum peccet, patet, quia non fit grauis iniuria Ecclesiæ. Dixi, nisi intercedat intentio introducendi hæresim per talem mutationem, nam sic maxima iniuria irrogatur Ecclesiæ, & maximum damnum. Dixi etiam, nisi intercedat contemptus, quia tunc erit peccatum mortale, cum esset contemptus contra consuetudinē Ecclesię.

Sciendum 2. multis modis variari posse verba in Sacramentis apposita. Primò additione, vt si quis baptizando dicat, ego te baptizo in nomine Patris, qui te creauit, Filij qui te redemit, & Spiritus Sancti qui te sanctificauit baptizando. Secundò diminutione, vt si quis baptizando dicat, te baptizo in nomine Paris, &c. omissa particula ego. Tertiò alteratione verborū, vt si quis balbutiēdo dicat vnā litterā loco alterius proferendo formā. Quartò transpositione verborū, vt si quis dicat baptizādo, in nomine Patris, &c. *baptizo te.* Quintò interpolatione verborū, vt si inter vnum verbum, & alterum tempus intercedat, vel aliud loquatur, quod non pertineat ad formam. Sextò verbis synonimis, vt si loco verbi *baptizo* dicat abluo. Septimò verbis æquiuocis non est necessariū ad Sacramenti substantiā, vt qui illud administrat, vel suscipit, intelligat idioma formæ verborum; sed sufficit, vt habeat intentionem Christi, & Ecclesiæ, quoniam ea verba habēt suam vim ex Christi institutione.

Sciendum 3. illam mutationem irritare Sacramentum, quæ est substantialis, non autem quæ est accidētalis, quia per mutationem substantialem tollitur sensus, & effectus formæ, non autem per mutationem accidētalem, quæ quidem mutatio aliquando potest contingere ex parte materiæ, vt si in baptismo adhibeatur aqua rosacea, & in Eucharistia panis non triticeus, vinum non ex vite, aliquando posse contingere modo suprascripto ratione formę.

An peccet qui in ministrando Sacramento, vtitur materia, vel forma dubia?

BRACTEA VII.

R. Graviter peccare, qui ministrando Sacramentum vtitur materia dubia, excepto casu extremæ necessitatis. Ratio est, quia exponit se periculo faciendi Sacramentum irritum, cum fieri possit vt reuera, illa materia, vel forma non sit sufficiens. In moralibus autem exponere se periculo faciendi Sacramentum irritum perinde est, ac inualidum facere, quod est peccare mortaliter. Ita Suarez *disput. 16 sect.* 2. Henriquez *cap. 9. num. 3.* Coninchus *quæst. 60 art 8. num 50.* & alij. In casu verò necessitatis ministrans Sacramentum quando non habet materiam certam potest dubia vti. Ita Nugnus, & alij. Sicut etiam esset peccatum absque causa vti materia, vel forma probabili, missa certa, quia exponeret se periculo nihil agendi per probabilem materiam, vel formam intelligo illam, quę vel ex Doctorum sẽtentia, vel ratione, iudicio prudentis probabilis iudicetur.

An quando dubitatur de validitate Sacramenti possit iterum administrari?

BRACTEA VIII.

R. Esse iterum administrandum sub conditione tamen. Ratio est, tum quia adest iusta, & rationabilis causa iterũ administrandi Sacramentum sub conditione, cum dubitetur de validitate prioris Sacramẽti, tum quia sic vtiliter geritur negotium suscipientis Sacramentum, cum fieri possit, vt iterata Sacramenti administratione saluetur. Ita D. Thomas 3 *par. quæst. 66. art. 9.* Valentia *tom. 4. disput. 4. quæst. 1. pun. 4.* Emanuel Sà *verbo Baptismus. num. 3.* Viualdus de *Baptismo cap. 5. num. 25.* & alij communiter.

An Sacramenta veteris legis sint eiusdem rationis cum Sacramentis nouæ legis?

BRACTEA IX.

SCIENDVM ante lapsum humani generis nulla instituta esse Sacramẽta. Ita D. Thomas *3. par. quæst. 61. art. 2.* & alij. Ratio, quia homo ijs nõ indigebat, quia iustitia originalis eorũ vices gerebat; post verò hominis lapsum fuerunt aliqua Sacramenta, quędã pro sanctificatione paruulorum, vt docet Scot. *in 4. dist. 1. quæst. vlt.* & alij. Et aliud pro adultis, quod erat sacrificium, quo remittebatur peccata in virtute passionis Christi venturi, in lege scripta fuerunt, quoq; Sacramẽta circumcisio, sacrificium, Agnus Paschalis, &c. Quo posito.

R. Plures differentias esse inter Sacramenta veteris legis, & nouę legis. Primò, quia Sacramẽta nouæ legis nõ modò significãt gratiã, sed etiã conferunt, & ex vi suę institutionis ipsam operãtur, Sacramenta verò veteris legis spirituale tantũ gratiã significãt, sed ex vi suę institutionis ipsam non conferunt. Secundò vetera Sacramenta sunt difficiliora, Sacramenta verò nouæ legis sunt faciliora. Tertiò illa fuerũt vmbræ nostrorum Sacramentorum. Quartò non conferebant gratiam ex opere operato. Quintò non introducebant ad gloriam, sicut nunc introducit Baptismus. Sextò non habebant determinatam verborum formam. Septimò non faciebãt de attrito contritum. Ita Sairus *lib. 15. de Sacramentis cap. 7. quæst. vlt. art. 5.* Viualdus *cap. 1. de Sacramentis in genere num. 11.* Henriquez *lib. 1 cap. 2. num. 1.* Valentia *tom. 4. disput. 3. quæst. 6. punct. 1.*

An Circumcisio contulerit gratiam primis parentibus?

BRACTEA X.

R. Circumcisionem non contulisse gratiam primis parentibus ex opere operato. Ita plures citati apud Laymañ *lib. 5. tract. 1. cap. 3 de Sacrament. in communi,* vbi refert ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij post *sess. vlt.* §. 5 Ecclesiasticorum Sacramentorum, vbi ait, quod nouæ legis Sacramẽta multum differunt à Sacramentis antiquæ legis, illa enim non causabant gratiam, sed illam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant, hæc verò nostra, & continẽt gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt, vnde in circumcisione non conferebatur gratia virtute circumcisionis, siue ex vi operis, sed ex virtute fidei in Christũ Saluatorem, & per consequens non ex opere operato, sed ex opere operantis, videlicet suscipientis Sacramentum si adultus esset, qui propriam fidem, & bonæ voluntatis actualem dispositionem, seu contritionem cõferre posset, vel alterius, seu ministrantis, seu offerentis, si paruulus esset, cui cum fidem, ac bonam voluntatem propriam non haberet, eius voluntas secundum benignam Dei acceptationem censebatur pia voluntas eius, qui curam paruuli suscipiebat cum Deo in fide Christi offerens, sicut expressè docet D. Thomas *3. par. quæst. 70. art. 4.*

An eadem materia, & eadem forma, vbique terrarum sufficiat ad Sacramentum?

BRACTEA XI.

R. Vbique terrarum ad validitatem Sacramenti sufficere eandem materiam, & eandem formam. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia sicut Christus vnam Ecclesiam instituit, sic vna Sacramenta, iuxta illud Pauli; Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, & cum Sacramenta sint instituta, vt populus Christi in vnam Religionem congregetur, vtique etiam opportuit vnam fuisse eorum institutionem, & licet Græci vtãtur, diuersa forma in baptismo, qua Latini vtuntur & pane fermentato in conficiendo Sacramento Eucharistiæ, tamen hæc non censetur mutatio substantialis, sed accidentalis.

An tota forma præferenda sit ab vno Ministro?

BRACTEA XII.

R. FORMAM integrè proferendam esse ab vno, & eodem Ministro. Ratio est, quia alioquin redderetur falsus sensus formæ, nam si quis in Baptismo diceret, ergo te baptizo, & alius subiungeret, in nomine Patris, & Filii, &c. reuera, non baptizaret, quia falsũ diceret, cum omitteret verba essentialia, nimirum illa verba in nomine Patris, &c. & non cēseretur baptizare in nomine Patris, &c. nec aliter etiam baptizaret, qui solum diceret, in nomine Patris, &c.

Quæ sit causa efficiens Sacramentorum?

BRACTEA XIII.

R. SOLVM Deum, vt causam principalem operari interiorem effectum gratiæ, qa solus illabitur animæ, & est Author gratiæ principalis, hominem verò per modum instrumēti, cum illā operetur per modum ministri cuius eadem ratio est, atque instrumēti.

R. 2. Christus, secundum quod Deus, operatur interiorem effectum Sacramenti per potestatem Authoritatis, secundum quod homo meritoriè, mediante passione, & instrumentaliter per potestatem instrumenti principalis, quæ dicitur potestas excellentiæ, quæ consistit in meritò sanctificatione, &c. quia eius bonitas erat instrumentum coniunctum verbo.

R. 3. Si loquamur de possibili solus Deus, vel alius eius auctoritate potuit instituere sacramenta, si de facto sacramenta legis naturæ à solo Deo in genere instituta sunt, & interius dictata Adamo, Noe, Abrahamo, &c. Sacramenta legis scriptæ fuerunt singula in particulari à Deo instituta, & per Moysen promulgata, sacramenta verò nouæ legis fuerunt omnia à Christo per potestatem excellentiæ immediatè instituta. Ratio primæ partis est, quia solus Deus est supremus Dominus, & vltimus finis Ecclesiæ, quare ad illum spectat instituere media, per quæ homines admittantur in Ecclesiæ gratiam, in ea accipiant sanctitatem, & tendant ad consequutionem finis. Secunda pars probatur, quia cum ante Moysen nulla esset lex diuinitus proposita, oportet, vt sacramenta, saltem in genere instituerentur à Deo, quæ, rationabile, est putare, fuisse inspirata præcipuis viris, & ab ijs alijs tradita. Tertia pars probatur etiam, quia in libro Exodi, & Leuitici, quoties agitur de sacramentorum institutione dicitur loquutus est Dominus, & quia Deus voluit lege, ac cæremonijs à se ipso latis populum illum sibi coniungere, & quia in sacramentis, in quibus remittebatur peccatum originale, erat necessaria auctoritas, & promissio Dei.

Sciendum 1. solum Deum, & consequenter Christum vt Deum, esse causam Physicam efficientem principalis effectus sacramenti; causa verò meritoria principalis est Christus, vt Deus homo. Causa instrumentalis principalis immediatè attingens effectum, est Christus, vt homo, per potestatem excellentiæ, causa verò instrumentalis, & minus principalis attingens mediatè tantum effectum est homo. Prima, & secunda pars est de fide *in Trident. sess. 5. de peccato originali*. Ratio est, quia solus Deus illabitur animæ, & est author gratiæ, & solus Christus sua passione, nostram est operatus salutem. Tertia pars probatur, quia humanitas Christi sola erat instrumentum coniunctum diuinitatis, ergo soli Christo conuenit ratio ministerij principalis, quæ dicitur potestas excellentiæ, quæ cōsistit in quatuor. Primò quod meritum Christi operatur in sacramentis, meruit enim illis efficaciam. Secundò quod in nomine Christi, Sacramenta sanctificantur, quia illius mandato, institutione, auctoritate, fidei Sacramenta conficiuntur. Tertiò, quod tamquam Minister principalis possit Sacramenta instituere. Quartò, quod independenter à Sacramentis possit producere illorum effectum, sicut fecit, cum iustificauit Maddalenam, &c. Quarta pars est de fide definitum in Concilio Florentino *in decret.* Eugenius *sess. 3. cap. 13. & 14.* & Constantiensi *sess. vlt.* Quod Ministri mediatè tantum attingant gratiam, non immediatè infundendo illam, vt Christus, est Sancti Doctoris, & probatur, quia Sacerdotes sunt causa gratiæ, quatenus conficiunt Sacramenta, & proferunt verba sacramentalia, quę deindè Deus assumit, vt instrumenta ad producendum effectum Sacramenti, nam hoc ipso dicuntur Ministri Sacramentorum, & ministerialiter conferre gratiam, & saluatur virtus formæ sacramentalis, & illa mediante, Ministri verè, & per se, sed mediatè influunt in effectum.

Sciendum 2. Christus Deus potuit potestatem excellentiæ Apostolis, & Ecclesiæ communicare, non tamen illam communicauit. Prior pars est communis Doctorum cum Magistro *dist. 5.* & probatur ex Augustino *tract. 5. in Ioann.* vbi id expresse docet. Secundò, quia quidquid conuenit Christo, vt homo est, potest, & alij homini communicari, sed potestas excellentiæ conuenit Christo, vt homini, ergo, &c. Præterea meritum Christi fuit infinitum, ergo potuit mereri, vt daretur homini talis potestas.

An Angelus, vel anima à corpore separata possit esse Minister Sacramentorum?

BRACTEA XIV.

R. DE lege ordinaria Dei, neque Angelus, neque anima à corpore separata potest ministrare Sacramenta. Probatur ex scriptura, nam solis hominibus dictum est *Matt. vlt.* Baptizantes eos; *Ioann. 20.* quorum remiseritis, &c. & ad *Hebr. 5.* dicitur omnis Pontifex, ex hominibus assumptus. Probatur etiam ratione, quia de ratione Sacramentorum Matrimonio excepto, est vt pro forma habeant verba ore prolata vitali modo, quod nequeunt Angeli, & animę à corpore separatæ, tum etiam, quia actu, nec potentia sunt de Ecclesia militante, cuius actio est, ministratio Sacramentorum.

R. 2. De potentia Dei absoluta posse Angelos, & animas à corpore separatas ministrare Sacra-

Sacramentum, si tamen certò constaret de voluntate Dei supplere volentis personam Ministri; quam voluntatem Dei præsupponere deberemus, quoties constaret Sacramentum aliquod fuisse ministratum à bonis Angelis, secus verò si à malis, nam præsumere possimus illos velle decipere, cum non sit credibile ipsos tantum bonum velle hominibus impendere.

R. 3. Solùm hominem esse necessarium, & sufficientem Ministrum Sacramentorum. Ita omnes Theologi. Ratio, quia solis hominibus data est talis potestas, patet *Matth. 28. Luc. 22. Ioan. 20. &c.* Quod intelligendum est de hominibus ritè ab Ecclesia ordinatis.

An probitas Ministri sit necessaria ad administrationem Sacramenti?

BRACTEA XV.

R. Probitatem Ministri non esse necessariam ad validam ministrationem Sacramenti; vnde per malos Ministros, quacunque malitia validè conferri possunt Sacramenta; si adsit vera materia, vera forma, & intentio, & iurisdictio, vbi requiritur, est de fide definitū in Conc. Trident. *sess. 7. can. 12.* & in Concil. Constant. *sess. 8 contra errorem 4. Vuiclefi* asserentis Episcopum, vel Sacerdotem existentem in peccato mortali non ordinare, non consecrare, &c. Ratio est, quia Minister Sacramentorum, quamuis sit improbus, habet potestatem conficiendi Sacramenta. Ratio est, quia retinet characterem indelebilem, per quem confertur potestas conficiendi Sacramenta, & per quem operatur in virtute Dei, qui potestatem collatam non aufert per peccatum.

R. 2. Quod licet probitas Ministri non sit necessaria ad validam Sacramentorum administrationem, esse tamen necessariam ad licitam administrationem. Ita S. Thomas *3. par. quæst. 64. art. 4. & 6.* Caietanus, & Coninchus *ibidem*, Henriquez *lib. 1. cap. 29. num. 2.* Suarez *disp. 16. sect. 3.* Sairus *lib. 2. de Sacramentis cap. 7.* Nauarrus *cap. 22. nu. 3.* Reginaldus *lib. 27. num. 57. & 58.* Viualdus *de Sacramentis num. 26.* Ledesma *in summ. de Sacramentis cap. 6. num. 1.* Ratio est, tum quia Isaiæ 52. dicitur mundi estote, qui fertis vasa Domini, & Leuitici 22. Omnis, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ex quibus desumitur argumentum à fortiori, si in administratione veteris legis requirebatur sanctitas, ergo multo magis requiritur in administratione Sacramētorum nouæ legis, quæ perfectiora sunt, tum quia Minister non existens in gratia contaminat, & commaculat Sacramenta pertractās illa tamquam rem profanam, & nullius momenti, in quo cernitur, & apparet grauis irriuerentia, & per consequens peccat, cum in re graui faciat contra id, ad quod est specialiter deputatus, cum gratia speciali. Ita Viualdus de *Sacramentis in genere cap. 3. num. 16.* Sotus *num. 4. distinct. 1. quæst. 5. art. 6.* Vnde debet Sacerdos curare habens conscientiam peccati mortalis, vt in gratia constituatur, antequam administret Sacramenta, vel per contritionem, vel per confessionem, & si præcisa confessione aduertat se solùm attritum, & nō contritum debet actum contritionis elicere, aut pœnitentiæ Sacramentorum recipere, cum teneatur illud remedium adhibere, quo moraliter sit certus, se esse in gratia. Ita Henriquez *lib. 1. cap. 39.* Possevinus *de administrat. Sacramentorum cap. 5. num. 40.* Suarez *disput. 16. sect. 3.* Reginaldus *lib. 26. num. 57.* & alij.

An peccet, qui in peccato mortali administrat Sacramenta?

BRACTEA XVI.

R. Quicumque in peccato mortali existens solemniter, & ex officio confert Sacramentum, peccat mortaliter. Ita D. Thomas *3. par. quæst. 64. art. 6.* & alij. Pro maiori notitia huius propositionis sciendum multipliciter contingere aliquem peccare mortaliter circa Sacramenta. Primò indignè illa suscipiendo sine dispositione requisita. Secundò irreuerenter illa tractando, vt si Sacerdos manibus lutulentis Eucharistiam cōtractaret, vel si Laicus contra Ecclesiæ præceptum Corpus Domini tangeret, nisi fortè id faceret ob finem honestum. Tertiò vtendo Sacramentis ad finem malum, vt ad sortilegium. Quartò conficiendo, & ministrando Sacramenta contra Ecclesiæ prohibitionem, vt si esset suspensus, excommunicatus, degradatus, &c. Quintò omittendo, vel mutando scienter, vel ex negligentia culpabili requisita ad confectionem Sacramenti. Postremò conficiendo, & ministrando Sacramenta in peccato mortali, vt docent communiter Doctores *dist. 5.* quod probatur locis scripturę supracitatis, & ratione, quia ministrans Sacramentum in peccato mortali ex officio, qui scilicet ad illa ministranda gratiam recipit, & ex peculiari consecratione deputatus, vel tribuente facultatem simpliciter conficiendi, vt est consecratio Episcopi ad conferendos ordines, & Sacerdotis ad conficiendam Eucharistiam, notabiliter facit irriuerentiam Deo, cui se non conformat existens in peccato mortali, & Sacramento, non diiudicans inter actionem sacram, & profanam, & gratiæ receptæ ad ministrandum Sacramentum.

Sciendum Sacerdotem in ministrando Sacramentum teneri sub mortali seruare ritum substantialem à Christo institutum, similiter ritum ab Ecclesia præscriptum, vt docet Tridentinum *sess. 7. can. vlt. de Sacram.* & illum non seruare ex contemptu, est peccatum mortale.

An ab excommunicato possint recipi Sacramenta?

BRACTEA XVII.

R. Ab excommunicato vitando, & præcisoa ministerio conferendi Sacramenta non licere extra necessitatis casum recipere Sacramenta. In casu verò necessitatis, licet ab excommunicato vitando non modo percipere, sed etiam petere. Primò Baptismum

mum per se, & pro paruulo. Secundò in eodem casu licet recipere, & petere Sacramentum Penitentiæ. Tertiò in prædicto casu tenetur quis petere per se Sacramentum Baptismi, & Penitentiæ. Ratio est, quia præcepti diuini obseruatione sola impotentia excusat, quæ nō est in casu proposito, cum liceat adulto suscipere Sacramentum necessitatis à Ministro non tolerato. Secūdò, quia licet adultus possit simpliciter sibi per cōtritionem subuenire, id tamen difficillimum est, vnde non est credendum, quod Ecclesia velit illum in necessitate in tot angustijs constituere propter suum præceptum Ecclesiasticum, tū quia præceptum diuinum de suscipiendo Sacramentum necessarium, præferendum est Ecclesiastico de non recipiendo à Ministro præciso, tum etiam, quia Sacramenta ministrata ab excommunicato vitando in casu necessitatis valida sunt, & quoad substantiam, & quoad effectum, etiamsi Minister excommunicatus sit, ob hæresim, vel ob aliud quodcumque delictum. Ita Caietanus *verbo absolutio*, Auila *2. part. cap. 6. dub. 3. disp. 3.* Sairus *lib. 2. cap. 18.* & alij.

R. 2. A Ministro ab Ecclesia tolerato licet. Primò in casu necessitatis Sacramenta recipere, etiamsi ille non sit paratus. Secundò licet extra casum necessitatis ab illo recipere, non inducendo, nec petendo, vt si iis sit expositus in Ecclesia ad ministrandum. Tertiò licet extra casum necessitatis etiam petere, si adsint hæ quatuor conditiones. Primò rationabilis petendi causa, v. g. vtilitas spiritualis, quæ est in receptione Sacramentorum. Secundò si non sit commoditas alterius Ministri, qui sine peccato possit ministrare. Tertiò si petatur Sacramentum eo tempore, quo minister potest benè illud ministrare si vult, quia potest liberari à peccato mortali per contritionem, vel confessionem, vel absolui ab excommunicatione adeūdo Episcopum in vrbe existentem. Quartò si Minister ex malitia nollit tollere impedimentum, propter quod sine peccato non potest ministrare, & ita plures Doctores sentiunt.

An Sacerdos in casu necessitatis baptizans in peccato mortali, peccet mortaliter?

BRACTEA XVIII.

R. Sacerdotem in necessitate ministrantem baptismum in peccato mortali sine solemnitate non peccare mortaliter, quia non administrat ex officio, & vt Minister consecratus, Ita S. Thomas *quæst. 64. art. 6.* Coninchus *quæst. 64. art. 6.* Victoria *de sacram. quæst. 29.* Sairus *lib. 2. cap. 7. quæst. 1. art. 2. & 4.* & alij. Ratio est, quia tunc non se gerit, vt Minister speciali conseruatione deputatus, cum tunc, & Laicus baptizare posset, sed vt subueniat necessitatem patienti, si tamen baptizaret cum solemnitate, peccaret mortaliter, quia talis modus conuenit illi ex officio, quod si extra casum necessitatis sine solemnitate baptizaret peccaret mortaliter indignè administrando in peccato mortali Sacramentum.

An Laicus baptizans in necessitate in peccato mortali, peccet mortaliter?

RRACTEA XIX.

R. Laicum habentem conscientiam peccati mortalis, non peccare mortaliter baptizando in necessitate. Ratio est, quia Laicus non est minister consecratus ad hunc effectum, sicut neque grauiter peccat eleuās Eucharistiam de terra in peccato mortali, quia non dicitur Eucharistiam administrare. Ita Enriquez, Suarez *locis citatis*. An peccet mortaliter Sacrista, qui existens in peccato mortali transfert Eucharistiam ab vno altari ad aliud? Respondeo negatiuè, quia talis translatio non est propriè actus ordinis, seu administratio Sacramenti, sed potius actus officij proprij.

Quot peccata committat, qui in peccato mortali administrant pluribus Sacramentum?

BRACTEA XX.

R. Cum distinctione, nam vel Sacramentum, quod ministratur, conficitur ministrando, vt conficitur Sacramentum Penitentiæ, vel ministratur Sacramentum iam confectum, vt v. g. quando ministratur Sacramentum Eucharistię Minister, qui administrat Sacramentum, quod ministrando conficitur in peccato mortali, tot peccata committit, quot sunt ministrationes distinctæ. Ratio est, quia censetur indignè administrare, & conficere plura Sacramenta, & per consequens exercere plures ordinis actus indignè. Si verò administratio fiat Sacramēti iam confecti, pluribus administrando Sacramentum committere solum vnum peccatum, quia illæ administrationes moraliter censetur vna actio, & ratione Sacramenti confecti, & ratione ministrantis Sacramentum.

An fides necessaria sit ad validam, & licitam Sacramenti ministrationem?

BRACTEA XXI.

R. Fidem non esse necessariam ad valida Sacramentorum administrationem. Ratio, quia potest infidelis ministrare vera Sacramenta, modo adsint cętera necessaria, & quia Minister Sacramenti nō operatur in virtute propria, sed in virtute Christi. Ita ad virtutem propriam pertinet fides, sicut & Charitas, ergo sicut hæc non requiritur ad administrationē sacramēti, ita nec fides, cum peccator possit ministrare Sacramenta. Ita Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 9.* Vasqu. *3. par. disp. 137. cap. 2.* Quæ propositio intelligenda est de Ministro baptizato non habente fidem, quia infidelis non baptizatus, excepto matrimonio, non potest validè conficere, & administrare Sacramenta, cum ex officio spectet ad Sacerdotem.

R. 2. Fidem esse necessariam ad licitam Sacra-

cra-

cramentorum administrationem, consequenter administrans Sacramenta sine fide peccat mortaliter, cum impossibile sit placere Deo sine fide. Ita Doctores citati.

An ad conficiendum Sacramentum requiratur intentio?

BRACTEA XXII.

R. Ad perfectionem Sacramenti requiritur intentio Ministri, & hęc non tantum sanctificandi, sed etiam perficiendi Sacramentum, nec sufficit intentio faciendi actum exteriorem Sacramenti, qui consistit in rebus & verbis, sed requiritur intentio conficiendi Sacramentum sub aliqua saltem ratione generali in confuso, v. g. faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, vel quod faciunt alij, vel faciendo Christianum, vt in baptismo, vel consecrandi, vt in Missa, vel absoluendi, vt in Pęnitentia. Prima pars est de fide definita in Florentino, & Tridentino *sess. 7. can. 11.* Ratio est, quia ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad esse sacramentale, & tollat indifferentiam verborum, & actionum. Talis autem est intentio faciendi Sacramentum, aut faciendi quod intendit Ecclesia. Ita Suarez *disp. 13 sect. 2.* Bellarm. *lib. de sacramentis, cap 27.* Valentia *tom. 4 disp. 3 quæst. 1. part. 2.* Henriq. *lib. 1. cap. 10.* Sairus *lib. 1. de sacramentis cap. 4.*

Sciendum intentionem esse actum liberum voluntatis in finem, vnde actus quo quis determinat ire Romam, dicitur intentio, quia est actus voluntatis in finem, & actus, quo quis intendit conficere Sacramentum, dicitur Intentio, quia est actus liber voluntatis in finem.

Sciendum 2. intentionem triplicem esse, habitualem, actualem, & virtualem. Actualis est, quando quis actualiter intendit, & vult conficere Sacramentum, dum illud conficit, virtualis est, quæ postquam actualis præcessit, adhuc virtualiter perseuerat, aliquo opere inchoato, virtute actualis intentionis, nec est moraliter interrupta per oppositam intentionem, aut per lõgam temporis moram interpositam, vel alia ratione. Intentio habitualis est, qua quis aliquid facit ex habitu, nulla præcedente intentione, vel si intentio præcessit, nõ amplius virtualiter perseuerat, cum sit moraliter interrupta. Diuiditur etiam intentio in absolutam, & conditionatam. Intentio absoluta est illa, qua quis intendit aliquid facere absque vlla conditione. Intentio conditionata est, qua quis intendit aliquid facere sub conditione.

R. Ad efficiendũ Sacramentum non sufficit intentio remota in causa, neque conditionata de futuro, sed requiritur, vel conditionata de præsenti, vel de præterito, quæ statim transit in absolutam, vel absoluta; nõ tamen quæcumque est sufficiens, puta, si sit habitualis, neque est necessaria intentio actualis, licet sit laudabilis, sed sufficit intentio virtualis, & hæc est necessaria, si non adsit actualis. Quod sufficiat intentio virtualis, patet. Ratio est, quia communis hominum vsus, & opinio tenent hanc sufficere, tum quia aperiretur via magnis scrupulis, si hæc non esset sufficiens, cum sæpissimè dubitaretur ministrũ Sacramentorum nõ habuisse intentionẽ actualẽ, cũ maximè difficilè sit. Quod verò intentio actualis non sit absolutè necessaria, patet, quia si esset necessaria, Deus obligasset nos ad impossibile, cum impossibile, sit aliquem semper actu aliter intendere, & attendere, cum in nostra potestate non sit, quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum sanctissimis actionibus occupamur. Ita S. Thomas *quæst. 64. art. 9.* Bellarminus *lib. 1. de Sacramentis cap. 28.* Sairus *lib. 2. cap. 4. quæst. 4. art. 2.* Viualdus *cap 3. de Sacramentis*, & alii. Quod non sit sufficiens intentio habitualis, patet etiam. Ratio est, quia conficiendum Sacramentum requiritur intentio elicita à volũtate, quę sit causa confectionis Sacramenti, talis autem non est intentio habitualis, ergo, &c.

An peruersa intentio Ministri in conferendis Sacramentis suppleatur à Deo?

BRACTEA XXIII.

R. Negative, & ita Naldus in *summ. verbo Sacramentum num. 10.* Henriquez *lib. 1. cap. 10. num. 3.* Ratio est, quia quod Deus suppleat, non fundatur vlla lege, promissione, aut necessaria ratione, & intentionem necessariò requiri, est de fide, vnde si constaret huiusmodi defectus, denuò conferendum esse Sacramentum absolutè, & cum necessaria intentione, licet alij aliter sentiant, cum non videatur iustum, cum qui bona fide accedit ob solam malitiam Ministri priuari Sacramento, & eius fructu, sed huiusmodi pietas non est secundum scientiam, cum non sit contentanea ordinariæ legi latæ à Christo.

An ad conficiendum Sacramentum satis sit intentio conditionata?

BRACTEA XXIV.

PRo maiori intelligentia, sciendum conditionem, quæ apponitur, aut esse de præsenti, aut de præterito, aut de futuro. Hoc posito.

R. Sacramentum administratum sub conditione de præsenti, vel de præterito validum esse, si res ita sit, sicut exprimitur in conditione. Ratio est, quia conditio de præsenti, aut de præterito non suspendit actum, cum non sit propriè conditio. Si verò res, seu conditio non verificetur, Sacramentum nihil operatur, quia Minister non intendit cõficere, nisi sub conditione, si res ita sit. Sacramẽtũ verò administratũ sub conditione de futuro non esse validum, quia si esset validũ, vel statim, vel tẽpore adimpletæ conditionis, neutrũ autẽ dici potest. Nõ enim est validum statim, quia Sacramentum non est validum absque intentione Ministri. Minister autem non intendit statim Sacramentum conficere, sed adimpleta conditione de futuro. Nec est validum tempore adimpletæ conditionis, cum tunc temporis non existat materia, & forma, quæ sunt partes essentiales Sacramenti.

An

An Minister Sacramenti debeat administrare ipsa indignè petenti?

BRACTEA XXIX.

R. Sacramenta non esse administranda peccatori publico indignè petenti, siue publicè petat, siue priuatè. Ratio est, quia Sacramenta sunt fideliter administrāda, non ad ministrarentur fideliter, si indignè petentibus administrarentur. Peccatori verò occulto indignè peteti non sunt administranda Sacramenta, quando petit occultè; secus si petat publicè, modo peccator occultus sit cognitus solùm in confessione, quia peccator non debet expelli à Sacramentis propter peccatum occultum, cognitum in confessione, ne confessio reddatur odiosa pęnitenti, retrahens ipsum Confessarius à Sacramentorum participatione ob notitiam in confessione habitam. vtereturscientia in confessione habita. Quod verò Sacramenta ministranda sunt peccatori occulto, si publicè petat, patet. Ratio est, tum quia sicut Christus non denegauit Sacramentum Iudæ, ita neque Minister denegare debet Sacramentum peccatori publicè petenti.

An denegandum sit Sacramentum illi, quando est publica, & vehemens suspicio ipsum esse non in statu gratiæ?

BRACTEA XXV.

R. Non esse ministrandum Sacramentum, donec constet de rei veritate, vel de eius innocentia, siue emēdatione. Nam huiusmodi suspicio cum oriatur ijs signis, & inditijs, quæ licet non faciant rem claram, & euidentem, nihilominus sufficiant ad iudicandum probabiliter rem ita esse; sufficiens est ad repellendum eum, de quo huiusmodi suspicio est, sicut enim à Sacramentis repellitur peccator, de cuius delicto publicè constat, donec innotescat ipsum esse emendatum; ita repelli debet peccator, de quo est publica, & vehemes suspicio, ipsum esse in statu grauis peccati, secus si suspicio sit leuis; quia tunc non est repellendus. Ratio est, quia dubia in meliorem partem sunt explicanda, & in dubijs fauorabilior pars est tenenda; cum melior sit conditio possidentis. Cum autem petens Sacramētum suam possideat famam, illi fauendum est, & ei non sunt deneganda Sacramenta. Ita S. Thomas *dist. 9 quæst. 1.* Reginaldus *lib. 29. num. 55.* Suarez *disput. 67. sect. 6* Henriquez *cap. 56. num. 5.* Vbi etiam addit in articulo mortis nō esse denegandum Sacramentum, non solùm quando adest leuis suspicio, verùm neque quando vehemes suspicio intercedit: nā infirmus ob denegatum sibi Sacramentum exponitur periculo grauis incommodi, & detrimenti, qui non videtur exponendus in articulo mortis ob solam suspicionem.

An Sacerdos possit ob metum mortis administrare Sacramentum peccatori publico?

BRACTEA XXVI.

R. Posse, ratio est, quia sicut potest administrare peccatori occulto publicè petenti ad euitandam ipsius infamiam, ita etiam licet administrare peccatori publico ad vitandam ipsiusmet administrātis mortem. Quod tamen intelligendum est, præciso scandalo actiuo, quilibet enim scandalum actiuum præcauere tenetur. Ita Nugnus *3. par. quæst. 80. art. 6.*

An peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam possit Sacerdos præbere hostiam non consecratam, ad vitandum sacrilegium petentis, quem scit indignè petere. R. negatiuè: ratio est, quia sic faciendo Sacerdos daret occasionem maioris peccati, v. g. Idolatriæ, cùm hostia soleat prius ab adstantibus adorari, & Sacerdos rappresentando hostiam videatur affirmare esse Christum.

An sicut non licet administrare Sacramenta indignè petenti, ita neque licitum sit petere Sacramentum à Ministro administratur in peccato mortali?

BRACTEA XXVII.

R. Non licere extra necessitatem, aut rationabilem vtilitatem petere Sacramētum ab eo, quem scimus ipsum esse administraturum in peccato mortali, siue sit paratus ad ministrandum, siue non. Ratio est, quia esset cooperari peccato proximi, quod ex charitate impedire tenemus, nisi adsit necessitas, vel aliqua alia iusta causa. Ita Reginaldus *lib. 1. num. 165.* Sotus *in 4. distinct. 1. quæst. 5. artic. 6.* & alij.

R. 2. Propter necessitatem, vel ob aliam iustam causam, licet petere, & recipere Sacramēta à quolibet Sacerdote iurisdictionem habēte, et si sciamus illum non esse administraturū, nisi in peccato mortali, siue sit ad illa ministrāda paratus, siue non. Ita S. Thomas *quæst. 64. art. 6.* Henriquez *cap. 23. num. 1.* Sairus *lib. 2. de Sacramentis cap. 8. quæst. 1. art. 2. & 3.* Valentia *tom. 4. disput. 3. quæst. 5. punc. 3.* Viualdus *de Sacramentis cap. 3. num. 13.* Sanchez *lib. 7. de matr. disp. 9. n. 8.* Tolet. *lib. 1. cap. 88.* Suarez *tom. 3. disput. 18. sect. 2.* & alij communiter. Ratio est, quia petendo, & accipiendo Sacramenta vtimur iure nostro, cum petamus rem, quæ sanctè, & religiosè præstari potest, & malitia illius administrationis, non est petenti imputanda, sed administranti, cum non participet in actione quatenus mala, sed quatenus bona.

An

An petens Sacramenta ab excommunicato tolerato peccet?

BRACTEA XXVIII.

R. Petentem Sacramenta ab excommunicato tolerato non peccare mortaliter, non solùm quando ignorat illum esse excommunicatum, sed etiam quando scit illum esse excommunicatum, siue excommunicatus sit proprius Parochus, siue alius Sacerdos, siue adsit necessitas petendi, siue non, & siue sit paratus ea ministrare, siue non. Ita Sanchez de *matrim.lib.7.disp.9.num.*8. Sotus *in* 4. *dist.* 22.*qu.*1.*art.*4.& alij apud Vasquez *tom.*4.*dub.*2.*&* 3. *num.*2. & apud Sanchez *loco cit.* Ratio est, quia petens vtitur iure suo, tum quia Concilium Constantiense facultatem dedit fidelibus participandi cum excommunicato tolerato in Sacramētis, &c. ergo fideles absque peccato possunt petere Sacramēta ab excommunicato tolerato. Quod si dicatur petentem Sacramenta ab excommunicato tolerato cooperari peccat illius. R. non cooperari: ratio est, quia cū Concil. Cōstantiense tradat fidelibus facultatē participādi cum excommunicato tolerato, videtur indirectè concessisse, ne excommunicatus toleratus peccet communicando, & administrando Sacramenta, quando petuntur ab alijs fidelibus. Quare decretum Concilij Constantiensis videtur directè positum in fidelium fauorem, & indirectè in fauorem excommunicati.

An peccet, qui petit Sacramenta ab excommunicato vitando, qui iam à delicto resipuit?

BRACTEA XXVIII.

R. Peccare mortaliter, etiamsi resipuerit à delicto, si absque iusta causa petat. Ita Vasquez *tom.*4.*in* 3.*par.dub.*2.*tract.de excommunicatione*, Sotus *in* 4.*dist.* 22.*quaest.*1.*art.*1. Suarez *disp.*9.*sect.*9.*num.*2. Garzias de *beneficijs* 7.*par. cap.* 13. *num.*96. Coninchus *disp.* 141. *dub.*6.*num.* 49. Reginaldus *lib.*32.*num.*11. Filliuccius *tract.*12.*cap.*2.*quaest.* 6. Ratio est, quia licet sit contritus, adhuc tamen remanet excommunicatus ab Ecclesia, quoadusque absoluatur, & per consequēs priuatus participatione actiua, & passiua Sacramentorum, licet plures Doctores sequantur opinionem contrariam; & ratio istorum est, quia non est credibile piam Matrem Ecclesiam velle à suis suffragijs eum excludere, qui iam est contritus, & per contritionem receptus in amicitia Dei, quæ opinio probabilis censetur.

An Sacramenta sint necessaria ad salutem humanam?

BRACTEA XXIX.

Sciendum 1. triplicem esse humanæ naturæ statum. Primùs est naturæ perfectissimæ, quæ est in beatitudine. Secundùs est naturæ integræ, qui dicitur status innocentiæ, & fuit in primis parentibus in Paradiso, & futurus fuisset in posteris, si Adam non peccasset. Tertiùs est naturæ per peccatum lapsæ, qui rursus subdiuiditur in tres status iuxta triplicem legem, nam alius est hominis lapsi sub lege naturæ, qui status solus durauit à lapsu Adæ. vsque ad Moysen, alius est sub lege scripta, qui durauit à Moyse vsq; ad Christū. Tertiùs est sub lege gratiæ à Christo, vsque ad finem mundi; in quibus tribus statibus tenebantur homines præcepto fidei, spei, & charitatis, quia nemini post lapsum contingit salus, nisi per Christum, vnde status legis naturæ non ita dicebatur, qui excluderet pręcepta supernaturalia, sed quia non erant illa scriptis data, nec solemniter promulgata, sed tantum interiori instinctu mouebantur homines ad Deum colendum, vt ait Sanctus Doctor *quaest.* 60.*art.*5. & vt ait Sotus per internam motionem, tam naturalem, quam supernaturalem, qua Deus præcepta supernaturalia fidei, spei, & charitatis, maioribus reuelauit, & isti alijs ore tantum, & ideo S. Doctor *art.*3. ait quod in lege naturæ potuerunt homines saluari, nō tamen per legem naturæ, sed per gratiam, quę erat in illa, & per fidem, quæ tunc erat.

Sciendum 2. necessarium duplex esse, vnum absolutum, & ex natura rei, quo prætermisso, salus obtineri non potest per absolutam Dei potentiam. Secundùm est ex suppositione, idest supposita Christi institutione, quod subdiuiditur in necessarium ex suppositione necessitate medij, quo prætermisso, etiā ex ignorantia inuincibili, vel obliuione inculpabili salus non obtinetur, ius iuxta legem Dei ordinariam. Alterum est necessarium ex suppositione, necessitate pręcepti, quod est illud, quod oblata opportunitate, necessariò præstandum est, ad salutem obtinendam, nisi fortè prætermittatur ex ignorantia inuincibili, vel obliuione inculpabili, vel ex impotentia, quia in isto casu, quod prætermittitur, non imputatur ad culpam. Quibus positis.

R. Institutio Sacramentorum non est necessitate absoluta, & ex natura rei. Ita Bellarm. *lib.*1.*de sacramentis cap.*22. S. Thomas 3.*part. quaest.*6. *art.*4. Valentia *tom.*4.*disp.*3. *quaest.*2.*punct.*1. Camerota *cap.*3. *de sacramentis*, Henriquez *lib.*1.*cap.*4.*n.* 1. Reginaldus *lib.*26.*num.*9. & est communis Doctorum in 4.*dist.*1. Ratio est, quia necessitas institutionis Sacramentorum maximè sumitur in ordine ad cultum Dei, & satisfactionem hominum, sed ad hos fines non sunt Sacramenta simpliciter, & absolutè necessaria, nam posset Deus alijs modis, & immediatè sanctificare homines, & ab illis coli, cū virtus Dei infinita non sit alligata Sacramentis, cum posset sine Sacramentis ad Cęli gloriam nos euehere, & subleuare.

R. 2. In statu perfectissimæ gloriæ, neque conueniens est institui Sacramenta, neque instituta sunt. Est Sancti Doctoris *art.*4. Scoti 4. *dist.*1.*quaest.*3. & aliorum. Ratio est, quia præcipuus finis institutionis Sacramentorum est sanctificatio, & cultus Dei, sed propter neutrum finem necessarium est instituere Sacramenta, non propter priorem, quia Beati in primo suæ glorificationis momento perfectissimam possident cognitionem supernaturalem, & possident totam sanctitatem; neque propter posteriorem, quia colunt Deum sine rerum sensi-

sensibilium auxilio, & per consequens institutio Sacramentorum non fuit in illo statu.

R. 3 In statu innocentiæ, siuè quomodo de facto fuit in solis primis parentibus, siuè quomodo fuisset in eorum posteris, durante illo statu, non fuisset conueniens institui Sacramenta, & ideò non fuerant, nec fuissent instituta, si status ille durasset. Est S. Thomæ *hic art. 2. & 4. dist. 1. quæst. 1. art. 2.* Bonau. Richard. Gabrielis maioris, Paludani, Soti, Ledesmi *ibidem* Ratio est, quia restitutio, & perfectio illius status non exigebat Sacramenta, nam cum in illo omnia inferiora subderentur superioribus appetitus rationi, corpus animo, homo Deo, indecens fuisset si anima adminiculo alicuius rei inferioris, & sensibilis, vel supernaturalia bona gratiæ, & cognitionis supernaturalium accipere, nam sicut fuit à Deo immediatè Adamo infusa gratia, & scientia supernaturalium, ita etiam, & posteris fuisset infusa, durante illo statu, & per consequens Sacramenta in illo statu non erant necessaria ob Dei cultum, neque ob cognitionem supernaturalium, neque ob sanctificationem, neque ob curationem peccati.

R. 4. In quolibet statu post peccatum conueniens fuit institui Sacramenta, & in quolibet fuerunt instituta. Prior pars est communis, & ratio desumitur ex peccato, quia ex quo fuit morbus peccati in humana natura, conueniens etiam fuit, quod fuisset medicina ad expellendum ipsum morbum. Medicina autem contra morbum peccati res sacra est. Posterior pars de statu legis gratiæ patet, nam certum est de fide Christum Dominum instituisse septem Sacramenta, vt docet Concilium Tridentinum, & Florentinum *sess. 7.* De statu verò legis Mosaicæ, etiam patet in eo fuisse Sacramenta ex ijsdem Concilijs, & Dionysius *cap. 5.* Cœlestis Hierarchiæ ait Synagogam habuisse carnalia Sacramenta, quæ erant vmbra, & figura futurorum. De statu verò legis naturæ communiter etiam docent Scholastici *dist. 1.* fuisse in illo aliqua Sacramenta, nam primò fuit Sacramentum ad tollendū originale peccatum, tam in paruulis, quam in adultis, vt docent Sancti Patres Cyprianus *serm. de circumcisione,* Augustinus *2. de peccatorum meritis cap. 9.* & alij. Et præter hoc Sacramentum fidei erant etiam alia Sacramenta. Est communis Doctorum, *dist. 1.* Sancti Doctoris Scoti, Gabrielis, & aliorum, vt fuit sacrificium, quod probatur ex varijs Doctoribus.

Qua necessitate in lege scripta erat necessaria circumcisio?

BRACTEA XXX.

R. Adultis fuisse necessariam necessitate præcepti, vt colligitur ex illis ver. *Gen. 17. num. 14.* Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, &c. Si ergo adulti non saluabantur absq; circumcisione, signum est circumcisionem illis fuisse necessariam, saltem necessitate præcepti, & ita S. Thomas *qu. 70. art. 3.* Pueris verò non fuit necessaria necessitate præcepti patet, quia infantes ante vsum rationis non sunt capaces præcepti. Quod verò non fuerit necessaria necessitate medij, patet etiam, quia illud est necessarium necessitate medij, quo prætermisso salus non obtinetur, sed paruuli morientes ante octauum diem, omissa circumcisione poterant saluari, cum solo legis naturæ remedio, ergo circumcisio non erat necessaria necessitate medij.

De principali effectu Sacramenti, qui est gratia?

BRACTEA XXXI.

Sciendum I. gratiam dupliciter posse conferri. Primo ex opere operato. Secundò ex opere operantis. Confertur gratia ex opere operato, quando confertur non solùm ob dispositionem suscipientis, sed propter aliquid aliud externum institutum à Deo ad cōferendam gratiam vltra meritum, &c. dispositionem operantis, tunc gratia dicitur conferri ex opere operantis, quando confertur solum propter meritum, & dispositionem suscipientis. Quo posito.

R. 1. Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato. Est conclusio de fide, vt patet ex Concilio Tridentino *sess. 7. can. 7. & 8.* & ex alijs concilijs, vt ex Niceno, Milleuitano, Arausicano, vt habetur *cap. quod autem, cap. Filius, cap. per aquam, cap. numquam*. Probatur etiam ex varijs scripturæ locis *1. Ioann. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, quem locum de baptismo intelligunt Sancti Patres, & Diui Pauli ad *Ephes. 5.* Mundans eam, quod etiā intelligitur de baptismo, & ex pluribus alijs locis, quos afferunt Sairus *lib. 5. de sacramentis cap. 1. art. 3.* Sanctus Thomas *3. part. quæst. 62. art. 1.* tum etiam ex Sanctis Patribus, quia Sacramenta sunt medicina animarum, sed frustra est medicina, quæ non potest esse causa sanitatis. Probatur etiam ex congruentijs, quia hoc decuit ad demonstrādam virtutem, & efficaciam meritorum Christi, vt Sacramenta conferrent gratiam.

R. 2. Omnia Sacramenta nouæ legis habere vim conferendi primam gratiam non ponentibus obicem secundum communem rationem sacramenti, & ex diuina virtute, & eleuatione: Baptismus tamen, & Pœnitentia ex propria, & specifica ratione per se, & directè causant primam gratiam, reliqua verò solum ex accidenti, & dispositiuè, quatenus disponunt ipsi suscipientes ad primam gratiam. Per se autem, & directè conferunt augumentum gratiæ. Quod baptismus, & pœnitentia sint per se directè instituta ad conferendam primam gratiam patet, nam hæc instituta sunt per se directè ad tollenda peccata, Baptismus, quidem ad delendum originale, & actuale, ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, & Tridentino *sess. 5. can. 5.* & ex varijs scripturæ locis, vt ex Apostolo *ad Titum 3.* est institutus baptismus ad spiritualiter regenerandum, *& ad Roman. 5.* Ad hoc vt homo sepeliatur cum Christo, & cum illo resurgat: pœnitentia verò ad remissionem peccatorum actualium post baptismum commissorum, vt definitur Tridentino *sess. 14. can. 1.* vnde *cap. 3. & 5.* ait effectum huius sacramenti esse recon-

reconciliare cum Deo, sed regeneratio, resurrectio, reconciliatio, & remissio peccati originalis, & actualis fieri non possunt sine prima gratia, ergo, &c. Quod verò cetera sacramenta conferant per se directè augumentum gratiæ, patet, quia supponunt primam gratiam, ergo conferunt secundam, quæ est augumentum gratiæ. Quod verò ex accidenti, & dispositiuè conferant primam gratiam, patet etiã cum moueant recipientem ad actum amoris, & contritionis, quibus confertur prima gratia; vnde primarius baptismi effectus est perfecta regeneratio spiritualis per remissionẽ peccati originalis in paruulis, & in adultis per remissionẽ oĩs culpę, & originalis, & actualis, & omnis reatus pęnæ æternæ, vt docet Conciliũ Tridentinum *sess.5.can.5.* & Florentinum in Decreto Eugenij. Confirmationis verò effectus est gratia perficiens, & vis, seu robur ad confitendam fidem, & Christi nomen, & ad pugnãdum non solum contra internas tentationes, sed etiam contra externas, impugnationes inimicorum Christi. Extremę Vnctionis effectus est, ex Florentino, sanatio mentis, & in quantum expedit etiam corporis. Præterea sublatio reliquiarum peccati, & robur ad tentationes vincendas in articulo mortis occurrentes. Eucharistiæ effectus est refectio spiritualis animæ, adunatio hominis ad Christum, præseruatio hominis à multis peccatis mortalibus, Antidotum contra culpas quotidianas, vt docet Florent. & Trid. Conc. *sess.13. cap.2.* Effectus matrimonij est fidelitas, pietas, & charitas inter coniuges. Ordinis verò effectus est administratio debita Sacramentorum.

An in suscipiente Sacramentum requiratur dispositio, vt recipiat gratiam?

BRACTEA XXXII.

R. Reqvirit dispositionem, ratio est, quia in suscipientibus Sacramenta, quæ primariò fuerunt instituta ad conferendam, secundam gratiam, requiritur aliqua dispositio, quia effectus sacramenti non datur nisi ei, qui est coniunctus cum gratia sanctificante, & qui est in peccato redditur indignus supernaturalibus donis. Ad recipienda verò sacramenta, quæ conferunt primam gratiam, duplex requiritur dispositio, vna in intellectu, & altera in voluntate. In intellectu requiritur fides, cum sine fide impossibile sit placere Deo. In voluntate requiritur attritio, per quam aliquo modo peccatum odio habeatur.

An suscipientes Sacramenta æqualem gratiam recipiant?

BRACTEA XXXIII.

R. Primo. Sacramenta omnia quantum est ex parte sui conferunt gratiam semper, & infallibiliter, quantum verò ex parte suscipientium, illam infallibiliter conferunt paruulis, dummodò ritè conficiantur, & illis applicentur; adultis verò non conferunt, nisi præuia dispositione. Prima pars est de fide definita in Tridentino *sess.7.can.7. &* 8. Ratio est, quia omnia sacramenta habent communem promissionem gratiæ, quæ à Christo data est, sed promissio Christi est infallibilis, ergo, &c. Secunda pars de infantibus, probatur, nam infantes ante vsum rationis, cum sint incapaces peccati actualis, non possunt obicem ponere, ergo, &c. Tertia pars de adultis, probatur, quia peccatum mortale commissum impedit effectum gratiæ sacramenti; Ergo hæc dispositio requiritur in adulto, vt dum incipit sacramentum sit in statu gratiæ.

R. 2. Recipientes Sacramenta eiusdem speciei cum ęquali dispositione, recipere ęqualem gratiam. Ita S. Thomas *quæst.69.art.8.* Coninchus *q.62. ar.1.dub.3.* Sotus *in 4.dist.6.quæst.1. art.6.* Grassius *2. part. lib.2.cap.4. num.13.* Pitigianus *dist. 4.quæst.7.art.2.* & alij. Ratio est, quia si subiecta æqualiter disposita sint, non potest assignari ratio, qua vni plus conferatur gratię, quam alteri, non enim ex parte sacramenti, quippè quod virtutem operandi habens ex opere operato secundum legem, & institutionem Dei definitum effectum producit, neque ex parte Ministri propriam deuotionem afferentis, vt Caietanus opinatus est, nam nullus homo alteri gratiam sanctificantem immediatè, seu alterius, bona operatione non interueniente, etiam de congruo impetrare potest, cum solius Christi officium sit homines sanctificare, seu hominibus gratiam sanctificantem apud Deum Patrẽ mereri, & ita Layman *tract.1.cap.5. num.6. de Sacramento baptismi.*

R. 2. Recipientes Sacramenta eiusdem rationis cum inæquali dispositione inęqualem gratiam recipere, ratio, quia ex Concilio Tridentino *sess.7.* habetur vnumquemque per sacramenta recipere iustitiam secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secũdum propriam vniuscuiusque dispositionem, ergo inæqualiter dispositis inæqualem gratiam recipiũt, alioquin sacramenta non dicerentur conferre gratiam secundum dispositionem, & cooperationem.

R. 3. Quod gratia collata per sacramenta adulto, interdum potest esse maior, & interdũ minor. Ratio est, quia gratia sacramentalis confertur adulto cum dispositione, iuxta perfectionem illius magis, vel minus, ergo fieri potest, vt aliquando gratia data per sacramẽtum adulto sit maior, quam data alteri, ex vi operis operantis, vt si ille accipiat sacramẽtum cum maxima deuotione, vel eliciat actum cõtritionis intentiorem, & ita S. Bonau. *dist.4.ar. 1.quæst.3.* Argentina *art.4.* Corduba *lib.1. quæst.3.* contra plures alios asserentes ex opere operato non dari ex sacramento maiorem gratiam, etiamsi subiectum sit melius dispositum.

An Sacramenta producant gratiam in instanti?

BRACTEA XXXIIII.

R. Sacramenta producere gratiam in instanti, & est communis Doctorum Capreoli *dist.1.quæst.1.* Scoti, Soti *dist.1. quæst.3.* & aliorum. Ratio est, quia virtus effectiua sacramentorum requirit significationem verborum sacramentalium, non enim verba sacramentalia efficiunt, nisi quod significant, & con-

& consequenter, nisi integra, & perfecta oratione essentiali. Est autem integra, & perfecta essentialiter in termino prolationis verborum ergo, &c.

An Sacramenta producant gratiam moraliter, aut Physicè?

BRACTEA XXXV.

SCIENDVM I. causam efficientem Sacramentorum duplicem esse vnam Physicam, quæ reali, & Physico influxu attingit effectum, alteram moralem, quę tantum moraliter attingit effectum, mouendo scilicet, & inducendo causam efficientem Physicam ad producēdum effectum, quomodo qui precibus, concilio, vel merito, vel exhibendo pretium ęquiualens mouet alium ad aliquid faciendum. Dicitur causa moralis. Quo posito.

R. Sacramenta sunt causa moralis instrumentalis gratię, ratio est, quia illa est causa moralis instrumentalis, cuius intuitu causa Physica aliquid producit. Sed Deus intuitu sacramentorum, quatenus rappræsentāt merita Christi, producit gratiam, ergo sacramenta sunt causa instrumentalis moralis gratiæ. Ita plures Doctores.

R. 2. Sacramenta nouę legis posse causare, & de facto causant gratiam, & alios effectus Sacramentales, non solum, vt instrumenta Christi moralia, sed etiam Physica verè producentia gratiā immediatè. Ita Bellarm. *lib. 3. de Sacramentis cap. 16. num. 4.* Henriquez *lib. 1. cap 16. num. 4.* Vasquez *disp. 13.* & est communis omniū Doctorum. Ratio est, quia modus causandi gratiam, & faciendi miracula in humanitate Christi, Physicus est, ergo dicendum dum est etiam sacramenta posse, & de facto causare gratiam, tanquam instrumenta Physica Dei, quod confirmatur, quia si implicat sacramenta esse instrumenta Physica Dei, vel est quia effectus supernaturalis non continetur in virtute rei naturalis, vel quia nullum materiale potest agere in spiritum, sed neutrum dici potest, cum non repugnet dari qualitatem corpoream, quæ per concursum Dei, & eius voluntate agat in spiritum, & producat rem spiritualem, cum omnis creatura ob potentiam obedientialem obediat Deo, cum enim Deus sit supremus omnium Dominus, habeatque potentiam infinitam, indubitanter fatendum est Deum vti posse creatura pro suo nutu, & arbitrio ad faciendum quicquid non implicat.

R. 3. Probabile esse de facto Sacramenta esse instrumenta physica gratiæ per virtutem intrinsecam, naturali eorum entitati super additam, est S. Doctoris hîc *art. 5.* vbi ait hanc virtutem fluxisse à Christo: & ratio est, quia de ratione instrumenti physici est habere virtutem productiuam intrinsecam, sed non implicat, neque repugnat talem virtutem intrinsecam esse qualitatem entitati instrumenti realiter superadditam. Maior patet, quia instrumētum physicum debet habere virtutem productiuam, & omnis causa ratione virtutis continet in se, vel formaliter, vel virtualiter effectum, non enim potest communicare id, quod in se nullo modo habet. Quod verò qualitas sit intrinseca, patet, quia si esset virtus extrinseca, actio productiua gratię solum penderet ab eo, in quo talis est virtus; nam actio tantum pendet à principio. Minor patet etiam, quia si implicat dari talem qualitatem, vel est, quia si est spiritualis, non potest informare, & inhærere corporeo, vel corporea non potest naturaliter attingere rem spiritualem.

R. 4. Probabilius esse de facto sacramenta esse instrumenta physica gratiæ per virtutem intrinsecam ab eorum entitate naturaliter indistinctam, idest per potentiam obedientialem, quam per qualitatem superadditam. Ratio est, quia de facto datur in rebus potentia obedientialis actiua non distincta realiter ab illarum entitate, sed hæc sufficienter potest esse instrumentum physicum Dei respectu gratiæ, ergo, &c. Minor patet, quia per talem potentiam intelligimus virtutem creatam, per quam Deus potest efficere, quidquid voluerit non repugnans, ergo, &c.

Sciendum potentiam obedientialem actiuā esse aptitudinem creaturæ, vt creatura est ad instrumentaliter efficiendum, quidquid Deus voluerit, illo specialiter concurrente, & applicante ipsam ad opus. Dicitur aptitudo, quia effectus particularis illius est efficere creaturam, vt sit aptum instrumentum Dei. Dicitur creaturæ, vt creatura est, quia conuenit omni creaturæ, & vt distinguatur à potentia naturali, nam licet vna, & eadem res possit esse potentia naturalis, & obedientialis, est tamen diuersa ratione, cum sub diuersa ratione comparetur ad diuersos effectus, licet potētia obedientialis ad suum effectum producendum, & ad instrumentaliter efficiendū quidquid Deus voluerit, indigeat, non modo concursu generali, sed etiam speciali, & idcircò dicitur, illo specialiter concurrente, & applicante.

De secundo effectu Sacramentorum, qui est Character.

BRACTEA XXXVI.

R. PRIMO tria sacramenta nouę legis prę- ter gratiā imprimere etiā Characterē, nimirū Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Est de fide definitum in Florentino Concilio, & Tridentino *sess. 7. can. 9.* Si quis dixerit in tribus sacramentis Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima, idest signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possint, Anathema sit. Et ita regulariter sentit Mater Ecclesia, vt docet Petrus Ledesma *de sacramento Confirmationis cap. 4.* Vasquez *3. par. tom. 2. disp. 146.* Reginaldus *lib. 26. num. 48* Camerota *de sacramentis dub. 5.* & alij. Ratio à posteriori est illa Concilij, quia non est ratio, vt quædam sacramenta iterari non possint, nisi quia aliquid indelebile in homine efficiunt, ratione cuius sentiantur semper manere, hoc non potest esse gratia, quia hæc est communis omnibus, & potest amitti; ergo Character, & hæc ratio probat etiam, quod tria solum sacramenta imprimant Characterem. Ratio verò à priori est Christi volun-

voluntas,& Dei,quæ licet potuisset omnia,quę facit sine illo,per illum tamen suauiter,& conuenienter ratio cõgrua est illa S.Thomæ,quia per hæc sacramenta sufficienter homines deputantur ad recipienda,& ministranda ea,quę pertinent ad cultum Diuinum, & sufficienter distinguitur in Ecclesia. Triplex status simplicis Christiani, qui constituitur per Characterem militiæ Christianæ.

Quid sit Character?

BRACTEA XXXVII.

R. Characterem esse qualitatem supernaturalem realiter ab anima distinctã, & ei diuinitùs infusam,qua homo redditur aptus ad sacramenta suscipiẽda,vel administranda,& alia Diuini cultus opera. Et ita S.Thomas *3.par.quæst.63.art.2.* Valentia *tom.3.disp.3.quæst.4.par.* 1. Henriquez *lib.* 1. *cap.* 13. Bellarminus de *sacramentis cap.*16.Suarez *tom.3.disp.* 11. *sect.* 2. & alij communiter. Prima pars est contra Durandum *distinct.* 4. *quæst.* 1. asserentem Characterem esse relationem rationis, per quam ex institutione,& pactione diuina deputatur quis ad sacras actiones,quod censetur falsum.Ratio est, quia Concilium Florentinum,& Tridentinum definiunt Characterem esse quid spirituale impressum,& inhærens animæ,at relatio rationis non est quid spirituale,nec inhærens animę,vt est Character; ergo, &c. Secundò dicitur animæ diuinitùs infusam,vt cognoscatur Characterem esse immediatè in anima, tamquam in subiecto, & idcircò Concilium Tridentinum, & Florentinum dicunt Characterem in anima imprimi,sed dubium est, an Character sit immediatè in essentia animæ, an immediatè in potentijs ipsius, idest in intellectu, & voluntate,& mediatè in substantia animæ. R. Characterem esse immediatè in potentijs animæ,mediatè verò in substantia ipsius. Ratio est,quia Character ordinatur ad operationes,ergo debet esse in potentia naturali,quę per ipsum eleuatur ad illas exercendas, sicut ob eandem rationem habitus infusi sunt in potentia naturali,tum etiam quia vt rectè docet D.Thomas *loco citato* potentias naturales debere fundari in essentia animæ, secus verò potentias spirituales,vt est Character,quia hæ fundari debent in potentijs naturalibus,vt dictũ est,tũ etiã quia potentiæ naturales fundantur in essentia animę,quia ab ipsa fluũt,at potẽtiæ supernaturales ab extrinseco proueniũt. Tertiò dicitur ad sacramenta suscipienda, &c. vt ostendatur finis,& munus Characteris.

Quinam sint effectus Characteris?

BRACTEA XXXVIII.

R. Esse quinque:primus est,quod sit indelebilis,quia Character semel susceptus, semper durat, & permanet,& nunquam amittitur per peccatum, aut per degradationem, vel mortem,vt patet ex Tridentino *sess.* 3.*can.*9. & ita S.Thomas *quæst.63 art.*5. Et ratio est, quia Character non habet contrarium, & est in subiecto incorruptibili, tum quia est quædam animæ cõsecratio. Secundus effectus est,quod consecret animam,veluti templum Deo. Tertius effectus est, quod per illum transit homo in ius Dei iuxta illud 1.ad Corinth.6.Non estis vestri,&c.Quartus per eum assimilamur Christo,& ab alijs distinguimur. Quintus est,quia homo disponitur ad alia sacramenta suscipienda,vel administranda.

An Characteres Sacramentorum sint eiusdem speciei?

BRACTEA XXXIX.

R. Characteres sacramenti Baptismi, Confirmationis, Ordinis differre specie per se. Ratio est,quia sunt ordinati ad diuersos actus specie distinctos,cũ per Characterem Baptismi disponatur homo ad sacramenta suscipienda, & administranda, & per Characterem confirmationis disponatur ad eliciendos actus fidei,&c.& per Characterem Ordinis ad exercenda munera,& opera cuiuscumque Ordinis propria. Characteres verò singulorum Ordinum, non videntur inter se specie, & formaliter distingui, quia singuli ordinantur ad vnum completum Characterem Sacerdotij, & ad eundem finem.

Quonam sit subiectum Sacramentorum?

BRACTEA XXXX.

R. Solos homines, dum agunt in hac vita mortali esse capaces Sacramentorum. Ratio est, quia Sacramenta sunt instituta ad salutem hominis, ergo solus homo, quatenus est viator, potest esse capax Sacramentorum, quia solus ipse, quatenus viator tendit ad salutem.

R. 2. Angelos non esse capaces sacramentorum,cum non sint viatores, qui tendant ad salutem,tum quia Angeli sunt spirituales, & sacramenta consistunt in rebus materialibus.An verò Beati sint capaces Sacramentorum de potentia Dei ordinaria, R.negatiuè de potentia verò extraordinaria affirmatiuè, cum nullam hoc,inuoluat contradictionem.

Quæ dispositio requiratur in suscipiente Sacramenta?

BRACTEA XXXXI.

R. Primo si suscipiens sacramentum sit infans,vel adultus perpetuò amens, nullam dispositionem in illis requiri.Ratio est,quia hi sunt capaces Sacramentorum, saltem Baptismi,& Confirmationis,etiam sine proprio consensu:si verò sit adultus rationis compos, debet habere intentionẽ actualẽ,vel saltẽ virtualem suscipiendi sacramenta; & ita S. Thomas *quæst.* 68. *art.* 7. & est communis Doctorum sententia,eamque docet Innocentius *cap. maiores de Baptismo* ijs verbis,ille verò, qui nunquam consentit,sed potiùs cõtradicit,nec rem, nec Characterem suscipit sacramenti, tum quia sicut in Ministro requiritur intentio, ita etiam in suscipiente ipsa requiritur,tum etiã quia Deus

aliquem non iustificat sine suo consensu, nec per sacramenta consecrat sine consensu. An semper in adulto requiratur intentio actualis, vel virtualis, aut habitualis sit nunquam sufficiens. R. quando recipitur sacramentum, quod ministrando conficitur necessariam esse intentionem actualem, vel virtualem tàm in Ministro, quàm in suscipiente, quandò verò ministratur sacramentum, quod ministrando non conficitur, sed iam ante erat confectum, sufficientem esse intentionem habitualem.

R. 2. In adulto recipiente sacramentum Baptismi, præter intentionem requiri fidem supernaturalē, & attritionē, vt dicetur infra. In recipiente sacramentum Penitentię requiri contritionem, vel attritionem supernaturalem, an verò satis sit attritio naturalis ad sacramētum Penitentiæ. R. satis esse ad ipsum validè suscipiendum, sed informe, idest sine suo effectu; ad recipienda verò cætera sacramenta, talis dispositio requiritur in suscipiente, vt sit capax gratiæ ipsius sacramenti. Ratio est, quia accedens sine tali dispositione ad recipienda sacramenta instituta ad conferendam secundam gratiam, peccat, quia ponit obicē ad effectum ipsius, vnde si conscientiam habeat lethalis culpæ teneri se in gratia constituere per Confessionem, vel saltem per contritionem, Excepto sacramento Eucharistiæ, ad quod recipiendum tenetur se quis in gratiam constituere per Confessionem, si illius copiam habeat.

An sublato obice Sacramenta conferant gratiam?

BRACTEA XXXXII.

R. Omnia sacramenta, recedente fictione opposita effectui sacramēti, seu indispositione suscipientis, statim producunt gratiam.

Sciendum fictionem in sacramentis duplicē esse, vnam oppositam substantiæ sacramenti, vt cum quis non habet intentionem suscipiendi sacramentum, vult illud suscipere, vt decipiat, vel irrideat sacramentum, vel malitiosè non integrè confitetur, & hæc omninò inualidat sacramentum: altera est opposita effectui sacramenti, idest gratiæ, & hæc non inualidat sacramentum, & consistit in carentia dispositionis necessariæ ad recipiendum effectum sacramenti. Qui accipit aliquod sacramentum cum fictione opposita substantiæ sacramenti, sublata fictione, & mutata voluntate non recipit sacramentum. Ratio est, quia inualidè ipsum suscepit ex defectu, vel intentionis, vel materiæ, vel formæ, vel finis, & sacramentum inualidè susceptum, mutata voluntate non validatur: qui verò recepit sacramentum, cum fictione opposita solummodo effectui ipsius sacramenti, recedente fictione, consequitur effectum sacramenti. Ita Suarez *tom. 3. disput. 28 sect. 6. num. 1.* Henriquez *lib. 1. cap. 24. & 27.* Coninchus *2. par. quæst. 62. art. 1. dub. 6. nu. 92.* & alij. Probatur primò de sacramentis imprimentibus Characterem, quia cum hæc non sint iterabilia, sequeretur suscipientē illa, perpetuō cariturum effectu illorum, tùm quia hæc sacramenta constituunt hominem in quodam statu, à quo retrocedere nequit, quia Character, quem imprimunt, est indelebilis, ergo cōueniens eorum institutio postulat, vt ea gratia, quę est annexa ex Diuina institutione huic Characteri semper detur, quoties ex parte hominis non fuerit impedimentum, quod probabiliter videtur dicendum etiam de Matrimonio, & Extrema vnctione, quæ aliquo modo nō censentur iterabilia, Matrimonium quidem, coniuge superstite, Extrema vnctio, manente infirmus in eadem infirmitate. De sacramento Penitentiæ verò idem dicendum est, quia sicut peccata mortalia ante Baptismum commissa non possunt, nisi per Baptismum remitti, ita peccata mortalia post illum commissa non possunt remitti, nisi per sacramentū Confessionis, ergo sicut sacramentū Baptismi, recedente fictione, suū cōnfert effectum, ita & sacramentum Confessionis. De Eucharistia verò probatur, quia si cætera sacramenta possunt, recedente fictione, conferre suum effectum, multò magis poterit Eucharistia, cum sit cæteris dignior sacramentis, & consequenter efficacior, & quia sicut illa conferunt gratiam, recedente fictione, ita & hoc sacramentum debebit gratiam, recedente fictione, conferre.

Quod tamen intelligendum est modo post susceptionem sacramenti non fuerit commissum peccatum mortale, nam si mortale peccatum commissum fuit, non sufficit attritio ad recipiendum pręcedentis sacramenti effectum, sed requiritur contritio, aut nouum sacramentum Penitentiæ cum attritione. Ratio, quia peccatum mortale commissum post susceptionem sacramenti nō remittitur, nisi per contritionem, aut per sacramentum pęnitentiæ.

An recedente fictione conferatur gratia respondens Sacramento, quod susceptum erat cum fictione?

BRACTEA XXXXIII.

R. Conferri gratiam non solùm respondentem dispositioni, verùm etiam respōdentem sacramento præterito. Ratio est, quia cum recedente fictione sacramenta conferant gratiam, necesse est dicere conferre gratiam respondentem sacramento pręterito, alioquin sacramentum præteritum non diceretur producere suum effectum. Recedit autem fictio, quando elicitur actus attritionis sufficientis ad sacramentum cum suo effectu.



MAL-

MALLEATIO II.

De Sacramento Baptismi.

Peracta Malleatione, quæ pertinet ad Sacramenta in genere considerata, sequuntur, quæ spectant ad Baptismum, cum sit ianua Sacramentorum, in quibus breuiter attingam, quæ spectant ad definitionem, necessitatem, materiam formam, ministrum, subiectum, & effectus ipsius Sacramenti. De isto tractant Theologi à disput.3. vsque ad 7. Canonistæ *verbo consecrat. dist.* 4. *& 8. de Bapt.* Summ. *verb. Baptismus.*

Quid Baptismi nomine intelligatur?

BRACTEA I.

R. Baptismvm esse vocem Græcam, quæ propriè significat immersionẽ, eo quod Baptismus ordinariè fiebat per immersionem ad repræsentendam Christi sepulturam iuxta illud Diui Pauli *ad Colossen.2.* Consepulti ei per baptismum. Retinuit autem Ecclesia nomen Græcum propter illius antiquitatem.

Sciendum Baptismum habere varia nomina apud scripturam, & Sanctos Patres. Primùm enim à ceremonia externa dicitur lauacrum, & vnctio. Secundò ab effectu principali dicitur regeneratio, quia per illum fit prima sanctificatio. Tertiò ab effectu secundariò Caracteris dicitur signaculum, sigillum, seu spiritualis circumcisio. Quartò à speciali effectu, qui ratione illius omnibus datur, dicitur custodia, præsidium, hostia pro peccato, & crux, quia in eo crucificitur homo vetus. Quintò dicitur illuminatio, quia est sacramentum fidei illuminans intellectum. Vltimò dicitur principium, & ianua sacramentorum, quia per illum homo ingreditur ad cętera sacramenta.

Quotuplex sit Baptismus?

BRACTEA II.

R. Triplicem esse, fluminis, flaminis, & sanguinis. Baptismus sanguinis est Martyrium, quo proprij sanguinis effusione quis baptizatur. Vnde martyrium fuit nominatum à Christo nomine baptismi. *Marc.10. Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? & baptismo quo ego baptizor baptizari?* Vnde si contingat ante susceptionem baptismi fluminis ad martyrium rapi, consequitur remissionem omnis culpæ, & pęnæ, cum martyrium suppleat defectum baptismi. Baptismus flaminis, est dolor, & pęnitẽtia de peccatis ob Dei amorẽ. Hic autẽ dolor, qui dicit cõtritio, includit baptismũ in voto, delet omnem culpam, vt colligitur *ex Luca 3.* vbi dicitur Prædicans baptismum Penitentiæ in remissionem peccatorum. Baptismus fluminis est verus, & propriùs baptismus, verum, & proprium sacramentum, quod administratur aqua.

Quomodo definiatur Baptismus fluminis?

BRACTEA III.

R. In Cathechismo Romano *part. 2. cap. 2.* Baptismum definiri sacramentum regenerationis per aquam in verbo, vbi nomen sacramenti locum generis tenet. Regeneratio autem locũ differentiæ, nam id proprium baptismi est, quod homini primam spiritualem vitam conferat, iuxta illud *Ioan.3.* nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Definitur etiam baptismus sacramentum consistens in ablutione corporis sub præscripta verborum forma à Christo instituta ad regenerationem spiritualem. seu baptismus est ablutio corporis exterior sub præscripta verborum forma. Ita S. Thomas *quæst.66.* communiter ab omnibus receptus. Quæ definitio censetur optima, quia continet suum genus, & suam differentiam.

Quo tempore fuit institutus Baptismus?

BRACTEA IV.

R. Baptismvm esse vnum sacramentum nouæ legis à Christo institutum, quando in Iordanę Baptizatus fuit à Ioanne. Ita communiter omnes Theologi, cum magistro sententiarum *dist.3.* Tunc enim indicata fuit materia, idest aqua, & sanctificata tactu mundissimæ carnis Christi, vt posset esse materia baptismi, fuit etiam indicata forma, quæ est distincta inuocatio personarum Sanctissimę Trinitatis: nam persona Patris indicata fuit in voce ipsius. Persona Filij illis verbis, *Hic est Filius meus dilectus, &c.* Persona Spiritus Sancti per speciem, & figuram Columbæ, & per descensum Columbæ, & aperitionem Cęlorum demonstratus fuit effectus Sacramenti Baptismi. Ita S. Thomas *3. part. quæst. 66. art. 2.* Bellarm. *tom.3. lib. de baptismo cap.5.* Sairus *de sacramentis in genere lib.1. cap.2. quæst.3. art.1.* Petrus Ledesma *in summa de sacramento baptismi cap.2.* Valentia *tom.*

 4. *quæst.1.*

4. *quæst.*1. Viualdus *de sacramentis cap.*1.*nu.*15. Graffius 2.*part.lib.*1.*cap* 3.*num.*10. Vasquez 3.*part.disp.*14. *cap.*6.*num.*38. Suarez *tom.*3.*disp.*19.*sect.*2. & alij, licet postea tale sacramentum baptismi fuerit promulgatum post passionem, & resurrectionem Christi, quando dixit. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

An Baptismus Ioannis fuerit vere Baptismus?

BRACTEA V.

R. Negative cum S. Thoma *in* 4.Magistro *ibidem dist.*2. Durando *ibidem quæst.*3. Paludano *ibidem quæst.*2 *art.*3. Sed fuisse solummodo figuram baptismi,& præparationem,ad ipsum suscipiendum. Vnde Ioannes dicebat *Parate viam Domini*, & baptizati baptismo Ioannis,denuò ab Apostolis baptizabantur.

Sciendum maximum esse discrimen inter baptismum Christi,& baptismū Ioannis, nam baptismus Christi confertur cum inuocatione Sanctissimæ Trinitatis, & Baptismus Ioannis carebat tali forma, quia non continebat expressam Euangelicæ fidei protestationem. Secundò, quod Ioannis baptisma Deum Authorem, & institutorem non habuit,cum ipse acceperit mandatum ad baptizandum iuxta illa verba; *Qui misit me baptizare*. Tertiò ratione effectus, quia baptismus Christi ex opere operato confert primam gratiam, & baptismus Ioānis,ex vi sua,solum externam ablutionem, sicuti ipse testatur *cap.* 1. *Ioannis ego baptizo in aqua*. Quare S. Augustinus in Enchiridio *cap.* 49. ait Non renascebantur, qui babtismate Ioannis baptizabantur. Quartò, Baptismus Ioannis insufficiens fuit,quamobrem,qui à Ioanne baptizati erant,debebant Christi postea baptismum accipere, sicuti constat ex *cap.* 19. *Act. Apost.*. Quintò ratione ministerij,quia baptismus Christi à quibuscumque conferri potest, baptismus vero Ioannis, ab ipso solo, quia ipse solus ad baptizandum missus fuerat. Sextò ratione necessitatis, quia baptismus Ioannis non erat ad salutem necessarius, sed Christi baptismus est necessarius ad salutem vniuerso Mundo. Vnde *Matth. vlt.* Euntes docere omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c.

Quomodo Baptismus fluminis sit ad salutem necessarius?

BRACTEA VI.

Sciendum dupliciter aliquid dici necessarium. Primo necessitate medij. Secundo necessitate præcepti. Quod est necessarium necessitate medij, aut esse necessarium in re, aut in voto.

Sciendum 2.Baptismum duplicem esse,vnum in re, & alium in voto baptismus in re, est quando quis realiter, & actualiter baptizatur baptismus in voto est quando quis aliquid facit, in quo continetur votum, & propositum suscipiendi baptismum; vt quando quis accedit ad aliquem locum baptizandi causa, dicitur habere baptismum in voto, cum illud iter fiat causa baptismi, &c. Quibus positis.

R. Baptismum in re, vel in voto,quando non adest commoditas illum suscipiendi in re, esse necessarium necessitate medij,ad salutem,cum sine baptismo in re, vel in voto, quis non possit salutem obtinere iuxta illud *Ioan.*3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Ita communiter Doctores.

R.2. Baptismum non modo esse necessarium necessitate medij ad salutem, sed etiam necessitate præcepti, tum quia,quod est necessarium necessitate medij, est etiam necessarium necessitate præcepti, tum quia hoc etiam colligitur ex pluribus scripturæ locis, nisi quis renatus, &c. Euntes in Mundum docere omnes gentes baptizantes eos, &c. ita plures Doctores.

An qui existunt in partibus remotis, cum inuincibili ignorantia Baptismi saluari possint?

BRACTEA VII.

R. Saluandos esse si legē naturæ seruauerint, quia credibile est Deum seruanti legem naturæ daturum lumen, & speciale auxilium, quo se valeat ad ipsum conuertere. Ità S. Thomas 2.2. *quæst.*10.*art.*4. & alij recentiores ferè communiter.

Quænam sit materia Baptismi remota?

BRACTEA VIII.

R. Primo materia remota huius Sacramenti est aqua simplex naturalis, seu elementaris, & ita definitur in Concilio Florentino in Decreto Eugenij Papæ, & Tridentino *session.*7. *de baptismo can.* 2. & sumitur ex illo Ioann, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Ita Bellarm. *lib.*1.*de baptismo cap.*4. Suarez 3.*part. disp.* 20.*sect.*1. Reginaldus *lib.*27.*num.*10. Nauarrus *cap.* 22.*num.*5. Henriquez *lib.*2. *cap.*6. & alij. Vnde qui baptizando vtitur aqua Maris, putei,fontis, pluuiæ,balnei, etiā si ex sulphure emaneat, siue calida sit,siue frigida, siue alba,siue nigra valide baptizat. Ita Valentia *disp.*4.*tom.*4 *quæst.* 1. *part.*2.Suarez *de sacramentis quæst.*66.*art.*4.*disp.*20. *sect.*1. Reginaldus *num.*2.& 3 Viualdus *de baptismo cap.*2.*num.*4. Ratio est, quia talis aqua est naturalis.

Similiter cùm validè baptizare, qui vtitur aqua,quę fluxit à niue, aut à gelu, aut à sale, sal enim fit ex aqua naturali salsa, & differt tantummodò accidentaliter ab altera aqua naturali. Glacies autem non censetur materia sufficiens ad batizandum, nisi liquefiat, & in aquā redeat. Ita S. Thomas 3.*part.quæst.*66.*ar.*4. Armila *verbo baptismus num.*22. & 23. Angelus *eodem verbo* 3.*num* 3. Siluester *eodem verbō* 2.*quæst.*2.& 3. Tabiena *eodem verbo* 4 *num.*8. & alij. Ratio est, quia aqua, quæ est sufficiens ad baptizandum debet esse naturalis, fluida, & non alterata: Cum autem glacies non sit aqua fluida hinc est quod nō sit ad baptizādū sufficiens, nisi liquefiat. Ita etiam, qui vtitur aqua alterata, & mixta cum alio corpore,ita vt non sit amplius apta ad abluendum corpus, non potest esse ad baptizandum sufficiens; vnde lixiuium bene

decoctum

decoctum, & brodium, aut aqua lutosa non possunt inseruire pro baptismi materia; Ratio est, quia cum sint nimis alterata, &c. non censentur amplius aquæ naturales, & peccare peccato sacrilegij, qui vtitur tali aqua absque graui necessitate, cum exponat se periculo faciendi sacramentum irritum; sed debere vti aqua, quæ describitur ab Ecclesia, qualis est aqua sacrorum fontium, alioquin præcisa necessitate peccaret, quia faceret contra consuetudinem, & præceptum Ecclesiæ. Et ita Reginaldus *lib.27.num.* 15. Posseuinus *de baptismo nu.*4. Ratio verò cur in Sacramento Baptismi pro materia remota sit adhibenda aqua est, quia aqua ob naturalem abluendi proprietatem valdè conueniens symbolum est internæ spiritualis ablutionis, ac renouationis, tum quia huius elementi vbique necessarij copia vix vnquam deesse potest ad sacramentum baptismi, tam paruulis, quam adultis ad salutem necessarij conferendum.

R. 2. Aquam non naturalem, sed artificialem, quæ adiumento artis per distillationem, aut compressionem exprimitur ex herbis, radicibus, aut floribus, vt aqua rosacea, borraginis, & similes, etiamsi communiter aquæ nomine appellentur, non esse materiam sufficientem ad baptizandum. Ratio est, quia non censentur aquæ naturales, sed artificiales, & ad baptismum requiritur aqua naturalis.

An licitum sit aliquem baptizare, cum dubitatur an aqua sit naturalis?

BRACTEA IX.

R. Regulariter non esse licitum. Ratio est, quia adest periculum faciendi Sacramentum irritum, & inualidum: in necessitate verò quando non adest aqua naturalis, sed solummodò aqua, de qua dubitatur, an sit naturalis, posse vti ipsa aqua dubia, ratio est, quia melius est aliquem baptizari cum aqua dubia ad baptismum, quam non baptizari, quia fieri potest, vt sit vera materia, & consequenter sit verus baptismus, & per consequens baptizatus saluetur. Ita Posseuinus *de baptismo nu.*5. & alij. Verum baptizatus cum aqua dubia, si superuiuat, rebaptizandus est cum materia solita, & consueta. Ita Coninchus *quæst.66. art.4. dub.1. num.22.* Reginaldus *loco citato*. Ratio est, quia adest iusta causa rebaptizandi ipsum sub conditione, cum fieri possit, vt præcedens sit inualidus.

Quænam sit materia proxima baptismi?

BRACTEA X.

R. Communem Catholicorum esse sententiam ablutionem esse materiam baptismi proximam iuxta verba Domini *Matth. vlt.* baptizantes eos in nomine Patris, &c. *& Apost. ad Ephes* 5. Mundans eum lauacro aquæ in verbo vitæ: ea enim significant ablutionem, tamquam aquæ applicationem ad corpus, sine cuius interuentu sacramentum baptismi non perficitur, tum quia aqua per se sumpta, vt sic non significat gratiam, & regenerationem spiritualem, sicut significat ablutio, ergo, &c. tum etiã quia, cum hoc sacramentum consistat in vsu, non potest consistere in aqua quieta manente, sed in aliquo eius vsu, cuius censetur, & praxis ostendit esse ablutionem corporis factam iuxta Christi institutionem, cum certa verborum forma, ergo, &c.

Quomodo aqua debeat abluere corpus, vt ablutio censeatur materia proxima?

BRACTEA XI.

R. Requiri, vt talis ablutio sic fiat, quod aqua tangat corpus baptizandi, quia aqua, quæ non tangit corpus, non dicitur ipsum abluere. Secundò requiri, vt talis contactus sit successiuus, cum diffusione partium aquæ per partes corporis, ad hoc, vt dicatur ipsum abluere, ex quo patet non sufficere quemlibet aquę contactum, sed contactum successiuum, vt patet, quod aqua in vase cōtenta, quamuis vas tangat, non tamen dicitur vas abluere, cum vnita maneat, & non diffundatur per partes, ergo requiritur contactus successiuus aquæ. Ita Suarez *tom.3. disp.*20. Reginaldus *lib.27. num.*14. Coninchus *quæst.66. art.*4. Camerota *de baptismo cap.2 dub.*2.

Sciendum non esse validum baptismum, si aqua solum successiuè capillos attingat, quia capilli non censentur pars hominis, sed superfluitates, quæ oriuntur ex excrementis cibi, & si aqua solum attingeret capillos, vera non esset hæc propositio homo est ablutus, cum capilli non censeantur partes integrales corporis. Ita quasi communiter omnes Doctores. Similiter non esse validum baptismum, si aqua solum attingeret vestes, aut aliquid aliud extra carnes; si verò baptizandus sit coopertus panno lineo, ita vt aqua possit attingere carnē baptizati, baptismus esset validus, quia potest dici ablutus: ita, & etiam si natus esset cum carta virgine, & cum ipsa baptizaretur, reuera esset baptizatus, si aqua possit per porros ad ipsum pertingere. Ita Siluester *verbo baptismus 4. num.*2. Bartholomeus ab Angelo *de baptismo* §.102. & alij plures.

Quænam pars corporis aqua ablui debeat, vt valeat Baptismus?

BRACTEA XII.

R. Validum esse Baptismum, si caput abluatur, cum hæc præcipua sit corporis pars, in qua sensus ac ratio vigent. Ita S. Thomas *quæst.68. art.11. & in 4. quæst.1. art.*1. Scotus *in 4. quæst.* 3. Gabr. *ibidem quæst.2. art.3. dub.*2. Siluester *verbo baptismus* Rodriquez *in summa cap.*25. *de baptismo* Angelus *verbo baptismus 4. num.*2. & alij Verum si alia pars corporis, v.g. manus, vel pes abluatur extra necessitatem, non videtur validus baptismus: si verò propter necessitatem collatus fuit v. g. ob mortis periculum, si superuiuat sub conditione repetendus est baptismus. Ita S. Thomas *in 4. sententiarum dist.*6. Antoninus *3. part. tit. 4. cap.*13. Sotus *in 4. disp.5. quæst. vnica, art.*11. Hallens. *part.4 quæst.*17. Angelus *verbo baptismus*

ptismus 6. num.3. Armilla *eodem verbo num.27.* Siluester *verbo Baptismus 4.quæst.2.* Toletus *lib.2.cap.18. num.8.* & alij contra alios, existimantes validum esse Baptismum, & per consequens non repetendum. Ratio illorum est, quia sicut homo dicitur vulneratus in qualibet corporis parte vulneretur, ita debet dici ablutus in quacumque parte abluatur. Verùm istæ rationes non obstant, quia licet anima rationalis sit in quacumque parte corporis, tamen suam habet sedem principalem in capite, & in quo vt in sede sensuum manifestatur principium vitæ animalis, & manifestatur etiam anima vegetatiua, & homo vulneratus in parte corporis simpliciter non potest dici, quod totus homo sit vulneratus, sed solùm pars corporis.

An infans in vtero matris possit baptizari?

BRACTEA XIII.

R. Infantem in vtero matris non posse baptizari, & consequenter baptizatum in vtero matris non posse in cœmiterio sepeliri, quia reuera non est baptizatus, cum non sit ablutus, nec esse satis ad baptismum, si abluatur vterus matris, in quo infans continetur, quia ille modus non sufficit, vt ipsa persona infantis censeatur ablui, quæ cum sit distincta à persona matris, vtpotè proprio corpore, propriaque anima constans, non abluitur ablutione matris. Verùm si arte, & opera obstetricis aqua sic mitti posset, vt pertingeret vsque ad Infantem, addita debita verborum forma, non immeritò censeretur verus Baptismus, quia nihil necessarium, at sacramentum deesset, licet sub conditione videatur repetendus, si postea infans viuus egrediatur ex vtero.

Quod si dicatur infantem non esse natum: respondet Valentia infantem ad renascendum in Christo per Baptismum sufficienter nasci, in Adam, quando in vtero matris concipitur, & si denuò dicatur in capite, qui *in maternis*; esse intelligendum infantem baptizandum de natiuitate per egressum ex vtero, respondetur id quidem verum esse, sed habito tantum respectu ad id, quod ibi statuebatur, nempè non posse baptizari infantem, ita in vtero matris inclusum, vt aqua ad illum pertingere nō possit, nisi fortè ex aliqua parte sit ex vtero natus, neque obstat, quod infans in vtero matris sit inuolutus pelle secundina, nam & natus potest cum tali pelle baptizari. Ratio est, quia talis pellis censetur porrosa, & aqua ad infantem potest peruenire, & infantem abluere. Si mater sit mortua, & infans credatur adhuc viuere in vtero eam esse aperiendam, vt ille baptizetur, si verò mater sit damnata ad mortem, debere executionem differri, donec pepererit ex lege Imperator Adrianus *ff. de statu hominum*, & ex lege *prægnantis ff. de pœnis*; mater autem viuens, etiamsi ob partum esset moritura, scindenda nō est, vt extrahatur infans, & baptizetur, cum esset intrinsecè malum, & repugnans præcepto de non occidendo.

Sciendum infantem in vtero matris omninò clausum, etiamsi non sit capax baptismi fluminis, tamen esse capacem Baptismi flaminis, quia Deus potest illum sanctificare sicut Ieremiam, &c. non enim potestas ipsius alligata est sacramentis, & etiam Baptismi sanguinis, vt si pro fide Christi mater occidatur, etiamsi intentio interfectionis feratur tantum in matrem, tamē de se extenditur ad infantem, quem illa gestat in vtero, cuius mors sequitur ex illius morte, & ita sentire videtur Diuus Thomas *3. par. quæst. 68. art. 11.*

Quænam quantitas aquæ requiratur ad Baptismum?

BRACTEA XIV.

R. Requiri, & sufficere illam quantitatem, vt eius infusione corpus hominis, vel principalis eius pars moraliter dicatur ablui. Sotus in *4. dist. 3. quæst. vnica art. 7.* Melchior Zambran. *cap. 1. de Baptismo dub. 4.* Suarez *disp. 20. sect. 2.* Valentia *tom. 4. disp. 4. quæst. 1. par. 2.* Bartholomeus ab Angelo *num. 100.* & alij. Cum autem ad abluendam partem corporis sufficiat parua quātitas aquæ, cum eadem quantitas possit successiuè applicari, sequitur paruam aquæ quantitatem sufficere ad Baptismum.

An finita qualibet ablutione, perficiatur Baptismus?

BRACTEA XV.

R. Ordinarium modum conferendi Baptismū esse per trinam immersionem, & peccare Sacerdotem trinam immersionē omittentem, vt colligitur in *cap. si quis Presbyter de consecratione dist. 4.* tamen sacramentum perfici statim post primam ablutionem, modo post primam immersionem forma Baptismi sufficienter prolata sit. Ratio est, quia adsunt omnia requisita baptismo, forma, intentio, & ablutio, & ita Caietanus *quæst. 66 art. 3.* S. Thomas in *4. dist. quæst. 1.* & alij: vnde si infans baptizandus, vel etiā Sacerdos baptizās moriatur post primam aquæ immersionem, prolata integrè forma, puer censetur baptizatus ob rationem supradictam, immò Minister, seu Sacerdos, qui intendit conferre baptismum per trinam immersionem, si in prima tantum immersione, aut in secunda proferat integram formam, sacramentum Baptismi censeri perfectum, dummodo habuerit intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ratio est, quia talis intentio Ministri fundatur super ritum, & consuetudinem Ecclesiæ, in Baptismo vtentis trina immersione non tamquam essentiali, sed tamquam accidētali, ita vt intentio Ministri respiciat trinam immersionem non tamquam essentialem, sed tamquam accidentalem ritum sacramenti secus dicendum erit, si minister crederet trinam immersionem esse de essentia sacramenti, & ipsum non perfici, nisi post trinam immersionem, quia tunc sacramentum esset inualidum ex defectu intentionis.

An

An Baptismus debeat fieri per immersionem, aut per infusionem aquæ?

BRACTEA XVI.

R. Quocumque modo fiat, siue immergendo, siue infundendo, & applicãdo aquam corpori validum esse. Ratio est, quia his modis potest homo sufficienter denunciari ablutus, licet regulariter seruanda sit à Ministro sacramenti; excepto tamen casu necessitatis, consuetudo suæ Ecclesiæ, cum vnusquisque teneatur se ritibus suæ Ecclesiæ conformare. Ita Sotus in 4. *dist.10. quæst. unica, art.4.* Henriquez *cap. 7. num. 4.* Tabiena *verbo Baptismus 5. num. 1.* & alij, peccaret mortaliter faciendo contra ritum suę Ecclesiæ, cum non seruaret ritum in re graui suæ Ecclesiæ, præcisa tamen, (vt dictum est) necessitate, aut posita aliqua alia iusta causa.

An validus sit Baptismus, si Minister infantem in puteum, vel in flumen deijciat intentione baptizandi, adiecta verborum forma?

BRACTEA XVII.

R. Primo talem baptizandi modum semper esse illicitum, quia innocentem directè, ac per se occidere nunquam licet: talis autem deiectio per se, & directè tẽdit ad infantis occisionem; ergo, &c. Verumtamen si infanti probabiliter morituro timeatur acceleratio mortis ex infusione aquæ, etiam modicę potest tunc exigua corporalis vitę vsura negligi, maioris spiritualis iacturæ cauendę causa, quandoquidem hoc casu acceleratio mortis per accidens euenit ex aquæ infusione, quæ tendit ad directè abluendum, & non ad occidendum, sicut notauit Suarez *disp. 20. sect. 2.* Vasquez *disput. 145. cap. 3.* Zambranus *dub. 12. num. 9.*

R. 2. Probabilius esse Baptismum, tali, in puteum, v. g. deiectione validè conferri. Ita Abbas in *cap. 9. Ut apponeret num. 4. de Baptismo*, Gabriel in 4. *dist. 4. quæst. 2. art. 3. dub. 4.* Suarez *loco citato*, Vasquez *loco citato*, Coninchus. *quæst. 66. art. 7. dub. 1.* Viualdus *de modo Baptismi num. 6.* Ratio est, quia in tali Baptismo adsunt omnia requisita, materia, contactus sufficiens aquæ, idest ablutio, forma, quam suppono proferri, antequam moriatur infans, & intentio baptizandi, vt suppono, & quamuis sequatur mors infantis, tamen potest verè dici ablutus, & Baptismus non ordinatur ad vitam corporis, sed ad vitam animæ, ergo quamuis sequatur mors corporis, nihilominus saluari potest vita animæ. Ita Suarez *loco citato*, Valentia *tom. 4. disp. 4.* Petrus Ledesma de *Sacramento Baptismi cap. 3.* & alij.

Similiter validum esse Baptismum, si infans fune mittatur in flumen, & viuus extrahatur, quia potest denunciari ablutus. Ita Doctores citati, dummodo proferatur forma, sicuti etiã validũ est, quando quis aquæ defluenti è tecto, aut ex alio loco submittit infantem abluẽdum, quia verè dicitur infãs ablutus, dũmodo simul proferatur forma, & adsit intẽtio baptizandi.

Quænam sit forma Baptismi?

BRACTEA XVIII.

R. In Ecclesia Catholica, & Romana formam Baptismi esse hęc verba; ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Et colligitur *ex verbis* Matthæi 28. vbi dicitur baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & est de fide, ex *cap. 1. de baptismo*, & ita tradit Concilium Florentinum *in Decreto Eugenij*, & est communis omnium Doctorum.

R. 2. Formam Græcorum in Baptismo, seu Ecclesiæ Orientalis esse hæc verba, baptizetur seruus Christi in nomine Patris, &c. quæ forma valida est ad conficiendum baptismum, & licitè adhiberi in Ecclesia Græca, probatur ex Concilio Florentino, & vsu antiquissimo Ecclesiæ Grecę: sic autem consueuerunt eam proferre, ne Ministri videantur sibi arrogare efficaciam sacramẽti, & vt illius schismatis occasionem effugerent, cuius fit mentio in 1. *Corinth.* 3. Ego autem Apollo, &c.

An actus baptizantis contentus in verbo Baptizo debeat necessariò exprimi in forma?

BRACTEA XIX.

R. Affirmatiue, & esse de fide ex Concilio Florentino illis verbis, *si exprimitur actus*, & clarius *cap. 1. de baptismo* si quis immerserit in nomine, &c. & non dixerit ego te baptizo, si non est baptizatus. Ratio est, quia forma Baptismi hæc est; ego te baptizo, vt colligitur ex verbis Matth. baptizantes eos, &c. Ita Barthol. ab Angelo §. 117. Viualdus de *baptismo cap. 3. num. 10.* Vasquez *3. par. disp. 142. cap. 2. num. 10.* & alij.

An persona, quæ baptizatur, sit exprimenda in Baptismo?

BRACTEA XX.

R. Exprimendam esse personam, quę baptizatur, siue dicatur baptizo te, siue baptizo hũc, siue baptizo Petrũ. Ratio colligitur ex verbis Christi, baptizantes eos, &c. tum etiã ratione, quia actus baptizandi practicè non significaretur, vt hic & nunc exercitus, si non exprimeretur persona, quæ baptizatur. Ita ex Concilio Florentino colligit Suarez *disp. 21. sect. 2.* Camerota de *Baptismo cap. 3. dub. 3.* Toletus *lib. 2. cap. 19. num. 5.* Pitigianus *dist. 3. quæst. 2. artic. 4.* & alij.

R. 2. Non esse necesse exprimere nomen personæ baptizantis, cum satis exprimatur in verbo baptizo, seu baptizetur, &c. Ita Suarez *sect. 2.* & alij.



An

An ad essentiam, & valorem Baptismi necessaria sit explicita inuocatio Sanctissimæ Trinitatis, an verò implicita sufficiat?

BRACTEA XXI.

R. Primo inuocationem Sanctissimę Trinitatis necessariam esse necessitate Sacrmenti, quia Dominus noster *Matt.vlt.* Apostolis dicens, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, non tantum præceptum, sed etiam ritum, formamque baptizandi dedit.

R.2. Ad substantiam Sacramenti Baptismi requiri expressam inuocationem Sanctissimæ Trinitatis, & probatur ex institutione Christi *Matth* 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: quibus verbis formam baptismi à Christo traditam esse testatur *Canon.49. Apostolor.* & communis Patrum consensus. Ratio institutionis est, cum baptismus sit Sacramẽtum fidei, & ianua in Ecclesiam Christi, debet eius externa professio correspondere fidei internæ: at qui ingressurũ in Ecclesiam Christi oportet habere explicitam fidem triũ personarum, ergo eiusdem etiam fidei in batismo explicita professio fieri debet. Quare S. Basilius *lib. de Spiritu Sancto c.12.* ait sicuti credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, sic & baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ita tenent S. Damascenus *lib. 4. de fide cap.10.* & alij Patres apud Vasquez *disp. 143. cap.3.* S. Thomas *quest.66 art.6.* S. Bonauent. *in 4 dist.3. art.2. quest.2.* Richardus *ibidem*, Scotus etiam *quest.3. §.3. de forma* Durãdus *quest.1. num.8. & 9.* Gabriel *quest. vnica* Bellarm. *de Bapt. cap.3.* Suarez *disp.21. sect.3.* Henriquez *lib 2. cap* 10.

R.3. De essentia formæ Baptismi esse, vt in ea non solùm Trinitas personarum, sed etiam naturæ vnitas significetur, quod fit per particulam, in nomine, ita necessariam ab hoc sacramentum, vt iudicio Siluestri *in verbo baptismus 1. quest.11.* & Angeli, *eodem verbo 2. §. 6. & 7.* vt nullus sit baptismus, si omittatur, in, vel dicatur in nominibus Patris, &c. aut si etiam diceret. Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti, inualidè baptizaret, quia dicendo in nomine Patris, in nomine filij, &c. non ostenditur vnitas essentiæ, sicuti etiam inualidus esset baptismus si quis baptizando diceret baptiso te cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu Sancto, aut in verbo Patris, quia non exprimitur vnitas diuinæ essentiæ, quę expressio necessaria est ad formam baptismi. Quod si dicatur in Principio Ecclesiæ sacramentum Baptismi fuisse administratum in nomine Iesu Christi, ergo non est necesse, quod in forma exprimatur vnitas essentiæ, & tres personæ explicitæ. Ad quod respondeo permissũm fuisse in principio nascentis Ecclesiæ, vt in nomine Christi conferretur sacramentum; vt nomen Christi, quod inuisum erat, & odiosum Iudæis, redderetur amabile fidelibus, & tradit D. Thomas *quest. 66. art.6.* Barthol. ab Angelo *de Bapt. §.120* Victoria *de Sacrament. Baptismi conclus.15.* Tabiena *verbo Bapt. 3. num 5.* Siluester *eodem verbo 1. num.4.* Armilla *eodem verbo num.6.* Licet alij probabilius existiment nunquam baptismum administratũ esse in nomine Christi tantum, sed nomine Sanctissimæ Trinitatis, & loco filij in forma positum esse Iesu Christi, vt nomẽ Christi redderetur amabile apud Iudæos. Nobis autem, seu post Ecclesiam nascentem nunquam permissum fuisse tali modo baptizare, eo quod cessauerit causa dispensationis à Christo factæ, &c.

An Baptismus sit validus, quando administratur cum mutatione formæ.

BBACTEA XXII.

R. Si administratur cũ mutatione essentiali formæ, Sacramentum inualidum esse, si verò administratur solum cum mutatione accidentali validum esse. Ita Toletus *lib.2. cap.19. num* 4. Pitigianus *dist.3. quest.2. art.12. & 13*

Sciendum de essentia formę esse tantum hæc verba baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. In prima p actus baptizandi, in secunda persona, baptizanda, in cęteris inuocatio Trinitatis expressè continetur: cętera, vt ego, in, & duæ coniunctiones, & non sunt de necessitate, sunt tamen de pręcepto, & de clara, & facili formæ intelligentia, ideò apponẽda sunt, & ea scienter omittere esset peccatum mortale, tum propter dubium, dum propter vsum cõmunissimũ Ecclesiæ, vt docet Henriqu. *cap.9. §.4.* licet alij contrarium sentiant de particula in, atque, & particulam Amen, non esse de necessitate, quia est sola quædam confirmatio, & deprecatio baptismi facti, vt sit proficuus, quare erit tantum de præcepto.

Vnde validè baptizare, qui vtitur forma Græcorum, aut dicendo baptizaris tu, vel baptizatur iste, vel baptizetur hic, ratio est, quia talis variatio formæ non mutat sensum substantialiter, sed accidentaliter tantum, qui verò diceret. Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, inualidè baptizaret. Ratio, quia non vtitur forma à Christo instituta, sub nominibus relatiuis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & ita S. Thomas *quest.66. art.5.* Philiarcus *2. part. lib.1. cap.7.* Rodriquez *in summ. cap.25.* & alij ab ipso citati. Camerota *tract.2. de baptismo cap.3. dub.8.* Toletus *lib.2. ca.19. num.7.* & alij, licèt plures Doctores affirment validè baptizare, cum hæc verba videantur Sinonyma, saltem quoad principalem significationem, cũ nomine Genitoris intelligatur Pater, nomine Geniti, Filius, & nominę Spirati Spiritus Sanctus, & cum hæc sint nomina sinonyma, non videntur mutare sensum substantialiter, sed accidentaliter tantum.

Sciendum 2. validum esse baptismum, si dicatur. Ego te baptizo in nomine Patris. Verbi, & Spiritus Sancti, quia Verbum, & Filius censentur verba sinonyma, sicuti etiam validè baptizaret, si quis diceret ego te baptizo in nomine Patris Omnipotentis, & Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti Paracliti, quia non censetur mutare sensum substantialiter: si verò Minister diceret ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Virginis Mariæ, distinguit S. Thomas *quest.60. art.8.* Sotus *dist.1.*

dist.1.quæst.1.art.8. Suarez *disp.2.sect.5.* vel minister habuit intentionem inuocandi B. Virginem, quasi in nomine eius, sicut, & in Patris, ac Filij, ac Spiritus Sancti Baptismus conferretur, tunc irritum est Sacramentum, quia talis mutatio est substantialis, cum inuocatio B. Virginis non sit de essentia formæ, vel Minister habuit intentionem inuocandi B. Virginem, non quia ipsa gratiam sacramenti conferat, sed solum sit adiutrix ad impetrandam gratiam, tunc sacramentum consistit, cum non mutetur sensus formæ substantialiter, sed solum fiat accidentalis adiectio.

An quando plures simul baptizantur, dicantur plura Baptismata, vel unum?

BRACTEA XXIII.

R. Dici plura Baptismata subiectiuè, cum sint plura subiecta baptismi, quia distinctio numerica baptismatum desumitur à subiecto, in quo recipitur baptismus, & quamuis adsit vnica forma formaliter, nihilominus virtualiter, & æquipollenter est *multiplex*. Ita Vasquez 3. *part. quæst. 67. art. 6. disp. 148. num. 52.*

R. 2. Posse plures vnica aspersione baptizari validè dicendo Ego vos baptiso, &c. modo aqua singulos attingat in quantitate ad abluendum conuenienti, cum non detur vlla mutatio substantialis, sed solum accidentalis. Ita Henriquez *lib. 1. cap. 7. num. 5. & lib. 2. cap. 12. num. 1. & 3.* Sotus *dist. 4. quæst. vnica art. 4.* Vasquez *disp. 148. cap. 7. num. 50.* Siuester *verbo Baptismus 3. num. 9.* Armilla *eodem verbo num. 12.* Angelus *eodem verbo 5. num. 2.* Tabiena *eodem verbo 6. num. 2.* Rodriquez *in sum. cap. 25. de Baptismo num. 1.* Viualdus *de Baptismo cap. 2. num. 12.* Camerota *de Baptismo*, & alij plures.

An validus sit Baptismus, quando duo concurrunt ad baptizandum mutus, & manibus mancus, ita vt mutus infundat aquam, & carens manibus proferat formam?

BRACTEA XXIV.

R. Sacramentum esse inualidum. Ratio est, quia non verificatur sensus formæ Ego te baptizo, cum proferens formam non infundet aquam ad baptizandum, & mutatur sensus formæ substantialiter, cum Christus instituerit, vt ab eodem fiat ablutio, & prolatio formæ, vt patet ex verbis *Matth.* Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &c. vbi satis indicatur ablutionem esse faciendam ab eodem Ministro, qui formam profert alioquin non diceretur baptizare in nomine Patris, &c. Ita S. Thomas 3. *part. quæst. 67. art. 6.* Nugnus *ibidem art. 9.* Coninchus *ibidem* Camerota *de Baptismo cap. 3. dub. 3.* licet aliqui Doctores, vt ait Fernandez *disp. de sacramento baptismi part. 5. dub. 9.* contrarium sentiant in casu necessitatis, & dicāt, si euadat mortis periculum, iterum baptizandum esse sub conditione.

Sciendum inualidum etiam esse Baptismum, quando vnus incipit formam baptismi, & alter eam perficit, vt si quis diceret Ego te baptizo, & alter sequeretur dicens in nomine Patris, & Filij, &c. cum substantialiter mutaretur sensus propositionis, & verba sic diuisim dicta à distinctis Ministris, nullum producerent effectum.

R. 2. Quando duo concurrunt ad baptizandum, ita vt vterque proferat formam eodem tempore, infundat aquam, & habeat intentionem baptizandi, independenter ab intentione alterius, validè baptizare. Ratio est, quia adsunt omnia requisita, idest debita forma, materia, & intentio, nec formaliter esse duo baptismata, sed solummodò vnum, licet sint duo Ministri, & vnusquisque illorum formam proferat, si verò vnus ante alium proferat totam formam, & infundat aquam, ille primus dicitur baptizare, & non alter, ratio est, quia sacramētum perficitur in vltima verborum prolatione à primo Ministro facta; si verò intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non validè baptizat, licet ambo dicant Ego te baptizo, vel nos te baptizamus, &c. quia vtroque modo falsa est forma ex defectu intentionis. Ita S. Thomas *quæst. 66. art. 5.* Bellarm. *de Baptismo cap. 3.* Sotus *dist. 2. quæst. 5. art. 8.* & alij.

An sit validus Baptismus, quando erratur in persona?

BRACTEA XXV.

R. Validum esse si putans baptizare puerū, filiā baptizaret, & putans baptizare filium, v. g. Petri, baptizaret filium Pauli. Ratio est, quia quamuis Minister speculatiuè erraret, tamen practicè dirigit suam intentionem in præsentem personam, quam præ oculis habet, & ad quam dirigitur Baptismus. Ita Sotus *in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8.* Sairus *de sacramentis in genere lib. 2. cap. 4. quæst. 6.* Reginaldus *lib. 26. num. 42.* Pesantius *quæst. 66. art. 3. disp. 3.* Grassius *2. part. lib. 1. cap. 3. num. 33.* Victoria *de baptismo quæst. 34.* Vasquez *3. part. q. 65. disp. 138.* Siluester *verbo baptismus 3. quæsit. 15.* Tabiena *eodem verbo 6. num. 12.* Hinc sequitur validum esse baptismum Filio Petri collatum, quem Minister opinabatur esse filium Pauli, modo non habeat intentionem contrariam, vt si diceret Ego volo baptizare filium Petri, alios excludēdo, tūc esset inualidus baptismus ex defectu intentionis necessariæ ad baptizandum. Ita Bartol. ab Angelo *de baptismo §. 48.* Grassius *2. part. lib. 1. cap. 3. num. 33.*

Quisnam sit Minister Sacramenti Baptismi?

BRACTEA XXVI.

R. Quiuis homo ratione præditus potest esse Minister Baptismi, ita vt sacramentum valeat, sumitur *ex cap.* & firmiter *de summa Trinitate, & Concilio Florentino* in Decreto Eugenij *12. cap. ad limina 30. quæst. 1. cap. in necessitate, cap. Romanus dist. 4. de consecratione*, & ita docent D. Thom. *quæst. 67. art. 3.* Scotus *in 4. dist. 5. quæst. 1.* Richardus *dist. 5. art. 4. quæst. 1. & 2.* & alij plures. Ratio est, quia cum baptismus sit Sacramentum magnæ necessitatis, Christus voluit pro Ministro baptismi

ptiſmi conſtituere quemlibet hominem rationis vſum habentem, ſiuè ſit fęmina, ſiuè etiam hæreticus, ſiuè etiam Paganus, dummodò baptizãdo habeat intentionem faciendi, id quod facit Eccleſia.

Sciendum duplicem eſſe Miniſtrum huius ſacramenti, primus dicitur Miniſter ſolemnitatis, cui competit ex officio ipſum miniſtrare, cũ debita ſolẽnitate, alter dicitur neceſſitatis, ad quem ſolum ſpectat in aliqua neceſſitate, vel caſu contingenti baptizare, & grauiter peccare illum, qui extra neceſſitatis caſum baptizaret, cui id iure, ſeu ex officio non competit. Ita S. Thomas communiter receptus *loco citato* Tertullianus *lib. de baptiſmo cap* 17. S. Aug. *lib.* 2. *contra epiſtolam Parmenianam cap.* 13. Sed etſi nulla neceſſitate vſurpetur, baptiſmus, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit nõ poteſt dici non datum, quamuis rectè dici poſſit illicitè datum, atq; hoc eſſe peccatum mortale rectè docuit Ricardus *in* 4. *diſt.* 5. *art.* 4 *queſt.* 1. Sotus *diſt.* 4 *queſt. vnica, art.* 3. Nauarrus *cap* 22. *n.* 7. Valentia *tom.* 4. *diſp.* 4. *quaſt.* 2. *part.* 1. Suarez *diſp.* 31 *ſect.* 4.

R. 2. Miniſtrum ex officio eſſe Sacerdotem, qui ſit Parochus. Ita S. Thomas *quaſt.* 67. *art* 1. & eſt cõmunis omnium Doctorum, ratio colligitur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, *& ex cap. conſtat*, & ex alijs locis. Ratio eſt, quia cum omnes Sacerdotes accipiant poteſtatem vi ſuæ conſecrationis in corpus Chriſti, verum quia illud efficere poſſunt, conſequenter etiam idonei fiunt, quibus ordinaria poteſtas conferatur in corpus Chriſti miſticum fides colligendo per baptiſmum.

Sciẽdũ, quod inter Sacerdotes. Primò numeratur proprius Epiſcopus, qui iure ſuo, & vi ſuæ ordinationis hoc habet. Secundò Parochus, qui quatenus Præsbyter habet poteſtatẽ ordinis, quatenus Paſtor habet iuriſdictionem in ſuos, conceſſione Epiſcopi. Tertiò ſimplex Sacerdos, qui iure diuino, & quoad poteſtatem ordinis habet ad hoc aptitudinem ſed indiget quoad ius Eccleſiaſticum, determinatione ſubditorum, propter bonum Eccleſiæ regimen, tamen ex vi ſuæ conſecrationis eſt Miniſter.

R. 3. Ex Epiſcopi, vel Sacerdotis proprij cõmiſſione ob rationabilem cauſam facta, etiam Diaconi ſolemniter baptizare poſſunt. Ita docet Gelaſius Papa in epiſtola ad Epiſcopum Lucaniæ, ratio eſt, quia Diaconi ad hoc ordinantur; vt ſint miniſtri Sacerdotum, ergò illis, ex rationabili cauſa poteſt committi baptizandi miniſterium.

R. 4. Nullus Diacono inferior eſt capax talis commiſſionis, & delegationis. Ita communiter omnes. Ratio, patet, quia ſolis Sacerdotibus conuenire de iure ordinario eſt dictum, Diaconis verò ex delegatione, ergò inferioribus nullo modo conuenit.

An in caſu neceſſitatis ſeruandus ſit ordo in collatione Sacramenti?

BRACTEA XXVII.

R. Servandvm eſſe hunc ordinem, vt præſente viro, fęmina non baptizet, nec vir Laicus, præſente Clerico, nec Clericus, licèt Diaconus, præſente Sacerdote, quia Sacerdos eſt miniſter deputatus ex officio, licèt non ſit peccatum mortale alteratio huius ordinis, quando non adeſt Sacerdos, nam præſente Sacerdote, non poteſt inferior baptizare, quia ſic vſurparet ſibi officium in re grani. Ita Suarez *diſp* 31 *ſect.* 4. Em. Sà *verbo Baptiſ. num.* 7. Henriquez *cap.* 28. Rodriquez *in ſumma cap.* 23. *de Baptiſ. concluſ.* 1. Toletus *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 8. Graffius 2. *part. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 2. Vivaldus *de Bapt. cap.* 4. *num.* 6. Vaſquez 3 *part. diſp.* 197. & alij.

Quæ requirantur in Miniſtro Baptiſmi?

BRACTEA XXVIII.

R. Reqviri intentionem baptizandi. Ratio eſt, quia adminiſtratio baptiſmi eſt actus humanus, vndè requiritur, quod primariò habeat intentionem conferendi baptiſmum per illam actionem. Secundò requiritur, vt miniſter adhibeat debitam materiam, & formam, quia ſacramentum perficitur debita materia, forma, & intentione. Tertiò requiritur, vt Sacerdos ſolemniter baptizans exiſtat in gratia. Ratio eſt, quia exercet actum ordinis, qui in gratia debet exerceri, qui verò vrgente neceſſitate baptizat ſine ſolemnitate non cenſetur mortaliter peccare, etiamſi in peccato mortali adminiſtret ſacramentum. Ratio eſt, quia tunc non cenſetur exercere actum ordinis, tamquam Miniſter deputatus.

Sciendum dubium eſſe, an peruerſa intentio Miniſtri in conferendo baptiſmo ſuppleatur à Deo, quoad gratiam? Ad quod reſpondeo negatiuè, & ita Henriquez *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 3. Filliucius *tom.* 1. *tract.* 1. *cap* 5. *num* 80. & alij. Ratio, quia quod Deus ſuppleat, non fundatur vlla lege, promiſſione, aut ratione. Verùm durante bona fide Deum ſupplere defectum peruerſi Miniſtri. Ratio, quia Deus non deficit in neceſſarijs facienti, quod in ſe eſt cum non habeat ſuam virtutem alligatam ſacramentis.

Quidam Parochus poſt infuſionem aquæ immediatè pronuntiauit formam, quæritur an ille Baptiſmus fuerit validus?

BRACTEA XXIX.

R. Validvm eſſe Baptiſmum. Ratio eſt, quia ad validitatem baptiſmi, requiritur quod forma moraliter coniungatur cum materia, ſed in iſto caſu moraliter cenſetur continuari, quia non fit magna interruptio inter ablutionem, & prolationem formæ, vt ex modo agẽdi, & verba proferẽdi intelligatur vnum alteri eſſe accommodatum, & ita Layman *in Theolog. moral. lib.* 5. *cap.* 7. *tract.* 2. *num.* 5. & Fernandez *de heredia in diſp. de ſacramentis in genere part.* 6. *dub.* 2. *num.* 8. vbi ita ait. Qui baptizatur poteſt ablui in totum ante inchoatam formam, &c.

Quidam

Quidam adstantibus multis, baptizauit filium propriæ Vxoris, quæritur an sit priuatus iure petendi debitum?

BRACTEA XXX.

R. Non priuari iure petendi debitum. Ratio est, quia talis pęna, nullo iure satis expresso, sed solum Doctorum consensu nititur, sicut adnotauit Suarez *3.part.quæst.67. art.8.* & illam tuentur, Fernandez *de heredia disp.de sacr. baptismi part.6.dub.2.num.6.* Suarez *loco citato* Durandus *in 4.dist.42.quæst.1. art.3.* & Coninchus *de sacramentis disp.34. dub.8. num.69.* vbi sic asserit. Probabilius est eum, qui etiam sua culpa hanc cognationem cum sua vxore contraxit, & si grauiter peccaret, posse nihilominus petere debitum, quia tam grauis pęna sine textu non est inducenda: ex nullo autem textu probari potest. Ita ille, quem sequitur Layman *in Theologia morali lib.5. tract.10. part.4. cap.8. num.8.* & Diana *tract.4.de sacramentis resolut.3.* licet contrarium videatur vsu receptum.

An in Baptismo sit adhibendus alius præter Ministrum?

BRACTEA XXXI.

R. Esse adhibendum Patrinum, cuius officium sit leuare de sacro fonte, & solemniter spondere pro Infante, contracta simul obligatione instruendi baptizatum in rebus fidei, tempore necessitatis, quoties Infans non habeat parentes, vel Parochum, qui de rebus ad fidem pertinẽtibus ipsum instruere possint, licèt in nostris regionibus Patrini ab hoc munere excusentur, vbi parentes, & Parochi solent filios instruere in rebus fidei. Ita S. Tho. *3.part.quæst.67. art.8.* Summa Corona *de Baptismo* Suarez *tom.1.de sacramentis quæst.67.* Reginaldus *lib. 27. num.36.* Em. Sà *verbo baptismus num.15.* & alij.

Sacerdos Baptizans in peccato mortali, an peccet mortaliter?

BRACTEA XXXII.

R. Sacerdotem ministrantem baptismum in peccato mortali, solemniter peccare mortaliter. Ratio quia indignè, & cum irreuerentia notabili tractat diuina, & exercet actum ordinis cõferendi sacramentum, secundò Sacerdotem in peccato mortali in casu necessitatis ministrantem baptismum non peccare mortaliter. Ita plures citati apud P. Dianam *tract.4.de sacramentis resol.10.* Reginaldus *lib. 27. cap.6.num.47.* & alij. Ratio, quia talis Sacerdos in casu necessitatis ministrans baptismum non censetur exercere actum ordinis sacri, sed ipsum ministrat, perinde, ac Laicus qui ministrans baptismum in peccato mortali, non peccat mortaliter, ergo neq; Sacerdos, cũ tamquã Laicus ipsum administret in casu necessitatis. Plures sunt, qui tuentur contrariam opinionẽ nimirũ Sacerdotẽ ministrãtẽ in peccato mortali baptismũ peccare mortaliter, & ratio illorum est, quia ipse non administrat simpliciter tamquam Laicus, sed ex officio ratione suę administrationis, & per consequens ministrando sacramentum baptismi in peccato mortali exercere actum ordinis indignè, & ideò peccare mortaliter, & ita Layman *lib 5.tract.1.cap.5. num.8.* & alij, quæ opinio probabilis est.

An in priuato Baptismo, tempore necessitatis sit adhibendus Patrinus?

BRACTEA XXXIII.

R. Non esse adhibendum, cum non constet de vllo Ecclesiæ præcepto, & non est, quia cum in isto necessitatis casu, Parentes fermè nequeant idoneos eligere ad munus Patrini, incredibile nõ est Ecclesiam talem eis obligationem imponere voluisse, & ideò dicet aliquis in hoc casu materialiter teneat infantem, non ideò Patrinus eius efficitur. Ita Diana *loco citato resolu.18.*

An si Minister conferat Baptismum ei, qui iam baptizatus est, incurrat irregularitatem?

BRACTEA XXXIV.

R. Scienter alium rebaptizans peccare mortaliter. Ita *ex cap.non licet.* Ratio est quia fit contra substantiam sacramenti, dum subiecto incapaci administratur, quod verum est, non modo quando, cum constet quempiam esse baptizatum, de nouo tamen absolutè confertur illi baptismus, verum etiamsi conditionatè, nam, & impertinens est, cum non supponatur ratio dubij, & moraliter habenda est conditio pro non adiecta, cum constet baptismum esse collatum.

R. 2. Incurrere etiam pęnam irregularitatis. Ita communiter omnes Theologi, Canonistæ, & Summistæ, & fundatur *in cap.2.de Apostolis.* vbi Acolytus, qui ministrauit rebaptizanti prohibetur ad superiores ordines ascendere, ex quo consuetudo, & vsus declarauit etiam rebaptizantẽ esse irregularem, quæ irregularitas impedit tantum assensum ad superiores ordines.

Quodam sit subiectum Baptismi?

BRACTEA XXXV.

R. Omnis, & solus homo viator nondum baptizatus, tam paruulus, quàm adultus. Est de fide, quod sumitur *ex cap.vlt. Matth.* Euntes docete omnes gẽtes baptizantes eos, &c. *&* *Marci vlt.* Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit. Ita Bellarm. *lib.2.de baptismo cap.8.* Valentia *tom.4. disp 4. quæst.3. part.1.* Suarez *disp.25.* & alij communiter. Ratio est, quia baptismus est omnibus necessarius iuxta illud *Ioann. 3.* Nisi quis, renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c. & probatur, quia omnes homines ita à Deo creantur, vt capaces esse possint salutis æternæ: salus autem, & vita hominibus post Euan-

Euangelij promulgationem ordinariè non contingit sine baptismo, ergo, &c.

Sciendum, quod cum dictum sit solum hominem viatorem esse subiectum baptismi sequitur Satyrum, aut genitum ex fœmina, & Bruto, non esse capacem baptismi, quia propriè non est homo. Ita Henriquez *cap.21.* Barthol. ab Angelo § 132. & alij. Monstrum verò genitum ex viro, & fœmina esse capacem baptismi, quia est homo constans ex anima, & corpore, imò si constet, vel dubitetur an habeat duplicem animam, vt si habeat duo capita cum vno pectore, vel duo pectora sub eodem capite, duplex baptismus conferendus est, vnus absolutè in ea parte, qua perfectius est caput, vel pectus apparet, & alter sub conditione in altera parte. Ita Reginaldus *lib.27. num.65.* Sotus *in 4. dist.3 quæst. vnica art.9.* Toletus *lib.2. cap.21.* Siluester *verbo Baptismus 3. quæsit. 10.* Tabiena *eodem verbo 6. num.14.* Armilla *verbo baptismus num.52.* & alij plures.

Quo tempore Baptismus sit suscipiendus?

BRACTEA XXXVI.

R. Primo, adultos diuino Christi Precepto, obligatos esse ad baptismum Christi suscipiendum, cum primùm commodè possunt moraliter loquendo. Est communis apud Caietanum *3.part.quæst.98.art.3.* Sotum *in 4. dist.5. quæst.vnica art.3.* Vasquez *disput.149. cap.4.* Suarez *disp.31.sect.2.* Ratio est, quia nullum datur vitæ tempus, in quo adultus non laboret magna necessitate ingrediendi Ecclesiam, in qua mēbrum Christi factum, particeps sit Cęlestis influxus ipsius, tamquam capitis, & baptismus est ianua, & introitus ad Ecclesiam Christi, siquidem in baptismo fidem Christi solemniter profitemur, & corpore eius mystico inserimur, aliorumque sacramentorum, ac sacrificij capaces efficimur.

R. 2. Parentes, & alij, qui curam Infantium gerunt, pręcepto Ecclesiæ introducto per consuetudinem obligantur, vt illos quamprimum commodè fieri potest ad sacrum baptisma offerant, attentis circumstantijs, & cuiusque Ecclesiæ consuetudine. Ita ex communi docet Suarez *disp.25.sect.2.§.vlt.* & Henriquez *lib.2. cap.4.num.3.* porrò illud quamprimum commodè fieri potest, iuxta Suarez, & Henriquez prudentis viri iudicio committendum esse, vt non nimis sine causa differatur. Sotus verò *in 4. dist. 5.quæst.vnica art.3.* ita explicat illud quamprimùm commodè fieri potest, cum puer statim baptizari iubetur, non intelligitur eadem natiuitatis die, aut tertia, aut quarta, sed quando commodè potest in Ecclesiam portari, at mergi, quod est octauo die, vt moris est, vel 10. vel 12. quod videtur vsu receptum.

An validus sit Baptismus sit collatus infanti absque consensu parentum?

BRACTEA XXXVII.

R. Validum esse, ratio est, quia concurrunt omnia requisita ad baptismum, nimirū materia, forma, & intentio Ministri, tum quia Ecclesia non solet rebaptizare pueros inuitis parentibus baptizatos. Ita Henriquez *cap.25.* Coninchus *quæst.68 art.10.num.66* Vasquez *3.par. quæst.68.art.10.disp.154. cap.9. num.64.* & alij communiter.

R. 2. Filios infidelium validè baptizari, parentibus non consentientibus, vel etiam repugnantibus, dummodo vsum rationis habeat. Ita S. Antoninus *3. par. tit. 14. § 6.* Caietanus *2.2. quæst.10 artic.12.* Vasquez *disput.154. cap.6.* Ægidius Coninchus *quæst.98.* Emanuel Sà *verbo Baptismus num.11.* Henriquez *lib.2. cap. 25. num.3.* & alij plures; ratio est, qui cum habeat rationem, habet ius petendi, quæ sibi necessaria sunt ad salutem animæ, nec tenetur patri obedire in ijs, quæ sibi, & Deo contraria sunt.

R. 3. Filios infidelium nunquam baptizatorum non posse, inuitis parentibus baptizari: ratio est, quia vel isti abstrahuntur à cura, & potestate parentum in fide Christiana post Baptismum educandi, vel non abstrahuntur, sed parentibus postea restituuntur. Primùm fieri non potest sine iustitiæ violatione, cum parentibus etiam infidelibus ius, seu potestas in liberos suos competat, quo inuiti spoliare nō possunt: alterum verò fieri non potest sine Christianæ Religionis ignominia, cum Deo per Baptismū consecrati infantes, si infidelibus parentibus restituantur, Apostasiæ periculo exponuntur, excipitur tamen casus extremæ necessitatis, vt si infans constitutus sit in certo mortis periculo, quia tunc potest baptizari, etiam inuitis parentibus. Ratio est, quia in eo casu cessat periculum peruersionis, cum statim decessurus sit, & proximo extremè indigenti est subueniendum. Et ita Suarez *disp.25. sect.3.* Valentia *tom.4. disput.4 quæst.3.pun.3.* Henriquez *cap.25. num.2.* & alij.

R. 4. Filium natum ex vno saltem parente Christiano baptizandum esse, vel inuitis parentibus, dummodo ipse petat baptizari, si sit adultus. Ratio est, quia cum sit subditus Ecclesiæ imitari, ac sequi debet parentem Christianum, vt habetur ex *cap.Iudæo 28. quæst.1.* Quod si verò non habeat vsum rationis baptizandum esse, si parens Christianus petat ipsum baptizari, etiamsi aliter dissentiat, cum sit melior conditio parentis Christiani, & innocentis. Ita Valentia *loco citato*, Henriquez *loco citato num.4.* Posseuinus de *Baptismo cap.6.num.14.* Vasquez *loco cit.cap.3.num.35.*

R. 5. Filios infidelium, qui sunt tantum tributarij, & Vassalli Principum, & non serui non posse inuitis parentibus. Ratio est, isti etsi tributarij habent ius patriæ potestatis in liberos, quos sine iniuria spoliari non possunt, sicut indicat S. Thomas *quæst.68. art.10.* & docet Durandus in 4. *dist.4 quæst.6.* Victoria de *sacramentis quæst.27.* Toletus *lib.2.cap.21.num.2.* Vasquez *3.par.quæst.68.art.10.disp.155.cap.2.* tum quia si isti baptizarentur, vel subtrahuntur parentibus, vel illis relinquuntur; si primo modo fit illis iniuria, si secundo modo datur periculum peruersionis, ergo non erit licitum Principi filios infidelium Vassallorum inuitis parentibus baptizare. Si verò infideles, iusto bello, vel alio titulo in Christianorum seruitutem redacti sint, sicuti alia eorum iura, & dominia, ita

& ius

& ius patriæ potestatis Domino ipsorum, à quo capti tenentur iure gentium, acquiritur, qui proinde paruulos ipsis auferre, alijs donare, vendere, & consequenter baptizare, inuitis parētibus iure potest. Ita Viualdus de *modo baptismi n.14.* Suarez *disp.25.sect.4.* Coninchus *q.68.*

R.6. Licitum esse baptizare Catholicè filios hæreticorum, etiam inuitis parentibus, & colligitur ex Concilio quarto Toletano *cap. 56. relato in cap. de Iudæis dist.45.* Ratio est, quia hæretici Ecclesiæ iurisdictioni subiecti sunt, à qua proinde sine iniuria compelli possunt, vt paruulos suos ad Baptismum Catholicorum deferant, & in fide, ac religione Catholica instruant: sin verò id facere recusent, infantes ab eorum cura abstrahi, & baptizari iure possunt.

De dispositionibus requisitis in suscipientibus Baptismum?

BRACTEA XXXVIII.

R. In adulto suscipiente baptismum primò requiri intentionem, & consensum suscipiēdi ipsum baptismum. Ratio desumitur, tum ex verbis S. Augustini: *Qui fecit te sine te, non saluabite sine te*; tum etiam quia in Ecclesia nunquam solet inuitos adultos baptizare. Ratio congruentiæ est, quia ad suauem Dei prouidētiam spectat sacra Christiana ita esse instituta, vt ijs non initiarentur vtentes ratione, nisi aliquo modo consenserint: vnde adultus, qui nunquā voluit baptizari, & si voluit, voluntatem retractauit, si baptizetur, non remanet baptizatus, nec recipit Characterem.

R.2. Validum esse baptismum collatum dormienti, qui illud ante somnum petierat. Ita determinat Innocentius III. in *cap. maiores de baptismo*, & sumitur ex Concilio Carthaginensi *3. can. 34.* quia voluntas, & propositum præcedens sufficit, vt illa susceptio baptismi censeatur voluntaria, quia hic dicitur habere intentionem virtualem, cum propositum prius elicitum perseueret. Idem dicendum est de amente, qui ante dementiā, & de furioso, qui dū haberet dilucida interualla, petierunt baptismum, etiamsi postea dum baptizantur, resistere videantur. Ratio est, quia illa resistentia, quę tūc temporis contingit, non est actus humanus. Ita Graffius *1. par. lib.1. cap.4. num.45.* Angelus *quæst. 1. art.6. difficult.1.* Henriquez *lib.2. cap.24. num.3.* Camerota de *baptismo cap.5. dub.10.* & alij.

Si verò dubitetur, an petierit baptismum ante amentiam, potest baptizari sub conditione, si petijt baptismum: Ratio est, quia melius est ipsum decedere cum dubio baptismo, quam sine vllo baptismo. Ita Henriquez *loco citato num. 4.* cum alijs. Verùm si constet ipsum permansisse in statu peccati mortalis, non est baptizandus, quia baptizaretur cum obice, & sacramētum administraretur indigno. Ita Henriquez *cap.24.* & alij plures apud ipsum Camerotam de *baptismo cap.5. dub.5.*

Sciendum fictè baptizatum, vel inualidè defectu materiæ legitimæ, vel intentionis Ministri, si à fide recedat, absolutè non esse hæreticum, nec verè subiectum iurisdictioni Ecclesię, nec pœnis spiritualibus excommunicationis, &c. At is, qui habuit animum verè suscipiendi baptismum, est coram Deo, & potest ab Ecclesia cogi ad verum baptismum, cum iam ex parte sua ipsum receperit. Sanchez *lib.2. cap.7. nu.36.*

R.2. Secunda dispositio requisita in adulto ad recipiendum sacramentum cum fructu, est fides supernaturalis, vt patet ex verbis Matth. *vlt. Docete omnes gentes*, vbi notanda est particula Docete, & Marci 11. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quod quamuis verùm sit, quod etsi non habeat fidem supernaturalem, si baptizetur verè recipere sacramentum baptismi, sed cum obice, & sine fructu; qui recedente postea fictione conferre suum effectum gratię sanctificantis, quod recipiat verum baptismum; patet, quia adsunt omnia requisita essentialiter ad baptismum, idest materia, forma, & intentio Ministri, & suscipientis. Quod verò non conferat gratiam, patet etiam, quia sine fide impossibile est placere Deo. Ita S. Thomas *3. par. quæst.68. art.8.* Camerota de *baptismo cap.1. dub. 8.* Henriquez de *baptismo lib.2. cap.26. num.1.* Pitigianus *dist.4. quæst.5. art.2.* Valentia *disp.4. quæst.3. pun. 3.* & alij. Quod verò conferat gratiam, recedente fictione, patet ex supradictis de sacramentis in genere.

R.3. Tertia dispositio, quæ requiritur in adulto ad recipiendum baptismum cum fructu, est attritio, & est de fide, & colligitur ex Tridentino *sess.6. can.7.* ex Act. Apostolorum, vbi dicitur *Pœnitentiam agite, & baptizemini vnusquisque vestrum, &c.* & ita S. Thomas *quæst.68. art. 4.* Valentia *tom. 4. disp.4. quæst.3. par.3.* Toletus *lib.2. cap.21. num.5.* Vasquez *3. par. disput.168. cap.4.* Suarez *disput. 28. sect.2.* & alij.

R.4. Attritionem cognitam, esse sufficientem dispositionem ad sacramentum baptismi, & iustificatur in illo, licet requiratur, quod talis attritio sit aliquo modo ex motiuo supernaturalis, idest propter metum gehennæ, aut turpitudinem peccati, vt colligitur ex Tridentino *sess.9. cap.6. & sess.14. cap.4.* vbi dicitur attritionem esse donum Dei. Ita Magister in *4. dist.4.* Henriquez *lib.2. cap.26. num.3.* Suarez *loco citato*, Valentia *loco citato par.3.* Medina *prima secunda quæst.109. art.6.* & alij.

De effectibus Baptismi?

BRACTEA XXXIX.

R. Tres esse effectus baptismi: primus est gratia habitualis cum reliquis virtutibus, & donis, quæ gratiam consequuntur, modò sacramentum suscipiatur sine obice. Est de fide, vt patet ex Clementina vnica de *summa Trinitate*, & ex Tridentino *sess.5. in decreto de peccato originali*, patet hic effectus per illud Diui Pauli *ad Titum 3.* saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè, &c. Locum autem habet tàm in paruulis, quàm in adultis, quia illi sicut & hi, fiunt in baptismo membra Christi, ideoque ab ipso recipiunt influxum gratiæ, & virtutum, tamquam à suo capite, paruulis quidem æqualem conferre gratiam, sed in adultis ratione dispositionis esse inequalem. Ita Camerota de *baptismo cap. 6. dub. 2.* Valentia *tom.4. disp.4. quæst.4. pun.1.* Suarez *disp.28. sect.3.* Siluester *verbo baptismus 6. num.4.* Sotus in *4. dist.6. quæst. 1. art.6.* & alij.

R. 2. Talem gratiam remittere, primò peccatum originale, vt patet ex Tridentino *sess 6. cap. 6.* remittere etiam peccata actualia, quæ commissa sunt ante baptismum. Hinc S. Thomas *quæst 69 art. 1.* probat per illud Ezechielis 36. *Effundam super hos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.* Quem locum Patres de baptismo intelligunt; probari quoque potest; quia ex Diuo Paulo ad *Rom 6.* Per baptismum morimur peccato, & viuimus Deo, ad quod requiritur, vt in nobis suscepto baptismo nullum vigeat, maneatque peccatum, & licet baptismus primariò sit ordinatus ad delendum peccatum originale, nihilominus est etiam ordinatum ad remittendum peccatum actuale, quod ante baptismum commissum fuit, vt patet ex Tridentino *sess 6.* vbi habetur ex iustificatione deleri om̃nia peccata, & hanc iustificationem conferri per baptismum.

R. 3. Secundum effectum esse liberationem personæ, quæ baptizatur, ab omni pena propter peccatum diuinitus constituta. Est de fide definitum in Florentino *in decreto Armenorum*, vbi habetur baptizatis non imponi satisfactionem pro peccatis præteritis, ergo baptismus delet omnem pęnam debitam peccatis. Ita S. Thomas *quæst. 69. art. 2.* Filiarcus *2 par. lib. 1. cap. 9.* Toletus *loco cit.* Victoria de *sacramentis quæst. 20.* Vasquez *3. par. q. 9. art. 7.* & alij. Vnde si quis recepto baptismo sine obice moreretur, statim ad Cęlum aduolaret, dummodò post ipsum nõ commiserit peccatum. Ita S. Thomas *3. par. quæst. 69. art. 7.* Tabiena *verbo baptismus 8. num. 6.* Bartholomæus ab Angelo de *baptismo* §. 159. Sotus in *4. dist. 6. quæst 1. art. 5.* Siluester *verbo baptismus 6. num. 1.*

R. 4. Tertium baptismi effectum esse Characterem, per quem non potest iterari, quamuis sit à Pagano collatus, vel hæretico, &c. nam Character, qui per baptismum confertur, indelebilis est. Et est de fide, & colligitur ex Tridẽtino *sess. 7. de baptismo.* Ita Valentia *tom 4. disput. 4. quæst. 1. par. 4.* Grafius *2. par. lib. 1. cap. 1. num. 10. & 11.* & alij.

R. 5. Præter hos effectus principaliores habere, etiam baptismum alios effectus minus principales, nimirum apertitionem ianuæ Regni Cęlestis subijcere baptizatum Ecclesiæ iurisdictioni, nam ex eo, quod per baptismum fit quis Ecclesiæ membrum, consequenter subordinatur, ac subijcitur auctoritati eius, qui tãq̃ caput præest Ecclesiæ. Tollere etiam irregularitatem ante baptismum ipsum contractam ex peccato quocumque cõferre etiam sanitatem, quam baptismus aliquando confert, vt dicitur de lepra Constantini.

Sciendum eum, qui recipit baptismum cum peccati venialis complacentia recipere gratiam, & aliorum peccatorum remissionem, nõ verò remissionem illius peccati venialis; quia impossibile est peccatum simul fieri, & deleri? Ita Pitigianus *dist. 1. quæst. 6. art. 2.*

An qui omittit cæremonias debitas in Baptismo, mortaliter peccet?

BRACTEA XXXX.

SCiendum primò, quod cęremonia aliud non est, quam actus hominis externus ad Deum colendum accommodatus, vt genuflectio, crucis formatio, &c. Et est actus externus virtutis religionis.

Sciendum 2. quod cęremonię apud Christianos vsitatæ, partim à Christo institutæ sunt, videlicet quę ad substantiam sacramentorum, & sacrificij Missæ pertinent, partim verò ab Ecclesia institutionem habent, vt annotauit S. Augustinus *epist. 18. ad Ianuarium.* Quibus positis.

R. Cęremonias, & ritus ab Ecclesia institutos omittere, aut mutare est peccatum contra religionis virtutem ex genere suo mortale, quamuis ob paruitatem materiæ veniale esse possit. Vnde grauiter illum peccare, qui absque iusta causa solemniter baptizat sine aqua benedicta, hęc enim videtur res grauis, sicuti etiã peccat, qui absque necessitate vtitur Chrismate alterius anni, *cap. 5. si quis de oleo dist. 4.* Ita Nauarrus *cap. 22. num. 14.* Emanuel Sà *verbo baptismus num. 15.* & alij.

R. 2. Cum priuatim, collato baptismo, propter casum necessitatis cęremoniæ omissæ fuerint, postea sublato periculo in Ecclesia supplendas esse, sicuti constat ex praxi Ecclesiæ, & colligitur ex *cap. 1. de sacramentis non iterandis.*

De Patrinis.

BRACTEA XXXXI.

SCiendum, quod Patrinus dicitur quasi spiritualis Pater, nutritius, aut pedagogus hominis baptizandi, qui eum ob solemnem sponsionem suam, accedente etiam Ecclesiæ præcepto in Christiana fide, cum necesse fuerit instruere, obligatus est iuxta *cap. vos ante dist. 4. de consecratione*, & docet S. Augustinus *serm. 215. de tempore*, S. Thomas *quæst. 67. art. 8.*

Sciendum 2. quod ad munus Patrini quędam conditiones requiruntur: prima vt habeat vsum rationis, nam infans, qui talem vsum non habet, non potest fungi officio Patrini. Ita Nauarrus *lib. 4. concil. 2. de cognat. spirit.* Henriquez *lib. 11. cap. 12. num. 2.* Secundò requiritur, quod sit baptizatus, quia, qui non est baptizatus, non potest esse Patrinus in baptismo, sicut habetur expresse in *cap. in baptismate*, & ita Allensis in *4. par. quæst. 28. membr. 2. art. 3.* Henriquez *lib. 3. cap. 3. num. 3.* Toletus *lib. 2. cap. 24.* Viualdus de *baptismo cap. vlt. num. 29.* Sanchez *lib. 7. disp. 60. num. 20.* Tertiò requiritur intentio, quia vt aliquis verè Patrinus censeatur, atque spiritualem cognationem contrahat, non sufficit eum materialiter tantum tenere, sed requiritur formalis intentio gerendi munus spiritualis Patris, secundum consuetudinem Ecclesiæ.

Sciendum Monacis prohibitum esse, ne in sacramento Baptismi, vel Confirmationis susceptores sint, vti cõstat ex *cap. Placuit commune 16. quæst. 1. cap. Non licet 5. dist. 4. de consecratione cap. Monach. dist. 4.*

Sciendum 4. parentem non debere propriam prolem suscipere, sicuti constat ex *cap. Peruenit, cap. Dictum est 30. quæst. 1.* & docet S. Thomas *quæst. 67. art. 8.* adeò vt si extra necessitatem, ac temerè propriam prolem suscipiat, cognationem spiritualem cum coniuge contrahat, ideòque debitum petere nequeat, & Patrinus vnus solus debet esse, & vna sola Matrina. Ita *cap. Non plures dist. 4. de consecratione cap. Quamuis de cognat. spirit. in 6.*

in 6. & ex Trident. Concilio *sess.24. cap.2. de reform. matrim.* Quibus positis.

R. Teneri susceptorem ad instruendum in rebus fidei, & bonorum morum, quod præceptum cum sit affirmatiuum, obligat rarum temporibus necessariis, etsi baptizatus indigeat, quia videlicet habeat parentes infideles, vel valdè negligentes, inter Catholicos hæc obligatio non videtur amplius in vsu.

An in priuato Baptismo tempore necessitatis sit adhibendus Patrinus?

BRACTEA XXXXII.

R. NEGATIVE, Ratio est, quia nullum extat Ecclesiæ præceptum, vt in tali baptismo Patrinus adhibeatur. Ita Sotus *in 4. dist. 42. quest. 1. art. 1.* Henriquez *lib. 2. cap* 18. Sanchez *lib 7 disp. 62.* Suarez *quest. 67. art. 8* & ratio est, quia cum in isto necessitatis casu parentes ferme non possint idoneos eligere ad munus Patrini, credibile non est Ecclesiam talem eis obligationem imponere voluisse.

R. 2. Si aliquis in priuato baptismo infantem teneat ex proposito, vt Patrini munus obeat, verus Patrinus fieri videtur, atque spiritualem cognationem contrahere. Ita Nauarrus *cap. 22. num. 40* Armilla *verbo matrimonium num.* 14 Coninchus *disp. 32. dub. 2.* & alij contra Sanchez *de matrimonio tom. 2. lib. 7. disp. 61. num. 15.* Rodriquez, & alios, ea ratione motos, quia adhibere Patrinum est ceremonia instituta pro baptismo solemni, ergo vbi talis baptismus non est, occurri non debet verus Patrinus, qui tenet, aut suscipit. Sed R. vt supradictum est, Patrinum non solùm adhiberi baptismo propter majorē eius solemnitatem, sed multo etiam magis propter obligationem instruendi baptizatum, tametsi Ecclesia non præcipiat, vt talis Patrinus adhibeatur in baptismo priuato, quia plerūque, imminente periculo adhiberi non potest, tamen nō prohibet etiā quo minus verè interueniat.

An qui per errorem leuauit filium Petri, existimans se Pauli filium leuare contrahat cognationem?

BRACTEA XXXXIII.

NEGATIVAM sententiam tuetur Sanchez *tom. 2. lib. 7. disp. 58. nu. 7.* ex *cap. 2. de cognatione spirituali*, vbi deciditur coniugem, quæ per ignorantiam leuauit filium mariti non arceri à petitione debiti, ex quo Texa Abbas *ibi num.* 4. & Alexander de *Neuo num. 6.* colligunt requiri scientiam, & animum ad contrahendam cognationem, sed affirmatiuè.

R. Cum Basilio Pontio de *matrimonio lib. 7. cap. 39. num. 9* vbi sic asserit, si quis per errorem leuet filium Petri, existimans esse filium Ioannis, reuera contrahit cognationē, error enim ille nō impedit fideiussoris, & Patris spiritualis officium, quidquid alij dicant, est enim error personæ in hoc casu circa accidentalia, neque eadem est ratio de vxore, quæ per ignorantiam leuat mariti filium; tum quia de eo est expressa iuris decisio, ex quo totū impedimentū pēdet, tum etiam quia superueniēs matrimonio contracto; & ita non mirum si ignorantia excuset à cognatione. Ita Pontius, licet etiam opinio Sanchez videatur probabilis.

An permitti possit, vt cum Infans à Sacerdote Catholico baptizatur adhibeatur Patrinus hæreticus?

BRACTEA XXXXIV.

R. REGVLARITER non posse adhiberi Patrinum hæreticum, cum Infans à Catholico baptizatur; Ratio est, quia non censetur Patrinus idoneus ab instruēdum baptismum in fide Catholica, sponsionemque proficiendam, cum sit hæreticus, tum quia infantibus immineret periculum peruersionis, & discessus à fide Catholica, propter Patrinum hæreticum. In locis autem, vbi toleratur hæreticus, posita iusta causa, seu necessitate permitti potest, vt hæreticus ad suscipiendum infantem designetur, vt videtur in Praxi, in Germania, & alijs similibus locis. Ratio est, quia hæreticus, qui legitimè baptizatus est, absolutè capax est muneris Patrini, ita vt ex eo cognationem spiritualem contrahat, licet illicitè, & non conuenienter adhibeatur propter rationes allatas. Ita Layman *de sacramento baptismi cap. 9* qui tale exemplum affert, in Parochia, cui nuper Sacerdos Catholicus expulso Ministro hæretico, præfectus est, parentes hæretici deferunt filios suos ad baptismum, designatò Patrino hæretico, quem expellere difficile, & quasi impossibile est, tum quia Catholici eo loco vix vlli sunt, qui Patrini esse possint; vnde vt grauiora incommoda vitentur, admittendus est Patrinus hæreticus sine vlla eius promissione: Sacerdos tamen ante baptismum palam edicere debet infantem in fide Catholica baptizari, in eaque instruendum fore, quando ad vsum rationis peruenerit. Ita ex Layman *loco citato* colligitur.

MALLEATIO III.

De Sacramento Confirmationis.

Propè Sacramentum Baptismi spectat tractare de Confirmatione, quia est veluti quædam perfectio, & consummatio ipsius. Agam in istis Malleationibus de definitione, institutione necessitat ministro, materia, & forma, subiecto, & effectibus. De isto tractant Theologi cum Magistro distinct.2. *S.Thomas* quæst.72. *Canonistæ* de consecrat.dist.5. *Summistæ* verbo consecratio.

An Confirmatio sit Sacramentum distinctum à cæteris?

BRACTEA I.

R. Confirmationem esse sacramentum ab alijs distinctum, & est de fide ex multis Concilijs, quæ refert Bellarminus *cap.4. de confirmatione*, & colligitur ex Concilio Floren. in Decreto Eugenij, & Tridentino *sess.7 & 23. cap.4.* vbi statuit, vt nemo non confirmatus initietur prima tonsura, & esse Sacramentum, quod proximè succedit baptismo, non quidem ordine dignitatis, aut necessitatis, sed generationis, vt Henriquez ait *in sua summa in initio lib.3. cap.1.§.2.* quia statim confertur Baptizato, vt Deus illud, quod per baptismum est operatus, confirmet per augumentum gratiæ, firmum, robustumq; reddens hominem ad superandas Diaboli tentationes, & ad conferendam, & defendendam fidem, quam in ipso professus est baptismo: vndè dicitur Cõfirmatio à proprio suo effectu, sicut à sua forma, à patribus, tum etiam consignationis sacramentum, tum signaculum Dominicum, tum signum Christi, & à materia dicitur Sacramentum Chrismatis, tum iniunctio, tum oleum sanctificatum, tũ sacrum Vnguentum, ac demum à ritu ipsius dicitur impositio maximum, de quibus potest videri Gregorius à Valentia *disp.5. quest.1. part 1.*

R.2. Confirmationem esse nouæ legis sacramentum à Christo Domino nostro institutum initiatiuæ in die vltimæ Cœnæ, cum ibi fuerit instituta materia, & forma; completam verò fuisse huius sacramenti institutionem *Ioann.20.* Vbi data fuit Apostolis plena potestas ordinationis Sacerdotalis, & Episcopalis. Ita Coninchus *quest.15.art.1.num.23.* Pitigianus *dist.7 q.1. art.2.* designatum verò fuisse, & non institutum *Matth.19.* quando Christus paruulis imponebat manus, cum enim paruuli nundum essent baptizati, non est credendum, tunc fuisse institutum Confirmationis sacramentum, sed ibi potius (vt dictum est) designatum, & significatum & ita Henriquez *lib.3.cap.1.num.5.* & alij.

Quid sit Confirmatio?

BRACTEA II.

R. Confirmatio est Sacramentum Vnctionis Chrismatis consecrati, quo Episcopus frontem baptizati iniungit sub certa verborum forma ad fidei robur consequendum. Ita colligitur ex Henriquez *lib.2.cap.6.num.4.* & alijs in qua definitione locum generis tenet sacramentum, cetera verò differentiæ.

An Sacramentum Confirmationis sit necessarium?

BRACTEA III.

R. Sacramentum Confirmationis non esse simpliciter necessarium, & necessitate medij, quod patet, tum *ex cap.1. & 2. de consecrat. dist.5.* ex quibus habetur sacramentum istud nõ dare gratiam ad vitam spiritualem, sed gratię augumentum ad perfectionem, & corroborationem in pugna contra vitia, & Diabolum ad Mundi huius Agones, tum etiam, quia infantes iudicantur, suscepto baptismo saluari posse sine hoc sacramento.

R.2. Sacramentum Confirmationis non esse etiam necessarium necessitate præcepti. Ratio est, quia nullibi constat hoc præceptum: vnde non esse de se peccatum mortale sacramentum istud ex negligentia, aut verecundia secluso contẽptu, omittere, etiam toto vitę tẽpore: Ex accidenti autem esse peccatum mortale, aut veniale quidem, eo quod talis omissio censeatur irrationabilis, & quædam temeritas in adeundo fidei certaminie sine tali adiumento: Mortale verò, ratione contemptus, si quis pro nihilo ducat hoc sacramentũ, aut illius effectum, aut vile, aut puerile existimet se illis subijcere: item ratione scandali si quis ita se gerat publicè, vt alijs exhibeat speciem contemptus, ac demum ratione conscientię, si quis persuaderet sibi, se nõ posse sine hoc medio tentationem contra fidem vincere, aut se in mortali periculo esse, ne causa tormentis superetur destitutus tali auxilio; illudque negligat nihilominus.

De materia remota Sacramenti Confirmationis?

BRACTEA IV.

R. Communi consensu Doctores docere materiam huius sacramenti esse Chrisma, quod conficitur ex oleo oliuarum, admixto balsamo, & ab Episcopo iam consecrato benedictum. Ita expressè docet Concilium Florentinum *in Decreto Eugenij §. secundum Sacramentum*, & Concilium Tridentinum *sess.7. can.2. de Confirmatione*, & cõmuniter omnes Doctores.

Scien-

Sciendum 1. non tantum oleum ex oliuis, sed etiam balsami admixtionem esse materiam necessariam sacramenti ex Christi institutione, vt colligitur ex Concilio Florentino *in Decreto Eugenij*, cum ait materiam huius sacramenti esse Chrisma, confectum ex oleo, & balsamo, ergo etiam balsamus necessario requiritur ad constituendam materiam remotam, licet plures Doctores, vt Caietanus *3. part. quæst. 72. art. 2.* Sotus *in 4. dist. 7. quæst. 11. art. 2.* Nauarrus *cap. 22. n. 7.* & alij contrariam teneant sententiam nimirum balsamum essentialiter non requiri ad constituendam materiam remotam huius Sacramenti.

An sit necessarium, vt Chrisma benedicetur ab Episcopo?

BRACTEA V.

R. Esse necessarium, vt Chrisma benedicetur ab Episcopo, cum prohibitum sit simplici Sacerdoti benedicere Chrisma, vt patet ex *Toletano* 8. *Cartaginensi*, *Florentino*, alijs Ita S. Thomas *quæst. 72. art. 4.* Coninchus *ibidem art. 3. nu. 43.* Nugnus *ibidem difficult. 4.* Suarez *disp. 33. sect. 2.* Pitigianus *dist. 7. quæst. 1. art. 4.* Camerota *de Confir. cap. 2. dub. 3.* & alij. Ratio autem, siue congruentia ea est, quam docet S. Thomas *art. 3.* quia materia, qua Christus non est vsus, consecrāda est, antequam ad vsum sacramenti applicetur, ideo nec aqua in Baptismo, nec panis in Eucharistia consecrandus est, quia iis Christus est vsus, & vsu ipso consecrauit, at materia Confirmationis non est vsus, ergo necessaria est præuia benedictio.

Quæ sit materia proxima huius Sacramenti?

BRACTEA VI.

R. Materia proxima Sacramenti Confirmationis est vnctio Chrismatis in fronte facta manu Episcopi in Crucis figura. Est communis doctrina, quæ satis colligitur, tum ex traditione, tum ex forma, qua Ecclesia vtitur in sacramenti huius administratione signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, tum etiam, quia sacramentum, quod consistit in vsu pro materia proxima habet actionem aliquam circa materiam remotam, sed actio circa materiam remotam Confirmationis non videtur alia, præter vnctionem, ergo materia proxima Confirmationis est Vnctio.

Sciendum ad essentiam huius sacramenti pertinere, vt Vnctio fiat manu Episcopi in fronte, & in crucis figura. Ita ex communi Suarez *disp. 33. sess. 3.* Probatur ex traditione, & consensu Patrum, qui hoc sacramentum, modo impositionem manus appellant, modo signaculum Domini, quod in fronte gerimus ad significandam cōstantiam in profitēda Christi fide, & si ex præcepti Ecclesiastici necessitate Vnctio debeat fieri pollice manus dextræ intincto in Chrismate, tamen id requisitum non videri de necessitate sacramenti, sed validam fore Confirmationem, adhibito alio digito, etiam sinistræ manus, quia verè fieret per impositionem manus Episcopalis, quamuis contra vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem.

Quanta quantitas requiratur ad istam Vnctionem?

BRACTEA VII.

R. Eam quantitatem sufficere, quæ potest digito inungi in fronte ex quo deducitur modicam quantitatem sufficere, sicut etiam ad conficiendum Chrisma, quod est materia huius sacramenti sufficit ea quantitas balsami, & mixtio, qua balsamum possit suas qualitates, & præsertim odorem oleo communicare, quamuis in singulis partibus Chrismatis non insit aliquid balsami formalis.

Da forma huius Sacramenti?

BRACTEA VIII.

R. Forma Sacramenti hæc est signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Ita communiter omnes Doctor. ex Florentino *in Decreto Eugenij*, & constat ex vsu, ac conditione Ecclesiæ.

Sciendum. (vt inquit S. Thomas) tria esse necessaria in hoc sacramento, quæ per formā signari debent. Prima est inuocatio Sanctissimæ Trinitatis expressa, quę necessario requiritur, sicut, & in baptismo, quia Confirmatio ordinatur ad perficiendam fidem in baptismo acceptam, eamque fortiter profitendam, cętera verò sacramenta cum non ordinentur ad fidem profitendam, non requirunt istam trium personarum inuocationem. Secundò est finis, seu effectus gratiæ salutaris, quæ ad spirituale robur animæ per visibilem Vnctionem in hoc sacramento confertur, atque his verbis exprimitur confirmo te chrismate salutis. Tertiò, est spirituale signum, siue Character, qui Christiano militi imprimitur, atque his verbis indicatur, signo te signo crucis. Quare (sicut dictum est) ad essentiam hujus pertinere, vt Vnctio fiat in fronte per crucis figuram. Ita nūc dicendum de forma necessario in ea significandam esse, & Vnctionem, & consignationem, quandoquidem verba debent esse constitutiua, & determinatiua materiæ ad significationem sacramentalem.

Qui sit Minister huius Sacramenti?

BRACTEA IX.

R. Ordinarium Ministrum Confirmationis esse Episcopum consecratum, vt patet ex Tridentino *sess. 7. de Confirmatione, & ex c. de Presbyteris de consecrat. dist. 4.*

R. 2. Quod etsi Minister Confirmationis regulariter loquendo sit Episcopus posse tamen simplicem Sacerdotem hoc sacramentum ministrare ex commissione Papæ, tanquam Minister extraordinarius, vt ex *cap. Peruenit dist. 95.* Ita Bellarm. *cap. 12. de Confirmat.* S. Thomas *q. 62. art. 11.* Pesantius, & Coninchus *ibidem num. 104.* Nauarrus *cap. 22. num. 8.* Vasquez *3. part. quæst. 72. art. 3. disp. 219. cap. 1. num. 3.* Angles *de Confirmatione art. 8. conclus. 3.* Victoria *de Confirmatione conclus. 49.*

Toletus

Toletus *lib.2.cap.24. num.5.* Suarez *disp.36 sect.4.*& alij plures.

R. 3. Nulli Clerico, neque Laico posse hoc ministerium committi, præterquam Sacerdoti, neque ab alio, quam à Summo Pontifice ex causa rationabili. Ita Suarez *disp.36 sect.2.* Ratio est, quia cum in his, quæ sunt iuris diuini absolute, & simpliciter dispensare nequeat, nisi iuxta modum, & mensuram; ipso met iure diuino statutam, & concessam. Ius autem ministrandi hoc Sacramentum sit diuinum, lege ordinaria concessum solis Episcopis, ergo non potest committi ex commissione Summi Pontificis alteri, quam Sacerdoti.

R. 4. Quamcunque Episcopum verè consecratum sufficientem ministrum esse huius sacramenti, etiamsi sit Hæreticus, excommunicatus, aut degradatus, ita vt Ecclesia nequeat facere quin sacramentū Confirmationis ab eo datum sub debita materia, forma, & intentione sit validum, etiamsi peccet illud administrando. Ratio est, quia cum Episcopus sit huius sacramenti Minister, neque ex eo, quod hæreticus sit, aut aliter ab Ecclesia præcisus desinat verè Episcopus esse, cū Episcopalis cõsecratio delebilis non sit, sicut nec est iterabilis, consequenter erit de se verus Confirmationis Minister, tamquam non priuatus ordine, neque Charactere, sed solum vsu illius legitimo. Cetera verò, quæ de Ministro huius sacramenti dici possunt, dicta sunt infra de sacramento Pœnitentiæ tractatu de ministro pœnitentiæ, qui à Deo immediatè habet facultatem.

De subiecto Sacramenti Confirmationis?

BRACTEA X.

R. Svbiectvm capax sacramenti Confirmationis est omnis, & solus homo baptizatus. Ita docet Magister *in 4. dist. 7.* S. Thomas *quæst.72.art.8.* Siluester *verbo Confirmatio num.4.* Nauarrus *cap.22 num.8.* Graffius *2.part.lib.1. cap.5. num.10.* Camerota *de Confirmatione cap.6.num.1.* & alij.

Sciendum olim quidem in more positum fuisse, vt Infantibus quoque post baptismum Confirmationis sacramentum conferretur, vt testatur Tertullianus *de baptismo cap.7.& 8.* Rabanus *lib.1. institutionum Clericorum cap.30.* & alij). Verum in plerisque Ecclesijs, nunc consuetudo est sacramentum Confirmationis solum conferre pueris, postquam ad rationis vsum peruenerūt, vt recordentur se hoc sacramentum recepisse, ne iterum recipiant, & hoc vsu receptum videtur, vt testatur Emanuel Sà *verbo Baptismus* Toletus *loco citato num.7.* Henriquez *cap.25.num.2.* Victoria *de Confirmatione n.48.* Petrus Ledesma *in summa de Confirmatione cap.7.*

An perpetuò amentes sint confirmandi?

BRACTEA XI.

R. Esse confirmandos, cum huius Sacramenti sint capaces. Ita Zambranus *de casu tempore mortis cap.2. dub.5.* Villalobos *in summa tom.1.tract.6 difficult.6.num.2.* Pitigianus *in 4. tom.1. dist.7.quæst.1.art.8.* Nugnus *in 3.part.quæst.72.art.8.* Filliucius *tom.1.tract.3.cap.2.num.38.* Layman *in Theol. moral.lib.5.tract.3.cap.5.num.3.* Ratio est, quia eiusmodi amentes cum spirituali fructu, & sine irreuerentia sacramentum Confirmationis suscipiunt, nisi constet aliquem mortali peccato obnoxium in amentiam incidisse. Secundò si spes sit vsus rationis recuperandum esse tantisper expectandum erit; tum etiam quia datur hoc sacramentum, vt augeatur gratia, cuius effectus amentes sunt capaces, expeditque, vt conferratur illis, vt habeāt maiorem gloriam.

An non confirmatus suscipiens in Confirmatione Puerum contrahat cognationem spiritualem?

BRACTEA XII.

R. Non contrahere, neque cum illo, neque cum parentibus eius. Ita Sanchez *de Matrimonio tom.2.lib.8.disp.60. num.19.* & cum eo plures citati. Vgolinus *de potestate Episcopi, cap.25.§. 1.num.2.* Fernandez *in examine Theologiæ moralis part. 3.cap.2.§.9.num.4.* Rebellus *part.2.lib.3.quæst.6.num. 6. & 7.* Reginaldus *in praxi tom.2. lib.31. cap.20.num. 157.* Basilius Pontius *de impedimentis matrimonij cap. 24.§.1.* & alij, *ex cap.in baptismate de consecrat. dist.4.* vbi sic habetur in baptismate, vel in Chrismate non potest alium suscipere in filium, qui non est baptizatus, vel confirmatus. Vnde sequitur eum grauiter peccaturum, quia redderet eam ceremoniam irritam, nec contracturum cognationem spiritualem.

An peccet, qui recipit primam tonsuram, vel ordines ante Confirmationem?

BRACTEA XIII.

R. Peccare, quia facit contra consuetudinem, & Præceptum, vt patet ex Tridentino *sess.23.cap.4. de reformatione*.

Sciendum quod multi Doctores existimant non peccare mortaliter recipiendo ordines sine Confirmatione. Ratio est, quia omissio Confirmationis non videtur peccatum de se mortale, præciso contemptu, nec præceptum Ecclesiæ videtur adeò graue, vt grauem culpam arguat in omittente, tum etiam, quia talis consuetudo nō videtur inducta sub mortali, neq; ex verbis Tridentinis colligitur obligatio grauis. Et ita Nauarrus *in manuali cap. 22. num.9.* Sotus *in 4. dist. 24. quæst.1. art.4.* Suarez *disp.38.sect.1.* Valentia *tom.4 disp.5 quæst.2. pun.3.* & alij plures.

Quænam dispositio requiratur in suscipiente Confirmationem?

BRACTEA XIV.

R. Dvo requiri: Primo, in adulto intentionem, in Infante verò rationis vsum non habente sufficit voluntas Christi, & Ecclesiæ: Secundò, requiritur Fides, vt sacramentum cum fructu recipiatur: Tertiò requiritur, vt susci-

suscipiens sacramentum sit in gratia, quia hoc sacramentum est per se institutum ad conferendam secundã gratiam: Vnde qui est in peccato mortali tenetur ipsum confiteri, si habeat copiam Confessarij, alioquin tenetur elicere actum contritionis. Ita S. Thomas 3. *part. quest.* 72. *art.* 2. Angelus, & Siluester *verbo confirmatio n* 4. Viualdus *de confirmatione cap.* 5. *num.* 12. & alij.

De Effectibus huius Sacramentis?

BRACTEA XV.

R. Effectum huius sacramenti primum esse gratię sanctificantis augmentũ, insuper actualis gratiæ auxilium, ac robur, tempore opportuno, conferendum, ad fidem Christi, constanter profitendam. Ratio est, quia cum omnia sacramenta conferant gratiam habitualem, cumque hoc sacramentum institutum sit ad protestandam fidem, debet per ipsum conferri gratia cum talibus auxilijs, quibus confirmatus constanter valeat fidem profiteri. Ita S. Thomas 3. *part. quest.* 72. *art.* 7. Siluester *verbo Confirmatio num.* 7. Tabiena *eodem verbo n.* 9. Pitigianus *dist.* 7. *quest.* 1. *art.* 14. S. Anton. 3. *part. tit.* 14. *cap.* 14. *num.* 5. Valentia *tom.* 4. *disp.* 5. *quest.* 1. *part.* 4. & alij.

R. 2. Secundum effectum sacramenti Confirmationis esse Characterem, qui supponit Characterem baptismi, & an talis Character sit qualitas noua, distincta re ipsa à Charactere baptismali, vel solum illius quidam modus, & perfectio videri potest Suarez *disp.* 34. *sect.* 1.

R. 3. Tertium huius sacramenti effectum esse cognationem spiritualem, de qua alibi tractauimus.

An quando dubitatur, an aliquis sit Confirmatus, iterum confirmari possit?

BRACTEA XVI.

R. Iterum confirmandum esse sub conditione si non est confirmatus, vt patet ex supradictis de sacramentis in genere, & de baptismo. Ita Suarez *disp.* 35. *sect.* 1. & alij.

An extet aliquod praeceptum suscipiendi Sacramentum Confirmationis?

BRACTEA XVII.

R. Diuinum præceptum nullum extare, ex eo, quod sacramentum istud ad salutem necessarium non sit sicuti notauit S. Thomas *quest.* 72. *art.* 8. Sed neque Ecclesiasticum hodie præceptum extare testantur Sotus *dist.* 7. *quest.* 1. *art.* 8. Victoria *de Confirmatione num.* 47. Couarr. 1. *resolut. cap.* 10. *num* 5. Abbas Panormit. *in cap. quanto num.* 4. Adrianus *in* 4 *de Confirmatione art.* 1. §. *Et si argumenta* Henriquez *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 6. Nauarrus *cap.* 22. *num.* 9. Zambranus *de Confirmatione num.* 4. & alij plures.

MALLEATIO IIII.

De Sacramento Eucharistiæ.

Post confirmatione ordo postulat tractare de Augustissimo Sacramento, quod à Diuino Dionysio vocatur consummatio Sacramentorum omnium, quia fontem, & auctorem gratiæ in se continet, & in isto eumdem ordinem seruabimus, quem supra secuti sumus, tractant de hoc Sacramento Patres Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioann. 6. & 13. *Theologi cum mag. distinct* 8. *S. Thomas quest.* 73. Canon. de *consecrat.* 2. Summistæ *verbo Eucharistia, & Communio; & quia Eucharistia habet rationem Sacramenti, & Sacrificij; idcircò prius agemus de ipsa, quatenus Sacramentum, & deinde quatenus Sacrificium; de partibus essentialibus sacrificij, valore, effectibus ipsius, Ministro, &c.*

Quibus nominibus hoc Sacramentum significari solitum sit?

BRACTEA I.

R. Varia esse huius sacramenti nomina indicantia dignitatem, & fructus eius. Primò enim dicitur à significatione sacramentum. Secundò mysterium, quia infinita penè mysteria in se continet. Tertiò viaticum. Quartò Eucharistia, idest bona gratia, vel quia significat futuram gloriam, quæ dicitur Dei gratia. Quintò dicitur sacrificium, vel hostia, quatenus significat passionem Christi, qui vt mortuus pro hominibus Deo Patri offertur in Missa viuorum, & mortuorum. Sextò dicitur sinaxis, seu communio, quatenus significat vnionem fidelium inter se, & cum Christo, tamquam vnius corporis membra vnita cũ Christo capite. Ita S. Thomas *quest.* 73 *art.* 4. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 1. Bellarm. *lib.* 1. *de Eucharistia cap.* 12. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 1. Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quest.* 1. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 1. Victoria *de Eucharistia n.* 52.

An Eucharistia sit Sacramentum?

BRACTEA II.

R. Certum esse de fide, Eucharistiam esse sacramentum. Est definitum in Concilio Latera-

Lateranensi *sub Innocentio III. can.* 1. in Concilio Florentino *in instruct. Armen.* & Tridentino *sess.* 7. *&* 13. idemque docent communiter Sancti Patres agnoscentes Eucharistiam esse sacramentum, & quidem praecipuum inter alia sacramenta, quod sumitur ad spiritualem refectionem. Ita Dionysius *cap.3. Ecclesiast. Hierarch.* Cyprianus *lib.2.epist.* Ambrosius 4 *de sacramentis cap* 4. Augustinus *epist.* 118. *cap.* 1. & alij communiter. Ratio est, quia Eucharistia est signum sensibile efficax gratiæ, institutum à Christo ad cultum Dei; & hanc veritatem non negant Hæretici nostri temporis.

Sciendum 1. sacramētum Eucharistiæ distingui ab alijs. Primò differt ex Alano *lib 1. de Eucharistia cap.*3. ex S. Thom. *art.*1. *hic, & alibi*; nam cum sacramentū dicatur, ex eo quod continet rem sacram, & hoc dupliciter dicatur vno modo absolutè, & altero relatiuè; Eucharistia dicitur sacramentum, quia continet rem sacram absolutè, idest Christum, qui est subiectum sanctitatis, reliqua vero dicuntur sacra, quia continent rem sacram relatiuè, idest virtute creatam sanctificandi homines. Secundò, sacramentum Eucharistiæ perficitur in cōsecratione materiæ; reliqua in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum, nam in illo forma applicatur materiæ, & illam consecrat; in ijs vero applicatur personæ, & simul cum materia illam sanctificant. Tertiò, in Eucharistia, forma, & materia transeunt, in alijs, quorum materiæ sunt substantiæ corporeæ, aqua, oleū, &c. sola forma transit, & materia manet immutata. Quartò, nec materia, nec forma sint partes sacramenti Eucharistiæ, sed sunt principia consecrationis, & confectionis illius, ac in alijs materia, & forma sunt partes illorum in fieri, & in facto esse. Quintò hoc sacramentum est effectus formæ, & consecrationis suæ, & ideo manet post desitionem materiæ, & formæ, & consequenter non consistit in actione, & applicatione, vel vsu materiæ, sicut cetera sacramenta, sed in re permanente. Sextò virtus productiua gratiæ in alijs sacramentis est virtus creata, siue qualitas superaddita, siue sit potentia obedientialis, formæ, & materiæ, & virtus huius sacramenti ad animas sanctificandas est corpus Christi, vt docet S. Thomas *hic, & 4. distinct. 8. quæst. 1. art.* 1 Caietanus *quæst.* 80. *art* 12. *quæst.*2. & Ledesma *quæst.*21. *art.*12. *dub.* 3. & alij. Postremò hoc sacramentum cæteris omnibus dignitate, & excellentia præstat, cum in se contineat fontem omnium bonorum, ratione cuius dicitur summa, & compendium omnium mysteriorum fidei, iuxta illud Psalmi; *memoriam fecit mirabilium suorum.*

Sciendum 2. cum ad hoc Diuinum mysteriū quatuor concurrant, nimirum consecratio panis, & vini. Secundò species ipsæ consecratæ. Tertiò corpus, & sanguis Christi sub speciebus contenta. Quartò vsus, & sumptio specierum. Dubium est, quod nam ex iis sit verè, & propriè sacramentum Eucharistiæ, de quo infra, &c.

An consecratio panis, & vini sit Sacramentum Eucharistiæ?

BRACTEA III.

R. Neque consecrationem, & sumptionem esse sacramentum Eucharistiæ, neq; sunt omninò sacramentum nouæ legis. Prior pars est communis omnium Doctorum. Ita Gabriel 4. *dist.* 8. *quæst.*1. *art.* 3 *dub.* 3 Marsilius de *sola consecratione, & de sola sumptione*, Aureol. apud Capreol. *quæst. vnica quæst.* 2. Ratio primæ partis est, quia in Concilio Florentino consecratio facit hoc sacramentum; quod idem docet Augustinus contra Faust. *cap.* 13. Ambros. 4. *de sacramentis cap.* 4. ex Concilio Tridentino *sess.* 13 *cap.* 2. *& cap.* 4. *& can.* 2. Dicitur de hoc sacramento, quod sit cibus spiritualis animæ; quod in illo manet Christi corpus, & sanguis peracta consecratione, quod ante vsum est verè, & propriè sacramentum; quod reseruatur, in sacrario adoratur; defertur ad infirmos, & circumfertur in processionibus, quæ nullo modo competunt consecrationi, ergo, &c. Ratio secundæ partis est, quia ex Tridentino Concilio *sess.* 7. sacramenta nouæ legis significant, & continent gratiam, eamque conferunt non ponentibus obicem, sed consecratio actiua, idest prolatio verborum, neque significat practicè, neque continet, neque efficit gratiam por applicationem sui ad suscipientem; vnde licet sanctificet materiam, quæ in Christi corpus, & sanguinem conuertitur, non tamen sanctificat hominem, significat enim tantum corpus Christi succedens substantiæ panis sub eius speciebus, quod non est satis, nisi id repræsentet, vt paratum, & ordinatum ad producendam gratiam in anima.

R. 2. Sacramentum Eucharistiæ verè, & propriè, neque est solum corpus, & sanguis Christi, neque solæ species, sed vtrumque simul. Est S. Doctoris 4. *dist.* 8. *quæst.* 1 *art.* 1 *& hic art.* 1. Caiet. *quæst.* 75. *art.* 1. Capreol. *dist.* 8. *quæst. vnica*, Alani *cap.* 4. *& 5.* Bellarm. *lib.* 4. *de Eucharistia cap.* 6. & aliorum, & probatur ratione, quod sacramentum Eucharistiæ, non sint solæ species, quia multi Patres vocant Christi corpus Eucharistiam, vel sacramentum, vt Ignatius *apud Theodoret. Dialog.* 3. Augustinus *epist.* 23. & alij, quorum auctoritates si non ostendunt solum Christi corpus esse sacramentum, saltem probant esse partem. Secundò illud est de ratione sacramenti Eucharistiæ, ob cuius sumptionem anima spiritualiter nutritur: est enim hoc sacramentum ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 2. cibus spiritualis animarum, & propter illius sumptionem confertur gratia, vt patet ex illis verbis; *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis, si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum*. Præterea ex Florentino Concilio verba sacramentalia conficiunt hoc sacramentum, quatenus illorum virtute conuertitur substantia panis in corpus Christi; ergo secundùm Concilium, saltem partialiter complectitur Christum, tum etiam quia hoc sacramentum adoratur cultu Latriæ ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 5. sed soli Christo, non speciebus, secluso Christo, debetur cultus Latriæ; ergo, &c. Sacramentum Eucharistiæ est aggregatum ex speciebus, & corpore, san-

& sanguine Christi. Ita S. Thomas *dist.* 8. *quæst.* 1. *art.* 1. Caietan. *quæst.* 75. & probatur ex *cap.* hoc est de consecratione *dist.* 2. vbi dicitur sacrificium Ecclesiæ constare visibili elementorum specie, & inuisibili Iesu Christi corpore.

Quomodo definitur Sacramentum Eucharistiæ?

BRACTEA IV.

R. Definiri sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animarum refectionem diuinitus institutum. Ita communiter omnes Doctores dicitur sacramentum loco generis, cætera verò ponuntur loco differentiæ, cum per hoc Eucharistia differat à reliquis sacramentis, quæ non consistunt sub speciebus panis, & vini, neque continent Christum, ex qua definitione colligitur ad sacramentum Eucharistiæ spectare corpus Christi, & species consecratas, vt supra dictum est, cum Eucharistia consistat sub speciebus panis, & vini consecratis. Ita Coninchus *3. par. quæst.* 73. *art.* 1 *num.* 2.

Sciendum in hoc sacramento esse illa tria communia omnibus sacramẽtis nempè sacramẽtum tantũ, res *tantum*, res & sacramentum: primò enim sacramentum tantum species sunt, quia tantum significant, & sunt sensibiles: secundò res tantum est gratia, quæ est effectus: tertiò res & sacramentum est Christus, qui ex modo, quo continetur sub speciebus, & significatur, significat gratiam, vt reficientem animam, in quo distinguitur ab alijs sacramentis, nam illa consistunt in vsu materię hoc in facto esse, intrinsecè pendent à Ministro, hoc verò nequaquam.

Quo tempore fuit institutum Sacramentum Eucharistiæ?

BRACTEA V.

R. Fuisse institutum in vltima cęna, & est de fide in Euangelio, vt definitum in Clementina vnica, in Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. & 2. Fuit ergo institutum prima die Azimorum, quãdo Christus tradendus erat, vt patet Lucę 22. Marci 14. Matthæi 26. quo tempore panis fermentatus non reperiatur in omnibus finibus Israel iuxta præceptum Exodi 12. & 13.

Sciendum triplicem cęnam egisse Christum illa nocte cum Discipulis. Primã legalẽ Agni, quæ erat vetus, & figuratiua secundam mysticam sui corporis, & sanguinis, quæ fuit noua, & figurata. Tertiã vsualem, seu communem, in qua Iudas intinxit manum cum Christo in paropside: sacramentum institutum esse ante cęnam vsualem, & ita S. Thomas super Matthæũ, Eutimius, & Liranus, Damascen. *lib.* 1. *cap.* 14. & alij, quia sic omnia conuenientissimo ordine connectuntur, vt primùm quidem inchoatum sit à legali ad præceptum seruandum, & præmittendam figuram veritati, quæ proximè sequi debuisset.

An Deus poterit ante Christi incarnationem ponere Christum in Sacramento Eucharistiæ?

BRACTEA VI.

R. Regulariter negatiuè, ratio autem colligitur ex hoc discursu. Primò, non decuit institui ante incarnationem. Ratio, quia Eucharistia significat Christum præsentem, nõ futurum, & non decebat prius Christi corpus sacramentaliter existere, quàm naturaliter.

R. 2. Ex potentia Dei absoluta potuisse Deum ante Christi incarnationem ponere Christum in sacramento Eucharistiæ. Ita Sotus *distinct.* 10. *quæst.* 4. Pitigian. *dist.* 10. *quæst.* 4. *art.* 3. Angles de *Eucharistia quæst.* 4. *art.* 5. Ratio est, quia nullam dicit implicantiam, quia Deus potuisset speciali miraculo creare corpus, anima rationali informatum, illudque Verbo Diuino vnire, & in solo sacramento Eucharistiæ constituere.

An Sacramentum Eucharistiæ sit vnicum?

BRACTEA VII.

R. Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini est vnicum, integrum, & perfectum sacramentum. Ita S. Thomas *quæst.* 73. Allensis *par.* 4. *qu.* 3. *mẽbr.* 1. & 2. S. Bonauentura *in* 4. *dist.* 8. *art.* 2. *quæst.* 2. Durãdus *ibidem quæst.* 1. *num.* 10. Ricardus *art.* 1. *quæst.* 2 Paludanus *quæst.* 1. *art.* 2. Ratio est, quia in sacramentis non est requirenda vnitas naturalis, aut materialis, sed tantum moralis ex Christi institutione ad vnum finem, & effectum; & ideò licet ad hoc sacramentum concurrant duo diuersæ materiæ panis, & vinum, ex quibus sacramentum conficitur duæ cõsecrationis formæ, quarum vna per se efficit Christi corpus, altera verò sanguinem: item species panis, & species vini; tamen hoc sacramentum censetur perfectum, atque vnicum, morali vnitate, ac perfectione, quatenus significat vnum sacrificium cruentum, quod Christus in cruce, sanguinis sui effusione, & animæ à corpore separatione consummauit. Secundò hoc sacramentum est vnicum, & perfectum, quatenus in se continet vnum Christum, verum Deum, & hominem, constantem carne, & sanguine. Tertiò vnicum, & perfectum est sacramentum ratione vnius effectus, videlicet gratiæ sanctificans, quam in vtraque specie per modum spiritualis refectionis perfectè significat. Quartò vnicum, & perfectum est hoc sacramẽtum, quatenus symbolum existit Ecclesiasticæ vnitatis iuxta illud ex Apostolo 1. *ad Corinth.* 10. Vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & vno calice participamus. Quintò sacramentum hoc vnicum est, atque perfectum, quatenus per vtramque eius speciem simul significatur plena Cęlestis gloriæ societas, in cuius pignus Eucharistia præbetur.

An

An Eucharistiæ Sacramentum sit necessarium ad salutem tantum, quia sit præceptum Diuinum, an etiam quia sit medium necessarium omnibus, tàm paruulis, quam adultis?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM (vt dictum est alibi) posse esse aliquid necessarium ad finem consequendum vno modo, vt præceptum, alio modo, vt medium, siue hoc in nullo alio priori virtualiter, & implicitè includatur, quomodo est necessarius ad salutem actus, vel habitus caritatis, siue in alio priori includatur, vt includitur votum confessionis in contritione, ex Tridentino *sess.*14.*cap.*4 Deus voluit alligare suam gratiam contritioni in ordine ad sacramentum.

Sciendum 2. duplex esse discrimen inter medium, & præceptum, quod medium ita ordinatur ad finem, vt directè, siue in re, siue in voto habitum, attingat consecutionem finis, præceptum enim confessionis tãtum attingit finem, quatenus eius executio impedit peccatum, quod impediret consecutionem finis.

Sciendum 3. aliud esse præceptum in re, aliud in voto. In re est, quando adest commoditas exequendi ipsum præceptum: in voto est cum deest commoditas exequẽdi præceptum, quod eo tempore præcipitur. Quibus positis.

R. Eucharistiam in re nullo modo esse paruulis necessariam, neque necessitate medij, neque præcepti. Est de fide definitum in Tridentino *sess.* 2. *cap. & can.* 4. vbi dicitur paruulos rationes vsu carentes nulla necessitate teneri ad Eucharistiæ sumptionẽ, & in *cap.* omnis vtriusque sexus de pœnitentijs, & remissionibus, solùm ijs, qui ad annos discretionis peruenerunt imponi præceptũ Eucharistiæ sumendæ, quod non sit necessaria paruulis necessitate medij, patet ex Patribus *epist.*25. *& 3 de peccatorũ meritis cap.* 4. & ex alijs. Quod verò non sit necessaria necessitate præcepti, patet etiam, quia nullũ prçceptũ imponitur carẽti vsu rationis, ergo, &c.

R. 2. Eucharistiam in re, vel in voto non esse necessariã adultis necessitate medij. Ita S. Thomas 3 *par. qu.* 73. *art.* 3. Reginald *lib.* 29 *n.* 8. Barthol. ab Ang. *dialog.* 4. §. 20. Suarez *disp.* 40. Angles de *Eucharistia quæst.* 2. *art* 9. Ratio est; quia illud est necessariũ necessitate medij ad salutem, quo prætermisso salus nõ obtinet, sed prtermisso Eucharistię sacramẽto ab adultis, salus obtineri potest; ergo, &c. Quod non sit necessaria necessitate medij in voto constat, quia potest aliquis adultus saluari absque susceptione Eucharistiæ, ergo Eucharistia non est simpliciter necessaria necessitate medij in voto, cum illud dicatur necessarium in voto ad salutẽ, sine quo salus non obtinetur, cum autem sine sacramẽto Eucharistiæ salus obtineatur, etiamsi nihil aliud assumatur loco Eucharistiæ, sequitur sacramentum Eucharistiæ non esse necessarium necessitate medij in voto. Ita Coninchus *q.* 73. *art.* 3 *num.* 38 & alij.

R. 2. Eucharistiam adultis baptizatis esse necessariam necessitate præcepti, & probatur ex scriptura Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis non solùm Christus Dominus ex Tridentino *sess.* 22. *cap.* 1. præcipit Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, eorumq; successoribus; vt Christi corpus, & sanguinem offerrent, sed etiam ex eodem *sess* 13. *cap.* 2. præcepit, vt nos in tanti sacramenti sumptione coleremus ipsius Christi memoriam. Præterea *Ioann.* 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c.* quem locum cõtinere præceptum Diuinum de manducatione sacramentali corporis, & sanguinis Christi, & non esse sermonem de manducatione Christi spirituali per fidem, & charitatem, vt docent Sancti Patres Cirillus, Chrisostomus, Teophilatus, Hilarius, Leo Papa, Damascenus, Ciprianus, Basilius, Epiphanius, & alij apud Maldonatum *Ioann.* 6.

R. 3. Res huius sacramenti est omnibus adultis, & paruulis necessaria necessitate medij. Est communis omnium Doctorum. Ratio est, quia res huius sacramenti est gratia, prout nos incorporat Christo, & vnit cum alijs membris in eodem corpore Ecclesiæ mystico, & prætcrea vt attingens gloriam extremam, & consequenter proprius huius sacramenti effectus est vnitio cum Christo in eodem corpore, & nutritio, seu conseruatio vitæ spiritualis, atq; adeò perseuerantia in gratia, sed gratia tàm vnitiua, quàm vt conseruatiua est necessaria ad salutem necessitate medij, ergo, &c.

Quando præceptum sumendi Eucharistiam obliget?

BRACTEA IX.

R. PRIMO præceptum sumendi Eucharistiam ex prçcepto Diuino obligare in articulo mortis. Ita Sotus *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 11. Suarez *disp.* 69 *sect.* 3. & patet ex antiqua Ecclesiæ cõsuetudine, vt dicit Concilium Nicænum in *cap. de ijs* 26. *quæst.* 6. Cum iam iam morituris obseruetur regula legis antiquæ, vt non fraudentur necessario viatico. Secundò obligare hoc præceptum sumendi Eucharistiam, quando quis peruẽnit ad annos discretionis perfectæ, quando nimirum nõ recepit adhuc hoc sacramentum, & est capax, si enim nullam habeat rationabilem causam differendi, videtur probabile, quod peccet mortaliter, Ratio est, quia cùm sit medium moraliter necessarium, si quis illud non recipiat, cum commodè potest, erit negligens in re graui, & consequenter peccabit.

R. 2. Præcepto Ecclesiæ esse communicandum semel in anno sub mortali, est præceptum expressum in *cap.* Omnis vtriusque sexus de pœnitentijs, & remissionibus, immò antiquitùs impositum erat fidelibus sępiùs communicandi, sed refrigescente charitate, & crescente fidelium numero præceptum Ecclesiasticum restrictum fuit ad vnam vicem in Paschate.

Sciendum nomine Paschatis nõ intelligi solum diem ipsius resurrectionis Iesu Christi, sed tempus quod incipit à Dominica Palmarum vsque ad octauam Paschæ, vt ait Azorius 1. *par. lib.* 7. *cap.* 41. *quæsit.* 2. Siluester *verbo Eucharistia num.* 6. Caietan. *verbo communio* Tabiena *verbo communicare num.* 38. Angles *quæst.* 2. *art.* 9. Rodriquez in

summa cap.64.de communione num.1. Suarez *disput.70. sect.2.* & sic est in vsu in Diœcesi Ciuitatis Taurinensis, vel etiam intelligi tempus à Dominica Quadragesimæ vsque ad octauam Paschæ, vbi legitima consuetudine preceptum est, quia præcepta humana obligant, quatenus recepta sunt. Ita Nauarrus *cap.21.num.45.* Henriquez *lib. 8.cap.5.nu.1.* Azorius *loco cit. quæst.4.* Bartolomæus ab Ang. *dialog.4.§.216.* & alij.

An transgreßor huius præcepti in Paschate liber maneat ab obligatione vsque ad sequens?

BRACTEA X.

R. Non remanere liberum ab obligatione communicandi, sed teneri adhuc transacto tempore Paschali, quamprimum commodè potest communicare. Ita Suarez *disp.70.sect. 2.* Siluius *quæst.80. art.11.* Camerota de *Eucharistia cap.10.dub 2.* Azorius *1.par.lib.7.cap.41.quæsit.5.* Pitigian. *dist. 9. quæst.3. art. 9.* Nugnus *quæst.89 art.11. diffic.2.* & alij. Ratio est, tũ quia sumptio Eucharistiæ absolutè præcipitur, saltem semel in anno, & tempus Paschatis non est positum ad finiendam obligationem, sed ad ipsam sollicitãdam, & ad non prorogandam communionem vltra tempus Paschatis: quod tempus iudicatur magis conueniens adimpletione præcepti: quando autem applicatur tempus in fauorem præcepti, ne vltra differatur, elapso eo tempore non cessat obligatio, ergo elapso tempore Paschatis non cessat obligatio communicandi, cum communio non apponatur in fauorem diei, idest Paschatis, sed dies in fauorem communionis, ne vltra differatur, licet plures Doctores sequantur opinionem contrariam, cum teneant preceptum communionis esse in fauorem dierum Paschalium, quibus transactis cessare obligationem præcepti, & ita Sotus *dist.18. quæst.1.art.4.* Valentia *tom. 4. disput. 6. quæst.8.par.4.* Henriquez *lib.8.cap.5.num.1.* Medina *lib. 1. cap. 14. num.42.* & alij.

An qui præuidet se ita impediendum in Paschate, vt intra determinatos dies nequeant communicare, teneatur communionem anticipatè sumere?

BRACTEA XI.

R. Non esse obligatum communionem anticipatè sumere, dummodo habeat intentionem satisfaciendi præcepto, quamprimum potuerit. Ratio est, quia ante prædictum tempus preceptum communionis determinatè nõ obligat, sed indeterminatè tantũ, Ita Suarez *disp.70.sect.2.dub.3.* Azorius *loco citato, quæsit.vlt.* Pitigian. *dist.9. quæst. 3. art. 9.* Secus dicendum est de eo, qui in Hebdomada Sancta aduertit se non posse Paschalibus, & determinatis diebus communionem percipere ob superuentura impedimenta, cum enim tunc temporis afficiatur obligatione præcepti, & possit illud adimplere, dicendum est obligari communionem anticipare, vt satisfaciat precepto. Ita Auctores, & Emanuel Sa *verbo Eucharistia.*

An qui in Paschate communicauit indignè, satisfaciat præcepto?

BRACTEA XII.

Sciendum quædam præcepta obligare materialiter, & formaliter, siue (vt alij loquuntur) secundum rem, & modum, vt præceptum confessionis, recitandi Diuinum officium, audiendi Missam, alia præcepta obligare tantummodo materialiter, & non formaliter, siue secundum rem, & non secundum modum. Quibus positis.

R. Satisfacere præcepto communionis, qui diebus Paschatis indignè suscipit sacramentũ Eucharistiæ. Ratio est, quia tale præceptum obligat solummodo materialiter, & secundum rem, & substantiam actus, non autem formaliter, & secundum modum ipsius actus, & licet communicans indignè sacrilegium faciat, tamen quoad substantiam implet præceptum Ecclesiæ. Ita Azorius *tom.1.lib.7.cap.41.quæst.12.* Suarez *in 3.par.tom.3.disp.70.sect.2.* Lopez *par.1.cap.11.§. reuocari*, Pitigianus in *4.tom. 1. dist.9 quæst.3.art.10.* Facundez *præcept.3.lib.1.cap.6.num.4.* & alij.

An quilibet fidelis poßit Eucharistiam sumere tempore Paschatis in Cathedrali?

BRACTEA XIII.

R. Affirmatiue, modo sit subditus illius Diœcesis, nam Ecclesia Cathedralis videt cõis illius Diœcesis Ecclesia, cũ ibi resideat communis illius Diœcesis Pastor, qui potest proprius Sacerdos appellari illius Diœcesis.

Sciendum quemlibet fidelem posse, inuito Parocho, Episcopum adire pro sacramentis suscipiendis, cum ipse sit primarius Pastor, & Curatus ouium suæ Diœcesis. Ita *cap. Quæcumque. 10.quæst.1.& cap. Præcipimus 12.qu. 1.* & omnes communiter in *cap.* Omnes vtriusque sexus de pœnitentijs, & remissionibus.

An Laici inseruientes Religiosis debeant tempore Paschatis communionem sumere in propria Parochia?

BRACTEA XIV.

R. Laicos inseruientes Religiosis exemptis à cura Parochorum, non obligari sumere communionem tempore Paschatis in propria Parochia, sed satisfacere præcepto, si ipsam percipiant in locis, in quibus degunt. Ratio est, quia videntur exempti à Parochia, tum etiam quia sicut ibi possunt sepeliri, inconsultis Parochis, ita etiam videntur ibi posse sacramenta sumere, vt apertè colligitur ex ijs, quę tradit Sanchez *lib.3.de matrim.disp.23.num.12.*



An melius sit frequentius communionem sumere, quam rarò?

BRACTEA XV.

R. Regulariter melius esse frequentius communionem sumere, quam rarò, tum ex vberrimis fructibus, qui ex Eucharistiæ sacramento præcipiuntur, tum quia communicare cum debita dispositione est opus meritoriũ, quod quò magis frequentatur, tanto melius est. Ita S. Thomas *3 part. quæst. 80.* Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 8. p. 4.* Henriquez *lib. 8. cap. 53.* Camerota *de Eucharistia cap. 10. dub. 6.* Suarez *disp. 69. sect. 4.* & alij, fieri tamen potest, vt aliquando melius sit abstinere à communicatione, quam communicare, & in isto casu quisque iudicio prudentis Confessarij se regulari debet.

An qui communicauit paulò ante, quam incideret in periculum mortis, teneatur ex vi diuini præcepti, iterum se communicare in articulo mortis?

BRACTEA XVI.

R. Non obligari se communicare. Ratio est, quia ideò tenetur se communicare in articulo mortis, vt se præparet ad transitum ex hac vita: cum autem sit iam præparatus ad huiusmodi transitum per Eucharistiam susceptam paulò antè quam incideret in periculũ mortis, non est amplius necesse, quòd se præparet per aliam sumptionem Eucharistiæ. Ita Barthol. ab Ang. *Dialog. 4. §. 79.* Angelus *verbo Eucharistia 3.* Tabiena *verbo communicare num. 16.* Suarez *disp. 69 sect. 9.* Coninchus *quæst. 80. art. 11. dub. 3. num. 98.* & ita Layman *in Theolog. morali lib. 5. tract. 4 cap. 5. num. 4.* Vbi sic asserit si infirmus vno duobus, tribus, vel etiam octo diebus, antequam in mortis periculum incidit, communicauerit, consulendum quidem ei est, vt iterum Eucharistiam per modum viatici accipiat, tamen ad id non obligatur, cum præceptum de Eucharistia ante mortem instantem sumenda secundum substantiam impleuerit. Ita Layman *loco citato*.

An qui sumpta Communione in articulo mortis commisit peccatum mortale, teneatur ex præcepto diuino iterum communicare?

BRACTEA XVII.

R. Negatiue. Ratio est, quia Eucharistia non est instituta per se ad delenda peccata mortalia, sicut instituta fuit Pœnitentia, consequenter vsus Eucharistiæ ita non obligat, sicut obligat vsus Confessionis. Ita Reginaldus *lib. 29. num. 65.* Henriquez *lib. 8. cap. 5. n. 3.* & alij plures.

An qui semel in periculo mortis constitutus Sanctam Eucharistiam per modum viatici accepit, perseuerante eadem infirmitate iterum accipere ipsam per modum viatici teneatur?

BRACTEA XVIII.

R. Posse infirmum in eadem infirmitate pluries accipere Eucharistiam per modum viatici, quamuis ad hoc non obligetur. Ita Layman *in tract. 4. cap. 5. de S. Eucharistia num. 4.*

Sciendum tamen ex ipso Layman *tract. citato cap. 6. num. 20.* qui docet inter sumptionem Eucharistiæ per modum viatici; & alteram faciendam ab infirmo, etiam per modum viatici requiri distantiam, seu interuallum sex dierum. Et ita Armilla *verbo communicatio num. 18.* Tabiena *numer. 54.* Henriquez *cap. 50. num. 1.* Zambranus *cap. 3. dub. 5.* Emanuel Sà *verbo Eucharistia nu. 5.* immò adiungit hæc verba quinimo existimo ob iustã causam, & puta si aliquis assuetus frequenter communicare, aut sacrificare propter deuotionem, ac desiderium difficiliter abstineat, permitti ipsi posse, vt altero statim die iterum S. Eucharistiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus, dummodò mortis periculum instare videatur. Ita Layman *loco citato*.

Sciendum 2. non modo ex præcepto diuino obligari fideles cõmunicare in articulo mortis, sed etiam obligari aliquando in vita sumere tale sacramentum. Ita S. Thomas *quæst. 80. art. 11.* Suarez *disp. 69. sect. 3.* Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 7. pun. 4.* Sotus *dist. 12. art. 11.* Ratio, quia Eucharistia est cibus spiritualis, qui necessarius est, non solum in morte, verum etiam in vita, iuxta illud *Ioann. 6.* Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. cum autem cibus non solum semel in vita sumendus sit, sequitur etiam Eucharistiam, non solum semel in articulo mortis, verum etiam aliquoties in vita obligare, tum etiam sicut in corporali vita necessaria nobis sunt, tum corporalis refectio ad confortationem corporis, tum antidota ad repulsionem morborum, sic etiam in vita spirituali, cui necessitati Christus Dominus noster, vt subueniret, sacramẽtum Eucharistiç instituit, & à nobis sumi autem voluit, prout Cõcilium Tridentinum expressit *sess. 13. can. 9.* Sumi autem voluit sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me*, & tamquam Antidotum, quo liberemur culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. Ita Reginaldus *lib. 29. quæst. 2. num. 61.*

Sciendum 3. non posse certam regulam assignari, nec tempora definiri, quibus per se obligant præcepta diuina ad communicandum, sed prudenti iudicio definienda esse, ita vt ipsorum exequutio nimium non differatur; nimium autem exequutio sumendi Eucharistiæ differri videretur secundum aliquos Doctores, si secluſa determinatione Ecclesiç, differretur per spatium trium annorum, &c. sed hæc difficultas videtur adepta, cum

quilibet

quilibet, præcepto Ecclesiastico, obligetur ipsam sumere semel in anno.

An quis possit semel in die pluries communicare?

BRACTEA XIX.

R. Non licere, imò prohibitum esse pluries in die accipere sanctam Eucharistiam, vt colligitur *ex cap. consuluisti. de celebratione missarum*, vbi sancitum est ne Sacerdos in die sæpius celebret, aut communicet, excepta natiuitatis solemnitate, aut priuilegio, aut particulari casu, qualis casus est, si periculum sit, vt sacramentum veniat in manus hæreticorum, vel comburatur, &c. vt bene ait Angelus *verbo Eucharistia 3. num. 39.* Vgualdus *de preparatione ad Eucharistiam num. 43.* Coninchus *quæst. 80. art. 10. nu. 83.* & alij, vnde à fortiori colligitur laicum, deuotionis causa, non posse sæpius in die communicare.

Sciendum 1. priuilegium celebrandi tres missas in die Natiuitatis Domini extendi solùm ad Sacerdotes celebrantes, non autem ad Sacerdotes, qui more Laicorum communicant, vt docet consuetudo.

An filius habens vsum rationis, si incidat in infirmitatem mortalem teneatur Communicare, quamuis antè non se communicauerit?

BRACTEA XX.

R. Obligari communionem percipere, & si antea non communicauerit, quia non habebat tēpus præscriptum ab Ecclesia ad cōmunicandum, & non solum ex Concilio, verum etiam ex præcepto. Ita Suarez *disp. 70. sect. 1.* Reginaldus *lib. 29. num. 84.* Ratio est, quia preceptum communicandi in articulo mortis est diuinum, & non fuit ab Ecclesia limitatum; cū autem præceptum diuinum obliget hominem præditum ratione teneri ex præcepto diuino communicare in articulo mortis, quamuis nōdum teneatur ex præcepto Ecclesiastico. Cōtrariam sententiam tuetur Nauarrus *cap. 21. nu. 57.* & alij, qui docent adolescentem non habentem tempus ab Ecclesia præscriptum, non teneri communicare in articulo mortis, nec ex præcepto diuino, nec Ecclesiastico, sed solum ex Concilio, modo nimirum puerile iudicium non habeat.

An extet aliquod Christi præceptum de sumenda Eucharistia sub vtraque specie?

BRACTEA XXI.

R. Nullum de ea re Christi præceptum extare, vt patet ex Tridentino *sess. 21. cap. 1.* vbi dicitur nullo diuino præcepto Laicos, & Clericos nō cōficiētes obligari ad Eucharistiā sumendam sub vtraque specie, & *can. 1.* dicitur *Anathema contrarium dicentibus*, neque contrarium colligitur *ex Ioann. 6.* Nisi manducaueritis, &c. quia verba illa sunt sub distinctione intelligenda Nisi manducaueritis, vel biberitis.

Sciendum prohibitum esse Laicis communicare sub vtraque specie, & Ecclesia Christi auctoritate, potest immutare, ac disponere ea, quæ pertinent ad vsum sacramentorum, salua eorum substantia. Ratio est, quia quæ ad accidentales modos, seu ritus sacramentorum pertinent, ea Christus non præcipit, sed Ecclesiæ disponenda reliquit: at vero communio sub vna, aut vtraque specie ad accidentalem tantum modum sumptionis S. Eucharistiæ spectat; ergo de ea Christus nihil præcipit, sed Ecclesiæ reliquit determinandum? vnde Tridentinum Concilium *cap. 2.* dicit Ecclesiam approbasse consuetudinem communicandi sub vna specie, quod egit ob has causas. Prima ad vitandas hæreses; Secunda ad vitanda pericula effundendi reliquias sanguinis, item corruptionis, si in sacrario asseruaretur, vel congelationis. Tertia ob difficilem vsum vini in regionibus septentrionalibus. Quarta ob Abstenios. Quinta vt Sacerdotes in hoc Laicis excellerent.

Sciendum posse Pontificem ex iusta causa dispensare, vt sacramentum Eucharistiæ sumatur sub vtraque specie, vt de facto dispensauit Clemens VI. cum Galliarum Rege, & Paulus III. cum Beomis sub conditione si ab errore discederent. Imperator etiam dum Coronatur sumit vtramque speciem. Item Diaconus solemniter ministrans Papę celebranti, & alij etiam, vt videre est apud Henriquez *cap. 44. §. 2.* & Suarez *disp. 71. sect. 3.*

An aliquando in mortis articulo, Sacramentum Eucharistiæ alicui negari possit?

BRACTEA XXII.

Suarez *disp. 69. sect. 3.* posse negari in penam alicuius criminis ad aliorum correptionem, dummodo tamen delictū, p quod priuatur sacramento sit publicum. Ratio est, quia obligatio illud sumēdi ad spiritualis vitę conseruationem, id non impedit, sicut nec obligatio sumendi communem cibum ad vitę corporeę conseruationem impedit quominus reus alicuius criminis possit illo priuari à Iudice: attamen contrarium vsum introducendum tamquam animarum saluti valde commodum, & opportunum meritò censuit Ecclesia; & ita *in cap. super eo de Hereticis in 6.* Viaticum dari præcipitur hereticis relapsis ante vltimum supplicium, si sufficientia signa fidei, & pœnitentiæ dederint, *& in cap. quæsitum 13. quæst. 2.* Idem statuitur de alijs, qui ob alia crimina morte plectuntur, si peccatorum suorum confessionem fecerint. Idcircò.

R. Nullo modo peccatori pœnitenti in articulo mortis denegandum esse viaticum. Ita Reginald. *lib. 29. de sacramento Eucharistiæ num. 70.* Ratio deducitur ex iuribus supra citatis.

An peccent Iudices, qui damnatis ad mortem non concedunt Eucharistiam?

BRACTEA XXIII.

R. Primo; præciso periculo notabili damni communis, Iudicem teneri reo concedere tempus communicandi. Ratio est, quia præceptum communicandi in articulo mortis est diuinum, & per consequens Iudex tenetur concedere tempus, vt damnatus satisfaciat precepto, tum etiam quia sic colligitur ex iuribus citatis, & ita etiam Henriquez *lib.8. cap.5. num.4.* Petrus Nauarrus *lib.2. de restitutione cap.3. num.225.* Reginaldus *lib.29. num.70.* Rodriquez *in summa cap. 68. num.1.* Suarez *quæst 69. sect.3.* tum etiam, quia est contra Charitatem priuare tanto fructu fideles in periculum animarum.

R. 2. Peccare Mortaliter Iudicem, qui absq; iusta causa non concedit damnato tempus communicandi, nisi ob ingens facinus statim quis esset suspendendus, vt illius exemplo alij terreantur. Ratio est, quia in materia graui facit contra Charitatem proximi absque causa, non concedendo tempus damnato communicandi. Ita Auctores citati.

Sciendum 1. Iudicem non teneri liberare reum nolentem confiteri, neque Eucharistiæ sacramentum sumere, quamuis certò sciat ipsum moriturum in peccato mortali. Ita Sotus *lib.5. de iustitia quæst.1. art.2.* Ratio, quia facile esset cuique vti ea vafritia, vt se impœnitentem fingat, tum quia punitio publica non refertur ad bonum eius, qui punitur, vt emendetur, sed in bonum publicum vt cœteri terreantur: bonum autem publicum præferendū est priuato, neque in ea re bonum spirituale postponitur bono temporali, nam ea quoque ratione consulitur bono spirituali.

Sciendum 2. Reo expetenti, aut non recusanti, Iudicem teneri dare tempus confessionis, & sumptionis Eucharistiæ, vt patet ex Clementina *cum secundum de pœnitentia, & remissione.* Vbi præscribitur Episcopis, vt per excommunicationem compellant Iudices ad concedendum damnatis prædictum tempus, nec obstat, quod in prędicta Clementina solius mentio fiat Confessionis, nā quod dicitur de pœnitētia nō deneganda, dicendum etiam videtur de Eucharistia *ex cap. quod in te de pœnitentia, & remissione.* Ita Reginaldus *lib.29. num.73.*

R. 2. Iudices teneri reo concedere tempus sumendæ Eucharistiæ, etiamsi timeatur indè fore, vt eripiatur, & alii scandalizentur. Ita Siluester *verbo Iudex 5. quæst. 11.* Petrus à Nauarra *in cap.3. num.225. & 226. de restit.*

Sciendum Iudicem non teneri liberare à morte Reum, cui concessit sufficientem dilationem ad Pœnitentiam, & communionem, sed reus noluit pęnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentum sumere, ratio patet ex supradictis. Ita Sotus *de iustitia, quæst.1. art.2.* & supra citati Auctores.

Quæ sit materia remota Sacramenti Eucharistiæ?

BRACTEA XXIV.

R. Materiam remotam, ex qua hoc sacramentum conficitur esse panem, & vinum Ita definitur in Concilio Lateranen. *cap. firmiter* Florentino Concilio *in decreto Eugenij Papæ § tertium est sacramentum* & docet S. Thom. *quæst.74. art. 1.* & Scholastici communiter *in 4. dist.11.* Probatur tum ex communi vsu Ecclesiæ, & consensu Patrum, tum ex institutione huius sacramēti, & facto Christi, ea enim materia in hoc sacramento adhibenda est, quam Christus consecrauit, vt patet ex præcepto Christi *Lucæ 22. 1. ad Corinth.* Hoc facite in meam commemorationem, iuxta Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* sed Christus cōsecrauit in pane, & vino, ergo, &c.

Sciendum panem debere esse triticeum, non tantum ex necessitate præcepti, sed etiam ex necessitate sacramenti, vt in alia materia facta consecratio fit irrita. Ita Eugenius loco supra citato. Tertium est Eucharistię sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite. Et ita S. Thomas, & omnes Theologi communiter. Debet autem nomen tritici latè accipi, vt omne genus frumenti cōprehendat, quod ad conficiendum panem pro hominis victu communiter solet adhiberi, siue sit triticum, siuè sit selica, quia selica comprehenditur sub genere tritici, & est materia huius sacramenti, quia non differt specie à tritico, sed sit quoddam triticum imperfectum.

Sciendum 2. millium, auenam, far, & ordeum non comprehendi sub nomine tritici, quia specie differunt à tritico, & proinde non sunt materia huius sacramenti, cum ex ijs non soleat panis confici pro hominis victu, sed cū superaddito panis vocatur, idest non simpliciter panis, sed panis ordeaceus, & panis auenaceus.

Sciendū 3. quatuor concurrere ad materiam remotam huius Sacramenti. Primò vt ipsa materia absolutè denominetur panis vsitatus hominibus, nam si alio nomine nuncupetur, non præsumitur materia apta, quia videtur aliam naturam induisse. Secundò requiritur, vt sit confectus aqua naturali, cum panis aqua naturali confectus propriè dicatur panis ex quo colligitur farinam, lacte, mele, oleo, aqua rosacea, vel simili non elementari liquore subactam non esse sacramenti materiam; sicuti docet S. Thomas *loco citato art.7.* & Paludanus *in 4. dist.11. quæst.1. art.6.* nec massam farinaceam crudam, vel oleo, aut butiro frixam, vel aqua elixam, esse huius sacramenti materiam. Tertiò requiritur, vt sit coctus igne per modum assationis, vt in furno, aut sub cinere, aut ferro calido, aut alia simili ratione. Ratio est, quia panis, qui non est hoc modo coctus, propriè non dicitur Panis. Quartò requiritur, vt sit præsens moraliter, vt possit designari per particulā hic &, hoc, alioquin non verificaretur forma. Ita S. Thomas *quæst.75. ar.6.* Henriquez *lib.8. cap.9. num.2.* & alij.

Sciendum 4. licet rationabilior sit consuetudo Ecclesiæ latinæ consecrantis panes azimos,

mos, non tamen id pertinet ad necessitatem sacramenti, sed ex necessitate præcepti; quisque Sacerdos consuetudinem propriæ Ecclesiæ sequi debet, vt non solum latinus peccet, si in fermentato consecret, sed etiam Græcus, si in azimo quamdiu intra terminos Ecclesię suę commorentur. Ita S.Thomas *q.74. art.4.* Ratio est, quia quilibet Sacerdos in propria Ecclesia manens consuetudinem eiusdem seruare debet. Sacerdotem verò latinum nullo modo manens in Ecclesia latina posse consecrare in pane fermentato, nec etiam in necessitate, communicandi infirmum. Ratio est, tum quia sicut in tali euentu non licet sine vestibus celebrare, aut vasibus sacris, aut in altera tantum specie, aut fracto ieiunio; ita neque licet celebrare in fermentato.

An sit de necessitate Sacramenti, vt Sacerdos præsentem habeat materiam consecrandam?

BRACTEA XXV.

R. Materia consecranda debet esse præsens Sacerdoti, ita vt secundum communem loquendi modum possit demonstrari materia pronomine hoc, & dici præsens; ratio est quia in for[ma] Eucharistiæ est pronomen demonstratiuum, quod ostendit rem præsentem. Secundò, quia Ecclesia nunquam consueuit consecrare materiam absentem, tum etiam, quia alioquin esset falsa forma cõsecrationis; nam talis forma non nisi ad ea, quæ secundum communem loquendi modum, præsentia censentur refertur.

Sciendum non posse Sacerdotem consecrare hostiam existentem à tergo, vel post parietem, nisi fortè manu tangatur, quia verè non est præsens, nam nequit pronomine demõstratiuo designari. Secundo non requiri, vt materia videatur, nam Sacerdos cęcus dummodò aliquo sensu materiam percipere possit, vel relatione ministri certior de illa fieret, verè potest consecrare, vt ait Paludanus, & Sotus, & quia, quæ longè absunt, licet videantur, propriè non significantur pronomine demonstratiuo, hoc, idcirco nequeunt consecrari, quia quod valdè distat, magis propriè significatur per pronomen illud, quam per pronomen, hoc. Quanta autem propinquitas sit necessaria, vt distantia non censeatur nimia, nulla certa regula præscribi potest, sed moraliter id dijudicandum est, sic inspectis circumstantijs, quod pateat talem esse, vt dubitari nequeat, quin veritas, & proprietas formæ retineatur; certum est, inquit Sotus ad distantiam 10. passuum valere consecrationem, &c. Cœterum nihil consultius est, quam seruare in ea re communem Ecclesiæ vsum. Non requiri contactum: potest enim Sacerdos consecrare hostiam sub corporali, vel sub alijs positam, & similiter formulas inclusas in custodia, sicut, & vinum in calice cooperto, vt docet Sotus *art.2.* & Henriquez *lib.8. de Eucharistia cap.14.*

An de necessitate Sacramenti Eucharistiæ sit certa, & determinata materiæ quantitas?

BRACTEA XXVI.

R. Materiam consecrandam, neque quoad magnitudinem, nisi obstet distantia, neque quoad paruitatem, modò sub illa conseruetur substantia panis, & vini, determinari. Prior pars est communis SS. Doctorum. Ratio, quia quantitas materiæ non determinatur, nisi per ordinem, vel virtutem agentis, vel ad finem actionis, qui est vsus fidelium, vel ad formam, sed agens principale est Deus infinitæ virtutis; instrumentale verò homo, vt instrumentum Dei numerus verò fidelium est indeterminatus, & forma consecrationis potest verificari super materia præsente, quantumcunque magna. Dixi nisi obstet distantia, nam neque omnes panes existentes in foro possunt consecrari, quia non sunt omnes præsentes.

Secundum paruitatem verò nullam requirere determinationem, sed quantumcunque exiguam panis, vinique particulam consecrabilem esse, dummodo in ea conseruetur substantia panis, & vini, quæ possit conuerti in corpus, & sanguinem Christi: si tamen detur panis, aut vinum in tam parua quantitate, vt licet possit conseruari, non possit tamen demonstrari pro nominibus, hic, vel hoc, putat Suarez talem materiam non esse ad consecrationem aptam, cum sit insensibilis, & sicut minima aquę gutta negatur esse sufficiens Baptismi materia, quia moraliter loquendo non valet ad vsum ablutionis, ad quem aqua in Baptismo instituitur, sic insensibilis particula panis, aut vini neganda sit materia esse sufficiens Eucharistiæ, quia moraliter loquendo non valet ad vsum, ad quem panis, & vinum in ea instituuntur. Ita Reginaldus *lib.29 num.17.* Coninch *quæst.74 art.2. dub.2. num.7.* Nugnus *quæst. 74. art.2.* Maior. *dist.11. quæst 3.*

R. 2. Licet materia consecranda, ratione quantitatis non sit determinata, quoad magnitudinem, vel paruitatem, ratione tamen intentionis consecrantis debere esse determinata. Ita Siluester *verbo Eucharistia 2. quæst. 6.* Henriquez *lib.8. cap.14. num.5* Suarez *disp. 43. sect. 6.* Coninch *3. par. quæst 74 art.1. dub 3. num.32.* Tolet. *lib. 2. cap.25 num.6.* Vasquez *3 par. disp.71* Ratio est, quia actiones sunt singularium, & circa materiam singularem, ergo ad hoc vt Sacerdos operetur consecrationem, oportet quod per intentionem applicetur eius actio ad determinatam materiam in singulari, tum quia in alijs sacramentis requiritur intentio Ministri determinata: ergo similiter in hoc sacramento requiretur determinata consecrandi intentio hanc, vel illam materiam in particulari, & probatur, quia pro nomine demonstratiuo hoc, nisi certè determinata materia designari debet, non est tamen necessarium, cum Sacerdos plures hostias cõsecrare statuit, vt certo numero eas designet, sed satis est, si totum id, quod antè se habet, consecrare intendat. Quod si tempore consecrationis putat se habere tantum vnam hostiam in manibus, & habeat duas, tunc si Sacerdos intendebat consecrare totum, quod

erat in manibus, vtraque est consecrata: si verò tantum intendebat consecrare illam, quam videbat, & quam putabat esse vnam tantum, prior est tantum consecrata, & non posterior sicut etiamsi Sacerdos habeat ante se plures hostias, siue particulas consecrandas, & ex illis quinque tantum consecrare intendat, illas tamen animo non definiat, nullas esse consecratas, & similiter si intendat consecrare medietatem, & illam non designet, cum non sit maior ratio, cur vna medietas sit consecrata, & non altera, cum neutra sit designata. Validam esse consecrationem quoad omnes hostias, quando quis plures hostias detulit ad altare, etiamsi in actu consecrationis recordetur solùm illius hostiæ. Ratio est, quia dicitur habere intentionem determinatam ad omnes hostias virtualiter. Ita Angelus *verbo Eucharistia nu. 25.* Viualdus de *sacramentis in genere cap. 3. num. 9.* Nauarrus *cap. 25. nu. 91.* Graffius *1. par. lib. 2. cap. 46. num.* 8. & alij. Hostias verò, quas v.g. Sacristasi inscio Sacerdote consecrandas apposuit in corporali, non esse consecratas. Ratio est, quia non sunt determinatæ in mente Sacerdotis. Ita Coninchus *3. par. quæst. 74. art. 1. dub. 3. num. 39.* Bartholomæus ab Ang. *dialog. 5.* §. 380. & alij.

An vinum, quod est materia Calicis, de vite esse debeat?

BRACTEA XXXII.

R. Materiam remotam sacramenti sanguinis esse vinum ex vite, Ita definitur in Concilio Tridentino, idque testatur S. Thomas *quæst. 74. art. 5.* & perpetua Ecclesiæ praxis, & probatur ex scriptura *Matth. 26.* vbi post calicis consecrationem subditur: *Amodo non bibant de hoc genimine vitis.* Quibus verbis notat Chrisostomus *Homil. 83. super Matthæum* apertè indicatur calicem consecratum à Christo fuisse ex vino vitis. Ratio peti debet ex institutione, ac significatione sacramenti calicis requirentis, vt materia eius sit potus, cum fuerit institutum ad refectionem spiritualem. Refectio autem optimè indicatur per vinum, & panem, cum vinum, & panis sint materia sufficiens ad reficiendum hominem.

Sciendum ex quolibet vino, siue albo, siue nigro, siue rubro, siue claro, siue obscuro, siue dulci, siue austero, siue forti, siue debili confici sacramentum Eucharistiæ. Ratio est, quia vtrumque est vinum ex vite, quamuis differant secundum qualitates, & accidentia. Ita Reginaldus *lib. 29. num. 23.* S. Thomas *3. par. quæst. 77. art. 8.* Sotus in *4. dist. 9. quæst. 11. art. 5.* Siluester *verbo Eucharistia 1. num. 5.*

Sciendum 2. vinum ex melo granatis, aut ex alijs fructibus, vel herbis, aut radicibus confectum non sufficere ad hoc sacramentum, quia non est simpliciter vinum, vt communis hominum existimatio, & vsus satis ostendit. Secundò succum vuarum etiam maturarum, antequam ex eis exprimatur non esse sufficientem materiam huius sacramenti, quia non est simpliciter vinum, nec est potabile, nam sumens vuas, in quibus ille tamquam pars continetur, non dicitur bibere, sed comedere. Tertiò mustum ex vuis maturis expressum sufficientem esse materiã sacramenti non tamen conuenientem, donec cõcoctione purgatum sit sordibus, & fæx subsideat. Ratio est, quia verè est vinum vim habens calefaciendi, & inebriandi, & est potabile, quamuis propter impuritatem non soleat inter homines in potum adhiberi. Quartò neque Omphacium, neque acetum validè consecrari potest, quia omphacium nondum naturam vini consecutum est; acetum verò est vinum substantialiter corruptum, ac putrefactum; potest tamen confici hoc sacramentum ex vino acescente, licet peccet, qui extra necessitatem vtitur vino acescente, si vinum ita vertat ad acetum, vt dubitetur, an sit verè acetũ, quia exponit se periculo consecrandi in materia indebita, & non sufficienti. Ita Pitigianus *dist. 11. quæst. 7. conclus. 6.* Viualdus de *Eucharistia cap. 3. num. 4.* Bartolomæus ab Ang. *dialog. 4.* §. 343. Victoria de *Eucharistia conclus. 59.* Quod idem dicendum est de eo, qui vtitur hostia valdè corrupta, vt formam, & saporem panis amiserit. Ita Auctores citati, & summa corona de *Eucharistia num. 20.*

Sciendum 2. vinum congelatum posse consecrari, quia congelatio non corrumpit substantiam vini, sicut nec olei, vel aquæ, vt signum est, quod liquefactum habeat effectus, & qualitates vini; ideòq; & naturam, nec refert, quod vinum congelatum non sit potabile, quia id solùm est per accidens, & ab extrinseco etenim per se, ac secundum interiorem [illegible] naturam est potabile, illudque extrinsecum impedimentum facilè tolli potest, sola scilicet liquefactione, tum etiam quia si species vini iam consecratæ congelentur, remanet sub illis sanguis Christi, ergo etiam potest in vino congelato sacramentaliter constitui.

An vino, quod est materia remota Sacramenti sanguinis sit admiscenda aqua?

BRACTEA XXVIII.

R. Vino vitis in celebratione Missæ à Sacerdote modicum aquæ admisceri debet, non ob necessitatem sacramenti, sed præcepti tantum Ecclesiastici sub peccato mortali obligãtis. Prior pars probatur ex perpetua Ecclesiæ traditione, itemque ex eiusdem Ecclesiæ præcepto, cuius meminit Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 7.* & rationem illius assignat ex Christi institutione, qui creditur aquam vino admiscuisse, tum ex significatione, quam habet talis admixtio, tàm effusioni, sanguinis, & aquæ ex latere Christi in cruce pendentis, quam coniunctionis fidelium cũ ipso Christo, quia, aquarum nomine, populi intelliguntur. Quod talis mixtio non sit necessaria necessitate sacramenti, patet, quia valida est consecratio facta sine admixtione aquæ. Ratio est, quia Christus indicans materiam huius sacramenti, non indicauit aquam, ergo signum est solum vinum esse de necessitate huius sacramenti, & aquam admiscendam esse solum ex præcepto Ecclesiastico. Et ita Magister in *4. dist. 11. cap. 7.* Suarez *disp. 47 sess. 2.* Pitigianus *dist. 11. quæst 7. dub. 3.* Vasquez *3. par. quæst. 79. cap. 2.* Sotus *dist. 9. quæst. 1. art. 6.* & alij.

R. 2. Peccare mortaliter Sacerdotem, qui prætermitteret hanc mixtionem, quia in re

grau i

graui propter egregias significationes, quas habet, faceret contra præceptum Ecclesiæ, sub grauibus pœnis impositum, & contra vniuersalem, & receptissimam totius Ecclesię consuetudinem.

Sciendum in tali mixtione, ad vitãdum peccatum seruandam esse ordinariam Ecclesiæ consuetudinem, ideòque illam aquam, quæ vino consecrando miscetur, debere esse veram, & elementarem aquam; qualis profluxit ex latere Christi, & non artificiosam loco naturalis iuxta *cap.* in quadam de celebratione Missarum, licet si aqua artificiosa misceatur, tenet consecratio, cum admixtio aquę non sit de necessitate sacramenti, grauiter tamen peccaret, qui, aquam artificiosam adhiberet, quia faceret contra præceptum Ecclesiæ in re graui. Ratio verò, cur aqua naturalis, & non artificiosa admiscenda sit est, quia aqua, quæ de latere Christi fluxit, fuit naturalis, tum quia Christus etiam vsus est aqua naturali. Ita Bartholom. ab Ang. *dialog.4 par.359.*

An mixtio aquæ cum vino sit de necessitate Sacramenti?

BRACTEA XXIX.

R. Non esse de necessitate sacramenti, sed de necessitate pręcepti Ecclesiastici, & nõ Diuini. Ita cõmuniter omnes cũ S. Doctore *hoc loco art.5.* Ratio est, quia nihil est de necessitate sacramenti materialiter, quod non remanet, neque secundum substantiam, neque secundum accidens, neque efficit, quod figurat, sed aqua mixta, neq; manet secundum illã substantiam, quia conuertitur in vinum, neque secundum accidens, quia non manent proprietates aquæ, neque aqua posita vino aliquid efficit; ergo, &c. tum etiam quia Christus indicans materiam huius sacramenti nõ indicauit aquam, ergo non est necessaria necessitate sacramẽti, sed pręcepti. Ita Vasq. *3.par.disp.176.cap.1.* Pesant. *3.par.qu.74.art.8.* Reginaldus *lib.29.n.26.* Tolet. *lib.2.cap.25.n.4.* Azorius *1. par. lib.10.cap.30. quæsit.1.* Graffius *2.par.lib.1.cap.6.num.17.* & alij.

Quæ quantitas vino est miscenda?

BRACTEA XXX.

R. Aquam debere misceri in modica quantitate, & patet ex Florentino Concilio dicente miscendum esse paululum aquæ, & aquam modicissimam: quare non modo non est apponenda maior quantitas vino, vt habetur *cap. Perniciosus de celebratione Missarum*, sed neq; æqualis. Ratio est, ne Sacerdos exponeret se periculo conficiendi in materia indebita, & ideò curare debet Sacerdos, ne quantitas aquę tertiam vini partem excedat, propterea sufficit qualibet guttula aquæ, dummodo sensibilis sit, quia sub qualibet guttã saluatur significatio, propter quam aqua adhibetur. Ita S. Thomas *quæst.74.art.8.* Coninch. *ibidem nu. 140,* & alij.

Quo tempore sit aqua vino admiscenda?

BRACTEA XXXI.

R. Standum esse consuetudini cuiuslibet Ecclesiæ, cum aliqui sint, qui statim ac accedunt ad altare, infundunt aquam vino, alij post Euangelium facta hostię oblatione, & ideò in qualibet parte Missæ ante consecrationem potest vinum infundi, & aquam misceri.

Sciendum, quod quando Sacerdos ex obliuione aquam non infudit, si aduertat ante cõsecrationem debere illam statim apponere, etiãsi sciat moraliter aquam nõ esse in vinum conuertendam, si verò peracta consecratione aduertat se aquam non apposuisse, non potest eam apponere. Ratio est, quia aqua est admiscenda vino, & non sanguini Christi, peracta autem consecratione est sanguis Christi, ergo, &c.

An aqua, quæ miscetur vino, immediatè conuertatur in sanguinem Christi?

BRACTEA XXXII.

R. Aqua non conuertitur in sanguinem Christi, nisi prius conuertatur in vinum. Est Innocentij *de celebratione Missarum cap. Cum Marta,* & patet, quia Concilium Florentinum, & Tridentinum *sess. 13.* dicunt vinum conuerti in sanguinem. De aqua autem si ita maneat, nunquam dicunt conuerti in sanguinem, ex qua auctoritate hæc ratio sumi potest, sola materia consecrationis est, quæ conuertitur in sanguinem, sed materia consecrationis solùm est vinum, cui aqua miscetur; ergo, &c. & confirmatur, quia Concilium Florentinum modicissimam aquam asserit miscendam vino, vt nimirùm aqua possit in vinum, & deinde in sanguinem transubstantiari; ergo aqua non immediatè conuertitur in sanguinem Christi. Ita S. Thomas *quæst.74.art.8.* Vasquez *3.par. disp. 178.cap.3.* Azorius *lib.10.cap.18.quæsit.1.* & alij.

Sciendum, quod licet aqua nõn conuertatur immediatè in sanguinem Christi, conuerti tamen mediatè, idest mediante vino, in quod aqua prius conuertitur, in sanguinem Christi. Ratio est, quia totum illud conuertitur in sanguinem Christi, quod est materia aptã sanguinis, & demonstratur per particulam Hic, sed aqua in vinum conuersa est materia apta sanguinis, & demonstratur per particulam Hic; ergo, &c.

An guttæ vini, quæ sunt in Calice separatæ à vino, quod est in fundo Calicis remaneant consecratæ?

BRACTEA XXXIII.

R. Non esse consecratas, & ratio est, quia intentio Ministri consecrantis est solùmodo consecrare omnem liquorem consecrabilem, qui per modum vnius continui in Calice continetur, sed guttæ sæparatæ non conti-

continuantur cum liquore, quem intendit Sacerdos consecrare; ergo non censentur consecratæ. Et ita Layman *tract.4 cap.2. de Eucharistia num.15.* Diana *tract.4 de sacramentis resolut.32.* Quod si Sacerdos haberet intentionem eas consecrandi tunc censerentur consecratæ, & ratio est, quia illæ guttæ sunt materia consecrationis.

An aqua, quæ ante consecrationem non fuit in vinum conuersa, conuertatur post consecrationem in Christi sanguinem?

BRACTEA XXXIV.

R. Non conuerti in sanguinem Christi, sed remanere in Calice secundum suam substantiam, cum huiusmodi aqua non sit materia sanguinis Christi, & Sacerdos nullam circa ipsam, vt sic consideratam habeat intentionem, nec demonstratur per particulam hic, quando formam profertur.

Sciendum Aquam, quę ante consecrationem non fuit in vinum conuersa, non adorari, quamuis coniuncta sit cum speciebus continentibus sanguinem Christi, cum aqua non contineat sanguinem Christi. Ita Henriquez *cap.12.num.4.* Siluester *verbo Eucharistia 1. num.3.* & alij. Quod si dicatur quid fiat de illa aqua, quæ post consecrationem remanet sub speciebus vini, dicendum est conuerti in vinum si tandiù remaneat admixta speciebus vini, quādiu sufficit ad conuersionem. Ratio est, quia species, quæ remanent post consecrationem habent vim productiuam vini, ac si sub illis adesset substantia vini. Ita Valentia *tom 4 disp. 6 quæst.5.* Reginaldus *lib.39.num.36.* Camerota *de Eucharistia cap 6.dub.55.* Suarez *disp.57. sect.1.* & alij ab ipso citati.

De forma Sacramenti Eucharistiæ?

BRACTEA XXXV.

R. Essentialis forma verborum, quibus Corpus Christi per se conficitur hęc est, Hoc est corpus meum. Ita S. Thomas *q.78. ar. 1.* & communiter omnes Doctores, & ita traditur *in cap. cum Marthæ, de celebratione missarum cap. cum corpus, cap. re vera, cap. accesserunt de consecr. dist.2.* & colligitur ex Matthæo *cap.26. ex Marco 14. Luc.22. & ex 1. Corinth.11.*

Sciendum omnia alia verba præcedentia consecrationē, nimirū qui pridie quam pateretur, & similiter illud verbum, enim, non esse de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti, & ideò peccaret grauiter, qui contra vsum Ecclesiæ, ea omitteret, vel ex data opera, vel ex crassa negligentia. Ita Viuald. *tit. de forma,* & alij communiter.

Sciendum 2. differentiam esse quoad formam inter Eucharistiam, & reliqua sacramēta, quod hæc, quia in vsu consistunt, non sint nisi tempore illo, quo extat ipsorum forma: Eucharistia verò remaneat, etiamsi forma ipsius transeat, quoniam est quid permanens, quod potest essentiam suam retinere, etiam sublata forma. Ita Reginald. *lib.29.cap.3. de forma sacramenti Ecclesiæ,* & alij.

An validè conficiatur Sacramentum, quando verba consecrationis variantur?

BRACTEA XXXVI.

R. Cum distinctione, quod si variatio formę substantialiter mutet sensū propositionis, non confici sacramentum, si verò accidentaliter solum mutet sensum propositionis, validè conficere sacramentum, quamuis grauiter peccet, qui variat formam accidentaliter, nisi forsan excusetur ratione paruitatis variationis, pręciso tamen contemptu. Ita Suarez *disp.59. sect.2.* Henriquez *cap.16.nu.2.* Graffius *2 part. lib.1. cap.8. num.3.* & alij.

Sciendum illum validè consecrare, qui vtitur verbis sinonymis essentialiter non mutantibus sensum, vt si dicatur hic cibus, est corpus meum, vel hęc res, est corpus meum, vel istud, est corpus meum, similiter, si variatio formæ contingat in mutatione alicuius litteræ in fine verbi, vt si dicatur Hoc est corpus meus, vel hic est corpus meus, modo particula hic non accipiatur aduerbialiter, sed loco pronominis. Ratio est, quia subsistit adhuc significatio formæ, licet erretur contra præcepta Grammaticæ. Ita Suarez *loco citato*, & alij communiter, similiter si dicatur Hoc est caro mea, validè consecratur, & ratio est, quia perseuerat essentialiter sensus propositionis cum etiam in scriptura caro accipiatur pro toto homine, vel pro toto hominis corpore, nam dicitur Verbum caro factum est, & alibi caro mea requiescet in spe. Ita Henriquez *cap. 16. num.2.* & alij. Si verò dicatur in consecratione. Hoc est corpus Christi, tunc non confici sacramentum, quia essentialiter variatur verborum sensus, cum hæc verba non proferantur in persona Christi, sicut proferenda sunt. Ita S. Thomas *in 4. dist.8. quæst.2. art.1.* & alij, similiter non confici sacramentum si dicatur. Hic panis est corpus meum, quia substantialiter mutatur sensus formæ, vt si dicatur etiam hoc fit corpus Christi, vel fit corpus meum, quia mutatur essentialiter sensus formæ; cum exprimatur consecratio in fieri, & non in facto esse, sicuti etiam, si dicatur illud est corpus meum, vel hoc sit corpus meum non validè consecratur, cum sensus formæ substantiali ei mutetur.

De forma Sacramenti sanguinis?

BRACTEA XXXVII.

R. Essentialis forma verborum, quibus sanguis Christi per se conficitur in his solis verbis cōsistit Hic est calix sanguinis mei. Ita cum magistro *in 4. dist.8.* Doctores Ecclesiastici Valentia *tom.4. disp.6. quæst.6. part 1.* Bellarminus *lib.4. de Eucharistia cap.14.* Suarez *disp.60 sect.1.* Vasquez *disp.198. cap 3.* Henriquez *lib 8. cap.17. n. 2.* & alij. Ratio est, quia verba illa plenè, ac sufficienter significant conuersionem vini in sanguinem Christi, eiusque realem, & permanentem præsentiam; ergo, eandem etiam efficiant.

Sciendum 1. duo notanda esse. Primò verba illa

ba illa formæ: Hic est Calix sanguinis mei. Hunc sensum faciũt hic est sanguis meus, contentus in Calice, & dicendo Hic est Calix, significatur sanguinem adesse tamquam potabilem. Ita S. Thomas *quæst.78, art.3.* Suarez *disp.60. sect.3.* Secundò illa verba noui, & æterni testamenti, &c. ad essentiam formæ, ad sacramenti necessitatem non pertinere, tamen sine graui peccato omitti nequeunt, quia, & ab Ecclesia Romana in Canone missæ studiosè obseruantur, & à Christo ipso omnia dicta fuisse, partim ex scriptura, partim ex traditione habetur, sicut docet Innocentius in cap. cum Martha.

An Sacerdos debeat habere intentionem consecrandi his tantum verbis Hic est Calix sanguinis mei?

BRACTEA XXXVIII.

R. Ad euitandos scrupulos Sacerdotem debere se remittere intentioni Ecclesiæ dicendo omnia illa verba, quibus ipsa vtitur, & proponit proferenda ad corpus, & sanguinem Christi consecrandum. Ita Scotus *in 4. dist.8. quæst 2.* Victoria *de sacramentis num.74.* & alij.

Sciendum 1. omnia verba Canonis incipiendo à cui pridie, vsque ad vndè, & memores Domine, dicuntur à Sacerdote historicè, seu recitatiuè: sola autem verba, quæ vtrique formę essẽtialia sunt, videlicet hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei, dicuntur non tantum materialiter, & recitatiuè, sed etiam formaliter significatiuè, & assertiuè. Ita S. Thomas *quæst 78. art.5.* quam sententiam S. Chrisost. expressit *Hom 83. in Matth.* & S. Ambr. *lib 4. de sacramentis cap.4.* his verbis quando peruenit Sacerdos ad conficiendum sacramentum, iam nõ suis, sed vtitur sermonibus Christi, & quando profert verba essentialiter, quibus sacramentum conficitur, non simpliciter refert, quod Christus dixerit, sed ipsemet quoque induens personam Christi dicit, & facit, quod ille in commemorationem suam, ac rappresentationem Sacerdotes facere præcepit, quod docet Florentinum Concilium *in decreto Eugenij §. tertium est*, Forma ipsius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit sacramentum, Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum, nam ipsorum virtute substãtia panis in Corpus Christi, & substantiæ vini in sanguinem conuertuntur. Ita Concilium Florentinum *loco citato.*

Quid designetur in forma Sacramenti Eucharistiæ per illas particulas hoc, & hic?

BRACTEA XXXIX.

R. Illas particulas hoc, vel hic significare confusè contentum sub speciebus, ita vt sensus sit, hoc quod continetur sub speciebus est corpus meum, & ideò Doctores dicunt particulam hoc directè, & primariò significare contentum sub speciebus, secundariò verò respicere accidentia panis, & vini, quæ sensibus subijciuntur. Ita videtur sentire S. Thomas *quæst 78. art.5.* Pesant. *ibidem disp.3.* Henriquez *lib.8. cap. 19. num.1.* & alij, quos sequitur Suarez *disp.58 sect.7.* contra plures asserentes particulam hoc explicandam esse transitiuè, ita vt sensus sit hoc, idest panis, est corpus meum, idest fit corpus meum: quæ sententia videtur reijcienda, quia sequeretur vi verborum consecrationis Christum produci sub speciebus, ex præxistente subiecto, nimirum ex substantia panis.

Sciendum particulam, hoc, dupliciter considerari, primò per se, vt est simplex quidam terminus, & vt sic non habet determinatam significationẽ, sed vagam, & indeterminatam: secundò potest considerari, vt est terminus, & subiectum huius propositionis. Hoc est corpus meum, cuius est significatio determinatur à prædicato, & facit vnam integram significationem cum verbo, & prædicato, cum ante prolationem verbi, & prædicati nondum sit completa essentia, & significatio propositionis.

Sciendum 2. particulam, hoc, non significare contentum sub speciebus pro eo signo, & tempore quo ipsa particula profertur, siuè consideretur, vt terminus, siue vt subiectum propositionis consequenter non posse pro eo signo, quo profertur significare panem, quia tunc non habet determinatam significationem, sed suspensam, donec determinetur à prædicato, idest ab illo verbo corpus meum, à prędicato autem determinatur ad significandum id, cui conuenire potest prædicatum. Cum autem hic cui prædicatum conuenit sit Corpus Christi, quod continetur sub speciebus, statim prolato prædicato sequitur illam particulam hoc significare Corpus Christi, & supponere pro corpore Christi, quod continetur sub speciebus, ita vt sensus sit Hoc quod continetur sub speciebus est corpus Christi.

Quid operentur verba consecrationis?

BRACTEA XXXX.

R. Certum esse de fide virtute verborum formæ huius sacramenti prolatorum à Sacerdote loquente in persona Christi fieri conuersionem panis, & vini in Corpus, & sanguinem Christi, quæ conuersio dicitur transubstantiatio, idest transitus substantię panis, & vini in substantiam Corporis, & sanguinis Christi, & sic definitur in Tridentino *sess.13. cap. 1.* vbi decernitur in almo Sanctissimæ Eucharistiæ sacramento post panis, & vini consecrationem Dominum Nostrum Iesum Christum verum Deum, atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie rerum illarum sensibilium contineri: Et ita communiter omnes Doctores, & hoc apertè indicant verba Christi. Hoc est Corpus meum, hic est Calix sanguinis mei, quæ nequeunt aliter explicari, nisi dicamus sub speciebus panis, & vini existere Christum verum Deum, & hominem.

An

An post consecrationem nihil omninò panis, & vini remaneat?

BRACTEA XXXXI.

R. Post consecrationem nihil omninò panis, & vini manere, sed solum accidentia ipsorum, nempè quantitatem figuram, colorem, saporem, & reliqua, idque absque subiecto, à quo sustententur, ita vt per nullam substantiæ inhærentiam, præter naturalem ipsorum conditionem diuinæ virtute existant miraculosè. Ita *ex cap. species, & cap. nos autem de consecratione dist. 2. & cap. firmiter de summa Trinitate*, & est de fide, & ita docent omnia Concilia, & omnes Doctores.

Sciendum quod ex vi verborum formę, & consecrationis sub specie panis, contineri Corpus Christi, & sub specie vini sanguinem eiusdem. Ipsum verò Corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, sicut, & animam sub vtraque contineri vi naturalis illius coniunctionis, & concomitantiæ, qua, partes Christi Domini, qui surrexit à mortuis non amplius moriturus inter se copulantur, contineri quoque diuinitatem propter ipsius admirabilem cum eodem corpore, & anima vnionem hypostaticam.

Quomodo Christus sit sub speciebus panis?

BRACTEA XXXXII.

R. Christum Dominum non esse in sacramento tamquam in loco, sed modo quodam speciali, proprio huic sacramento. Ita cōmuniter omnes Doctores. Ratio patet, quia communiter omnes dicunt, quod corpus Christi est in diuersis altaribus, non sicut in diuersis locis, sed sicut in sacramento; tum etiam quia non est in sacramento præsens per modũ corporis, sicut est præsens, quod est alicubi, sicut in loco, vnde ex loco, & locato non fit vnum aliquid, sicut fit vnum sacramentum ex speciebus, & corpore Christi.

R. 2. Christus Dominus continetur sub speciebus sacramentaliter, seu per modum substātiæ. Prior pars est de fide, posterior est S. Doctoris *quæst. 76.* Caietan. *ibidem*, Soti *dist. 9. quæst. 2. art. 4.* & patet ex Tridentino *sess. 13. can. 1.* vbi dicitur in sanctissimo Eucharistiæ sacramento corpus, & sanguinem Christi contineri substātialiter, tum etiam ex verbis Christi *Ioann. 6. Qui manducat me, & ipse viuet propter me; ego sum panis viuus, &c.* ex quibus verbis cũ apertè constet Christũ esse sub speciebus, cōstat etiam ipsum existere secundũ substantiam sub qualibet specie, nam corpus Christi est perfectum: cum autem corpus Christi existat sub qualibet specie, decet ipsum esse totum quoad substantiam sub qualibet specie. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 27. num. 4.* Bellarm. de *Eucharistia lib 3. cap. 22.* Reginaldus *lib. 29. num. 37.* Vasquez *tom. 2. disp. 188. num 2.* & alij.

Sciendum Christum, quoad substantiam, & accidentia nō solùm existere sub qualibet specie, verùm etiam sub qualibet parte specierum, dummodo illa pars sit sensibilis. Ratio est, quia corpus Christi existit per modum substantiæ sub qualibet parte speciei, sub qua antea erat panis, cũ succedat in ipsius locum, sed sub tota hostia, & sub qualibet parte hostiæ erat panis, ergo, &c. Ita S. Thomas *3. par. quæst. 76. art. 2.* Sotus *in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 2. & 3.* Vasquez *3. par. disp. 88. cap. 3.* Bartolomæus ab Ang. *dialog. 4. §. 244.* & alij communiter.

Sciendum 2. officium quantitatis duplex esse, vnum distinguere, & ponere ordinem inter partes corporis, alterum est extendere easdem partes in ordine ad locum; ita vt vna pars sit extra eum locum, in quo est altera. In Eucharistia quantitas corporis Christi est solùmodo priori modo, non autem posteriori, consequēter Christus dicitur existere sub speciebus, modo spirituali per modum substantiæ spiritualis, non autem modo quantitatis. Ita S. Thomas *3. par. quæst. 26. art. 4.* Henriquez *lib. 8. cap. 25. num. 2.* Toletus *lib. 2. cap. 27. num. 4.* Vasquez *disp. 44. cap. 2.* Pitigianus *dist. 10 quæst. 1. art. 4.* Valentia *disp. 6. qu. 4. par. 1.* Victoria de *Eucharistia num. 64.* & alij.

Quomodo præsentia corporis, & sanguinis Christi dependeat à sacramentalibus speciebus continetur?

BRACTEA XXXXIII.

R. Dependere, tum quoad conseruationem in Eucharistia, tum quoad locum, & loci mutationem. Ratio primæ partis patet ex Diuo Thoma *quæst. 80.* & Suarez *disp. 54.* quia tandiù sub talibus speciebus conseruatur præsentia corporis, & sanguinis Christi, quandiù illæ conseruantur, illisque corruptis desinit eadem præsentia. Ratio secundæ partis patet etiam, quia corpus Christi ratione specierum censetur determinatè esse, in quo sunt eæ ipsæ species. Tertia pars probatur etiam, quia corpus Christi per accidens mouetur ad motum specierum, cum quibus eam connexionem habet, vt cum præsentibus præsens sit, quo fit, vt idipsum corpus rectè dicatur eleuari, portari, aliquo, ore sumi, & in stomacum traijci, recludi alicubi, porrigi alicui ab eo, qui circa species sacramentales talia facit mouendo eas.

Quid sit transubstantiatio?

BRACTEA XXXXIV.

R. Transubstantiationem nihil aliud esse, quā transitũ vnius substātiæ in aliā substātiā, qua trāsubstantiatione tria concurrunt. Primò desitio prioris substātiæ, v. g. substantiæ panis, eo quod præcedens substantia desinat simpliciter ad positionem alterius substantiæ. Secundò includit terminum, à quo huius transubstantiationis, quæ est substantia panis, quæ desinit esse. Tertiò terminum ad quem, quæ est substantia corporis Christi, quæ vi verborum consecrationis incipit esse.

R. 2. Christum constitui sub speciebus panis, & vini per trāsubstantiationē panis in corpus, & vini in sanguinem. Ratio colligitur ex Tridentino *sess. 13. cap. 4.* vbi dicit totam substātiam panis, & vini conuerti in corpus, & sanguinem Christi, & nihil substantię panis remanere, quā conuersionem totius substantiæ panis, & vini conue-

conueniẽter, & propriè appellatur trãsubstantiatio, nam transubstantiatio nihil aliud est, quam transitus substantiæ in substantiam, & hoc est conuerti vnam substantiam in aliam.

An transubstantiatio, seu conuersio, qua panis substantia conuertitur in Christi corpus, sit actio, vel illam includat?

BRACTEA XXXXV.

SCIENDVM transubstantiationem dupliciter sumi: primò passiuè: secundò actiuè. Transubstantiatio passiuè sumpta, seu conuersio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, nihil aliud est, quam successio vnius substantiæ totalis, ob alterius totalem desitionem in ipsam sub eius accidentibus. Actiuè verò sumpta, nihil aliud est, quam actio positiua, per quam species, virtute verborum adiuncta, prædictam efficiunt successionem. Quibus positis.

R. Transubstantiationem actiuam esse actionem accidẽtalem, vel illam includere, qua substantia panis desinit esse sub speciebus, & incipit esse substantia corporis Christi. Ita Henriquez *lib. 8. cap. 22.* & alij.

Quando nam incipiat esse corpus Christi sub speciebus?

BRACTEA XXXXVI.

R. CORPVS Christi incipere esse sub speciebus panis, &c. in vltimo instanti prolationis verborum, quia tunc verba prolata significant corpus Christi esse sub speciebus, in quo completur essentialiter significatio verborum, sed hæc completur in vltimo instãti prolationis formæ; ergo, &c. Ita S. Thomas *3. par. quæst. 77 art. 7.* Victoria de *Eucharistia num. 60.* Henriquez *lib. 8. cap. 25.* & alij.

An quando corpus Christi desinit esse sub speciebus adsit aliqua mutatio?

BRACTEA XXXXVII.

R. QVOD quando Christus desinit in Eucharistia, aliquo modo mutatur accidentaliter, non substantialiter, accidẽtaliter quidem, quia desinit esse præsens sacramentaliter. Præsentia autem est accidens reale, siue sit modus, siue relatio; non substantialiter, quia hæc mutatio est tantum priuatiua loci, & ideo accidentis.

Sciendum Christum non deserere species, nisi quando succedi, alia substantia, tunc enim sicut non maneret substantia panis, ita nec Christi corpus, quod eius loco successit; quando autem desinit esse Christus, tunc creatur præcedens materia, vel alia, ad hoc vt possit fieri noua generatio illius rei, quæ corruptis speciebus generatur. Ita S. Thomas *art. 7.*

Quomodo post consecrationem remaneant accidentia?

BRACTEA XLVIII.

R. POST consecrationem accidentia panis, & vini remanere sine subiecto, & ideo dicitur mysterium fidei, quia aliud est, quod sensibus percipitur, & aliud quod fide creditur.

Sciendum species, quæ remanent post cõsecrationẽ posse agere, & pati vt ante. Primò enim agunt in sensus nostros, & imprimant eandem sui notitiam, sicut antea. Secũdò possunt alterare, vt calefacere, frigefacere, sicut antea, itẽ corrumpere substantiam, & generare; idque virtute prioris substantiæ, vel Dei supplentis, vices substantiæ.

Quomodo Christus sit in hoc Sacramento adorandus?

BRACTEA XLIX.

R. PRIMO esse adorandum cultu interno, & externo, ac si esset in propria specie. Ita colligitur ex Concilio Tridentino *cap. 5. can. 6.* & est de fide. Ratio est, quia legè naturali; & diuina tenemur adorare Deũ, at hic est Deus, ergo, &c. Quod interno, & externo cultu sit adorandus, patet, quia sic docet vsus Ecclesiæ, ex *cap. sane de celebratione Missarum.*

Sciendum hoc sacramentum esse adorandum adoratione Latriæ. Ratio est, quia est sacramentum vnum constans ex Christo, & speciebus, Christus autem adorandus est adoratione Latriæ, & est de fide. Et ita communiter omnes docent, ergo etiam hoc sacramentum adorandum adoratione Latriæ.

Sciendum 2. duplex esse præceptum de huius sacramenti adoratione: primum negatiuum, quo prohibemur iniuriam, aut irreuerentiam facere huic sacramento, & hoc semper obligat: secundum affirmatiuum exhibendi honorem, quod obligat tantum certo, & determinato tempore. Primò, quando occurrit occasio, ita vt eam prætermittere sit virtualis quidam contemptus. Secundò, quando accedimus ad sacrificandum, & quando fideles communicant, quando proponitur adoranda publicè, vt cum eleuatur in Missa, vel occurrit in via, secluso autem formali contemptu, & scandalo huiusmodi omissiones non sunt peccata mortalia propter materiæ leuitatem.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ?

BRACTEA L.

SCIENDVM Eucharistiam dupliciter sumi posse. Primò sacramentaliter, quod duobus modis contingit. Primo sine effectu; vt cum quis cum conscientia peccati mortalis recipit hoc sacramentum, quia tunc non recipit effectum ipsius. Secundò sacramentaliter, & cum effectu, vt cum quis sine mortali culpa recipit sacramentum, quia tunc non modo ipsum recipit,

pit, sed nec etiam effectũ ipsius. Secundò spiritualiter, quo pacto dicuntur Christum sumere, qui vniuntur Christo per effectum, & cupiunt Christum actu suscipere. Quo posito.

R. 1. Augumentum gratiæ esse effectum sacramenti sacramentaliter sumpti, & est de fide ex Tridentino *sess. 13. cap. Sunt*, & in *cap. Firmiter de summa Trinitate cap. Cũ Martha de celebratione Missarum*, & fundatur in scriptura *Ioann. 7. Qui manducat me, ipse viuet propter me, &c. Qui manducat meam carnem, &c. & qui manducat hunc panem, viuet in æternũ*. & ita Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 5. pun. 1.* Henriquez *lib. 8. cap. 15.* Reginaldus *lib. 26. num. 138.* Victoria de *Eucharistia num. 76.* & alij communiter.

Sciendum Eucharistiam conferre speciale auxilium ipsum sumentibus ad peccata vitanda. Ita S. Thomas *quæst. 79. art. 3.* & colligitur ex Tridentino *sess. 13. cap. 2.* vbi docet hoc sacramentum esse institutum, vt antidotum, quo à mortalibus præseruamur: id autem fit per auxilia specialia, & actualia, quæ Deus confert ad peccata vitanda: an verò conferat primam gratiam. Respondeo ipsam non conferre immediatè, formaliter, & per se, sed solummodo mediatè, quatenus disponit, & mouet suscipientem ad actum contritionis, & dilectionis, quibus prima confertur gratia.

An recipiens Eucharistiam cum peccato veniali recipiat augumentum gratiæ habitualis?

BRACTEA LI.

R. Ipsum augumentum recipere. Ratio est, quia peccata venialia incompatibilia nõ sunt cum gratia, & charitate, consequenter non impediunt gratiæ, & charitatis augumentum, quamuis in susceptione sacramenti non obtineatur remissio illorum venialium, quæ actu committuntur, dum suscipitur sacramentum. Ita Sotus *dist. 11. quæst. 2. art. 8.* Victoria de *Eucharistia num. 76.* Petrus Ledesma *de Eucharistia cap. 10.* & alij.

Sciendum Eucharistiam non solùm à mortalibus præseruare, verùm etiam à venialibus liberare, modò non adsit ipsorum complacentia, aut in ipsa sacramenti susceptione non cõmittantur, quæ remissio dupliciter potest contingere. Primò ex opere operato conferendo remissionem absque actuali dispositione, quæ per se sufficiat ad illa tollenda. Secundò mediatè excitando feruorem charitatis, per quem peccata venialia delentur.

R. Non modò hoc sacramentũ à mortalibus præseruare, & à venialibus liberare, verũ etiã remittere pœnam, quæ pro peccatis debetur nõ ex opere operato, sed iuxta valorem actus. & dispositionem sumentis. Secundò mediatè, quatenus Eucharistia excitat ad actum charitatis, per quem remittitur pœna iuxta quantitatem feruoris, ex quo patet communionẽ pro defunctis sumptam valere tantũ ex opere operantis, est enim actus religionis satisfactorius, meritorius de congruo, & per modum impetrationis, in quo habet hoc sacramentum specialem efficaciam excitando feruorem charitatis.

Quo tempore conferatur huiusmodi effectus?

BRACTEA LII.

R. Primum effectum conferri in ipsa sumptione, & manducatione, idest quando aliqua pars hostiæ, & sanguinis deglutita est, & peruenit ad ventriculum. Ratio est, quia hoc sacramẽtum confert gratiam per modum nutrimenti, sed cibus nutrit quando transmittitur ad stomachum, ergo sacramentum Eucharistię confert gratiam quando transmittitur ad stomachum, quia in eo instanti verum est dicere nunc deglutitum est, aut potatum est. Ita Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 7.* Angles *de Eucharistia quæst. 3. art. 11.* Henriquez *cap. 43.* Suarez *tom. 3. disp. 63. sect. 4.* & alij.

An si communicans sit in peccato mortali, tunc temporis, quo manducauit aliquam partem hostiæ, sed statim actum eliciat contritionis, antequam reliquas partes manducet recipiat gratiam?

BBACTEA LIII.

R. Negatiue. Ratio est, quia totus effectus Sacramenti producitur per sumptionem primæ, & notabilis partis ipsius, sed communicans in sumptione primæ, & notabiliori parte sacramenti non erat ad gratiam recipiendam dispositus, ergo ipsam non recepit, tum etiam, quia licet illę sumptiones partium sint Physicè diuersæ, tamen moraliter est vna sola sumptio sacramenti, & effectus ipsius applicatur sumptioni primæ partis. Ita Bonacina *de sacramento Eucharistiæ quæst. 4. pun. 2. num. 4.*

An qui retinent species Sacramentales in ore, recipiant gratiam?

BRACTEA LIV.

R. Qui diù hostiam retinent in ore, ita vt species antequam deglutiantur, corrumpantur non recipere fructum Eucharistiæ. Ratio est, quia Eucharistia nõ producit suum effectum, nisi per modum nutrimenti, & per applicationem factam suscipienti, sed quando corrumpantur in ore, non applicantur tunc suscipienti, nec per modum nutrimenti accipiuntur, ergo Eucharistia tunc non producit suum effectum, quia non dicitur Eucharistiam deglutire, & manducare iuxta illud, qui manducat me, & ipse viuet propter me.

De Ministro Sacramenti Eucharistiæ?

BRACTEA LV.

R. Ordinaria potestas ministrandi Sanctam Eucharistiam Christiano populo solis Sacerdotibus competit ex Christi institutione. Ita ex Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 8.* S. Thomas *quæst. 82. art. 3.* Richard. *in 4. dist. 13. art.*

quæst.

quaest.3. Siluester *verbo Eucharistia 3. quaest. 4.* Henriquez *lib.8. cap.54.* Suarez *disp.72. sect.1.* & ratio est, quia soli Sacerdotes ratione suæ ordinationis, atque ex officio potestatem habent supra corpus Christi conficiendum, consequenter etiam alijs dispensandum.

Sciendum quemlibet Sacerdotem, eo ipso quod characterem habet Sacerdotalem validè, etiamsi non semper licitè posse Eucharistiam consecrare, siuè sit peccator, siuè iustus, siuè hæreticus, vel Schismaticus, siue excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus, siuè irregularis, aut degradatus, dummodo integrè proferat formam super debitam materiam, idque cum intentione faciendi, quod Christus instituit. Ita Valentia *tom 4. disp.6. quest.10. p.1.* Toletus *lib.2. cap 28. num.11.* & ratio est, quia tunc ex parte materię, & formæ nihil deest, nec item ex parte ministri, nec ex parte intentionis, neque ex parte potestatis, quæ sequitur characterem impressum in susceptione ordinis, neque ea amittitur, sicut nec idem character, qui indelebilis est, ex Concilio Tridentino *sess.7. de sacramentis in genere can.9. sess.23. cap.4.*

An plures Sacerdotes simul possint eamdem Hostiam consecrare?

BRACTEA LVI.

R. Posse simul eamdem hostiam consecrare, si integrè proferant formam, & quisque habeat intentionem consecrandi, ac si solus proferret formam. Ratio est, quia ille plurium concursus non impedit, quominus adsint necessaria ad conficiendum sacramentum, nempè materia, & forma debita, cum sufficienti potestate, & intentione ministri.

Sciendum, quod si vnus ante alios proferat formam, his solus consecrauit, quia forma integrè prolata, non suspendi potest consecrationis effectus, cum verba sacramentalia ad modum causæ physicæ necessario operentur, itaut eorumdem verborum prolatione, & significatione absoluta sequatur effectus. Ita S. Thomas *quest.82. art.7.* Coninchus *ibidem* Nugnus *ibidem* Henriquez *cap.54 num.1.* Suarez *disp. 61. sect.4.* & alij.

An Diaconus possit ministrare Sacramentum Eucharistiæ?

BRACTEA LVII.

R. Ordinarium Ministrum, & deputatum ad ministrandum Eucharistiæ sacramentum esse Sacerdotem, in casu verò necessitatis aliquando posse esse Diaconum, vt in articulo mortis. Ita S. Thomas *loco citato art.3.* Rodriquez *in summa cap 64.* Toletus *lib.2. cap.28. num.11.* Petrus Ledesma *de sacramento Eucharistiæ cap.9.* Suarez *disp.62. sect.1.* & alij, licet hoc tempore ob Sacerdotem copiam non sit amplius in vsu quod Diaconus Eucharistiam administret.

Sciendum secundum aliquos Doctores non solum Diaconum, verum etiam Subdiaconum iure diuino, & naturæ, vel etiam Laicum posse sacramentum Eucharistiæ in articulo mortis administrare sibi, vel alijs consequenter Laicum, qui non potest in articulo mortis Eucharistiam sumere à Sacerdote, posse sumere per se ipsum, aut alijs administrare. Ratio est, quia iure diuino non requiritur persona ministrans hoc Sacramentum sit distincta ab accipiente. Ecclesiæ tamen consuetudo hodie repugnat, quominus extra sacrificium aliquis seipsum communicet, & ita Henriquez *lib.8. cap.54* Emanuel Sà *verbo Eucharistia num 4.* Viualdus *de Eucharistia sacramento de vsu, & administratione num.3.* Camerota *de Eucharistia cap.9. dub.3.* Victoria *de Eucharistia, num 84.* & alij. Ratio est, quia non est tanta necessitas Eucharistiæ sumendæ, vt Laicus, aut alius, qui non est Sacerdos, vel saltem Diaconus possit propria auctoritate in articulo mortis sibi sacramentum ministrare, tum quia sicuti hoc tempore non videtur in vsu, vt Diaconus Eucharistiam administret multo minus videtur concedendum alteri, qui non sit initiatus ordine Sacerdotali, solus igitur Sacerdos est ordinarius minister sacramenti Eucharistiæ.

An Sacerdos, præciso Missæ sacrificio possit seipsum communicare?

BRACTEA LVIII.

R. Affirmatiue modo non adsit alius Sacerdos, qui sibi administret, nec adsit scandali periculum. Ratio est, quia Sacerdos, (vt dictum est) est minister ordinarius huius sacramenti, & ad ipsum spectat ipsum ministrare, nec alienum ius vsurpat sibi Eucharistiam administrando. Ita Suarez *disp.72. sect.3.* Rodriquez *in summa cap.64.* Viualdus *de Eucharistia cap.10.* & alij.

An ad communicandum fidelem ob solam deuotionem Sacerdos possit frangere hostiam?

BRACTEA LIX.

Negatiuam sententiam tenet Zanardus *in directorio Confessariorum part.1. de sacramento Eucharistiæ cap.9. quest.15.* Ratio est, quia Sacerdos totam hostiam debet sumere *ex cap. relatum de consecratione dist.2.* His non obstantibus.

R. Posse Sacerdotem præbere partem hostiæ ei, qui ex deuotione vult communicare. Ratio est, quia sacrificium non desinit esse perfectum per administrationem huiusmodi particulæ. Ita Barthol. ab Angelo *de Missa dialog.3. §.589.* Angelus *verbo missa num.27.* Emanuel Sà *verbo Eucharistia, num.15.* S. Antoninus *3 part. tit.13. cap.6. num.3.* Camerota *de Eucharistia cap.9. dub.7.* vnde Sanctius *in selectis disp.22. num.21.* sic asserit, sciat Sacerdos ei non esse vetitum partem hostiæ diuidere ad cōmunicandum fidelem quolibet die velit ob solam deuotionem, nec in hoc efficitur iniuria, vel irreuerentia sacrificio, quia sicut participes fiunt astantes fructuū spiritualium illius: sic merito, & fiunt fructus reales realiter hostiæ suscipiendo partem. Ita Sanctius *loco citato*

Quæ requirantur ex parte Sacerdotis, vt licitè Eucharistiam possit administrare?

BRACTEA LX.

R. Reqviri quod sit in gratia. Ratio est, quia ministratio Sacramenti est actus officij Sacerdotalis, qui in gratia debet exerceri, & grauiter peccat Sacerdos indignè tractando sacramenta in peccato mortali, cum exerceat actum ordinis indignè. Ita Suarez *disp.72.sect.4.* Vndè Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis antequā Eucharistiam administret tenetur se præparare ad gratiam per cōtritionem, vel saltem per confessionem. Ratio est, quia talis administratio in peccato mortali exerceri nequit absque sacrilegio, quo sacramentum institutori fit grauis iniuria.

Sciendum vnum solum peccatum committi sacrilegij à Sacerdote qui plures hostias, seu plures particulas consecrat in peccato mortali. Ratio est, quia licet sint plures hostiæ, tamē moraliter est vna actio, cum sit vnum numero sacrificium, & peccat contra reuerētiam huic sacramēto debito ex eadem specie Religionis. Ita Henriquez *lib.8 cap.4.* Azorius *part.1. lib.10. cap.31. quæsit 10 & 11.* Rodriquez *cap 249 de missa n. 26.* An vero, qui pluribus administrat sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali tot peccata committat, quot obiecta, quibus administrat sacramentum Eucharistiæ? Respondeo committere solum vnū peccatum. Ratio est, quia diuisæ illæ ministrationes censentur moraliter vna, & indiuisibilis actio; quamuis sint actus physicè distincti. Ratio est, quia ministratur pluribus vnum numero sacramentum iam per consecrationem confectum.

An Sacerdos, qui Chiragra detentus nequit Eucharistiam pollice & indice ministrare alijs digitis ministrare possit?

BRACTEA LXI.

R. Negative. Ratio est, quia sacramentum Eucharistiæ non est absolutè necessarium, & in administratione sacramenti non absolutè necessarij, non est recedendum à consuetudine recepta, & à communi vsu, sicut neque licet celebrare sine vestibus ad communicandum infirmum, licet tempore pestis possit Sacerdos infirmum communicare aliquo instrumento benedicto, vel sacro, præciso tamen periculo lapsus Eucharistiæ in terram.

An Sacerdos possit ministrare Eucharistiam peccatori?

BRACTEA LXII.

Sciendum, quod peccator alius est publicus, alius suspectus, & alius occultus, publicum dici eum, qui, vel per Iudicis sententiam condemnatus est de crimine, vel in iudicio confessus est illud, vel factum ipsius criminosum, ita manifestum est, vt nulla tergiuersatione celari possit, suspectum verò dici eum, qui licet nullo ex tribus modis de crimine cōuictus sit, apud alios, tamen est publica suspicio, aut rumor, & aliqua publica infamia inde orta, vnde ipsum peccatum eius dicitur occultum quidem, sed famosum, occultum denique peccatorem esse eum, qui vel a solo sacerdote cognoscitur, vel ab alijs quidem paucis, sed nulla publica suspicione, vel rumore publico laborat. Quibus positis.

R. Sacerdotem debere hoc Sacramentum negare peccatori nō resipiscenti, etiamsi illud petat, dummodo commodè, & sine inconuenienti denegare possit. Ratio est, quia obligatio exhibendæ reuerentiæ huic sacramento est de iure naturæ, & diuino, ad quam reuerentiam spectat obligatio non dandi idipsum sacramentum indignis, ergo, &c.

Sciendū 2. publico peccatori etiam emendato, Eucharistiam publicè petenti non esse dandam, nisi publicè satisfactionē exhibuerit, vel saltem publicè emendatio ipsius manifesta sit, ratio prioris partis est, quod daretur occasio scandali, ratio secundæ partis est, quia satisfactio, & emendatio publica sufficiūt ad tollendum scandalum, atque vt tam coram Deo, quam coram hominibus sacramentum dignè tractetur. In articulo mortis satis est, si publicus peccator pro temporis opportunitate, vel confiteatur, vel signa contritionis exhibeat, quia periculum, & vrgens necessitas facit, vt non exigatur maior diligentia, quam ipse cōmodè possit exhibere cū præsumēdus sit in eo articulo facere, quod potest ad se sufficienter disponendum.

Sciendū 3. vt publico peccatori occultè petenti Eucharistiam dari possit in occulto sufficere, quod occultè egerit pœnitentiam, seu quod debitè confessus fuerit, idque constet Sacerdoti daturo, ratio est; quia quoad eum dispositus est ad tollendum scandalum.

Sciendum 4. peccatori occulto, qui publicè petit Sacramentum Eucharistiæ non est vllo modo ei deneganda. Ita colligitur ex *cap. si tantum cap. placuit cap. Sacerdos.* Ratio est, quia ad bonum Ecclesiæ Gubernatorem pertinet, vt bona communia dispensentur à ministro communi non secundum priuatam scientiam, sed publicam alioquin multa sequerentur scandala, perturbatio, & infamia. Peccatori verò occulto, occultè petenti Sacerdotem teneri Eucharistiam negare, ratio est, quia peccator ille non habet ius petendi Eucharistiam, & si petat, eius petitio est iniqua, & sacrilega, & potest illi sine incommodo denegari, & neque ex denegatione sequetur infamia, vel scandalum, cum totum occultè fiat.

An suspectis de aliquo crimine possit dari Eucharistiam in probationem criminis?

BRACTEA LXII.

R. Negative, & probatur *ex cap. consuluisti 2. quæst. 4. & cap ex tuarum de purgatione canonica, & ex cap. Dilecti de purgatione vulgari*, in quibus id probationis genus reprobatur patet etiam ratio-

ratione, quoniam eo fine sumere Eucharistiam est tentare Deum petendo, vt faciat miraculum: quod exigi ab ipso, nec ratio suadet, quę alias dictat vanum esse absque diuinæ promissionis fundamento existimare, quod quis eo ipso innocens habendus sit diuino iudicio, si de crimine suspectus sumat Eucharistiam, nec Deus quidquam inusitatum in eo operetur.

An ob solam criminis suspicionem possit alicui negari Sacramentum?

BRACTEA LXIII.

R. Ob solam suspicionem temerariam, & probabilem nunquam negari posse sacramentum Eucharistia petenti, ratio primæ partis est, quia cum suspicio temeraria nullo rationabili fundamento nitatur improbabilis est, & iniusta, ratio secundæ partis est, quia licet habeat sufficiens fundamētum ad excusandum iudicium temerarium, non tamen ad sic firmandum iudicium verum, vt de altero credi debeat, quod is amiserit ius petendi sacramentum, tamquam illud suscepturus.

R. 2. ob suspicionem violentam posse Sacerdotem denegare sacramentum petenti, ratio est, quia violēta suspicio nititur talibus signis, & indicijs, quæ licet non faciant euidentiam rei in se, sufficiat tamen ad probabile iudiciū ferendum, quando in contrariū nihil est, quod excuset: vndè sufficit ad negandum sacramentum; tum publicè, si suspicio publica sit, tùm etiam occultè, si occulta sit. In articulo autem mortis, si suspectus neget crimen, & ostendat signa bonæ dispositionis non esse illi denegandum sacramentum, tùm propter periculum faciendi illi iniuriam in tanta necessitate, tum propter circumstantiam factę negationis in tali tempore, quæ maximi momenti est ad deponendam suspicionem.

An si Sacerdos sciat ex confessione aliquod delictum alicuius non emendatum si occultè petat Eucharistiam sit illi deneganda?

BRACTEA LXIV.

Affirmativam sententiam sequūtur Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 209. cap. 5. nu. 51.* Suarez *in 3. partem tom. 4. disp. 33. sect. 6. num. 2.* Pitig. *in 4. dist. 9. quæst. 1. art. 15.* Victoria *in summa num. 80.* Tabiena *verbo communio 9. 3.* Angel. *verbo Eucharistia 3. §. 10.* & alij, & ratio est, quia non frangitur sigillum, cum occultè negetur, & consulitur sacramento, quia non datur indigno, sed.

R. Ob solam notitiam delicti habitam in confessione non esse denegandum sacramentum Eucharistiæ petenti. Et ita Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 8. pun. 3.* Nauarr. *cap. 21. nu. 55* Palud. *in 4. dist. 9. art. 1. conclus. 3.* Sanchez *de matrimonio tom. 1. lib. 3. disp. 36. num. 14.* S. Antoninus *part. 3. tit. 14. cap. 12. §. 2.* Siluest. *verbo Eucharistia 3. num. 7.* Armilla *verbo confessio num. 7.* Henriquez *lib. 8. cap. 59.* ratio est, quia Confessarius non potest vti scientia in confessione habita ad dirigendos externos aliorum actus, nec ad aliquid faciendum, vel etiam omittendum, cum periculo reuelationis directè, vel indirectè confessionis ipsius pœnitentis, vel cum rubore ipsius, ergo non erit negandum sacramentum Eucharistiæ petenti ob solam delicti notitiam in confessione habitam, cum illa negatio sit quędam exprobratio, & afferat ruborem pœnitenti. Ita Diana *tract. 4. de sacramentis resolut. 46.*

De dispositionibus internis requisitis in sumente Sacramentum Eucharistiæ cum fructu?

BRACTEA LXV.

R. Debere prius non modo esse baptizatum, sed etiam habere intentionem actualem, vel virtualem, explicitam, vel implicitam sumendi ipsam Eucharistiam. Ita Bonacina *de sacramentis disp. 4. quæst. 6 part. 1.* & alij.

Sciendum dubium esse an Eucharistia possit administrari illi, qui post rationis vsum lapsus est in amentiam, ad quod respondeo cum distinctione, vel hęc amentia habet lucida interualla, vel non. Si primum expectandum esse donec habeat lucida interualla, & tunc potest illi ministrare sacramentum Eucharistiæ: Si verò secundum, solum in mortis articulo posse sacramentum Eucharistiæ administrari, dummodo ante amentiam explicitè, vel implicitè tale sacramentum petierit, modò etiam non adsit periculum vomitus, vel alterius irreuerentiæ: ratio est, quia in tali casu nulla intercedit irreuerentia, & ex alia parte adest necessitas amentis, qui per Eucharistiam, cum attritione præmissa ante amentiā potest gratiam obtinere, & consequenter saluari, tum quia hoc colligitur *ex cap. quod in te de penitentijs, & remissionibus.* Ita Petrus Ledesma *cap. 13. de Eucharistia.*

Sciendum secundo ad dignam sacramenti susceptionem requiri, vt pœnitens sit in statu gratiæ. Quamobrem grauiter peccat accedens ad Eucharistiam, non solùm si habeat affectum peccandi; verùm etiam si habeat peccatum mortale, cum indignè sumat Eucharistiam sumendo ipsam cum conscientia peccati mortalis, & ideo committere peccatum sacrilegij, & non consequitur effectum huius sacramenti, cum peccatum mortale illud impediat. Ita S. Thomas *quæst. 80. art. 4.* S. Bonauentura *in 4. dist. 9. art. 2. quæst. 3.* peccata verò venialia non impedire dignam susceptionem, vel effectum huius sacramenti. Ita S. Thomas *quæst. 79. art. 8.* Immò hoc sacramentum delere peccata venialia ex opere operato, quibus voluntas suscipientis neque actualiter, neque virtualiter inhæret. Ita S. Thomas *quæst. 79. art. 4.* & in *4. dist. 12. quæst. 1. art. 1.*

Peccata venialia, quæ actu inter sumptionē sanctissimæ Eucharistiæ committuntur, non impediunt eius effectum, qui est gratiæ habitualis augumentum, & remissio peccatorum venialium. Ita S. Bonauentura *dist. 12. cap. 1. quæst. 3.* Ratio est, quia sacramenta gratiam ex opere operato suscipienti conferunt, si is obicem non ponat: at qui peccatum veniale non

est obex gratiæ sanctificantis, quandoquidem cum eo cõsistere potest, nihil enim obstat, quin enim aliqua venialia peccata remitti possint, alijs venialibus etiam actu remanentibus.

An qui est in peccato mortali, teneatur ex præcepto præmittere confessionem?

BRACTEA LXVI.

RAffirmative si habet probabilem conscientiam peccati mortalis, vel dubiam, & non possit practicè deponere, nisi eam prætermittat ob necessitatem communicandi, & habeat copiam Confessarii. Ratio est, quia 1. *Corinth.*11. habet. *Probet autem se ipsum homo, & de pane illo edat, &c.* in quibus verbis Tridentinum Concilium *sess.*13. docet contineri præceptum, non modo Ecclesiasticũ, vt Ecclesiastica consuetudo declarat, sed etiam Diuinum, vt docent plures Patres apud Suarez *disp.66.art.3.*

Sciendum in pluribus casibus excusari quis à confessionis præcepto, vt quando deest copia Confessarii. Secundò si necessitas vrgeat; vt morituro viaticum præbeatur, si alia hostia consecrata desit, si sacrificium, vel communio sine graui infamia, vel populi scandalo omitti non possit, si Sacerdos ex officio celebrare teneatur, aut fideles iure suo sacrificium exigãt, neque per alium id perfici possit; si Sacerdos consecrationem recordetur peccati mortalis, debet elicita contritione sacrificium prosequi: si verò ante consecrationem mortale peccatũ committat, vel ante commissi memoria incidat, videtur esse obligatus ad confitendum; si commodè, & sine vlla infamiæ nota, & scandalo possit, præsertim canone nondum cœpto, docet Siluester *verbo Eucharistia 2. quæst.7.* Nauarr. *cap.25.num. 76.* Suarez *disp. 66.sect. 4.* licet plures sequantur opinionem contrariam, vt Sotus in *4.dist.15.quæst.2.art.6.* Henriquez *lib. 8. cap. 4 num.3.* etiamsi Sacerdos post introitum recordetur peccati mortalis, opus non esse accersere Confessarium, quamuis sine nota id fieri possit, sed satis esse, immò etiam consultiùs elicita contritione sacrificium cœptum perficere: quæ sententia practicè probabilis est, quia vix vnquam decenter, & sine omni Sacerdotis nota, & confusione, interrupta Missa, sacramentalis confessio interponi posse videtur.

Quando sit dicendus aliquis carere copiæ Confessarij?

BRACTEA LXIII.

RDari aliquos casus, in quibus secundum omnes censeatur deesse Confessarius. Primus est, quando verè non adest Confessarius vllus. Secundus, quando etsi adsit Sacerdos, tamen nõ habet vllam iurisdictionẽ, vel timetur graue damnum ex confessione, vt periculum probabile reuelationis, vel aliud simile ob quod etiam liceret omittere præceptum confessionis semel in anno; & quidem si omnium mortalium periculum timeatur, tunc omninò omitti potest confessio: si autem alicuius tantum, vel aliquorum, illud vel illa omitti possunt, cęteris confessis. Ita Suarez *disp.66.sect. 4.* Qui tantum haberet vnum mortale, ex cuius confessione timeret periculum, posset omittere confessionem ex vi huius præcepti.

Sciendum illã distantiam sufficere inter Cõfessarium, & pœnitentem, qua ob itineris difficultatem, vel temporis breuitatem, vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum scandali, vel infamiæ Confessarium non potest hic, & nunc adire sine magno incommodo, & regulariter talis distantia relinquẽda est iudicio prudentis viri, habita ratione circumstantiarum loci, temporis, & personæ, quia fieri potest, vt respectũ vnius personę vnum spatium inducat sufficiẽtem distantiam, & respectu alterius nõ.

An quando abest proprius Sacerdos, cui solet deuotiùs confiteri, sed adest alter, cui non consueuit propria peccata confiteri possit differre confessionem?

BRACTEA LXVIII.

RNon posse differre confessionem, sed obligari Confessario præsenti confiteri, si pœnitens habeat conscientiam peccati mortalis. Ratio est, quia nunc non dicitur in necessitate communicandi sine confessione, cum habeat copiam alterius Confessarij approbati, etiãsi peccata sua proprio Confessario soleat cum maiori deuotione confiteri. Ratio est, quia maior deuotio non tollit obligationem præcepti. Ita Henriquez *lib.8.cap.47.* Suarez *disp. 66.sect.4.*

An qui habet peccatum reseruatum, & aliqua non reseruata, non teneatur confiteri?

BRACTEA LXIX.

RHabentem peccata reseruata, & non reseruata, & necessitatẽ celebrandi, vel communicandi, debere prius confiteri peccata non reseruatã Confessario approbato, & de peccatis reseruatis conteri. Ratio primæ partis est, quia cum habeat copiam Confessarij habentis facultatem absoluendi à non reseruatis, non videtur habere iustam causam, qua se eximat ab obligatione confessionis ante sumptionem Eucharistiæ. Ratio secundæ partis est, quia homo iuxta dictum Diui Pauli; *Probet autem seipsum homo, &c.* debet se probare: cum autem non possit per confessionem ob inopiam Confessarij, debet se per cõtritionem probare, vt de pane illo edat, & de calice bibat: an verò in tali casu sufficiat attritio putata contritio. Respondeo affirmatiuè.

An suscipiens Eucharistiam in peccato mortali committat duplex peccatum in confessione explicandum?

BRACTEA LXX.

RCommitteret solùm vnum peccatum, si cõfessio tunc temporis solùm obligabat

per

per ordinem ad communionem. Ratio est, quia vbi est vnum propter aliud, est vnum tantum, sed præceptum confessionis in isto casu est per ordinem ad communionem dignè sumendam, ergo qui tunc omittit confessionem, videtur committere vnum peccatũ, secus verò dicendum est, si alio titulo teneatur ad confessionẽ, quia tunc duplex peccatum committit, vnum omissionis contra præceptum confessionis, & alterum commissionis per indignè Eucharistię sumptionem. Ita Cinus in *relectione de pœnitentia part. 4. conclus. 4.* Nugnus *quæst. 80. art. 4. difficult. 3.* & alij.

An Laicus, qui postquam ad linteum accessit communicandi causa, & recordatur alicuius peccati, tenetur recedere, & adire Confessarium?

BRACTEA LXXI.

R. Si commodè possit recedere, & absque aliqua nota obligari recedere. Ratio est, quia ante communionem præmittenda est cõfessio peccatorum, quorum quis recordatur ante communionem: si verò nequeat recedere absque scandalo, vel absque alia nota, non teneri recedere, quia exponeret se periculo infamiæ, indicando alijs se habere conscientiam alicuius peccati mortalis, cum peccatum veniale non impediat sumptionem Eucharistiæ. Ita Nauarrus *cap. 21. num. 49.* Henriquez *lib. 8. cap. 46. num. 3.* Siluester *verbo Eucharistia 2. num. 10.* Sotus in *4. dist. 12. quæst. 1. art. 46.* Rodriquez in *summa cap. 67. nu. 1.* Bartholomæus ab Ang. *dialog. 4. quæsit. 16.*

Sciendum non expedire, vt Sacerdos ad altare audiat reconciliationem alicuius communicaturi, quia fieri posset nonnullos casus aliquando euenire, à quibus Confessarius non se posset expedire, nisi cum difficultate, & cum aliqua adstantium animi commotione. Ita Suarez *disp. 66. sess. 4.* Graffius *1. par. lib. 2. cap. 38. num. 37.* Nauarr. *cap. 21. num. 49.* & alij.

An possit dari hostia non consecrata indignè petenti Sacramentum?

BRACTEA LXXII.

R. Nunquam debere dari hostia non consecrata pro cõsecrata indignè peteti, quia in sacramento veritatis nulla debet esse fictio secundum Diuum Thomam in 4. tum etiam quia daretur occasio idolatrandi adstantibus, qui putarent hostiam illam esse consecratam, & tamquam consecratam adorarent. Ita Armilla *verbo Communio num. 26.*

An qui suscipit Eucharistiam, non præmissa confessione peccati mortalis, teneatur quamprimum confiteri?

BRACTEA LXXIII.

R. Primo Sacerdotem, qui vrgente necessitate, vel aliqua alia iusta causa celebrauit non præmissa confessione, teneri quamprimum confiteri. Ita Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* Sacerdotem verò, qui ex sua malitia celebrauit in peccato mortali, non præmissa confessione, non teneri quamprimum confiteri. Ratio est, qui Tridentinum loquitur solùm de Sacerdote celebrante ex necessitate absque præmissa confessione, non autem de eo, qui ex malitia celebrauit, non præmissa confessione. Similiter etiam Sacerdotem celebrantem cum ignorantia peccati mortalis, cuius recordatus est solùm post celebrationem non teneri ex vi Concilij Tridentini quamprimum confiteri, cum Concilium non loquatur de Sacerdote, qui cum ignorantia peccati mortalis celebrauit, secus verò dicendum erit, si post cõsecrationem ante sumptionem peccati recordatus fuerit, quia tunc dicitur celebrare, vrgente necessitate, more Laicorum non præmissa confessione in peccato mortali non teneri quamprimum confiteri. Ratio est, quia Tridentinum solummodo loquitur de Sacerdote celebrante, non autem de eo, qui communicatur more Laicorum. Ita Suarez *sect. 7.* & alij.

R. 2. Laicum, qui sine præmissa confessione suscipit Eucharistiam non teneri statim confiteri. Ratio est, quia consilium Tridentinum solùm loquitur de Sacerdotibus, non autem de Laicis. Ita Posseuinus de *administratione sacramentorum cap. 5. num. 40.* Suarez *disp. 66. sect. 7.* Coninch. *quæst. 80. art. 4. dub. 2. num. 4.* Naldus *verbo Sacerdos nu. 5.* & alij.

An si quis post pollutionem voluntariam confiteatur, peccet sumendo Eucharistiam eodem die?

BRACTEA LXXIV.

R. Qui peccatum carnale ex malitia commisit, regulariter debere per aliquod spatium abstinere, v. g. per diem à communione, etiamsi patrati delicti confessionem fecerit, nisi adsit aliqua iusta communicandi causa. Ratio est, quia facit irreuerentiam sacramento accedendo ad communionem, nõ prætermittendo aliquod spatium temporis. Ratio est, quia huiuscemodi peccata non solent permittere, vt Eucharistia sumatur cum ea deuotione, cum qua est sumenda: si verò aderit iusta causa sumendi Eucharistiam intra illum diem, v. g. si erit festum magnæ solemnitatis, aut magnæ deuotionis, aut si commodè communio differri nequeat in sequentem diẽ, tunc præmissa confessione poterit communionem eodem die accipere. Ita S. Thomas *quæst. 80 art. 7.* Henriquez *lib. 8. cap. 51. num. 3.* Suarez *disp. 68. sect. 4.* Reginaldus *lib. 29. nu. 117.* Emanuel Sà *verbo Missa nu. 25.* Sotus in *4. dist. 12. quæst. 1. art. 7.* S. Antonin. *3. par. tit. 14. cap. 6. num. 10.* & alij.

R. 2. quod si absque iusta causa accedat ad communionem eodem die, peccare saltem venialiter. Ita Villabos in *summa tom. 1 tract. 7. difficul. 37. num. 11.* Ioannes Dellacruz in *directione conscientiæ part. 2. de sacramento Eucharistiæ quæst. 1. dubit. 3. conclus. 2.*

R. 3. Coniuges, qui se rectè antecedente carnaliter cognouerunt non teneri abstinere se-

 quenti

quenti die à communione, secus verò dicendum erit, si coniunctum esset aliquod peccatū mortale, vel si relictus sit aliquis affectus ad res venereas, vel aliqua mentis perturbatio, quia tunc consulendum erit, vt abstineant à sumenda Eucharistia.

An ad dignè suscipiendam Eucharistiam necessarium sit suscipientem esse Ieiunum?

BRACTEA LXXV.

R. Ivre Diuino prohibitum non esse Eucharistiam sumere post cibum, & potum. Ratio est, quia tale ius diuinum, nec scriptum, nec traditum habetur, nec colligitur ex institutione Christi, aut ex natura rei; quia Christus illam porrexit discipulis, postquam cęnatum est, nec est res ex se mala.

R. 2. Suscepturum Eucharistiam, præcepto Ecclesiastico debere esse ieiunum à media nocte. Ita Rodriquez *cap.66.num.1.* S. Antonin. 3. *par.tit.23.cap.16.num.* 8. Toletus *lib.2.cap.38. num.6.* Pitig. *dist. 7. quæst.3.art.2.& 3.* Suarez *disp.68.sect.6. conclus.1.*

Sciendum ieiunium duplex esse, vnum naturale, & aliud Ecclesiasticum. Ieiunium naturale esse abstinentiam à qualibet re, etiam modica comestibili per modum cibi, aut potus, vt habetur *cap. nihil §. nullus, &c.* Ecclesiasticum illud esse, quo præcipitur vna comestio in die iuxta præscriptum Ecclesiæ, aut consuetudinem introductam. Dixi per modum cibi, aut potus, quia si quis non per modum potus aliquid traijciat ad stomacum, vt si os abluendo parum aquæ præter intentionem transmittat, aut præter intentionem traijciat reliquas sibi quæ externo die dentibus adhæserunt, &c. non dicitur frangere ieiunium naturale, quia nil sumit per modum cibi, tunc autem dicitur aliquid sumi per modum cibi, & potus, est, quando accipitur aliquid ore, quod propria actione vitali per os traijciatur in stomacum: quare qui sumit aliquid per modum medicinæ, sumit etiam per modum cibi, vel potus; quia vitali actione illam traijcit ad stomacum bibendo, vel edendo; ideo frangit ieiunium naturale: qui verò deglutit sanguinem, aut alium humorem à capite in os descendentem, aut ex ore manantem non frangit ieiunium, quia non sumitur per modum cibi, nec ab extrinseco. Qui verò saccarum in os ponit paulatim tota nocte degluciendum, si transacta media nocte aliquam partem ipsius deglutit, debet se reputare, tamquam non ieiunum; quia eiusmodi sumptio est per modum cibi: qui verò aromata ore imponit, neque dentibus tenet ante sumptionem Eucharistiæ, censetur ieiunus, modò nihil deglutiat: similiter non frangere ieiuniū, qui in puluere, aut in fumo accipit tabaccum, cum non sumatur per modum cibi, & illius substantia actione vitali non conuertatur in substantiam sumentis.

An in aliquo casu possit sumi Sacramentum à non ieiuno?

BRACTEA LXXVI.

R. In pluribus casibus posse Sacramentum sumi à non ieiuno. Primus est, quando in mortis articulo cōstitutus debet accipere viaticū, nec potest sine graui detrimento, aut eius periculo probabili ieiunus expectare tempus commodum. Secundus casus est, quando grauis irreuerentia irroganda esset Eucharistiæ, vt quia combureretur, aut alias iniuriosè tractaretur veniens in manus hæreticorum, aut aliorum infidelium, vel alia simili de causa. Tertius est, quando alioquin Missæ sacrificium relinqueretur imperfectum: sic enim quādo Sacerdos loco vini infundit aquam calici, nec ita aduertit, donec illam sumpsit, consumpta iam sacra hostia, debet iterum calici vinum infundere, illudque consecrare, & sumere, vt sacrificium perficiatur, & quando Sacerdos iam sumpto cibo, vel potu dicit Missam facta consecratione panis, non potest desistere ab inchoato sacrificio, donec illud perficiat, & sic non ieiunus communicare cogitur; sicut etiam cum Sacerdos dicens Missam, consecrato iam Christi corpore ita morbo corripitur, vt sacrificium inhoatum perficere nequeat, ipsum debet ab alio perfici, ex *cap. Nihil*, etsi desit Sacerdos ieiunus, debet alius perficere, etiamsi non ieiunus. Quartus casus est, quādo necessarium est, vt Sacerdos huius sacramenti reliquias sumat, post iam sumptam oblationem, quia tunc eiusmodi reliquiarum assumptio refertur ad vnum, idemque conuiuium, & sacrificium, quod planè absolutum non censetur, dum Sacerdos in altari manet, & per consequens illa sumptio reliquiarum sit quasi complementum actionis consecrādi, ac cōuiuij sacri in ea peracti, ad quam actionem, qui ieiunus accessit, satisfecit Ecclesiæ præcepto; etiamsi in ea priusquam totum sacramentum consumat, aliquid deglutiat. Ita Sotus in 4. *dist.12 quæst.1.art.*8. Nauarr. *cap.25.num.39.* Caietan. *tom.2.opusc.tract.3.quest.1.* Valentia *quæst. 8. par. 3.* & alij. Quintus casus est, si graue scandalum oriturum sit, nisi aliquis communicet, aut sacrificet, qui ieiunus non est, quia vt ait Suarez *disp.86.sect.*5. leges positiuæ nunquam tam seuerè obligant.

An quis peccet comedendo statim sumpto Eucharistiæ Sacramento?

BRACTEA LXXVII.

R. Non peccare, sed posse statim accedere ad prandium, vel comedere, licet ob maiorem sacramenti reuerentiam deceat post communionem aliquantulum abstinere à cibo. Ita S. Thomas *quæst. 80. art. 9.* Granatus *1.par.lib.2.cap.44.num.*8. Suarez *disp.68.sect.4.* & alij.

An

An dubitans, an aliquid cibi, vel potus sumpserit post mediam noctem possit communicare, vel celebrare?

BRACTEA LXXVIII.

R. Nullo modo posse communicare, vel celebrare. Ratio est, quia possessio stat pro præcepto communicandi, seruato ieiunio naturali, tum quia nulla est possessio ex parte communicantis, vt in dubio eius conditio potior sit. Ita Sanchez de *matrimonio tom.1.lib.2. disp. 41.num.40.* Facundez *præcep.3.lib.3.cap.5.num.18.* licet aduersus hanc opinionem Sanctius in *selectis disp.42.* insurgat docens, quod quoties quis dubitans an hora noctis duodecima sonuerit, comedit, bibitque, si deponat dubium practicum iudicans, quod hic, & nunc sibi liceat suscipere sacramentum Eucharistiæ, vel sacrificare, posse ipsum suscipere, aut sacrificare: quæ opinio licet sit probabilis, si dubium fundetur probabiliter, quod hora duodecima non sonuerit; secus autem si dubiũ nõ fundetur probabiliter, & tunc pro sacramẽto erit tenendũ.

An si sonuerit vnum horologium, possit quis sine fractione ieiunij naturalis comedere, quoadusque aliud sonuerit?

BRACTEA LXXIX.

R. Posse comedere absque fractione ieiunij naturalis, donec aliud sonuerit, & posse, qui tunc soluit ieiunium naturale communicare die sequenti, quia illa duo horologia sunt, ac si essent duæ opiniones probabiles, quarum vtramque licet sequi, & amplecti, quia non potius tenetur sequi vnum horologium, quam aliud; nisi fortè antecedenter illud assumpserit ad ieiunium non ordinandum iuxta illius horas.

Sciendum tamen, quod si tantum sit vnum horologium, vbi cepit sonare duodecima, aliquis biberet, licet quando sonaret vltimus pulsus, desijsset bibere, non poterit die sequenti communicare, quia quando primus horæ pulsus auditur, iam est hora expleta, & horologium est tantum testis id indicans, & licet diuersi sint pulsus, id euenit, quia nequit vno pulsu hora duodecima indicari, sicut vno pulsu hora prima indicatur. Ita Diana *tract.4. de sacramentis resolut.30.*

An si reliquiæ cibi præcedentis quæ hærent inter dentes voluntariè deglutiantur, impediant communionem?

BRACTEA LXXX.

R. Impediri communionem, si reliquiæ sibi non deglutirentur casu, sed ex industria; quia cum de industria deglutirentur, non sumerentur per modum saliuæ. Ita Vasquez *in 3.part.tom.3.disp.11.cap.4.art.30.* secus verò dicendum erit si casu, & præter intentionem reliquias, quæ externo die dentibus adhæserũt traijciat, quia tunc non dicitur frangere ieiuniũ naturale, cũ non sumantur per modũ cibi, sed per modum saliuæ, & ita etiam Filiucius *tom.1.tract.4.cap.8.num.236.* & alij.

Sciendum, quod si quis aquam per nares attrahat, quæ in stomachum transmittatur, non manet impeditus ad sumptionem Eucharistiæ, quia non fuit sumpta per modum cibi, aut potus; & similiter si respirando attrahat muscam volantem, non dicitur frangere ieiunium naturale, cum non fuerit sumpta per modum cibi.

An si quis deglutiat papyrum, ceram, aut aliquid simile non comestibile possit Eucharistiam sumere?

BRACTEA LXXXI.

R. Quod si quis papyrum comedendo traijciat in stomachum, & ceram posse Eucharistiam etiam sumere, ratio est, quia comedendo papyrum, vel ceram, censetur non ipsum sumere per modum cibi: si verò deglutiat chartam, vel ceram non comedendo, nec frangere ieiunium, quia nec etiã si censetur sumi per modum cibi, aut potus. Ratio, quia siue comedatur, siue solum deglutiatur non sumitur per modum cibi, cum talis comestio non sit ordinata ad nutritionem. Ita Suarez *disp.66.sect.4.* Tabiena *verbo missa num.44. & 45.* Reginald. *lib.29.num.118. & 119.* Azorius *tom.1.lib.10.cap.30.* Sanctius *in selectis*, vbi sic ait. Infertur etiam, quod qui parum papyri, aut alterius rei non comestibilis deglutisset possit communicare, solus enim cibus, aut potus impedit communionem.

An necesse sit, vt qui suscepturus est Eucharistiam digesserit cibum, aut post cœnam dormierit.

BRACTEA LXXXII.

R. Non esse necesse, ratio est, quia hoc nullo iure cautum est, tum quia ille potest dici ieiunus, qui post mediam noctem nihil comedit quamuis cibum non digesserit. Ita S. Thomas *quæst.70. art.8.* Nauarr. *cap.21. num.33.* Henriq. *lib.8.cap.49.* Graffius *1.part.lib.2.cap.44.num.1.* & alij communiter.

Sciendum Sacerdotem, qui in vigilia natiuitatis Domini pransus est, vel ientaculum sumpsit, posse post mediam noctem celebrare, etiã si non dormierit, aut cibum digesserit. Ita Bonacina *de sacramento Eucharistiæ, quæst.6. part.2.n.11.*

An Sacerdos non ieiunus possit celebrare ad communicandum infirmum?

BRACTEA LXXXIII.

R. Non posse, ratio est, quia non est vsu receptum, vt Sacerdos non ieiunus celebret ad communicandum infirmum, sed potius consuetudo est in contrarium, tum etiam quia hoc sacramentum non est sacramentum, necel-

necessitatis, tum quia hoc praeceptum non minus obligat, quam praeceptum conficiendi in Azimis, aut ritum seruandi debitum, & circa vestes, & circa alia: sicut autem non licet celebrare in fermentato, aut sine vestibus ad cōmunicandum infirmum. Ita Nauarr. *cap.21. num.53.* Suarez *disp.68 sect.1.* Palud. *in 4.dist.8.q.2.* Valentia *tom.4.disp.6 quaest.8.p.3.* Henriq. *lib.9.cap.4.* & alij apud Bonacinam *loco citato num.24.*

Si quis post Missam inceptam recordetur se non esse Sacerdotem, quia concipit se non esse baptizatum, quid debeat facere?

BRACTEA LXXXIV.

R. Si post consecrationem, debet finire missam, si autem ante consecrationem, tenetur dimittere missam, quocumque scandalo, non obstante, fingendo infirmitatem aliquam, vel deponat conscientiam, & sic procedat. Ita S. Bonau. quem refert, & sequitur Angelus *verbo Eucharistia 142.* & Siluester *eodem verbo num.8.*

An in aliqua necessitate possit Sacerdos consecrare solum in vna specie?

BRACTEA LXXXV.

R. Negatiue, quia Sacerdos iniuriam faceret sacramēto, nisi cōsecraret sub vtraq; specie. *cap.comperimus de consecrat.* Sotus *dist.12. quaest.1.art.12. in notab.3. de sacrificio missa lib.4.cap.22.* & *23.* vbi ait non est copia vini corpus, nullatenus esse consecrandum.

Quid si in Eucharistia species appareat carnis?

BRACTEA LXXXVI.

R. Aut species carnis in Eucharistia apparent solum celebranti, aut alicui particulari, vel communicare volenti, aut apparent simul omnibus adstantibus. Si primo modo, nequaquam ab illo, cui sic apparet sumenda est, sed alicui illorum, cui in ipsamet sacramētali specie apparet; si autem aequaliter omnibus sic appareat, & si perseueret, nulli danda est, sed inter sacras reliquias collocanda est talis hostia, atque seruanda, & tunc consulendum est Sacerdoti consecranti, vt aliam consecret hostiam, & vinum, ratio est, quia quotiescumque Sacerdos consecrat, vel celebrat, tenetur sacrificium perficere communicando, vt habetur *in cap. comperimus cum alijs de consecrat. dist.2.* Et ita in candelabro aureo *de Sacramento Eucharistia num.51.*

MALLEATIO V.

De Sacrificio Missae.

Quid sit Missa?

BRACTEA I.

R. Nomine Missae intelligi actionem sacram qua conficitur Christi corpus quod Deo in Missa offertur, & à Sacerdote sumitur per communionem.

Sciendum in Missa sex potissimum actiones interuenire, quae videri possunt concurrere ad eius rationem. Prima est oblatio panis, & vini cum suis ceremonijs ante consecrationem. Secunda est consecratio ipsa. Tertia oblatio post consecrationem illis verbis, vnde, & nos memores, &c. Quarta est fractio hostiae, & mixtio cum speciebus vini. Quinta est sumptio vtriusque speciei. Sexta est distributio sacramenti, quae in coena Christi fuit facta post consecrationem, in missa verò fit vltimo loco.

Sciendum 2. quod haec actiones simul sumptae dicuntur missa, quia per consecrationem Christus ad nos mittitur à Patre, & per oblationem, ac sumptionem à nobis remittitur ad Patrem, Bellarm. *lib.1.de missa cap.1.*

R. 2. Missam esse ceremoniam sacram, qua res aliqua sacratur aliquo modo consumitur, & soli Deo offertur in ipsius cultum, & recognitionem supremae Maiestatis, & Excellentię. Ita Bonacina *de sacrificio missa p.1.propos.2.*

Sciendum Eucharistiam non modo sacramenti rationem habere, sed etiam rationē sacrificij, ratio est, quia Sacerdos in illius consecratione id facit, quod Christus fecit in illius institutione, prout patet ex ipsius verbis *Luc. cap.22. & 1. ad Corinth. cap.11.* Hoc facite in meam commemorationem.

R. 2. Sacrificiū sic definitur est oblatio Deo facta per mutationem alicuius rei sensibilis in signum supremi super res omnes dominij ex publica, & legitima institutione, in quo offerens est Christus Dñs idem Sacerdos, & hostia offerens, & res oblata, sicuti docent S. Thom. *qu.83.art.1.*

Quaenam sint partes essentiales sacrificij Missae?

BRACTEA II.

R. Partes essentiales huius sacrificij Missę, tres esse: Consecrationem, Oblationem, & Consumptionem. Quod consecratio sit pars essentialis huius sacrificij patet, quia sacrificium offertur in persona Christi, & nihil aliud magis facit Sacerdos in persona Christi, quam consecrationem, cum dicat, Hoc est corpus meum. Ita Henriq. *lib.9. cap.9. num.1.* Bellarm. *lib.1.de missa cap.27.* Azorius *1. part. lib.10. cap.19.* Pezant. *3.part. quaest.83. art.6. disp.6.* Ratio est, quia per consecrationem res profana, nimirum panis fit sacra, quia conuertitur in corpus Christi rem omnium sacratissimam, tum etiam quia res eadem, quae per ipsam consecrationē

offertur

offertur Deo, quia vi illius fit, vt corpus Christi incipiat, mediante Sacerdote esse, re ipsa super altare tanquam oblatum Deo, tum etiam quia eadem res sacra, (quod requiritur ad rationem sacrificij) per consecrationem ordinatur ad realem, & externam mutationem per illam enim corpus Christi accipit formam cibi, qui ad comestionem ordinatur.

Sciendum, quod cum consecratio sit pars essentialis sacrificij, non fit sacrificium quando Sacerdos non consecrat, sed populo ostendit hostiam pridiè consecratam, quamuis eam sumat, quia deficit consecratio, quæ est pars essentialis sacrifici. Henriq. *lib.9. cap.9. num.2.* & alij. Vndè in feria 6. parasceues non fieri propriè sacrificium, cum non fiat nouæ hostiæ consecratio. Ita Henriq. *loco citato*, & alij. Tunc autem esse sacrificium, quandò vnus Sacerdos perficit missam ab altero inchoatam, qui post consecrationem perit, ratio est, quia adsunt omnia essentialia ad sacrificium, nimirum cōsecrationem, oblationem, & consumptionem.

An oblatio sit de essentia sacrificij?

BRACTEA III.

Sciendum duplicem in Missa esse oblationem. Prima oblatio est quando panis offertur, vt fiat corpus Christi. Secunda, quando post consecrationem offertur ipsum corpus Christi illis verbis *Unde, & memores nos, &c.* Primam oblationem spectare ad missam, non autem ad sacrificium, licèt ordinetur ad secundam, de secunda sermo est in præsenti. Prima sententia est oblationem non esse de essentia sacrificij, ex eo, quod Dominus noster non inueniatur eam exhibuisse, tum ex eo, quod memoratæ orationis verba, vndè, & memores nos serui tui, &c. quibus fit talis oblatio, nō dicantur in persona Christi, sed in persona ministri, & Ecclesiæ, seu cœtus fideliū: sacrificium autem istud offertur in persona Christi, qui in illo est principalis offerens. Et ita Bellarm. *lib.1. de missa cap.27.* qui prædictam oblationem vocalem docet esse solum testificationem, quod tota Ecclesia consentiat in proximè factam oblationem: Et Suarez *disp.77.* & alij, sed

R. Oblationem, quæ illis verbis, *vnde, & memores nos serui tui, &c.* esse de essentia sacrificij missæ, ratio est, quia non censetur sacrificium, donec res offeratur ergo, tum quia si Sacerdos facta consecratione pereat, tenetur alius Sacerdos offerre, & sumere vt integrum fiat sacrificium, ergo signum est oblationem esse etiam de essentia sacrificij.

R. 2. Consumptionem esse etiam de essentia sacrificij, ratio est, quia de ratione huius sacrificij est, vt sit repræsentatio passionis Christi iuxta illud, Hoc facite in meam commemorationem: Non repræsentatur autem passio, & mors Christi, nisi adsit consumptio, vt colligitur ex 1. *Corinth.11.* Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem biberis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat, tum quia in Concilio Tolerano 11. *cap.5. & cap. relatum de consecrat. dist.* 2. contra quosdam Sacerdotes, qui consecrabant, & non communicabant, dicitur quale erit sacrificium, cuius neque ipse sacrificans particeps efficitur.

Sciendum Sacrificium missæ solùm accidentaliter differre à sacrificio cruento, quod Christus obtulit in eucharistia est, quia differunt in re oblata, nam in cœna fuit Christus mortalis, in missa est immortalis. Secundò in proximo offerente, quia ibi fuit Christus, in missa est Sacerdos. Tertiò in effectu morali, quia tunc fuit meritorium, & satisfactorium, vt fuit à Christo: nunc autem non ita est, quia non est in statu merendi, est tamen instrumentum morale ad applicandum effectum meriti, & satisfactionis inchoatæ in illo sacrificio, & consumato in cruce. Quartò illud cœnę significabat mortem Christi futuram, hoc autem præteritam. Quintò illud non fuit imago alterius incruenti, nostrum est imago illius.

Sciendum 2. Sacrificium, quod in missa offertur conuenire cum sacrificio crucis in re oblata, vtrobique enim Christus est. Differt autem in actione sacrificandi, quia ille fuit cū effusione sāguinis, iste autem sine effusione.

Quanta sit dignitas, & præstantia Missæ?

BRACTEA IV.

R. Missæ sacrificium esse maximæ dignitatis, tū in seipso, tū respectu cęterorū. Prior pars patet, tum in ritu, nam, & res oblata est infinitæ dignitatis, & modus offerendi est in se supernaturalis, & quoad sensibilem actionem simplicissimus, & mundissimus, tum ex significatione, nam est viua imago passionis Christi, & incarnationis, aliorumque mirabilium Dei operum, tum denique cum sit sacrificium honorarium, siuè holocaustum gratiarum actionis, & laudis propitiatorium, & imperatorium. Secunda pars patet etiam, quia antiqua infinitè superat.

De effectibus sacrificij Missæ?

BRACTEA V.

Sciendum ex sacrificio duplicem fructum oriri, vnum ex opere operato, qui infallibiliter consequitur, ipso opere externo posito, dummodo in suscipiente nullus obex sit, propterea quod Christus merita passionis suæ tali sensibili operi ritè exhibito speciali volūtate sua annexerit, ex pacto cū Deo Patre inito, vt proindè talis effectus ex iustitia debeatur, & certò, ac infallibiliter conferatur independenter à dispositione ministri. Alter effectus est opere operantis, seu ex dispositione, ac meritis de congruo, tum proximi offerentis, seu ministri, tum totius Ecclesiæ Sanctæ, cuius ille legatum agit. Quibus positis.

R. Tres esse effectus ex opere operato sacrificij missæ. Ita communiter omnes.

Sciendum pro maiori intelligentia primum effectum huius sacrificij esse conferre gratiam, & remittere peccata; & ideò sacrificium missæ dicitur propitiatorium, & ex opere operato conferens remissionem peccatorum. Quod sacrificium missę sit propitiatorium est de fide, & habetur in Tridentino *sess.22. cap.1. 2. & can. 3.* & ita colligitur etiam ex SS. Patribus, ex S. Hieronymo

Hieronimo *in cap. 1. ad Titum* ex Concilio Hierosolimitano *Catech. 5.* & ex alijs, & ratio patet ex Apostolo *ad Hebr. 5.* omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Atqui hoc verum, & vnicum nouæ legis sacrificium; ergo verè propitiatorium. Quod hoc sacrificium habeat vim ex opere operato remittendi peccata, est communis Theologorum sententia apud Suarez *disp. 79. sect. 1.* & ratio est, quia Christus peculiari ratione instituit hoc sacrificium in peccatorum remissionem; ergo, &c.

Sciendum 2. hoc sacrificium non conferre primam gratiam, idest gratiam remissionis peccatorum mortalium per se, & immediatè, sed solùmodo mediatè, quatenus scilicet Deo, intuitu huius sacrificij monet ad contritionem, qua remittitur peccatum mortale. Ita S. Tho. *in 4. dist. 12. quæst. 2.* Suarez *disp. 79. sect. 3. conclus. 4.* Reginaldi *lib. 29. num. 151.* Azorius *1. part. lib. 10. cap. 20. quæst. 2.* Vasquez *3. part. disp. 228.* Paulus Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum sect. 3 prænot. 4. § 2.* & ob hanc causam in Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 2.* dicitur, quod illius oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata, etiam ingentia dimittat.

Sed controuersia est inter Doctores, an sacrificium missæ remittat peccata venialia, ad quod respondeo remittere ea mediatè, quatenus confert speciale auxilium ad eliciendum actum amoris, & contritionis, quibus remittuntur peccata mortalia, & venialia.

R. 2. Secundum effectum huius sacramenti prodesse non modo ad spiritualia, sed etiam ad temporalia bona impetranda, & ideo dicitur sacrificium impetratorium. Et ita Suarez *disp. 79. sect. 7.* Henriq. *lib. 9. cap. 13. § 3.* Valentia *tom. 4. disp. 6. quæst. 1. p. 1. § 23.* quod patet ex perpetuo Ecclesiæ vsu, quo ipsum offertur pro terræ frugibus, pro infirmis, & vt in Canone. Missæ exprimitur, pro spe salutis, & incolumitatis, &c.

Sciendum effectum impetrationis ex sacrificio prouenientem non esse certum, ac determinatum, sed varium, secundum variam Ecclesiæ intentionem, aut etiam particularis offerentis, offertur enim ad impetrandam infidelium conuersionem, fidelium peccatorum iustificationem, iustorum incrementum, ac maiorem perfectionem pœnæ peccatis debitæ indulgentiam, tum viuis, tum deffunctis, pro victoria, pro pace, pro captiuorum liberatione.

R. 3. Licet sacrificium missæ ex natura sua habeat infinitam dignitatem, & valorem impetrandi, secundum proximam tamen potentiam, quam habet ex Christi institutione, non habet efficaciam producendi effectum infinitum, sed semper finitum, & limitatum, tam intensiuè, quam extensiuè. Et ita S. Thomas *in 4. dist 45. quæst. 2. art. 4.* Tolet. *lib. 2. cap 6. & 8.* Nauarr. *cap. 25. num 92.* Scortia *lib. 2. de sacrificio missæ, cap 9.* Petrus Nauarrus *lib. 2. de restitutione cap. 2. num. 268.* Bellarm. *lib. 2. de missa cap. 4.* & alij.

R. 4. Tertium effectum sacrificij esse satisfacere pro peccatis, & ob id dicitur sacrificium satisfactiuum, quia prodest ad remittendam pœnam peccatis debitam, iuxta illud, quod dicitur *Machab. 12.* Sancta ergo, & salubris est cogitatio offerre sacrificium pro defunctis, vt à peccatis soluantur, idest a pœnis debitis pro peccatis. Et ita S. Thomas *quæst. 79. art. 5.* Nugn. *quæst. 85. art. 1. & in 2. part. dub. 4.* Vasquez *3. part. disp. 228. cap. 4. num. 26.* Azor. *1. part. lib. 10. cap. 20. quæst. 5.* & alij.

An valor missæ sit infinitus?

BRACTEA VI.

SCIENDVM valorem missæ distingui posse in generalissimum, specialissimum, & specialem. Generalissimus dicitur ille, quem Ecclesia intendit applicare, siue qui applicatur pro Christianis, tam viuis, quam defunctis, pro quibus Ecclesia intendit orare, vt constat ex illis verbis Offertorij. Sed & pro omnibus fidelibus Christianis, viuis, atque defunctis, &c. Specialis valor dicitur is, qui debetur illis, pro quibus Sacerdos specialiter offert, vt solet pro illis, à quibus stipendium sustentationis accipit, & nonnunquam ex mera amicitia, itemque pro illis, qui assistunt ipsi sacrificio, vt indicat specialis mentio, quam celebrans facit ipsorum in Canone illis verbis. Et omnium circumstantium, quorum tibi cognita est fides, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, &c. Specialissimus est proprius ipsius Sacerdotis, cum sit meritum quod ipse acquirit celebrando missam, quod non tenetur, nec potest alteri applicare, cum meritum sit incommunicabile.

Sciendum 2. valorem dupliciter dici infinitum, extensiuè, & intensiuè ille dicitur valor infinitus intensiuè, qui non tot prodest, quin posset prodesse pluribus. Sacrificium missæ ratione deuotionis, aut multitudinis offerentiũ habere valorem infinitum extensiuè, quia non tot prodest, quin possit prodesse pluribus, ergo, &c. Ita Valentia *tom. 4. dubit. 6. quæst. 11. part. 1. § 4.* Vasquez *3 part. tom. 3. disp. 230. num. 9.*

Sciendum 3. Sacrificium missæ ratione rei oblatæ intensiuè esse infiniti valoris, cũ Christus, qui est hostia, qui in hoc sacrificio offertur, est infiniti valoris intensiuè, ergo sacrificium est infiniti valoris intensiuè.

R. 1. Sacrificium missæ, prout oblatum à Sacerdote in persona Ecclesiæ habere valorem finitum, & ratio est, quia quamquam res oblata sit infinita, modus tamen offerendi, in qua essentia huius sacrificij consistit est finitus, & ab offerente finito, tum etiam, quia sacrificium missæ est instrumentum, quo nobis applicantur merita passionis Christi, sed hoc instrumentum non habent tantum valorem, quantum habet ipsa passio Christi, ergo sacrificium missæ non est valoris infiniti, tum quia si missæ sacrificium esset infiniti valoris sufficeret vnũ missæ sacrificium pro omnibus necessitatibus, sed hoc est falsum, quia Christus instituit hoc sacrificium, vt frequentaretur, ergo noluit, vt haberet valorem infinitum.

An Sacrificium Missæ prosit omnibus fidelibus ex opere operato?

BRACTEA VII.

R. Si Sacrificium missæ consideretur, quatenus includit preces, & orationes Sacerdotis, nomine Ecclesiæ, aut nomine, alterius valorē missæ respondentē precibus, & orationibus esse ex opere operantis, quia confertur iuxta merita, & sanctitatem Sacerdotis offerentis, tum eius, pro quo offertur. Ita Vasquez *3 part. disp. 229. cap. 2. num. 7.* Tolet. *lib 2 cap 8.* Graffius *1. part. lib 2. cap. 45. num. 9.* Angles *quæst. 9. de ministro Eucharistiæ art. 1 difficult. 11. conclus. 2* Nugn. *quæst. 63. art. 1.* & alij. Si verò missa consideretur, vt sacrificium est, esse ex opere operato, Ratio est, quia omnia sacramenta nouæ legis habent effectum, & efficaciam ex opere operato, ergo, & hoc ineffabile sacrificium, tum etiam, quia valor sacrificij confertur vltra meritum, & dispositionem nostram, ergo est ex opere operato, cum effectus, qui producitur vltra meritum, & dispositionem recipientis dicatur produci ex opere operato.

An Missa Sacerdotis mali minus valeat, quam Sacerdotis boni?

BRACTEA VIII.

R. Missam improbi Sacerdotis pro se offerentis nihil ipsimet suffragari, & ratio est, quia ponit obijcem ad fructum sacrificij quatenus verò Sacerdos offert, & orat nomine Ecclesiæ, ob malam dispositionem ministri, non minuitur fructus impetrationis, ratio est, quia etiā in peccatoribus manet ministerium; si verò preces considerentur, quatenus sunt personæ particularis, minus valet missa mali Sacerdotis, quam boni, & ratio est, quia quo magis dispositus est Sacerdos, eò plus gratiæ, & gloriæ apud Deum sibi meretur, plus etiam, tum sibi, tum alijs impetrat, & pro peccatis satisfacit: at verò si malè dispositus, & indignus offerat, infructuosa est eius oblatio, ergo, &c. tum etiam, quia hoc speciale est in peccatore sacrificante, quod eius tota actio, quatenus ab ipso proficiscitur est mala, Deoque ingrata, ideoque non misericordiam mereatur, juxta illud. Scimus, quia peccatores Deus non audit.

An Missæ sacrificium oblatum ab excommunicato pro fidelibus sit validum?

BRACTEA VIII.

R. Sacrificium oblatum ab excommunicato tolerato pro fidelibus illis prodesse. Ratio est, quia Ecclesia huius excommunicati acta non irritat.

R. 2. Sacrificium oblatum pro fidelibus ab excommunicato vitando, quantum ad valorem, quem habet ex opere operantis, illis non prodesse, ratio est, quia isti separantur ab Ecclesia, & mortaliter peccant offerendo, ergo eorum sacrificium ex opere operantis alijs non potest prodesse.

R. 3. Huiusmodi sacrificium excommunicati vitandi, iuxta valorem, quem habent ex opere operato, fidelibus, pro quibus offertur prodesse, ratio est, quia hic valor, & fructus non impeditur per indignitatem ministri. Ita Azorius *1. part. lib. 10. cap. 21.* Auila *de censuris cap. 9. dub 3.* & alij.

An Missa pro multis applicata, ita prosit singulis, ac si pro vno tantum esset applicata?

BRACTEA X.

R. Missæ Sacrificium minus prodesse singulis, si pro multis offeratur, quam si pro paucis, vel si pro vno tantum offerretur, & ratio est, quia omnia ista finita sunt, & limitata, ergo si diuidantur in multis, fiunt in singulis minus. Ita Coninchus *quæst. 83. art. 1 dub. 3. nu. 64.* Angles *quæst de valore Missæ art. 5. conclus. 2.* & alij. Quod etiam intelligi debet de valore Missæ ex opere operato, nō ita prodesse, si pro multis, ac si pro vno tantum diceretur, & applicaretur, & ratio est, quia quamuis res oblata sit infinita, oblatio tamen, in qua essentialiter consistit hoc sacrificium, est finita, & ab offerente finito, quamuis offerat in persona Christi, & ideò hoc sacrificium est valoris finiti, & sic si inter plures diuidatur minus prodest, quam si vno solummodo applicetur. Et ita Diuus Th. *in 3. part. quæst. 79 art 1.* Reginald. *lib 29 num. 157.* Henriq. *lib. 9. cap.* 19 Sotus *lib. 9 quæst. 2. art. 2.* Couar. *cap. Alma mater 1. part.* § 5 *num. 9.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disp 79 sect. 12.* & alij.

An Sacrificium Missæ possit applicari pro Excommunicatis?

BRACTEA XI.

R. Non posse illis applicari iure Ecclesiastico, & ratio est, quia per excommunicationem separatus est ab Ecclesia, & vetitum est ab ipsa, vt pro excommunicatis sacrificium celebretur.

Sciendum Sacerdotem in sacrificio Missæ triplicem personam sustinere, vt docet Adrianus *in 4. de sacramento Eucharistiæ dub. vlt.* Primò, & immediatè ipsius Christi cum actu sacrificat, & fructum sacrificij ex opere operato, atque etiam per modum impetrationis ex Christi dignitate cuicumque ipse vult applicat, & per consequens potest applicare ipsum pro excommunicatis. Secundò gerit publicam Ecclesiæ personam, cuius legatus est ad Deum. Quod similiter dicendum est de alijs publicis officijs, videlicet precum canonicarum, &c. & vt sic non potest offerre sacrificium pro excommunicatis, cum ab Ecclesia prohibeatur. Tertiò gerit personam priuatam, non solum in memento, in quo priuatim Deo cōmendat quoscumque vult, sed etiam in publicis orationibus, & tota sacrificij actione, & vt sic potest pro excommunicato in Missa orare, vt conuertantur, & redeant ad Ecclesiam per pœnitentiam

tentiam, à qua præcisi sunt per excommunicationem.

An in die Veneris sancti liceat publicè orare pro excommunicatis?

BRACTEA XII.

R. Posse, ratio est, quia illa dies priuilegiatur ab Ecclesia generalem contra prohibitionem. Ratio est, quia eo die fit memoria Christi mortis, quæ ad omnes quoad sufficientiam pertinuit, & per consequens congruum erat, neminem ea die à suis suffragijs excludere.

An pro omnibus fidelibus possit applicari sacrificium?

BRACTEA XII.

R. Pro omnibus fidelibus in hac vita degentibus, siuè sint iusti, siue peccatores posse pro illis offerri sacrificium. Ratio est, tum quia fideles in hac vita degentes sunt capaces fructus sacrificij, tum etiam, cum sacrificium incruentum sit repræsentatiuum mortis Dominicæ, & fructus illius, quam maximè applicatiuum, pro omnibus offerri potest, pro quibus Christus mortuus est, & qui fructus passionis Dominicę aliquo modo capaces sunt: Tales autem sunt omnes degentes in hac vita, ergo, &c.

R. 2. Sacrificium Missæ posse offerri pro infidelibus, & Paganis. Ratio est, tum quia Christus etiam pro illis moriturus est, tum etiam, quia Apostolus 1. *ad Timoth.* 2. præcepit orationem pro Regibus, qui tunc erant infideles. Et ita Coninch. *quæst.* 83 *art.* 1. *dub.* 9 *concl.* 3. Bellarm. *lib.* 2. *de Missa cap.* 6. Henriq. *cap.* 15. *num.* 6. Suarez *disp.* 79. *sect.* 2. Emanuel Sà *verbo Missa num.* 40.

An sacrificium Missæ prosit pro Cathecumenis?

BRACTEA XIV.

R. Sacrificium Missæ posse aliquo modo offerri pro Cathecumenis, tũ viuis, tum defunctis. Et ita constat ex Clemente *lib.* 8. *constitut. cap.* 6. *&* 7. S. Ambros. *orat. de obit. Valent.* S. Augustinus *epist.* 107. *ad Vital.* & docet Bellarm. *lib.* 2. *de Missa cap* 6 Henriquez *lib.* 9. *cap.* 15. *nu.* 5. Suarez *disput.* 78. *sect.* 2. Scotia *lib.* 2. *de sacrificio Missæ cap.* 1. Azorius *lib.* 10. *cap.* 22. *quæst.* 2. & alij, licet verisimile sit sacrificium non prodesse Cathecumenis ex opere operato, sicut neque sacramenta eisdem prosunt, quę peculiariter à Christo pro salute Ecclesiæ instituta sunt. Cathecumeni autem ad Ecclesiam non omninò pertinent, cũ necdum fidem per Baptismũ sint professi, neq; in externa facię Ecclesiæ censeantur fideles, seu membra Ecclesiæ militantis. Secundum fructum impetrationis prodesse sacrificium Missæ Cathecumenis, tàm viuis, quàm defunctis, atque tali intentione pro ipsis rectè offerri, si Ecclesiæ prohibitio cesset. Et ita Layman *tract.* 5. *de sacrificio Missæ cap.* 2. *num.* 8.

An sacrificium Missæ prosit defunctis existentibus in Purgatorio, & Beatis?

BRACTEA XV.

R. Sacrificium Missę prodesse defunctis existentibus in Purgatorio, & ratio est, quia sic habetur in Tridentino *sess.* 22. *cap.* 2. *& can.* 3. & sic habetur ex vsu Ecclesiæ, quæ pro defunctis sacrificium offerre consueuit. Et ita Suarez *disp.* 78. *sect.* 3. Reginaldus *lib.* 29. *num.* 153. Bellarm. *tom.* 3. *de Missa lib.* 2. *cap.* 7. Miranda *p.* 1. *quæst.* 41. *art.* 5. *conclus.* 7. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 16. *num.* 1. & alij apud ipsum.

R. 2. Missæ sacrificium non prodesse Sanctis, quoad effectum satisfactionis, propitiationis, aut impetrationis, sed solummodo illis prodesse, vt colantur, & honorentur, & idcircò dicitur Missa alicuius Sancti, vt inuocetur, colatur, & specialiter honoretur, quatenus Sanctus gaudet honore, qui in sui memoriam, Deo exhibetur. Ita Henriquez *lib.* 9. *cap.* 14. *nu.* 2. Bellarm. *lib.* 2. *de Missa cap.* 8. Miranda *loco cit. conclus.* 6. Coninch. *quæst.* 83. *art.* 1. *dub.* 9.

An prosit damnatis, & pueris in Limbo?

BRACTEA XVI.

R. Damnatis in Inferno non prodesse sacrificium Missæ, quia in Inferno nulla est redemptio. Et ita communiter omnes Doctores.

Sciendum dubium esse, cui prosit fructus satisfactorius sacrificij, quem quis applicauit damnato, nesciens esse damnatum.

R. Prodesse ipsimet oranti, siue sacrificanti, si habeat intentionem applicandi sibi huiusmodi fructum in defectum alterius, etsi indigeat; si verò non indigeat, aut non habuerit intentionem applicandi sibi fructum, reponitur in thesauro Ecclesię. Ita Cordubà *lib.* 1. *qu.* 3.

R. 2. Sacrificium Missæ non prodesse paruulis, ex hac vita migrantibus cum peccato originali. Et ita Bellarm. *lib.* 2. *de Missa cap.* 6. & alij.

An qualibet Missa æqualiter prosit defunctis?

BRACTEA XVII.

R. Ex opere operato qualibet Missam ęqualiter defũctis prodesse, ratione verò operis operantis, idest ratione precum, & orationum, quæ in Missa dicuntur ad hunc effectum plus valere defunctis Missam de Requię, licet talis defectus possit recompensari ex maiori celebrantis deuotione, vel ex patrocinio illius Sancti, cuius suffragium imploratur in illa Missa. An verò, qui eleemosynam accepit pro dicenda Missa de Requie, & illam non dicit, sed dicit Missam alicuius Sancti, vel Missam de feria teneatur dicere collectam pro defunctis, vel pro defuncto. Respondeo negatiuè, cum ipse dicendo Missam alicuius Sancti, vel de feria, orationibus illius Missæ compenset defectum Missæ de Requie petitæ. Ita Nauarr. in *manuali cap.* 25. *num.* 10. Frassinellus de *obligatione Sacerdotum sect.* 4. §. 7. Beia 1. *par. casu* 23. An

peccet

peccet, qui absque iusta, & rationabili causa non celebrat, aut celebrare non facit Missam petitam, sed aliam celebrat, aut celebrare facit. Respōdeo peccare, quia fidē datā violat, sicuti etiam peccat, qui promisit dicere, vel celebrare facere in vno altari, & eas celebrat, vel celebrare facit in alio; si verò iusta causa Missam petitam non celebrat, vt si in eum diem incidat festum alicuius Sancti, de quo celebratur Officium; tunc videtur posse Missam illius diei celebrare. Ita Nauarr. *tit. de celebratione Missarum lib. 3. consil. 6.* Henriquez *lib. 9. cap. 23. num. 6.* Siluester *verbo Missa 1. num.* 8. Emanuel Sà *eodem verbo num.* 48. & non peccat.

An Missa dicenda pro defunctis in Altari priuilegiato debeat esse de Requie?

BRACTEA XVIII.

R. Minime, nisi aliter expressum sit in Bulla concessionis priuilegij. Ratio est, quia intentio Summi Pontificis concedentis, vt in illo altari celebretur Missa pro defunctis, non se restringit ad Missam de Requie. Et ita Nauarr. *consil. 14 & 37. & 38. de penitentijs, & remissionibus,* & alij.

An sit melius dicere plures Missas statim post mortem, aut obligare, vt celebrentur singulis annis tota Anniuersaria in perpetuum?

BRACTEA XIX.

R. Qui relinquit, vt statim post mortem celebrentur plures Missæ. v.g. ducentum, magis animæ defuncti prodesse, quoad celebrationem, & liberationē, illę verò, quę dicuntur singulis annis, prosunt ad maiorem honorē, & Dei obsequium, etsi illa anima sit in Cęlo, sentit gaudium de celebratione illius Missæ.

Quid requiratur in celebraturo Missæ sacrificium?

BRACTEA XX.

R. Sacerdotem celebraturum debere habere intentionem celebrandi. Et ita communiter omnes.

Sciendum non esse necesse, quod Sacerdos celebraturus habeat intentionem explicitam celebrandi, vel applicandi fructum sacrificij, sed satis esse, quod talem intentionem habeat explicitè.

Sciendum 2. quod Sacerdos fructū sacrificij, qui est ex opere operato debet alicui applicare ante, vel in ipsa consecratione: nam alioquin frustrà eum postea conabitur applicare; quemadmodum enim sacramenti, v.g. Baptismus, Confirmatio: ita & sacrificium, effectum suum ex opere operato dependenter à Ministri intentione producunt, dum conficiuntur, & actu existunt: quare non est in potestate Ministri effectum velle suspendere, & postea alicui applicare, & confirmatur, quia Sacerdos dispensat fructum sacrificij ex opere operato, quatenus Christi personam sustinet, quod accidit in consecratione, seu substantiali oblatione: ergo tunc necesse est eum habere intentionem, siue actualem, siue virtualem pro aliquo offerendi. Et ita Suarez *3. par. tom. 3. disput. 76. sect. 9.* Coninch. *quæst. 38 art. 1. dub. 9.*

R. 2. Sacerdotem ministraturum, præter intentionem, debere habere fidem, & gratiam, cum sit Minister consecratus, & deputatus ad hoc.

Sciendum sacrificium à Sacerdote in peccato mortali oblatum prodesse, & habere suum effectum, quatenus nomine Christi, & Ecclesiæ offertur, cum vt sic non dependeat fructus illius à dispositione Sacerdotis, sed ex opere operato: si verò Missa, seu sacrificium consideretur secundum merita ipsius Sacerdotis, minus valet, si offeratur à peccatore, quam à iusto: nam Deus magis iustos, quam peccatores exaudit. Ita S. Thomas *3 par. quæst.* 82. *art. 6.* Sotus in 4 *dist. 13. quæst. 1. art. 6.* Fraxinellus de *obligatione Sacerdot. sect. 3 quæsit. 4. §. 3. num. 3.* Camerota de *Sacrificio Missæ dub.* 10. Tabiena *verbo Missa num.* 24. Nauarr. *cap. 25. num.* 79. & alij.

Sacerdos celebrans in peccato mortali, quot peccata committat?

BRACTEA XXI.

R. Committere solùm vnum peccatum mortale consecrando, offerendo, & indignè sumēdo corpus Christi, & ratio est, quia consecrare, offerre, & sumere Sacramentum, sunt actus subordinati ad sumptionem, sed diuersi actus, quando alij alijs subordinantur, nō efficiunt diuersa peccata; ergo, &c. Et ita S. Thomas in *par. 2. quæst. 72. art. 6.* Azor. *par. 1. lib. 10. cap. 31. quæst. 11.* Henriquez *lib. 8. de Eucharistia cap. 45. num. 2.* tum etiam quia Missa est vnum sacrificium, licet ex tribus partibus sit confectum Consecratione, Oblatione, & Sumptione: ergo sicut Missa est vnum sacrificium ex tribus partibus constans; ita Sacerdos celebrans in peccato mortali, committit solùm vnum peccatum, quod tribus in partibus cōsistit, nempè in indigna consecratione, indigna oblatione, indigna sumptione. Et ita Diana *tract. 14 de celebratione Missarum resolut.* 24.

Quibus temporibus obligetur Sacerdos celebrare?

BRACTEA XXII.

Prima sententia est Sacerdotem simplicem, non peccare mortaliter non celebrando, modò communicet in Paschate, nec scandalū adsit, nec contemptus. Ita S. Bonauentura in 4. *dist. 12. quæst. 2. art. 2.* Victoria in *summ. 94.* Sed.

R. Sacerdotem legitimè non impeditum mortaliter peccare, si nunquam celebret toto anno. Et ita Azorius *1. par. lib. 10. cap. 24. quæsit. 1.* Nauarr. *cap. 25. num.* 88. Reginaldus *lib. 29. num.* 46. Vasquez *3. par. disp.* 232. Miranda *1. par. quæst.* 80. *art.* 7. Suarez *disp.* 80. *sect. 1.* & alij.

Sciendum dubium esse apud Doctores huius sententiæ, quoties in anno celebrandum sit

sit ad euitandam culpam mortalem. Quidam dicunt teneri ad celebrandum in præcipuis festis, & ijs quibus fideles communicare solent. Sed respondeo huiusmodi obligationem esse incertam, & quisquam posse ad libitum suum celebrare, dummodo saltem semel in anno celebret.

Sciendum 2. quotidianam celebrationem non esse per se loquendo in præcepto, quia nullibi extat tale præceptum, vt testatur Suarez *disp.*80. *sect.* 2. tum quia multi etiam valdè timorati, & pij aliquando intermittũt ob maiorem reuerentiam, &c. sed esse in Concilio, & patet ex communi Theologorum, apud Suarez *loco citato*, & ex consuetudine Ecclesiæ, & patet ex historijs Sanctorum.

Sciendum 3. respectu alicuius Ecclesiæ particularis esse præceptum Ecclesiæ, vt Missa quotidie celebratur, vt in singulis Cathedralibus, Conuentualibus, & Parochialibus Ecclesijs: vnde si omitteretur celebratio Missæ aliquo die, fieret cum scandalo: hæc autem obligatio per se est Rectorum eiusmodi Ecclesiarum, qui tenentur curare, vt quotidie non desit sacrificium quotidianum.

Quibus temporibus teneatur Parochus celebrare?

BRACTEA XXIII.

R. Debere Parochum in diebus Dominicis, & in festis, quibus populus tenetur audire Missam, celebrare per se, vel per alios; si ipse nequeat. Ita Villabos in *summa par.* 1. *tract.* 8. *dub.* 14. *num.* 5. Siluius in 3. *par. quæst.* 83. *art* 1.

Sciendum, quod licet Parochus diebus Dominicis, & festis, quibus populus tenetur audire Missam, teneatur celebrare, non tamen teneri ijs diebus pro populo dictas Missas applicare, & ideò potest stipendiũ ab alijs pro supradictis Missis sine scrupulo accipere, nisi adsit consuetudo in contrarium; & ratio est, quia prouentus Pastorales non illi debentur, vt celebret ad intentionem populi, sed ratione totius officicij Pastoralis. Quare licet Parochus singulis diebus festis, & aliquibus alijs diebus teneatur celebrare, vt populus adimpleat præceptum audiendæ Missæ, tamen (vt dictum est) non tenetur ex officio ad applicationem sacrificij pro populo singulis prædictis diebus, nam obligatio ad celebrandum, & obligatio ad applicandum sacrificium, sunt obligationes diuersæ, & potest obligari ad celebrationem, quamuis non obligetur ad applicationem. Ita Reginaldus *lib.* 23. *num.* 238. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 92. Suarez *disp.* 86. *sect.* 1. & alij, & ideò.

R. Teneri ad applicationem, iuxta consuetudinem, & institutionem beneficij, vel saltem iudicio prudentis. Ita Bonacina *disp.* 4. *de Missa sacrificio quæst. vlt. par.* 7. *pun.* 5.

Capellanus quando nam celebrare teneatur?

BRACTEA XXIV.

R. Teneri iuxta institutionem Capellaniæ, siue intentionem fundatoris. Vnde si Capellania instituta est ad celebrandum quotidie, tenetur quotidie sub mortali celebrare, nisi iusta de causa, vel alio iusto impedimento prætermittat. Ita Graffius *tom.* 2. *consil. lib.* 3. *difficult.* 4. *num.* 4 Reginaldus *lib.* 29. *num.* 164. Azorius 1. *par. lib.* 10. *cap.* 22. *quæsit.* 7. Suarez *disp.* 80. *sect.* 2. Silue ster *verbo Missa* 2. Angelus *eodem verbo num.* 45. Si verò Capellania instituta sit propter alios fines, vt psallendi, inseruiendi in Ecclesia, non oritur obligatio dicendi Missas. Ita Filiucius de *sacrificio cap.* 6. *num.* 173.

An Capellanus ægrotans per aliquos dies teneatur per alium Sacerdotem Missas celebrare?

BRACTEA XXV.

R. Quod si infirmitas Capellani sit diuturna, & longa; ita vt non excedat spatium duodecim, vel quindecim dierum, non obligari ad celebrandum per alium. Et ita Ricius in 1. *par. resolut.* 340. *num.* 5. Fraxinellus de *obligatione Sacerdot. sect.* 4. *conclus.* 4. §. 13. Molfesius in *summa par.* 1. *tract.* 6. *cap.* 1. *num.* 79. Diana *tract.* 14. *de celebratione Missarum resolut.* 27. Si vero excedat, tunc temporis obligari ad celebrationem Missarum per alium.

An Capellanus, qui tenetur per se ipsum aliquoties in hebdomada celebrare, si non possit aliqua causa id præstare in aliqua hebdomada, possit differre in aliud tempus sibi commodum?

BRACTEA XXVI.

R. Posse in aliud tempus differre, quia non facit contra rationabilem voluntatem fundatoris, nisi aliud constet de intentione ipsius fundatoris, vt v.g. si fundator exigebat, vt citissimè sacrificia persoluentur, quia tunc melius est sacrificium per alium celebrare, quia sic adimpletur voluntas Testatoris.

An Capellanus, qui possedit Capellaniam cum obligatione per se dicendi Missam, si per alium satisfecit, cum nondum esset Sacerdos, peccauerit mortaliter, & obligetur ad restitutionem?

BRACTEA XXVII.

R. Peccasse recipiendo sacrificium Sacerdotale, cum nondum esset Sacerdos. Ratio est, quia fecit contra intentionem fundatoris, nõ tamen obligari ad restitutionem fructuum perceptorum ad ratam temporis, quo per alium satisfecit. Ratio est, quia non videtur violasse iustitiam cum damno alterius, & obligatio restitutionis oritur ex damno dato. Ita Bonacina *loco citato* §. 1. *num.* 2. tum etiam quia satisfaciendo per alium, satisfecit obligationi beneficij, & valor Missæ fuit applicatus iuxta intentionem fundatoris.

An liceat pro celebratione Missarum stipendium accipere?

BRACTEA XXVIII.

R. Posse Sacerdotem accipere pecuniam in sui sustentationem, pro celebratione. Ratio est, quia dignus est operarius mercede sua, & iuxta Diuum Paulum in *1. ad Corinth. 9. Qui altari seruit, de altari participat*; ergo, &c.

Sciendum in Missa tria nos posse considerare ipsum sacrificium: secundò laborem, qui suscipitur in celebratione, & personam celebrantis, quæ eget alimentis. Quibus positis.

R. 2. Sacerdotem non posse aliquid accipere pro ipso sacrificio, aut effectu ipsius, quia talis acceptio esset simoniaca, vt constat ex *cap. Cum in Ecclesia de simonia*; nam daretur pecunia pro re sacra.

R. 3. Pro labore dicendi Missam, nihil potest accipi, cum sit immediatè annexus rei sacræ, & simpliciter necessarius ad celebrationem, & immediatè cum Missa coniunctus, & cum Missa non possit vendi, ita & etiam neque actio sacrificio coniuncta vendi potest, tum quia labor immediatè coniunctus cum re spirituali, censetur etiam ipse spiritualis, & per consequens pro eo aliquid non potest accipi.

R. 4. Pro labore mediatè coniuncto, siue per accidens cũ Missa. V t v.g. quod Sacerdos dicat Missam in certo Templo, vel Altari, vel Oratorio, vel, &c. posse aliquid accipi absque labe simoniæ. Et ratio est, quia iste labor est merè temporalis, nec est per se coniunctus intrinsecè cum sacrificio Missæ; ergo pro eo, Sacerdos potest aliquid accipere, tum etiam, quia talis obligatio celebrandi certo loco est appretiabilis pecunia; ergo, &c.

R. 5. Sacerdotem non modò posse accipere ad sui sustentationem, vel pro labore extrinseco, & mediatè coniuncto cum sacrificio Missæ; sed etiam posse absque labe simoniæ pacisci de mercede. Ratio est, quia sicut licitè recipit mercedem pro celebratione in casibus supra dictis; ita & etiam licitè potest de tali mercede pacisci, cum non paciscatur, de mercede tamquam stipendium, sed pro iusta sui sustentatione ratione sui laboris extrinseci, aut obligationis celebrãdi in tali loco, vel tempore, & quod iure petitur, iure etiam in pactum deducitur. Ita S. Thomas *2.2. quæst. 100. art. 5.* Vgolinus de *simonia tabula 1. cap. 9.* Corduba de *casibus conscientiæ usu 27.* Suarez *tom. 1. de religione lib. 4. cap. 14.* Vasquez *tom. 3. disp. 234.* Graffius *1. par. lib. 2. decis. aurearum cap. 96.* Nauarr. *cap. 23. num.* 101. Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 8.* & alij.

R. 6. Non modò Sacerdotem posse accipere mercedem pro Missa, & pacisci ad sui sustentationem, vel pro labore extrinseco, &c. sed etiam post celebratam Missam ipsam exigere, authoritate Iudicis ab ijs, qui eos iniustè renuunt persoluere.

An Parochus possit illis diebus, quibus non tenetur pro suis Ouibus sacrificium offerre, possit eleemosynam pro Missa dicenda accipere?

BRACTEA XXIX.

R. Posse, Ratio est, quia non censetur deterioris conditionis cæteris Sacerdotibus: cęteri autem Sacerdotes possunt eleemosynam accipere, ergo & Parochus. Ita Nauar. in *manuali cap. 23. num.* 101. Possceninus de *officio Curat. cap. 2. num.* 20 Sotus de *iustitia lib. 9. quæst. 6. art.* 5. & alij.

R. 2. Parochum, seu Capellanum illis diebus, quibus teneatur celebrare non posse eleemosynam accipere pro applicatione Missæ. Et ita Gauantus in *comment. ad Rubr. Missal. tom. 1. par. 3. tit. 12. num.* 5. vbi ita ait. *Qui tenetur alicubi celebrare absque applicatione sacrificij ad Diuinum cultum tantum: ita debet ibi celebrare, vt nullo modo accipiat stipendium ab alio, illi applicet sacrificium sibi liberum.* Quod expressè vetuit Sacra Concilij Congregatio in *declaratione Decreti de celebratione Missarum sub Urbano VIII. emanati.* Ita Gauant. verba verò Sacræ Congregationis hæc sunt. *Ad quartum respondetur Sacerdotes, quibus diebus teneatur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, Legati. aut Salarij, si elemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.*

An Sacerdos diues, habens pingue patrimonium possit pro Missa dicenda eleemosynam accipere?

BRACTEA XXX.

R. Posse consuetam eleemosynam accipere. Et ita communiter omnes Theologi, & Canonistæ. Ratio est, quia non tenetur Missas gratis pro alio celebrare, cum inseruiens altari, de altari viuere debeat, tum etiam quia non est deterioris conditionis diues, quam alij. Ita Sotus *lib. 9 quæst. 6. art. 1.* Vasquez *3. par tom. 3. disp. 234 cap* 4. Rodriq. *cap. 252. num* 4. Reginald. *lib. 23. num. 232.* Petrus Nauarr. *lib. 2. cap. 2. num. 305.*

Quodnam sit iustum pretium pro Missa dicenda?

BRACTEA XXXI.

R. Illud esse, quod per Episcopum loci fuit præscriptum, vel per consuetudinem legitimam introductum, aut arbitrio viri prudentis, deficiente legitima consuetudine. Ita Arragonius *2. 2. quæst. 85. art.* 3. Caietan. in *summa, verbo simonia*, Nauarr. *cap. 25 num.* 92. Reginaldus *lib. 23. num. 232.* Zerola in *praxi Episcopali par. 1. verbo Missa*, & alij communiter. Ratio est, quia sicut in temporalibus iustum pretium rerum venalium est illud, quod authoritate Principis, vel per consuetudinem, vel iudicio prudentum fuit constitutum; ita illa est iusta eleemosyna pro Missa dicenda, quæ authoritate legitimi superioris, vel iudicio prudentis, deficiente consuetudine, fuit taxata.

An Sacerdos, qui pro Missa dicenda accipit eleemosynam supra taxam præscriptam peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem?

BRACTEA XXXII.

R. Non peccare mortaliter, si ex mera liberalitate id accipiat à dante sciête, ac prudente, quod data eleemosyna, sit maior taxata ab Episcopo. Ratio est, quia in hoc casu excessus censetur gratis donari. Ita Posseuin. *cap.2. num.25.* Azorius *5.par.lib.12.cap.3.quæst.1.* Reginald. *lib.23.num.232.* Suarez *disp.86.sect.2.* & alij.

R.2. Obligari ad restitutionem, si eleemosynam supra taxam exigat importunè ab inuitis, & ratio est, quia hic facit contra iustitiam, petendo, vel accipiendo eleemosynam supra taxam. Ita Azor. *3.par.lib.12.cap.6.* Vasquez *3.par. tom.3.disp.239.* Suarez *tom.3.in 3.partem disp.86. sect.2.* & alij.

An Sacerdos pauper possit pro vna Missa tot stipendia accipere; quot sufficiant ad eius diuturnam sustentationem?

BRACTEA XXXIII.

R. Negative, ratio est, quia iniustè acciperet, accipiendo supra taxam, vel consuetudinem introductam, tum quia Missæ sacrificium non est institutum ad alendum Sacerdotem, cum ex Tridentino *sess. 21.cap. 2.* constet prohiberi aliquem ad sacros Ordines promoueri, nisi habeat Ecclesiasticum beneficiũ, vel sufficiens patrimonium, quo viuere possit, tum quia sicut paupertas non tribuit alicui ius vendendi supra taxam Principis, ita neque cõfert ius Sacerdoti ad recipiendam eleemosynam supra taxam Episcopi, vel consuetudinem introductam. Ita Corduba *lib. 1. quæst. 9.dub.2.* Henriquez *lib.9.cap.22.num.5.* Suarez *disp.86.sect.4.* & alij.

An Sacerdos in diebus festiuis possit accipere pro Missa dicenda maius stipendium?

BRACTEA XXXIV.

R. Espondet affirmatiuè, Bonacina saltem in Diœcesi Mediolanensi, vbi conceditur facultas accipiendi duplicatam eleemosynam in die festo. Verùm hæc opinio iuxta Dianam *tract.14.de celebratione Missarum resolut.9.videtur damnata in Decreto Cardinalium* §.3.

An Sacerdos, qui à viro amicissimo accepit pro dicenda Missa duplicatum stipendium, possit per alium Sacerdotem satisfacere, dato ei stipendio iusto?

BRACTEA XXXV.

R. Cum distinctione, vel illud stipendium duplicatum datum fuit præcisè, & simpliciter pro Missa, vel duplicatum fuit, intuitu personæ. Si primùm censeo non satisfacere, quia totam eleemosynam tenetur Sacerdoti celebranti illam Missam dare. Si secundum excessum pretij posse sibi retinere, cum censeatur datum intuitu personæ.

An qui liberaliter promisit alteri dicere Missam, teneatur sub mortali ipsam dicere?

BRACTEA XXXVI.

R. Obligari, ratio est, quia non celebrando, censetur violare promissionem factam in materia graui, & per consequens peccare mortaliter, tum quia violat fidelitatem, tum etiam quia violat iustitiam, quæ oritur ex acceptatione promissionis factæ. Quod tamen intelligendum est, dummodo promissio fuerit seria, & animo se obligandi.

An Sacerdos possit duas eleemosynas accipere, vnam vt applicet valorem medium, & altero applicandam valorem, qui sibi debetur?

BRACTEA XXXVII.

R. Negative, ratio est, quia meritum, quod acquirit Sacerdos, dicendo Missam, est incommunicabile. Et ita Suarez *3.par. disp.79. sect.9.* Posseuin.*cap.2.num.25.* Rodriq.*1.par.cap.250.* licet plures sequantur opinionem contrariam citati à Diana *tract.14. de celebrat. Missarum resolut. 14.* Quoniam opinio mihi videtur probabilis ob rationem, quam obseruat Henriquez *lib. 9. cap.21.nu.7.* Valor Missæ specialis, qui competit Sacerdoti, est eiusdem rationis cũ valore medio, qui competit illi, pro quo offertur propter stipendium sacrificij Missæ, & potest dictum valorem specialem Sacerdos alteri applicare. Et ita plures apud Dianam *loco citato.*

An qui accepit pro dicenda Missa minus stipendium, quam sit taxatum, teneatur offerre pro ipso sacrificium Missæ?

BRACTEA XXXVIII.

R. Quod si Sacerdos pro illa exigua eleemosyna promisit sacrificium celebrare, obligari totum sacrificij valorem applicare. Ratio est, quia tenetur stare promissis, & conuentioni, tum etiam sicut qui tenuem acceptauit Capellaniam quotidianam, tenetur ad onera illius, donec numerus Missarum ad minorẽ numerum ab Ordinario reducatur: ita qui promisit Missam tenui contentus stipendio, tenetur totum Missæ valorem applicare. Ita Henriquez *lib.9.cap.22.num.5.* Vasquez *3.par. quæst.83. disp.231.art.1.* Coninch.*quæst.83.art.1.dub.10.num.139.*

An

An Sacerdos, qui plures collegit eleemosynas pro Missis celebrandis, possit per alios Sacerdotes satisfacere, retenta sibi parte eleemosynarum?

BRACTEA XXXIX.

R. Qvod qui à pluribus multa stipendia collegit, potest sibi ratione laboris retinere partem pretij. Et ita Nauarr. *cap. 25 num 91.* Henriquez *lib. 9 de Missa cap. 22. num. 8.* Emanuel Sà *verbo Missa num. 41.* Rodriquez *1. part. cap 252.* Ratio est, quia ille labor in quærendis Sacerdotibus, qui Missas prædictas celebrent, est appretiabilis pecunia.

Sciendum Parochos, Rectores, aut Sacristas, quibus ex officio incumbit munus distribuendi Missas, & pro illis dicendis plura colligunt stipendia, posse per alios satisfacere, retenta sibi parte eleemosynam, modo Sacerdotibus celebrantibus tantam tradant eleemosynam, quātum fert communis taxa. Ratio est, quia nulli facit iniuriam, tum quia Sacerdos, qui pecuniam accepit, vt Missę sacrificium per se ipsum celebraret, factus est Dominus pecuniæ, ergo potest partem illius pecuniæ sibi retinere, licet hoc non sit consulendum, cum redoleat, nescio quid negotiationis, & nimiæ affectionis ad lucrum, nisi iusta causa cohonestetur, vt v. g. si illud magis retineatur pro manutentione Sacristiæ, &c.

An qui plures collegit eleemosynas, & vnum applicauit sacrificium, peccet mortaliter, & obligetur ad restitutionem?

BRACTEA XL.

R. Peccare mortaliter, & obligari ad restitutionem, nisi ratione modicæ pecuniæ excusetur à restitutione. Ratio est, quia violauit promissionem factam in materia graui. Et ita Petrus Nauarr. *de restitut. lib. 2. cap. 2. num. 381.* Aragonius *quæst 85. art. 3.* Vasquez *tom. 3. disput. 231.* Toletus *lib. 2. cap* 8. Rodriquez *cap. 251. conclus. 2.*

Sciendum, quod qui plures eleemosynas accepit, vt plures Missas celebraret, non posse vnica, vel paucioribus Missis satisfacere, etiā si in Missa recitet plures collectas, cū additio collectarum non equiualeat valori Missę. Ita Paulus Fraxinellus *de obligatione Sacerdot. sect 4 conclus. 2.* Naldus *verbo Missa num. 13.* & alij communiter, secus vero si hoc faciat ex priuilegio particulari Summi Pontificis, nam ratione priuilegij à Summo Pontifice obtenti fieri potest, vt liceat plures eleemosynas colligere, & omnibus vna, vel paucioribus Missis satisfacere. Ratio est, quia Summus Pontifex habet potestatem mutandi voluntatem offerentium stipes, iusta interueniente causa, tum quia offerentes eleemosynam nō videntur detrimentū pati, quatenus Missę sacrificiū æquè prodest oībus quoad impetrationem, quoad verò satisfactionem, suppletur per Indulgētias, & per thesaurū Ecclesiæ.

Sciendum 2. quod Sacerdos, qui plura stipendia à pluribus collegit, nisi quę vnum sacrificium applicauit, tenetur sub mortali Missas prætermissas celebrare, vel curare, vt per alios celebrentur, vel restituere eleemosynas acceptas; hoc enim pacto tollitur inæqualitas, & occurritur damno dato. Ita Petrus Nauarr. *lib 2 de restitut. cap. 2 num 382.* Bonacina *disp. 4. quæst. vlt. par. 8. num. 5.* & alij.

An Sacerdos mortaliter peccet differendo celebrationem Missarum ad longum tempus?

BRACTEA XLI.

R. Sacerdotes, qui sunt notabiliter in mora celebrandi Missas pro ijs, à quibus, vel pro quibus stipendiū acceperant, peccare mortaliter. Et ita plures Doctores, quos citat, & sequitur Bonacina de *sacramentis disp 4 quæst. vlt. par. 7. §. 5 num 2.* & alij etiam plures. Ratio est, quia huiusmodi dilatio redundat in detrimentum illorum, pro quibus celebrandum est Missæ sacrificium, fieri enim potest, vt tempus sit elapsum ad obtinendum, quod intendebatur ab eo, qui tradidit eleemosynam, vel tardiùs illud cōsequatur, vt accidit primò, quando petitur Missa pro impetranda sanitate infirmi, & tēmpore, quo Missa celebratur, infirmus iam mortuus est, vel tardius consequitur sanitatem ob dilationem sacerdotis secundo, quādo postulatur Missa pro animabus, quæ sunt in Purgatorio, quæ grauissimas patiuntur pęnas, quandiu sacrificij oblatio differtur, in quo casu Sacerdos tenetur ad restitutionem damni, quod passæ sunt animæ existentes in Purgatorio pro culpabili Sacerdotis dilatione. Et ita Petrus Nauarrus *lib 2. de restitutione cap 1. num. 306.* Henriquez *lib. 7 cap. 22. num* 8. Aragonius *quæst. 85. art. 3* Naldus *verbo Missa num. 12.*

An qui accepit eleemosynam pro dicenda vna Missa, & aliam dicit, peccet, & obligetur ad restitutionem?

BGACTEA XLII.

R. Peccare contra fidelitatem; & ratio est, quia infideliter agit, qui non stat promissis, & fidem datam violat *cap. Qualiter de pactis*. Ita Angelus *verbo Missa num. 52.* Armilla *eodem verbo num 36.* Bartholomæus ab Ang. *de Missa § 749.*

Sciendum, quod si Sacerdos ex iusta causa non dicat Missam promissam, vt v. g. si in eum diem incidat solemnitas alicuius Sācti, de quo celebretur Officium, tunc videtur posse ipsam illius diei celebrare, loco promissæ. Ratio est, quia in dicendis Missis seruandus est ritus Ecclesiæ, & quisque debet Missali, & communi vsui se conformare, tum etiam quia ex parte sacrificij tantum prodest vna, quam alia Missa, licet ex parte precum magis prosit propria, tamen supplet, & æquat intercessio Sancti, nec in hoc casu tenetur collectam Missæ promissæ adiungere. Ita Bonacina *loco citato 3.*

An Sacerdos. qui tenetur ratione Capellaniæ, aut eleemosynæ acceptæ, quotidie celebrare possit satisfacere oneri, dum cantat Missam, quam Conuentualem vocant, seu Capitularem?

BRACTEA XLIII.

R. Non posse vtrique oneri satisfacere. Ratio est, quia cantando Missam tenetur ipsam applicare pro obligatione Conuentus, siue Capituli, & ideo non esse alijs applicandã, sed dicendam iuxta intentionem Capituli, vel Conuentus: si verò non constaret vtrum cantans Missam teneatur illam applicare, posse tunc Sacerdotem Missam, quam solemniter cantat ad libitum applicare. Ratio est, quia in dubijs melior est conditio possidentis suam libertatem. Ita Posseuin. *cap.* 2. *num.* 25. *quæsit.* 4. Suarez *disp.* 86. & alij.

An Episcopus possit ex vi Concilij Tridentini reducere Missas ad minorem numerum in fundatione beneficij oppositas?

BRACTEA XXXXIV.

R. Negative. Et ita declarant decreta Sacrę Congregationis *in Bulla* §. 2. Ratio est, quia Concilium loquitur tantum de missis ex defunctorum dispositione relictis. Et ita Naldus *verbo Missa nu.* 8. Miranda *tom.* 1. *quæst.* 41. *ar.* 24. & plures citati apud Dianam *tract.* 14. *de celebratione Missarum resolut.* 1.

Sciendum dubium esse, an solum possint Episcopi reducere ad minorem summam Missas, quæ ante Concilium Tridentinum relictæ fuerunt. Naldus *verbo Missa num* 9. Posseuin. *de officio Curat. cap.* 2 *num.* 25. *quæst.* 9. Riccius *in praxi decis.* 4. & alij tenent etiam posse fieri de Missis post Tridentinum relictis. Sed.

R. Reductionem Missarum ad minorem numerum non posse fieri ab Episcopo de Missis post Concilium Tridentinum relictis. Et ita Miranda *tom.* 1. *quæst.* 41. *art.* 24. Rodriq. *in summa parc.* 1. *cap.* 252. *num.* 13. & alij dicunt Sacram Cardinalium Congregationem anno Domini 1578. ita declarasse, quam declarationem ad praxim reuocari, & vsu receptam esse testatur Bonacina *de sacramentis disp.* 4. *quæst. vlt. p.* 7. *num.* 11. licet plures sequantur opinionem contrariam.

Sciendum 2. ad reductionem missarum necessariam esse iustam causam, nam voluntas Testatoris non potest absq; iusta causa violari. Ita Molina *tract.* 2. *disp.* 249. Rodriq. 1. *part. cap.* 252.

An Episcopus possit reductionem facere extra synodum, vel solummodo in synodo?

BRACTEA XXXXV.

Affirmatiuam sententiam tenet Bonacina *loco citato num.* 9. Garzias *de beneficijs tom.* 2. *part.* 7. *cap.* 1. *num.* 134. & alij. Negatiuam verò sententiam docent Henriq. *lib.* 9. *cap.* 22. *num.* 6. Miranda *in manual. Prælat. tom.* 1. *quæst.* 41. *art.* 24. & alij à Diana citati *loco citato resolut.* 3. quorum opiniones ipse conciliat.

An Generales Religionum possit reducere Missas ad minorem numerum?

BRACTEA XXXXVI.

R. Generales Ordinũ in Capitulis generalibus olĩ solũ potuisse reducere Missas ad minorem numerum. Et ita Barbosa *de potestate Episcopi part.* 2. *alegat.* 28. *num.* 12. Nauarr. *cap.* 25. *num.* 138. Miranda *loco citato art.* 24. & alij.

Sciendum quod olim reductio Missarum ex concessione sacri Concilij Tridentini ab Episcopis, & Generalibus Religionum licitè fieri poterat, hodie tamen in locis vbi Decretum Sacrę Congregationis Cardinalium SS. D. N. Vrbani VIII. auctoritate editum 1625. est eis omninò interdictum ijs verbis, primò districtè prohibet ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, sed pro ijs reducendis ad Apostolicam Sedem recurratur, &c.

An Romanus Pontifex dispensare possit, vt Sacerdos vnica Sacrificio satisfaciat pro pluribus stipendijs?

BRACTEA XXXXVII.

R. Posse supposita impotentia satisfaciendi, vel necessitas recipiendi nouã eleemosynam pro Ecclesiæ sustentatione, vel ministrorum. Ita Azorius 3. *part. lib.* 12. *quæst.* 5.

Sciendum non modo Pontificem posse concedere tale priuilegium, sed etiam posse indulgere, vt in futurum aliqua Ecclesia plures accipiat eleemosynas pro celebratione vnius Missæ. Et ratio est, quia Summus Pontifex habet potestatem mutandi voluntatem offerentium eleemosynas, iusta interueniente causa, & sicut potest ex iusta causa Missas ad minorem numerum reducere: ita etiam potest concedere, vt quis possit pro pluribus stipendijs vno sacrificio satisfacere.

An Sacerdos, qui collectam in Missa addit, possit recipere aliquam eleemosynam?

BRACTEA XXXXVIII.

R. Non posse, quia, per collectam, & orationem non fit communis ille valor specialis sacrificij, alijs. Et ita Henriquez *lib.* 9. *cap.* 23. *num.* 6. Reginald. *lib.* 23. *num.* 234.



An

An obligatus curare celebrationem Missarum per plures dies, satisfaciat si curet omnes celebrari in vna die?

BRACTEA XXXXIX.

RAvt dictę Missę sunt pro liberandis animabus, quæ sunt in Purgatorio, vel ob alium finem, nimirum, vel ob augmentum cultus diuini, vel Populi commoditatem, si primum, satisfacit curando omnes celebrari in vna die: si secundum, minimè. Ita Homobonus *tract.3.quæst.*128. & alij.

Quo in loco sacrificium sit celebrandum?

BRACTEA L.

RIvre communi, & ordinario Missa celebrari non debet, nisi in locis ab Episcopo consecratis, aut saltem benedictis. Et ita communiter omnes Doctores.

Sciendum dari aliquos casus, in quibus potest Sacerdos celebrare in loco non consecrato, seu benedicto. Primus est casus necessitatis *iuxta cap. Concedimus, de consecratione dist.* 1. per quod conceditur in itinere positis, si Ecclesia defuerit sub Dio, siuè in tentorio solemnia Missarum celebrare, dummodo adsint omnia pertinentia ad Missarum celebrationem. Secundus casus est, cum interuenit licentia Episcopi, quia Episcopus licentiam dare potest in priuato oratorio non consecrato, nec benedicto: attamen diuino tantum cultui destinato super altare portatili sacrificandi, quod permittitur etiam nouo iure Tridentini Concilij *sess.22.in decreto de obseruandis in celebratione Missarum,* ne patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitãda sanctũ hoc sacrificiũ à secularibus, aut regularibus, q̃buscũq; peragi. Quocircà non potest nunc Episcopus concedere alicui Sacerdoti liberam facultatem faciendi Missæ sacrum vbi voluerit cum altari portatili, etiã intra propriam Diœcesim, nec item potest sine necessitate, aut alia iusta causa, dare facultatem celebrandi Missam in loco honesto benèque parato, non tamen ad diuinum tantum cultum dedicato, sed in communes vsus statim conuertendo, cum vtrumque aduersetur Concilio Tridentino citato. Tertius casus est, cum habetur priuilegium Papæ celebrandi in quocumque loco cum altari portabili.

An quis possit celebrare in loco sacro, sed polluto?

BRACTEA LI.

RPeccatvm esse mortale celebrare Missam in locò sacro polluto, antequam purificetur, ac in loco non sacro. Ita communiter omnes Doctores. Et ratio est, quod ea pollutio sit prohibitio quædam Ecclesiastici iuris, ne Missæ sacrum, aliaue officia diuina fiant in tali Ecclesia.

Sciendũ ex Doctoribus sex modis polluitur Ecclesia. Primùs est, quod per homicidiũ voluntarium, & iniuriosum in Ecclesia commissum, iuxta *cap. si motum de consecrat. Ecclesiæ dist.* 1. & *cap. proposuisti de consecratione Ecclesiæ*. Per illud, quod dicitur voluntarium, excluditur homicidium casu factum, aut ex amentia. Per illud, quod dicitur iniuriosum excluditur commissum in defensione, cum moderatione inculpatæ tutelæ. Per illud, quod dicitur in Ecclesia commissum, excluditur homicidiũ, cuius causa etiam iniuriosa data est extra Ecclesiã, quãtumuis mors in hac contingat. Item homicidium, cuius causa iniuriosa data est quidem in Ecclesia sine sanguinis effusione, sed mors sequuta est extra Ecclesiam. Secundus modus est per sanguinis effusionem iuxta *cap. Ecclesijs de consecratione dist.*1.&c. *cap. si Ecclesia de consecratione Ecclesię*, sed requiritur quod talis effusio sit voluntaria, & iniuriosa. Secundò, quod si copiosa. Tertiò violatione etiam contingere ex eo, quod quis vulnus graue in Ecclesia inflixerit, si sanguis intra illam non effundatur. Quartò non abstare, quod sanguis effusus non attingat pauimentam, aut parietem Ecclesiæ (exceptus linteo, aut vase) quoniam illa non imponitur ob talem actum, sed ob vulneris inflixionem causatiuam effusionis sanguinis in loco sacro perfectam. Vnde sequitur locum sacrum pollui, si quis existens extra iactũ lapidis aliquem in illo existentem vulnerat, quoniam actio influctiua vulneris in eo perficitur, non item si è contrario in loco sacro existens tali iactu vulneret existentem extrà eum, in quò actio, quidem inchoatur, sed non perficitur. Tertiùs modus est per illicitam, & notoriam humani seminis intra Ecclesiam effusionem *cap. vlt. de consecratione Ecclesiæ, cap. Ecclesijs dist.*1. *de consecratione*, siue ea fiat per voluntariam pollutionem, siuè per carnalem copulam, etiã coniugalẽ, nisi hæc ob vrgentem necessitatem, & probabile periculum incontinentiæ à culpa mortali excusetur, vt si coniuges lungo tempore intra Ecclesiam cohabitare cogantur. Ita Siluester *verbo consecratio* 2. *quæst* 5. Couar. *in* 4. *Decret. part.*2. *cap.*7. §.2. *nu.*3. Henriquez *cap.*27 *n.*5. Scortia *lib.*2. *cap.*13. Lessius *lib.*4. *cap.*3. *dub.*12 & alij. Quartò polliitur Ecclesia per sepulturam hominis excommunicati *cap. consuluisti* requiritur tamen, vt sit publicè denunciatus, vel notorius Clerici percussor. Quod si non fuerit publicè, & nominatim denunciatus, per eius sepulturam non polluitur Ecclesia. Quintò per sepulturam infidelis, & non baptizati hominis *cap. Ecclesiam de consecratione.* Et si infans sit: si tamen in vtero matris mortuus est, vna cum matre fideli, sepeliri potest, quia mater cum fœtu vnum corpus censetur. Sextus modus est per parietum cõbustionem, vel destructionem talem, vt eos reædificari oporteat, iuxta *cap. Ecclesijs de consecratione dist.*1. & *cap. ligneis de consecratione Ecclesiæ, vel altaris*. Et ratio est; quiã sublatis parietibus, consecratio tollitur, tamquam in illis fundata ob linitionem, & cruces expressas in eis.

Sciendum, tamen, quod vltimus iste modus habet locum solum in loco consecrato. Præcedentes verò habeant etiam locum in benedicta

dicta tantummodò, prout colligitur ex *cap. consuluisti, & cap. si Ecclesia de consecratione Ecclesiæ, vel altaris*. Ratio verò est, quod ex parietibus pendeat quidem consecratio, non tamen benedictio, quia id, quod benedicitur, est loci solum, vt patet ex cęmiteriis.

Sciendum, quod quando Ecclesia vno ex quinque modis violata censetur, etiam cemiterium violatum, si contiguum est, vt in eo antequam sit reconciliatum, nemo debeat sepeliri, quia principale trahit ad se accessorium contra vero violato cęmiterio, vno ex illis modis, non ideò etiam Ecclesia censetur violata, ne accessorium principale ad se trahere videatur.

An Sacerdos obligatus ad celebrandum in certo loco, vel altari, peccet alibi celebrando?

BRACTEA LII.

R. PECCARE mortaliter, si hoc faciat absq; rationabili causa. Et ita Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 24. quæst. 8.* Nauar. *cap. 25. num. 134.* Henriq. *lib. 9. cap. 23. num. 5.* Homobonus *part. 1. tract. 4. cap. 13. quæst. 525.* Frascinell. *de obligatione Sacerdot. sect. 4. conclus. 4. §. 9. num 3.* Ratio est, quia in re magni momenti infideliter agit frangendo promissum.

Sciendũ, quod licet peccet mortaliter, qui in alio loco, vel altari celebrat, nõ tamẽ ad restitutionem tenetur, quia non priuauit fundatorem fructu sacrificii, quamuis peccauerit alibi celebrando. Ita Possevin. *cap. 2. num. 25.* Frascinellus *loco citato conclus. 3. §. 3.* & alii, qui addunt in eo tantum casu faciendam esse aliquam restitutionem, quando quis erat obligatus dicere Missam in altari priuilegiato; & non fecit, etiãsi celebrauerit in alio altari cum calculo, vel imagine benedicta, quia magis prodest Missa in altari priuilegiato celebrata, quàm in alio altari, cum calculo benedicto.

De tempore quo sacrificare licet?

BRACTEA LIII.

R. ANTE auroram regulariter non licet sacrificare. Per auroram intelligitur initium crepusculi, quod plus minus est prius ortu Solis per horam, cum dimidio, ante horam, ergo cum dimidio ortus Solis, non licet celebrare. Ratio est, quia ante tale tempus communiter homines non sunt dispositi ad talem actionem, quæ debet fieri publicè, & cũ dispositione debita, tum etiam, quia in Missa offertur Christus candor lucis æternæ, ergo ante auroram non est celebrandum.

R. 2. Toto tempore, quod est ab initio auroræ, vsque ad meridiem licitum est Missas priuatas celebrare. Ita communiter omnes Doctores. Et ita praxis Ecclesię.

Sciendum 1. licere ante auroram celebrare in nocte Natiuitatis, per illud *de consecratione dist. 1.* nocte Sancta Natiuitatis Domini Saluatoris, quæ verba an sint restringenda ad primam Missam, ita vt duas reliquas non liceat celebrare ante auroram, infra dicetur. Secundò licet ex priuilegio celebrare, tum ante auroram, tum post meridiem, quale diuersis Religionibus à diuersis Summis Pontificibus concessum, refert Azorius *1 part. lib 10 cap 25. quæst. 5.*

Sciendum 2. quod tale priuilegium Episcopus potest dare in particulari casu ex rationabili causa, quia Ordinario iure tale quid ei competit, tanquam requisitum ad Pastoralem suorum curam: dare verò priuilegium generale est solius Papæ pro summa sua potestate.

R. Iure communi non esse licitum sacrificare post meridiem. Et ita communiter omnes Doctores fundati in consuetudine Ecclesiæ, & approbata in regula Missalis à Pio V. *constitutione 2.* quæ incipit *Sanctissimus*.

Sciendum 3. ad euitandam culpam satis esse, si Missa inchoetur ante meridiem, vel etiam in meridie, quamuis postea finiatur post meridiem, & Episcopus sicuti potest dispensare in casu particulari, quod Missa ante auroram celebretur: ita etiam potest dispensare, quod post meridiem in casu particulari Missa inchoetur, & finiatur.

Sciendum 4. in necessitate licitum esse ante auroram media hora, aut post meridiem celebrare: Vnde qui suscepturus est iter ob honestam causam, posse summo mane ante lucem celebrare, ad commodè suscipiendum iter, non tamen licitum videtur media nocte pro communicando infirmo celebrare, vt inquit Bartholom. ab Ang. *de Missa dialog 5. §. 647.*

An Sacerdos in nocte Natiuitatis possit tres Missas ante Auroram celebrare?

BRACTEA LIV.

NEGATIVAM sententiam tuentur multi, & inter alios Vgolin *de potestate Episcopi 16. n. 5.* Nugnus *in 3. partem tom. 1. quæst. 83.* Miranda *in manual. Prelator. part. 1. quæst. 40. art. 8.* Nauarr. *in summa cap. 25. num. 5.* Bonacina *disp. 4. quæst. vlt. p. 9. num. 5.* Ratio ipsorum est, quia in rubrica Missalis ita statuitur, tum etiam, quia in Canone primæ Missę dicitur *communicantes, & noctem sacratissimã celebrantes*, & in aliis duabus dicitur *communicantes, & diem sacratissimum celebrantes*. Sed.

R. In nocte Natiuitatis non modo posse Sacerdotem dicere Missam ipsius noctis, sed etiã aliæ duæ subsequentes, imò post Missam mediæ noctis, possunt immediatè celebrare tres Missas. Ratio est, quia in *cap. nocte sancta* absolutè conceditur, vt nocte Natiuitatis Missæ celebrentur sine vlla districtione, ergo vbi priuilegium non limitat, nec nos limitare debemus. Et ita Suarez *in 3. part. tom. 3. disp. 80 sect. 4.* Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 4 nu. 2.* Reginald. *in prax. tom. 2. cap. 9. lib. 4. num. 134.* Vasquez *in 3 part. tom, 3. disp. 232. cap. 3. num. 3.* Coninch. *in 3. part. quæst. 83. art. 2. dub. 4 num. 18.* Diana *tract. 14. de celebr. Missar. resol. 35.* & alij plures.

An

An Sacerdotes possint anticipatè celebrare Missas hac intentione, vt applicent illarum Missarum valorem pro eo, qui postea sibi tradet eleemosynam?

BRACTEA LV.

R. Satisfacere, modo non intendant effectum sacrificij suspendere ad illud, vsque tempus, quo sibi tradetur eleemosyna. Ratio est, quia non est in potestate celebrantis suspendere effectum sacrificij, & in futurum reseruare, cum sacrificium habeat suum effectum ex opere operato, nec minister potest, sua intentione illum in futurum reseruare, vt tradit Vasquez *3. part. disp. 234 cap. 3. num. 22.* Coninchus *3. part. quæst. 83. art. 1. dub 9.* Sacerdos igitur, qui anticipatè celebrat Missas, & non suspendit effectum sacrificij, sed ex tunc eum applicat primo offerenti eleemosynam, potest eleemosynam accipere pro Missa iam celebrata. Ita Arragonius *quæst. 85. art. 3.* Reginaldus *lib. 23. num. 237* Fraxinellus *de obligatione Sacerdot. sect. 3.* Henriq. *lib 9 de Missa cap. 21. num. 2.* Ratio est, quia sicut bonus debitor satisfacit creditori anticipata solutione: ita Sacerdos, tum quia fructus sacrificij anticipatè celebrati prodest quidem personæ traditura eleemosynam cum persona sit certa in mente Dei, & Sacerdos mentem suam in ipsam dirigat, & pro ipsa Missæ sacrificium offerat, licet in praxi non sit hoc approbandum, & tollerandum. Quamobrem homines facilè sibi persuaderent Sacerdotem accipere stipendium, & non persoluere onus pro quo stipendium accepit. Ita Bonacina *loco citato*.

An Sacerdos possit in die bis sacrificare?

BRACTEA LVI.

R. Iure Ecclesiastico ordinario semel tantum in die licet sacrificare, vt constat ex *cap. consuluisti ex cap sufficit, de consecratione dist. 1. cap. referente de celebratione Miss.* in quibus id est præceptum, patet autem ex consuetudine, fundata in ratione, tum mystica ad rappræsentandam sufficientiam vnici sacrifici cruenti, tum morali, quia vix possunt se homines præparare ad vnum.

Sciẽdum esse exceptos aliquos casus, in quibus Sacerdos potest sæpius celebrare. Primus est dies Natiuitatis Domini ex *cap. consuluisti*, in quo ex decreto Telesfori Papæ tres Missæ dici possunt *cap. nocte sancta de consecratione dist. 1.* Numerus autem triplex est ex consuetudine Ecclesiç propter triplicem Christi, generationem, diuinam, humanam, & spiritualem; Et propter tres hominum status significandos ante legem sub lege, post legem. *Gloss. cap. consuluisti*. Secũdus casus est, quando Sacerdos habet duas, vel tres Parochias, & non potest commodè habere coadiutorem. Ad hunc reduci potest casus penuriç Sacerdotũm in aliqua Ciuitate. Tertiùs, quando Sacerdos postquam sese communicauit, admonetur de necessitate infirmi communicaturi, & non habet hostiam consecratam, tunc enim videtur posse denuò Missam celebrare, nisi adsit alius Sacerdos celebraturus. Si verò admoneatur antequam se communicet, potest pro communione infirmi suæ hostiç particulam reseruare. Ita Siluester *verbo Missa 1. quæsit. 7.* Grattius *1 part. lib 2. decis. cap. 40. num. 1.* Camerot. *de Missæ Sacrificio dub. 13.* Henriq. *lib. 3. cap 30. num. 7* & alij. Sunt etiam plures alij casus, in quibus antiquitus poterat Sacerdos sæpius celebrare, qui nunc temporis non amplius sunt in vsu. Aduertendum tamen est in his casibus, in quibus licet sæpius celebrare, semper debere Sacerdotem esse ieiunum, alioquin omittẽda est.

An Sacerdos possit dicere Missam ante Matutini officij celebrationem?

BRACTEA LVII.

Prima sententia est, regulariter peccare Sacerdotem, qui Missam dicit ante celebrationem officij matutini. Et ita Azorius *1. part. lib. 10. c. 18. quæsit. 17.* & alij citati à Bonacina *disp. 4. quæst. vlt. p. 9. num. 7.* quod probatur ratione consuetudinis, tum ex rubricis Missalis, editis ex auctoritate Romani Põtificis, vbi dicitur quod Sacerdos celebraturus accedat ad sacrificium Missæ, Matutino saltem absoluto, ergo, &c. Sed.

R. Non peccare mortaliter Sacerdotem, qui celebraret ante preces matutinas. Et ita Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 4. num 5.* Bonacina *loco citato p. 9. num. 7.* Ratio est, quia matutinales preces, & sacrificium Missæ nullam habent connexionem, & nullum ordinem, vt conuertens hunc ordinem Reus læthalis culpæ sit constituendus, quia preces horariæ sunt in ordine ad cultum diuinum: mysterium verò Eucharistiç, institutum est, vt recoleretur memoria passionis eius. Ita Diana *tract. 14. de celebratione Missarum resolut. 36.*

In quibus casibus Sacerdoti non sit licitum dicere Missam?

BRACTEA LVIII.

R. Illicitum nõ esse Missam dicere feria vj. hebdomadæ sanctæ, sicut ex antiqua cõsuetudine restatur Innocentius *1. epist. 1. ad decentium cap. 4.* & refertur in *cap. Sabbato dist. 3. de consecratione*, & rationem affert S. Thom. *quæst. 83. ar. 2.* cum Ecclesia colat, & exhibeat realem passionem, & cruentum Christi sacrificium, ideò nõ rappręsentat mysticè, seu non imolat incruentè, siquidem Sacerdos in solemni officio Parasceues, non consecrat, sed hostiam pridiè consecratam, & asseruatam sumit.

R. 2. Similiter in Sabbato sancto olim prohibitum erat sacrificare, quia Ecclesia toto etiam illo die in ieiunio, luctu, & rappersentatione mortis Dominicæ perseuerabat: nunc verò posita iusta causa in priuato aliquo sacello sacrificari potest. Ita Azor. *lib. 10 cap. quæst 4.* Publicè autem in Ecclesia non licet Missam dicere.

R. 3. Feria v. per se loquendo, licitum esse sacrifi-

sacrificare. Ratio est, quia nullum est præceptum in contrarium, vel ex lege scripta, vel ex consuetudine, neq; ex æstimatione, quod oppositum sit malum, tum etiam, quia nullum eo die mysterium peragendum est, quod per cessationem à Missa rappræsentari debuerit.

De Altari necessario ad celebrandam Missam?

BRACTEA LIX.

R. MISSAM celebrari debere in Altari, quod lapideum esse debet, atque ab Episcopo, cōsecratum. Et ita communiter omnes. Prior pars probatur, quia ad sacrificium requiritur altare, vt patet exemplis veteris legis. Ita ad nouæ legis sacrificium. Per altare autem intelligitur in quo hostia sacrificanda immoletur, & dicitur altare, quasi alta ara. Ara autem dicitur, vel à peccatoribus, vel ab ardore victimarum. Quod debeat esse lapideum habetur *in cap. altaria dist. 1. de consecrat.* Et communiter id omnes Doctores docent. Ratio est, tum quia firmior est talis materia, tum quia rapprætentat Christum, de quo dicitur *Petra autem erat Christus*. Quod debeat esse consecratum, habetur etiam in *cap. altaria 2. de consecrat. dist. 1.* S. Augustin. *serm. 255.* & apud S. Leonem 1. *epistola* 88.

Sciendum ad consecrationem altaris duo requiri, Vnctionem Chrismatis, & benedictionem Sacerdotalem, vt habetur expressè *in cap. altaria 2 dist. 1.* his verbis *Altaria placuit non solum Vnctionem Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari*, quæ benedictio, fit partim aquę benedictæ aspersione, partim signo crucis, & partim certis orationibus, quæ habentur in Pontificiali. Solus autem Episcopus potest consecrare altare, *ex cap quamuis dist. 68. cap. nullus Presbyter 2. de consecrat. dist. 1.* & si possit Papa simplici Sacerdoti id committere.

Sciendum 2. ad licitam Missę celebrationem nihil referre, sit ne altare fixum, an portatile, dummodo sit consecratum; siue respiciat orientem, siue occidentem.

Quot modis Altare consecratum desinit esse sacrum?

BRACTEA LX.

R. ALTARE, tam fixum, quam portatile consecrationem amittere fractione notabili, itaut in nulla integra altari parte calix, cum patena, (moraliter rem æstimando,) consistere possit. Ita Coninchus *quæst. 83. art. 3. dub. 2.* Henriq. *lib. 9. cap. 29. num. 1.*

Sciendum, quod hæc censenda sit forma quantitatis ad retinendam consecrationem sufficiens, si capere possit patenam, cum corporali: igitur etiamsi in alijs fractura sit, vel noua aditio, aut detractio lapideæ mensæ fiat, non amittitur consecratio. Ita Layman *tract. 5. cap. 6. de sacrificio Missæ num. 4.*

Vtrum possimus celebrare in eo Altari, in quo eo die Episcopus celebrauit.

BRACTEA LXI.

R. NEGATIVE, nisi adsit consensus ipsius Episcopi, aut nisi necessitas aliqua superueniat celebrandi, quia adsit magnus concursus in Ecclesia, vel ratione alicuius magnæ deuotionis, &c. sic enim postulat reuerentia dignitatis Episcopalis *cap. fin. de consecrat dist. 2.*

De alijs requisitis ad celebrationem Missæ?

BRACTEA VII.

R. AD celebrationem Missæ, preter altare consecratum, requiri etiam Calicem, & patenam consecratam, sine quibus Missa offerri non potest, vt habetur *cap. Vasa de consecrat. dist. 2.*

Sciendum huiusmodi vasa debere esse aurea, vel argentea, vel stannea *cap. vasa cap. v. Calix de consecrat. dist. 1.* Æs, & Auricalcum prohibita sunt, quia recipiunt ferruginem ex vino, & vomitum prouocant, neque potest confici ex ligno, quia lignum porrosum est & ideò non aptum *cap. vt Calix de consecrat. dist. 1.* imo contra eum, qui vtitur Calice ligneo, aut Calice non consecrato, constituta est pœna depositionis ab officio, & beneficio *cap. vlt. de cebrat. Missar.* neq; in hac materia potest Episcopus dispensare, cum non possit dispensare in lege superioris.

Sciendum 2. debere esse consecrata ab Episcopo *cap. vnico de sacra Vnctione §. vlt.* ideò non sunt à Laicis tangenda, sicut neque corporale; *cap. in sancta de consecratione dist. 1. cap. sacratus cap. non liceat cap. non oportet dist. 23.*

Sciendum 3. Calicem, & patenam mittere consecrationem, si notabiliter frangantur, ita vt nequeant inseruire ad vsum præfixum, & constitutum. Ita Vasq. *3. part. disp. 233. cap. 4. n. 34.* & alij: Quando vero hæc vasa sunt deaurata, & iterum in cupa deaureantur, suam amittunt consecrationem. Ratio est, quia consecratio Calicis, & patenæ fit præcipuè propter contactum corporis, & sanguinis posita autem noua deauratione, contactus non potest fieri in parte consecrata, cum aureum additum nō sit consecratum, ergo, &c. De corporali idem dicendum est, quod de Calice, *ex cap sacratas* remanent autem consecrata, quamdiu manent integra, & non fracta notabiliter. Ita S. Tho. *3. part. quæst. 83. art. 3.* Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 3.* & alij, ex quo fit, vt post lotionem non sint iterum benedicenda. Ita Siluester *verbo corporalia quæsit. 2.* Vasquez *3, part. disp. 235. cap. 4. nu. 24.* & alij. Quod idem dicendum est de alijs vestibus amittere benedictionem, quando ita franguntur, vt non sint aptatæ ad vsum, ad quem fuerunt destinatæ, aut non amplius priorem retinent figuram. Ita Barthol. ab Ang. *dialog. 5. §. 175.* Angelus *verbo benedictio num. 3* Armila *verbo benedicere num. 3.* & alii, vt v.g. alba desinit esse benedicta, si ex ipsa abscindatur manica, quamuis illi postea eadem manica suatur. Ratio est, quia per abscisionem manicæ, ita per-

perfringitur, vt non sit apta ad vsum, ad quem fuerat destinata, nec amplius retinet priorem figuram; sicut etiam singulum indigere noua benedictione, si ita perfringatur, vt nulla ipsius pars sufficiat ad cingendum; secus verò si aliqua pars remaneat apta ad cingendum.

An in casu necessitatis possit Sacerdos celebrare sine stola, manipulo, aut cingulo, aut cum ijs non benedictis?

BRACTEA LXIII.

R. Non licere celebrare extra casum necessitatis sine vestibus ab Ecclesia præscriptis. Ita Vasquez *tom.3.in 3.part.disp.233.cap.3. num.38.* Nugn. *tom.1 in 3.part. quæst.83. art.3. dub.vlt.* & alij *ex cap. vestimenta dist.1.* Ratio est, quia in re graui, censeretur violare vsum, & consuetudinem Ecclesiæ, quæ hasce vestes induxit in honorem, & reuerentiam Sanctissimi huius sacrificij.

R. 2. In casu meræ necessitatis posse Sacerdotem celebrare sine indumentis benedictis, vel sine aliquo indumento ex præscriptis ab Ecclesia. Ratio est, quia lex positiua, vt est hæc gerendi habitus benedictos, non obligat in casu necessitatis. Et ita Petr. Ledesma *in summa tom.1.de Sacramento Eucharistiæ cap.21.conclus.5. dub.3.* Suarez *in 3. part.tom 3.disp 83.sect.3.dub 1.* Filliucius *tom.1 tract.3.cap 5.num.149.*

R. 3. Sine omnibus vestibus in nullo casu, etiam ob periculum mortis, si adiungatur contemptus fidei, non licet sacrificare. Ratio est, quia magna esset irreuerentia, & scandalum.

An liceat celebrare capite cooperto ex aliqua infirmitate?

BRACTEA LXIV.

R. Regulariter non esse celebrandum capite cooperto ex aliqua infirmitate sine licentia Episcopi, vel Prælati Regularis, si celebrans sit regularis. Ita Rodriquez *cap.249.* Henriquez *lib.9.cap.26.num.2.* Layman *lib.5. tract.5.cap.6.num.6.* & alij.

R. 2. In casu necessitatis morbi, aut caluitiei esse licitum celebrare capite cooperto. Ita *cap. nullus Episcopus de consecrat.dist.1.* quando commodè non posset dispensatio postulari, secluso scandalo, & contemptu, sine licentia Episcopi, secluso tamen tempore canonis. Ratio est, quia non est grauis materia, si non adsit scandalum, & contemptus, vt possit inducere peccatum mortale. Et ita Petr. Ledesma *in summa tom.1.de Sacramento Eucharistiæ cap.21.conclus.7.* cuius opinio videtur probabilis à Diana *tract.14 de celebratione Missarum resolut.58.* licet Gauantus *in comment. ad rubricam Missalis tom.1. part.2.* doceat nunc temporis facultatem dispensandi cooperto capite spectare ad Summum Pontificem, Et ita declarasse sacram Congregationem Cardinalium super negotio Episcoporum die 2. Ianuarij 1590.

An Sacerdos in casu necessitatis possit celebrare cum lumine olei?

BRACTEA LXV.

R. In celebratione Missæ requiri lumen, quod ex consuetudine conficitur ex cera, & in necessitate sufficere cādelas cebaceas, vel lucernam ex oleo. Ita Suarez *in 3 part.tom. 3.disp.81.sect.6.* Vasquez *3. part.disp.233.cap.4.num.25. & 26.*

Sciendum, quod ex consuetudine duæ saltem candelæ adhibentur, quamuis vna sufficere videatur. Tolet. *lib. 2. cap.77.* Camerota *de Eucharistia cap.7.dub.22.* Diana *loco citato, resolut.67.* & alij.

An Sacerdos in celebrando non obseruans Rubricas Missalis peccet mortaliter?

BRACTEA LXVI.

R. Peccare mortaliter, si sæpius, & ex consuetudine rubricas Missalis, non obseruaret. Ratio est, quia faceret contra præceptum Ecclesiæ, & principaliter cōtra Breue Pij V. quod in principio Missalis, ponitur. Quod si cum attentione consideretur, obseruantia habituum, ac ceremoniarum Missalis videtur obligare ad peccatum mortale. Et ita Azor. *part.1.lib.10.cap.29.quæsit.6.* Pitigian. *tom.1 in 4. sententiarum dist.13.quæst 2 art.4.* Secus verò si rarò, & non ex consuetudine non obseruat rubricas Missalis. Ratio est, quia tunc non censetur facere contra præceptum in materia graui.

An Sacerdos peccet mortaliter, si in aliquo loco celebret Missam, vbi non adesset Missale?

BRACTEA LXVII.

R. Sacerdotem recitantem Missam sine Missali, qui saltem non contineat canonem, mortaliter peccare. Ratio est, quia se exponit periculo grauiter peccandi, quod est peccare mortaliter. Ita Vasq. *3. part disp.233. cap.3.num.26.& 27.* Nauarr. *cap.25.num.83.* Henriq. *cap.29.num.7.* & alij, licet Layman *lib.4 tract 5.c.6. num.17.* Ledesma *in summa tom.1. de Eucharistia cap. 20.* Diana *loco citato resolut.46.* existiment Sacerdotem non peccare, dūmodo sit ita instructus, & de sua memoria confidēs, vt moraliter nō dubitare posset se oīa dicere integrè sine Missali. Sed horum fundamentum non mihi videtur solidum, cum nemo sit, qui de sua memoria nequeat dubitare, & dicendo Missam sine Missali exponeret se periculo errandi.

An Sacerdos in casu necessitatis possit fœminam in responsione Missæ ministram adhibere?

BRACTEA LXVIII.

R. Nullo modo posse fœminam Sacerdotem in ministerio Altaris, adhibere etiamsi hostia consecranda sit pro communicando infirmo, nec alius adsit præter feminam sed potius celebrandum esse sine Ministro. Ratio est, quia prohibitum est; ne fœmina ad altaris ministerium adhibeatur. Ita Suarez in 3. *partem tom* 3. *disp*. 88 *sect*. 1. Villabos in *summa part*. 1. *tract*. 8. *difficult*. 34. *num*. 1. Zanardus in *director. Theologia par*. 1. *de sacrificio Missæ cap*. 15. Molfesius in *summa tom*. 1. *tract*. 3. *cap*. 10. *num*. 40. & alij, & quamuis fœminæ possint remotè seruire, & respondere Sacerdoti, non tamen decet fœminas proximè ad Altare inseruire Sacerdoti, & magis indecens est fœminam adhibere ministerio, quam sine Ministro celebrare. Ita Suarez *loco citato*, Sotus in 4. *dist*. 15. *quæst*. 2. *art*. 5. & alij.

R. 2. Quod licet peccatum sit absque causa celebrare Missam sine Ministro, in magna necessitate, qualis est diei festi, aut dandi moribundo viaticum, vel, &c. licitum esse Missam sine Ministro celebrare. Ita Pitigianus in 4. *tom*. 1. *dist*. 13. *quæst*. 2. *art*. 5. Villabos in *summa par*. 1. *tract*. 5. *difficult*. 34. *num*. 2. & alij.

An oblatione Hostiæ iam facta, si offeratur Sacerdoti particula, possit illam consecrare?

BRACTEA LXIX.

R. Quod si talis particula offeratur post offertorium panis, & vini, posse illam consecrare, sin autem offeratur cępta præfatione, aut cępto canone, non posse amplius illam consecrare. Ita Gauantus in *comment. ad rubr. Missal. tom*. 1. *par*. 3. *tit*. 10. *num*. 19.

An Sacerdos, qui sumpto etiam corpore, videt consecrasse Calicem cum sola aqua, debeat solum vinum apponere, sed denuò consecrare aliam Hostiam, incipiendo ab illis verbis, Qui pridie quam pateretur?

BRACTEA LXX.

R. Sufficere nouam vini consecrationem, & non hostiæ, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo, &c.* Ratio est, quia talis modus sufficiens est ad supplendum defectum, etsi contrarium faceret, populus posset venire in cognitionem erroris, & sic scandalizari. Ita Suarez *disp*. 85. *sect*. 1. Reginaldus *lib*. 49. *num*. 213. Henriquez *cap*. 37. *num*. 4. Rodriq. in *summa cap*. 251. *num*. 1. & alij.

R. 2. Sacerdotem, qui in suscipiendo calice aduertit non esse speciem vini, sed solùm aquã, aut acetum, non debere illud expuere in calicem, sed potius deglutire, cum non videatur posse expuere absque indecentia, & fortasse non sine scandalo, & præceptum celebrandi cum ieiunio non obligat cum tanta indecentia, vel scandalo. Ita supra citati Doctores.

Sciendum, quod quando Sacerdos sumpta hostia aduertit materiam, quam in calice apposuit non esse sufficientem, curandum esse, vt vinum deferatur, si non adsit præsens, si fieri potest absque scandalo: si vero periculum sit scandali, perficere potest sacrificium in vna tantum specie, quia præceptum sacrificandi sub vtraque specie, non censetur obligare in tali casu. Ita Henriq. *cap*. 27. Tabiena *verbo Missa num*. 39.

Sciendum 2. quod si aliquod animal decidit ante consecrationem in calicem, aliam materiam esse sumendam, eamque consecrandam; si verò decidit post consecrationem, & Sacerdos nequit sine incommodo vtrumque sumere, extracto animali, quod comburendum est, & eius cineres mittendi in locum sacrum. Ita Sotus *lib*. 2. *cap*. 9. S. Thomas *par*. 3. *quæst*. 83. *art*. 5. Suarez *disp*. 85. *sect*. 1. Emanuel Sà *verbo Missa num*. 34 Tabiena *verbo Missa num*. 33.

Quod debeat facere Sacerdos, qui dubitat, an habuerit intentionem consecrandi?

BRACTEA LXXI.

R. Debere repetere verba consecrationis, cum intentione consecrandi. Ratio est, quia defectus intentionis est substantialis. Ita Suarez *disp*. 85 *sect*. 1. Henriquez *cap*. 39. & alij, licet in hac materia nõ oporteat esse scrupulosum, ne via Dæmoni aperiatur, & non esse necessariam intentionem actualem, sed sufficere virtualem. Verùm si Sacerdos reuera dubitet de intentione debita, debet eas denuò sub conditione consecrare.

Sciendum dubium esse quid faciendũ, quando dubitatur, vtrum Sacerdos, qui inter celebrandum mortuus est, consecrauerit hostiam. Respondeo Sacerdotem supplentem debere aliam hostiam sumere, eamque consecrare, simul consecrando sub conditione eam, de qua dubitatur, an sit consecrata, aut posse nouam hostiam consecrare, & eam, de qua dubitatur, an sit consecrata sumere post sumptionem vtriusque speciei ante purificationem. Ita Henriquez *cap*. 40. *num*. 4. Bartholomæus ab Angelo *dialog*. 4. §. 561. *& infra*, Siluester *verbo Eucharistia* 2. *num*. 12.

Quod faciendum, si Sacerdos moriatur in celebratione Missæ?

BRACTEA LXXI.

R. Si moriatur post consecrationem, sacrificium esse ab alio Sacerdote perficiendum, si adsit, vel etiam à non ieiuno, si nullus alius adsit, præter non ieiunum, nam si moriatur ante consecrationem, non est obligatio perficiendi sacrificium, vt ait Henriquez *cap*. 40. Azor. 1. *par. lib*. 10. *cap*. 33 *quæsit*. 1 Armilla *verbo Missa num*. 11. Tabiena *ibidem num*. 30. & alij: si verò Sacerdos moriatur post sumptionem hostię, non

teneri

teneri alterum perficere, quia substantia sacrificij videtur perfecta, tàm respectu Sacerdotis celebrantis, quàm respectu eorum, quibus sacrificium offertur, cum essentia sacrificij, iuxta aliquos Doctores saluari possit in sumptione vnius tantum speciei, licet alij in hac parte contrarium teneant, & quod sanguis, qui non fuit sumptus à Sacerdote mortuo, debeat sumi ab alio Sacerdote, aliud sacrificium faciente.

An intentio consecrantis debeat esse determinata?

RRACTEA LXXIII.

R. Intentionem consecrantis debere esse determinatam: vnde Sacerdos qui habet coram se viginti hostias, de quibus intendit consecrare tantum decem, sed non determinat, quas velit consecrare, nullam consecrat, quia eius intentio est indeterminata, sed si credit hostias esse quadraginta, & sunt quinquaginta, tamen intendit consecrare omnes, quas habet coram se, omnes consecrat, quia eius intentio est determinata, tum etiam quia minor numerus est determinatè sub maiori. Ita Armilla *verbo Eucharistia num.17.*

An Sacerdos possit Missam inchoatam interrumpere?

BRACTEA LXXIV.

Sciendum duplicem posse esse sacrificij interruptionem, vnā essentialem, & alteram accidentalem; essentialem esse, si inchoatum sacrificium per consecrationem panis, nō perficiatur consecratione calicis, quod dupliciter potest contingere: primò tamquam directè intenta, & in isto casu, ne ad mortem quidem vitandam concessa est, quia sacrificium imperfectum contra Christi institutionem efficeret sacrilegium est: secundò non tamquam directè, sed indirectè intenta, vt si in aliquo casu hostes irruant ad occidendum sacrificantem in altari, potest is hostiam iam consecratam statim sumere, vel secum auferre, si ad cōsecrandum calicem sine euidenti mortis periculo pergere non possit: accidentalem illam esse, si inter sacrificium alia actio à Sacerdote interponatur, vel ritus accidentales intermittantur, vel sacrificium ab vno inchoatum, ab altero Sacerdote perficiatur. Quibus positis.

R. Missa inchoata nullo modo potest interrumpi. Ratio est, quia cùm Missa dicatur vna, debet ita successiuè, & sine interruptione celebrari, vt dicatur moraliter vnum sacrificium.

Sciendum 2. ex iusta causa potest Sacerdos paulisper interrumpere Missæ sacrificium, vt v.g. si Sacerdos recordetur se excōmunicatū, aut irregularē esse: 2. si excōmunicatus vitādus, sacrificio Missæ interesse præsumat, qui expelli nequeat, dummodo Missæ canon nondum cęptus sit: 3. si morbus, vel grauis alia corporis necessitas cogat sacrificium Missæ interrumpere. Quo in casu si cōsecratio facta fuit, debet alius Sacerdos substitui, si prior redire, & sacrificiū prosequi nō possit: 4. ob magnam proximi vtilitatem, aut necessitatem, vt si baptizādus sit infans in periculo mortis existens, quem mater peperit inter Missarum solemnia, cui alia ratione non possit baptismus conferri, quam per Sacerdotem celebrantem, vel etiam si alicui morti proximo ministrandum sit sacramētum: Verùm cum sacramentum Eucharistiæ non sit tantę necessitatis, non decet sacrificantem post factam oblationem, vel certè post canonem cęptum, exutis sacris vestibus, sacrificium relinquere: si tamen homo in ipso templo existens sacro indigeat viatico, quia subitò morbo correptus mox moriturus timetur, debet Sacerdos, etiam post consecrationem, ab altari discedere, & sacramentum ministrare. Ita Layman *tract. 5. de sacrificio Missæ cap. 7. num. 2.* & alij.

An fideles teneantur audire Missam?

BRACTEA LXXV.

Sciendum 1. nomine auditionis Missæ intelligi eam actionem, per quam quis interest Missæ humano modo, corpore scilicet, & mente in tali distantia, vt possit saltem videre Sacerdotem, & ad illius ministerium attendere. Quibus positis.

R. Fideles præcepto Ecclesiastico obligari ad auditionem Missæ, quod desumitur ex *cap. Missas de consecratione dist.1. & cap. Omnes fideles*, & ex consuetudine introducta à tempore Apostolorum, vt omnes Christiani diebus Dominicis, & festis conuenirent in Ecclesia ad rem Diuinam audiendam, vt docet Azor *lib.7.cap.1.quæst.1.* & Suarez *lib.2.de diebus festis cap.15.*

Sciendum 2. quod licet hoc præceptum absolutè sit Ecclesiasticum, valde tamen consentaneum iuri naturali, & Diuino, supposita eius institutione. Et ratio est, quia præceptum sacrificandi est de iure naturæ. Vnde apud omnes gentes seruatum est, & sicut cultus externus Dei est de iure naturæ: ita quod tempus aliquod ad id deputetur: iure autem Diuino esse conforme, constat ex eo, quod Christus voluit in Ecclesia se coli hoc genere sacrificij iuxta illud, *Hoc facite, &c.*

Sciendum 3. hoc præceptum inducere obligationem sub mortali, etiamsi vno tantum die, pro quo obligat, omittetur sine vlla causa excusante. Et ita cōmuniter omnes Doctores. Et ratio est, quia materia ex suo genere est grauis, cùm ad virtutē religionis pertineat; ergo, &c.

Sciendum 4. non modò peccare mortaliter, qui Missam non audit, verùm etiam qui omittit notabilem eius partem audire. Et ratio est, quia sicut peccat ille mortaliter, qui omittit partem notabilem Officij: ita etiam qui omittit partem notabilem audire Missæ. Ita Nauarr. *cap. 21. num. 1. & 2.* Azor. *1. part. lib. 7. cap. 1.* Toletus *cap.8.* Henriquez *cap.25. num.7.* Siluester *verbo Missa 2.num.1.* Armilla *ibidem num. 31.* S. Antonin. *2.par.tit.9.cap.10.* & alij.

Sciendum 5. peccare etiam mortaliter, qui Missam mente non audit, licèt sit corpore pręsens, vt ille, qui commoratur in Ecclesia, tempore Missæ, mente sua reuoluens aliqua negotia, non dicitur Missā audire, quia nō interest mentaliter, cùm voluntariè vagetur, aduertens se mente vagari.

Sciendum 6. ad implendum præceptum audiendi Missam requiri etiam intentionem, idest voluntatem audiendi ipsam, nam si quis coactus ibi adesset, habens actualiter voluntatem non adstandi, si illi liberum esset, non impleret præceptum; secus si mutaret voluntatem in ipso actu, & haberet intentionem audiendi, quãuis enim antea peccauerit, quia habuit voluntatem repugnantem præcepto, tamen satisfacit, ita vt si adesset censura is liber esset ab ea.

An praua intentio audiendi Missam excuset à satisfactione præcepti?

BRACTEA LXXVI.

R. Primo prauam intentionem in celebrãte Missam, vt v.g. Deus aliquem perdat, esse peccatum mortale. Ratio est, quia hoc sacramentum nemini nocet, cum de natura eius sit prodesse. Ita *cap. si autem Deus*, posse tamen excusari à mortali, si talis esset inimicus Reipublicæ, vel talis, cui tale malum iustè posset imprecari, & non faceret liuore vindictæ, sed pro iustitia, vel bono publico seruando.

R. 2. Prauam intentionem adiunctam voluntati audiendi Missam, vt aspiciendi fœminam libidinosè, &c. dummodo sit sufficiẽs attentio, non esse cõtrariam huic præcepto, quare satisfacit Nauarr. *cap. 21. num. 10.* Medina *quæst. de pænit. iniuncta tempore, quo Missa celebratur.* Ratio est, quia ille implet substantiam præcepti.

Sciendum triplicem esse attentionem: primã ad ea, quæ dicit, vel facit Sacerdos, & hæc est satis, quamuis omnium imperfectissima: secundam ad ea, quæ dictis, vel factis significantur, & hæc est melior: tertia ad Deum, & Diuina, & hæc est omnium optima.

An qui confabulatur tempore Missæ, adimpleat præceptum?

BRACTEA LXXVII.

R. Eum, tempore Missæ notabiliter confabulatur, dormitat, nugatur, vel cum alijs ridet; ita vt omninò impediatur attentio ad Missam, non satisfacere præcepto. Ita Nauarr. *cap. 21. num. 6.* Caietan. in *summa verbo festorum violatio*, Bartholomæus ab Ang. *de Missa* §. 821. Ratio est, quia licet materialiter adimpleat præceptum, formaliter tamen ipsum non adimplet, & præceptum audiendæ Missæ, obligat materialiter, & formaliter: secus verò si non impediatur attentio requisita ad Missæ sacrificium audiendum.

An satisfaciat præcepto, qui tempore Missæ recitat Officium Diuinum, vel Psalmos Pænitentiales?

BRACTEA LXXVIII.

R. Satisfacere præcepto Missæ, etiamsi recitet Officium, quod obligatur recitare, vel faciat pęnitentiam iniunctam à Confessario, vel alias orationes ad placitum dicat. Ratio est, quia non impediunt necessario attentionem debitam ad sacrificium Missæ: nam potest quis vno, & eodem tempore. v. g. ad verba, vel sensum precationis, & simul esse pręsens, & attendere ad actiones sacras, quas facit Sacerdos in Missa, tum quia attendendo ad orationem attendit ad Diuina, quæ attentio sufficiens est ad Missam audiendam. Ita Suarez *disp. 88. sect. 3.* Emanuel Sà *verbo Missæ auditio num. 2.* Suarez *de pænitentia disp. 38. sect. 6.* & alij.

An qui confitetur tempore Missæ audiendæ, satisfaciat præcepto?

BRACTEA LXXIX.

R. Illum, qui confitetur peccata sua tempore audiendi Missam, non satisfacere præcepto, si confessio duret per partem notabilem ipsius Missæ. Ratio est, quia confessio impedit attentionem Missę, tum etiam quia Ecclesia præcipit assistere Missæ, per modum orationis: qui autem peccata sua confitetur, aut examen suæ conscientiæ facit tempore Missæ, non videtur assistere per modum orationis. Ita Suarez *disput. 88. sect. 6.* & alij, quam postea secutus est Bonacina *disput. 4. de Missæ sacrificio quæst. vlt. par. 11. num. 26.*

Quibus de causis excusentur fideles ab audienda Missa?

BRACTEA LXXX.

R. Primo impotentiam corporalem esse legitimam causam excusantem ab auditione Missæ. Vnde excusantur, qui nequeunt audire Missam absque damno graui corporali proprio, vel alieno: vnde infirmus, qui timet sibi periculum grauioris morbi, si Ecclesiam adeat, excusatur à Missa audienda. Excusantur etiam, qui nequeunt audire Missam absque graui detrimento sui, aut proximi, siue sit detrimentum animæ, siue corporis, siue famæ, siue honoris, siue lucri, siue alterius boni, vnde excusantur nutrices, quæ non possunt secum ferre puerum adhuc lactantem, & qui nequeũt audire Missam; nisi graue aliquod negotium prætermittant, quod in aliud tempus differre nequeunt, vt cursores, nautæ, muliones iter facientes, si audiendo Missam amitterent socios necessarios ad iter peragendum, molitores, pastores, qui nequeunt sine periculo gregis, aut grauis detrimenti Missam audire, qui in oppidis, vbi vnica Missa celebratur, remanent domi ad custodiam domus, vel ad cibos præparandos. Item excusat periculum in bonis externis, vt si timeat furtum, si domum solam relinquat, aut si timeat graue incommodum ex auditione Missæ, vt si quis pedes tria milliaria conficere debeat, vel etiam duo, cum pluuijs, tempestate, &c. ita vt consideratis circumstantijs personæ, loci, & temporis prudenter iudicetur notabile damnum. Impotentia spiritualis excusat etiam ab auditione Missę: talis est ea, quæ prouenit ex excõmunicatione, vel interdicto: nam excommunicatus, vel interdictus, cum prohibeatur Missam audire, & impotens ex vincu-

vinculo spirituali, etiamsi sua culpa talis sit, nec quia negligens sit in procuranda absolutione, peccat mortaliter non audiẽdo Missam, sicut detentus in vinculis, nõ tenetur ex vi huius præcepti quærere liberationem, vt Missam audiat. Ita qui est excommunicatus ob præceptum Missæ, non tenetur tollere impedimentum censuræ: qui verò habet priuilegium audiendi Missam tempore interdicti, non videtur excusari; & ratio est, quia in tantum excusat excommunicatio, in quantum ponit impedimentum: si ergo tollatur per priuilegium, non videtur excusari. Ignorantia etiam tam iuris, quàm facti excusat ab audienda Missa, dummodo ipsa sit inculpabilis: vnde illi excusantur, qui Missam aliquo die prætermittunt inuincibiliter ignorantes esse diem festum. Quod etiam dicendum est de obliuione, dummodo ipsa sit inculpabilis. Impotentia moralis excusat ab auditione Missæ, quando non potest audiri Missa, nisi cum iactura alicuius boni mediocris æstimationis: ideò excusatur fœmina honesta, quæ caret veste conuenienti suæ personæ, aut conuenienti seruitute, sine quibus magno pudore afficeretur, nec commodè potest vestem habere, aut seruitutem: similiter qui non potest domo securus exire, vt si timeat se ab hostibus inuadendum, aut à satellitibus comprehendendum, similiter excusatur famulus, aut vxor, quæ timent rixas, si ad Missas accedant. Excusatur etiam, qui titulo charitatis obligatus est ad subueniendum proximo existente in necessitate: sic seruiens infirmo excusatur, ne infirmum relinquat, etiam ea sola de causa, quod non possit conuenienti tempore adhibere remedia: similiter excusari mulieres ab auditione Missæ, quæ se domi continent, ne sint occasio peccandi alicui, à quo scit se perditè amari, licet ad hoc non teneantur, excusantur etiam, qui ratione officij, tempore Missæ audiendæ obligantur ad aliquid, quod commodè nequeunt in aliud tempus transferre: sic excusantur milites custodientes castrum, famuli, vt Dominis ministrent, & quidem si ministerium sit necessarium iuxta communem viuendi modum, nec Dominus peccat præcipiẽdo, nec famulus parendo; secus verò si ministeriũ possit differri in alium diem, vel horã. Consuetudo regionis aliquando potest ab audienda Missa excusare in die festo, quia sicut consuetudo potest legem inducere; ita etiam potest legem moderari, & abrogare: sic excusantur mulieres post partum abstinentes ab ingressu Ecclesiæ: viduæ etiam post mariti mortem non exeuntes domo ad certum tempus, modò diutiùs non abstineant ad audiẽda Missa, quam postulat recepta consuetudo. Excusantur etiam Virgines nobiles, & nubiles, quæ non consueuerunt exire in publicum, donec nuptui tradantur. Ita plures Doctores citati à Bonacina *disp. 4. de Missæ sacrificio quæst. vlt. pun. vlt. num. 1. vsque ad 27.*

An si festum Annunciationis veniat in die Sabbati Sancti, sint in illa die celebrandæ plures Missæ in Ecclesijs?

BRACTEA LXXXI.

R. Standum esse consuetudini locorum, & Ecclesiarum, cum vtraque opinio sit probabilis, & vtraque habeat Doctores Classicos, qui illam sequuntur.

Sciendum, quod si iuxta consuetudinem loci Missa dicenda sit, est dicenda Missa B. Virginis, aut Missa ordinaria illius diei, cum introitu tamen Missæ Resurrectionis sequentis diei. Ita apud Dianam *tract. 14. de celebratione Missarum resolut. 21.* Qui in affirmatiuam opinionem inclinat.

An quando festum Annunciationis incidit in diem Veneris Sancti, sit Missa audienda sub reatu peccati mortalis?

BRACTEA LXXXII.

Prima sententia est affirmatiua, quam docet Nugnus *tom. 1. in 3 partem quæst. 83. art. 1. difficult. 2.* Vasquez *tom. 3. in 3. partem disp. 232. cap. 2. num. 18.* vbi ait feria VI. in Parasceue Missam à nullo Sacerdote celebrari posse, ob hoc tamen non tollitur, quin eo die si festum aliquod consuetum ab Ecclesia seruari incidat, totus populus interesse debeat illi Officio, in quo sacramentum præsanctificatum consumitur ex vniuersali præcepto audiendi Missam, & siquidem illud, loco Missæ haberi potest. Per Officium autem, cui populus interesse debet, intelligo non passionem, neque cæteras orationes, quæ post illam, antequam sacramentum ex suo loco in altare deferatur, dicuntur, sed illud tãtum, quod extracto Sacramento, & in altari posito à Sacerdote celebratur. Ita Vasquez. Sed,

R. Missam illius diei non esse audiendam sub reatu peccati mortalis. Et ratio est, quia Missa illius diei non est propriè Missa, neque propriè sacrificium, cum non fiat consecratio nouæ hostiæ. Et ita Suarez *tom. 3. in 3. par. disput. 75. sect. 4.* Bellarmin. *tom. 2. lib. 4. de Eucharistia cap. 22.* Sebastianus Perecius *tract. de sacrificio Missæ cap. 14.* Bonacina *de sacramentis disput. 4. quæst. vlt. par. 2. num. 3.* Henriquez *in summa lib. 9. cap. 9. nu. 6.* & alij à Diana relati *loco citato resol. 62.* & Gauantus *in commẽt. ad rubr. Missal. par. 3. tit. 29. num. 24.* docet hanc opinionem, & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem sub die 19. Februarij 1622.

An si Sacerdos regularis applicet Missam contra intentionem Superioris, valeat talis applicatio?

BRACTEA LXXXIII.

R. Valere talem applicationem. Ratio est, quia spectat ad celebrantem applicare valorem ipsius Missę, & non ad Prelatum, cum ipse non sit Minister sacrificii, licet ille regularis

ris peccaret contra votum obedientiæ. Ita Siluester *verbo Missa 1. num. 12.* Angel. *eodem verbo num. 36.* Henriquez *lib. 9. cap. 21. num. 6.* Quam opinionem probabilem vocat Diana *loco citato resolut. 72.*

An Sacerdos, qui voluntariè omittit in Missa Gloria, seu Credo, peccet?

BRACTEA LXXXIV.

R. Non peccare mortaliter, sed venialiter ex materiæ leuitate. Ita Filiucius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 155.* secus dicendum erit, si ea omitteret ex consuetudine, vel ex contemptu, quod etiam dicendum est, si non nominaret aliquem Sanctum eorum, qui in Canone Missę ponuntur. Ratio est, quia etiam in Canone datur paruitas materiæ. Et ita Filiucius *loco citato*, & alij.

An Sacerdos regularis peccet mortaliter, si in Canone pro nomine Episcopi ponat nomen Generalis suæ Religionis?

BRACTEA LXXXV.

R. Affirmatiue ex declaratione Cardinalium relata à Diana *loco citato resolut. 40.* ijs verbis; *Cum Cæsar Episcopus Nouariensis in Hispanijs Nuncius Apostolicus esset, fuit coram eo dubitatum, an Religiosi peccarent mortaliter in Canone Missæ dicendo commemorationem pro Episcopo loci, in cuius locum ponebant Superiorem Ordinis consulta ab ipso Nuncio Sanctą Sedes Apostolica respondet eos mortaliter peccare, cum sit ad vnguem Missale obseruandum, nec in collectis Missæ posse aliquid addi sub eadem pena, præter orationem solitam pro Rege, & eius prole, & exercitu.* Ita apud Dianam.

An Missa Regularibus concessa possit ab alijs dici in Ecclesijs ipsorummet Regularium?

BRACTEA LXXXVI.

R. Negatiue. Et ita declarasse Sacram Congregationem refert Gauantus *in comment. ad rubr. Missal. tom. 1. par. 3. tit. 10. num. 16.* qui etiam *par. 4. tit. 15. num. 11.* notat, quod vbi celebratur festum Sacratissimi Rosarij ex decreto Gregorij Decimitertij, ne dicatur ea Missa, quæ nomine Rosarij circumfertur, quia concessa tantum Ordini Prædicatorum à Sacra Rituum Congregatione die 25. Iunij 1622. & prohibita fuit alijs, sed dicatur Missa de Beata Virgine.

Decreta Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. VRBANI Diuina Prouidentia Papæ Octaui auctoritate edita? De celebratione Missarum.

Cvm sæpè contingat, in quibusdam Ecclesijs, tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen noua onera Missarum in dies suscipiantur: indeque fiat, vt depereant piæ testantium voluntates; obstricta benefactoribus fides violetur; defunctorum animæ suffragijs priuentur; Ecclesijs debitus subtrahatur cultus, ac Christifideles graui scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur. Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas breui ad pauciorem numerũ à Superioribus reductum iri, aut quod Ecclesijs, forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque vllo emolumento; aut quod eleęmosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subijcerę; & redditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione nouis se oneribus obstringere cõpellantur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum animaduertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique; ac Iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atque eradicare; Sanctissimi D. N. Vrbani Diuina Prouidentia PP. VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit.

Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur; quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deindè vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcunque in congrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs, quibuscumque, tam sęcularibus, quam regularibus, Sacra Congregatio sub attestatione Diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributę eleemosynæ præscriptæ fuerint; itaut alioquin ij, ad quos pertinet, suę obligationi non satisfaciant; quinimò grauiter peccent ad restitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obseruetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusuis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tam sęcularibus, quàm regularibus, cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurimum

nam Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynę sibi retenta, celebrandum committat.

Præterea, ne in Ecclesijs, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis eò tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta; statuit, atque decernit, vt pecunię, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tàm sęcularibus, quàm regularibus, atq; illorum personis in futurum simpliciter acquirenda, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet (sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda) à die talis acquisitionis statim deponi debeant penès ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum precium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, vt supra, deponi, atque in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis, cum eisdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc Sacra Congregatio, quibusuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tàm sæcularium, quàm regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, sęculares quidem sine Episcopi, vel eius generalis Vicarij, Regulares verò sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin sæcularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cętero obtinenda, vocisque actiuæ, ac passiuę absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa (Eleemosyna pro Missis) vel alia simili, sub ijsdem pœnis ipso facto incurrendis; ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, aut prouincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrãdarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec anteà assensum huiusmodi, aut licentiam prębeant, quam eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes, tàm nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Ecclesijs, & locis pijs relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis, secundum morem cuiusque Ciuitatis, vel Prouinciæ; intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò Illustriss. Patres, non sine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem disciplinam euerterunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare ex maiori Regularium numero, quam ferant redditus, & eleemosynę cuiusque Monasterij; inhęrentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilij decretis hac de re editis, Sanctissimi Domini Nostri authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscunque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, ac Domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adiacentium; vt singuli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, prouentus omnes consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tàm communes Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum eiusdem Prouinciæ, quàm etiam singularibus personis Religiosis assignatas, seu præmissas, in communem vsum deinceps conferendas decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præstantiones, grandines, sterilitates, aliaue cuiuslibet generis onera consueuerunt absorbere, eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior cuius interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel prouinciali coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seù Congregatione deligendis, proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis, & obuentionibus vniuersis, & oneribus, vt supra detractis, sedulo examinet, quot Religiosi homines (connumeratis etiam laicis, alijsque necessarijs seruientibus) in vnoquoque Monasterio, Conuentu, & Domo regulari iuxta regionis, & proprij Instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, redditTuum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsemet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis: cuiusque familiæ Monasterij, Conuentus, ac Domus regularis in singula quaque Prouincia certus earum tantum personarum numerus, Patrum capitularium voto, præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superius, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores, qui id præstare debent, seriùs, aut remissiùs, quam par est, suo

muneri satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, vt infra annum, post proximum Capitulum Generale, vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redactam ad Sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant; numerumque familiæ, singulorumque Conuentuum, Monasteriorum, & Domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel prouincialis sententia, & auctoritate præfinitum, ijdē Superiores, tàm Generales, & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omninò teneantur; nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redituum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia. Superiores autem huiusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, vt supra, præscriptum quouis modo augere præsumpserint priuationis omnium officiorum, quæ nunc temporis obtinebunt, vocisque actiuæ, ac passiuæ, & ad omnia suæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt supra detrahendis, competenter sustentari valeant ad præscriptum decreti fel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca huiusmodi post hac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt supra, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem habeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisque actiuæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sextò quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Aduentus, & feria sexta post Octauam Corporis Christi præsentes ordinationes in publica mensa perlegātur. Omnibus tàm Ecclesiasticis personis, cuiuscunque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis quocunque honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obstantibus (quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta) Cōstitutionibus, & Ordinationibus Apost. in fauorem quarumcunque personarum, atq; Ordinum, tàm Mendicantium, quàm non Mēdicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolimitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Instituti, etiam necessario, & in indiuiduo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, *Hospitalium*, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque, tàm sæcularium, quàm regularium locorum; necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis: etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viā communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum (non autem per clausulas generales) mentio, seu quęuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quę præsentibus aduersantur (illis alias in suo robore permansuris) Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expressè derogat, cæterisque contrarijs quibuscunque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, vt præsentes Ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadē prorsus fides adhibeatur, quę præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romę, die 21. Iunij 1625.

Cosm. Cardinalis de Torres.

Loco ✝ sigilli.

Prosper Fagnanus Sacr. Congr. Secr.

Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ Octaui auctoritate editæ, super Decretis eiusdem Congregationis. De celebratione Missarum.

SVPER primo Sacræ Congregationis Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quod si legatum sit ita tenue, vt non sit, qui velit onus illi iniunctum subire; etsi recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro modera-

moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis.

Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari.

Secundo super secundo eiusdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missę, quot, ad rationem tributę elemosynę præscriptæ fuerint.

Quæritur an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario.

Tertio an cum Ordinarius pręscripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporū, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quartò an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij possint etiā manualē eleemosynam pro Missis votiuis, aut defunctorum recipere, & vnico Missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere.

Quintò, posito quod testator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Missæ absque vlla præscriptione eleemosynæ.

Quæritur, an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi benè visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario.

Sextò super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia, quibus indulgetur, aut certarum Missarum, vel anniuersariorum celebratione, vel aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciat.

Quæritur, an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post priuilegium?

Septimò, super quarto eiusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineāt aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium, interuientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium.

Octauò, an hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quę conferuntur in titulum, idest an Rector beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditurum beneficij?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missæ debeant dare eamdem integram eleemosynam, quibus Missas celebrandas committunt: an verò satis sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam.

Vndecimò, super quinto eiusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba (eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis) ita demū ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera obire valeant; alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc Decretum prohibeat absolutè, quo minus accipiant nouas eleemosynas hi, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere.

Duodecimò, quid si offerens eleemosynas audito impedimento consentiat, vt Sacerdos Missam celebret, cum primùm poterit.

Decimotertiò, an pęna interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto afficiant tàm eos, qui accipiunt eleemosynas cōtra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipitur?

Decimoquartò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die Commemorationis Omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (Casse de Morti.)

Decimoquintò, an administratores Ecclesiæ magnæ deuotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si ijsdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus Ecclesiæ, ac deuotio, & concursus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimosextò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, necnō omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum tàm sæcularium, quàm regularium Superioribus (de quibus fit expressa mentio) non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali (& alij ad quos pertinet) supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimoseptimò, super septimo eiusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in singulis Monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari.

Quæritur, an vbi hæc pręfixio facta iam fuit in consimilis Decreti sacræ mem. Pauli V. absque tamen computatione redditum cuiusque Religiosi sit denuò facienda necne.

Decimooctauò, an Nouitij ad habitum regularem admissi possint admitti ad professionem in Monasterijs, in quibus habita, vt supra præfixione numeri commodè ali non possint.

Decimonono, super vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita vt alioquin subsint iurisdictioni ordinariæ.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur in ordine ad celebrationem Missarum comprehendat eas Religiones, quæ non consueuerunt onera Missarum recipere, vt sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Iesu.

Vltimo, an idem Decretum, vbi disponit (vt nullibi recipiantur Monasteria, nisi, &c.) habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens; an verò etiam extra Italiam?

IAM Sacra

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum auctoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributa ad singula dubia superius proposita, ad hunc modum respondit, videlicet.

Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, vt supra impositi ab his, ad quos pertinet Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque vlla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse indicauerit. Verumtamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt esse validam, & obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundum morem suæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium teneri.

Ad quartum Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

Ad quintum censuit, vbi nullam certam eleemosynam testator relinquit esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum, respondit prætermittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam, vtcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alios non habent redditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeundę, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quę supersunt (expensis, vt supra deductis) absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octauum, non habere locum, sed satis esse, vt Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad nonum, debere absolutè integrã eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad decimum, respondit non prohibere absolutè: ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad vndecimum, quamuis onera suscepta intra modicum tempus adhiberi nequeant: si tamen tribuens eleemosynam aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, vt illę tunc demùm celebrentur cum susceptis oneribus satisfactum fuerit: demùm non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur pro ijsdem Missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad duodecimum, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumtertium comprehendi.

Ad decimumquartum, non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, vt supra in responsione ad duodecimum.

Ad decimumquintum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumsextum, numeri præfixionem esse iterum faciendam, seruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad decimũ septimũ esse admittẽdos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos, vbi commodè ali possint.

Ad decimumoctauum, censuit comprehendere.

Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † sigilli.

Prosper Fagnanus Sacr. Congregat. Secretarius.



MAL-

MALLEATIO VI.

De De actibus humanis.

Quartum locum inter Sacramenta tenent pœnitentia, quia spiritualis vita, quæ in Baptismo inchoatur, & perficitur in Confirmatione, aliquando amittitur; idcircò ad eam instaurandam institutum fuit Sacramentum Pœnitentiæ. Agam primò de actibus humanis, de conscientia recta, erronea, &c. de opinione, de peccatis, & circumstantijs peccatorum de occasione tamquam de præludijs. Deinde agam de Pœnitentia, quatenus virtus, postea Sacramentum, de eius partibus essentialibus, & integralibus, materia, & forma, de effectibus, de ministro, &c. Tractant de Pœnitentia Theolog. in 4. sent. & cum S. Thom. quæst. 88 *Summistæ verbo Confessio, Contritio, Pœnitentia, Satisfactio, & quia Indulgentijs, &c. satisfit pro pœna debita peccatis; idcircò agam etiam de Indulgentijs, Iubilæo ordinario, & extraordinario nimirum de anno Sancto.*

An actiones hominis sint propter finem?

BRACTEA I.

R. HOMINIS actiones esse propter finem, quando humano modo operatur. Ita D. Thomas *2.2. quæst.1. art.1.* Dixi, quando operatur humano modo, quia cum sine deliberatione non agit propter finem, & per consequens talis actio non dicitur humana, licet dicatur actio hominis. Ita S. Thomas *loco citato.*

Sciendum actionem aliquam esse propter finem, nihil aliud est, quam eam effici ex cognitione bonitatis, quæ afficit volūtatem ad operandum, & est proprium solius hominis propter finem moueri, & agere cum cognitione, non solùm rei, quæ est finis, sed etiam finis, quà finis est; quia cognoscit, & adhibet ea, quæ sūt ad finem, quatenus vtilia, & commoda ad eum assequendum, & gratia ipsius finis adipiscendi Bruta solo instinctu naturæ ad ea ferūtur, quę sunt ad finem apta, & idonea, feruntur tamen ad ea, quia ijs delectantur; & proinde quidquid perquirunt, & sectantur auidens gratia delectationis exquirunt.

An cuiuscumque actionis humanæ sit vltimus finis?

BRACTEA II.

SCIENDVM duplicem posse esse vltimum finem vnum simpliciter, ad quem operās referat se, & omnia suā tamquam in bonum perfectum, & hic est Deus. Alterum secundum quid, & est ille, qui intenditur aliqua actione, vel negotio. Hoc posito.

R. In qualibet actione dari finem vltimum secundum quid. Ratio, quia cum in actionibus non detur progressus in infinitum; idcircò debent habere aliquem finem vltimum, in quem ordinentur, & cuius gratia fiat operatio.

R. 2. Præter finem vltimum secundum quid, vltimum simpliciter dari, qui est Deus, in quem omnia bona suaptè natura referuntur, qui solus potest omnium rerum expetere appetitum.

An actionis humanæ sint plures vltimi fines?

BRACTEA III.

SCIENDVM duplicem esse vltimum finem, vnum specialem, qui proprius est alicuius creaturæ in specie consideratæ, alterum communem, & generalem omnibus creaturis.

Sciendum 2. finem vltimum vnum esse per affirmationem, qui est cęteris superior, & in cuius gratia reliqua fiunt, & alterum per negationem, qui in nihil aliud refertur, quamuis ipse finis non sit id, in quo cætera diriguntur. Quibus positis.

R. Si finis vltimus sit per affirmationem, nequeunt esse plures fines vltimi. Ratio, quia finis, qui in alium refertur, eo ipso non est vltimus; at verò si finis sit per negationem vltimus, possunt esse, & multarum actionum nostrarum, & eiusdem actiones multi fines vltimi, potest enim quis multa peccata committere, quorum vnum in aliud minimè referatur. Deinde potest quis eodem actu velle, & appetere æquè duo peccata distincta. Ita vt vnum non velit propter aliud, sed vtrumque propter ipsummet.

De requisitis ad humanam actionem?

BRACTEA IV.

SCIENDVM humanam actionem tria significare. Primò omnem eam actionem, quæ fit ab homine, quo pacto etiam illæ, quæ sunt homini communes cum plantis, &c. dici possunt actiones humanæ. Secundo sumitur humana actio pro ea tantum, quæ fit ab homine solùm, quo pacto, risus, locutio, intellectio, & volitio dicuntur actiones hominis propriæ, siue fiant cum aduertentia, siue non, quo pacto etiam actiones puerorum, & amentium dicuntur humanæ

manæ hoc modo. Tertiò sumitur pro ea actione, quæ fit ab homine, vt homo est, idest vt agit ex deliberatione, qui modus agendi proprius hominis est, & sub hac ratione actiones puerorum, &c. non dicuntur humanæ, quia nō fiunt cum deliberatione, etiamsi fiant à solis hominibus, & ideò non sunt morales, nec dignæ laude, vel vituperatione. Quo posito.

R. Tria requiri ad humanam actionem secundum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. Primò, vt conueniat homini, vt homo est. Secundo, vt eius sit Dñs homo naturaliter. Tertiò, vt oriatur à libera volūtate illius, secundū verò alios humana est actio hominis deliberata, siuè quę promanat ex ratione deliberante; & per consequens idē est, esse humanas actiones propriè, & esse liberas, & morales.

Sciendum, quod actus propriè humani, seu liberi diuiduntur in elicitos, ac imperatos; actus eliciti dicuntur, qui à libera voluntate immediatè eliciuntur, quorum alij versantur circa finem, & sunt tres secundum D. Thom. 1. 2. *quæst.* 8. videlicet simplex voluntas, seu complacentia boni, intentio, seu propositum boni acquirendi, seu fruitio, seu gaudium in bono acquisito. Alij verò versantur circa media, videlicet consensus, electio, & vsus; vbi nota eundem actum voluntatis esse consensum, & electionē, sed dicitur *electio* in ordine ad medium; & *consensus* in ordine ad intellectum, quatenus volūtas idipsum vult, quod intellectus agendum iudicat. Vsus verò est actus, quo voluntas applicat alias potentias ad executionem medij ab ipsa acceptati.

Sciendum 2. ad operationem spontaneam, seu voluntariam duo requiri: primum, vt ab intrinseco principio procedat, & ideò si ab extrinseco principio procedit, non dicitur liberum, vt docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 6 *art.* 4. secundùm requiritur, vt quod agitur, ab agente cognoscatur, vnde dici solet, quod voluntas non fertur in incognitum.

Quid, & quotuplex sit voluntarium?

BRACTEA V.

RESPONDEO, vt supra dictum fuit, voluntarium esse, cuius principium est in agēte, cum notitia eius, quod geritur, nam eo ipso, quod principium est in agente, voluntarium, à violento distinguitur, & ex hoc, quod quis sciens agit aliquid, distinguitur à natura, quæ tametsi ex principio interno agit, non tamen cum notitia eius, quod efficit.

R. 2. Voluntarium multiplex esse. Primò voluntarium diuiditur in voluntarium elicitum, & imperatum. Secundò in voluntarium voluntate propria, & voluntate aliena, hoc posteriore modo, volūtas patris censetur, voluntas filij, voluntas tutoris, voluntas pupilli, &c. Tertiò diuiditur voluntarium in expressum, & tacitum; expressum dicitur, quod verbis, aut alijs signis exprimitur, tacitum, quod sine verbis concluditur in alieno facto. Quartò diuiditur in voluntarium actu, & voluntarium virtute. Quintò diuiditur in id, quod directè, ac per se voluntarium est, & quod indirectè, siuè in alio. Ita S. Thomas 1. 2. *quæsit.* 77. *art.* 7. voluntarium indirectum duobus modis accidit primò, si homo voluntariè exerceat actionem, ex qua scit, vel suspicatur consecuturum aliquem effectum, etsi eum per se, & directè non intendat, indirectè tamen ipsi voluntarius efficitur. Secundò accidit voluntarium indirectè, si homo effectum aliquem sua actione impedire, vel tollere posset, ac deberet, sed scienter intermittit, tum effectus illi moraliter, & interpretatiuè voluntarius est, atque ad culpam imputatur. Ita S. Thomas *quæst.* 6. *art.* 3.

Quid sit libertas, seu actio libera?


BRACTEA VI.

R. ACTIONEM liberam illam esse, quæ post intentionem, & deliberationem rationis ex electione est. Ita Layman *de voluntarijs actibus tract.* 2. *cap.* 2. & alij. Intentio est motus rationalis appetitus in finem per media assequendum; cuiusmodi actio inter animalia soli homini competit. Deliberatio rationis, oritur ex rerum huius mundi indifferentia in eo consistente, quod nullum particulare obiectum homini hac vita appareat omni ex parte bonum, atque conueniens, hic & nunc necessariò appetendum, si fęlix esse velit, sed in quauis re particulari licet intellectus inueniat aliquam rationem bonitatis, & conuenientiæ, propter quam expetenda videatur, in eisdem tamen reperit rationem inconuenientiæ. Quamobrem humana ratio inter se confert hinc apparentes rationes conuenientiæ istinc oppositas rationes inconuenientiæ, & sic deliberat, ac denique concludit, siue iudicat, dicitur talis processus intellectus, deliberatio. Layman *loco citato*. Altera est definitio; liberum esse id, quod positis omnibus requisitis ad agendum absque eo, quod fiat vlla mutatio in se potest agere, vel non agere. Et ita apud Filiucium *tract.* 21 *de decalogo cap.* 2. *num.* 62.

Sciendum duplicem esse libertatem, vnam secundum exercitium; quæ est potestas, siuè indifferentia ad agendum, vel non agendum: alterum significationis, quæ est potestas, siuè indifferentia, tum hanc, tum contrariam actionem, circa idem obiectum exercendi, vt v. g. circa Deum amorem, & odium, &c.

R. Libertatem formaliter esse in voluntate, radicaliter autem est in intellectu. Ratio primæ partis est, quia sola voluntas est, quæ potest agere, & non agere. Ratio secundæ partis est, quia intellectus dictat voluntati, id quod est agendum, vel fugiendum.

Sciendū intellectū per se, & secluso actu voluntatis non esse capacem peccati, aut meriti. Ratio, quia ad peccandū requirit libertas, quę cum non sit in intellectu, secluso actu voluntatis, sequitur ipsum, secluso actu voluntatis non esse capacem peccati. Secundò primum actum intellectus non esse propriè humanum, ac moralem, sed naturalem. Ratio, quia primus actus intellectus est sine omni actu voluntatis, & per consequens cum non sit liber, non est humanus, ac moralis, sed naturalis.



An

An violentia, & metus tollant voluntarium?

BRACTEA VII.

R. Primo violentiam absolutam tollere voluntarium. Ratio, quia violentia est vis, quædam, quæ infertur ab extrinseco, qua quis aliquid cogitur facere contra propriam voluntatem, & quod est voluntarium, debet fieri secundum inclinationem voluntatis.

R. Metum non tollere absolutè voluntariū. Ratio, quia id, quod fit per metum, fit à principio intrinseco, & quod fit à principio intrinseco, & cum de liberatione liberè fit.

Sciendum metum primò diuidi in intrinsecum, & extrinsecum; metus intrinsecus est, qui à persona extrinseca incutitur ad extorquendum alicuius rei consensum, quod dupliciter fieri potest iustè, vel iniustè, iustè quando incutitur ob iustam causam nimirum ad faciendum id, quod iustitia tenetur facere, iniustè quando incutitur, non ob iustam causam, nimirum incutitur ad faciendum id, quod ex iustitia non tenetur facere. Secundò diuiditur metus, qui est ab extrinseco iniustè iniustus in cadentem, in constantē virum, & in cadentem in inconstantem virum, de quibus dictum est cùm de contractibus.

Concupiscentia an impediat voluntarium?

BRACTEA VIII.

Sciendum nomine concupiscentiæ intelligere passionē appetitus sensitiui prosequentis bonum delectabile, cuiusmodi sunt amor, desiderium, spes, gaudium, ira, &c. Talis passio concupiscentiæ diuiditur in antecedentem, ac consequentem: antecedens est, quæ præuenit omnem voluntatis deliberationem: consequēs est, quæ voluntatis arbitrio excitatur, vt ad promptiorem operationem inseruiat. Quibus positis.

R. Passionem concupiscentię consequentem non minuere, sed potiùs augere voluntarium; passionem verò antecedentem licet non faciat inuoluntarium, minuere tamen ipsum. Ita D. Thom. *1.2. quæst. 77 art. 6. & 7.* Layman *de voluntarijs actibus tract. 2. cap. 5 num. 1. & 2.*

Ignorantia an tollat voluntarium?

BRACTEA IX.

Sciendum ignorantiam aliam esse antecedentem, & aliam consequentem, & aliam comitantem. Ignorantiam antecedentem illam esse, quæ est causa eius, quod ignoranter fit adeò, vt si adesset scientia illi contraria, actus non fieret; idcircò antecedit omnem actum contrarium: consequentem illam esse, quæ consequitur voluntatem, & aliquo modo voluntaria est. Vnde vt ignorantia dicatur volūtaria, duo requirit. Primò vt sit circa rem cuius scientiam quis habere possit. Secundò, vt aliquando habuerit cognitionem, vel talis ignorantię, vel rei, quę poterat ab ipso cognosci, ex qua per electionem possit se mouere ad comparandam scientiam. Diuiditur etiā ignorantia in ignorantiam priuationis, & prauæ dispositionis. Ignorantia priuationis est carentia scientiæ in subiecto apto ad sciendum: Ignorantia prauę dispositionis, est positiua deceptio, & contrarius veritati error. Diuiditur etiam in ignorantiam iuris, & facti; ignorantia iuris dicitur, si quis ignorat, quod lege, vel consuetudine vim legis obtinente cōstitutum; ignorantia facti est, qua quis ignorat aliquod factum esse prohibitum; diuiditur etiam in inuincibilem, & vincibilem; inuincibilis est, quæ superari non potuit, posita aliqua diligentia vincibilis est, quæ tolli potuit per oppositam scientiam; vincibilis ignorantia subdiuiditur in affectatā, & non affectatam, quę inter se differunt, quod illa directè voluntaria sit, hæc indirectè, ignorantia affectata est, cum quis data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, non affectata est crassa, vel superna, ad quam tollendam nulla, vel modica vera adhibetur. Quibus positis.

R. Ignorantiam antecedentem tollere voluntariū consequentem nō tollere. Ratio, quia primò tollit cognitionē: secunda verò non tollit, ignorantiam verò concomitantem etsi tollat cognitionem, tamen non facere inuoluntarium, quia etiamsi scientia contraria adfuisset, adhuc idem opus factum fuisset. Ita Filiucius *tract. 21. cap. 2. num. 69. & 70.*

Vnde desumatur bonitas, vel malitia actus humani?

BRACTEA X.

R. Bonitatem, vel malitiam actus humani desumi ex conuenientia, vel disconuenientia, quam habet cum regula rationis, quæ conformitas dicitur integritas, & perfectio actionis humanæ. Ita S. Thomas *1.2. quæst. 18.* & alij. Ita vt si actus humanus habeat conformitatem cum ratione, dicatur bonus, si verò disconformitatem malus. Ratio, quia bonitas, & malitia opponuntur. Si ergo bonitas cōsistit in conformitate, & integritate, malitia consistet in priuatione talis conformitati s, & integritatis.

R. Quod licet actus humanus accipiat suam bonitatem, vel malitiam à conformitate, vel disconfirmitate cum ratione; tamen primariā suam bonitatem, seu essentialem, desumere ab obiecto, circa quod versatur. Et ita Azor *lib. 2. cap. 1. quæst. 5.* Layman *tract. 2. cap. 7. num. 3.* Filiucius *tract. 21. cap. 3. num. 91.* & ideò si obiectum bonum, ac decens sit ita, etiam erit actus humanus, cōtra si obiectum indecens sit etiam actus circa tale obiectum; erit indecens, & inhonestus, vt v. g. amare Deum bonum, ac honestum est, non solùm ob conformitatem actus humani cum ratione, sed etiam ratione obiecti, quod est Deus: contra mentiri est malum, non solùm ob disconuenientiam, cum ratione, sed etiam ratione obiecti cum mendacium sit intrinsecè malum.

Sciendum bonitatem, vel malitiam, quam obiectum actioni tribuit esse in ipso obiecto fundamentaliter; in actione verò formaliter eo modo, quo veritas, vel falsitas formaliter sunt in actu intellectus, fundamentaliter in rebus.

Scien-

Sciendum 2. ea, quæ sunt intrinsecè mala, vt odisse Deum fornicari, &c. sumere suā bonitatē, vel malitiā ab obiecto, quæ verò sunt extrinsecè mala, idest mala, quia prohibita, malitiam suā nō habent ab obiecto præcisè, sed cū ordine ad legem præcipientem, aut prohibentem. Secundo bonitatem esse aliquid reale, & positiuum, per quam homines ipsi, & eorum actiones à parte rei dicuntur bonæ, vel malæ. Malitiam vero esse aliquid rationis tantum, & priuatiuum, vtpotè negatio bonitatis realis, sicut cæcitas est quid rationis, & priuatio visus, tenebræ, priuatio lucis, quamuis dicantur esse à parte rei fundamentaliter.

Sciendum 3. ad maiorem notitiam eius, quod dictum fuit supra, bonitatē, vel malitiam actus desumi ex conformitate, vel disconformitate cum ratione. Intellectum aliū esse practicū, & alium speculatiuū; intellectum practicū solùm posse esse regulam nostrarum actionū, & per intellectum practicū intelligo illum actum practicum, qui rappresentat obiectum operabile, prout operabile à cognoscente moto, & directo vitalis cognitionis ad opus. Ita Stephanus Spinula *de libera, & prudenti agibilium electione disp. 3. sect. 1.* Secundò voluntatem non moueri ad eligendum bonitate in se, & absoluta, sed bonitate respectiua, & sibi conducente, quod nempè hic, & nūc bonum sit sibi eligere tale obiectū; voluntas enim cum sit potētia cæca ad hoc, vt possit eligere, aliquod obiectū requiritur, vt ipsi proponatur tale obiectū, vt eligibile ab ipsa, nescit volūtas, quę cęca est, nisi ei proponatur, vt tale & idcircò ratio proponit volūtati obiectum eligendum, aut faciendū, & voluntas amplectitur obiectum rappræsentatum, vt in se iustum, bonitate respectiua, & sibi conducente ex eo, quod proponitur obiectum iustum, proponitur saltem implicitè, vt in se bonum.

MALLEATIO VII.

De Conscientia.

Quid sit conscientia?

BRACTEA I.

R. Conscientiam esse dictamen rationis, seu iudicium practicū intellectus, quod voluntati dictat id, quod est ab ea agendum, quodvè ab ea fugiendum. Ita communiter omnes Doctores.

Sciendum volūtatem humanam esse cæcam, & indigere auxilio intellectus ad operandum: conscientiam, seù dictamen rationis, siue iudicium practicum intellectus esse regulam, siuè ducem ipsius voluntatis in operando, quando voluntas operatur iuxta conscientiam, siuè dictamen rationis, & iudicium practicum benè operari, quia iuxta ipsius regulam operatur. Quando verò actus volūtatis non habet conuenientiam cum conscientia, seù dictamine rationis dicitur malus, quia recedit à regula, & est peccaminosus iuxta qualitatem recessus.

R. 2. esse differentiam inter synderesim, & conscientiā, quia synderesis est habitus à natura insitus, quo clarè percipit in se ipsa prima principia practica, ex quibus potest ratiocinādo iudicare de eo, quod volūtati sequendū est, tamquam bonum, vel fugiendum tamquam malum. Conscientia vero sit huius scientię applicatio, seù particulare iudicium, quo mens nostra secundum ea, quæ per synderesim nouit, statuit in particulari aliquid non esse agēdum, tamquam malum, vel agendū, tamquam bonum. Ita D. Thomas *1. par. quæst. 79. art. 12. & 13. & in quæst. de veritate quæst. 16. & 17.*

R. 3. Conscientiam multiplicem esse, rectam, probabilem, dubiam, erroneam, & scrupulosam.

Conscientia recta est, quæ dictat voluntati rem vt est: nimirum bonum sub specie boni, & malum sub specie mali.

Conscientia probabilis est, quæ dictat volūtati aliquid esse agendum, vel fugiendum, deducendo illud ex probabilibus principijs, & cum formidine oppositi.

Conscientia dubia est, quæ neque assentitur, neque dissentit, sed semper est dubia, & anceps.

Conscientia erronea est, quæ aliter dictat, quam res sit: dictat voluntati malum agendum sub specie boni, & bonum fugiendum sub specie mali.

Scrupulosa est, quæ ex leuibus indicijs argumentando dictat voluntati aliquid esse fugiendum tamquam malum, & è contra, & semper cum formidine oppositi.

Ex dictis colligi potest, quid sit scientia, opinio probabilis, dubium, error, & scrupulus.

Sciētia est cognitio certa, saltem moraliter alicuius rei, quę vel est speculatiua, quæ in genere concludit aliquid esse bonum, vel malum agendum, vel fugiendum; vel practica, quā in casibus particularibus iudicatur bonum, vel malum, vel esse agendum, vel non.

Opinio probabilis est assensus vnius partis cum timore, & formidine oppositi.

Dubium est, quando intellectus neque assentitur, neque dissentit in neutram partem inclinans.

Scrupulus est suspicio leuis ex leuibus fundamentis orta, qua quis putat, aliquid esse peccatum, quod re ipsa non est, & cum formidine oppositi.

Quomodo conscientia recta obliget?

BRACTEA II.

R. Conscientiam rectam obligare voluntatem ad operandum sub peccato mortali, nisi excusetur ob causas excusantes à peccato mortali.

Ratio est, quia semper voluntas peccat, quoties non sequitur suam regulam, quæ est conscientia, seu iudicium practicum intellectus. Tum quia voluntas, vt docet S. Thomas *1. 2. quæst. 29.* Debet semper agere iuxta conscientiā, vel iubentem, aut prohibentem; quod probat & Apostolus ad Romanos *cap. 1. Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse illi commune;* quasi dicat neminem inquinari manducando cibum contra legem, nisi qui existimat contra conscientiam facere manducando, quia non operatur secūdum conscientiā; & per consequens conscientia recta inclinat voluntatem ad operandum sub

sub mortali, & peccat mortaliter, qui in materia graui facit contra propriam conscientiam, idest contra dictamen rationis, & contra iudicium practicum intellectus.

Conscientia dubia, quomodo obliget voluntatem?

BRACTEA III.

SCIENDVM, vt supra dictum est conscientiam dubiam dici, quæ neque assentitur, neque dissentit, sed semper est anceps. Quo posito.

R. Conscientiam dubiam obligare ad operandum in materia graui sub peccato mortali, si æqualiter dubitat de malitia actus. Ratio est, quia operatur contra conscientiam, & operando dubiè exponit se periculo peccati.

Vnde qui dubitat de validitate matrimonij accedendo ad vxorem, petendo debitum peccat; si verò adhibita diligentia ad sciendam veritatem adhuc dubitet, non peccat petendo.

Qui dubitat, an peccatum sit iter facere in die festo, peccat iter faciendo cum dubio, quia facit aliquid, de quo dubitat, an sit malum.

Similiter, qui dubitat, an pallium quod emit, fuerit alteri furtò sublatũ, peccat, si ipso vtitur etsi vbi ita adhibita diligentia adhuc dubitat, potest illo vti, & de ipso cõtrahere. Si verò inæqualiter dubitat post adhibitam diligentiam, potest eligere id, quod existimat minus malum, vel facere sibi conscientiam, non esse malum illud facere.

Quotuplex sit dubium?

BRACTEA IV.

R. DVPLEX esse, vnum speculatiuum, & alterum practicum. Dubium speculatiuum esse, quando in genere de re aliqua quis dubitat, seu quod antecedit operationem. Dubium practicum esse illud, quod hic, & nunc quis habet, quando operatur, seù quod comitatur ipsam actionem.

Dubium quod quis hodie habet, de re cras facienda dicitur speculatiuum, quia in genere dubitat, & antecedit ipsam actionem. At verò dubium, quod quis habet, quando actualiter operatur, dicitur practicũ, quia concomitatur ipsam actionem, & est cum ipsa coniunctum.

R. 2. Qui operatur contra conscientiam speculatiuè dubitantem non peccat, nisi dubium speculatiuum fiat practicum; qui verò operatur contra conscientiam practicè dubiam peccat peccato illius speciei, de quo dubitat esse peccatum. Si dubitauerit esse sacrilegium, erit sacrilegium, si verò operando deposuerit dubium, non peccauit.

Ad deponendum dubium duo reperiuntur. Primò, quod adhibeatur diligentia ad assequendam veritatem, quia ratio dictat in dubijs vtendam esse diligentiam, quæ debet esse talis, qualis hic, & nunc pro ratione loci, & temporis iudicabitur sufficiens ad deponendum dubium.

Secundò requiritur aliqua causa iusta, vt erit consilium bonorum, & sapientum.

Conscientia erronea quomodo obliget voluntatem?

BRACTEA V.

R. CONSCIENTIAM erroneam obligare voluntatem ad operandum in materia graui sub peccato mortali.

Sciendũ conscientiam erroneam duplicem esse vincibilem, & inuincibilem. Vincibilem esse, cuius error poterat tolli, vel quæ adhibita diligentia poterat vinci.

Conscientiam erroneam inuincibilem esse, quæ nullo modo poterat tolli, vel vinci, quia nunquam præcessit dubium, vel suspicio erroris, vel aliud motiuum inquirendæ veritatis.

R. 2. Conscientiam erroneam inuincibilem obligare sub peccato ad operandum, siuè præcipiat, siuè aliquid prohibeat.

Conscientiam erroneam inuincibilẽ obligare etiam ad operãdum sub peccato, immò qui facit aliquod malum ex consciẽtia vincibili, & culpabili apprehẽsum, vt bonũ peccat. Ratio, quia in potestate erat conscientiã erroneã deponere. Non peccat, si postquã visus est diligẽtia ad deponendam conscientiam erroneã, adhuc laborat consciẽtia erronea vincibili. Vnde q ex cõscientia erronea apprehẽdit furtũ, vt bonũ, illudq; facit, peccat, quia in eius potestate erat conscientiam erroneam deponere. Qui verò ex conscientia erronea facit aliquod malum putans esse bonum, non censetur facere malum formaliter, sed solùm materialiter.

An magis obliget conscientia erronea, quam præceptum superioris?

R. Magis obligare conscientiam erroneam inuincibilem, quam præceptũ superioris. Ratio, quia nullum est peccatum, nisi voluntarium; qui autem facit aliquid ex conscientia inuincibili erronea facit id, quod ratio dictat, & per consequens non peccat faciẽdo id, quod conscientia dictat, peccaret, si faceret iuxta præceptum, quia operaretur contra conscientiam.

Conscientia scrupulosa, quomodo obliget voluntatem?

BRACTEA VI.

R. CONSCIENTIAM scrupulosam obligare ad operandum in materia graui sub peccato mortali secundum eam. Ratio, quia vnusquisque debet operari secundum dictamen suæ rationis. Vnde qui existimat spuere in Ecclesia esse peccatum mortale, peccat mortaliter spuendo, quia spuendo facit contra conscientiam.

An cum conscientia dubia licitum sit operari?

BRACTEA VII.

SCIENDVM aliud esse dubium, aliud opinio, & aliud scientia, siue iudicium animi certum. Dubium est, cum mens anceps est, & neutri parti contradictionis assentitur. Opinio, est

est assensus vnius partis non carens, saltem virtualiter formidine oppositi. Iudicium certum, seu scientia omnem dubitationem, ac formidinem partis oppositæ excludit.

Secundò, dubium aliud esse iuris, & aliud facti. Dubium iuris est, quod est de obligatione, aut facultate legitima agendi, & diuiditur in speculatiuum, & practicum, vt supra dictum est.

Tertiò, dubium practicum subdiuidi, vnum generale, seu remotum, & alterũ propriè practicum, seu practicè practicum. Ita Caietanus *tom.1.tract.31.opusc.17.responsione 13.dub.7.* Couar. *reg. possessor par. 2. num. 5.* Nauarr. *in sum. prælud.9.nu.9.* Sanchez *lib.2. de matrimonio disp.41. num.4.* Becan. *quæst.8.num.1.*

Dubium practicum generale, seu remotum, aut abstractum est, vt cum dubitatur, vtrum liceat die festo pingere, piscari, &c. Dubium proprium, seu practicè practicum, cum in particulari dubitatur hic, & nunc an liceat die festo pingere, piscari, &c. quod quidem dubium generale, dicitur etiam speculatiuum. Dubium facti, in quo ambigitur, an aliquid sit factum intentione se obligandi, v.g. vtrum votum editum, vel simplex promotio facta fuerit sine animo se obligandi.

Ex dubio facti plerunque oritur dubium iuris, & ex dubio iuris sæpè oritur dubium practicum; v.g. dubitans, an Baptismus fuerit validus, mox dubitari incipit, an debeat repeti. Quo posito.

R. Cum conscientia speculatiuè dubia posse quemlibet operari, non autem cum conscientia practicè dubia, quia exponeret se periculo faciendi aliquid, de quo dubitat esse peccatum.

Sciendum contra Paulum Layman *lib.1.tract. 1.cap.581.num.1.* & alios, quod licet ad rectè operandum requiratur iudicium certum moraliter, non tamen, ita vt excludat omnem formidinem oppositi, vt rectè docet Vasquez *in 1. 2. disp.62.cap. 5.* Sanchez *in summa tom.1.lib.1.cap.10.nu. 29.* sufficit enim probabiliter dictans, hoc vel illud honestè agi, quamuis non sine formidine oppositi.

An dubitans vtrum casus sit reseruatus, possit absoluere?

BRACTEA VIII.

R. In dubijs vtrum casus sit reseruatus posse Confessarium absoluere pœnitentem. Ita Emanuel Sà *verbo casus reseruatio num. 5.* Filiucius *tom.2.tract.21.cap. 4. num. 172.* Vrtado *de sacramentis tom.1.difficult.11. de pœnitentia dub. 6.* Suarez *de religione tom.2.lib.4.cap.50 num.15.* Ochagan. *de sacramento pœnitentiæ tract.2.quæst.13. num. 8.* Homobonus *in consul.casuum conscientiæ vol.2.par.5.respons.87.*

Ratio in dubio iuris pro libertate pœnitentis tenendum, tum etiam quia reseruatio est odiosa, & ideo strictè interpretanda.

Sciendum, quod licet in dubio iuris pro libertate sit tenendum, & per consequens in tali dubio Confessarium posse absoluere pœnitentem: tamen in dubio facti pro facto contra pœnitentem esse tenendum; vt v.g. hæresis externa reseruatur, quando etiam mente ita sentitur, est autem dubius proferens; an ita mente senserit, vel an mente ita sentiens protulerit exterius animo asserendæ eius, & sic sit verè externa, ac proinde reseruata censebitur: in hoc dubio esse reseruatam, cum hoc non sit dubiũ iuris, sed facti, cum constet hæresis pronunciatio, & dubius sit solùm, an ita mente senserit, præsumitur in isto casu ita mente sensisse, quia cum verba sint naturaliter signa intentionis, & nullus præsumitur dicere, quod non habet in corde, & proinde præsumptio est contra ipsum, & casum esse reseruatum.

An qui fecit obortum sit irregularis si dubitetur de animatione fœtus?

BRACTEA IX.

R. Qui fecit obortum, etiamsi dubitet de animatione fetus censendum esse irregularem Ita Sanchez *in summa tom.1. lib.1. cap.10. num 43.* Sairus *lib.6.cap.5. num.9.* Sotus *in 4.dist.25. quæst.2.art.3. conclus.4.* Auilla *part.7. disp.2. conf.1.* Barb. *in collect.tom.2.lib.5. tit.12. cap.12. num.16.* Merola *in disp. Theologica tom.1.disp.3.cap.3.num 237.* Ratio, quia versamur in dubio facti homicidij, & non iuris, & per consequens pro irregularitate tenendum.

Sciendum in dubio iuris, nullum censendum irregularem, quia irregularitas nõ incurritur, nisi adsit ius expressum sufficienter indicans irregularitatem *cap.15. qui de sentent. excommunic. lib.6.* in dubio facti homicidij indicandus est irregularis *ex cap. significasti, ex capite ad audientiam 12, de homicidio,* Suarez *disp.40. sess.6.num.1.* Salas *1. 2. quæst.21 tract.8.disp. vnica sect.1.* Filliucius *tract.19. cap.2.quæst.9. num.49.* Vgolin. *cap.452.num.3.* Auilla *part.7.disp.2. dub.5.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst.15. par.2.* vnde qui fœminę grauidæ præbuit pharmacum ad oboriendum fętum, sed dubitat an fętus esset animatus; quia hic error versatur in dubio facti circa homicidium iniustum, per consequens censetur irregulatus. Auilla *loco citato* Sanchez *loco citato num.43.* Rodriquez *1.par. cap.25.num.4.* Nauarrus *cap.27.num.223.* & alij plures, tum etiam, quia in foro externo iudicaretur Reus homicidij in dubio facti, nisi aliter probaretur; ergo etiam erit iudicandus in foro conscientiæ.

An dubius de obligatione Præcepti per consuetudinem introducta teneatur illam obseruare?

BRACTEA X.

Negativam sententiam tenet Suarez *de legibus lib.7.cap.15.* vbi sic asserit, in dubio de obligatione Præcepti per consuetudinem introductam, ac cęteris paribus potius inclinandum est in eam partem, quod consuetudo sit deuotionis, vel honestatis, potius quam obligationis, quia generalis regula est, quod in dubio nemo præsumitur velle obligari, neque expedit multiplicari Pręcepta, vbi moraliter certa non sunt, vel saltem probabilia. Ita etiam Ludouicus Maetalius *in summa.* D. Thom. *tom.1. tractatu de legibus disput.15.sess.2.num.3.*

Azorius

Azorius affirmatiuam tenet consuetudinem in dubijs haberi in legem, & obligare *tom.1.lib.5. cap.18. quæst.5.* vbi sic asserit. Quandocunque Populus, aut Ciues dies festos vsu, & more colant, & obseruant, si vsu recepto à maioribus seruent, consuetudo in legem haberi censetur. Idem quoque iuris est, si ita ex more seruet, vt eius consuetudinis memoria non extet quando nam introduci inceperit, item etiã ambiguum sit consuetudine necne res obseruetur. Tutius est eligendum, & proinde existimandum est eam esse consuetudinem, legis vim, & rationem habentis. Ita Azorius loco citato. Sed.

R. Non esse obligationem seruandi consuetudinem ex iustitia in his, quę ex mera liberalitate, & deuotione fieri consueuerũt. Ita Siluester *verbo consuetudo* Menoc. *de arbitr. cas.449.n.4.* nec peccare mortaliter facientes contra talem consuetudinem. Siluester *loco citato quæst.4.* Sotus *de iustitia quæst.4.art.2.* Reb. *lib.1.quæst.5.nu.27.* Reg. *lib.vlt. num.9.* Suarez *loco citato cap.14. num.8.* Emanuel Sà *verbo consuetudo,* Vasquez *part.2. disp.17. cap.2.* Bec. *tract.3.cap.7. quæst.1.num.4.* Reginaldus *lib.13. num.244.* Molina *disp.77.*

Quidam accepit in domo sua filium expositum in Hospitali, vult illum ad Sacros Ordines promoueri, quæritur an sit præsumendus illegitimus, & irregularis?

BRACTEA XI.

R. Iuxta probabilem sententiam Doctorum pręsumendum esse irregularem. Ita Suarez *in 3.part.de censuris disp.50. sect.4. num.8.* Fil. *tom.1.tract.19.cap.5.num.141.* Toletus *lib.1.cap.52.* Rebel. *p.2.lib.1.quæst.3.n.15.* Ratio, quia in huiusmodi casu adsunt coniecturæ, ex quibus possumus coniecturare esse illegitimum, & irregularem. Primò ex parte hospitalis pro illegitimis fundati. Secundò ex parte expositorum, qui quasi semper tenẽtur ex turpi conceptu, tum etiam quia prohibitum est, exponere legitimos, & optima est pręsumptio, quę deducitur esse accidentibus communibus.

R. 2. Cum Couuar. in Clementina, *si furiosus num. 9.* Diana *tractatu 15.* Missel. *1. resol. 2.* posse absque dispensatione ordinari, cum simus solum in dubijs, & in dubijs nullus sit priuandus suo iure, & in dubijs præferenda sit pars benignior, & stante dubitatione pro legitimo tenendum, nisi contrarium probetur.

Verum Filliuc. *loco citato,* Henriquez *lib.1.cap.8. num.10.* Reginald. *in praxi tom.2.lib.3.tract.2. cap.7. num.73.* Bonacina *de censuris disput.7. quæst.2. pun.3.num.10.* & alij plures in isto casu ad tollendos scrupulos tutiùs esse tales expositos petere dispensationem ab Episcopo, non quia Episcopus possit dispensare irregularitate proueniente ex defectu, sed quia illius facultas prodesse potest ad pacandam conscientiam adiuncta opinione probabili operante, expositum non esse irregularem.

Quidam habet consuetudinem faciendi aliquod opus pium, dubitat, an ipsam habeat solum deuotionis gratia, aut animo se obligandi, quærit resolutionem?

BRACTEA XII.

R. Non fuisse inductam animo se obligandi, sed solum deuotionis gratia. Ita Suarez *lib.7.cap.15 num.3.* & alij plures, & alij supra citati. Ratio, quia nemo præsumitur sibi onus imponere velle, seque obligare, nisi aliter constet de ipsius voluntate. Tum quia videtur dubium iuris, & in dubio iuris melior est conditio possidentis.

Sciendum tamen, quod si adfuerint coniecturæ sufficientes ad iudicandũ, consuetudinem inductam esse animo se obligandi, tunc pręsumendum est in fauorem ipsius consuetudinis, & illum habuisse animo se obligandi.

Quidam dubitans an emiserit votum magis inclinat ad partem affirmatiuam, quæritur ad quid teneatur?

BRACTEA XIII.

Filliuc. *tom.2.tract.23.c.4.n.165.* Rebel. *p.2.lib.1 9.2.sect.2.* & alij dicunt teneri nõ integrè, sed solum ad partem voti ratione huius maioris propensionis, & ita etiam docet Sanchez *de matrimonio tom.1.lib.2.disp.41.num.34.* Sed.

R. Dubitantem non teneri integrè ad votum, nec ad aliquam eius partem. Ita Garzias *de beneficijs tom.2.part.7. cap.2.num.23.* Layman *lib.1.tract.1. cap. 554. num. 21.* Lorca *in 1. 2. disp.38. membr.3.* Fernandez *in exam.Theolog.moral.part.1.cap.252.n.4.* Castropallaus *tom.3. disp.3. punct.9. num.2.* Ratio, quia non modo in materia iustitiæ, verum etiã Religionis possessio certa præualet rationibus inducentibus in partem oppositam; sed non generantibus assensum; cum autem rationes, & indicia, quæ magis inclinant in affirmatiuam partem sint dubia, & non generent assensum, certa alterius possessio huic inęqualitati præponderat, & hanc sententiam se retractans, tenet Sanchez *in summa tom.1. lib.1. cap.10. num.36.* & hanc etiam in materia iustitiæ docet Vasq. *in 1.2.disp.66.cap.7.nu.42.* & Salas *in 1.2.tom.2. tract.8.disp.1 sect.23.num.231.* Bonacina *de restitutione disp.1.quæst.2.num.6.* Diana *tract.3. de conscientia* Dubia *resolut.12.*

Occurrentibus duobus Præceptis, si quis dubitet vtrum illorum obligaret, eò quod simul impleri non possint, quid facere dubitet?

BRACTEA XIV.

R. Considerandam esse vtriusque Præcepti grauitatem, & naturam, etsi attentis omnibus circunstantijs non constiterit magis de obligatione vnius, quam alterius posse liberè eligi impletionem cuiuslibet illorum,

rum, quia cum teneatur alterum illorum implere, & nullo modo constet, quodnam illorum magis obliget, prudentia dictat honestè posse eligi vnum, vel alterum. Si verò attentio omnibus circũstantijs vnum credatur aliquo modo magis obligare, quam alterum, illud implendum est, de cuius obligatione magis constiterit.

Sciendum, quod licet materia vnius præcepti sit ex se magis grauis, adhuc posse esse obligationem explendi præceptum magis leue, eo quod erit de re prohibita, quia intrinsecè mala v. g. magis graue præceptum est succurrendi proximo in extrema necessitate, quam non dicendi leue mendacium, & tamen si hęc duo concurrent, potius non erit mentiendum, quam succurrendum in extrema necessitate, cum mentiri sit intrinsecè malum.

Sciendum 2. interdum posse reperiri, tam exiguum excessum inter cognitionem obligationis vnius præcepti, & inter cognitionem obligationis alterius, vt nõ sit peccatum mortale implere illud de cuius obligatione magis constat; quia datur etiam paruitas materiæ, atque adeò præceptum leue; nam sicut non seruare ordinem charitatis inter eos, inter quos est leuis excessus non est peccatum mortale, ita & in præsenti casu.

Bona fide fuit contractum Matrimonium, & posteà superuenit dubium de validitate ipsius: quæritur an dubitans possit reddere, & petere debitum?

BRACTEA XV.

R. QVANDO Matrimonium bona fide fuit contractum, & superuenit dubium ante diligentiam adhibitam ad assequendam veritatem, teneri dubitãtem reddere debitum, non tamen posse petere; ea tamen diligentia sufficienter adhibita posse reddere, & petere, etiamsi post remaneat dubius. Ita Sanchez *tom.1.lib.2.disp.2.num.46.* Suarez *de Religione tom.2. lib.4.cap.5.num.16.* Bannes *in 2.2.quæst.62. art.6.dub. 5.conclus.4.* Sotus *de iustitia lib.4.quæst.5.art.vlt.* Henriquez *lib.12. cap.6. num.5. & 7.* Emanuel Sà *verbo debitum coniugale num.7.* Coninch. *de Sacramentis disp. 3.dub.10.* Lorcha *in 2. 2. disp.38.* Ratio, quia sicut in materia iustitiæ possessor bonæ fidei, si dubitet, rem esse alienam, & facto sufficienti examine non potest dubium vincere, non solum potest rem retinere, sed illa vti, & de ea cõtrahere, quia in dubio melior est conditio possidentis; ita coniux si præmiserit sufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit vti matrimonio non solum reddendo, verum etiam petendo; & hoc verum est, etiam quando moraliter non potest vinci dubium adhibita qualibet diligentia, tunc enim, vt notat Sanchez *loco citato num.47.* potest coniux dubitans reddere, & petere debitum, cum ad impossibile nullus obligetur, Sotus 4. *de iustitia quæst.5.art.vlt.* Valentia *tom.4.disp.10.quæst.6. pun.2.* Rodriquez *cap. 243. num.4.* Reginaldus *lib.31.nu.299.* contra Rebel. *lib.2.quæst.16.sect.2.nu.11.* P. Ledesmam *quæst.41.* Guttieres *de matrimonio cap.49.num.28.* asserentes posse solum reddere, & non petere.

Si vterque coniux dubitet de validitate matrimonii bona fide contracti, neutrum posse petere ante adhibitam diligentiam, quia vterque exponeret se periculo fornicationis, post adhibitam diligentiam, etiamsi dubium perseueret, vtrumque posse reddere, & petere. Ita Sanchez *de matrimonio lib.9. disp.44. num.24.* ante adhibitam diligentiam, nec etiam coniux, qui dubitat potest reddere debitum petenti, quod non habet petens cum dubio ante adhibitam diligentiam, & per consequens alter non tenetur reddere, quia reddendo exponeret se periculo fornicationis, aut periculo faciendi alteri iniuriam, cum alter non habeat ius petendi ante adhibitam diligentiam. Ita Sanchez *loco citato num.55. & 56.* Guttieres *loco citato num.36.*

An qui cum dubio impedimenti contraxit matrimonium possit reddere, & petere debitum?

BRACTEA XVI.

R. CVM Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. disp.82. num.2.* Henriquez *lib.12. cap.6. num.5. & 7.* Coniugem sic contrahentem nullo modo posse petere debitum, sed solum reddere alteri bona fide petenti. Verum si vterque coniux mala fide contraxit, neutrum posse reddere, & petere. Ita Coninc. *de Sacram.matr. disp.34. dub.10. n.12.* Ratio, quia sicut in materia iustitię possessio nõ suffragatur possessori, qui mala fide incepit possidere, ita nec suffragatur coniugibus, qui cum dubio matrimonium contraxerunt. Verũ si coniuges habeãt rõnes probabiles matrimonium valere, quamuis probabilius iudicent matrimonium non tenere, posse in tali casu reddere, & petere debitum. Docet Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. disp.47. num.80.* quod tamen negatur à Zerola *tom.1. disp.3. cap.3. col.12. difficult. 2. num. 168.* sed vtraque opinio videtur probabilis. Dubitans an impedimentum matrimonij habeat, facta sufficienti diligentia potest illud inire absque dispensatione, quia possessio stat pro libertate ad contrahendum; dubium verò impedimento fauet, & absque iurecerto nemo expoliãdus est sua possessione.

Duo accidebant ad mulierem, quæ concepit, & peperit: dubitatur cuius sit Filius? Quæritur ad quid obligentur?

BRACTEA XVII.

AB vtroque soluenda esse alimenta, docet Vasquez *in 1.2. disp.66. cap.8.nu.7.* Turian. *in opusc.Theolog. tom.1. opusc.10.disp.5. dub.23.* Martinez *in 2. 2. tom.1. quæst.19.art.6. dub.conclus.2.* Villalobos *in summa tom 1. tract.1. difficult.2.* Azor. *tom.2. lib.2. cap.19.quæst.8. addit.* Quolibet Patre deficiente, vel nolente filium alere, alium esse obligatum in integrum, sed hæc opinio non approbatur à Sala *in 1.2.tract.8.disp.vnica sect.2.n.288.* à Castr. Pallao *tom.1.disp.3.pun.4.n.15.* Ratio, quia aduersus quẽlibet non habet filius integrũ ius.

Quod verò alter ex his de quibus dubitatur vter sit Pater ditior, aut nobilior parui refert, vt ei potius, quam alteri filius tribuatur, ac proinde obligatio alimentorum ipsum potius, quam

quam alterum constringat. Ita Vasquez *loco citato num.*88. Verum si Patres inæquales sint in diuitijs, & in nobilitate posse matrem à ditiore nobiliori plus alimentorum exigere; quia ditior, & nobilior meliora alimenta tenebitur filio administrare. Verum si mater magis dubitaret de vno, quam de alio, posset ab illo, de quo magis dubitat plus exigere, quam ab altero, & altero ita credente; tenetur magis contribuere, quam alter, cum iuxta dubij qualitatem sit petendum, & contribuendum.

An Episcopus possit dispensare in lege superioris, quando dubitatur, an res egeat dispensatione?

BRACTEA XVIII.

R. Cvm Emanuele Sà *verbo dispensatio* Layman *lib.1.tract.4.cap.22.num.4.* non indigere dispensatione, quando dubitatur, an res egeat dispensatione, quam opinionem tenet etiam Castro Pallaus *tom.1.tract.3.disp.6.num.10.* Barbos. *de potestate Episcopi part.2. allegat.33. num.19.* & alij apud ipsum. Ratio est, quia in tali casu adest præsumptio pro libertate, neque alicui morali peccato exponeris faciendi contra legem, & etiamsi inclines te indigere illa, adhuc existimo, te reputari posse non indigere, quia nondum centeris astrictus lege quoadusque certo constet tibi de lege moraliter. Concesso tamen gratis, in illo dubio esse necessariam dispensationem, existimo Episcopalem sufficere, tum quia non videtur Pontifici reseruatus casus dubius, sed certus, tum quia potestas dispensandi latè est interpretanda. Castrus Pallaus *loco citato*.

Ad hoc dubium respondet Bonacina *de legib. disp.1. quæst.2. propos.1.* sic distinguendo, vel probabiliter, ait, opinamur, rem non indigere dispensatione, & tunc non est necesse dispensationem petere, quia licitum est sequi opinionem probabilem de posito practicè dubio, vel non probabiliter opinamur, sed practicè dubitamus opus esse dispensatione, & tunc sentio petendam esse dispẽsationem à Sede Apostolica; & ratio est, quia non debemus nos exponere periculo delinquendi contra legem superioris, in qua Episcopus, exceptis quibusdam casibus dispensare non potest; tum quia praxis in oppositum extare videtur. Ita ille.

An Princeps dubius de iustitia Belli possit Bellum mouere?

BRACTEA XIX.

R. Primo, quando post diligentem inquisitionem dubitatur de iustitia belli, si agitur de causa iniuriæ, non licet bellum mouere. Ratio quia in dubijs tanti momenti, vbi de multorum hominum mortibus periculum est, oportet eligere partem tutiorem.

Secundo, si de causa possessionis, ille qui possidet, non tenetur reddere, neque illi iustè moueri potest bellum à parte petente, quia in dubijs melior est conditio possidentis partem; quia si res ageretur coram Iudice, nunquam in re dubia Iudex spoliaret Possessorem; vnde si stante dubio ille, qui spoliaretur ab altero, posset illi bellum mouere ad recuperandum id, quod perdidit, quia per iniuriam fuit ei ablatum.

Tertio, si verò res, de qua dubium est à neutra parte possideatur, non licet inferre bellum pro habenda re tota, quia est contra æquitatem, vt vbi vterque habet æquale ius, alteri totum adiudicetur, licere tamen pro habenda medietate, vel iusta compensatione vti; si alter nollet pacificè consentiri, quia omninò diuidenda est, vel ex æquo compensando; & tandem si in dubio is, qui non possidet videatur habere plus iuris potest compensationem petere ab illo, qui possidet, quam, si dare nolit, potest ab illo armis petere, quando negotium tanti esset momenti, vt iudicio prudentum expediat illud terminare, etiam per arma; ita Siluius *in 2.2.quæst.40.art.1.*

An Superior possit dispensare, si dubitet, an causa sit sufficiens?

BRACTEA XX.

R. Cvm Sanchez *in summa tom. 1. lib.4. cap.44. num.10.* Siluestro *verbo dispensatio quæst. 4. n. 20.* superiorem non peccare dispensando, dum habet causam, sed dubitat esse sufficientem, quia in benigniorem partem est in dubio inclinandum, nam alioquin pateret via multis scrupulis, si ad solas causas certas extenderetur potestas dispensandi, & vix auderent superiores dispensare; licet plures tueantur contrariam sententiam.

An Medicus peccet vtendo Pharmaco dubio?

BRACTEA XXI.

R. Qvando datur certum aliquod Pharmacum, Medicum teneri illud adhibere omissio illo, de quo dubitatur inter Doctores, an sit profuturum. Ita Clau. Reg. *lib.1. cap.10.* Sanchez *in opere moral. lib. 1. cap. 9. num.41.* Ratio, qui nisi Medicus illud adhibeat imprudenter agit relinquendo remedium certum pro incerto cum periculo proximi. Quando verò nullum extat remediũ certum, tenetur sequi opinionem probabilem in eligẽdo remedio, quod applicandum est infirmo, relicta opinione minus probabili. Ratio, quia imprudenter agere videretur in re tanti momenti salutem proximi in discrimen adducendo relicta probabiliori, & tutiori sententia, quia cum agatur de periculo corporis securior via eligenda est. Ita Siluester *verbo Medic. quæst.4.* Nauarrus *cap. 25.num.61.* Sotus *de iustitia lib.3.quæst.6. art.5.* Sanchez *loco citato nu 46.* Vasquez *1.2. disp.64. cap.4.* quia Medici officium, & lex charitatis postulat, vt adhibeantur remedia, quæ ad propositum sanitatis magis idonea iudicantur; & contrafacientes peccant mortaliter. Ita Layman *tract.1. cap.5.§3 de conscientia*, Bonacina *disput.2.quæst.4.part 9.num.22.*

Quando nullum extat medicamentum certum, nisi dubium, & periculosum, & spes infirmi salutis sit nulla, tunc Medicus potest vti

 remedio

remedio dubio non carente periculo accelerandæ mortis iuncto cum probabili spe conferendę sanitatis.

An dubius de malo vsu ementis excusetur vendens res indifferentes nulla iuxta causa concurrente?

BRACTEA XXII.

R. Dubium in venditione, aut posse esse negatiuum, aut positiuum. Negatiuum est, quando quis non potest prudenter suspicari, an alter benè, vel malè rebus indifferentibus sit vsurus. Positiuum est, quando prudenter potest dubitari de abusu alterius. Si dubium sit primo modo, licitum est indifferentia vendere absque causa, quia ex tali dubio nemo præsumitur delictum commissurus; secundo modo non potest licitè vendere absq; causa licet minor sufficiat, quam vbi abusus est certus. Ita Sanchez *in summa tom.1.lib.1.cap.7.num.17.* Merola *disput. Theolog.tom.1.disp.2.cap.4.dub.10.num.268.*

An confitens peccatum de quo dubitat an aliàs sit confessus teneatur dubium in confessione explicare?

BRACTEA XXIII.

R. Non obligari, quia tacendo ipsum, nullam iniuriam facit Sacramento, cùm nõ mentiatur circa materiam, quam Confessario exponit. Ita Homobonus *de bonis in consult. onsuum conscientiæ volum.2.part 3.respons.132.* vbi plures citat, & colligit non teneri, nisi ob aliquam circunstantiam constituentem pęnitentem in proxima occasione peccati necesse sit hoc exprimere.

MALLEATIO VIII.

De opinione probabili.

Opinio probabilis quæ sit?

BRACTEA I.

Sciendum opinionem probabilẽ dupliciter dici intrinsecè, & extrinsecè illam dici probabilẽ intrinsecè, quę non leui fundamẽto nititur, sed firmo licet cũ formidine oppositi: siuè quę euidenter non habet falsitatẽ, nec à cõtrario argumento vincatur. Vnde fundamentum opinionis probabilis intrinsecè, est ratio desumpta ex natura rei, vel ex aliquo ex locis topicis, opinionem probabilem extrinsecè est, quę fundatur in auctoritate insignium Doctorum, ad quam duo requirũtur. Primò, vt communiter reputetur non continere errorem. Secundò, quod non sit antiquata, & abolita per canonem, aut decretum Superiorum, & fundamentum huius opinionis probabilis extrinsecè, est auctoritas dicẽtis, & talem propositionem asserentis. Auctoritas autem Doctoris desumitur ex duplici capite ex auctoritate, & doctrina, quia autem hæc sunt interna, arguuntur ex extrinsecis; nimirũ sanctitas ex statu. Vnde cæteris paribus grauioris auctoritatis est Religiosus, quam sæcularis Doctrina ex ętate, & ex effectibus, sic cæteris paribus grauioris est auctoritatis Doctor senior, quam iunior, &c. hæc duo requiruntur ad auctoritatem extrinsecam nimirum sanctitas, & doctrina, quia ad testimonium requiritur, quod non fallatur, nec fallat, sanctitas autem efficit, ne doctor fallat doctrina, verò ne fallatur. Quibus positis.

R. Auctoritatem probabilem intrinsecè illã dici, quæ innititur rationibus alicuius momẽti; ita tamẽ vt per opposita nulla sit ratio conuincẽs, quam vel ipse soluere non possit, vel ab alio solui non posse sibi persuadeat. Ita Sanchez *lib.1.cap.9.num.6.* & alij.

R. 2. Illam opinionem extrinsecè dici probabilem, quæ adhæret auctoritatẽ insignium Doctorũ, & ideò probabilior opinio illa erit, quæ habet grauiores auctoritates Doctorum, æquè autem probabiles intrinsecè, & extrinsecè illę dicentur, quæ paris ponderis rationes, & auctoritates habent. Ita Spinula *loco citato disp.2.sect.1.* & alij.

Quot auctores requirantur ad faciendam opinionem probabilem?

BRACTEA II.

R. Primo ad faciendam opinionem probabilem regulariter requiri quatuor auctores classicos, & ita communiter Theologi.

R.2. Vnum Doctorẽ valdè peritũ aliquando sufficere ad faciendam opinionem probabilẽ, cũ auctoritas viri docti, & probi non leue fundamentum iudicetur. Ita Angel. *verbo opinio quæst.2* Siluester *eodem verbo quæst.1.* Nauarr. *in man. cap.27.num.88.* Valentia *1.2.disp.2.quæst.12.pun.4.* Emanuel Sà *verb. dubium nu.2.* & alij; & ideò scholares amplectentes opinionem, quam acceperunt à Magistro valdè docto, & perito in ea materia dicũtur sequi opinionem probabilem, modò non constet talem opinionem continere errorem, aut abolitam, & antiquatam fuisse. Ita auctores citati, Dixi aliquando, quia si auctor non erit vir doctus, & timoratę conscientiæ non faciet opinionem probabilem.

R.3. Auctoritatem solam alicuius viri docti, sine ratione sufficere ad faciẽdam opinionem probabilem, dummodo non incidenter, sed resolutoriè talem sententiam proferat. Ratio, quia licet ratio non adsit explicitè apposita, præsumitur tamen adesse, quia vir magni nominis, & doctrinæ gratis loqui, & temerè definire non præsumitur.

R.4. Quod licet regulariter à communi sententia non liceat recedere, tamẽ opinio vnius viri docti fixa firmo fundamento probabilis censetur, etiamsi sit contra communem opinionem Azor. *lib.2.cap.17.quæsit.6.* Filiuc. *tract. 21. cap.4.num.135.* Bonacin. *de legib. disp. 2.quæst.4.pun.9.nu.11.* Pasqualigus *decis.360.* Spinula *disp.2.sect.1.* & alij. Ratio, quia talis nõ operatur imprudẽter, cum habeat rationem certam, & conuenientem, tum etiam quia opposita licet communis non est certa, sed probabilis, igitur opposita licet

cet singularis poterit esse probabilis. Ita Vasquez *par.2.disp.62.cap.4.* Reginald. *lib.13.num.93.* & alij. Quod tamen intelligendum est; quando communis opposita nõ haberet pro se legem, vel decretum Pontificis, quia tunc certa redditur, & cessat probabilitas oppositæ.

Sciendum illa opinionẽ nõ dici communem ex auctorum numero, qui priorum vestigia instar auis sequentes, nulla discussione præmissa eam affirmant, sed illam censeo dici communem, quæ plures habet auctores classicos, qui ritè perpensis vtriusque partis rationibus eam opinionem sequũtur. Ita Sanchez *lib.1.cap.9.nu.9.* Bonacina *loco citato num.12.* & alij.

R.5. Vnam opinionem respectu vnius posse esse probabilem, & respectu alterius improbabilem. Ratio est, quia respectu vnius poterit continere veritatem, & respectu alterius habere euidentem falsitatem, similiter eandem opinionem, quę nunc est improbabilis posse in futurum esse probabilem ob auctoritatem Doctorum, quæ illam defendere possunt, & quæ hodie nec est probabilis, nec improbabilis, cras poterit esse probabilis, aut improbabilis, quia poterit esse, aut euidenter vera, aut euidenter falsa, & multæ, quæ probabiles fuerunt existimatæ, re melius examinata improbabiles sunt iudicatæ, idest continere euidentem falsitatem.

R.6. Opinio, quæ tollit obligationem aliquid faciendi, vel omittendi, ex quocumque capite oriatur obligatio, probabilis est, etiam si nulla ratione positiua fulciatur, dummodo soluat omnia argumenta in contrarium. Opinio autem, quæ obligat, non est probabilis, nisi positiuè probet, vel habeat sufficientem Doctorum auctoritatem. Ita Spinula *disp.2.sect.1.conclus.3.* Ratio colligitur ex citato Spinula.

An qui iam amplexus, & secutus est vnam opinionem probabilem, possit ab ipsa recedere?

BRACTEA III.

R. Posse à priore recedere opinione probabili, & alteram complecti. Ratio, quia licet iam amplexus, & secutus sit vnam opinionem probabilem, non ideò priuatur libertate sequendi alteram, & alteram sequendo, vtitur iure suo, & nulli affert damnum; & ideò quando sunt plura horologia in ciuitate, & quis solitus sit vnum sequi, si manducet post sonitum horarum mediæ noctis illius, & ante sonitum alterius, poterit die sequenti celebrare, vel Eucharistiam percipere, adhærendo posteriori horologio, etiamsi in primo non appareat manifestus error. Ratio, quia diuersa horologia habent se vt diuersæ opiniones probabiles, & quis potest deserere opinionem, quam amplexus est, & aliam sequi. Similiter quis potest in Quadragesima, audito primò horologio, post mediam noctem prandere pro sequenti die, sequens opinionem illorum, qui docent non esse peccatum mortale anticipatè comedere, postea verò audito secundo horologio, potest se illi conformare, & ex tunc denuò computare diem ieiunij, vt posset hora solita prandere, tamquam illo die nihil comedisset. Ita Caramuel *Theolog.fundam.fundam.11.* & sic de alijs dicendum erit.

R.2. Inter opiniones probabiles cõstitutum, posse pro libito, quam voluerit eligere, immò modò hanc, & modò illam. Ratio primæ partis est, quia ad agendum sine peccato sufficit opinio probabilis, concurrẽtibus autẽ opinionibus contrarijs æquè licet probabilibus, vtręque remanent probabiles, & per consequens vtramque opinionem probabilem qui sequitur, non peccat, quia prudẽter operatur. Quod autem possit eligere modò hanc, & modò illam patet, quia vtraque est eligibilis, quia vtraque probabilis, nec per hoc quod nunc vna eligatur, tollitur probabilitas alterius opinionis contrariæ, & per consequens remanet adhuc eligibilis, principaliter cum per electionem iam factam, alter non priuetur iure suo sequẽdi alteram opinionem.

An liceat sequi opinionem, opinionem minus probabilem?

BRACTEA IV.

R. Licitum esse sequi opinionem minus probabilem, etiamsi minus tutam. Ratio est, quia qui sequitur opinionem probabilem relicta probabiliore prudenter operatur, qui autem prudenter operatur, non peccat; ergo, &c. Et ita Bannes *2.2.quæst.10.art.1.dub.3.* Nauarr. *cap.27.num.288.* Bonacina *de legib.disp.2.quæst.4.pun.9.num.4.* & alij. Quod tamen intelligendum est, modò non immineat aliquod periculum, ad quod vitandum prudentia, vel iustitia, vel charitas dictet oppositam sententiam eligi debere, & modò opinio quæ eligitur, adhuc sit probabilis, & non amiserit suam probabilitatem, ob aliquod decretum in contrarium, vel ob aliquam rationem de nouo excogitatam, ignotam auctoribus contrariæ sententiæ, & quam putamus à nobis, vel ab alijs solui non posse, tunc enim non prudenter, sed temerè ageretur relinquendo tutiorem, vel probabiliorem opinionem. Ita plures citati à Bonacina *loco citato num.5.* licet plures sequantur opinionem contrariam nimirum nõ esse licitum sequi opiniõnem minus probabilem, relicta probabiliore, vt Siluester *verbo dubium qu.2.* Conrad. *de contract. tract.7.quæst.110.* & alij plures.

R.2. Ex duabus contradicentibus probabilibus opinionibus quisque in praxi sequi potest, quã maluerit, etiamsi ipsi operanti minus probabilis videatur. Ita Arragon. *2.2.quæst.63.art.4.* Salon. *ibidem*, Azor. *tom.1.lib.2.cap.16.quæst.2.* Gutierez *lib.1.can.99.cap.13.num.23.* Sanchez *lib.2.de matrim.disp.41.num.9.* & alij apud Layman *tract.1. de conscientia cap.5.§.2.num.7.* etiamsi ipsi operanti speculatiuè minus probabilis, & opposita probabilior appareat. Ratio, quia speculatiua illa opinatio eo ipso, quod incerta, non potest esse regula operationis, & per consequens operans non censetur agere contra propriam conscientiam, cum conscientia non sit speculatiua aliqua opinatio, sed practicum certum iudicium de agendo.

Sciendum licitè viros doctos posse contra propriam opinionem alijs consulere, sequendo alienam, quam probabilem esse putant. Ita

Vasquez

Vasqu.1.2.*disp.62.cap.9.n.49.* Sotus *ibidem disp.vnica sect.6.cap.9.* Sairus *lib.1.cap.6.num.11.* & alij. Ratio, quia sicut qui petit cōsilium, potest sequi opinionem, quam maluerit; ita etiam Doctorem posse cōsulere iuxta opinionem, quam maluerit, & per consequens relicta propria potest consulere iuxta alienam, & ideò poterunt cōsulere modò iuxta vnam, & modò iuxta opinionem cōtrariam; licet sit semper melius iuxta eandem consulere, præcipuè in scriptis, ne varij deprehendantur, modò Doctor non sit rogatus consulere iuxta propriam opinionem, quia si ita erit, tenebitur respondere iuxta propriam opinionem. Non tamen licebit Doctori petenti consilium, ad Doctorem alium remittere, quem nouit esse in contraria opinione, eo quod legem ignoret inuincibiliter, quia quamuis Doctor alius absque culpa consilium præberet propter inuincibilem ignorantiam, at remittens veritatis conscius, & falsitatis illius opinionis, culpa non liberatur Salas *loco citato sect. 9.n.*84. Vasquez 1.2.*quæst.19.art.6.disp.62.*

Sciendum 2. non esse damnandos, qui adeunt varios Doctores, donec vnum reperiant fauentem sibi, dummodo is prudens, ac pius, & non singularis habeatur. Ratio, quia vnicuique ius est suum protegendi, & ad id rationes quærendi Sanchez *lib.1.cap.9.num.24.*

De regulis seruandis in foro exteriori circa delectum opinionum.

BRACTEA V.

R. Quotiescumque sententia, aut definitio fidei est apertè manifesta, præferenda est aliorum omnium Doctorum sententiæ, est enim per se clara. Ita Azor. *lib.2.c.9.* Secūdò, quę magis innititur sensu, & intelligentia legis, & iuris, aut consuetudine, & vsu magis probatur, præferenda est alijs, quod valet solùm in lege positiua, quia contra legem Diuinam, vel naturalem non habet locū consuetudo Azor. *lib.2.cap.16.* Tertiò in rebus pœnalibus, vel quæ ad odia, & non fauores spectant, ea opinio est amplectenda, quæ est benignior, & mitior iuxta regulam iuris, pœnæ, & odia sunt restringenda. Quartò, quando duæ opiniones sunt pares in numero auctorum, sed altera earum est tutior, ea, vt plurimum est anteferenda. Quintò in rebus agendis cōmunis opinio Doctorum anteponenda est illius scientiæ. Quare si materia est Theologica, communis opinio intelligitur, quæ communi Theologorum cōsensu fuerit recepta, si materia sit legalis communis, opinio censetur, quam communis iuris ciuilis interpretum consensus approbauit. Si materia sit canonica, communis opinio habetur, quæ communi iuris canonici Doctorum sensu confirmatur. Sextò, quando plures opiniones in cæteris pares sunt, præferenda est ea, quæ magis fauet religioni, pietati, & iuri, & in causis matrimonialibus illa, quæ magis fauet matrimonio, in materia de voto, iuramento, vltima voluntate, quæ magis illis fauet.

An in administrandis Sacramentis possimus relicta probabiliore adhærere opinioni probabili?

BRACTEA VI.

R. Negative quoties diuersæ sunt opiniones probabiles circa validitatē alicuius sacramēti, & in potestate Ministri administrātis opinionem magis tutam, & probabiliorem amplecti. Ratio est, quia faceret grauem iniuriam Sacramento eligendo opinionem probabilem relicta probabiliore, quia exponeret se periculo faciendi Sacramentum irritum; quia vel forma inepta caderet supra materiam aptam, vel formæ aptæ subijceretur materia inepta, quem abusum tenetur euitare Minister, quantum moraliter potest, præcipuè cum cadat sub præcepto Diuino non irritare, nec exponere se periculo irritandi Sacramentum. Tum etiam quia qui relicta opinione probabiliore sequitur opinionem probabilem in administratione Sacramentorum, facit cōtra communem Ecclesiæ vsum, & per consequens censeretur peccare in materia graui; ergo id non est faciendum. Ita Suarez *tom.3.disp.21.sect.4.* Beccanus *par.2.tract.1.cap.4.quæst.9.num.10.* Clauis regia *lib.1.cap.7.* & alij.

Sciendum licitum esse in aliquibus casibus, aliquando sequi opinionem probabilem relicta probabiliore, & tutiore: primus est, quando tempore necessitatis non adest materia. Ita Regnaldus *lib.13.num.84.* & alij: secundus, quando defectus non prouenit ex parte Ministri, sed potius ex parte suscipientis, vt quando Cōfessarius absoluit pœnitentem solummodo attritum, quia defectus solùm prouenit ex parte suscipientis Sacramentum volentis sibi tantūmodo attrito beneficium absolutionis impendi, & consequenter voluntariè exponentis se periculo non recipiendi fructum Sacramenti. Ita Vasquez *disp.63.num.3.* & alij relati à Bonacina *de legib.disp.2.quæst.4.pun.9.num.19.*

An Princeps possit bellum gerere ex opinione probabili, licet ab altero Principe possideatur Ciuitas etiam cum opinione probabili?

BRACTEA VII.

Negativam sententiam tenet Villabos in *summa tom.1.tract.1. difficult. 17. num. 6. & 7.* & ante ipsum illam tenuit Vasquez *in par. 2.tom.1. disp. 64. cap.3.nu.11.* Montes *in par.2.tom.1.disput.29. quæst.5.num.224.* & alij. Sed si opinio versetur circa ius, affirmatiuam sententiam tenet contra perfectos Doctores Sanchez *in suis practicis disputationibus disp.44.num.58.* vt videre est apud ipsum, vbi plures refert rationes pro hac firmanda sententia.

An

An quando Princeps imponit tributum, de cuius iustitia habet opinionem probabilem, & subditus habet opinionem probabilem de ipsius iniustitia, possit illud fraudare?

BRACTEA VIII.

PRIMA opinio asserit posse subditos sine vllo conscientiæ scrupulo vectigalia fraudadare. Et ita Lessius *lib.2.cap.33.dub.9.* Reginaldus *tom.1.lib.10.cap.25. sect. 1. num.* 574. Sanchez *in opere morali tom.2.lib.6.cap.3.nu.70.* Sanctius *disp.23.nu.35.* Megala *in 2. 2. lib. 2.cap.17.num.131.& 132.* Nauarr. *de restitut.lib.3.cap.1.propos.3.num. 165. dub. 12.* Salon. *tom.1.quæst.5.art.4.controuers.2.* Vegha *in summa par.1. cap.15.cas.10.* Malderus *in 2. 2. tract.5.cap.6.dub.7.* & alij. Ratio, quia quando opiniones sunt probabiles, & tributi causa videtur esse iusta, & iniusta, exigit Princeps iustè, & etiam populus negat iustè. Tum etiam quia in dubijs melior est conditio possidentis, & populus in hoc casu possidet; ergo, &c. Sed

R. Etiamsi populus habeat opinionem probabilem de iniustitia tributi, nihilhominus teneri in conscientia ipsum soluere. Ratio, quia in dubijs pro Principe est præsumendum: tamen quia populus de iniustitia tributi habet opinionem probabilem, peccaret quidem, sed non obligaretur ad restitutionem. Et ita Suarez *de legib.lib.5.cap.18. num.20.* Vasquez *de restitut. cap.657.dub.5.num.68.* Turrian. *in 2. 2.tom.2.disp.86. dub. 6. num.5.* Tum etiam, quia opinio Principis de iustitia tributi alijs est anteponenda.

An quando solùm dubitatur de iustitia vectigalis, subditus teneatur illud soluere?

BRACTEA IX.

SVPPONENDVM est ad iustitiam vectigalis tria requiri: primò legitima auctoritas: secundò iusta causa: tertiò vt seruetur proportio. Quo posito.

R. Vectigal esse soluendum. Ratio est, quia in dubio negatiuo præsumendum est vectigal iustè impositum. Dubium negatiuum est, quando subditus manet anceps, nec habet rationem aliquam probabilem ad credendum vectigal iniustè impositum esse. Nam quando habet rationem probabilem, dictum est supra quid agendum. Non modò in dubio negatiuo, sed positiuo etiam soluendum est vectigal, quando Princeps est iam in possessione exigendi vectigalia, cum nullus in dubio priuandus sit sua possessione. Ita Emanuel Sà *verbo Gabella num.4.* Arragon. *quæst.62.art.3.* & alij.

An Consiliarius Principis, qui suadet bellum, de cuius iustitia dubitatur, peccet mortaliter, & obligetur ad restitutionem damnorum secutorum?

BRACTEA X.

R. CONSILIARIVM Principis suadentem bellum, de cuius iustitia dubitat peccare mortaliter, & obligari ad restitutionem damnorum. Ratio est, quia suadendo exponit periculo Principem faciendi iniustitiam, & iniustè aggrauandi subditos oneribus, & tributis, & deuastandi prædia inimicorum. Si verò de bello gerendo variæ sunt opiniones probabiles, potest deposita opinione pacis, sequi opinionem de bello gerendo. Ratio, quia quando duo, vel plures extant opiniones probabiles, potest consules sequi, quamcumque voluerit. Ita communiter omnes.

An Consiliarius teneatur sequi opinionem probabiliorem relicta probabili?

BRACTEA XI.

R. POSSE Consiliarium in consilio dando sequi opinionem, quam maluerit, dummodo sit probabilis, & posse relicta opinione probabiliore sequi probabilem. Ratio est, quia videtur prudenter agere sequendo opinionem probabilem relicta probabiliore. Ita plures apud Bonacinam *de legibus disput.1.quæst 4.nu.13.*

An Confessarius possit absoluere pœnitentem iuxta eius opinionem probabilem, relicta sua probabiliore?

BRACTEA XII.

R. AFFIRMATIVE. Ratio, quia sequendo opinionem probabilem prudenter agit, & non peccat, & licitè potest absolutionem impendere, & ad illam exigendam pœnitens habet ius. Ita Valentia *tom.3.disp.5.quæst.7 pun.4.* Azorius *tom.1.lib.8.cap.17.quæst.10.* Suarez *in 3.par. tom.4.disp.12.sect.5.num 4* Nugnus *in addit. ad 3.part. quæst.8.art.4.* Salas *in par.2.quæst.21.tract.8 sect 9.art.2.* Montesinus *in par.2.quæst.5.disput.29.num.*198. Basilius Pontius *de matrimonio lib.4 cap.25 num.8.* Fernandez *in examine Theolog.par.3.cap.659. num. 5.* Villabos *in summa tom.1.tract.1. dub. 12. num. 1.* Coninchus *de sacramentis disput.8.dub.17.num.135.* & alij.

Et quid si Confessarius existimaret opinionem Pœnitentis esse falsam?

BRACTEA XIII.

R. POSSE etiam ipsum absoluere iuxta ipsius Pœnitentis opinionem, si tamen probabilis reputetur. Ita Valentia *in 2. 2. disp.5. quæst.7.puncto vltimo*, Sanchez *in summa tom.1. lib.1. cap.9 num.24.* quæ non solùm vera sunt, respectu Confessarij proprij Pœnitentis, sed etiam respectu non proprij. Ita Diana *tract.13. de opinione probabili resolut.11.*

An Confessarius ex opinionibus teneatur sequi potius, quæ est fauorabilis Sacramento, aut Pœnitenti?

BRACTEA XIV.

R. ELIGENDAM esse opinionem fauorabilem Pœnitenti, Ratio, quia Sacramenta

ta instituta sunt in fauorem fidelium, vnde Confessarius absolutè, & sine conditione potest sequi opinionem fauorabilem Pœnitenti, & ipsum absoluere. Ratio est, quia ille, qui agens aliquam actionem, iudicat non delinquere, potest illam exercere. Et absolutio nunquam est danda sub conditione, nisi quando dubitatur de validitate Sacramenti, quod etiã intelligendum est in dubio proprio, non autem in opinionibus, vt quando Confessarius dubitat, an infirmus dederit vera signa doloris peccatorum, quando autẽ Confessarius habet plures opiniones probabiles potest secundum vtramque absoluere, licet vnà sit fauorabilior Pœnitenti, quam altera. Ita plures citati apud Dianam *loco citato resolut.* 13.

An possit Confessarius consulere in his, quae pertinent ad vtilitatem animae iuxta aliorum opinionem contra propriam?

BRACTEA XV.

R. Posse, & immò aliquando teneri opinionem liberantem, & benigniorem interroganti declarare, quando de opinione liberante, & benigniori interrogatur à Pœnitente, seu à petente consilium. Et ita docet Salas *in parte 2. tom.1.tract.* 8 *disp. vnica sect.9. num.*85. Sanchez *in summa tom.1.lib.1.cap.9.num.*19. Sairus *lib.1.cap.6.num.*11. Vasquez *in part.2.disp.62.num.*47. *& disp.63 num.*14 Sanctius *in selectis disp.53.num.*42.

Sciendũ, quod Confessarius ita debet Consilium præstare, vt non mentiatur, non tamen necesse est, vt ipse consulat, quod credit probabilius, nisi tamen interrogaretur quid ipse sentiat esse verius, & probabilius. Si autem solum interrogaretur de practica cognitione potest sæpè consulere id tamquam licitum, quod ipse iudicat esse minus probabile, nam Consilium magis spectat ad iudicium practicum, quam speculatiuum. Ita Beccan. *part.2. tract.1.cap.4.quæst.9.num.6.*

Secundò, Posse Confessarium relicta opinione, quam probabiliorem credit iuxta probabilem consulere, quando petentem Consilium eximit ab aliqua obligatione, vt v. g. ab obligatione restitutionis, &c. Secus autem quando ipsum ad quidpiam obligat.

An Iudex sententiam ferre possit iuxta opinionem minus probabilem?

BRACTEA XVI.

R. Iudicem teneri dare sententiam secũdũ opinionẽ, quę inspectis allegationibus, & probationibus probabilior, iurique conformior est. Ita Siluester *verbo opinio quæst.*2. Sotus *lib.3. de iustitia quæst.6. art.*5. Vasquez *disp.64. cap.*2. Bannes 2 2 *quæst.63.art.2.dub* 1. Ratio, quia Iudicis officium est partibus litigantibus iudicare secundum merita causæ, est autem per se notum eam litigantium partem, quæ causam suam iuridicè secundum leges, & rationes probabilius defendit, potiore iure mereri, ergo, &c.

Valentia *tom.3. disp.5. quæst.7. pun.4.* Sairus *lib.1. cap.11.propos.2.* Sanchez *lib.1.moralium cap.9.num.45. ait*, si oppositæ opiniones æquè probabiles videantur in Iudicis arbitratu positum esse, causam adiudicare vtri parti maluerit, v. g. beneuolentiæ causa amico; sed hoc videtur ab æquitate alienum, si duo æquale ius habeant, Iudicèque oportet esse iuris Interpretem, iustitiæ administrum, vni eorum totum adiudicare, & alteri abiudicare, cum in iudicijs iuxta *regulam iuris* 121.*num.6.* non sit personarum acceptio.

Sciendum probabiliorem sententiam illam dici, quæ in loco censetur esse recepta, cum Iudex secundum leges loci debeat iudicare *l. nemo C. de sentent. & interloc.* Secundò, quam loci consuetudo tuetur, cum in dubijs consuetudo sit optima legum interpres. Tertiò, quam Doctores eo causarum genere periti communiter sequuntur. Quartò, quam firmiorum rationum momenta stabiliunt. Ita Layman. *tract.1.cap.853.num.16.*

Quid de Aduocato si relicta opinione probabiliori sequatur minus probabilem?

BRACTEA XVII.

R. Aduocatum, qui causam non manifestè iniquam, sed probabilem iudicat, licitè eius patrocinium suscipere, etsi causam probabiliorem aduersariorum arbitretur. Ita Sotus *lib.5. de iustitia quæst.8. art.3.* Siluester *verbo Aduocatus quæst.*10. Nauarrus *cap.25. num.*228. Em. Sà *verbo Aduocatus num.*1. Sairus *lib.1.cap.11.num.*17. Vasquez *disp.64.cap.*1. Sanchez *lib.1. moralium num.51. & 52.* Lessius *lib.2.c.31.dub.9.nu.*52. Laym. *tract.1. cap.553. de Aduoc.* Ratio, quia officiũ Aduocati non est ius definire, seu dicere inter partes contendentes, sed parti vni litigãtiũ assistere, & patrociniũ afferre, sed defendendo, potest adhærere opinioni probabili, relicta probabiliore, tum quia pars, cuius causa est probabilis non peccat se defendendo; ergo neque Aduocatus causam ipsius defendendo. Ita Reginaldus *lib.25.num.*673. Lessius *lib.2.cap.32.dub.9.* Salon. 2. 2. *quæst.*71.

An Subditus teneatur obedire Superiori præcipienti secundum opinionem probabilem?

BRACTEA XVIII.

R. Subditum teneri obedire superiori præcipienti secundum opinionem probabilem, etiam contra propriam probabiliorem, magisquè tutam. Ita Corduba *lib.3.quæst.*4. Vasquez *disp.62.cap.6.* Miranda *tom.1.quæst.26. art.5.* & alij. Ratio, quia si Subditus aliquid licitè agere potest, præcipiente superiore, etiam debet Quisquè autem licitè agere potest secundum opinonem probabilem, etiam contra propriã probabiliorem, ac tutiorem, ergo subditus præcipiente superiore etiam debet. Tum etiã quia in dubio inter superiorẽ, & subditũ præsumptio est pro superiore *cap. quid culpatur* 23. *quæst.*1. ergo, &c. Similiter subditus tenetur obedire etiamsi dubitet de potestate superioris. Ratio, quia in dubio pro superiore præsumptio

sumptio facienda est. Lessius *lib.2.cap.41.nu.77.* Layman *lib.1.tract.1.cap.5.§.2.num.11.& 12.* & alij.

An probabilis sit opinio pœnitentem absentem posse absolui?

BRACTEA XIX.

R. Quod licet fuerit opinio probabilis pœnitentem absentem posse absolui, nunc non esse amplius probabilem, quia est opinio antiquata, & abolita, & probabilitatem, quam habuit amisit accedente decreto Summi Pontificis Clementis VIII.

Sciendum, quoad antiquationem opinionis communis, interdum contingere, vt antiquiores scriptores non notarint aliquod argumentum, aut decretum, maximum vim habens contra ipsorum opinionem, eo verò à recentioribus notato, hos in contrariam opinionem adductos esse, illamquè, vt improbabilem repudiasse, & ideò non haberi amplius pro communi, immò ne pro probabili, ita vt antiquata censenda sit Reginald. *lib.13.cap.10.num.105.*

MALLEATIO VIII.

De Peccatis.

Quid sit peccatum Habituale?

BRACTEA I.

Sciendum, Peccatū quod aliquandò dicitur culpa, aliquādo vitiū, seu defectus, aliquando cōsistere in cōmissione, vt quādo quis operatur contra legē naturalē, Diuinā, aut humanā, & aliquando cōsistere in omissione, vt quādo quis omittit facere, ꝙ ex iustitia, charitate, &c. tenetur facere, vt non ieiunare, non audire Missam, &c. Alterum est peccatum habituale, quia habitualiter in anima perseuerat, donec retractetur, & ab eo delinquens denominatur peccator ob perseuerantiam peccati commissi nondum retractati.

R. Peccatum Habituale esse quandam maculam, quam post se relinquit peccatum mortale, quæ in duobus consistit. Primò in malitia actus præteriti moraliter perseuerante per modum habitus, seu in extrinseca denominatione proueniente ab actu preterito nondum retractato per pœnitentiam. Secundò in priuatione Gratiæ habitualis, quia peccatum priuat animam nitore, & pulchritudine gratiæ.

Peccatum Actuale quid sit?

BRACTEA II.

R. Peccatum actuale varijs modis definiri. Primò à Diuo Augustino *lib.22. contra Faustum cap.27.* & alijs Dictum, Factum, Concupitum contra legem Dei æternam.

Sciendum 1. Peccatum duplex esse, vnum prohibitum, quia malum, alterū malum, quia prohibitum, mentiri adulterare, fornicare, &c sunt peccata prohibita, quia sunt intrinsecè mala. At vero manducare carnes die Veneris, aut Sabbati, aut diebus quadragesimæ, &c. non sunt peccata intrinsecè mala, sed solū extrinsecè, & mala, quia prohibita. Ita Vasquez *1. 2. disp.77.* & alij.

Secundò Peccatum multipliciter definiri. Primo materialiter. Secundò ab effectibus. Tertiò formaliter, seu à priori; quādo a D. Augustino definitur dictum, factum, cuncupitum contra legem Dei æternam materialiter definitur; quia proponit materiam, qua offendimus Deum, quæ consistit in dicto, facto, Cōcupito contra legem Dei sed formalitatē, qua offendimus Deum dicto, facto, contra legem Dei non proponit.

Tertiò Definitur peccatum à S. Ambrosio *Auersio à Deo, & Conuersio ad Creaturam.* Dicitur primò Auersio à Deo, quia peccatum est contra legem Dei. Secundò dicitur Conuersio ad Creaturam, quia homo peccando derelinquit Deum, & ad creaturam conuertitur per affectum, hæc autem definitio non est peccati materialiter, & formaliter sumpti, sed à posteriori, & ab effectibus, quia effectus peccati est auertere hominem à Deo, & conuertere ad creaturam per effectum.

Quartò Definitur peccatum, actus contra rectam naturam hominis.

Sciendum, vt sapiens docet, Deum creasse hominem rectum, & dereliquisse eum in manu Consilij sui, ita vt omnes actus voluntatis dependeant à ratione. Inuidia Diaboli talis ordo præuaricatus fuit, vnde actus voluntatis qui nō est iuxta dictamē rationis, dicitur cōtra rectam naturam hominis, cum ratio semper dictet voluntati bonum, quod sit ab ea agendum, & malum, quod ab ea fugiendum, & iste actus, qui est contra rectam naturam hominis dicitur peccatum, quæ definitio est etiam ab effectu.

Quintò Definitur peccatum, priuatio rectitudinis debitæ inesse actui humano, seu voluntati.

Sciendum quemlibet actum voluntatis ex natura sua debere esse moraliter bonum, quæ bonitas consistit in conuenientia, quam actus voūtatis debet habere cum dictamine rationis; Peccatum autem formaliter est priuatio huius debitæ conuenientiæ, seu rectitudinis debitæ inesse actui humano, & per consequens facit, quod actus voluntatis non habeat conuenientiam cum ratione, sed oppositionem.

Quæ requirantur ad constituendum peccatum mortale?

BRACTEA III.

R. Primo requiri aduertentiam ad malitiam peccati, idest talem actum voluntatis habere disconuenientiam cum ratione, & non esse satis, quod habeat aduertentiam ad actum, sed requiritur, quod aduertat ad malitiam actus; vnde qui aduertit se comedere in Vigilia alicuius Sancti non peccat, nisi hęc aduertentia sit coniuncta cum aduertentia malitiæ peccati: nimirū aduertat se comedere carnes

nes in die prohibito. Ita Vasquez *disp.17.cap.3. num.67.* Bec. *tract.2.cap.5.quest.5.* Azorius *1.par. lib. 4. cap. 5.* & alij citati à Bonacina *disput. 3. quest. 2. pun.3.*

Sciendum est 2. maiorem aduertentiam requiri in aliquibus peccatis, quam in alijs, vt v.g. in peccatis carnalibus requiritur maior aduertentia ad malitiam actus, quam in alijs. Ratio est, quia eorum actus sunt magis naturales.

Tertiò ad peccatum mortale requiri plenam aduertentiam, quia semiplena non sufficit, hinc excusantur à peccato, qui à somno excitati assentiuntur alicui delectationi morosæ, &c. non plenè aduertentes ad malitiam actus, excusantur etiam à peccato facientes contractū vsurarium cum ignorātia inuincibili, & proijcientes lapides è fenestra, non aduertentes ad periculum lædendi aliquem.

Ad peccatum mortale præter aduertentiam requiritur etiam consensus, quia nullum est peccatum, nisi voluntarium, & voluntarium nullum est, nisi adsit consensus.

Quartò Consensum duplicem esse, vnum directum, & alterum virtualē, seu interpretatiuum. Consensus directus est ille, quo voluntas aliquid actualiter intendit. Consensus interprætatiuus, seu virtualis multiplex est: Primus, quando quis aliquid agit, à quo, vt plurimum solet accidere, talis effectus dicitur virtualiter in ipsum consentire, nisi vtatur aliqua diligentia ad præcauendum ipsum effectum.

Secundò dicitur consentire virtualiter, seu interpretatiuè, qui negligens est ad expellendas tentationes, siue distractiones in recitando officio. Similiter qui negligens est ad expellenda ea, quæ possunt esse causa distractionis; vnde qui officium recitat in loco, vbi sunt plura motiua distractionis dicitur virtualiter his consentire. Tertiò, quando negatiuè se habet.

Quid sit Peccatum Veniale.

BRACTEA IV.

SCIENDUM primò, aliquos Doctores dicere, peccatum veniale illud esse, quod est contra Consilium: Peccatum mortale, quod est contra præceptum, sed hoc gratis, & sine fundamento dicitur, quia sequeretur, eos qui non amplectuntur Consilium esse in statu peccati venialis. Alij dicunt, peccatum veniale esse præter legem; mortale verò contra legem; sed hoc etiam gratis dicitur, quia peccatūm veniale est etiam contra legem; vnde furtum paruum non est præter legem solum, sed etiam contra præceptum. Non furaberis.

R. Peccatum veniale materialiter esse dictum, factum, concupitum contra legem Dei ęternam in materia leui. Dixi dictum, factum, cōcupitum, quia hęc est materia cuiuscunque peccati. Secundò dixi contra legem Dei æternam, quia peccatum licet veniale, est contra legem Dei, licet non contra finem legis ęternę, qui est charitas.

Secundò, Formaliter definitur peccatum veniale priuatio leuis rectitudinis debitæ in esse dicto, facto, & concupito, siue peccatum veniale est, quod leuē oppositionem habet cum regula rationis. Diximus in prima definitione, peccatum esse leuem priuationem, &c. ad differentiam peccati mortalis, quod est priuatio grauis rectitudinis debitæ in esse actui humano. Dixi in secunda definitione peccatum veniale esse, quod leuem oppositionem habet cum regula rationis, quia ex D. Thoma; Formalitas peccati consistit in oppositione, quam habet actus cum regula rationis; Peccatum mortale habet maiorem oppositionem, quam habeat peccatum veniale, vt furtum decem aureorum maiorem oppositionem habet cum regula rationis, quam furtum decem solidorum, ob maiorem iniuriam, quæ fit Deo, & proximo.

Quotuplex sit Peccatum Veniale?

BRACTEA V.

R. PECCATUM veniale triplex esse, vnum ex materiæ leuitate, alterum ex imperfectione actus; tertium denique ex natura sua. Ita Azorius *tom.1.lib.4.cap.9.quest.7.* Sanchez *lib. moralium cap.1.* Peccatum veniale ex materię leuitate est v.g. furtum quinque, aut sex solidorum, laborare per dimidiam horam in die festo, omittere vnum psalmum in recitatione officij, &c. quod peccatum veniale potest fieri mortale superaddita materia, quę cum antecedenti possit continuare Sanchez *lib.1. moralium cap.4.* vnde furtum vnius aurei erit peccatum mortale ob superadditam materiam laborare per horam, seu per duas in die festo, comedere in die ieiunij aliquid notabile, erit peccatum mortale propter eandem rationem.

Sciendum est vnam materiam multipliciter posse cūm altera continuari. Primò ratione negotij; secundò ratione temporis; tertiò ratione personæ; quartò ratione consensus; quintò ratione scientiæ; sexto ratione eiusdem obligationis, & similitudinis materiæ peccati.

Primò cōtinuatur ratione negotij; vt quādo plura furta parua fiunt in eodē genere negotij; si verò fiant in distincto genere negotij nō cōtinuātur; vt furta parua, quæ vēdēdo à mercatoribus fiunt, cōtinuantur, quia fiunt in eodem genere negotij, & quando perueniunt ad sūmam notabilem constituunt peccatum mortale, ratione superadditæ materiæ. Ita Sanchez *in summa loco citato n.30.* Suarez *de legib.n.11.* & alij.

Secundò ratione temporis continuatur, vt quando plura furta in eadem hora, vel die fiunt, licet fiant in distincto genere negotij.

Tertiò Continuantur ratione personæ, licet fiant in distincto tempore; vnde seruus, qui Domino suo furatur duos, vel tres solidos pro qualibet vice committit peccatum mortale, quando peruenit ad summam notabilem, cum hæc furta parua ratione personæ continuentur.

Quintò Continuantur ratione consensus, vt quando plures simul consentiunt in damnum alicuius, licet in particulari, quisquè venialiter solum peccauerit, vnde quando plures de communi consensu ingressi sunt vineam alicuius, & quisquis illorum furatus sit paruam quantitatem vuę, ratione consensus censentur furta continuata, & quisquis illorum peccare mortaliter, & insolidum esse obligatos ad restitutio-

-stitutionem. Ita Azorius 3 *part. lib. 4. cap. 9. quæst. 2.* Rebel. *lib. 2. quæst. 15. num. 5.* Clauis Regia *lib. 10. tract. 2. cap. 12. num. 8.* & alij.

Quintò, continuantur ratione scientiæ, vt quando plures scienter ingressi sunt vineam alicuius, & abstulerunt, vel comederunt leuē quantitatem vuæ. Ratione scientiæ hæc furta, siue comestiones continuantur, & cum peruenerint ad summam notabilem peccāt mortaliter, & obligantur insolidum ad restitutionem, quia ratione scientiæ furti ab altero cōmissi inter se continuantur, & vnusquisque censetur causa totius damni. Ita Clauis Regia *loco citato cap. 12. num. 8.* Vasquez 2. 2. *disp. 146. cap. 2. num. 5.* Rebellus *lib. 3. quæst. 15 sect. 5.*

Sextò, continuantur ratione eiusdem obligationis. Vnde qui recitando D. officium in singulis partibus D. officij omitteret aliquem Psalmum, istę omissiones, quia sunt eiusdem obligationis continuantur, & cum peruenerint ad omissionem notabilem, erit peccatum mortale, si verò omissiones erunt diuersorum dierum non possunt continuari, quia sunt distinctarum obligationum.

Similiter, qui pluribus diebus prætermisit orationem Dominicam, vel Angelicam, vel facere eleemosynam, quam ex voto tenetur facere, peccare mortaliter, cum peruenerit ad talem omissionem, quæ cum priori continuata censeatur notabilis, modo votum talis orationis, vel faciendi eleemosynam non sit annexum alicui diei, vel factum in honorem alicuius diei, quia tunc nō cōtinuantur, cum sentiatur omissiones distinctarum obligationum; si verò non erit factum in honorem diei, sed simpliciter votum dicendi orationem Dominicam, vel Angelicam, aut faciendi eleemosynam, censetur solum vna obligatio, & omissiones continuantur, quia sunt vnius obligationis. Ita Vasquez 1. 2. *disp. 146. cap. 2. num. 6.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 4. num. 14.* Valentia *tom. 3. disp. 6 pun. 4.* Azorius 1. *part. lib. 11. cap. 5.*

Sciendum est peccatum veniale gratiam, & amicitiam Dei non tollere, quamuis feruorem charitatis minuat, neque æternam, sed temporalem pœnam mereatur; & idcircò veniale nuncupatur, quia saluo principio, idest gratia languorem, & infirmitatem facilè curabilem animæ confert, veniamque facilè consequitur. Ita Layman *tract. 3. cap. de peccatis.*

Quomodo peccatum mortale fiat veniale?

BRACTEA VI.

R. Peccatum mortale fieri veniale: Primò ex imperfectione actus: Secundo ex paruitate materiæ. Tunc actus censetur imperfectus, quando non est cum debita aduertentia, & deliberatione, vel est cum ignorantia inuincibili. Vnde qui comedit carnes in die prohibito, ignorans, esse prohibitum tali die carnes comedere, non peccat mortaliter, sed venialiter, quia solum materialiter facit contra præceptum.

Similiter, qui comedit carnes in die prohibito, vel laborat in die festo non aduertens ad malitiam actus non mortaliter peccat, quia solum materialiter facit contra præceptum.

Sciendū est, motus voluntatis esse in duplici differentia: quosdam esse motus primi primi, & alios primi secundi. Motus primi primi, sunt qui antecedunt omnem aduertentiam. Motus primi secundi, sunt qui possunt esse coniuncti, cum aliqua aduertentia, in motibus primis primis; non potest esse peccatum, in motibus primis secundis, potest esse peccatum, si aderit perfecta aduertentia, & deliberatio; quod si non erit perfecta, sed semiplena, non erit peccatum.

Quot modis Peccatum veniale ex genere suo, fiat mortale?

BRACTEA VII.

R. Peccatum veniale ex genere suo illud dici, quod absolutè, & simpliciter est veniale, & secundū propriū obiectū non habet grauem oppositionem, cum ratione, vt verbum otiosum, mendacium iocosum, omnis etiam excessus in passionibus animi indifferentibus, vt sunt excessus in cibo, potu, actu coniugij, desiderio pecuniæ, honoris, laudis, & excellentiæ, &c.

Sciendum est, peccatum veniale ex genere suo existimari aliquando mortale, ratione alicuius circūstantiæ adiunctę ad peccatum veniale. Primò ratione finis adiuncti mortalis, vt si quis mendacium iocosum proferat, vt fornicetur, committit peccatum mortale illius speciei, cuius est finis peccati venialis, vt v. g. si finis erit fornicatio, peccatum veniale existimabitur mortale illius speciei; si adulterium vel furtum, &c. illius speciei. Ita S. Thomas 1. 2. *quæst. 88. art. 2. & 4.* Nauarrus *in summa prælud. 9. num. 18.* Regin. *lib. 15. cap. 3.* Clauis Regia *lib. 2 cap. 13.* Azorius, Sanchez, Bonacin. *disp. 11. quæst. 3. pun. 5.*

Secundò, Ratione affectus ad peccatum veniale, ita vt velit potius peccare mortaliter, quam relinquere illud, v. g. quidam transit per aliquam viam, vt alliciat puellam ad se amandum, & ita affectus est transire per illam viam, vt velit potius peccare mortaliter, quā omittere transire: ille transitus ob istum affectum est peccatum mortale; sed aduertendum est non sufficere ad peccatum mortale affectum habitualem, sed requiri affectum actualem, vel saltem virtualem. Ita Molina *tom. 1. disp. 114.*

Tertiò, Ratione contemptus; sed sciendum est contemptum duplicem esse, vnum materialem, & alterum formalem. Contemptus materialis est, quando res præcepta postponitur, licet tunc non intendat contemptum. Contemptus formalis est, quando præceptum postponitur, vt persona contemnatur, vel præceptum.

Sciendum est etiam duplicem esse contemptum formalem: vnum legislatoris, & alterum rei præceptæ. Ita Suarez *lib. 3. de legibus,* Lessius *lib. 2. cap. 47. num. 45.* Contemptus rei præceptæ in materia graui semper est peccatum mortale, contemptus rei paruæ secundum se non est, nisi peccatum veniale; verùm si cōiungatur cum contemptu præcipientis erit peccatum mortale. Ita Suarez *loco citato num. 12.* Salas *de legibus num. 43. & 44.*

Contēptus formalis legislatoris, si est Deus,

ſemper eſt peccatum mortale, etiam in materia leui. Ita Salas *de legibus diſp.* 10. *ſect.* 8. *num.* 28. Valentia *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 6. ſi verò legiſlator ſit homo, vel contemnitur, quatenus legiſlator, vel quatenus hic homo; ſi quatenus legiſlator eſt peccatum mortale iuxta illud Lucæ *cap.* 10. Qui vos ſpernit, me ſpernit; ſi verò contemnitur, quatenus eſt homo habens defectum, eſt ſolùm peccatum veniale, modò materia non ſit grauis. Ita Sanchez *in ſumma lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 12. Suarez *de legibus lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 22. Valentia 2. 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 3. *pun.* 3.

Quartò ratione diſpoſitionis ad peccatum mortale, vt quando peccatum veniale eſt probabilis diſpoſitio ad peccatum mortale; tunc ratione periculi, peccatum illud veniale exiſtimatur mortale, cum in moralibus idem ſit peccare mortaliter, atque exponere ſe probabili periculo peccandi mortaliter iuxta illud Eccleſ. *cap.* 3. Qui amat periculum, peribit in illo.

Quintò ratione conſcientiæ erroneæ, vel ſcrupuloſæ, ſed de hac ratione, iam locuti ſumus cum de obligatione conſcientiæ.

De cauſis excuſantibus actum humanum à peccato mortali?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM eſt peccatum, vt ſupra dictum eſt, duplex eſſe, vnum intrinſecè, & ex ſua ratione formali malum: alterum extrinſecè malum, vel ratione alicuius legis prohibentis, vel alterius circumſtantiæ concomitantis actum humanum, vt v. g. fornicari, adulterare, &c. eſt peccatum intrinſecè, & ex ſua ratione formali malum; at verò laborare in die feſto, ſiue comedere carnes in die prohibito, non eſt peccatum intrinſecè, & ex ſua ratione formali, ſed ſolùm extrinſecè, & ex circumſtantia præcepti malum. Quo poſito.

R. Plures eſſe cauſas excuſantes à peccato in his, quæ ſolùm ſunt extrinſecè mala: nimirum, diſpenſatio legitimè obtenta, impotentia phyſica, aut moralis, vis, & metus, ignorantia legis, vel facti.

Sciendum 2. hanc eſſe diſtinctionē inter impotentiam phyſicam, & moralem, quod impotentia phyſica dicitur illa, qua quis nullo pacto poteſt obſeruare præceptum; moralis, qua quis cōmodè, & ſine præiudicio ſanitatis, &c. non poteſt obſeruare præceptum; vt quando quis non poteſt abſtinere in Quadrageſima à carne, vel lacticinijs ſine præiudicio ſanitatis, vel non poteſt audire Miſſam, niſi cum præiudicio ſui ſtatus, quia non habet veſtes conuenientes; & vtraque impotentia excuſat à peccato in his, quæ ſunt extrinſecè mala. Ratio eſt, quia præceptum obligat ſolùm eos, qui poſſunt illud obſeruare.

Vtrū qui non poteſt ex impotentia adimplere totū præceptū, ſed ſolū partē obligetur ad illā? Reſpondeo affirmatiuè, ſi illa pars ſit notabilis, negatiuè ſi nō erit notabilis; vnde qui nō poteſt dicere totū officiū, obligatur ad partē, quam poteſt dicere, ſi ſit notabilis: ſecus non.

Similiter qui ex imbecillitate ſtomachi, non poteſt ieiunare totam Quadrageſimam, obligatur ad aliquam partem, ſi poteſt; & qui non poteſt adimplere totum votū, tenetur ad partem illius, ſi illa pars ſit notabilis, & diuiſibilis ab altera; ſecus non.

Quot peccata committat, qui voluntariè ſe proijcit in aliquod impedimentum, quo non poteſt plura præcepta adimplere? vt v. g. ſi nauigaturus per plures dies, prima die proijciat breuiarium in mare?

R. Vnum ſolum peccatum committere, quia illa proiectio Breuiarij in mare eſt impedimētum immediatum ad dicendum Diuinum Officium; ſecus verò dicendum eſt, quando impedimentum eſt ſolum mediatum, & remotum.

R. 2. Vim abſolutam excuſare à peccato non ſolùm in his, quæ ſunt extrinſecè mala, verùm etiam intrinſecè. Ratio eſt, quia nullum peccatum, niſi voluntarium, & vbi eſt vis abſoluta, nullum eſt voluntarium.

Tertiò metum cadentem inconſtantem virum excuſare à peccato in his; quæ ſolùm ſunt extrinſecè mala. Ratio eſt, quia lex humana non obligat cum periculo vitæ, honoris, & famæ. Ita Vaſquez *par.* 2. *diſput.* 162. *cap.* 1. Suarez *de cenſuris diſp.* 6. *ſec.* 3. *num.* 7. Azorius 1. *par. lib.* 1. *cap.* 12. Clauis regia *lib.* 5. & alij.

Vtrum metus cadens inconſtantem virum excuſet à tranſgreſſione legis Diuinæ; aut naturalis? Reſpondeo excuſare in his, quæ ſunt extrinſecè mala, non autem intrinſecè; vt patet in voto, quod licet ſit de iure Diuino, tamen excuſat, quando eſt periculum grauis incommodi, &c. & etiam in reſtitutione, quæ licet etiam ſit iure Diuino: tamen ob aliquas cauſas excuſatur à reſtitutione habens rem alienam, vt infra dicetur, quando agetur de reſtitutione; & etiam in confeſſione, quæ licet de iure Diuino debeat eſſe integra, tamen dantur aliquæ cauſæ ab integritate excuſantes. Ita Becc. *tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæſt.* 4. Sanchez *in opere morali lib.* 1. *cap.* 18. Azorius 1. *par. lib.* 1. *cap.* 20. *quæſit.* 1. Clauis regia *lib.* 3. *cap.* 17.

Sciendum aliquando metum cadentem inconſtantem virum non excuſare à peccato in rebus extrinſecè malis, vt quando quis metu cadente inconſtantem virum cogitur aliquid facere, ex quo magnum præiudicium Deo reſultat, ſiuè eius Eccleſiæ, vel aliquod ſpeciale ſcandalum, vt ſi quis cogeretur apud hæreticos in ſpretum fidei catholicæ comedere carnes in die prohibito; vel aliud facere in ſpretum Dei, vel eius Eccleſiæ catholicæ; tunc non excuſaretur à peccato, cum teneatur potius mori, quam ſic offendere Deum, & eius Eccleſiā catholicā iuxta illud. Qui non me confitebitur coram hominibus, confitebor nec ego eum coram patre meo, qui in Cœlis eſt.

Quartò ignorantiam nullo modo excuſare à peccato in his, quæ ſunt intrinſecè mala; & ratio eſt, quia in iure paria ſunt ſcire, & teneri ſcire, & quiſquis tenetur ſcire ea, quæ ſunt intrinſecè mala, & quæ ſpectant ad ſalutem.

Quintò ignorantiam inuincibilem tàm iuris, quàm facti excuſare à peccato in his, quæ ſunt extrinſecè mala.

Sciendum ignorantiam multiplicē eſſe, vincibilem, & inuincibilem, & de hac locuti ſumus dum de conſcientia; & aliam eſſe ignorantiam iuris, aliam facti. Ignorantia iuris eſt, quando quis ignorat legem aliquam obligare. Ignorantia facti eſt, quando quis ignorat aliquod

quod factum esse prohibitū sub peccato mortali; & vtraque excusat à peccato mortali, dummodo sit inuincibilis; & vtraque etiam duplex est antecedens, quæ antecedit factum, & concomitans, quæ ipsum factum concomitatur; & vtraque excusat à peccato. Vnde si quis inaduertenter, & ignorantia inuincibili occideret suum inimicum, excusaretur à peccato, & si quis putans se occidere feram, occideret hominem, non esset reus homicidij, dummodo vsus esset diligentia ad præcauendum homicidium.

Peccatum intrinsecè malum aliquando cōsistit in actione, vt quando quis facit aliquid, quod habet oppositionem cum regula rationis, & aliquando in passione, vt quando quis aliquid patitur, quod habet oppositionem cū ratione. Vis etiam absoluta excusat à peccato intrinsecè malo, quod consistit in passione, non autem in actione.

De distinctione numerica peccatorum-

BRACTEA IX.

SCIENDVM non omnia peccata mortalia, & venialia esse paria, & æqualia, sed differre inter se iuxta oppositionem, quam habent cum regula rationis, vel iuxta qualitatem rectitudinis, qua per peccatum priuatur actus humanus. Vnde adulterium est maius peccatum, quam fornicatio, quia grauiorem oppositionem habet cum regula rationis, & actus rectitudinis, quo per adulteriū priuatur actus humanus, est maior, & grauior illo, quo priuatur actus humanus per fornicationem; & similiter in venialibus datur diuersitas iuxta maiorem, vel minorem oppositionem cum regula rationis, & iuxta qualitatem perfectionis, seu rectitudinis, qua priuatur actus humanus per veniale.

Secundò, peccatum aliud esse commissionis, & aliud omissionis. Peccatum commissionis illud esse, quo committitur aliquid contra Dei præceptum. Peccatum omissionis illud esse, quo quis omittit aliquid facere, ad quod ex præcepto Diuino, naturali, vel iuris positiui obligatur. Quod autem sit grauius?

R. Peccatum commissionis grauius esse peccato omissionis, cum maiorem habeat oppositionem cum ratione, siue cum dictamine conscientię, quam peccatum omissionis; tum etiam quia peccatum cōmissionis immediatius priuat actum humanum rectitudine debita, quam peccatum omissionis, quod solùm mediatè priuat actum humanum rectitudine debita; immediatè verò consistit in priuatione actus. Quo posito.

R. Peccatum non multiplicari ad multiplicationem obiectorum, quando vnico actu quis versatur circa plura obiecta. Ratio est, quia peccata multiplicantur iuxta multiplicationem malitiæ peccati; & quādo vnico actu quis versatur circa plura obiecta, malitia peccati non multiplicatur, sed vna remanet, vnde sequitur, quod peccatum sit vnum; sicut vna est malitia peccati; vnde murmurans de aliqua familia non committit tot peccata, quot sunt personę eiusdem familię, sed solùm vnum, cum vna sit malitia peccati, licet teneatur in confessione exprimere numerum, & conditionem personarum illius familiæ, cum numerus, & gradus personarum sit aliquid pertinens ad obiectum peccati.

R. 2. Peccatum multiplicari ad multiplicationem obiectorum, quando quis successiuè, & distinctis actibus versatur circa plura obiecta. Ratio est, quia tunc censentur esse plures malitiæ moraliter distinctæ. Vnde qui postquā murmurauit de Petro, murmurat de Paulo, duo peccata committit, cum sint duæ malitiæ moraliter distinctæ, sicut etiam qui postquam blasphemauit vnum Sanctum, nulla interposita mora, alium blasphemat, duo peccata committit, quia malitiæ sunt moraliter distinctæ. Quando verò quis successiuis actibus versatur circa idem obiectum, committit solùm vnum peccatum, si eodem impetu iræ versetur. Secus autem si actus moraliter distinguantur, aut per actum contrarium voluntatis, aut per spatium temporis, aut alia ratione, vt infra dicetur.

Sciendum 3. multis modis actus voluntatis interrumpi, ita vt non dicatur amplius moraliter continuari. Primò per actum contrarium voluntatis, vt v. g. qui proposuit furari, vel occidere aliquem, deinde cum pœnitet propositi, interrumpitur actus voluntatis per actum cōtrarium, etsi denuò renouet illum, erit nouus actus à primo distinctus, & per consequens duo peccata, quæ interruptio in confessione dicenda est.

Similiter dicendum est de actibus internis in ordine ad actus externos, qui si simul continuantur constituunt vnum peccatum cum actu externo. Si verò moraliter interrumpantur, sunt plura peccata, v. g. quidam proposuit fornicare, deinde propositi eum pœnitet, & nulla interposita mora accedit ad fornicandum, committit duo peccata: vnum propositi eliciti, alterum fornicationis; quod si propositum fornicandi non fuisset interruptum per actum contrarium voluntatis, esset solùm vnū peccatum, quia actus internus continuaretur cum externo, & ambo haberent vnam malitiā. An verò actus externus, quando continuatur moraliter cum actu interno superaddat ipsi aliquam malitiam? Respondo negatiuè, & solùm superaddere consummationem actus.

Secundò interrumpuntur, & non continuātur actus voluntatis ratione temporis, vt quādo inter actum voluntatis, & executionem illius intercedit aliquod spatium temporis, quia propter illud spatium intermediū prior actus voluntatis nec actualiter, nec virtualiter censetur perseuerare, & continuari cum secundo; quod etiam dicendum est, quando intercedit spatium temporis inter actū, & actū voluntatis.

Tertiò, interrumpuntur actus voluntatis, quando inter ipsos intercedit gestio alicuius negotij magni momenti; quod si intercessit inter actum, & actum voluntatis, vel inter actus executionis propositi ipsius voluntatis, eos moraliter diuidit. Vnde habens intentionem furandi quantitatem frumenti, si inter primum furtum, & secundum intercesserit aliquod negotium, secundum furtum moraliter à primo distinguitur, & erunt duo peccata. Ratio est, quia gestio illius negotij habet

bet vim interrumpendi voluntatem, & ipsam distrahendi à proposito prius elicito; vnde secundum furtum non continuatur cum primo, nec cum actu voluntatis prius elicito, sed ab alio actu voluntatis denuò elicito.

Quartò interrumpitur ratione somnij; vnde quando inter actum, & actum voluntatis, siue inter actus voluntatis, & executionem illius, siue inter actus executionis propositi voluntatis intercedit somnium, actus non continuantur, sed interrumpuntur, quia primus actus actualiter, nec virtualiter censetur perseuerare per somnium intermedium. Vnde qui ante somnium, seù dormitionem elicit actum non restituendi rem alienam, & post somnium iterum proponit non restituere rem, sunt duo actus moraliter distincti, & per consequens duo peccata.

R.3. Quando actus peccati sunt indiuisibiles, & totam malitiam habent simul, siuè totam suam entitatẽ tot sunt peccata, quot sunt actus peccati. Ratio, quia quilibet actus habet completam suam malitiam indepẽdenter ab altero actu. Vnde qui ad mulierem accedit intentionem peccandi quater, vel quinquies cum ipsa, tot peccata commisit, quot sunt actus peccati.

Similiter qui per diem perseuerat in odio contra proximum eliciendo plures actus odij, tot sunt peccata, quot sunt actus odij eliciti, quia quilibet actus odij habet completã totam suam malitiam, & imperfectionem. Qui verò habet intentionem furandi aliquam summam frumenti, committit solùm vnum peccatum mortale, licet illam furetur quatuor, aut quinque vicibus. Et ratio est, quia quodlibet furtum non habet indiuisibiliter totam malitiam peccati simul, sed vnum perficitur per aliud, v. g. primum perficitur per secundum, secundum per tertium, &c.

De distinctione specifica peccatorum?

BRACTEA X.

SVPPONENDVM est, quod supra diximus peccatum materialiter secũdum D. August. esse dictum, factum, concupitum contra legem Dei æternam: formaliter consistere in priuatione rectitudinis debitæ in esse actui humano, siuè in oppositione, quam habet actus humanus cum regula rationis, siue cum dictamine conscientiæ. Quibus positis.

R. Peccata specificè distingui per ordinem ad diuersas perfectiones, siuè rectitudines, quibus priuant actum humanum. Ita Becan. *tom. 2. tract. 1. cap. 5.* Valentia *tom. 2. disp. 6.* Ratio est, quia priuatio specificatur à forma, & peccatum est priuatio rectitudinis debitæ in esse actui humano, & quia alia est rectitudo, siue pfectio, qua priuatur actus humanus per fornicationem, & alia, qua priuatur per adulterium, in fornicatione nulli fit iniuria, & in adulterio fit iniuria toro maritali. Similiter alia est perfectio, qua priuatur actus humanus in furto, & alia in sacrilegio; in furto fit iniuria soli personæ, in sacrilegio fit iniuria personæ, & loco, &c.

Huic assertioni fauet S. Thomas *2. part. quæst. 72. art. 1.* Vasquez *par. 2. quæst. 72. in commentario articuli, dicendo peccata distingui penes obiecta formaliter sumpta, quatenus habent oppositionem cum recta ratione*, quia obiecta formaliter sumpta nihil aliud sunt, nisi perfectiones, siuè rectitudines, quibus peccata priuant actum humanum.

R. 2. Peccata non distingui specie per ordinẽ ad diuersa præcepta, quia sequeretur desideriũ rei alienę, & furtũ esse peccata specie distincta, cum prohibeantur præceptis distinctis; Non furtum facies. Non desiderabis rem alienam. Dici tamen potest, aliquando ex diuersitate præceptorum oriri distinctionem specificam, vel numericam peccatorum, vt quando præcepta habent motiua numero, vel specie distincta; vnde furtum licet sit prohibitum lege Diuina, naturali, & humana, tamen solùm vnum peccatum, cum hæ tres leges habeant solùm vnum motiuum; at verò quando præcepta habent motiua specie diuersa, tot sunt præcepta, quot sunt motiua præceptorum. Vnde in ordinibus sacris constitutus, si committat actum venereum, facit duo peccata formaliter distincta, quia transgreditur duo præcepta habentia distincta motiua, nimirùm virtutis, castitatis, & religionis.

Similiter, quia occidit Sacerdotem, facit duo peccata; quia transgreditur duo præcepta ex diuerso motiuo condita. Facit primò contra præceptum non occidendi ex motiuo iustitiæ condito, & violat iustitiam, qua Sacerdoti debetur reuerentia. Qui non ieiunat in die Veneris, quo ex voto tenetur ieiunare, & in quem incidit etiam Vigilia alicuius Sancti committit duo peccata, quia facit contra duas obligationes habentes distincta motiua: nimirùm contra præceptum Ecclesiæ ex motiuo temperantiæ, & contra votum ex motiuo Religionis factum. Ita Vasquez *par. 2. disput. 98. cap. 3.* & alij.

Qui verò operatur in die Dominico, in quem incidit festum alicuius Sancti, vel non ieiunat v. g. feria sexta Temporum, in quam incidit Vigilia alicuius Sancti, committit solùm vnum peccatum, quia licet faciat contra plura præcepta, sunt tamen ex eodem motiuo condita. Azorius *tom. 1. lib. 4. cap. 4. quæst. 6.* Sanchez *in opere moralium lib. 2. cap. 4.*

MALLEATIO IX.

De Circumstantijs.

Quid sit circumstantia peccati?

BRACTEA I.

R. CIRCVMSTANTIAM peccati esse accidens actus humani, qui peccatum est. Ita Nauarrus *cap. 6. de circumstant.* Bonacina *de circumstãt. peccati*, & alij.

Sciendum est, circumstantiam dici accidens actus humani, quia sicut accidens est quid extrinsecum ad substantiam, ita circumstantia est quædam qualitas extrinseca non pertinens ad substantiam peccati. Vnde dicitur circumstantia, quia circumstat peccato, vt patet in sacrilegio ratione loci Sacri, quia locus sacer est qualitas extrinseca ad furtum, licet illi superaddat

addat malitiā sacrilegij. Ita S. Thom. *qu.7. art.1.*

Sciendum est 2. circumstantias multiplices esse; aliæ enim sunt impertinentes, aliæ minuentes, aliæ aggrauantes in eadem specie, aliæ aggrauantes in infinitum, aliæ mutantes speciem peccati.

Circumstantiæ impertinentes sunt furari dextera, vel sinistra manu, ante, vel post prandium, &c. quæ dicuntur impertinentes, quia non pertinent ad confessionem.

Circumstantiæ minuentes, non sunt manifestandæ in confessione. Ita Nauarrus *cap.6. num.* 6. Reginald. *lib.6. num.* 130. Suarez *disp. 62. sect.3. num.* 10. Sayrus *de pænit. cap.8. num.1.*

Circumstantiæ aggrauantes in infinitū sunt, quæ faciunt, quod peccatum quod ex leuitate materiæ, vel imperfectione actus est veniale, sit mortale superaddita materia, & hæ aperiendæ sunt in confessione.

Circumstantiæ aggrauantes in eadem specie sunt, quæ in eadem specie peccati aggrauant malitiam ipsius, & hæ regulariter non sunt confitendæ, vt melius infra.

R. 2. Circumstantias mutantes speciem peccati esse exprimendas in confessione. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est primò, quia sic determinatur in Concilio Tridentino *sess.14. cap.5.* Tum quia peccatum in confessione manifestandum est perfectè, & determinatè, quod non fieret, si tacerentur circumstantiæ mutantes speciem.

Ex quibus radicibus oriatur circumstantia aggrauans?

BRACTEA II.

R. Ex pluribus radicibus, seu capitibus, tāquam ex suis principijs oriri circūstantiā aggrauantē. Primò ex maiori affectu, seu cōatu ad peccandum, vnde qui maiori affectu furatur, grauius peccat illo, qui non furatur tali affectu; similiter qui maiori affectu, & conatu aliquem odio prosequitur, grauius peccat eo, qui licet odio prosequatur suum inimicum, non tamen illum prosequitur tali affectu, & conatu.

Secundò, ratione scientiæ, & cognitionis peccati. Vnde qui de peccato maiorem scientiam, & cognitionem habet, grauius peccat eo, qui de peccato non habet talem scientiam, quia in eo censetur magis voluntarium, vnde docti censentur grauius peccare, quam indocti, & Religiosi, quam Sæculares, quia de peccato maiorem scientiam, & cognitionem habent.

Tertiò ex conditione personæ peccantis, vnde grauius peccat, cognoscendo fœminam adulter, quam fornicator: habens simplex votum Castitatis, quam qui non habet; & grauius peccat, qui murmurat de persona nobili, quam de ignobili, de superiore, quam subdito, & grauius peccat, qui cum consanguinea rem habet, quam qui cum affine, & grauius in secundo gradu, quam in tertio.

Quartò ex maiori damno, quod infertur; vnde magis peccat, qui furatur pauperi, quam diuiti, & grauius, qui absolutè furatur tres modios grani, eo, qui furatur vnum modium.

Quintò, ex prauo fine, vnde qui furatur ad occidendum, vel ad fornicandum grauius peccat eo, qui absolutè furatur, & sine tali intentione. Vtrum tale peccatum participet de malitia finis? Respondeo affirmatiuè, & includit duas malitias: malitiam furti, & homicidij.

An Pænitens sit obligatus confiteri aggrauantes circumstantias?

BRACTEA III.

R. Regulariter Pœnitentem non teneri circumstantias aggrauantes aperire in confessione. Ita S. Thomas *dist.4. disp. 1. quæst.* 3. Sayrus *de pœnitentia cap.8. num.3.* Ratio est, quia fideles nimium grauarentur; tum quia Concilium Tridentinum *sess.14. cap.5.* iubet solum exprimere circumstantias speciem mutantes, ergo signum est non esse necesse exprimere circumstantias aggrauantes.

In duobus casibus tenetur Pœnitens eas aperire. Primò quando præter violationem iustitiæ generalis violatur etiam iustitia specialis; vt v.g. quando filius de patre murmurauit, nō satis est dicere, se murmurasse de tertia persona, sed necesse est dicere, se murmurasse de patre, quia præter violationem iustitiæ vniuersalis, violatur etiam ius particulare, nimirum iustitia reuerentialis, quæ patri debetur.

Similiter, qui murmurat de Sacerdote, vel de Prælato tenetur exprimere hanc circumstātiam, & qui habuit rem cum consanguinea, vel affine debet exprimere gradum cōsanguinitatis, vel affinitatis, quia quò proximior est gradus, eò magis violatur iustitia, reuerentialis parentibus debita. Secundò, quando circūstantia aggrauās est quid spectans ad obiectum peccati, vel quia est quantitas, vel qualitas eiusdem. Vnde qui furatur summam facientem peccatum mortale debet exprimere quantitatem furti, quia quantitas spectat ad obiectum peccati, obiectum autem perfectum determinatè est manifestandum. Similiter qui murmurauit de familia, debet exprimere numerum, & gradum personarum, quia spectant ad obiectum peccati. Ita Auctores citati.

De Circumstantijs Peccatorum in particulari.

BRACTEA IV.

R. Circumstantias in particulari septem esse hoc versiculo comprehensas:

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Quis, significat conditionem personæ, quæ circumstantia quando mutat speciem peccati aperienda est in confessione, secus autem quādo solùm aggrauat, nisi in casibus supradictis. Vtrum verò teneatur Pœnitens pro peccatis internis, v.g. in delectatione morosa aperire circumstantias personæ, an sit virgo, an sit coniugatus, &c. Respondeo affirmatiuè, quia sicut tenetur in actibus exterioribus declarare circumstantias, ita, & etiam tenetur in actibus internis.

Quid, per quam particulam intelligimus quantitatem nocumenti, quod consequitur ex perpetratione peccati, vel ipsi peccanti, vel

alteri. Vnde si quis furatus est, tenetur aperire quantitatem ipsius furti; & qui maledicit alicui familię, tenetur exprimere numerũ personarum illius; & si quis percusserit aliquem tenetur dicere qualitatem ipsius personæ, quia quantitas nocumenti, & conditio obiecti est semper apperienda in confessione.

Vbi, per quod intelligimus circunstantiam loci, vt v. g. si peccatum perpetratum est in Ecclesia, tenetur hanc circunstantiam aperire, quando talis circunstantia repugnat sanctitati, vel immunitati loci: secus non. Ita communiter omnes Doctores. Vnde si quis in Ecclesia habuerit sermonem impudicum, delectationes morosas, nõ sunt circunstantiæ aperiendæ in confessione, quia his non polluitur sanctitas loci. Ita omnes Doctores communiter. Si autem in Ecclesia quis se polluerit, debet exprimere hanc circunstantiam; quia sanctitati loci repugnat.

Vtrum confugientes ad Ecclesiam, & in ea licitè rem habentes, vt maritus ex vxor, committant sacrilegium, & sint obligati exprimere talem circunstantiam? Respondeo, quod si nullus adest locus ad cubandum, non committunt sacrilegium, nec tenentur exprimere talem circunstantiam, si concubitus sit occultus. Ita Sotus, & alij.

Si furtum committatur de rebus commissis custodiæ Ecclesiæ committitur sacrilegium, & circunstantia, est aperienda, quia violatur immunitas loci; si verò quis furetur crumenam, vel aliud existenti in Ecclesia, non committit sacrilegium; quia non violat immunitatem loci.

Qui extrahit aliquem ab Ecclesia, ad quam confugit, committit sacrilegium, & est excõmunicatus, &c. & tenetur in confessione hanc circumstantiam aperire; similiter qui percutit aliquem in Ecclesia, vel manens in Ecclesia percutit aliquem extra Ecclesiam, committit sacrilegium, & tenetur hanc circumstantiã loci exprimere, quia violat sanctitatem, & immunitatem loci.

Quibus auxilijs, exprimitur circumstantia personæ, qua quis vsus est ad assequendum suum intentum, vt si quis ad sollicitandam fęminam ad peccatum vsus sit aliquo mediatore, vel mediatrice, tenetur hanc circumstantiam aperire in confessione, quia committit peccatum scandali intendens ruinam spiritualem mediatoris, vel mediatricis.

Sciendum, quod qui alia persona vtitur ad sollicitandam fęminam, primò peccat peccato scandali: secundò peccat etiam eo peccato, quod ab altero committitur; quia qui alteri est causa peccati reus est peccati. Ita Vasqu. *part.2.disp.102.cap.4.* Sanchez *lib.1.cap.9 n.8.* Azorius *1 part. lib.4.cap.7.quæst.1.* vnde qui iussu, consilio, qualione alteri est causa peccati, censetur reus illius peccati, quia sicuti, qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, ita qui alteri est causa peccati, reus est peccati.

Cur, reducitur ad finem, qui sæpe nouam malitiam adiungit actui, cum actus participet de malitia illius, vt v. g. verbum iocosum, siue mendacium dictum in ordine ad furtum participat de malitia furti, & furtum factum in ordine ad fornicationem, habet duas malitias, nimirum malitiam furti, & malitiam fornicationis.

Quomodo, significat modum, quo committitur peccatum, & aliquando solum aggrauat, & aliquando nouam malitiam adiungit, vt patet in rapina, qua aliquid accipitur cum violentia.

Quando significat circumstãtiam temporis, quæ aliquando etiam adiungit nouam malitiã, vt si quis seruilia faciat in die festo, comedat carnes in die prohibito, in die ieiunij bis comedat.

Sciendum ratione temporis ea peccata adiungere nouam malitiam, quæ in tali die sunt specialiter prohibita, quæ verò non sunt specialiter prohibita, non addunt nouam malitiam peccato, vt sunt furari in die festo, fornicari, adulterari, &c. quę licet fiant in die festo, non tamen superaddunt nouam malitiam peccato, cum nõ sũt tali die specialiter prohibita. Verum si quis in aliquo insigni die, v. g. in die Parasceues, Pascatis, Pentecostes, Natalis Domini, &c. vel eo die, quo sanctam Eucharistiam, accepit, furetur, vel fornicaretur, &c. teneretur aperire circumstantiam illius diei, ob eius magnam reuerentiam. Ita Medina.

An Circumstantia filiationis specialis sit in confessione aperienda?

BRACTEA V.

R. NEGATIVE. Ratio est, quia licet sit circumstantia aggrauans, non est tamen circumstantia mutans speciem peccati, quia hæc filiatio nullam inducit filiationem spiritualem; nec est quid pertinens ad obiectum peccati. Ita Azorius *3.part. lib.3. cap.9. quæst.5. & 9.* Emanuel Sà *verbo confessio, num. 16. & verbo luxur. num.2.*

Confessarius culpabiliter non interrogauit Pænitentem de circumstantia peccati: quæritur quid facere debeat?

BRACTEA VI.

R. CONFESSARIVM, qui ex negligentia culpabili non interrogauit pœnitentem de circumstantia mutante speciem, obligari admonere pœnitentem petita licentia, si commodè potest. Ita Fernandez *in exam. Theolog. moralium pun.4. cap.5.* Ratio, quia talis circumstantia spectat ad obiectum peccati.

Sciendum Pœnitentem non modo obligari in confessione manifestare species peccatorum, sed etiam circumstantias mutantes speciem, vt confessio sit integra, & Confessarius determinatè agnoscat species peccatorum, & statum pœnitentis. Vnde si ex culpabili Confessarij negligentia circumstantiam necessariã reticuit cognito errore, & à pœnitente petita facultate, debet ipsum admonere, dummodo sine scandalo, & rubore penitentis possit fieri.

Dixi in responsione Confessarium, qui ex negligentia culpabili, &c. quia si per inaduertentiam, aut obliuionem omisit aliquam interrogationem necessariam, non erit obligatus ipsum admonere. Ita Vasquez *in 3.part.tom.*

4.q 93.

4.q.93.actu 3 dub.8. Bonacina *de Sacramen.penit.disp.5 quæst.7.pun.6. num.2.* Suar. *in 3. part.tom.4. disp.32. sect.6.*

Quidam furatus est fornicandi causa: quæritur an talis circumstantia sit aperienda in Confessione?

BRACTEA VII.

RTalem circumstantiam esse aperiendam in confessione. Ratio est, quia adiungit nouam malitiam actui distinctam à malitia furti, & per consequens peccatum non perfectè manifestaretur, nisi pœnitens omnes malitias eiusdem explicaret. Ita Bonacina *de Sacramen.penitentię disp. 5.sect.2.pun.2.difficult.3 num.25.* Henriquez *lib 2 cap.6.num 3.* Suarez *in 3 par.tom.4. disp.22.sect.4.* Reginaldus *tom.1.lib.6.cap.4.num.12?.* & alij communiter. Verum si circumstantia finis non esset mortalis, pœnitens necessariò non teneretur eam manifestare. Ita Pitigian. *in 4.sent.tom.2.disp.17.quæst.vnica art.5.*

Maritus, & Vxor habuerunt copulam in quadam Capella campestri: quæritur, an circumstantiam teneantur aperire in confessione?

BRACTEA VIII.

RTeneri hanc circumstantiam aperire, quia violauerunt sanctitatem illius loci, & non adfuit vlla causa committendi copulam in illo loco, cum possent inde exire. Ratio sicut, qui ex illo loco extrahit aliquem, facit contra immunitatem loci, ita etiam qui absque iusta causa in eo habet copulam, facit contra sanctitatem, nimirum contra consecrationem, vel benedictionem eiusdem.

An habens votum Castitatis satisfaciat dicendo in confessione, se violasse votum Castitatis, tacendo votum solemne, quod habet?

BRACTEA IX.

RSatisfacere dicendo se violasse votum castitatis tacendo, quod sit solemne. Ita Henriquez *lib.5.de penit. cap.5. num.6.* Layman *in summa part.3.cap.85.* Villalobos *in summa tom.1.tract.9. dub.37.num.13.* Fillincius *tom.1 tract.30.cap.9.nu.124.* Sanchez *de matrimonio tom.2.lib.7. disp.27.num.27.* & alij plures, qui hanc opinionem probabilem esse dicunt. Ratio est, quia votum solemne à simplici, non differt specie, nec essentialiter, sed solum accidentaliter, & ratione extrinsecarum cęremoniarum.

An Sponsa de futuro habens rem cum alio, teneatur exprimere in confessione circumstantiam sponsalium?

BRACTEA X.

RTeneri exprimere talem circumstantiam. Et ratio est, quia tale peccatum includit duas circumstantias; vnam stupri, seu fornicationis, & alteram fractę promissionis, cum per sponsalia suum corpus alteri promiserit. Et ita Siluius *in 3.part.qu.43.art.1.* Naldus *in summa verbo sponsalia num.12.* Pitigianus *in 4. sententiarum tom.2.dist.17.quæst.vnica art.5.* & alij plures.

An qui committit tria peccata, cum tribus mulieribus teneatur exprimere numerum personarum?

BRACTEA XI.

RNegatiuum; sed solū teneri, & satis esse, quod exprimat numerum pecccatorum: Et ratio est, quia actus fornicationis eandem habent malitiam, siue committantur cum vna, siue cum pluribus fœminis, dūmodo sint eiusdem rationis, & conditionis. Et ita Sanctius *in prac.disp.1.num.24.* Bonacina *de Sacramentis disp.5. quæst.5.pun.253.difficult.3.*

An qui furatus est summam notabilem, v.g. centum duplas, teneatur in confessione exprimere talem quantitatem?

BRACTEA XII.

RAffirmatiue. Ratio, quia supra dictum est, circumstantiam aggrauantem esse aperiendam in confessione cùm spectat ad obiectum peccati; & in tali casu spectat ad obiectum eiusdem, cum sit quantitas ipsius, obiectum peccati non determinatè manifestaretur in confessione, si quantitas quæ determinat ipsum obiectum, taceretur. Vnde non satis est pœnitenti dicere. Ego surripui rem notabilem, sed debet exprimere quantitatem ipsius rei. Ita Henriquez *lib.5. cap. 4. disputat 22.sect.3. num.17.* Toletus *lib.3. cap.7. num.4.* Coninchus *de Sacramentis disp.7.dub.3.num.13.* & alij.

An qui non audiuit Missam in die Dominico, in quo incidit festum alicuius Sancti, teneatur hanc circumstantiam aperire?

BRACTEA XIII.

RNon teneri, quia solummodo committit vnum peccatum, licet in die Dominico adsit festiuitas alicuius Sancti. Et ratio est, quia non audiendo Missam non fecit contra duo præcepta distincto motiuo condita, sed eodem motiuo, & per consequens facit solum vnum peccatum mortale, & consequenter penitentem satisfacere dicendo, se omisisse missam

fam in die Dominico. Ita Vasquez in 3. *part. tom.4. quaest.91. art.2. dub.4. num.9.* Sanctius *disp.11. num.17.* Sanchez *de matrimonio tom.3. lib.9. disp.15. num.6.*

An qui committit peccatum venereum, cum reliquijs, teneatur aperire hanc circumstantiam?

BRACTEA XIV.

R. NEGATIVE. Ratio est, quia gestio reliquiarum non mutat speciem peccati, nec facit sacrilegium, nec est circumstantia aggrauans spectans ad obiectum peccati, quod etiam procedit, quando res sacrae, vt v.g. agnus Dei benedicti, vel etiam, vt vulgò dicitur, Medaliae benedictae darentur mulieri ob gratitudinem. Si verò darentur in remunerationem, siue in pretium copulae habitae esset sacrilegium, cum rebus sacris remuneraretur actus venereus. Ita Filliucius *tom.2. tract. 30. cap.7. num.229.*

An qui furatur crumenam audienti concionem, in Ecclesia committat Sacrilegium?

BRACTEA XV.

SCIENDVM in furto tripliciter committi sacrilegium. Primo, auferendo sacrum de sacro. Secundò non sacrum de sacro. Tertiò sacrum de non sacro.

R. 1. Committi sacrilegium auferendo sacrum de sacro, vel sacrum de nõ sacro, quãdo verò aufertur non sacrum de sacro, respondeo, cum distinctione, vel illa res est sub iure, & potestate Ecclesiae, quia illi sit tradita in custodiam, vel in pignus data, vel aliquo modo in Ecclesia depositata. Secũdò, vel per accidẽs esse in Ecclesia, non tamen custodiae illius cõmissa, si primo modo auferens non sacrum de sacro committit sacrilegium, & tenetur hanc circumstãtiam in confessione exprimere, quia tale furtum habet malitiam sacrilegij, sicut etiam habet tertio modo, si verò furtum fit secundo modo surripiens non committit sacrilegium, & non est necesse hanc circumstantiam exprimere in confessione. Ita Sotus *in 4. dist.18. quaest.2. art.4.* Henriquez *lib.2. cap.6. num.5.* & alij plures.

An qui deflorat virginem consentientem, teneatur hanc circumstantiam aperire?

BRACTEA XVI.

R. AFFIRMATIVE; quia tale peccatum continet specialem malitiam, etiamsi ipsa consenserit ad peccatum, Ratio est, quia si filia nubat inconsulto, grauiter peccat contra pietatem paternam, ergo multò magis peccat, quando consentit se violari, & consequenter violans virginem consentientem committit nouum peccatum vltra peccatum simplex fornicationis, tum quia puella, sicut non est Domina sui corporis, ita nec etiam suae integritatis corporalis, sicut etiam neque habet Dominium suae vitae, tum quia pater videtur habere specialem curam corporis suae filiae, vt dicitur Ecclesiastici 7. Filiae tibi sunt, serua corpus illarum, ergo per stuprum fit iniuria patri, cui commissa est cura corporis suae filiae, siue filia consentiat, siue non, nam per consensum filiae, ipsa non subtrahitur à custodia patris, vel tutoris, &c. qui illius vices gerunt. Ita Caietanus *2.2. quaest.154. art.6.* Azor. *3. parte lib.5. cap.5. quesito 1.* Graff. *1. parte decis. lib.2. cap.79.* & alij plures.

An gradus incestus sit circumstantia aperienda in Confessione?

BRACTEA XVII.

R. ESSE aperiendam. Ratio est, quia gradus spectat ad obiectum Peccati, & sicut quantitas furti aperienda est in Confessione, vt dictum est, ita etiam explicanda est persona, cum qua peccatum fuit commissum, nam persona, non est circumstantia actus, sed potius ipsius obiectum, & per consequens cũ talis circumstantia respiciat obiectum, & non actum peccati aperienda est in confessione. Ita Henriquez *lib.2. de Poenit. cap.8.* & plures alij.

An circumstantia inductionis ad Peccatum sit aperienda in Confessione.

BRACTEA XVIII.

R. ESSE aperiendam etiamsi alter paratus sit peccare. Ratio est, quia re ipsa cooperatur peccato alterius, & qui cooperatur peccato alterius grauiter peccat, non solùm peccato proprio, sed etiam alieno, quod imputatur ipsi cooperanti. Ita Sanchez *in summa lib.1. cap.8. num.15.*

Sciendum tamen, circumstantiam inductionis, & cooperationis ad peccatum alterius, explicandam esse, quoties talis circumstantia non censetur sufficienter explicata actu principali, secus si sufficienter explicata censeatur explicato actu principali, vnde qui inuitat feminam ad peccatum, non est necesse exprimere talem circũstantiam, cum satis explicetur explicato actu principali.

An circumstantia manifestatiua complicis in Confessione sit aperienda, si ex hac nullum sequatur damnum praeter infamiam apud Confessarium?

BRACTEA XIX.

R. NON esse aperiendam etiamsi in hoc nullum sequatur damnum complici praeter infamiam apud Confessarium. Ratio est, quia praeceptum non infamandi proximum fortius est Praecepto integrandi confessionem, nec ita reputatur leuis infamia, si alius Confessarius nesciebat de complice similia peccata. Ita Valentia *tom.4. disp.7. quaest.11. pun.1.* Caietanus *verbo Confessio condit.3.* Armil. *verbo circumstantia n.11.*

Nauarrus *in summa cap. 7. num. 3. & 4.* Villabos *in summa tom. 1. tract. 9. dub. 38. num. 3.*

An qui ex Præcepto, & voto tenetur ieiunare in aliquo die satisfaciat, dicendo se non ieiunasse.

BRACTEA XIX.

R. Non satisfacere dicendo se ieiunij Præceptum semel perfregisse. Ratio est, quia commisit duo Peccata, vnum contrà Temperantiam, seù contrà Præceptum Ciuile, & alterum contrà Religionem. Peccata autem contra Temperantiam, & contrà Religionem sunt specie diuersa, & per consequens manifestanda in Confessione. Ita Nauarrus *cap. 21. num. 4.* & alij.

An qui fregit ieiunium comedendo carnes, teneantur exprimere talem circumstantiam?

BRACTEA XX.

R. Teneri exprimere circumstantiam comestionis cibi prohibiti. Ratio est, quia sic frangendo ieiunium fecit contra duo præcepta: nimirùm contra præceptum negatiuum comedendo carnes, & contra præceptū positiuū pluries comedendo, quę sunt duo pręcepta specie diuersa, & consequenter aperienda in cōfessione. Ita Filiuc. *tract. 2. de confessione c. 9. n. 90.*

An consuetudo peccati sit aperienda in confessione?

BRACTEA XXI.

R. Consuetudinem peccati per se loquendo, & regulariter non esse necessariò explicandam in confessione, nisi fortè iusta causa interrogetur à Confessario, aut nisi alia de causa teneatur eam fateri. Ratio est, quia huiusmodi circumstantia non mutat speciem peccati, nec spectat ad obiectum eiusdem; si verò Confessarius iusta de causa interrogaret pœnitentem de consuetudine peccati, tenetur pœnitens ipsam explicare. Ratio est, quia consuetudo peccandi, arguit infirmum emendationis propositum, tum quia Confessarius, qui Medici, & Iudicis vicesgerit in hoc Sacramento cognita consuetudine peccandi, poterit pęnitenti diuersa remedia conferre. Ita plures apud Bonacinam *de sacram. penitentia disp. 5. quæst. 5. sect. 2. pun. 53. propos. 3. num. 22.*

An modus in copula sit manifestandus in confessione?

BRACTEA XXII.

R. Negatiue dummodo non adsit periculum emissionis seminis extra vas, & non peccat mortaliter, absque tali periculo vir, qui habet copulam cum vxore, vel à latere, vel succumbendo, vel sedendo, vel præposterè, quia est abusio, ac naturalis ordinis peruersio in solis accidentalibus, dum vas legitimum seruatur. Ita Sanchez *de matrimonio tom. 3. lib. 9. disput. 16.* & alij ab ipso citati. Quod si fiat absque iusta causa, sed solùm delectationis gratia erit peccatum veniale.

An circumstantia durationis temporis in peccato faciendo sit aperienda in confessione?

BRACTEA XXIII.

R. Circumstantiam durationis per se loquendo non esse necessariò explicandam in confessione, dummodo in ipsa moraliter non multiplicentur peccata. Ratio est, quia huiusmodi circumstantia non addit malitiam specie diuersam, sed tantum videtur aggrauare, vel minuere peccatum, & ideò si daretur casus, in quo pœnitens in memoria habet omnes delectationes nostras, quas per annum habuit, non tenetur dicere durationem temporis, sed solùm numerum delectationum morosarum. Ita apud Dianam *tract. 7. de circumstantijs resolut. 39.*

An si quis proferat blasphemias contra Deum, & Sanctos, teneatur exprimere circumstantiam, & diuersitatem illarum?

BRACTEA XXIV.

R. Negatiue: nisi tales blasphemiæ procederent ex odio Dei formali, vel continerent hæresim. Ratio est, quia blasphemiæ censentur eiusdem speciei, & materialiter solùm distingui, cum opponantur religioni, quia tribuitur Deo cultus, & religio, qua tribuitur cultus Deo, & Sanctis, est eiusdem speciei; ergo, &c. Ita Valentia *2. 2. disp. 1. quæst. 13 pun. 1.* Arragon. *2. 2. quæst. 13. art. 1.* Bannes *ibidem*, Azorius *lib. 9. cap. 28. quæsit.* & alij. Quando verò profertur ex odio formali in Deum continet malitiam particularem. Ita Suarez *tom. 1. de religione tract. 3. lib. 1. cap. 6.* & alij.

An delectatio morosa sumat malitiam ab obiecto externo, ita vt necesse sit aperire in confessione circumstantiam obiecti?

BRACTEA XXV.

R. Cum distinctione, vel delectatio morosa est efficax, idest animo exequēdi illā, vel inefficax, idest non animo exequendi illā; si primo modo habet suā malitiam ab obiecto, & est peccatum eiusdem speciei cum obiecto; & necesse est exprimere in confessione circumstantiam obiecti. Si verò secundò modo non habet suam malitiam ab obiecto, sed à motiuo eiusdem delectationis, & tunc non est necesse exprimere in cōfessione circumstantiam obiecti. Et ita docent pro 1. par. Azorius *par. 1. lib. 4. cap. 6. quæst. 3.* Sanchez *in summa tom. 1. lib. 1. cap. 2. nu. 11.* Villabos *in summa tom. 1. tract. 3. dub. 3. num. 4.* Nauar. *cap. 26. n. 9.* & alij; & pro secundo parte Vasquez *in par. 2. tom. 2. disp. 114. cap. 112.* Sairus *lib. 9. c. 7.*

An

An qui transfert triticum de territorio ad aliud cum periculo vitæ, teneatur in confessione hanc circumstantiam exprimere?

BRACTEA XXVI.

R. Teneri. Ratio est, quia in tali transactione, adsunt duo peccata, vnum contra obedientiam legis prohibentis talem translationem, cum sit contra bonum publicum. Secundò peccat peccato temeritatis contra fortitudinem exponendi se graui periculo vitæ, & qui absque rationabili causa exponit se periculo mortis, peccat mortaliter. Ita Vasquez *in par.2.tom.1.quæst.73.art.9.dub.3.*

An quando quis fornicatur, teneatur exprimere oscula, & actus, quæ antecedunt, & subsequuntur copulam?

BRACTEA XXVII.

R. Negative, quando moraliter cum ipsa copula continuantur. Et ratio est, quia non censentur plura peccata, sed vnum, & manifestato actu principaliore censentur satis in ipso actu principali declarati, dummodo tamen hæc media ad copulam non sint exorbitantia, & peiorem malitiam habeant, quam ipsa copula, quia tunc necesse est ea in particulari exprimere, cum non satis explicentur in actu principali, cum à natura non ordinentur ad talem finem, sed solùm ex malitia, & peruersitate hominum; vt sunt oscula verēdarum partium, & ita puto intelligendos esse auctores pro parte affirmatiua citatos à Diana *de circumstantijs resolut.42.*

An in sodomia teneatur quis exprimere in confessione, si fuerit agens, vel patiens, vel gradus cognationis?

BRACTEA XXVIII.

R. Affirmative, quia licet sint solùm circumstantia aggrauans, quæ regulariter non est in confessione aperienda, tamen vt dictum est supra, quando spectat ad obiectum peccati est manifestanda, vt malitia peccati exprimatur, & quia actio, & passio, seù gradus consanguinitatis spectant ad obiectum peccati, idcircò in confessione est aperienda.

MALLEATIO X.

De occasione.

Quid sit occasio peccati?

BRACTEA I.

R. Illam dici occasionem peccati, quæ ex intentione ducit ad peccatum, vel vnde alius arripit occasionem peccandi, vt sunt saltationes, choreæ, &c. transire per aliquam viam, &c. quæ si fiant ex intentione inducendi aliquem ad peccatum, dicuntur occasiones per se, etsi secus dicuntur occasiones per accidens.

Sciendum 1. differentiam esse inter causam peccati, & occasionem eiusdem. Causa peccati est, quæ realiter physicè, aut moraliter influit in effectum peccati, vt v.g. causa agens, iubens, exequens sunt causæ physicæ, quia verè, & realiter influunt in effectum; at verò consulens, consentiens, palpans, siue laudans dicuntur causæ morales, quia moraliter influunt in effectum.

At occasio ex intentione dirigitur quidem ad peccatum, sed non influit in ipsum physicè, aut moraliter, vt v.g. trāsire per aliquam viam potest esse occasio peccati, quia ex intentione transeuntis ille transitus potest dirigi ad peccatum, attamen non censetur causa peccati, cum physicè, aut moraliter non influat in peccatum.

Quotuplex sit occasio peccati?

BRACTEA II.

R. Occasionem peccati duplicem esse proximam, & remotam. Occasionem proximam esse, quæ dependet ab ipso peccante.

Sciendum tamen, quod ad constituendam occasionem proximam tres actus requiruntur. Primò, quod occasio dependeat ab ipso peccante. Secundò, quod ex intentione peccandi dependeat ab ipso. Tertiò, quod vt plurimum vtatur tali occasione; quod si rarò ipsa vteretur, & non ex intentione, sed casualiter, talis occasio non esset proxima, sed remota. Vnde Dominus, qui sæpè ex intentione continuatæ rem habet cum serua dicitur esse in occasione proxima. Primò, quia talis occasio dependet ab ipso, & non casualiter, sed ex intentione, & vt plurimum rē habet cum ipsa; at verò filius, qui cum ancilla matris suæ rem habet, dicitur esse in occasione remota; quia talis occasio nō dependet ab ipso, cum non sit in eius potestate ipsam dimittere.

Secundò, remotam illam dici, quæ non dependet ab ipso peccante, nec est in eius potestate ipsam dimittere, aut si est, rarò, & casualiter ea vtitur. Vnde Dominus, qui quater in anno haberet rem cum serua casualiter, non diceretur esse in occasione proxima, sed remota peccati.

Ad pœnitens, qui est in occasione proxima peccati possit absolui?

BRACTEA III.

R. Poenitentem, qui est in occasione proxima peccati regulariter non posse absolui, nisi dimittat occasionem. Dixi regulariter, quia sunt aliqui casus, in quibus pœnitens, qui est in occasione proxima, potest absolui. Primò, quando occasio non potest dimitti absque speciali præiudicio famæ, honoris, &c. Vnde si pœniteat peccati facti, & promittat se per illam occasionem non peccaturū potest absolui, quia tunc occasio proxima fit remota

remota. Vnde potest absolui seruus, qui paciscitur per annũ permanere in domo sui Domini, & durante ipso, habet rem cum serua, quia absque graui præiudicio vitæ, vel rei familiaris non potest ipsam occasionem dimittere, vt infra dicetur.

An peccet mortaliter, qui alteri est occasio peccati? dicendum est scandalum duplex esse, vnum actiuum, & alterum passiuum. Scandalum actiuum, est dictum, vel factum ordinatum in ruinam alterius ex intentione agentis, & tale in materia graui est peccatum mortale. Scãdalum passiuum est dictum, vel factum non ordinatum ad ruinam alterius, sed acceptum tãquam ordinatum ad alterius ruinam. Ita S. Thomas *2.2. quest. 43. art. 1.* Sanchez *in opere morali lib. 1. cap. 6. num. 1.* Vasquez *par. 2. disp. 102. num. 8.* & scandalum passiuum nõ est peccatum mortale.

An Vidua, quæ durante anno viduitatis rem habet cum Cognato, dicatur esse in occasione proxima?

BRACTEA IV.

R. VIDVAM, quæ iuxta consuetudinem patriç in domo mariti per annum debet manere, & durante ipso habet rem cum suo Cognato non censeri esse in occasione proxima peccati, sed remota. Et ratio est, quia durante primo anno suæ viduitatis non potest ab illa domo discedere sine scandalo, & præiudicio sui honoris, & famæ, &c. Ratione harum circumstantiarum, Occasio quæ ex natura sua est proxima fit remota; & per consequens dummodo eam pçniteat facti peccati, & promittat, per illam occasionem se non amplius peccaturam potest absolui; & si plures reinciderit in peccatũ post absolutionem non est absoluenda, sed suspendẽda est absolutio. Dummodo sine scandalo &c. possit fieri.

An Pœnitens præter species, & numerum peccatorum sit obligatus confiteri occasione, &c.

BRACTEA V.

R. ESSE obligatum cõfiteri occasiones proximas peccati. Ratio est, quia nisi confiteretur occasiones proximas peccati, Confessarius non posset intelligere statum ipsius pœnitentis, & ipsius saluti perfectè consulere.

Sciendum, vt infra dicetur Confessionem posse esse integram dupliciter, materialiter, & formaliter. Materialiter quando à Pçnitente narrantur omnia peccata quoad species, circumstantias, & occasiones proximas; formaliter quando ea solum manifestantur, quæ sine periculo potest manifestare, tacendo ea, de quibus habet iustam causam reticendi, & quando pçnitens nõ habet iustam causam reticendi peccata, debet omnia manifestare nõ modo quoad species, numerum, & circumstantias; sed etiam occasiones proximas, vt Confessarius tamquam sapiens Medicus possit consulere saluti pçnitentis, & licitè tamquam iudex ipsum à peccato absoluere; Occasiones remotas non est obligatus confiteri, sicut nec etiam regulariter circumstantias aggrauantes.

An filiusfamilias qui habet rem cum serua, sit in occasione proxima?

BRACTEA VI.

R. FILIVM familias, qui habet rẽ cum serua, non esse in occasione proxima peccati. Ratio est, quia non est in potestate filij occasionem relinquere, quod maximè requiritur ad constituendam occasionem proximam peccati.

Confessarius vocatur ad Confessionem moribundi habentis seruam ab omnibus existimatam honestam, sed Confessarius agnoscit esse illi Concubinam, quid agendum?

BRACTEA VII.

R. CONFESSARIVM posse infirmum absoluere, dummodo promittat seruam dimittere statim, ac commodè poterit sine scandalo, & non amplius cum ipsa peccaturum. Ratio, quia tunc excusatur a dimissione seruæ ratione scandali, & quia tunc opere illius indigeat.

Sciendum, quod etsi regulariter pœnitens, qui est in occasione proxima peccati, non possit absolui, nisi statim promittat illam dimittere, tamen concurrentibus iustis causis, vt v. g. ratione scandali vitandi, infamiæ, aut alicuius necessitatis potest ipsum absoluere, dummodo promittat se non amplius peccaturum, doleat de præterito, & proponat illam dimittere statim, ac commodè, ac sine scãdalo poterit, cum magis obliget præceptum de seruanda fama, vitandi scandalum, quam præceptum de occasione proxima peccati.

An Confessarius possit absoluere pænitentem, qui non vult dimittere occasionem proximam peccati?

BRACTEA VIII.

R. CONFESSARIVM non posse absoluere pçnitentem, qui cum commodè possit dimittere occasionem proximam, non vult. Ita omnes Doctores, &c. Ratio, quia non censetur dispositus ad absolutionem ob defectum voluntatis dimittendi occasionem.

Sciendum pœnitentem, qui de præsenti potest proximè derelinquere occasionem proximam peccati, & non vult dimittere, non esse dispositum ad absolutionem, sicut non censetur dispositus, qui cum commodè possit restituere rem alienam, & sine rationabili causa vult restitutionem differre, cum in ipso non supponatur perfectus dolor, non censetur dispositus ad absolutionem.

Sciendum, vt aliqua sit moralis occasio proxima

xima peccati duo requiri. Primum; vt ex genere suo talis sit, vt plurimum inducat ad peccatum, quoties hic homo vtitur tali occasione, quod si autem vt plurimum non inducat ad peccatum, non dicitur occasio proxima, etiamsi fortè alias sæpius induxerit. Ita Nauarrus *cap.3.num.15.* Sanchez *in summa lib.1. cap.8.* Secundò requiritur, vt dictum est supra, quod huiusmodi occasio sit voluntaria; nam occasio nō censetur culpabilis, nisi sit volūtaria, cū non sit peccatum, nisi voluntarium: censetur autem non esse voluntaria, quando ratione scandali, infamiæ, necessitatis, aut pacti vitari non potest. Ita Suarez *de pœnit.disp.132.sect.2.num.8.* Henriquez *lib.4.cap.24.num 4.* Nauarrus *cap.3.nu.14.* Emanuel Sà *verbo Absolut.num.12.* Reginaldus *lib.5.num.63.& lib.8.num.19.*

An seruus, qui pacto in domo Domini, debet manere per triennium peccans cum serua, censeatur esse in occasione proxima?

BRACTEA IX.

R. Seruum, qui pacto per triennium debet manere in aliqua domo peccando cum serua non esse in occasione proxima, sed remota. Ratio est, quia ratione pacti cum non possit discedere, talis occasio, non censetur voluntaria.

Sciendum, quod vt supra dictum est ad constituendam occasionem proximam duo requiruntur. Primò, quod sit voluntaria. Secundò, quod per illam multoties peccet; quod si rarò, & casualiter peccet, non censetur esse in occasione proxima, sed remota. Vnde seruus, qui habet pactum manendi per triennium in aliqua domo peccans cum serua, non censetur esse in occasione proxima, cum pactum manendi per triennium faciat, vt occasio, quæ ex natura sua est proxima, sit remota.

Exponere se euidenti periculo peccandi, aut periculo damnationis an sit peccatum mortale?

BRACTEA X.

R. Non licere homini se exponere euidenti periculo peccandi. Ratio, quia qui amat periculum, peribit in illo. In mortalibus exponere se euidenti periculo peccandi, & peccare est idem; ergo sicut non licet peccare, ita nec etiam licet exponere se euidenti periculo peccandi.

Sciendum non posse regulam certam ad cognoscendum, quod nam sit euidens periculum peccandi respectu vniuscuiusque peccati, quia respectu peccati venerei euidens periculum erit, in quo datur periculum consensus; ideò exponens se periculo consentiēdi peccat mortaliter, etiamsi se exponendo protestetur nolle peccare, si multoties iam expertus sit consentire. Si verò moraliter esset certus non consentire exponendo se tali periculo non peccaret. Respectu aliorum peccatorum euidens periculum illud erit, quod consideratis circūstantijs, & examinata experientia, vt plurimum cōducit ad peccatum. Vnde si expertus sit tali occasione, vel transeundo per talem viam, vt plurimum peccare mortaliter peccabit arripiendo talem occasionem; vel transeundo per talem viam, &c.

R. 2. Non posse hominem exponere se probabili periculo æternæ damnationis. Ratio, quia sicut quis non potest se exponere probabili periculo peccādi; ita nec potest absq; peccato exponere se probabili periculo æternæ damnationis, & qui negant hominem posse se exponere euidenti periculo peccandi; ita necessariò debent negare posse se exponere probabili periculo damnationis. Vnde non peccat moribundus, nec se exponit probabili periculo damnationis, qui in articulo mortis non elicit actū contritionis, sed discedit cum sola attritione coniuncta cum Sacramento Pœnitentiæ. Ratio, quia hæc propositio est certa attritio cum Sacramēto sufficit ad iustificationem; ergo sic discedendo ex hac vita non se exponit probabili periculo damnationis. Tum etiam quia præceptum conterendi in articulo mortis non est solùm de contritione actuali, sed etiam virtuali, quæ secundum Fagundez *de precept.lib.2.cap.6.num.5.* & alios, est attritio, quatenus per Sacramentum pœnitentiæ eleuatur ad effectum contritionis iuxta illud axioma, pœnitens virtute Sacramenti ex attrito fit contritus. Tum etiā quia nullus ex precepto tenetur amplius facere quam id, quod Ecclesia docet ad salutem esse necessarium, sed Ecclesia per Concilium Tridentinum docet ad iustificationem sufficere attritionē simul cum Sacramento pœnitentiæ; ergo in articulo mortis non tenetur moribundus elicere actum contritionis actualis, sed satis esse virtualis. Tum etiam quia si contritio actualis ex intrinseca ratione in articulo mortis obligaret, sequeretur non omnes obligare, sed solùm doctos, qui sciunt attritionem minimè sufficere cum Sacramēto, sed hoc est falsum, cum viri docti non sunt peioris conditionis, quam indocti; ita vt difficiliùs saluētur, & ad amplius sint obligati, quam indocti, &c.

MALLEATIO XI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Quid sit Sacramentum Pœnitentia?

Sciendum pœnitentiam dupliciter considerari. Primò quatenus est virtus. Secundò quatenus est Sacramentū. Quatenus est virtus, sic definitur. Pęnitentia est virtus supernaturalis inclinans hominē ad satisfaciendū Deo, pro iniuria, & offensa illi facta ad conseruandū ius Diuinum illæsum. Ita S.Thom. *3. par.qu.85.art. 2.* Suarez *de pœnit.disp.2.sect.3.* Henriq *lib.4.cap.19.n.3.* & alij. Definitur etiam, quatenus est virtus. Pœnitentia est virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus.

Quatenus est Sacramentum varijs modis definitur à Doctoribus. Nauarrus *cap.17. num.11.* Pœnitentia est Sacramētum absolutionis, quo Sacerdos sibi subditum peccata sua cum iusto dolore,

dolore,& proposito satisfaciendi confitentem absoluit ab eisdem. Ab alijs definitur Sacramentum remittendi peccata post Baptismum: idcircò dicitur secunda tabula post naufragium, cum prima sit Baptismus, quo remittuntur peccata, & secunda est Sacramentum pœnitentiæ; quo etiam remittuntur peccata.

R. Sacramentum pœnitentiæ esse Sacramentum consistens in actibus pœnitentis, & absoluentis institutum à Deo per modum iudicij emendatiui ad remissionem peccatorum, Ita Bonacina *disp.5.quæst.2.pun.2.* quæ definitio optima censetur, quia includit suum genus, & differentiam, tum etiam quia includit omnia genera causarum, quę ad tale Sacramentum concurrunt.

Quomodo Sacramentum Pœnitentiæ dicatur necessarium?

BRACTEA II.

SCIENDVM 1. hoc Sacramentum dupliciter considerari in re, & in voto. Consideratur in re, quando pœnitens realiter confitetur sua peccata cum debito dolore, &c. vt à Confessario absoluatur. Sacramentum pœnitentiæ in voto continetur in ipsa contritione, quæ dicitur votum Sacramenti pœnitentiæ, cum ad ipsum ordinetur contritio; nam qui elicit actum doloris, tenetur adhuc eadem peccata, quorũ remissionem per actum contritionis obtinuit suo tempore subijcere Sacramento pœnitentiæ, cum obtineat remissionem peccatorum in ordine ad futuram confessionẽ, cui Deus vult illi peccata subijci. Ita Suarez *disp.17.sect.3.num.7.* Reginaldus *lib.28.num.42.* Vasquez *3.par. quæst.84.art.5.dubio vnico num.31.* Ratio est, quia censetur iustificatus per Sacramentum pœnitentiæ in voto, & consequenter cum obligatione subijciendi peccata Sacramento pœnitentiæ; tum etiam quia sic habetur in Concilio Constantiensi *sess.8.* & in Tridentino *sess.14. cap.2.*

Sciendum 2. dupliciter aliquid dici necessarium. Primò absolutè, & simpliciter. Secundò ex suppositione. Illud dicitur necessarium simpliciter, & absolutè, sine quo res non potest subsistere, vt manducare, & dormire est simpliciter necessarium; quia sine cibo, & dormitione vita non potest saluari: Illud dicitur necessarium ex suppositione, quod supposita tali suppositione res non potest aliter se habere.

Sciendum 3. necessarium ex suppositione duplex esse, vnum ratione medij, & alterum ratione præcepti. Necessarium ex suppositione ratione medij ad salutem est illud, sine quo salus nullo modo potest obtineri. Necessarium necessitate præcepti est illud, sine quo salus etiam potest obtineri, licet pręcipiatur. Quibus positis.

R. Sacramento pęnitentiæ in re non esse necessarium necessitate medij ex suppositione ad salutem. Pœnitentia autem Sacramentum in re, vel in voto esse necessarium necessitate medij ad salutem. Ita Suarez *de pœnitentia disp.17.sect.2.num.3.* Vasquez *de pœnitentia disp.84.art.5.dub.vnico,* Valentia *tom.4.disput.7.quæst.1. pun. 6.* Reginaldus *lib.28.quæst 40.* & alij. Ratio, quia illud censetur ex suppositione necessarium necessitate medij ad salutem, sine quo salus non potest consistere; ac post peccatum salus non potest consistere, nisi per Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto; ergo, &c. Quod si dicatur homo posse iustificari per actum contritionis, & dilectionis: Respondeo in tantum iustificari per istos actus, in quantum in ipsis continetur Sacramentum pœnitentiæ in voto.

R. 2. Sacramentum pęnitentiæ esse etiam necessarium ex suppositione necessitate præcepti. Ita colligitur ex Concilio Tridentino, & docent omnes Doctores. Ratio, quia quod est necessarium necessitate medij, est etiam necessarium necessitate pręcepti, si medium erit in nostra potestate, vt est Sacramentum pœnitentiæ.

Quid intelligatur nomine Sacramenti Pœnitentiæ?

BRACTEA III.

R. SACRAMENTVM pœnitentiæ significare partes suas essentiales, hoc est actus pœnitentis, & absolutionem per modum vnius aggregati moralis ad modum entium naturalium; idest primo significare contritionem, confessionem, & satisfactionem, vt materiam huius Sacramenti, deinde absolutionem tamquam formam eiusdem.

De materia remota huius Sacramenti.

BRACTEA IV.

SCIENDVM 1. materiam Sacramenti pœnitentiæ duplicem esse: vna est remota, & altera propinqua. Materiam remotam esse peccata actualia commissa post Baptismum. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia dicitur materia remota; circa quam versatur proxima; hæc autem, vt infra dicetur, sunt actus pœnitentis, Contritio, Confessio, & Satisfactio; ergo, &c. Materiam proximam esse tres actus pęnitentis, nimirùm Contritionem, Cõfessionem, & Satisfactionem, qui tres actus requiruntur in pęnitente ad perfectam peccatorum remissionem.

Sciendum 2. materiam remotam duplicem esse, necessariam, & sufficientem. Necessariam esse peccata mortalia post Baptismum commissa, & dicitur materia necessaria; quia non potest tolli, nisi per hoc Sacramentum; at peccata mortalia non possunt tolli, nisi per pęnitentiam; ergo, &c. Materiam sufficientem esse peccata venialia, vt infra. Quibus positis.

R. Peccata mortalia esse materiam necessariam remotam huius Sacramenti. Ita S. Thomas *3.par.quæst.84.art.2.* Suarez *disput.18.sect.1.* Valentia *tom.4 disp.7.quæst.1.pun.2.* & alij. Ratio, quia illud est materia remota necessaria, propter quod fuit principaliter institutum hoc Sacramentum, & ideo dicitur secunda tabula post naufragium, quia non possunt tolli, nisi per hoc Sacramentum.

R. 2. Peccata mortalia esse materiam sufficientem huius Sacramenti. Ita communiter omnes. Ratio est, quia peccata venialia sunt verè peccata, & oppositionem habent cum ratione,

tione, licet in materia leui, & contra legem Dei; ergo sunt materia confessionis, sed nõ necessaria, quia possunt omitti in confessione sacramentali ex certa scientia, & voluntate; ergo sunt materia sufficiens. Ratio est, quia Christus instituens hoc sacramentum non coarctauit illud ad mortalia quoad remissionem; vnde illa verba. Quorum remiseritis, &c. etiam comprehendunt venialia; ergo erunt materia sufficiens.

R. 3. Peccata iam confessa, & absoluta non esse materiam necessariam huius Sacramenti, sed sufficientem. Ita Suarez *disp.18.sect.1.num.5.*

Sciendum, quia licet peccatum sit iam confessum, & absolutum; potest tamẽ denuò subijci grauibus, non vt denuò remittatur quoad culpam, & pęnam æternam; sed vt denuò remittatur quoad pęnam temporalem debitam peccatis.

Sciendum 2. Ad maiorem intelligentiam in peccato duo esse culpam, & reatum, qui duplex est, vnus pęnæ æternæ, & alter pęnæ temporalis. Quando primariò peccatum subijcitur clauibus, & absoluitur, remittitur quoad culpam, & pęnam æternam, & quia satisfactio imposita grauitati peccati non correspondet, nec etiã dolor elicitus, hinc est, quod remaneat reatus pęnæ temporalis purgandus in Purgatorio, vel etiam in isto mundo operibus meritorijs, vel Indulgentijs, & quando peccatum denuò subijcitur, clauibus remittitur quoad reatum pęnæ temporalis iuxta gradum doloris, quam habet pęnitens.

An peccatum mortale inculpabiliter oblitum sit materia necessaria confessionis?

BRACTEA V.

R. Peccatum mortale ex obliuione inculpabili oblitum, vel ex ignorantia inuincibili non dictum, non esse amplius materiam necessariam confessionis. Ratio est, quia hæc peccata sunt verè absoluta, & remissa, etsi est obligatio ea subijciendi clauibus, non est vt amplius absoluãtur quoad culpam, & pęnam æternam, sed solùm vt satisfiat Concilio Tridentino, quod iubet peccatum confiteri secundùm suas species, &c.

An peccatum reseruatum tacitum in alia confessione sit materia necessaria?

BRACTEA VI.

R. Peccatum reseruatum ex iusta causa tacitum, non confessum non habenti iurisdictionem esse etiam materiam necessariam Sacramenti pęnitentiæ. Ratio est, quia alia ratione non potest tolli eius reatus pęnæ æternę, & culpa, & per consequens censetur adhuc materia necessaria confessionis.

Quænam materia dicantur peccata in habitu confessa?

BRACTEA VII.

R. Peccata in habitu confessa non esse materiam necessariam, nec sufficientem Sacramenti pęnitentiæ. Ratio, quia materia Sacramenti pęnitentiæ debet esse determinata in aliqua specie; peccata autem in habitu confessa, non sunt determinata in aliqua specie.

Sciendum ex Concilio Tridentino peccatũ, quod manifestatur in confessione debere secundùm suas species, circumstantias, & numerum exprimi, vt possit esse materia Sacramenti pęnitentiæ: quando autem exprimitur secundum habitum nulla species, nec circumstantia manifestatur, vt quando pęnitens dicit, Ego sum superbus, mendax, gulosus, &c. non declarat speciem, nec numerum peccati, sed solùm manifestat habitum proprium ipsius pęnitentis, & per consequens peccata non possunt esse materia confessionis.

An peccatum dubium sit materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ?

BRACTEA VIII.

R. Negatiue, quia materia huius Sacramenti debet esse determinata, sicut est materia aliorum Sacramentorum. Peccatum dubium non est materia determinata, cum dubitetur, an sit peccatum, & quamuis habẽs peccatum dubium, debeat illud confiteri, tamen non est materia sufficiens; ita vt Confessarius supra peccatum dubium possit impendere absolutionem, cum non possit extorqueri materiã certã. Quod si dubium erit non de materia, sed an sit peccatum mortale, an verò veniale? Tunc pęnitens potest absolui, cum materia sit certa, & dubium solùm sit de specie peccati, an sit mortale, an sit veniale. Ita Sanchez *in summa lib.1.cap.11.num.70.* Resol. *de penitent.cap.10.quæsito 34.* & alij.

An in articulo mortis habens solùm peccata dubia, possit absolui?

BRACTEA IX.

R. In articulo mortis habentem solum peccata dubia posse absolui. Ratio est, quia casu in extremæ necessitatis ministrans, seù cõficiens Sacramentum potest vti materia dubia, & quia articulus mortis est casus extremæ necessitatis per consequens potest in eo conficiẽs vti materia dubia. Ita communiter omnes.

An Pœnitens, qui habet solum peccatum veniale, illud sit materia necessaria, an sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ?

BRACTEA X.

R. Quando pœnitens confitetur solùm vnum peccatum veniale, quod censetur

tota

tota materia confessionis, illud non esse materiam sufficientem, sed necessariam Sacramenti pęnitentiæ. Ita illi Doctores, qui dicunt materiam necessariam esse illam, sine qua non potest confici Sacramentum. Ratio est, quia tota materia confessionis est necessaria, cum Sacramentum constet ex sua materia, & forma, & licet peccata venialia sigillatim sumpta sint solùm materia sufficiens: tamen quando constituunt totam materiam Sacramenti, censentur materia necessaria, & per consequens quando vnum peccatum veniale existit tota materia, censetur esse materia necessaria Sacramenti pęnitentiæ.

Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ?

BRACTEA XI.

R. Formam Sacramenti pęnitentiæ duplicem esse, vnam ex instituto, & præcepto Ecclesiæ, quæ est, Dominus Iesus Christus te absoluat, &c. & alteram ex necessitate, quæ est, te absoluo. Ita S. Thomas *3. par. quæst. 84. art. 3.* Suarez *disp. 19. sect. 2. num. 41.* Vasquez *de penitent. disput. 84. art. 3. dub. 4. num. 4.* Valentia *disput. 7. quæst. 1. pun. 3.* & alij. Ratio est, quia illa censetur optima forma huius Sacramenti, quæ demonstrat effectũ, per quem fuit institutum: Te absoluo, optimè demonstrat effectum, quia est remissio peccatorum, & Confessarius dicendo hæc verba, Te absoluo; exercet actum iudicialem, & profert sententiam circa pęnitentem, qui manifestando sua peccata se constituit reum, & Confessarius satisfactione posita absoluit ipsũ, & quoad culpam, & quoad reatum pęnæ æternæ, quæ absolutio satis exprimitur per hæc verba, Te absoluo.

An per hæc verba Confessarius possit absoluere à censuris, & à peccatis?

BRACTEA XII.

R. Confessarium per hæc duo verba posse non modò absoluere pęnitentem à peccatis, verùm etiam à censuris. Ita Sotus *dist. 14. quæst. 1. art. 3.* Henriquez *lib. 4. cap. 11. num. 3.* & alij. Ratio est, quia in absolutione à censuris, & à peccatis verificatur sensus huius propositionis, Te absoluo, tum etiam quia possunt referri ad censuras, & ad peccata, dummodo Confessarius habeat intentionem eadem prolatione absoluendi à censuris, & à peccatis: tamen prioritate naturæ absoluitur prius à censuris, quam à peccatis.

Sciendum 1. quod licet hæc duo verba, Te absoluo, sint vera forma Sacramenti pęnitentiæ; tamen Confessarium non debere, vti hac forma, nisi in casu necessitatis: extra casum necessitatis debere vti forma, quæ est ex præscripto Ecclesiæ, aliter faciendo peccaret, quia faceret contra præceptum, & consuetudinem Ecclesiæ sine causa.

An Confessarius possit absoluendo vti verbis synonimis, &c.

BRACTEA XIII.

R. Alterationem, vel mutationem verborum formæ dupliciter posse contingere. Primò, vt mutet solùm accidentaliter sensum formæ. Secundò essentialiter; quod si accidentaliter mutat solum sensum, formam producere suum effectum; si verò substantialiter, ac essentialiter formam non producere suum effectum. Vnde forma pronunciata his verbis, Remitto, vel condono peccata tua, vel absoluo tuam Regiam Celsitudinem, vel remittuntur à me peccata tua, vel Ego peccator absoluo te, forma inquam producit suum effectum, quia cum variatio formæ non sit substantialis producit suum effectum.

An forma prolata sub conditione producat suum effectum?

BRACTEA XIV.

R. Validum esse Sacramentum, & formam producere suum effectum, si conditio, quæ apponitur, erit de præsenti, vel de preterito; secus autem si cõditio erit de futuro. Ratio est, quia vel Sacramentum est validum statim prolata forma, vel adueniente conditione, sed non potest esse validum statim prolata forma, cum Confessarius non habeat intẽtionem absoluendi, nisi dependenter à conditione, neque potest validari, nisi adueniente conditione, cum tunc temporis non adsit materia, neque forma. Ita Nauarrus *cap. 26. num. 12.* Rodriquez *cap. 54. num. 2.* Henriquez *lib. 4. cap. 12. num. 5.* Vasquez *quæst. 84. de pęnit. art. 3. dub. 5. num. 6.* Suarez *tom. 1. de Sacramentis disp. 13 sect. 3.* & alij.

An absolutio supra eadem peccata possit reiterari?

BRACTEA XV.

Sciendum, vt supra dictum est, effectum absolutionis triplicem esse, vnum in ordine ad culpam, alterum in ordine ad reatum pęnæ æternæ, & tertium in ordine ad reatum pœnæ temporalis. Quo posito.

R. Absolutionem non posse reiterari circa eadem peccata semel, & ritè confessa in ordine ad culpam, & reatum pęnæ æternæ. Ratio est, quia culpa, & reatus pęnæ æternæ per primam absolutionem fuit ablatus; in ordine verò ad reatum pęnæ temporalis, qui in Purgatorio remanet purgandus, vel etiam in hoc mũdo operibus meritorijs potest reiterari absolutio, quæ habet talem effectum, vt reatum pęnæ temporalis debitum peccatis diminuat iuxta gradum doloris; & hæc opinio est communis.

An absolutio possit dari validè absenti?

BRACTEA XVI.

R. Non posse absolutionem sacramentalem validè proferri in absentem. Ita Eman. Sà *verbo Absolutio num.*10. Valentia *tom.4. disp.7. quæst.*11. *pun.*1. Vasquez *de pœnitent. quæst.*91. *art.*3. *dub.* 2. Henriquez *lib.*5 *cap.*2. *num.*7. Toletus *lib.*3. *cap.*6. Suarez *disp.*19. *sect.*3. *num.*7. & alij plures. Ratio est, quia Ecclesia nunquam vsum istum approbauit. Secundò, quia de ratione huius formę est, vt proferatur voce humana, & dirigatur ad personā præsentem ex illo pronomine Te; ergo non potest conferri in absentem. Tertiò, quia hoc Sacramentum fit per modum iudicij, quod ante absolutionem requirit causæ cognitionem, & cum sit iudicium internum, & voluntarium, in quo pęnitens habet vicem accusatoris, testis, & rei ostendentis suam dispositionem, ex natura rei postulat præsentiam Iudicis.

An absolutio data per litteras sit valida?

BRACTEA XVII.

R. Invalidam esse inter absentes. Ita Pitigianus 2. *par. dist.* 17. *quæst. vnica art.*8. & alij Doctores supracitati. Ratio desumitur ex supradictis.

Sciendum tamen validam esse confessionem, si pęnitens per litteras mittat peccata sua Cōfessario, deinde ad eius præsentiam dicat, Se, De omnibus illis accusare, & ab eodem Confessario absolutionem obtineat in præsentia. Ratio est, quia tàm absolutio, quàm confessio censetur in præsentia pęnitentis, & Confessarij fieri. Ita Nugnus *in Additionibus quæst.* 6. *art.*3. *difficult.*2.

MALLEATIO XII.

De partibus Sacramenti Pœnitentiæ, Et primò de Contritione.

Quot sint partes Sacramenti Pœnitentiæ?

BRACTEA I.

R. Partes Sacramenti pęnitentię tres esse, nimirùm Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. Ita S. Thomas *quæst.*84. *art.*1. Sairus *lib.*1. *de sacramentis cap.*3. *quæst. vnica art.*7. *&c.*

Sciendū contritionē, & confessionē non modò esse partes integrales, verùm etiā essentiales Sacramenti pęnitentiæ, satisfactionem esse solùm partem integralem, non autem essentialem. Ratio, quia illæ dicuntur partes essentiales alicuius Totius, sine quibus illud Totum non potest subsistere; at sine contritione, & confessione Sacramentum pęnitentiæ essentialiter non potest subsistere; ergo, &c. De satisfactione aliter dicendum est, quia cum sit solùm pars integralis Sacramenti pęnitentię potest Sacramentum sine satisfactione essentialiter subsistere; confessio dicitur pars essentialis, quia cum Sacramentum pęnitentiæ sit quoddam iudicium emēdatiuum, manifestatio peccati est de essentia, quia est materia, circa quā versatur iudicium emendatiuum; ergo, &c.

Per contritionem, quæ dicitur pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ non intelligitur formaliter contritio, sed dolor prout abstrahit à contritione, & attritione. Ita Suarez *disp.* 20. *sect.*3. *n.*8. Henriquez *lib.*4. *cap.*10. *num.* 2. & alij. Ratio est, quia ratio formalis confessionis cōsistit in manifestatione suorum peccatorum in ordine ad eorum remissionem, & ad emendationem, frustrà autem esset talis accusatio, nisi esset dolor, quo detestetur tale peccatum. Vnde dicendum est dolorem esse de essentia huius Sacramenti. Ita communiter omnes.

Sciendū 2. dolorem duplicē esse, vnum actualem, & alterum virtualem. Dolor actualis est ille dolor, quo pęnitens hic, & nunc detestatur sua peccata; dolor virtualis est perseuerantia doloris eliciti à voluntate moraliter non interrupti, vt v. g. ille actus, quo quis confitendo sua peccata ea detestatur, dicitur dolor actualis; actus verò elicitus iam in examine consciētiæ paulò ante confessionem dicitur virtualiter perseuerare, quando quis confitetur sua peccata, dūmodo non sit interruptus per actū, qui habet vim interrumpendi perseuerantiam virtualem illius.

Sciendum 3. ad validitatem Sacramenti pęnitentiæ non requiri dolorem actualem, sed virtualem, idest perseuerantiam prioris doloris eliciti à voluntate, & non interrupti, qui si fuerit interruptus, non erit amplius sufficiens, sed nouus actus doloris eliciendus est. Ita auctores citati.

Quid sit Contritio?

BRACTEA II.

R. Contritionem esse actum charitatis, quo quis detestatur sua peccata super omnia detestabilia, quatenus sunt offensa Dei infinitè amabilis, cum proposito in futurum non peccandi, confitendi, satisfaciendi.

Sciendum est 1. contritionem esse actum charitatis, non autem virtutis pęnitentię; vt docet Toletus *lib.*3. *cap.*4. Valentia *tom.*4. *disput.*7. *quæst.*8. *cap.*1.

Vnde in hac definitione essentialiter tria requiruntur. Primò, quod contritio sit actus, seù effectus charitatis. Secundò, quod detestetur peccata, quatenus sunt offensa Dei summè dilecti, seù infinitè amabilis. Tertiò quod adsit propositum confitēdi, satisfaciendi, & non peccandi amplius in futurum. Ita Nauarrus, & alij.

Sciendum est 2. esse actum, quo quis detestatur sua peccata, qui actus detestationis consistit in hoc; Nollem offendisse Deum, & peccasse; quomodo verò in isto actu detestationis includatur dolor de peccatis: Respondeo causatiuè includi eo modo, quo effectus includitur in causa, quia detestatio peccati censetur causa doloris, & tristitiæ peccati; eo modo quo charitas, seù amor Dei censetur causa detestationis peccati.

Diximus etiam in definitione, quatenus sunt offensa Dei summè dilecti, seù infinitè amabilis; quia sub hac ratione formali distinguitur contri-

ab attritione, quę detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei non summæ dilecti, aut infinitè amabilis, sed quatenus est offensa Dei Iudicis metuendi.

Tertiò diximus cum proposito non peccandi in futurum, confitendi, & satisfaciendi. Ratio est, quia propositum non peccandi, confitendi, & satisfaciendi sunt actus essentiales contritionis, sine quibus contritio non potest esse perfecta. Ita communiter omnes.

Sciendum, quod etsi in definitione contritionis dicatur cum proposito non peccandi in futurum, &c. Tamen fieri posse, vt licet aliquis absolutum, & sufficiens propositum habeat, nihilominus timeat, vel etiam existimet se non vitaturum omnia mortalia peccata, vel certum aliquod peccati genus se non effugiturum; quia anteà voluntatis suæ inconstãtiam, expertus fuerat. Ita Siluest. *verb. confess. 1. quæst. 21.* Nauar. *cap. num. 13. Iam verb. absolutio. n. 12.* Beca. *p. 3. casu 6.* & alij. Ratio est, quia velle, ac proponere voluntatis actus est; Existimare se facturum quod voluntas proponit est actus intellectus, qui ex proposito illo necessario non consequitur ob humanæ voluntatis cognitam mutabilitatem. Quamobrem non rectè agit Confessarius si pęnitentem suũ adigat ad specialem promissionem de hoc, vel isto peccato, in posterum præcauendo; præterquam in aliquibus, & raris casibus, vt v. g. si ageretur de aliqua proditione, vel de restitutione rei alienæ, vel de dimittenda occasione proxima peccati, &c. Ita Layman. *tract. 6. cap. 4. de sacramento pęnitentiæ num. 8.*

Quanta debeat esse detestatio peccatorum?

BRACTEA III.

Sciendum contritionem dupliciter dici magnam: primo intensiuè: secundò appretiatiuè. Dicitur magna intensiuè, quando magno feruore elicitur, dicitur magna appretiatiuè, quando quis detestatur peccatum magis, quam quodlibet aliud malum, v. g. infirmitatẽ.

R. Detestationem dici maximam, quando quis detestatur peccata super omnia mala, & super omnia appretiabilia. Secũdò ad iustificationem non esse necesse, quòd cõtritio duret longo tempore, sed sufficit quouis paruo tempore duret; immò satis est, quod sit in instanti. Ratio est, quia homo potest iustificari in paruo tempore, immò in instanti in quacunque hora ingemuerit, &c. Ezechiel 18. & 33. tum etiã quia vera, & formalis contritio saluatur in instanti. Ita plures citati apud Bonacinam *de sacramento pęnit. 5. sect. 1. punct. 7. num. 2.*

Sciendum 2. ad contritionem, seù iustificationem non requiri certam intensionem, sed sufficere quamlibet, licet sit remissa, modò sit vera contritio. Ita Nauarr. *cap. 1. num. 9.* Coninchus *disp. 2. dub 3. num. 70.* Henriquez *lib. 4. cap. 27. num. 6.* Rodriquez *cap. 48. conclus. 2.* Medina *de pęnitentia tract. 1. quæst. 3.* Suarez *disp. 4. sect. 4.* Reginaldus *lib. 5. num. 30.* Pitigianus *4. part. distinct. 14. quæst. 3. art. 9.* Valentia *tom. 4. disp. 4. quæst. 8 pun. 5.* Sotus *in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 4.* & alij.

Sciendum 3. ad contritionem non sufficere dolorem quò quis non doleat, nec velleitas nõ peccandi. Ratio primæ partis est, quia talis dolor non est dolor de peccatis commissis, cũ quo, affectus ad ea stare potest, sufficere tamen actum quo quis dolet se non dolere de peccatis, quia talis dolor plerumque habet coniunctum dolorem de peccatis, & si pęnitens eum non dignoscat. Ita Hermannus Busembaum *lib. 6. tract. 4. dub. 2. num. 6.* Secundò, non requiritur, quod iste dolor sit sensibilis, quia sufficit intellectiuus, qui cum sit internus, ac spiritualis, scrupulosi non facilè debent augi quasi si sine dolore accedant ad Sacramentum, eo quod nullum sentiant.

An ad effectum Sacramenti sufficiat implicitum propositum non peccandi?

BRACTEA IV.

R. Ad contritionem, seù ad iustificationem non requiri supradictos actus explicitè actualiter, sed solum virtualiter. Ita Nauar. *cap. 1. num. 18.* Vasquez *de pęnit. quæst. 88. art. 2. dub. 2. num. 3.* Coninchus *de pęnit. disp. &c.* Ratio est, quia vno, & simplici actu detestationis peccatorum ex motiuo supernaturali homo sufficienter disponitur ad iustificationem, & tamen fieri potest, vt nihil aduertat ad futuram vitam, aut de peccatis euitandis nihil cogitet, & hic dicitur habere actum contritionis siue propositũ explicitè; Ergo, &c.

An ad contritionem requiratur, vt Pœnitens credat se non amplius peccaturum?

BRACTEA V.

R. Non requiri, vt pœnitens habeat huiusmodi credulitatem, sed satis esse, quod habeat propositum nõ peccandi amplius in futurum. Ratio est, quia actus contritionis potest subsistere, etiamsi pœnitens non credat se non amplius peccaturum. Potest enim detestari peccata super omnia detestabilia cum proposito non amplius offendendi Deum, licet timeat fore, vt Deum offendat in futurum. Tum quia credere se non amplius peccaturum sapit quandam superbiam. Ita Nauarrus *cap 1 num. 13.* Rodriquez *cap. 48. num. 8.* Reginaldus *lib 5. nu. 342.* Zerola *de pęnitent. cap. 7. quæsit. 9 &c.*

An ad veram contritionem requiratur, vt Pœnitens habeat distinctam recognitionem peccatorum?

BRACTEA VI.

R. Primo ad contritionem, seù iustificationem non requiri distinctam recognitionem peccatorum ante, vel post. Ratio est, quia actualis huiusmodi repræsẽtatio humano modo est impossibilis, & non potest intellectus humanus simul ad omnia distinctè attendere, in quo omnes Doctores ferè conueniunt.

R. 2. Ad contritionem, seù iustificationem satis esse confusam recogitationem peccatorum iuxta illud Isaiæ 38. Recogitabo tibi omnes annos meos, &c. Tum quia contritio est

actus voluntatis, qui non fertur in incognitum; ergo ad ipsum saltem requiritur confusa recogitatio omnium peccatorum.

An contritio debeat esse de actibus peccatorum? An verò de malitia peccati?

BRACTEA VII.

R. Cum distinctione in his, quæ sunt intrinsecè mala, vt odium Dei, blasphemia, &c. contritionem debere esse de ipsis actibus. Ratio est, quia ab illis moraliter factis est inseparabilis malitia, ideoque ratione illius sunt detestandi; in his verò quæ sunt extrinsecè mala, & tantum actus mali ex mala intentione, tunc non est necesse detestari actus ipsos, sed tantũ modum operandi, vt v.g. circumstantiam finis in actu indifferenti, & prauam intentionem. Ita Filincius *tract.6. de contritione cap.9. num.227.*

An quando quis iterum confitetur peccata iam confessa teneatur elicere nouum actum doloris?

BRACTEA VIII.

R. Teneri, si ipsa peccata denuò subijciat Sacramento; & ratio est, quia materia proxima Sacramenti, non modò est confessio, & satisfactio, sed etiam contritio, seù dolor, & per consequens, quando in Sacramento repetuntur peccata, illud debet habere suam materiam remotam, & formam proximam, & per cõsequens de peccatis, quæ denuò repetuntur in confessione, debet elicere actum doloris.

Quomodo Contritio sit necessaria?

BRACTEA IX.

R. Contritionem non esse necessariam necessitate medij ad salutem. Ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia illud est necessarium necessitate medij ad salutem, sine quo simpliciter, & absolutè salus non potest obtineri, sed sine contritione salus potest obtineri, vt patet in homine iusto, qui si repentè moriatur, salutem obtinet, etiamsi contritionis actum non eliciat; ergo, &c. tum etiam quia pœnitens satisfacit Deo pro debito peccati per Sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione; ergo non semper requiritur contritio.

R. 2. Contritionem propriè sumptam esse necessariam necessitate præcepti iuris Diuini, & positiui. Ita Valentia *disp.7. quæst.8. par.3.* Suarez *disp.25. sect.1.* & colligitr ex Luca, Nisi pœnitentiam egeritis, &c. & ex Ioele, Conuertimini ad me in toto corde vestro. Ratio, quia illud est necessarium necessitate præcepti, &c. quo culpabiliter prætermisso, salus non potest obtineri; at prætermissa contritione, salus non obtinetur, vt patet ex illo Lucæ, &c. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis; ergo, &c.

Sciendum contritionem, vt supra dictum est, dupliciter sumi in genere, & in specie. Contritio in genere considerata nihil aliud est, quam simplex detestatio peccati, quatenus est offensa Dei, &c.

Secundò, vt supra dictum est, necessarium duplex esse, vnum absolutum, & aliud ex suppositione; similiter ex suppositione duplex esse: vnum ratione medij, & alterum ratione præcepti. Præceptum duplex esse, vnum affirmatiuum, & alterum negatiuum. Affirmatiuum est illud, quo aliquid conceditur. Negatiuum, quo aliquid prohibetur; præceptum negatiuum obligare semper, & ad semper; præceptum affirmatiuè obligare semper, sed non ad semper, sed solùm in determinato tempore, vt præceptum ieiunandi, & audiendi Missam, est affirmatiuum, quod semper obligat, sed non ad semper, quia solùm obligat in determinato tempore ab Ecclesia; at verò præceptum non mœchandi, adulterandi, &c. sunt præcepta negatiua, quæ semper obligant. An contritio sit præceptum affirmatiuum, an negatiuum, infra dicetur.

Quando nam obliget præceptum contritionis?

BRACTEA X.

R. Primo præceptum contritionis per se, & vi propria obligare in articulo mortis corporalis, vel etiã putato, si non adest Confessarius. Ita Valentia *tom.4. disp.7. quæst.6. par.4.* Suarez *disp.15. sect.4. num.19.* Vasquez *de pœnitentia disput. 86. art.2. dub.6.* & alij. Ratio est, quia homo debet conteri, quando adest maxima necessitas conuerti ad Deum, & non potest habere copiam Confessarij; ac in articulo mortis, aut putato adest magna necessitas conuertendi se ad Deũ; ergo, &c. Vnde tenetur, si non habet copiam Confessarij conteri. Ita Auctores citati. Dixi, si non habet copiam Confessarij; quia si à Confessario obtineat absolutionem in Sacramento pœnitentiæ; tunc non tenetur elicere actum contritionis, cum satis sit actus attritionis, & virtute Sacramenti fiat de attrito contritus.

R. 2. Obligari ad actum contritionis non per se, sed ratione circumstantiæ, vel ratione præcepti, quando vult ministrare, vel recipere aliqua Sacramenta, sic ministrans, vel recipiens aduertat se esse in peccato mortali. Ita Lopez *cap.12. de contritione*, Vasquez, Suarez *locis citatis*, & alij plures.

R. 3. In susceptione Sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ non esse necessariam contritionẽ, sed satis esse attritionem. Ita Valentia *loco citato pun.4. quæst.86. art.2. dub.9* & alij. Ratio, quia cum hæc duo Sacramenta sint instituta ad conferendam primam gratiam, non supponunt eam in subiecto, supponerentur autem, si requireretur contritio.

R. 4. Præceptum contritionis non obligare in die festo, nec quando facienda est publica oratio. Ita Vasquez *de pœnitentia quæst.86. art.2. dub.6.* Suarez, & alij *locis citatis*. Ratio, quia si esset præceptum eliciendi actum contritionis in die festo, & oratione publica, peccaret homo ipsum non eliciẽdo, sed hoc est falsum; ergo, &c. tum etiam quia nullibi cõstat hoc præceptum, nec est in praxi; tum etiam quia oratio publica habet suum meritum, & efficaciam à thesauro Ecclesiæ, & non ab orante, vt suo loco dicetur.

R. 5.

R.5. Hominem non obligari post commissum peccatum statim elicere actum contritionis, ita vt de nouo committat aliud peccatum, si ipsum non eliciat. Ita Vasquez *quæst.* 86 *art.* 2. *dub.* 5. *nu.* 9. Reginaldus *lib.* 5. *nu.* 19. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 8. *p.* 4. & alij. Ratio est, quia hoc preceptum est affirmatiuum, sicut & confessionis, & sicut homo non tenetur confiteri statim, ac peccauit, ita etiam non tenetur conteri.

Vtrum homo teneatur contritionem habere de peccatis commissis, quoties memoriæ occurrunt?

BRACTEA XI.

R. NEGATIVE. Et ita S. Thomas *quæst.* 84. *art.* 8. Nauarrus *cap.* 1. *num.* 2. Suarez *disp.* 15. *sec.* 4. *num.* 2. Vasquez *quæst.* 86. *art.* 2. *dub.* 6. *num.* 3. & alij. Ratio est, quia præceptum contritionis, & cõfessionis non est negatiuum, sed affirmatiuum, quod obligat pro certo tẽpore; tum etiã quia durum esset obligare peccatorem ad habẽdam contritionem de peccatis, quoties illorum recordatur, cum iugum Christi sit suaue.

Quomodo contritio differat ab Attritione?

BRACTEA XII.

R. PLVRES differentias afferri à Doctoribus inter contritionem, & attritionem. Primò, quod contritio dicitur dolor de peccatis perfectus, siue detestatio perfecta, & attritio dolor imperfectus, quæ perfectio, & imperfectio non desumitur ab actu contritionis, & attritionis, sed ab habitu, à quo procedit actus, & à motiuo, & obiecto eiusdem actus. Secundò, quia contritio est actus charitatis, attritio virtutis pœnitentiç. Tertiò contritio detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei summè dilecti, attritio verò, quatenus est offensa Dei metuendi, & Iusti Iudicis. Quartò contritio detestatur peccatum amore filiali, attritus verò timore seruili. Quintò, quia contritio extrà Sacramentum potest constituere hominem in gratia, attritio verò non potest. Ita S. Thomas *de partibus pœnitentiæ art.* 3. Vasquez *quæst.* 82. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 14. Valentia *tom.* 4. *disp.* 2. *quæst.* 8. *part.* 2. & alij.

An Attritio sufficiat cum Sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam Gratiam?

BRACTEA XIII.

SCIENDVM attritionem multiplicem esse: vnam naturalem, & alteram supernaturalem. Naturalis est, qua quis dolet de Peccatis ob turpitudinem ipsorum; vel ob mortem alicuius parentis, vel ab aliud motiuum naturale; Attritio supernaturalis est, qua quis impulsu Diuino, vel auxilio Dei detestatur peccata, quatenus sunt offensa Dei, vel priuat hominem gratia, & amicitia Dei, vel ob meritum Gehennæ, vel ob amorem vitæ æternæ. Ita Bellarminus *de Pœnit. lib.* 2. *cap.* 17. & alij. Est & alia attritio, quæ licet detestatur Peccatum, tamen non est cum proposito se emendandi, confitendi, & satisfaciendi; quo posito.

R. Attritionem inefficacem non esse sufficientem cum Sacramento Pœnitentiæ ad producẽdam Gratiam. Item Henriquez *lib.* 4. *cap.* 21. *nu.* 7. Sotus *in* 4. *distinct.* 17. *quæst* 2. *art.* 5. Nauarrus *in Manual. cap.* 1. *nu.* 36. Reginal. *lib.* 5. *c.* 7. Ratio est quia detestatio, seu dolor de Peccatis debet in sua ratione formali excludere voluntatem peccandi, & auferre affectum ad ipsum; Attritio inefficax non excludit voluntatem peccandi, nec tollit affectum ad ipsum, per consequens cum non habeat requisita ad verum dolorem, non est sufficiens cum Sacramento Pœnitentiæ ad producendam gratiam.

R. 2. Attritionem, qua quis dolet de Peccatis ob motiuum naturale, nõ esse sufficientẽ ad producendam gratiam cum Sacramento Pęnitentiæ. Ita Consilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 13. & *sess.* 14. *cap.* 4. vbi docet, *Attritionem esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus*; cum igitur attritio naturalis non sit talis, sequitur quod non sit sufficiens cum Sacramento Pęnitentiæ ad producendam gratiam. Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 21. *num.* 6. & alij. Ratio est, quia forma, & dispositio sunt eiusdẽ generis; cum autem Attritio sit naturalis, & gratia supernaturalis, sequitur quod attritio non possit cum Sacramẽto Pęnitentiæ producere in animo gratiã remissionis.

R. 3. Attritionem supernaturalem, & efficacem esse sufficientem cum Sacramento Pęnitentiæ ad producendam gratiam remissionis. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia attritio supernaturalis, & efficax est materia proxima Sacramẽti Pęnitentiæ; materia autem est necessaria ad recipiendum Sacramentum Pęnitentiæ; ergo sequitur quod cum ipso producat gratiam.

Quomodo Obiectum Contritionis differat ab obiecto Attritionis?

BRACTEA XIV.

R. PRIMO tam Obiectum Contritionis, quam Attritionis duplex esse: vnum Materiale, & alterum Formale. Obiectum Materiale Contritionis esse Peccatum commissum, & nondum dimissum. Ita Henriquez *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 9. Zerola *de Pœnit. cap.* 7. *quæst.* 18. & alij. Secundò, peccatum veniale esse etiam obiectum materiale contritionis. Ratio est, quia peccatã venialia sunt aliqua offensa Dei, & aliquo modo faciunt hominem inimicum Deo, disponendo ipsum ad peccatum mortale. Ita Zerola *de Pœnit. cap.* 7. *quæst.* 18. peccatum originale non posse esse obiectum materiale Contritionis, si consideretur vt dimissum per Baptismum, si verò non consideretur vt dimissum, potest de ipso actus contritionis haberi, nam facit hominem Deo inimicum.

Sciendum obiectum contritionis duplex esse, vnum circà quod versatur contritio tanquã circà obiectum destruendum, alterum est obiectum circà quod versatur contritio tanquam circà obiectum amplexandum; Obiectum materialiter destruendum est peccatum, Obiectũ verò amplexandum est Deus, propter quem Homo detestatur peccatum.

An

An Peccatum futurum possit esse obiectum contritionis?

BRACTEA XV.

R. Peccatum futurum non esse obiectum directum, sed ex consequenti, quatenus in contritione includitur propositum non peccandi in futurum. Ratio est, quia obiectum contritionis est peccatum commissum, contritio enim est detestatio offensæ factæ Deo cum proposito non amplius offendendi, peccatum autem futurum nō est offensa facta. Ita S. Thomas *dist.13.quæst.1.art.2.* Nauar. *cap.1.num.21.* Graphius *lib.2.decis.cap.3.num.2.* & alij.

An Peccatum alienum possit esse obiectum materiale contritionis?

BRACTEA XVI.

R. Negatiue. Ratio est, quia contritio est actus detestationis peccatorum, quæ nos efficiunt Deo inimicos, sed peccata aliena nō efficiunt nos Deo inimicos, ergo non possunt esse obiectum contritionis. Possumus quidem de peccatis alienis dolere, sed de alijs dolor, non est contritio, nisi doleamus de peccatis alienis quatenus sunt nostra propria, vt quia nos fuimus causa peccati alterius, vel quia peccatum alienum imitati sumus. Ita S. Thomas *in addit.ad 3.partem quæst.2.art.5.* Suarez *de pœnit. disput.2.sect.1.num.1.* & alij.

An per actum contritionis possimus detestari vnum peccatum mortale, non detestando cætera?

BRACTEA XVII.

R. Negatiue, nisi saltem virtualiter detestemur cætera. Ratio est, quia actus contritionis includit virtualiter dilectionem Dei super omnia, nullus autem potest Deum super omnia diligere, nisi saltem impliciter detestetur ea, quæ Deo displicent.

De obiecto formali contritionis.

BRACTEA XVIII.

R. Obiectum formale contritionis esse peccatum quatenus est offensa Dei summè dilecti, vel quatenus est malum contrà amicitiam Dei. Ratio est, quia illud est obiectū formale contritionis, per quod actus contritionis distinguitur ab actibus aliarū virtutum, sed actus contritionis distinguitur ab actibus aliarum virtutum quatenus est offensa Dei summè dilecti, & in hoc distinguitur specie ab attritione, quæ non detestatur peccatum, quatenus est offensa Dei summi dilecti; ergo, &c.

An homo possit iustificari absque contritionis, aut confessionis actu?

BRACTEA XIX.

R. Primo de potentia Dei ordinaria non posse hominem iustificari absque confessionis, aut contritionis actu, quod patet ex pluribus locis scripturæ; Ezechiel 18. *Conuertimini, & agite pœnitentiam*. Lucæ 13. *Si pœnitentiam non habueritis simul omnes peribitis*. Ita S. Thomas 3. *parte quæst.86.art.2.* Nugnus *ibidem dub.1.concl.2.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst.3.p.2.* Coninchus *de pœnit. disp. 2.dub.10.num.*84. & alij.

R. 2. De potentia Dei absoluta posse hominem iustificari à peccato mortali absque vlla pœnitentia, modo cesset actus peccati. Ita auctores citati: cum non implicet, Deum infundere gratiam, & per illam delere peccata sine alia dispositione. Non cessante actu peccati implicat hominem iustificari, cum actus sit iniustus, per peccatum perseuerans, & continuatus, & cum implicet hominem esse iustum, & iniustum, implicat etiam iustificari perseuerante actu peccati, cum requiratur ad iustificationem mutatio peccatoris. Ita Caiet. *t. 2. quæst.13.art.3.* Becan. *2. parte 4. cap.3. quæst.3. num.*28. & alij.

An contritio semper sit coniuncta cum gratia?

BRACTEA XX.

R. Contritionem duplicem esse, Primam scilicet, & Secundam. Primam esse illam, quæ cum auxilio Dei supernaturali elicitur ab homine peccatore; Secundam esse, quæ elicitur ab homine iusto in gratia Dei existente; Secundam contritionem semper esse coniunctam cum gratia, quia elicitur ab homine existente in habitu charitatis, secundam verò esse contritionem informem, & non coniunctam cum gratia habituali, quia non elicitur ab habitu charitatis, sed elicitur à voluntate cum auxilio supernaturali supplente habitum charitatis. Ita Capreolus *in 4. dist.14.quæst.3.art. 3.* Pytigianus *par.2.distinct.14.quæst.3 art.2.* & alij.

An vnus actus doloris sufficiat ad delenda plura peccata?

BRACTEA XXI.

R. Vnum actum doloris sufficere ad delenda omnia peccata; Ita Valentia *tom. 4. disp.7 quæst.8 p.6.* Suarez *de pœnit.disp. 4. sect.6. nu.3.* Reginaldus *lib.5.nu.5.* Nauar. *cap.1.num.25.* & alij. Ratio est à simili, quia sicut vna aspersione multi possunt baptizari, & vna absolutione remitti plura peccata: ità etiam vnico dolore remitti plura peccata, etiamsi pœnitens recogitationem peccatorum, siue reminiscentiam in genere habeat, & non in specie, in confuso, & non in distincto. Ita Suarez *disput.4.sect. 6.num.9.* Valentia *tom.4. disp.7. quæst.8.p.6.* Henriquez *lib.4.cap.27.num.29.* & alij. Ratio est, quia talis recogitatio peccatorum in confuso est sufficiens ad detestanda peccata iuxtà illud Pro-

Prophetæ, *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

R. 2. Actum quo detestamur peccata mortalia esse sufficientem ad detestanda peccata venialia. Ratio est, quia talis actus, quo detestamur peccata mortalia comprehendit actus, quibus detestamur venialia, & talis actus etiã cum peccatis venialibus oppositionem habet, cum in detestatione peccatorum, vt sunt grauis offensa Dei, includatur etiam oppositio eorum, quæ sunt solum leuis offensa Dei.

R. 3. Actum, quo detestamur venialia non esse sufficientem ad detestanda peccata mortalia. Ratio est, quia actus detestationis debet habere oppositionem cum peccatis, de quibus habet detestationem; Sed actus, quo detestamur venialia, vt sunt leuis offensa Dei non potest habere oppositionem cum peccatis mortalibus; ergo, &c. Et patet minor, quia actus detestationis leuis offensæ Dei adæquatus, non potest adæquari graui offensæ; & patet, quia sicut offensa grauis, & leuis non possunt adęquari, ita etiam nec actus detestationis, quo grauem, & leuem offensam Dei detestamur.

R. 4. Quando à pęnitente peccata in specie, & distinctè recogitantur maiorem contritionem debet habere de maiori peccato, quam de minori, v.g. de Adulterio, quam de Fornicatione, &c. Ita Graphius *lib.1.decis.cap.4.n.5.* Nauar. *cap. 1. num.25.* Reginaldus *lib. 5. num. 30.* Suarez *disp.4.sect.4.num.11.* & alij. Ratio est, quia actus detestationis debet adæquari peccato, & sicut differunt inter se maior, & minor offensa Dei; ita etiam actus detestationis debent inter se differre; ità vt maior detestatio requiratur de grauiori peccato, quam de minore. Vnde maior, & interior requiritur ad detestanda peccata mortalia, quam ad detestanda venialia, cum peccata venialia maiorem oppositionem habeçur cum regula rationis, quam venialia.

An moribundus, qui non dedit signa contritionis possit absolui?

BRACTEA XXII.

R. Moribundum, qui nullo modo dedit signa contritionis actualiter, vel virtualiter, explicitè, vel implicitè nullo modo posse absolui. Ratio est, quia non præbet materiam proximam supra quam debeat cadere absolutio, & sacramentum debet constare ex materia, & forma.

Sciendum 1. quod quãdo ęgrotus petit Confessarium, vt confiteatur sua peccata, si antequam adueniat amittat loquelam, & non possit amplius signa contritionis dare potest, tunc à Confessario absolui. Et ratio, quia in tali casu petitio Confessarij censetur signum contritionis.

Secundò, ægrotum posse absolui, qui ante laicum præbuit signa contritionis, vel tundendo pectus, vel stringendo manum, vel alia ratione, qui posteà amisit loquelam, dummodo virtualiter censeatur perseuerare in contritione.

Tertiò infirmum, qui solitus est christianè viuere, & quolibet mense confiteri, & Sacramento Eucharistiæ se reficere, posse à Confessario absolui, etiamsi tunc nullum dederit signum contritionis. Ratio est, quia testimonium bonæ vitæ, & talis bonus habitus christianè viuendi ostendunt ipsum esse virtualiter contritum.

An moribundus, qui non audit, nec loqui potest, sed pugno pectus suum tundit suspirans, & oculos in Cælum tollit vidente Confessario, possit absolui?

BRACTEA XXIII.

R. Affirmative. Ratio est, quia talia signa tunc censeri debent ad absolutionem Sacramentalem directa, cum in tali statu optimum suæ animæ remedium desiderare soleant, & per consequens debet præsumi, quod faciendo talia, signa ostendat contritionis, & absolutionem sacramentalem petat. Ita Layman. *in Theolog. moral. lib.5.tract.6.cap.8.nu.4.* Zambran. *de casu tempore mortis cap. 4. dub.2. sect.4.* Pharaonius *de sacram. penitent. tract.1. sect.16. cas.15.* & alij.

Sed quid si dubitetur, an sit orta ex contritione, an ex angustia mortis?

BRACTEA XXIV.

R. Posse absolui sub conditione, quia in tali casu materia dubbia censetur sufficiens ad absolutionem. Ita Sanctius *in selectis disp. 44. num. 35.* Layman. *loco citato*, & alij, cum proximo in extrema necessitate posito sit succurrendum.

An articulo mortis post confessionem factam cum attritione cognita teneatur elicere actum contritionis?

BRACTEA XXV.

R. Negative. Ratio est, quia cum confiteatur sua peccata cum attritione cognita habet certitudinem de remissione peccati, cum attritio cõiuncta cum Sacramento talem effectum habeat; & per consequens talis actus esset frustrà, & superfluus. Tum etiam, quia non adest tale præceptum, cum pęnitens confessus sit sua peccata cum attritione debita. Ita Layman. *in Theolog. moral. lib.4. tract.7. cap.2. n.6.* Facundel. *de precept. 2. lib.2. cap. 4. num. 13.* Coninchus *de sacramentis disp.3. dub.1. num.3.* & alij.

An attritio possit fieri contritio?

BRACTEA XXVI.

R. Attritionem formaliter, & in suo conceptu formali non posse fieri contritionem. Ratio est, quia non potest mutare propriam formalitatem; effectiuè posse fieri contritionẽ, quia potest habere eundem effectum, quem habet contritio, & sicut contritio remittit peccata, ità & etiam attritio coniũcta

cum

cum Sacramento Pœnitentiæ potest remittere peccata; & est opinio communis.

MALLEATIO XIII.

De Confessione.

An Confessio sit de essentia Sacramenti Pœnitentiæ.

BRACTEA I.

SCIENDVM, ad integralem Sacramenti Pœnitentiæ perfectionem, vt dictum est, tres actus requiri nempe: actus contritionis; confessionis, & satisfactionis, quorum duo primi, nimirum contritio prout est dolor abstrahens à contritione in specie, & ab attritione, & confessio, non modo spectant ad integritatem, verùm etiam ad essentiam ipsius Sacramenti, satisfactio verò spectat solum ad integritatem, non autem ad essentiam ipsius Sacramenti. Quo posito.

R. Confessionem esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia Sacramentum Pœnitentiæ est ad remissionem peccatorum ordinatum, ad quam obtinendam requiritur necessario confessio peccatorum; ergo confessio censetur de essentia Sacramenti. Et patet, quia Sacramentum Pœnitentię est institutum à Deo per modum iudicij emendatiui ad remissionē peccatorum; sed in Iudicio essētialiter requiritur manifestatio delicti, quę censetur de essentia iudicij; ergo etiam in isto iudicio Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter requiritur confessio peccatorum.

Quid sit Confessio?

BRACTEA II.

R. ESSE accusationem legitimam sacramentalem, & secretam de proprijs peccatis factam coram proprio Sacerdote habente locum Dei in iudicio sacramentali ad obtinendam remissionem peccatorum, sine vt ab his sacramentaliter absoluatur. Ita S. Thomas *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 2.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 9. p. 1.* Suarez *disp. 21.* & alij communiter.

Sciendum, in confessione quædam requiri essentialiter; quædam verò accidentaliter. Essentialiter requiritur, vt confessio fiat ex animi dolore, quod exprimitur in illa particula legitimà; requiritur accidentaliter, vt fiat secretò, &c. de quibus conditionibus infra dicetur.

Quomodo manifestanda sunt peccata in Confessione?

BRACTEA III.

R. PECCATA manifestanda esse in confessione determinatè, secundum suas species, numerum, & circumstantias. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia peccata non sunt manifestanda in habitu, sed in particulari, & determinatè, quod non posset fieri, nisi confiterentur secundum suas species, numerum, & circumstantias; ergo, &c.

Sciendum speciem peccati duplicem esse, vnam Physicam, & alteram moralem, & aliquando actum Physicum, seu speciem Physicam includere plures actus morales, & aliquando speciem moralem includere plures actus Physicos, vt v. g. qui committit adulterium exercet vnam actionem Physicam, quæ moraliter includit plures malitias, vnam quæ aduersatur iustitiæ generali, & alteram, quæ contrariatur iustitiæ particulari: nimirū thoro maritali; similiter, qui committit stuprum, vel de Prælato murmurat, vel rem habet cum affine, vel consanguinea exercet vnū actum Physicum, qui moraliter includit plures malitias, cum non solum violetur iustitia generalis, sed etiam reuerentialis superioribus, & parentibus, &c. debita.

Similiter etiam species moralis peccati includit plures actus Physicos, vt v. g. qui vult furari, emit scalam, ipsam fert, ascendit per fenestram, & furatur; exercet vnam actionem moralem, quæ includit plures Physicas actiones; similiter qui aliquem vult occidere emit gladium, &c. illi insidiatur varijs modis, illumque aggreditur, & occidit, exercet vnam actionem moralem, quæ includit plures actus Physicos. Quibus positis.

R. Pœnitentem debere in confessione manifestare species morales peccati, non autem actiones Physicas. Ita omnes Doctores communiter. Ratio est, quia vt suprà dictum est, peccatum manifestandum est perfectè secundum suas species, quod non fieret, si non manifestaretur secundum suas species morales, vt malitia peccati perfectè exprimatur.

Dixi, peccatum non esse confitendum secundum numerum actionum Physicarum, quando sunt ordinatæ ad eundem finem. Ratio est, quia peccatum per malitiam opponitur regulæ rationis, & per actum simpliciter Physicum non opponitur regulæ rationis. Vnde qui emit gladium ad occidendum, &c. satisfacit in confessione dicendo, se inimicum occidisse, quia omnes isti actus constituunt solum vnam malitiam peccati; verùm si nō moraliter continuentur, & per actum contrariū, vel per negotium, vel per aliud simile interrumpantur, non satisfacit dicendo, se inimicum occidisse, sed debet exprimere interruptiones, quæ constituunt peccata distincta. Ita Sotus *dist. 18. quæst. 2. num. 4. concl. 6.* Vasquez *quæst. 91. art. 1.* Valentia *disp. 7. quæst. 11. pun. 1.* Azorius *1. par. lib. 4. cap. 4.* Suarez *disp. 22. sect. 2. num. 3.*

R. 2. Quando inter actus Physicos intercedit actus, qui habet malitiam distinctam est manifestandus particulariter in confessione. Ita auctores citati. Ratio est, quia ille actus cum habeat malitiam distinctam à fine, non compræhenditur in malitia finis. Vnde sequitur, quod quando quis furatus est in ordine ad homicidium non satisfacit dicendo se conuenisse homicidium, sed tenetur dicere, se etiam commisisse furtum, quia licet sit actus ordinatus ad homicidium, tamen habet malitiam distinctam, & censetur esse peccatum moraliter distinctum.

R. 3.

R. 3. Peccata exprimenda esse in confessione non modo quoad species, sed etiam quoad circumstantias mutantes species. Ita Auctores citati. Suarez *disp.22.sect.2.* Reginal. *lib.6.cap.112.* Clauis Regia *lib.2.cap.3.* Sayrus *de pœnit.cap.8.num.13 & q.14.* & alij. Ratio est, quia peccatum perfectè debet declarari secundum suas species morales, sed nō declararetur perfectè si tacerentur circumstantiæ mutantes speciem; ergo sunt exprimendæ.

Sciendum est, quod suprà locuti sumus esse quatuor genera circumstantiarum, nimirum mutantium speciem, aggrauantium, minuentium, & impertinentium, & quia de his suprà egimus, idcirco lectorem remittimus ad ea, quæ suprascripsimus.

R. 4. Peccata regulariter non esse cōfitenda secundum circumstantiam aggrauantes. Ita S. Thomas *in 4.dist.16.quæst.3.art.2.* Vasquez *quæst.91.art.1.dub.2.num.6.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst.11.* Suarez *disp.22.sect.3.* & alij. Ratio est, quia peccata debent confiteri secundum suas species, circumstantias aggrauantes non pertinent ad speciem peccati; Ergo, &c.

R. 5. Peccata non esse confitenda secundum circumstantias minuentes, & impertinentes. Ita Doctores citati. Ratio, quia circumstantiæ minuentes sunt, potius excusationes, quam circumstantiæ, & quia non faciunt ad rem, idcircò non sunt confitendæ.

R. 6. Peccata confitenda esse secundum numerum quoad mortaliter fieri potest. Ita S. Thomas *in 4.dist.47.quæst.3.* Reginal. *lib.6.num.91.& 99.* Henriquez *lib.5.cap.5.* Suarez *disp.22.sect.1.num.6.* Vasquez *quæst.41.art.1.dub.28.* Ratio est, quia peccata sigillatim, & particulariter debent exprimi, sed hoc non esset verum, nisi manifestarentur secundum numerum; Ergo, &c. Tum etiam quia vnum peccatum sine alio non potest remitti; Ergo vt remittantur omnia debent dici; sed non dicerentur omnia, nisi manifestarentur omnia secundum numerum; Ergo, &c.

R. 7. Quando pœnitens non potest recordari numeri peccatorum, satis est, vt probabiliter ipsum explicet. Ita Sotus *dist.18.quæst.2.art.4.* Reginaldus *lib.6.num.121.* Coninch. *disp.3.dub.2.num.52.* & alij. Ratio est, quia satis & sufficienter explicat sua peccata, & Confessarius iudicium ferre potest de statu pœnitentis. Vnde, concubinarius, qui non recordatur numeri certi actuum copulæ, satisfacit dicendo per mensem, seu per hebdomadam mansisse cum concubina, & toties peccasse quoties se exhibuit occasio. Similiter etiam meretrix, quę non recordatur numeri peccatorum satisfacit dicendo, se fuisse omnibus expositam, & toties peccasse, quoties se præbuit occasio, tamen debet vti diligentia ad explicandas species peccati.

An Pœnitens, qui per annum omisit confessionem, toties peccet, quoties non confitetur oblata opportunitate?

BRACTEA IV.

R. Solummodo peccare semel, & non toties, quoties non confitetur oblata opportunitate. Ratio, quia non confitendo facit semel contrà præceptum affirmatiuum cōfitendi semel in anno, & non confitendo oblata opportunitate censetur perseuerare in peccato iam commisso; nisi interueniat contemptus præcepti. Ita Valentia *tom 4. disput. 7. quæst.9.p.4.* Villabos *in sum.tom.1.tract.9. difficult.28.* Layman. *in Theolog.mor.lib.5.tract.6. cap.5.num.8.*

An in Confessione manifestato actu principali, necesse sit manifestare minus principalem?

BRACTEA V.

Sciendum 1. Ad peccatum aliquando concurrere plures actus, quosdam medios, & minus principales, quosdam finales, & magis principales; vt v. g. ad actum fornicationis concurrunt aliquando plures actus medij, & minus principales, vt sunt oscula, tactus, & similes; actus verò magis principalis, & finalis est ipsa copula.

R. 1. quando actus minus principales moraliter non continuantur cum actu principali, necesse est in cōfessione illos exprimere. Ratio est, quia eo, quod non continuantur cum actu principali constituunt plura peccata, quæ habent malitias distinctas.

Sciendum 2. actus minus principales pluribus modis posse interrumpi, & non continuari cū actu principali, & finali; Primò, quando inter ipsa intermediat actus contrarius voluntatis, seu dolor actus peccati iam facti; Secundò, ratione temporis, vt quando inter actum principalem, & minus principalem intermediat aliquod spatium temporis; Tertiò, ratione alicuius magni negotij, vt quando inter actum minus principalem, & magis principalem intercedit gestio alicuius negotij, tunc non continuantur ad constituendum vnum peccatum, sed tot sunt peccata, quot interruptiones.

R. 2. quando actus minus principalis continuatur cum magis principali, sat est in confessione exprimere actum magis principalem. Ratio est, quia omnes isti actus constituunt solùm vnum peccatum; peccata autem manifestanda sunt secundum numerum.

R. 3. quando actus principalis non est secutus, actus minus principales sunt exprimendi. Ita Vasquez *quæst.91.art.2.dub.5.n.33.* Suarez *disp.22.sect.5.* Sotus *in 4.dist.18.quæst.2.art.4.* & alij.

R. 4. Actus, qui subsequuntur actum principalem sunt in confessione manifestandi, quando nō sunt actus completiui, vt actus principalis. Ita Vasquez *quæst.91.art.1.dub.5.* Suarez, & alij locis citatis.

Quomodo intelligenda sunt illa verba, plus vel minus, quando Pœnitens se accusat?

BRACTEA VI.

R. Primo communiter Doctores asserere intellectum eorum sumendum esse per ordinem ad maiorem, vel minorem numerum peccatorum, ita vt in numero paruo plus, vel minùs intelligendum sit, duo, vel tria, in numero

mero maiori extendi, vsque ad quinque vel sex. Ita Hurtadus *De Sacramentis disp. 9. de Penit.* vbi sic ait, *Qui confitetur se fornicatum fuisse decem vicibus paulò plus, minusue, & postea recordatur, se alijs tribus vicibus, vel quatuor fornicatum fuisse, non tenetur illas tres vel quatuor vices denuò confiteri*. Vnde ego sententiam Hurtadi sequor, & amplector. Ita etiam sentire videtur, Bonacina *disp. 5. quest. 4. sect. 2. pun. 2. diffic. 2.* immò videtur extendere se ad maiorem numerum, vt si confessus est decies peccato odij se peccasse, & posteà recordatur, se vigeties peccasse, tenetur in alia cōfessione explicare numerum, cuius oblitus erat in prima cōfessione, cùm numerus denarius suprà denarium in confessione explicatū sit notabilis numerus, hęc sūt verba Bonacinę; ex quibus deduco, quòd si recordaretur, se peccasse suprà numerum confessum quinque, vel sex, non esset numerus notabiliter maior, & per consequens non obligari, cum non excedat dimidietatem peccatorum.

Quomodo peccata Cordis, Oris, & Operis sint confitenda?

BRACTEA VII.

SCIENDVM 1. peccata quædam esse Cordis, Oris, & Operis. Peccata Cordis ea dicūtur, quæ sunt intellectus, seù voluntatis, vt sunt delectationes morosæ, consensus, odia, & rancores, &c. Peccata oris ea dicuntur, quæ voce proferuntur, vt sunt blasphemiæ, iuramenta, mendacia, murmurationes, & contumeliæ, &c. Peccata operis sunt quæ opere, & actione externa consumantur, vt sunt fornicationes, stupra, adulteria, furtum, rapinæ, vsuræ, &c.

Sciendum 2. hæc peccata dupliciter considerari; Primò quatenus singula habent esse cōpletum in mente, vel in ore; Secundò quatenus habent esse in completum in mente, vel in ore. Prioris generis sunt hæresis, odium, desperatio, iudicium temerarium, &c. quæ habēt esse completum in corde. Mendacium, contumeliæ, periurium, & falsum testimoniū, &c. quæ habent esse completum in ore; secundi generis sunt ea, quæ habent ordinem ad aliud siuè quatenus possunt esse principium, seù dispositiones ad aliud peccatum, idest quatenus peccatum cordis potest esse principium, & dispositio ad peccatum oris; similiter peccatum oris quatenùs potest principium, & dispositio ad peccatum operis.

R. 1. peccata cordis, seù mentis, aut voluntatis absolute, & complete considerata manifestanda esse in confessione. Ita Reginaldus *lib. 6. num.* 118. & alij communiter. Ratio, quia cùm non habeant continuationem cum peccato oris, vel operis, vt suppono, censentur esse peccata distincta, & vt dictum est, peccata secundum numerum sunt confitenda: quòd etiam de peccato oris absolute considerato dicendum est. Ratio est, quia habent malitiā distinctam, & constituunt peccatum.

Sciendum est tamen, quod si quis peccatum oris commisit in ordine ad opus externum, vt v.g. si dixit sermonem turpem ob finem prauū non satisfacere dicendo, se turpem sermonem dixisse, sed teneri dicere, se allocutum turpia ob talem finem; quia peccatum cum suo effectu manifestandum est.

R. 2. quando peccatum cordis, & oris dicit ordinem ad opus externum, siuè imperfectè consideratur, sat est in confessione exprimere actum externum, modo isti actus habeant inter se connexionem, & non sint moraliter interrupti. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia isti tres actus habent, vt sic considerati vnam solam malitiam, & peccata secundum numerum dicenda sunt.

An peccatum omissionis sit confitendum in Confessione?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM peccatum aliud esse commissionis, & aliud omissionis. Peccatum commissionis immediatè priuare actum humanum bonitate debita illi inesse, vt patet in homicidio, quod immediatè priuat bonitate, quæ deberet esse in actu circa proximum; Peccatū vero omissionis solum mediatè priuare actum humanum bonitate debita illi inesse: immediate verò consistit in priuatione actus; vt cōstat exemplo omissionis sacri in die festo; quæ consistit immediatè in priuatione actus audiendi Missam, mediatè verò in priuatione bonitatis, quàm talis actus habere deberet. Quo posito.

R. 1. Peccatum omissionis manifestandum esse in confessione. Ratio est, quia verè est peccatum, & peccatum est manifestandum in confessione, vt materia necessaria, vel sufficiens Sacramenti pœnitentiæ iuxtà qualitatē omissionis; ergò, &c.

Sciendum 2. Peccatum omissionis materialiter, & formaliter differre à peccato commissionis; quòd differat materialiter patet, quia peccatum omissionis consistit in priuatione non solùm debitæ rectitudinis, verùm etiam substantiæ actus; peccatum autem commissionis non consistit in priuatione actus, sed tātum in priuatione rectitudinis debitæ inesse actui. Quòd verò distinguantur formaliter patet etiam, quia vt dictum est peccata distinguuntur specie per ordinem aduersas perfectiones, quibus priuant; peccata autem commissionis, & omissionis priuant perfectionibus diuersis, habentibus specialem oppositionē cum recta ratione; ergo, &c.

An in confessione aperiendæ sint actiones, quæ fuerunt Causa omissionis?

BRACTEA IX.

R. NON esse aperiendas, nisi sint actiones, quæ malitiam habeant distinctam à peccato omissionis; vnde qui dedit operam studij, aut se detinuit somno, vel lectione tempore Missæ audiendæ satisfaciet dicendo, se non audiuisse Missam, quia supradictæ actiones nō habent malitiam distinctam.

R. 2. Si actiones quæ fuerùnt causa omissionis habeant malitiam distinctam à peccato omissionis, sunt etiam explicandæ. Vnde qui tempore

tempore audiendæ Missæ dedit operam peccatis, v.g. furtis, adulterijs, &c. debet malitiam earum exprimere. Ratio est, quia tales actiones habent malitiam distinctam, quæ non explicatur explicato peccato omissionis, & peccata aperienda sunt in confessione, quoad numerum, species, &c. ergo sunt aperiendæ. Ita Valentia *tom. 2. disp. 6. quæst. 1. p. 4. dub. 2.* Clauis Regia *lib. 2. cap. 6. num. 10.*

An qui dat operam actioni bonæ, eo tempore, quo præceptum adimplendum est, peccet, & illud peccatum sit manifestandum in Confessione?

BRACTEA X.

R. Peccare, quoties omissio præcepti imputatur ad peccatum; quamobrem peccat, qui tempore Missæ audiendæ ex præcepto domi se retinet recitando coronam, vel curando infirmum, præcisa necessitate curandi infirmum.

Dixi in responsione, Quoties omissio præcepti imputatur ad peccatum; quia quando præcepti omissio non imputatur ad peccatum, actio bona quæ tunc temporis exercetur, non est peccaminosa, cum nulli præcepto aduersetur.

R. 2. Malitias actionum, quæ sunt causa omissionis reuocari ad peccatum omissionis. Ratio est, quia voluntas, & causa furti non habet aliam malitiam, quam furti, ergò etiam voluntas, & causa omissionis non habet aliam malitiam, quam omissionis; tùm quia tales actiones non habet malitiam, nisi quia sunt causa omissionis; ergo reducuntur ad peccatum omissionis. Tum quia illud est peccatum omissionis, quod opponitur præcepto affirmatiuo, sicut illud est peccatum commissionis quod opponitur præcepto negatiuo, omissio enim sacri v.g. est peccatum omissionis, quia opponitur præcepto affirmatiuo audiendi sacrum, & furtum est peccatum commissionis, quia opponitur præcepto negatiuo prohibenti furtum; sed actiones quæ sunt causa omissionis opponuntur præcepto affirmatiuo, quo percipitur actio, & remotio impedimenti ad talem actionem; ergo habent malitiam peccati omissionis. Ita plures citati apud Bonacinam *de legibus disp. 2. quæst. 4. pun. 4. 5. propositione num. 26.*

Quodnam præceptum sit seruandum, quando simul concurrunt duo præcepta, ita incompossibila, vt vtrumque eodem tempore seruari nequeat?

BRACTEA XI.

R. Per se loquendo seruandum esse maius præceptum, cùm grauius peccatum sit violare grauius præceptum, quàm leuius; vnde quando simul concurrunt præceptum naturale diuinum, & præceptum diuinum solummodo, vel humanum eligendum esse præceptum naturale diuinum, quia grauius est præceptum, quam præceptum diuinum solummodo, & humanum; sicut etiam si diuinum præceptum, vel naturale concurrat cum humano seruandum esse potius diuinum, & naturale, quam humanum. Ratio est, quia præceptum diuinum, vel naturale præponderat humano, sicut etiam quando concurrunt simul præceptum affirmatiuum, & negatiuum seruandum esse negatiuum, quia negatiuum præceptum præponderat affirmatiuo, sicut etiam præponderat præceptum Superioris virtutis regulariter præcepto interioris virtutis.

Vtrum eligens adimpletionem inferioris Præcepti relicto superiori peccet?

BRACTEA XII.

R. Peccare iuxtà qualitatem excessus, quãdo excessus est paruus, & modicus peccare venialiter; secus verò si excessus sit grauis; quando verò nullus apparet excessus inter hæc duo præcepta quodlibet eorum ad libitum eligi potest, quia non est maior ratio, cur potius vnum præceptum eligatur, quàm aliud Ita Reginaldus *lib. 13. numer. 36.* Sanchez *in opere morali lib. 1. cap. 20. num. 2.* Vasquez *prima parte disput. 66. cap. 4. num. 21.* Corduba *lib. 5. quæst. 5.* Becan. *tract. 2. cap. 4. quæst. 8. num. 7.* Suarez *de pænit. disp. 3. sess. 10. num. 7.* & alij.

Da conditionibus requisitis ad confessionem, & primo quomodo debeat esse integra?

BRACTEA XIII.

Sciendum sexdecim à Doctoribus numerari, quæ his quatuor versibus comprehenduntur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Nos non loquemur de omnibus istis conditionibus, sed de principalioribus, quæ sunt quatuor.

Integra, Fidelis, Diligens, Obedire parata.

R. 1. Confessionem dupliciter dici integram Primò materialiter. Secundò formaliter; tunc esse integram materialiter, quando explicantur omnia peccata secundum species, numerum, & circumstantias; tunc esse integram formaliter, quando explicantur ea peccata, quæ moraliter explicari possunt, tacendo ea, de quibus habet iustam causam reticendi, quæ integritas formalis sufficiens est ad validitate confessionis.

Sciendum 2. in subsequentibus casibus posse pœnitentem reticere peccatum absque præiudicio integritatis formalis confessionis. Primò si obliuione inculpabili alicuius obliuiscitur; Secundò si ex ignorantia inuincibili aliqua tacet, Tertiò si ex impotentia; Quartò si ex vtilitate pœnitentis; Quintò denique ex vtilitate ipsius Confessarij.

Sciendum 3. obliuionem duplicem esse, vnã culpabilem, & alteram inculpabilem. Obliuio culpabilis non est iusta causa tacendi peccatum in confessione sinè præiudicio integritatis ipsius, vnde qui obliuione culpabili obliuiscitur peccatum in confessione, obligatur ipsam reiterare cum ratione obliuionis culpabilis: talis confessio, nec materialiter, nec formaliter integra iudicetur; qui verò obliuiscitur peccatum obliuione inculpabili integrè formaliter confitetur, nec obligatur ipsam reiterare. Ita communiter omnes.

Sciendum 4. Ignorantiam duplicem esse, vnam vincibilem, & alteram inuicibilem, & pœnitens, qui ignorantia vincibili tacet aliquod peccatum non integrè materialiter, nec formaliter confitetur; sed inualidè: vnde obligatus est reiterare confessionem; qui verò ignorantia inuincibili tacet aliquod peccatum integrè formaliter confitetur, & validè; & non tenetur reiterare confessionem. Ita Henriquez *lib. 2. cap. 12.* Ratio est, quia ignorantia inuincibilis sicut excusat à quolibet præcepto, ita etiam ab integritate materiali confessionis, vndè qui ignorantia inuincibili prætermisit aliquod peccatum cum illius recordatur, non est obligatus reiterare confessionem, sed solũ peccatum illud prætermissum; si verò ex ignorantia vincibili illud tacuit, tenetur reiterare confessionem; quia ratione ignorantiæ vincibilis inualidè confessus fuit. Quid sit ignorantia vincibilis, vel inuincibilis, dictum est suprà.

R. 2. Qui ex impotentia loquendi tacet aliqua peccata in confessione, validè confitetur integrè, non materialiter, sed formaliter. Ita Vasquez *quæst. 91 art. 2. dub. 3. num. 29.* Reginaldus *lib. 6. numer. 162.* Caietanus *Verbo confessio concl. 10.* Henriquez *cap. 12. num. 7.* & alij. Ratio est, quia qui facit quod potest præceptum adimplet, & si alia peccata in specie non manifestat, ex iusta causa ea tacet: nimirum ex impotentia loquendi. Vnde talis confessio censetur integra formaliter, licet non materialiter.

Sciendum 5. Impotentiam duplicem esse; vnam physicam, & alteram moralem. Impotentia physica est, quando quis nullo pacto potest aliquid facere, vt in isto casu, loqui, impotentia moralis est, quando quis non potest commodè aliquid agere, seu loqui absque præiudicio sanitatis, vel alio incommodo.

R. 3. Impotentiam physicam loquendi excusare ab integritate confessionis. Ita communiter omnes. Ratio est, quia nemo obligatur ad impossibile; vnde mutus excusatur ab integritate confessionis, dummodo per signa manifestet aliqua peccata, & tundendo pectus, vel aliud signum faciendo, ostendat signa contritionis, vel attritionis; & Confessarius potest ipsum absoluere. Quod etiam dicendũ est de extraneo, cuius idioma totaliter ignoratur, si non adsit Confessarius, qui eius idioma percipiat, posse à Confessario absolui, dũmodo per signa manifestet aliqua peccata, & ostendat signum contritionis, vel attritionis eorum, Ita Nauarrus *Concilio 10.* Emanuel Sà verbo *absolutionum 9.* Lopez *cap. 27.* & alij, quod tamen intelligendum est, quando datur necessitas confitendi, & communicandi, vt verbigratia tempore satisfactionis præcepti, quia alia ratione non posset sic absolui. Ita etiam infirmus, qui accedente Confessario nullo modo potest amplius loqui, si ostendit signa contritionis potest absolui. Ita communiter omnes.

R. 4. Impotentiam moralem excusare pœnitentem ab integritate confessionis. Ratio est, quia tale præceptum non obligat cum graui incommodo, & maximo præiudicio. Vnde infirmus qui absque graui incommodo non potest exprimere omnia peccata, satis est quod aliqua manifestet, de cæteris verò doleat, qui si habuerit casus reseruatus, & excommunicationem in articulo, vel in periculo probabili mortis potest à casu reseruato absolui, quia tunc tẽporis Cõfessarius habilitatur à iure, & similiter etiam ab excommunicatione, cum obligatione se præsentandi, si conualuerit, qui si non se præsentet, reincidit denuò in excommunicationem, non quidem eandem numero, sed specie; ob eius contumaciam.

R. 5. Vtilitatem seù periculum pœnitentis esse iustam causam dimidiandi confessionem. Ita Nauarrus *cap. 7. num. 3.* Sotus *dist. 18. dub. 2. art. 5.* Suarez *disput. 23. sect. 2.* & alij. Ratio est, quia præceptum confessionis faciendæ non obligat cum graui incommodo, & periculo vitæ. Vnde pœnitens potest reticere peccatum in confessione, si ipsum manifestando timeat aliquod incommodum, vel periculum vitæ.

An verò sit obligatus confiteri peccatum, quando tacendo ipsius circũstantiam, non incurrit aliquod periculum, vel præiudicium vitæ? Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia tacẽdo circũstantiam, non datur amplius iusta causa reticẽdi actum peccati, vt v. g. si commisit peccatum stupri potest tacere circumstantiam stupri, & in confessione dicere, se peccatum carnale commisisse.

R. 6. Quando pœnitens probabiliter timet aliquam infamiam extrà confessionem potest peccatum, de quo timet infamiam, reticere. Ita Vasquez *quæst. 91. art. 2. dub. 3.* Reginaldus, *lib. 8. num. 157.* Henriquez *cap. 12. num. 5.* & alij. Ratio à fortiori deducitur, quia si propter periculum temporale potest reticere peccatũ; ergò etiam ob periculum infamiæ. Sciendum tamen nos dicere quando probabiliter timet, quia ad tacendum peccatum in confessione nõ sufficit dubium, sed requiritur probabilis opinio, quia si esset solum dubium tunc in fauore confessionis esset tenendum, & per consequens non posse Pœnitentem in dubijs reticere peccatum in confessione.

An fœmina, quæ est in bona existimatione apud suum Confessarium, & tentatione Dæmonis peccatum inhonestum commisit, possit ne suum Cõfessarium scandalizet illud reticere? Respondeo affirmatiuè, quando non est copia alterius Confessarii, & absque præiudicio famæ non potest confessionem differre. Ita Sanchez *disput. 23. num. 3.* Nauarrus, Henriquez, & alij plures. Similiter etiam potest reticere peccatũ, quando timet sollicitari à Cõfessario. Ita Auctores citati.

R. 7. quando Confessarius ministrando Sacramentum pœnitentiæ timet aliquod periculum vitæ, vel aliud incommodum potest confes-

confessionem dimidiare. Ita Vasquez *quæst.91. dub.2. num.2.* & alij. Ratio est, quia confessarius non obligatur ministrare sacramentum pœnitentiæ cum periculo vitæ, & graui suo incommodo. Vnde sequitur, confessarium, qui audit confessionem alicuius infecti morbo contagioso, si non potest à longè ipsum commodè audire posse, auditis aliquibus peccatis ipsi absolutionem impendere.

An verò Confessarius possit impendere beneficium absolutionis ei, qui non potest loqui propter infirmitatem? Respondeò affirmatiuè. Ita Vasquez *quæst.91.art.2.dub.1.* Nauarrus *cap.26. num.27.* Toletus *lib.3. cap.8.* Sanchez *disp.23.sect.1. num.5.* Henriquez *lib.6. cap.20. num.7.* & alij plures. Ratio est, quia pœnitens in quantum potest, se accusat, & ostendit signa contritionis. Verum si conualuerit debet peccata sigillatim manifestare secundum species, numerum, & circumstantias.


Similiter dicendum est, debere confessarium absoluere pęnitentem, qui ipso absente petijt confessionem, & ostendit signa contritionis, licèt ipso præsente ita sit sensibus destitutus, vt nullo modo possit demonstrare, se velle sacramentum pęnitentiæ, aut ostendere signa contritionis, dummodo præsentes testentur, ostendisse signa contritionis.

An verò confessarius possit absoluere pœnitentem, qui non ostendit signa contritionis sed solum petijt confessarium? Respondeò affirmatiuè. Ratio quia licet regulariter petere confessionem, seù accedere ad Confessarium, non sit ostendere signa contritionis, tamen in articulo, vel in probabili periculo mortis petere confessionem est ostendere signum contritionis, quia nisi esset contritus, vel attritus ipsam non peteret.

Quidam puer non se accusauit de pollutionibus, nesciens esse peccatum mortale, factus malæ fidei quæritur an debeat repetere confessiones factas?

BRACTEA XIV.

R. Vel iste puer laborabat ignorantia inuincibili, vel vincibili. Si primum, non obligari repetere confessiones factas. Ratio, quia ignorantia inuincibilis facit ipsum inbona fide; si verò laborabat ignorantia vincibili. Nauarrus *in cap. Fratres de pęnitentia dist.5. num.82* Reginaldus *in Praxi tom.1. lib. 6. cap.5. sect.3 n.153.* & alij tenent, non obligari repetere confessiones, sed satis esse, peccata omissa declarari in sequenti confessione. Sed quia confessiones factæ cum ignorantia vincibili censentur culpabiles, si poterat vti diligentia ad sciendam veritatem, idcircò dico, obligari, eas repetere.



An pænitens teneatur confiteri illa peccata, quæ sunt nota Confessario extrà confessionem?

BRACTEA XV.

R. Affirmatiue. & ità Siluester *Verbo confessio 2. quæsito 3.* Henriquez *lib.5. cap.4. num.4.* Reginaldus *lib. 6. num. 100.* Pytigianus *2. parte dist.17. quæst. vnica art.11.* Zerola *in praxi de pęnitentia cap.10. quæsito 39.* & alij communiter. Ratio est, quia sacramentum pęnitentiæ fuit institutum à Deo per modum iudicij emendatiui, vt pęnitens tanquam reus absoluatur à sacerdote tanquam à Iudice, & Vicario Dei; sicut autem reus non absoluitur ab his, quę deducta non sunt in iudicium, ita pęnitens, vt à peccatis absoluatur debet illa in iudicium adducere per confessionem. Puto tamen, sufficere si pęnitens confessario, cui nota sunt peccata, dicat; Pater accuso me de illis peccatis, quæ nosti, me commisisse: hoc enim pacto sufficienter aperit statum suum Confessario. Ita Medina *quæst.8. Codice de confessione*, Reginaldus *lib.6. num.102.* Zerola *de pęnitentia cap.13. quæsito 9.* & alij.

An de necessitate integritatis confessionis necesse sit, præter actum internum explicare actum externum? Respondeò præter actum internum explicandum etiã esse actum externum. Ratio est, quia in confessione peccata explicata sunt sigillatim; non explicarentur autem, si actus exterior taceretur, cum actus externus sit peccatum. Ita Henriquez *lib. 4. cap.4. num.4* & alij communiter.

An præter actum magis principalem de integritate confessionis necesse sit, exprimere actus minus principales. Respondeò vt dictũ est suprà, non esse necesse eos sigillatim manifestare, quando moraliter continuantur cum actu principali: secus autem dicendum, si moraliter cum actu principali non habeant connexionem.

An qui facit confessionem generalem peccatorum alias ritè Confessorum, teneatur singula peccata mortalia, iterum in confessione exprimere.

BRACTEA XVI.

R. Non teneri ea manifestare secundum numerum, species, & circumstantias. Ita Angelus *Verbo confessio num. 1.* Zerola *de pęnitentia cap.13. quæst.28.* & alij. Ratio est, quia huiusmodi peccata, iam confessa, & ritè absoluta non sunt amplius materia necessaria confessionis: sed sufficiens, vt sunt peccata venialia, & sicut pęnitens non tenetur peccata venialia explicare omnia sigillatim secundum species, &c. Ita etiam qui generalem confessionem peccatorum ritè in alia confessione expiatorum non tenetur omnia secundum suas species sigillatim explicare, sed solummodo aliqua, & cætera reticere, vel in genere dicere.

An peccet qui vni Confessario confitetur mortalia, & alteri venialia?

BRACTEA XVII.

R. Negative. Ratio est, quia hoc non est contrà integritatem confessionis, quia vtraque confessio est integra, nec pęnitens censetur mentiri, quia nihil falsum confitetur nec censetur hypocrisis, quia velle conseruare bonam famam apud Confessarium ordinarium non continet grauem inordinationem; per accidens poterit esse peccatum mortale, si pęnitens ob hanc causam maneret in occasione peccati.

An pœnitens, qui non habet peccata mortalia, sed tantummodo venialia satisfaciat in genere ea manifestando, non explicata specie, vel numero peccatorum?

BRACTEA XVIII.

R. Supposito quòd peccata venialia subijciantur sacramento pęnitentiæ aliqua debere sigillatim manifestari secundum suas species, & secundum numerum. Ratio est, quia pęnitens tenetur exhibere materiam certam, & determinatam, suprà quam possit cadere absolutio, quòd non fieret, si omnia peccata venialia manifestarentur in genere, & nõ in specie; quamuis possint absolui illi, qui cũ sola peccata venialia commiserint solum fatentur, se otiosa verba protulisse, nam hoc pacto materiam certam exhibent explicantem speciem peccati loquacitatis, & indicantes, se otiosum saltem verbum protulisse.

Quomodo confessio debeat esse fidelis?

BRACTEA XIX.

Sciendum, vt dictum est, peccata esse explicanda in confessione secundum speciem, numerum, & circumstantias, & quando peccatum duas malitias includit morales, nõ satis esse alterã explicare sed vtrãq; necesse esse manifestare. Dũmodoverùm esse à cõfessione ea, quæ nõ spectãt ad facti veritatẽ, & omnia quę non sunt eius materia, nec ad eius finem quidquam conferunt.

R. 1. mentiri in confessione circa circumstantias non pertinentes ad materiam confessionis nõ esse peccatum mortale per se loquedo, sed tantum veniale grauiùs, quam si esset extrà confessionem. Ratio est, quia cum non sint materia confessionis ex suppositione, sed tantum sint in ea comitanter non continet iniuriam grauem, sed tantum aliquam indecentiam. Ita Caietanus *Verbo confessio*, Sotus *distin.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. & alij.

R. 2. Quando profertur in confessione mendacium circà speciem peccati pęnitens peccat mortaliter, & confessio est inualida. Ita Suarez *tom.* 4. *disput.* 22. *sect.* 10. Siluester *verbo confessio*, Nauarrus *in Manuali cap.* 21. *nu.* 37. Vasquez *qu.* 91 *art.* 1. *dub.* 7. *num.* 12. & alij plures. Ratio est, quia Confessarius decipitur in materia graui, cum illi non exprimatur species peccati, & sacramento fit iniuria.

R. 3. Pęnitentem qui in confessione mentitur circa materiam necessariam, & peccatũ mortale nunquam alias confessum peccare mortaliter, & irritam reddere confessionem. Ita Syluester *verbo mendacium*, Nauarrus *in Manuali cap.* 21. *num* 37. Sanchez *in summa lib.* 1. *cap.* 10. *nu.* 68. & alij. Ratio est, quia mentiendo committit sacrilegium in materia graui; tùm quia confessio non est integra, cum mendacium in cõfessione commissum sileatur; tùm quia deficit dolor necessarius ad absolutionem. Ita plures citati apud Bonacinam *de partibus Sacramenti penitentia, disput.* 5. *quæst.* 4. *sect.* 2. *pun.* 2. *paragrapho* 2. *proposit.* 4. Qui verò mentitur circà peccatum iam ritè confessum non peccat mortaliter, sed solum venialiter. Si autem ex iuxtà causa interrogatur à Confessario ad perfectè cognoscendum eius statum de peccatis præteritis, iam ritè confessis, nam illa commiserit tenetur illi aperire veritatem; si verò dicat, se ea non commisisse, de quibus interrogatur, non peccat; quia peccatum iam confessum non est amplius materia necessaria confessionis. Ita Nauarrus, Reginaldus *locis citatis*.

R. 4. Mentiri circà materiam non necessariã, vt circà venialia dupliciter fieri potest; Primò negando quod factum est, & sic non est mortale. Ita communiter omnes, quia tale mendacium, nec est perniciosum, nec grauiter iniuriosum, cum possit consistere cum vera materia, forma, & dispositione necessaria, nec decipitur confessarius in re graui, vt potè in materia non necessaria. Secundò affirmando non factum, vt dicendo peccatum veniale, quòd quis non commisit, & tunc si peccatum illud esset tota materia confessionis, esset sacrilegium, & peccatum mortale, quia faceret sacramentum nullum; quando autem est materia partialis, quia simul cum alijs peccatis veris affirmatur hoc falsum, tunc non est peccatum mortale. Ita Syluester, *verbo confessio* 1. *quæst.* 8. Sotus *distinct.* 18. *quæst.* 2. *art.* 4. Nauarrus *cap.* 21. *num.* 37. & alij. Ratio, quia materia leuis est, cum sit de materia non necessaria, & Cõfessarius decipitur in re leui; ergò etiamsi peccatur contrà sacramentum, tamen quia non obstante illo mendacio potest confessio esse integra circà mortalia, & cum verò dolore, ideò non est peccatum mortale; ratione scandali verò, vel contemptus potest esse peccatum mortale.

An quando pœnitens malitiosè mentitur circà numerum, confessio sit valida?

BRACTEA XX.

R. Pœnitentem, qui malitiosè errat circa numerum peccati peccare mortaliter & confessionem esse inualidam. Ita Nauarus Syluester, *locis citatis*, & alij. Ratio quia in materia graui offendit sacramentum non aperiendo veritatem circà numerum.

Scien-

Sciendum est, aliquando pęnitentem non peccare mortaliter aperiendo maiorem numerum, quando non putat offendere sacramentum, sed exonerare suam conscientiam; vt patet in scrupolosis, qui aliquo modo augent numerum peccatorum, vt sibi satisfaciant, vt v.g. si quater peccauerunt, dicunt quinquies se peccasse, vt exonerent suam conscientiam, & licèt certò peccato non consenserint sub dubio hoc dicunt, & si dubitant, vtrum consenserint, vt sibi satisfaciant, dicunt certò se consensisse.

Sciendum 2. meretricem quæ non recordatur numeri certi peccatorum satisfacere manifestando tempus quo ipsa peccat, & ita Pharaonius de sacramento pęnitentiæ *tract. 1 sess. 16. cas. 5.* & alij. Ratio quia non obligantur ad id quod est moraliter impossibile, sunt tamen obligatę aperire circumstantias mutantes speciem quoniam id non censetur moraliter impossibile, vt v.g. sicum Clericis religiosis, propinquis, &c. rem habuerunt, & ita Villabos *in sum. tom. 1. tract. 9. difficult. 33. num. 5.* Henriquez Turrianus, Sotus, Suárez citati à Diana *tract. 4. de Sacramentis resol. 89.* Quod etiam dicendum est de ijs qui per longum tempus in malo statu, aut consuetudine peccandi permanserunt, qui cum non possit explicare numerum satisfaciunt manifestando tempus quo fuerunt in tali statu, & consuetudine.

An qui confessus est maiorem numerum peccatorum teneatur cognito errore numerum certum fateri?

BRACTEA XXI.

R. Negative si maiorem numerum expressit bona fide. Ratio est quia peccata clauibus subiecit, & eorum obtinuit absolutionem à Confessario iudicium ferente circà minorem numerum in maiori contentum.

Sciendum dubium esse quomodo intelligenda illa verba, quæ solent pęnitentes dicere plus, vel minùs, quando non recordantur certi numeri peccatorum; ad quòd respondeo non dari certam regulam cum diuersimodè loquantur doctores, sed sumendam esse, per ordinem ad maiorem, vel minorem numerum peccatorum, ita vt si numerus peccatorum sit paruus modicam extensionem debeant habere illa verba, vt v.g. vsque ad duo, vel tria, &c. si verò numerus peccatorum sit magnus maiorem etiam extensionem debent habere, vt v.g. ad sex, vel octo iudicio confessarij. Fagundez *praecept. lib. 3. cap. 5. num. 9.* & alij.

An quando pœnitens dicit peccata dubia pro certis, vel è contrà, confessio sit valida?

BRACTEA XXII.

R. Pœnitentem, qui peccata mortalia dubio pro certis manifestat, & certa pro dubijs malitiosè peccare mortaliter, & confessionem esse inualidam, quia tenetur peccata dubia, tanquam dubia, & certa tanquam certa explicare; alioquin mendacium committit, & Sacerdotem decipit in materia graui. Ita Sanchez *tom. 4. disput. 22. sect. 9.* Henriquez *li. 2. cap. 4. num. 5.* Coninchus *disput. 7. dubio 8.* Pytigianus *2. part. dist. 17.* & alij. Ratio est, quia decipit Confessarium in materia necessaria sacramenti.

Sciendum quod qui confessus est peccatum dubium, si postea sciat certò, vel probabiliter illud peccatum commisisse, obligatur pœnitens illud manifestare in confessione tanquã certum. Ratio quia peccatum manifestandũ est in confessione, prout est in conscientia pęnitentis, cum autem prædictum peccatum sit in conscientiã pęnitentis, tamquam certum sequitur denuo, tamquam certum debere manifestari in confessione, & ita Turrianus, & Sãchez citati à Diana *tract. 4. de Sacramentis resol. 91.* Quod tamen non procedit quando pęnitens integrè fassus est peccatum, de quo dubitat an esset mortale: quia non est amplius repetendum si postea doctior factus norit illud esse mortale. Ratio, quia plene suum peccatum in confessione manifestauit iuxtà conscientiam, quam tunc habebat. Ita apud Dianam *loco citato*.

Pœnitens an debeat obedire Confessario.

BRACTEA XXIII.

R. Pœnitentem, qui non vult obedire Confessario derelinquendo peccatum, vel restituendo rem alienam, vel occasiones proximas non esse absoluendum. Ita communiter omnes; Ratio est, quia vt sic non dispositus ad recipiendam absolutionem, quia dum accedit ad Sacramentum debet esse animo paratus ad facienda ea, quæ in ordine ad eius salutem dicentur illi à Confessario.

R. 2. Pœnitentem debere Confessario obedire in acceptatione satisfactionis, seù pęnitentiæ sacramentalis. Ita communiter omnes. Ratio est, quia accedens ad Sacramentum pęnitentiæ debet accidere animo perfectè, & integrè ipsum recipiendi; non haberet animum integrè ipsum accipiendi, nisi etiam haberet animum accipiendi satisfactionem; Ergo, &c. Tum etiam, quia in iudicio emendatiuo necesse est, vt reus paratus sit læso satisfactionẽ exhibere, sed pęnitentiæ Sacramentum exercetur per modum iudicij emẽdatiui; Ergo pęnitẽs debet esse animo paratus ad satisfaciendum Deo, quem suis læsit criminibus, & peccatis.

Quomodo confessio debeat esse nuda, pura, & secreta, & obediens?

BRACTEA XXIV.

R. Pœnitentem in confessione debere exprimere peccata nudè, & simpliciter, idest nõ vestita coloribus diminuentibus grauitatem peccati. Ita communiter omnes, Ratio est, quia cum Sacramentum pęnitentiæ sit medicinale, & per modum iudicij emendatiui institutum, & Confessarius sit tanquam Iudex, & Medicus, & sicut Medico sine obscuri-

tate morbi sunt manifestandi sine diminutione eorundem, ita etiam Medico Animæ peccata sunt nudè manifestanda.

Sciendum est peccatum, vt est dictum nudè debere in confessione exprimi, non afferendo excusationes, nec narrando facta alterius, quæ possunt esse causa illius peccati, nec etiã exprimendo aliorum peccata illis imputando causam sui peccati, sed simpliciter quisque nudè debet solum fateri propria peccata, non palliata, neque verborum obscuritate velata.

R. 2. Confessionem debere esse purã quoad intentionem, itaut non fiat ob prauum finem, sed potius spe remissionis obtinendæ. Ita Sanchez *in summa lib.1.cap.3.n.1.* Nauarrus *cap.21. n.40.* Vasquez *quæst.91.art.3.dubio 2.num.3.* Sotus *in 4.dist. 18.quæst.3.art.3.* & alij. Ratio est, quia pęnitens confitendo sua peccata debet habere bonam intentionem, & spem obtinendi remissionem.

Sciendum dupliciter confessionem dici puram; Primò, quando non miscetur, negotijs impertinentibus, & sermonibus prolixioribus; Secundò, dici puram ratione intentionis bonę ad Deum, factę spe veniæ, & vt Deum placare possit: vtroque modo debet esse pura confessio; Primò ne misceatur negotijs, & prolixioribus sermonibus, idest, vt in confessione non enarrentur negotia, & pęnitens clarè, & distinctè fateatur sua peccata amputãdo inutiles, & impertinentes sermones. Secundò, debet esse pura quoad intentionem, & finem, ita vt non fiat ob prauum finem, idest ob vanam gloriam, vt æstimetur deuotus, sed simpliciter fiat ob Deum spe obtinendæ remissionis peccatorum, quæ si fieret ob prauum finem erit peccaminosa mortaliter, si finis erit peccatum mortale; si verò finis erit venialis, erit peccaminosa tantum venialiter, & iuxtà qualitatem, & quantitatem iniuriæ, quæ fit Deo. Ita Nauarrus *cap.21.num.40.* Vasquez *quæst.92.art. 3.dubio 2.num.3.* Sanchez *in summa lib.1.cap.3.num.1.* & alij.

An Confessio alio fine facta quam remissionis peccatorum sit valida?

BRACTEA XXV.

SYLVESTER *Verbo confessio 1. quæst. 7.* negatiuam sententiam docet, asserens Sacramentum pęnitentiæ quando suscipitur principaliter alio fine, quam remissionis peccatorum esse inualidum, quia hæc sola est principalis effectus Sacramenti; Ergo sola principaliter intendenda. Sed

R. cum Soto *in 4.dist.18. quæst.3. art.3.* Vasquez *in 3.parte tom.4.quæst.92.art.3.dubio 2.* Reginaldo *lib. 6.num.149.* Henriquez *lib.4.cap.3. num.3.* Sanchez *in summa lib.1.cap.3.num.1.* Nauarr. *cap. 21. num. 40.* & alijs, non fieri inualidum Sacramentum Pęnitentiæ si alio fine quam remissionis peccatorum suscipiatur, vt v. g. si susciperetur Sacramentum principaliter deuotionis gratia, vel ob satisfactionem præcepti; tum etiam, quia frustrà viderentur confessiones generales, & peccatorum iam confessorum, in quibus confessio non fit fine remissionis peccatorum, cum peccata fuerint iam absoluta, & alio fine subijciantur Sacramento Pęnitentiæ, nimirum ob acquisitionem maioris gratiæ, vel ob satisfactionem reatus pęnę temporalis, &c. Tum etiam, quia valor Sacramenti pendet ex intẽtione ministrantis, & suscipientis Sacramentum, & ex partibus essentialibus illius, quæ omnia adsunt in eo, qui suscipit Sacramentum alio fine.

De examine Conscientiæ, seù quomodo debeat esse diligens?

BRACTEA XXVI.

SCIENDVM est examen conscientiæ nihil aliud esse, quam quædam omnium factorum, siuè peccatorum præteritorum secundùm suas species mutantes speciem, & aliquãdo etiam aggrauantes, recogitatio, quæ dicitur examen conscientiæ ex eo, quod homo examinat suam conscientiam, vt cognoscat in quo deliquerit, seù offenderit Deum.

R. Examen conscientiæ debere semper pręcedere confessionem Iure Diuino. Ita communiter omnes Doctores; & colligitur hæc propositio, ex Tridentino *seß. 14. cap. 5. & can. 7.* Ratio, quia pęnitens in confessione debet integrè, & perfectè manifestare sua peccata, quod integrè non posset fieri, nisi præcesserit examen conscientiæ, sequitur igitur illud esse præcedendum. Et patet, quia quo iure quis obligatur ad aliquod opus, eodem etiam iure obligatur ad media necessaria ad tale opus, sed fideles ex Iure Diuino obligantur ad omnia, & singula peccata mortalia confitenda, vt patet ex loco citato Concilij Tridentini; ergo etiam ex Iure Diuino obligantur ad examen conscientiæ, quod est medium præquisitum ad omnia, & singula peccata mortalia confitenda. Ita Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4.* Nauarrus *cap.9.num.13.* Henriquez *lib.5.cap.5.* Suarez *de pęnitentia disp.23.sect.10.* & alij.

Sciendum 2. Confessionem ab eo non esse audiendam, qui non fecit examen conscientiæ, vt benè docet Medina *in summa*, sed charitatiuè esse admonendum de examine conscientiæ faciendo, vt possit satisfacere suæ conscientiæ.

Sciendum 3. duos casus excipi à Theologis, in quibus est audiendus pęnitens etiãsi examen conscientiæ non præcesserit. Primus est, quando pęnitẽs confitetur sua peccata Confessario idoneo, & erudito, qui interrogando potest radicitùs inuestigare, & cognoscere omnia peccata pęnitentis. Vnde eius interrogatio pro examine potest suplere: Sed quia raro contingit per interrogationem perfectè cognoscere statum pęnitentis, & Confessarium inuestigare omnia eius peccata secundum species, &c. Hinc est, quod sit minus innitendũ, & fidendum in interrogationibus, quam in examine conscientiæ. Secundus casus est, articulus mortis, quia licet tunc temporis pęnitens non possit facere examen conscientiæ, tamen eius confessio est audienda, quia tunc tẽporis excusatur ab examine, sicut etiam excusatur ab integritate confessionis.

Sciendum 4. examen conscientiæ non eodẽ modo debere fieri, sed diuerso iuxtà qualitatem conditionis personæ, & iuxtà temporis inter-

interuallum post vltimam confessionem. Nam negotiatur maius tempus requirit ad faciendum examen conscientiæ, quam ille, qui non est negotiator. Similiter maius tempus requiritur in eo ad faciendum examen conscientiæ, qui semel in anno confitetur, quàm qui quater, vel quinquies, & qui solum confitetur semel in mense, quàm qui bis vel ter in hebdomada confitetur. Et in faciendo examen conscientię pęnitens circa peccata mortalia tenetur tantam inquisitionem præmittere, quantam adhiberet in negotio arduo, seu quanta iudicio, prudentis vni indicatur sufficiens ad omnia peccata in memoriam reuocanda. Ratio est, quia cum opus confessionis magnum censeatur negotium tantam diligentiam requirit, quanta requiritur in negotio magni momenti, ita dicente recta ratione. Ita Nauarrus *cap.8.num.10.* Valentia *tom. 4. disp. 7.quæst.11.punct.1.* Vasquez *quæst. 91. art.1. dub.6.* Coninchus *disp.7.dub.9 num.71.* & alij.

An detur Confessio valida, sed informis non modo respectu doloris, sed etiam respectu examinis?

BRACTEA XXVII.

R. NON modo respectu doloris, sed etiam respectu examinis dari cōfessionē informē; vt quando quis negligentia, & ignorantia culpabili oblitus est quorundā mortaliū, qui tamen habuit in animo integrā confessionem facere, & quia varijs negotijs irretitus conscientiæ suæ latebras perfectè non perquisiuit, idcircò, &c. Ita Henriquez *in summa lib.5. c.11. n.1. & omnes Thomistæ.*

An pænitens, qui se exposuit periculo peccandi, tenetur tale periculum fateri?

BRACTEA XXVIII.

R. AFFIRMATIVE. Ratio est, quia omnia peccata in confessione sunt exprimenda, quoad species morales: in moralibus autem est idem exponere se periculo committendi aliquod peccatum, & illud committere; cum ex eodem præcepto teneatur homo vitare peccatum, & illius periculum; Præceptum enim quod obligat ad euitandum peccatum, obligat etiam ad vitandum proximum ipsius periculum; sicut ergo exprimendum esset in confessione peccatum completum, si peccatum cōpletum commissum fuisset, ita exprimendum est peccatum, cuius periculo se pęnitens exposuit; licet quando posteà commisit peccatum non sit necesse confiteri, & peccatum, & periculum, cui se exposuit, sed satis sit confiteri peccatum, modò non intercesserit mora inter peccatum, & periculum ipsius, quæ constituat duo peccata distincta.

In quibus casibus sit iteranda Confessio?

BRACTEA XXIX.

R. CONFESSIONEM iterandam esse ex defectu pęnitentis, & ex defectu absoluentis. Ita communiter omnes.

Sciendum 1. Confessionem inualidam esse, & per consequens iterandam ex defectu pęnitentis. Primò, quando malitiosè tacet peccatū, vel circumstantiam ipsius: vnde respectu huius malitiæ confessio est inualida, & consequenter iteranda. Ratio est, quia de Iure Diuino confessio debet esse materialiter, aut formaliter integra, quando malitiosè tacetur aliquod peccatum, confessio non est nec materialiter, nec formaliter integra; non materialiter, quia tacetur peccatum; non formaliter, quia non tacetur ex iusta causa, sed malitiosè: vnde tanquam confessio inualida est iteranda. Ita Medina *quæst. de confessione dimidiata iteranda.* Vasquez *quæst. 92. art.3. dub. 2. numero 4.* & alij.

Secundò, quando pęnitens deficit in essentialibus, vt quando non habet dolorem sufficientem ad absolutionem, aut quando non habet debitam intentionem absoluendi, aut non habet voluntatem derelinquendi occasionem proximam peccati.

Tertiò, confessionem esse iterandam, quando pęnitens est excommunicatus, & scienter, & malitiosè accedit ad confessarium, vt prius absoluatur à peccatis, quam ab excommunicatione. Ratio est, quia excommunicatio priuat hominem participationem actiua, & passiua Sacramentorum. Vt communiter docent omnes Doctores; Si verò pęnitens inuincibiliter ignorat, se esse excommunicatum, si absoluitur, validè absoluitur, & confessio non est iteranda. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 12. num.2.* Emanuel Sà *verbo confessio num.16.* Sayrus *lib. 2.cap.2.num.5.* Valentia *tom.4 disp.7. num.11.* Suarez *sect.3.num.9.* & alij multi.

Similiter confessio est valida, & non iteranda, quando pęnitens scit, se esse excommunicatum, sed inuincibiliter putat posse prius absolui à peccatis, quam à censura. Ita Doctores citati.

Quando quis excommunicatus confitetur sua peccata Confessario, non habenti auctoritatem ipsum absoluendi ab excommunicatione, & pęnitens inculpabiliter obliuiscitur peccato, cui est annexa excommunicatio validè confitetur, & non tenetur iterare confessionem, sed satis est, vt confiteatur posteà peccatum oblitum, habenti facultatem ipsum absoluendi. Quod si confessus est Sacerdoti habenti facultatem absoluendi ab excommunicatione, & pęnitens oblitus sit inculpabiliter peccati, cui est annexa excommunicatio, absolutus remanet ab excommunicatione, & satis est, quod alteri Confessario manifestet peccatum oblitum. Ita auctores citati. Excommunicatus inualidè, aut validè, sed iniustè si absoluitur à Confessario, validè in foro conscientiæ absoluitur, & confessio non est iritanda.

Ex defectu Sacerdotis, siuè Confessarij cōfessio est inualida, quoties ipse Confessarius deficit in essentialibus; vnde si careret iurisdi-

ctione confessio est iteranda; quia iurisdictio est de essentia pęnitentiæ. Secundò, si non habet debitam intentionem, quia intentio in quolibet Sacramento est de essentia. Tertiò, si alteret formam, itaut alteratio essentialiter mutet sensum propositionis, seù absolutionis; vnde confessio facta Confessario non habenti iurisdictionem, seù intentionem absoluendi est valida, & per consequens iteranda. Similiter quando confessio fit Confessario habenti iurisdictionem impeditam est inualida, & cōsequenter iteranda, nisi in casibus exceptis. Vnde confessio facto excommunicato vitando est inualida, & iteranda, nisi adsit error communis titulus coloratus., & non adsit impedimentum Iuris diuini. Ita Nauarrus *cap.1. de confessione iteranda*. Confessio verò facta excommunicato alijs incognito, sed pęnitenti noto est inualida, nisi in casu necessitatis. Ita Nauarrus loco citato. Qui bona fide, & ignoranter confitetur sua peccata excommunicato vitando validè confitetur; qui verò scienter confitetur sua peccata excommunicato tolerato deuotionis, aut necessitatis causa, validè confitetur; quia excommunicatus toleratur, non priuatur iurisdictione. An verò, qui confitetur sua peccata Sacerdoti indocto, qui nescit ponere discrimen inter mortale, & mortale, veniale, & mortale validè confiteatur. Respondeo validè confiteri, dummodo proferat formam, & habeat intentionem absoluendi. Ratio est, quia obtinuit absolutionem sacramentalem ab habente facultatem absoluendi, & plenè sua peccata in confessione manifestauit, vt suppono, nec obicem posuit valori Sacramenti. Ita Syluester *verbo confessio num. 3.* Zerola *in praxi cap. 21. quæsito 3.* & alij apud Sanchez *in summa lib.1.cap.10.num.69.* Tum quia ad validitatem confessionis non requiritur, vt pęnitens, aut Confessarius sciat determinatè peccatum esse mortale; quia nullus reperiretur aptus ad confessiones audiendas, cùm nullus plenè sciat circumstantias, & grauitatem peccatorum.

An quando Confessio est repetenda eodem Confessario, quia inualidè facta, si in genere pænitens repetat peccata, possit Confessarius absolutionem impendere, si non recordetur peccatorum, neq; pænitentiæ impositæ.

BRACTEA XXX.

R. Secvndvm Tiurtandum de Sacramentis *disputatione 8. de Pęnitentia, difficultate octaua*, quod si Confessarius imposuit pęnitentiam, & ea est ipsi nota, vel ipsi fit nota à pęnitente, non esse necessarium; quod ei fiat iterum distincta peccatorum confessio, cum sufficiat præterita confessio distinctè facta, & distinctè à Confessario præcepta; si autem Cōfessarius nō imposuit pęnitentiā, aut si imposuit non recordatur illius, nec habet notitiam alias sufficienter ad eā prudenter taxandam, necesse est, quod ipsi fiat confessio saltē in cōfuso peccatorū antea distinctè cōfessorum talis, qualis sufficiat, vt Cōfessarius acquirat notitiam sufficientem ad prudenter taxandam pęnitentiam, quia ad id tantum requiritur cōfessio peccatorum anteà distinctè confessorū, cum ad absolutionem satis sit distincta confessio peccatorum iam anteà in ea confessione valida facta.

Quando homines teneantur confiteri?

BRACTEA XXXI.

R. Primo Cōfessionē obligare omnes illos, & solos, qui post Baptismū peccarūt mortaliter. Ratio est, quia omnes illi, & soli habent materiam necessariam confessionis, & ea tenentur confiteri. Ita colligitur ex Consilio Tridentino *sess.18.cap.5.* Tum ex cap. omnis vtriusque sexus de pęnitentijs, & remissionibus; & ita communiter docent omnes Doctores. Ratio est, quia peccata commissa post Baptismum non possunt aliter remitti, quam per Sacramentum pęnitentiæ, aut per contritionem cū proposito confitendi, seù cum confessione in voto.

Sciendum est, præceptum confessionis esse de Iure Diuino, & Humano Ecclesiastico, & non modo obligare adultos, verò etiam pueros, compotes vsus rationis, habentes conscientiam peccati mortalis, qui obligantur seruare præcepta Ecclesiæ, vt audire Missam diebus festiuis, non vesci carnibus diebus prohibitis, & similiter confitendi; quando verò dicatur habere perfectum vsum rationis, dicendum est, quando perfectè sciunt discernere bonum à malo, quod communiter accidit in septennio, licet in aliquibus requiratur maius tempus, iuxtà conditionem puerorum. Ita Nauarrus *cap.21.n.88.* Vasquez *quæst.90.art.2. dub.4.* Valentia *tom.4.disput.7.quæst.9.punct.4.* Sotus *in 4.dist.quæst.1.*

Sciendum 2. teneri fideles ex præcepto confiteri non solùm peccata externa, verum etiā interna, non solum peccata certa, verum etiā dubia. Ita Nauarrus *cap.10.nu.7.* Valentia *tom. 4. disp.7. quæst. 9. puncto 3.* Reginaldus *lib 6.num 32.* Henriquez *lib.45.num.2.* & alij.

R. 2. Præceptum confessionis Iure Diuino, & humano obligare in articulo mortis. Ita communiter omnes Doctores etiam si eodem anno confessi fuerint. Ratio est, quia præceptum affirmatiuum obligat in extremo periculo, seù necessitate; talis autem est articulus mortis. Idē dicēdum de periculo mortis, quale est naufragium periculosum, vel prælium, vel delicata fęmina cum primum parturit, aut quę difficiles partus habet, vel grauis ægritudo ex capite cum infirmitas de pœnitentijs, & remissionibus. Ratio est, quia periculum æquiualet articulo mortis, ex quo infertur, quod qui suscipiunt longas nauigationes debent cōfiteri ob periculum mortis; similiter mulieres, quæ nunquam pepererunt, & quæ maximos cruciatus, & dolores patiuntur in partu, & grauiter morbo laborantes, dummodo habeant conscientiam peccati mortalis, & damnati ad mortem debent confiteri, & suæ saluti consulere, quia censentur esse in graui periculo vitæ. Ita Nauarrus *cap.1.num.9.* Reginaldus *lib.2.nu.22.* Sotus *dist.18.quæst.1.art.4.* Vasquez *quæst.90.art.3.dub.1.num.21.* & alij.

Vtrum

Vtrum qui præuidet fore, vt non sit habiturus copiam Confessarij in articulo mortis, aut sequenti tempore præsentis anni teneatur præuenire confitendo, antequam aduenint mortis articulus, vel antequam elabatur annus, in quo tenetur confiteri?

BRACTEA XXXII.

R. AFFIRMATIVE; Et ita Syluester *verbo confessio.1.num.2.* Tabyena *eodem verbo num.* 41. Henriquez *lib.4. cap.3. numer.* 3. Reginaldus *lib.6. n.26.* Coninch. *disp.5.dub.2. nu.36.* Vasquez 3. *parte quæst.90.art.3.n.10.* Zerola *de pœniten. cap.10. quæst.17.* & alij. Ratio desumitur à simili. Primò de eo, qui tempore Paschatis præuidet, seù vltimis diebus Paschatis impediendum à sumptione Eucharistię, quem constat teneri in primis diebus communicare cum adhuc esset pręceptum communionis, quod potest adimpleri præueniendo; Secundò de eo, qui præuidet in die festo, se non reperturum Missam si eam differat vsque ad meridiem, teneri mane præuenire, quamuis non teneatur ante diem festum audire cum ante diem festum non extet pręceptum audiendi Missam, sicut extat in die festo; Tertiò de eo, qui debet aliquid creditori soluere; hic enim si aduertat, non posse se elapso præfixo tempore soluere, tenetur præuenire solutionem, iuxtà Henriquez loco citatò, & alios.

R. 2. Fideles obligari postquam peruenerint ad annos discretionis confiteri semel in anno, iuxta determinationem Ecclesiæ. Ita Reginaldus *lib.6.num.20.* Vasquez *quæst.90.sect.3.dub.3.* Suarez *disp.35.sect.4.* & alij.

Quibus alijs temporibus teneatur pœnitens confiteri?

BRACTEA XXXIII.

R. MVLTA esse tempora, in quibus præceptum confessionis obligat per accidens, quia nimirum aliquod aliud præceptum vrget illius impletionem, & contingit in his casibus. Primò cum quis est sumpturus Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum, quia confessio ante illam requiritur. Secundus casus est, cū quis ex conscientia iudicat se teneri certo tempore confiteri, quia tunc nequit hoc ommittere sine peccato dicente Apostolo ad Romanos 14. *Omne quod non est ex Fide* (idest, quod contrà propriam conscientiam fit) Peccatum est, ibi enim fides pro propria persuasione accipitur. Tertius casus est, cum quis ex voto, aut iuramento ad eam se deuinxit. Ita Nauarrus *cap.2.num.10.* Quartus, si quis in Sacramento acceptasset pro pęnitentia confessionem tali tempore faciendam. Quintus casus est, quando quis lucraturus est Indulgentias, in quarum concessione conditio propriæ confessionis exprimeretur.

An consuetudo confitendi in Paschate inducat obligationem?

BRACTEA XXXIV.

R. CVM Suarez *prima parte Institutionum lib.7. cap.29.quæst.8. sect.1. num.4.* talem consuetudinem non esse obligatoriam, quia recepta non est inter fideles tanquam determinās obligationem annuæ confessionis, ad tempus Paschale; sed tanquam designans tempus cęteris anni partibus ad satisfaciendum obligationi confitendi commodiùs propter aliud Ecclesiasticum pręceptum, desumenda quotannis in Paschate Sacrosancta Eucharistia, cuius impletio exigit præparationem per sacramentalem confessionem, ex Concil. Trid. *sess. 13. cap.7.* Vnde ex ea consuetudine non nascitur obligatio; quòd si quis dicat, non omnes qui consueuerunt in Paschate confiteri ad Eucharistiæ sumptionem obligari, vt patet de pueris. Vnde sequitur eorum saltem respectu, consuetudinem confitendi in Paschate non esse ob conditionē iam dictam.

R. Ex vi consuetudinis non esse iudicandū ex his, quæ faciunt pueri, quibus proprium est, non admodùm discernere quid, ex qua obligatione fiat: sed sequi ea, quę vident ceteros facere. Si quis prætereà vrgeat, dari Episcopalia statuta, quibus obligatio confitendi semel in anno determinatur ad tempus Paschale.

R. Intentionem Episcoporum nō esse determinationi Ecclesiæ aliam adiungere, sed solū curare, vt ea obseruetur, vrgendo illud tempus determinatum, in quo debet quoque ea vi præcepti Ecclesiæ Vniuersalis, accipere Eucharistiæ sumptionem, cui ipsam confessionem permittere oportet.

Quo tempore facienda esset confessio ex præcepto si Ecclesia tempus confessionis non determinasset?

BRACTEA XXXV.

R. FACIENDAM iuxtà prudentis viri iudiciū quatenus confessio non diceretur nimirum differri; nimirum autem differri videretur, si vltrà quatuor, vel quinque annos differetur. Ita Henriquez *lib. 4. cap. 3. num* 4 & alij.

An obligatio confitendi sit, cum confessio censetur esse medium moraliter necessarium ad superandam aliquam tentationem, seù occasionem peccandi?

BRACTEA XXXVI.

R. NEGARI non posse, quin frequenter cōfiteri sit optimum, & vtilissimum remedium aduersus tentationes; quoniam per confessionem ritè factam anima pondere peccatorum

torum exonerata, & Diuinæ gratiæ habitu tecta, & roborata valentior redditur ad spiritualem pugnam. Secundo, propositam necessitatem, moraliter loquendo, non nisi raro contingere, quia cogitari non potest casus, in quo nequeat tentatio superari, aut nouum peccatum mortale vitari aliter quam per confessionem sacramentalem. Nam ad vincendam quamcumque tentationem, & periculum peccandi moraliter superandum, potest sufficere D. auxilium excitans nos, & adiuuans. Tertio dato casu, in quo re vera hic, & nunc in hac persona, & cum his circumstantijs confessio existimetur esse medium necessarium ad vincendam tentationem, & periculum peccãdi mortaliter, tunc obligationem esse confitẽdi, non quidem ortam ex præcepto confessionis, sed ex pręcepto, quo Homo tenetur vitare peccatum illud, de quo tentatur cũ lapsus periculo; tale enim pręceptum obligat, vt ad vitationem peccati, sit ad media quæ sunt ad illam necessaria, sicque cõfessionem omittendo in eo casu mortaliter peccatur, nõ quidem transgressione D. præcepti de confessione, sed alterius, per quod prohibetur peccatum illud, cuius probabili periculo, quis exponit se per eam omissionem. Ita Reginaldus *lib.6. de Sacramentali confessione num.*28. & alij.

An peccata venialia sint de præcepto confitenda?

BRACTEA XXXVII.

R. Non obligari fideles vi pręcepti Diuini & Ecclesiastici confiteri peccata venialia. Ita Sanchez *disp.36. sect.2. num.*8. Azorius, *prima parte cap.2. quæsito* 3. Reginaldus *lib.6. num.*22. Vasquez *quæst.90. art.2. dub.2. num.*11. & alij plures. Ratio est, quia præceptum confitendi peccata venialia nullibi inuenitur; tum etiam quia peccata venialia aliter possunt remitti, nimirum per sacramentalia, per actum dilectionis & contritionis, &c.

Sciendum tamen, quòd si quis tempore Paschalis haberet solum peccata venialia obligari non ratione præcepti, sed ex quadam æquitate coram proprio sacerdote comparere ad euitandum scandalum; & pęnas impositas contra non confitentes. Ita Vasquez *quæst. 90. num.*19. & alij plures;

An qui inualide confitetur satisfaciat præcepto?

BRACTEA XXXVIII.

R. Nullo modo satisfacere pręcepto, quocunque modo sit nulla, siue ex parte pęnitentis, quia vel non habuit dolorem sufficientem, idque cognoscit, vel quia defecit in integritate, siue etiam sit nulla ex parte confessarij. Ita Nauarrus *cap.10. num.*4. Sotus *dist.*18. *quæst.3. art.*5. Azorius 1. *parte lib. 7. cap. 4. quæsito* 4. Medina *de Confessione quæst.*16. Ratio est, quia qui inualidè confitetur non adimplet præceptum D. & Ecclesiasticum, quod materialiter, & formaliter obligat, siue secundum rem, & secundum modum cum materialiter solum, & secundum rem satisfaciat pręcepto, non autem formaliter, & quoad modum.

Et quid de eo qui facit confessionem validam, sed informem?

BRACTEA XXXIX.

R. Satisfacere pręcepto D. & Ecclesiastico. Ita Sanchez *disp.36. sect.1. num.6.* Valẽtia *tom.4. disp.7. quæst.* 11. *pun.* 2. Vasquez *quæst.* 92. *art.* 3. *dub.* 5. & alij. Ratio est, quia hoc ipso quòd confessio valida est, impletur pręceptũ quoad substantiam, finis autem qui est gratia non cadit sub præceptum. Confirmatur exẽplo Baptismi ficte suscepti, hoc est cum obice, & aliorum sacramentorum, vt confessionis, ordinis, &c.

An qui non satisfecit præcepto anni præteriti sit obligatus satisfacere anno præsenti.

BRACTEA XL.

R. Teneri cum primum confiteri, ità vt eo magis ac magis peccet, quò magis ac magis confessionẽ voluntariè differt. Ita quã Nauarrus *cap.21. nu.*25. Valentia *tom.4. disp.7. quæst.* 9. *pun.*4. Reginaldus *lib.6. num.6. nu.*34. Vasquez *quæst.9. art.2. dub.2. num.*30. & alij plures. Ratio, quia Ecclesia solet eos, qui non confitentur excommunicare, nec possunt absolui, nisi confiteantur; ergo signum est, teneri statim, & continuò confiteri, vt impleant obligationi, quam semper retinent, nec denuò illis imponitur, sed oritur ex ipso pręcepto confessionis; tùm etiam quia annus non præfigitur ad finiendam, sed ad sollicitandam pręcepti adimpletionem.

Sciendum est, quòd dupliciter aliquid potest præfigi fieri tali tempore. Primò in honorem talis temporis; Secundò absolutè non considerata conditione temporis, sed solum conditio temporis apponitur, ne vltrà res, seù pręceptum differatur, quod primo modo pręfigitur elapiò determinato tempore cessat obligatio, vt patet in obligatione D. officij recitandi singulis diebus, & de pręcepto audiendi Missam diebus festiuis, quia hæc præcepta in honorem diei præfiguntur elapso die cessat obligatio.

Quando autem aliquid præcipitur secundo modo, non spectata propria circumstantia diei; sed apposita solum in fauorem obligationis, seù præcepti ne vltrà differatur, elapso tempore determinato, non cessat obligatio, quia terminus non fuit appositus ad finiendam obligationem, sed ne obligatio vltrà differatur, vt patet in eo, qui non restituit commodatum, seù mutuum determinato tempore, quo transacto adhuc obligari ad solutionem; cum autem pręceptum annuæ confessionis nõ sit præfixum diei in honorem illius, sed in fauorem ipsius pręcepti ne vltrà differatur, sequitur elapso die, seu anno adhuc obligare, & in hoc præceptum cõfessionis differt à præcepto communionis, quod respicit circumstantiam dierum, quibus transactis incurritur pęna, si qua est apposita, & cessat obligatio.

An habens solum peccata dubia teneatur satisfacere praecepto annuae confessionis?

BRACTEA XLI.

R. Qui habent materiam dubiam teneri tẽpore Paschatis satisfacere praecepto Ecclesiæ: vnde qui dubitat, se mortaliter peccasse teneri confiteri peccatum tanquam dubium eo modo quo dubitat, se mortaliter peccasse, licèt cũ materia dubia debeat proferre materiam certam, & determinatam. Ita Valentia *tom.4.disp.7.quaest. 9. pun.3.* Nauarrus *cap.10. num.7.* Henriquez *lib.4.cap. 8.num.9.* & alij.

An qui distulit Confessionem anni praeteriti vsque ad praesentem annum, vnica confessione satisfaciat praecepto anni praeteriti, & praesentis?

BRACTEA XLII.

R. Vnica Confessione non satisfacere vtrique obligationi, cum ad vnam confessionem teneatur ratione anni præteriti; ad alteram ratione præsentis anni; sicut enim, qui tenetur singulis annis soluere nummum aureum, si anno præterito non soluit non satisfaciet suo muneri, & obligationi, si hoc anno vnum tantummodo nummum soluere intendat; Ita præcepto confessionis non satisfaciet vnica confessione, qui anno præterito non est confessus, sed ad duas tenetur confessiones, vt satisfaciat obligationi præteriti, & præsentis anni. Ita Suarez *disp. 36. sect. 4.num. 5.* Coninchus *disp.5.dub.8.num.63.* & alij: quod tamen limitandum est, modo vtroque anno habeat peccata mortalia necessariò subijcienda confessioni.

An Impuberes incurrant in excommunicationem latam ab Episcopo contrà non obseruantes Praeceptum annuae confessionis, vel communionis in Paschate?

BRACTEA XLIII.

R. Cum Corduba *in summa quaest. 6.* & Petro de Ochagauia *de Sacramentis tract. 2. de Eucharistia quaest.7.* Mercero *de Sacramentis in 3. part. quaest.6.art.5.num.7.* pœnas tam Synodi, quam Episcopi non extendi ad pueros etiamsi peccent contrà D. vel humanum præceptum, vt dicitur in *cap.2. de Delictis Puerorum*, in pueris relinqui solet in altum, quod in alijs progressionibus ætatis humanæ leges ducunt seueriùs puniendum, quam sententiam docet etiam Homobonus *de bonis in Consult. Casuum Conscientiae volum. 2. parte 5. respons. 126.* vbi citat Sotum, Comitolum, vide etiam Vgolinum *de Censuris c.17. paragrapho 3 num.5.*

Hortadus *de Sacramentis disp.7.de penitentia diffic.9.* affirmatiuam tenet sententiam, vbi sic ait, Impuberes non implentes præceptum annuæ confessionis incurrunt excomunicationẽ maiorem, quæ in aliquibus Diœcesibus ipso facto imponitur, quod etiam docuit de censuris in communi difficultate 7. vbi probat, pueros impuberes ratione vtentes posse validè ligari censuris ab Homine, sed quæ sit opinio nostra dictum est suprà, quàm etiam tenuimus docendo, Pueros ante pubertatis annum completum non subijci reseruationi casuum.

An qui omisit aliqua peccata ex obliuione inculpabili, vel alia rationabili causa, possit differre illorum confessionem, vsque ad tempus obligationis sequentis anni?

BRACTEA XLIV.

R. Affirmatiue Ratio est, quia Ecclesia obligat tantũ ad confitenda omnia peccata commissa illo anno, quantùm memoriæ occurrerit facta diligenti conscientiæ discussione, quantum necesse est ad integritatem cõfessionis.

Qui autem facit confessionem modo dicto integrè satisfacit præcepto; ergo non tenebitur amplius confiteri. Ita Reginaldus *lib.6. num.40.* & alij.

An qui post Confessionem, & Communionem commisit aliquod peccatum mortale nondum elapso anno, in quo quis confessus est, teneatur illud peccatum confiteri, vt satisfaciat praecepto annuae confessionis, quo praecipitur omnia peccata confiteri?

BRACTEA XLV.

R. Non teneri. Ratio est quia, quod in capite omnis vtriusque sexus de pœnitentijs, & remissionibus statuitur omnes fideles debere semel in anno confiteri omnia sua peccata, quod nõ est necesse intelligi de cõfessione omniũ peccatorũ, quæ vsque ad finem anni committuntur, sed peccatorum, quorum memoriam potest homo habere dum confitetur, siuè eo anno, siuè alias commissorum, nec dum Confessorum. Ita Victoria *in summa num.134.* Ledesma *2.part. quaest.6.art.5.dub.6* Reginald. *lib.6. num.38.* & alij.

An in Paschate, vel in articulo mortis teneatur per scriptum, aut etiam per interpretem confiteri, qui alio modo non potest?

BRACTEA XLVI.

R. Non obligari: Ratio quia talis scriptura non est propriè confessio, quæ ore immediatè debet fieri, sed est insolitus modus confitendi, & Ecclesia ad istum insolitum modum non obligat, præcipuè cum non vacet periculo publicationis. Ita Valentia *tom.4. quaest.11.pun.1.* Philiucius *tom.1.tract.7. num.63.* Henriquez

riquez *lib. 4. cap. 4. num. 4.* Ioannes Delacruz *in Directorio Conscientiæ parte 2. de Sacramento penitentiæ, quæst. 3. dub. 7.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 6.* & alij. Secundo in articulo mortis quando penitens habet probabilitatem de sua contritione non teneri confiteri per interpretem. Ratio est, quia tunc talis confessio non videtur necessaria ad salutem, nec Deus, & Ecclesia videtur obligare cum tanto onere; tum etiam quia talis modus confitendi non vacat periculo publicationis. Ita plures citati à Diana *tract. 4. de Sacramentis resol. 129.*

Tertio, quando in articulo mortis dubitat de contritione, tenetur tunc confiteri per interpretem, sed potest reticere peccata maioris infamiæ. Ratio, quia in tali casu non tenetur facere confessionem materialiter integram, sed satis formaliter. Ita Nugnus *in additione ad tertiam partem quæst. 4. art. 3 difficult. 2.* Suarez *in 3 partem tom. 4. disput. 26. sess. 6. num. 5.* Henriquez *lib. 4. cap. 4. num. 4.* Layman *lib. 4 tract. 6. cap. 6. num. 1.* & alij.

Quomodo mutus obligetur satisfacere præcepto?

BRACTEA XLVII.

R. Mutum qui per signa non potest commodè manifestare sua peccata, si per scripturam potest obligatur, vt satisfaciat præcepto. Ita Syluester *verbo Confessio*, Caiet. *eodem verbo*, Reginaldus *lib. 6. num. 82.* Ratio est, quia qui obligatur ad finem tenetur etiam eligere media proportionata ad finem consequendum; scriptura autem in tali casu censetur medium proportionatum ad consequendum finem absolutionis, & patet, quia commodè potest manifestare peccata penitentis Confessario.

Sciendum ex *D. Thoma in Quodlibet. 1. art. 10.* posse confessionem fieri non tantum nutibus, sed etiam scriptura, idest in charta descriptis suis peccatis, quæ Confessarius legat ipsomet pœnitente præsente, & innuente, se de illis dolere seque accusare, vt sacramentaliter absoluatur; quia in re Caietanus loco citato D. Thomę monet, hac cautela vtendum esse, vt pœnitens talem scripturam teneat manibus suis, nec tradat in libertatem confessarij, vt sic confessio minus habeat de publico, habeat, inquit vnum folium, in quo scripta sint nomina specierum omnium peccatorum mortalium, & circumstantiarum necessariarum, & numeri, & sic poterit complerè confiteri monstrando digito peccatum, de quo remordet ipsum conscientia, & similiter eius circumstantiam, similiterque numerum, siquè non est numerus certus, sed æstimatus, potest illum monstrando, simul monstrare schedulam, in qua sit scriptum, æstimo, iuxtà quem modum cum nullum periculum sit publicationis peccati ex scriptura, non videtur dari excusatio vtendi illa ad integritatem confessionis; prætereà quando Confessarius fuerit ignorans linguæ, ita vt nequeat pœnitentem intelligere, potest idem pœnitens modò suprascripto per interpretem confiteri, licet plures sequantur opinionem contrariam apud Dianam *loco citato resol. 128.*

An quis in Paschate teneatur confiteri peccata venialia, si mortalia quæ habet ratione alicuius periculi, minime confiteri possit?

BRACTEA XLVIII.

R. Negative, & ita Suarez *in 3. partem tom. 4. disp. 36. sect. 6.* Ratio est, quia nullum præceptum, ne Ecclesiasticum quidem obligat fideles ad confessionem peccatorum venialium, & ita Vasquez *in 3. partem tom. 4. quæst. 90. artic. 2. dub. 2.* Layman. *in Theologia morali lib. 5. tract. 6 cap. 5. num. 18.* Vnde si quis non potest iusta causa confiteri peccata mortalia, non tenetur confiteri venialia.

An quando quis confitetur aliquod peccatum certum, de quo dubitat, an aliàs confessus sit, teneatur in confessione dicere, se dubitare an sit confessus?

BRACTEA XLIX.

R. Negative, sed satisfacere dicendo, se tale peccatum omisisse, cum enim constet de peccato commisso, nichil referre videtur ad præsentem confessionem, illud aliàs confessum fuisse, quia penitens confitetur peccatum, vt commissum, nec mentitur circa materiam, quàm exponit, cum dicat id, quod re ipsa fecit, & non neget, se id confessum fuisse. Ita Sanchez *in Summa lib. 1. cap. 10. num. 66.* Coninch. *disp. 7. dub. 8.* & alij, qui ex eadem ratione modo allata colligunt, Penitentem in confessione non teneri, dicere, se tale peccatum commisisse post vltimam confessionem, nisi ob aliquam peculiarem circumstantiam, mutatem speciem necesse sit hoc exprimere, sicut enim sciens vel dubitans se tale peccatum confessum fuisse, non tenetur sub mortali dicere, se aliàs confessum fuisse, vel dubitare, an tale peccatum confessus sit: ita qui commisit aliquod peccatum non tenetur dicere, se tale peccatum post vltimam confessionem cōmisisse, nisi adsit aliqua particularis circumstantia.

MALLEATIO XIV.

De Satisfactione.

Satisfactio an sit necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ?

BRACTEA I.

R. Primo, satisfactionem non esse de essentia sacramenti penitentiæ. Ita Reginaldus *lib. 7. n. 47.* & alij cōmuniter. Ratio est, quia si satisfactio esset de essētia Sacramenti penitētiæ non posset subsistere absque satisfactione, sed subsistit, ergo non censetur de essentia, maior

maior patet, quia quod est de essentia non potest separari ab eo, cuius est de essentia. Minor etiam patet, quia validum est Sacramentum, in quo Confessarius nullam imponit satisfactionem pęnitenti; Ergo, &c.

R.2. Satisfactionem esse partem integralem sacramenti pęnitentiæ. Ita omnes Doctores. Ratio quia ex supradictis constat, non esse partem essentialem; ergo est solummodò integralis, quia est pars materialis huius sacramenti, sine qua censetur imperfectum integraliter, & quia satisfactio non ordinatur ad primarium effectum huius Sacramenti, qui est culpæ remissio, sed ad secundarium, qui est remissio pęnæ temporalis, ideò non est de necessitate simpliciter huius sacramenti; sed, vt dictum est integralis.

Sciendum, esse maximam differentiam inter partem essentialem, & integralem. Pars essentialis dicitur illa quæ intrinsecè spectat ad essentiam; Pars integralis est, quæ non spectat ad essentiam, sed ad integritatem totius, vt v.g. Rationalitas dicitur de essentia Hominis, quæ ad eius essentiam spectat; at verò caput, brachium, &c. non sunt partes essentiales, quia ad eius essentiam non spectant, sed dicuntur partes integrales totius corporis: ita etiam contritio, & confessio dicuntur partes essentiales sacramenti pęnitentiæ, quia ad eius essentiam pertinent; at verò satisfactio nõ est essentialis, sed solùm integralis, quia spectat ad integritatem ipsius.

Sciendum 2. opus satisfactorium debere esse liberum, vt communiter docent Teologi. Ratio est, quia satisfactio est effectus virtutis pœnitentiæ, quæ voluntaria debet esse. Debet etiam esse opus mortaliter bonum, & honestum. Ratio quia satisfactio est effectus diuinæ gratiæ acceptantis per Christum nostras satisfactiones. Deus autem non acceptatat, id quod malum est, ergò requiritur, quod sit mortaliter bonum, & honestum. Nõ est tamen necesse, vt procedat ex formali intentione satisfaciendi, sed satis est, vt procedat ex voluntate quacunque placendi Deo.

Quid sit Satisfactio?

BRACTEA II.

R. Satisfactionem esse compensationem pœnæ temporalis debitæ peccatis ob iniuriam Deo illatam consistentem in operibus pęnalibus, & laboriosis taxatis à Confessario. Ita Valentia *tom.4. disp. 7. quest. 14. pun.1.* & alij communiter. Dicimus Satisfactionem esse cõpensationem pęnæ temporalis, debitæ ab iniuriam Deo illatam, ad cuius intelligentiam sciendum est, in peccato duo esse, Culpam, & Reatum pęnæ, qui Reatus duplex est, vnus pęnæ æternæ, & alter temporalis, per absolutionem absoluitur peccator à Culpa, & à Reatu pęnæ æternæ; Reatus pęnæ temporalis remittitur secundum intensiorem, aut remissiorem dolorem ad ratam per satisfactionem impositam à Confessario.

R. Vt dictum est per satisfactionem non remitti totum Reatum pęnæ temporalis, sed solum aliquam partem. Ita Vasquez *de penitentia, quest.94. art.2. dub.6 num.3.* Reginaldus *lib.7. nu.47.* & alij. Ratio est, quia si per satisfactionem tolleretur omnis Reatus pęnæ temporalis, sequeretur quod pęna quæ iniungitur à Confessario pęnitenti deberet esse proportionata peccatis, sed non est; ergò, &c. Ratio est, quia Confessarius non potest cognoscere quantum pęnæ debeatur pro peccatis, & ex hoc oritur, quòd non tollatur omnis Reatus pęnæ temporalis, qui remaneat in Purgatorio soluendus.

Quinam sit effectus primarius satisfactionis?

BRACTEA III.

R. Effectum satisfactionis primarium ex opere operato esse remissionem alicuius pœnæ temporalis præter illam, quę respõdet operantis. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia hæc pars præcipuè est instituta ad remissionem pœnæ temporalis, nam ad remissionem culpæ, & reatus pœnæ æternę ordinata est contritio, & absolutio.

R. 2. Probabile esse, per satisfactionem Sacramentalem dari aliquam gratiam, idest auxilium aliquod præseruans, seù adiuuans ad emendanda peccata, quia cum hæc pars sit instituta in hunc finem, debuit illi dari virtus adiuuans in hunc finem.

R. 3. Etiamsi supposita dispositione pęnitẽtis, & proposito satisfaciendi verum sit per absolutionem Sacerdotis remitti ex opere operato aliquid pœnæ temporalis, tamen pœna, quæ remanet soluenda non minuitur ratione satisfactionis impositæ, donec perfectè pęnitentia impleatur. Ratio est, quia Sacramentum non habet effectum suum ex opere operato, nisi quando re ipsa suscipitur, ergo neque satisfactio, quæ est pars Sacramenti habebit suum effectum, nisi quando erit expleta re ipsa. Quod si pęnitentia impleretur ante absolutionem non haberet suum effectum, quia Sacramentum non habet effectum suum, nisi sit perfectum essentialiter; non est autem perfectum nisi per formam suam, quę est absolutio.

R. 4. Dari aliquam satisfactionem ita proportionatam peccatis, vt si illa impleatur deleat totam pęnam, quia cum hæc finita sit potest adæquari per satisfactionẽ finitam. Quod si pęnitentia sit minor, vt regulariter est etiãsi imponatur in Sacramento nõn remittet totã pęnam, sed partem proportionatam, vt dictum est.

De obligatione Confessarij in pœnitentia imponenda?

BRACTEA IV.

R. Confessarium regulariter semper obligari, satisfactionem imponere pęnitenti. Ita Valentia *tom.4. disp.7. quest.28. puncto 4.* Toletus *lib.3. cap.12.* Suarez *disp.38. sect.3.* & alii. Ratio est; quia Sacramentum debet essentialiter, & integraliter, perfectè, & integrè ministrari: non ministraretur integrè, & perfectè integraliter, si non imponeretur satisfactio, sequitur ergo, Confessarium obligatum esse eam imponere.

R. 2. In articulo, seù in probabili periculo mor-

mortis posse Confessarium absoluere pęnitentem non imponendo satisfactionem. Ita Nauarrus *cap. 26. num. 21.* Caietanus *verbo satisfactio*, Reginaldus *lib. 7. num. 21.* Ratio est, quia satisfactio cum sit solum pars integralis non obligat in extrema necessitate, vt v. g. in articulo, & periculo mortis; verùm si non erit ita proximus morti, vt aliquid possit etiam pronunciare leuem pęnitentiam poterit iniungere. An verò scrupulosis, qui multoties in die, vel etiam in hora confitentur sit imponenda pęnitentia. R. Aliquam leuem, vel iam impositam denuò iniungere.

Qualis debeat esse mensura pœnitentiæ?

BRACTEA V.

R. Nullam esse certam mensuram taxatam lege Ecclesiæ, vt colligitur ex capite mensuram de pęnitentijs, &c. Sed hoc esse relictum arbitrio, & in potestate voluntaria Confessarij, qui considerata grauitate peccatorum, & dispositione pœnitentis, alijsque circumstantijs personæ, temporis ipsam debeat imponere. Ratio est, quia Confessarius est iudex, & veluti mediator inter Deum, & Homines, debet ergo seruare æquitatem, & sicuti si grauissimam pœnitentiam imponeret pro leuissimis peccatis faceret iniuriam pęnitenti, ita si leuissimam pro grauissimis faceret iniuriam Deo.

R. 2. Ex rationabili causa posse Confessarium aliquando imponere leuiorem satisfactionem. Ita S. Thomas *quæst. 18. art. 4.* Sotus *dist. 20. quæst. 2. art. 3.* & alij. Ratio, quia in hoc Sacramento magis intenditur emendatio, & salus pœnitentis, quam satisfactio pro pęna; si ergo ita expediat pro bono pęnitentis poterit fieri, quia hoc cedet in maiorem Dei gloriam; & salutem ipsius pęnitentis; quando autem Confessarius imponit talem leuiorem pęnam debet ipsum pęnitentem admonere, talem pęnitentiam non esse sufficientem, & alijs bonis operibus, vel ex obligatione, vel deuotione faciendis curet satisfacere.

An Confessarius teneatur imponere pœnitentiam per modum præcepti?

BRACTEA VI.

R. Non modo Confessarium posse imponere satisfactionem pęnitenti per modũ præcepti ipsam præcipiendo, quod tanquam de fide, docet Nauarr. *cap. 26. n. 20.* Verùm etiã regulariter debere fieri, vt docet Coninchus *de pęnit. cap. 10. dub. 8. n. 74.* vbi asserit, satisfactionem per modum Concilij impositam non esse Sacramentalem: Fieri tamen potest, vt Confessarius per modum Concilij, vel conditionaliter ipsam imponat, dicendo pęnitenti, si hoc feceris erit tibi in satisfactionem. Ita Suarez *disp. 38 sect. 3.* Pezantius *in additionibus ad 3. partem quæst. 18. de satisfactione Sacramentali*; & alij. Ratio est, quia satisfactio iniungitur in medicinam, quatenus Confessarius iudicauerit expedire; vt pœnitentia non iniungatur per modum præcepti, sed sub forma quasi conditionata iniungere.

Quæ opera imponi possunt in satisfactionem?

BRACTEA VII.

R. Primo Opus quod in Sacramento pęnitentiæ iniungitur debere esse opus pęnale. Ita Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 14. punct. 3.* & alij. Ratio est, quia pęnitens non potest satisfacere pro peccatis, nisi opus quod facit sit pęnale; tum etiam, quia Scriptura, & Sancti, quando adhortantur homines ad satisfaciendum pro peccatis proponunt opera pęnalia. Ioel 2. in ieiunio, fletu, & planctu; Mathæi 11. in cilicio, & cinere; tum quia opus habet esse meritorium, quatenus est laudabile, & bonũ, esse verò satisfactiuum, quatenus est pęnale; vnde meritum non respicit alterum, vt offensus est, sed vt præmians est, & qui satisfacit respicit personam offensam, & per modum vindictæ punit in se peccatum; ergo opus in tantum esset satisfactorium, in quantum est pœnale.

Sciendum est, opera pęnalia, quæ pęnitenti iniungi possunt ad tria genera reduci posse. Primum genus est oratio, ad quam reuocantur etiam orationes mentales, & omnes species orationis vocalis; Secundum est ieiuniũ, ad quod reuocatur quælibet maceratio corporis; Tertium est eleemosina, ad quam reuocantur omnia opera misericordiæ. Ita Sayrus *de pęnitentia cap. 36. num. 5.* & alij. Et non modo isti actus externi valent ad satisfaciendum, sed etiam actus interni. Ratio, quia actus interni sunt boni liberi, & pęnales cum sint maximè difficiles, & laboriosi.

An pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam?

BRACTEA VIII.

R. Pœnitentem regulariter teneri acceptare pęnitentiam, & acceptatam adimplere. Ita Suarez *disp. 38. sess. 7.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 14. punct. 4.* Vasquez *quæst. 84. art. 2. dub. 1.* & alij. Ratio est, quia sicut Confessarius tenetur regulariter iniungere pęnitentiam, etiam pęnitens tenetur acceptare, & acceptatam adimplere; tum etiam, quia pęnitens tenetur parere iudici rectè iudicanti; Iudex autem est Confessarius, qui pęnitentiam iniungit.

R. 2. Pœnitentem mortaliter peccare non adimplendo pęnitentiam datam, & acceptatam pro peccatis mortalibus non aliàs confessis. Ita Valentia *tom. 4. quæst. 14. punct. 4.* Sayrus *de pęnitentia*, & alij, Ratio est, quia facit contra præceptum Confessarij, & contra propriam obligationem in materia graui.

R. 3. Pœnitentem non adimplendo pœnitẽtiam impositam pro peccatis venialibus acceptatam peccare solum venialiter. Ita citati Doctores. Ratio est, quia in materia leui facit contrà obligationem, & contrà præceptum Confessarij. Etiamsi pęnitentia pro peccatis venialibus sit grauis. Ita Suarez *in 3. par. tom. 4. disp. 37. sect. 7. num. 4.* & alij.



An

An pœnitens in gratia debeat adimplere Pœnitentiam?

BRACTEA IX.

R. Ponitentem debere adimplere penitentiam in statu gratiæ, non autem peccati. Ita Suarez *disp.38.sect.8.num.1.* Toletus *lib.3.cap.9.* Vasquez *quæst.94.art.2.dub 5.* Nauarrus *cap.3.nu.5.* Reginaldus *lib.7.num.9.* & alij. Ratio, quia in statu gratiæ est satisfactoria, & meritoria; si verò fiat in peccato, est solum satisfactoria.

Sciendum est, penitentiam in peccato mortali factam esse quidem satisfactoriam pro obligatione imposita à Confessario, non autem meritoriã pro reatu pęnæ temporalis. An verò sublato obice, nimirũ peccato mortali cõferat gratiam remissionis pęnæ temporalis? Respondeo affirmatiuè. Ita Suarez *disp.38.sect.8.num.5.* Reginaldus *lib.7.num.9.* & *10.* Eman. Sà *verbo satisfactio*, Rodriquez *in summa cap.56.num 10.* & alij. Ratio est, quia sicut Sacramentum pęnitentiæ consequitur suum effectum recedente fictione, ita etiam satisfactio, vt est pars integralis Sacramenti pęnitentiæ non solum quoad effectum gratiæ, sed etiam remissionis peccatorum. Ita Layman. *lib.5.tract.6.cap.15.n.15.*

Vnde apparet differentia inter pęnitentiam Sacramentalem, & cætera opera meritoria facta in peccato mortali; nam hæc censentur opera mortua, quæ nunquam reuiuiscunt; Pęnitentia verò Sacramentalis est opus ex se viuum, licet mortificatum ex indispositione pęnitentis; sicut autem opera mortificata reuiuiscunt adueniente gratia, ita satisfactio sublato peccato reuiuiscit ad suum effectum. Ratio est, quia satisfactio Sacramentalis habet suum meritum ex opere operato; cætera verò opera ex opere operantis. Ita Vasquez *quæst.94.art.1.dub.4.* & alij.

An acceptatio pœnitentiæ obliget sub mortali?

BRACTEA X.

R. Acceptationem pœnitentiæ non obligare sub mortali, dummodo adsit propositum faciendi ipsam, saltem in Purgatorio, nisi pęnitens versetur in probabili periculo mortaliter peccandi, si pœnitentiam sibi impositam non exequatur. Ita Layman. *lib.4.tractat.6.cap.15.num.7.*

Quantum temporis possit pœnitens differre Pœnitentiam?

BRACTEA XI.

R. Posse ipsam per annum differre. Ita Fernandes *in institutione Confessariorum par.1.documt.7. §.2.num.2.*

R. 2. Pœnitentem cui tempus adimplendæ pœnitentiæ præfixum fuit à Confessario debere intrà tempus præfixum pęnitentiam adimplere; alioquin grauiter peccaret valdè diù pęnitentiæ adimpletionem differendo. Ratio est, quia facit contra obligationem in re graui; si verò intrà tempus præfixum pęnitentiam non adimpleuit, tenetur adhuc elapsio eo tẽpore pęnitentiam adimplere; quia tempus nõ fuit præfixum ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandam, & non differendam absque iusta causa, & præceptum cadit directè suprà substantiam operis; in tempus verò tanquam in circumstantiam accidentalem; quod si in honorem festi alicuius imponat, v.g. Confessarius ieiunium, si per impotentiam illius diei à ieiunio pęnitens excusetur, non tenetur postea alio die ieiunare; secus autem si Confessarius præciperet pœnitentibus ieiunium diebus Veneris, vel Sabbati vnius mensis, vel anni, tunc enim, qui aliquo dierum illius temporis non ieiunaret, teneretur in alio, postea die ieiunare. Ita Fagundez *pr.2. lib.9.cap.4.nu.5.* & alij ab ipso citati.

An Confessarius possit imponere satisfactionem arbitrio pœnitentis faciendam?

BRACTEA XII.

R. Posse. Ratio est, quia sicut penitens, qui pęnitẽtias velit facere solum in Purgatorio potest absolui, ita etiam Confessarius potest imponere pęnitentiam faciendam arbitrio pęnitentis; & imponendo talem pęnitentiam commutat pęnam Purgatorij in faciliorem pęnam. Ita Philliucius *tom.1.tract 8 c.2.n.37.* Fagundez *pr.2.lib 9.cap.3.num 11.* Henriquez *lib.5. de penitentia cap.21. num. 5.* Suarez *tom.4. disp. 38.* & plures ab eo citati.

An talis satisfactio possit imponi quidquid hodie, vel hac hebdomada, &c. boni feceris?

BRACTEA XIII.

R. Affirmatiue. Quia non semper requiritur, vt imponat opus particulare; & ita Philliucius *loco cit.num.58.* Fagundez *pr.2.lib.9. cap.4.num.12.* & *13.*

Ratio, quia huiusmodi opera sic imposita cũ sint pęnalia eleuantur ad satisfactionem ex opere operato, pro peccatis in illa confessione manifestatis, quia per huiusmodi iniunctionẽ fiunt pars Sacramenti.

Sciendum verba, quæ à Confessario regulariter dicuntur, quidquid boni egeris, &c. producere plures effectus. Primò supplere ob paruam pęnitentiam impositam cum pro peccatis Confessarius applicet bona ab ipso pęnitente faciẽda. Suppler etiam pro pęna temporali debita in Purgatorio pro peccatis. Ita Reginald. *tom.1.lib.7.cap.3.sect.1.num.23.* Quia cum pęnitentia, quæ imponitur non sit sufficiens ad tollendam pęnam debitam peccatis in Purgatorio, hæc verba supplent iuxta dispositionem eius, cui applicantur.

An opus aliàs præceptum possit imponi pro pœnitentia?

BRACTEA XIV.

R. Affirmative. Ratio, quia opus præceptum est meritorium, & per illud perfici potest Sacramentum. Ita Thurianus *de penit. disp. 37. dub. 2.* Layman. *lib. 5. sect. 6. cap. 15. num. 10.* Villabos *in summa tom. 1. quæst. 8. cap. 2. num. 46.*

Tum etiam, quia quod opera sint præcepta non tollit quominus sint libera; bona, & penalia, & per consequens habeant rationem vindictæ liberè assumptæ pro peccatis, quod satis est, *cap. penitentia dist. 30.* Philiuc. *tract. 8. cap. 2. num. 13.*

An Confessarij possint imponere pænitentias applicandas pro animabus Purgatorij?

BRACTEA XV.

R. Posse. Ratio est, quia in tali opere, quod iniungitur pro penitentia duo sunt. Primo, vt habet effectum ex opere operato; Secundò, vt habet satisfactionem, quæ respondet operi penali ex opere operantis. Primò modo nō posse penitentiam applicari pro animabus, quæ sunt in Purgatorio, quia effectus Sacramenti, ex institutione Christi datur recipienti Sacramentum; Secundò modo posse pro animabus Purgatorij offerri. Ratio, quia hæc non respondet soli recipienti Sacramentum, & satisfactio, quæ est ex opere operantis potest pro altero offerri, & per consequens pro animabus Purgatorij, cum ad Sacramentum penitentiæ solum requiratur fructus ex opere operato, qui conceditur non posse pro alio offerri.

An Confessarius possit imponere pro pœnitentia, vt non sumatur Sacramentum Eucharistiæ?

BRACTEA XVI.

R. Negative. Ratio, quia pro penitentia debet imponi opus penale, meritorium, cum autem non sumere Eucharistiam nullius sit entitatis, nec penalitatis requisitæ ad penitentiam sacramentalem: idcircò Confessarius talem penitentiam non potest imponere. Ita Sancius *in selectis disp. 33.*

An pœnitens satisfactionem sibi impositam possit implere per seipsum?

BRACTEA XVII.

R. Pœnitentem sine voluntate Confessarij non posse adimplere per alium penitentiam; Et ita communiter omnes Theologi; cum voluntate autem Confessarij posse; quia id preceptum pendet ex voluntate Confessarij, ideòque illi satisfit si eius voluntas impleatur. Ita communiter omnes, qui tamen sine iusta causa non debet id concedere: tunc autem quando iustè id concederet, valeret etiam ad satisfaciendum pro illo, pro quo fit ex opere operato; quia semper fieret ex motiuo, & petitione ipsius penitentis, ideoque esset aliquo modo satisfactio ipsius, & pars Sacramenti ab illo suscepti.

An Confessarius possit pœnitentem obligare ad satisfactionem impositam priùs implendam, quam absoluatur?

BRACTEA XVIII.

R. Confessarium nihil tale posse, per se loquendo; quia nullum ius ad id habet, nec iustam causam, dato quod penitens acceptet satisfactionem, nullaque detur sufficiens ratio existimandi, quod non sit illam adimpleturus; si verò loquantur de satisfactione, vt est medicina, aliquando posset, quia tunc pertineret potius ad dispositionem dignam, & esset tantum declaratio obligationis, quam penitens de se habet.

Vtrum pœnitens possit iniunctæ sibi pœnitentiæ satisfacere per susceptionem Indulgentiæ?

BRACTEA XIX.

R. Posse satisfacere, modo re ipsa suscipiat Indulgentiam respōdentem satisfactioni pro penis debitæ. Ratio est, quia si penitēs suscepta Indulgētia tenetur adhuc penitentiā adimplere, maximè vt satisfaciat pene sibi debitæ pro peccatis; sed penæ debitæ pro peccatis satisfecit per susceptionem Indulgentiæ; ergo penitens non tenetur amplius satisfactionem sibi iniunctam adimplere; sicut enim debitor non tenetur soluere creditori debitum, quod sibi condonatum est, & remissum à creditore: ita neque penitens tenetur Deo satisfacere pro pena aliàs debita, cuius remissionem obtinuit per Indulgentias.

An Confessarius possit commutare pœnitentiam pœnitentis datam ab alio Confessario?

BRACTEA XX.

R. Quemlibet Confessarium posse commutare, vel diminuere ex iusta causa penitentiam ab alio Confessore impositam. Ita Reginaldus *lib. 7. num. 88.* Nauarr. *cap. 26. nu. 22.* Vasquez, & alij. Ratio, quia licet Confessarius à Deo potestatem habeat imponendæ penitentiæ, nihilominus ipsum præceptum est humanum, vtpotè ab hominis voluntate pendens; in preceptis autem humanis admittitur dispensatio, præsertim quando adest iusta dispensandi causa; tum etiam quia Confessarij habent eandem auctoritatem circà peccata, sicut autem qui absoluit potest commutare, & diminuere penitentiam: ita & alius Confessarius; absq; verò rationabili causa non potest Confessarius penitentiam commutare; nam sicut ad dispēsationem legum humanarū requiritur iusta causa, ità multò magis iustas, & rationabilis causa requiretur ad commutationem satisfactionis, quæ est pars Sacramenti.

Scien-

Sciendum tamen, pęnitentiam duplicem esse, vnam medicinalem, & præseruatiuam, & alteram satisfactoriam; medicinalis, & præseruatiua est, quæ à Confessario apponitur in ædificationem, & vt pęnitens retrahatur à peccato; satisfactoria est, quæ à Confessario pęnitenti imponitur in satisfactionem pęnæ temporalis debitæ pro peccatis; vnde Confessarius pęnitentiam satisfactoriam potest commutare, & diminuere, vt dictum est.

An Confessarius possit pænitentiam præseruatiuam ab alio Confessario impositam commutare?

BRACTEA XXI.

R. Confessarium non posse regulariter pęnitentiam medicinalem, & præseruatiuam ab alio Confessario impositam commutare, vel diminuere. Ita Suarez *disp. 38. sect. 10. num. 11.* Reginaldus *lib. 7. num. 92.* & alij. Ratio est, quia cum hæc pęnitentia sit imposita in ædificationem, & bonum ipsius pęnitentis per modum medicinæ, quæ non iuuat, nisi accipiatur; vnde permanente eodem morbo non potest commutari, diminui, aut auferri; posita tamen iusta causa posse Confessarium pœnitentiam medicinalem, & præseruatiuam in aliam æquè præseruatiuam commutare; secus autem minimè; & ità Bonacina *de Sacramentis, disp. 5. quæst. 5. sect. 3. pun. 3. num. 5.* & alij.

An Confessarius possit commutare pænitentiam impositam à Superiore?

BRACTEA XXII.

R. Primo posse Confessarium commutare pœnitentiam à Superiore impositam. Ratio est, quia Confessarius potest circà pęnitentem, quod expedit pęnitenti sibi subiecto; cũ ergo aliquando expediat pęnitenti pęnitentiã commutare, sequitur, Confessariũ posse eam commutare, licet fuerit imposita à Superiore.

Et quid si pænitentia fuerit imposita pro Reseruatis?

BRACTEA XXIII.

R. Tunc Confessarium non posse commutare, aut diminuere pęnitentiam impositam à Superiore pro Reseruatis. Ita Nauarrus *cap. 26. num. 21.* Suarez *de pænit. disp. 38. sect. 10 numer. 14.* Valentia, *tom. 4. disp. 7. quæst. 14 pun. 4* Reginaldus *Lib. 7. nu. 91.* & alij plures. Ratio est, quia cum Confessarius non possit ferre iudicium circa peccata reseruata, ità nec etiam potest commutare pęnitentiam pro illis impositam; tum etiam quia sententia pęnalis à Superiore lata à minori iudice non potest commutari, aut diminui.

R. 2. Interueniente vrgentissima causa, seu necessitate, Confessarium inferiore posse commutare pęnitentiam pro reseruatis à Superiore impositam. Ratio est, quia in isto casu Superior præsumitur rationabiliter velle, quod expedit saluti pęnitentis iuxtà fragilem ipsius naturam; si ergo salus, vel fragilis natura pęnitentis postulet, pęnitentiam commutari, consentaneum est, vt commutetur tum etiam quia casus vrgentissimæ necessitatis censetur per Epicheiam exceptus.

An Confessarius possit Pænitentiam extrà Confessionem commutare?

BRACTEA XXIV.

R. Non posse commutare pęnitentiam impositam pęnitenti, nisi audita Confessione peccatorum ipsius, saltem mortalium; Ita Vasquez *quæst 94. art. 2. dub. 3. num. 7.* Reginaldus *lib. 7. num. 42.* Henriquez *lib. 5. cap. 22.* Coninch. *disp. 10 de satisfact. dub. 12.* Syluester *Verbo Confessio quæsito 27.* Ratio est, quia satisfactio Sacramentalis est actus iurisdictionis clauium in foro sacramentali; sequitur ergò pęnitentiam non posse extrà confessionem commutari.

An quando Pænitens oblitus est totius pænitentiæ si ab alio Confessario petit, vt commutetur, teneatur iterum peccata confiteri?

BRACTEA XXV.

R. Teneri saltem peccata mortalia confiteri, si alio Confessario confitetur. Ita Reginaldus *lib. 7 num. 42.* Suarez *disp. 38 sect. 10. n. 8.* Ratio est, quia pęnitentia imponitur, vt sit satisfactoria pro reatu peccati, & per modum iudicij, sed de statu pęnitentis non poterit Confessarius ferre iudicium, & pro peccatis pęnitentiam imponere, nisi cognoscat statum & peccata pęnitentis, sequitur ergo, ipsum obligari repetere Confessionem, si pęnitens oblitus sit totius pęnitentiæ; secus autem si ipsius recordatur. Si verò eidem Confessario confitetur, & supponat ipsum esse memorem peccatorum Cõfessorum, vel pęnitentiæ iam impositæ pro peccatis; non erit necesse repetere confessionem.

An Pænitens possit authoritate propria commutare pænitentiam in opus euidenter melius?

BRACTEA XXVI.

R. Affirmatiue. Ratio, quia sicut quisque potest commutare suum votum in opus euidenter meliùs; ità & etiam pęnitens potest commutare suam pęnitentiam in opus euidenter meliùs, cum eadem sit ratio in precepto orto ex voto, & ex mandato Confessarij. Ita Portela *in Additione ad dubia regularia verbo pænitentia Sacramentalis num. 6.* licet contraria opinio sit satis probabilis.

An sit de integritate Sacramenti, quod pœnitens impleat pœnitentiam in statu gratiæ.

BRACTEA XXVII.

R. Non esse necesse, sed satis esse ad Sacramenti integritatem, & ad implendam obligationem, si impleatur etiam in statu peccati mortalis. Ratio, quia Confessarius tantum præcipit opus non modum, licet non conferat suum effectum remissionis pęnæ, nisi quãdo recedit fictio Philliuc. *tract.8. cap.3.num.57.* & alij.

R. 2. Pęnitentiam sine voluntate Confessarij non posse per alium impleri, & ita communiter omnes. Dixi sine voluntate, &c. quia cum eius voluntate potest, & ita etiam communiter omnes, qui tamen id non debet concedere sine iuxta causa.

MALLEATIO XV.

De effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

An Sacramentum Pœnitentiæ conferat primam Gratiam?

BRACTEA I.

R. Effectum Primarium Sacramenti pœnitentiæ esse conferre primam Gratiam, seu, vt dicitur, Gratiam remissionis, qua Cõfessarius non solum pęnitentem esse absolutũ ostendit, verùm etiam, vt Dei minister, & Vicarius Christi verè absoluit à peccatis. Ita cõmuniter omnes, & est de fide. Ratio, quia hoc Sacramentum institutum fuit, vt sit secunda tabula post naufragium, sed hoc non esset, nisi conferret gratiam remissionis; ergo, &c. Secunda pars propositionis probatur etiam ex verbis Christi, *Quorum remiseritis peccata remittũtur eis*; & similiter *Matthæi cap. 28. Quæcumque solueritis super terram, &c.* Tum etiam, quia solum sunt duæ tabulæ, siuè duo Sacramenta, quæ conferunt primam Gratiam, & conducunt ad salutem post naufragium primi parentis: Baptismus, quo tollitur peccatum originale, & peccata commissa ante Baptismum; & pœnitentia qua tolluntur peccata post Baptismum commissa. Ita S.Thomas *3. parte quæst. 84. art.3.* Vasquez ibidem *dub. 2. numer.12.* Valentia *tom.4. disp.7. quæst.1. pun.3.* & alij plures.

Sciendum est ad absolutionem peccatorum concurrere Deum, & Confessarium, concurrit Deus, vt causa principalis, Confessarius verò; vt causa instrumentalis, & ministerialis vndè quando dicit. Ego te absoluo concurrit principaliter Deus in quantum eius proprium est absoluere, conferre gratiam, & remittere peccata, & minùs principaliter concurrit Confessarius in quantum habet auctoritatem à Deo conferendi hanc gratiam, & dimittendi peccata tanquam eius minister.

An Sacramentum Pœnitentiæ possit remittere omnia peccata mortalia?

BRACTEA II.

R. Sacramentum Pœnitentiæ esse sufficiens ad delenda omnia peccata mortalia, licet grauia, & enormia, quoties pœnitens suscipit hoc Sacramentum, hæc propositio est de fide, & ita S.Thomas *quæst.86. num.1.* Valentia *tom.4. disp.7. quæst.3. pun.1.* Suarez *disp.8. sect.1.* Coninch. *disp.2. de pœnit. dub.1. num.7.* & alij. Ratio colligitur ex verbis Christi, quibus concessit facultatem absoluendi. Quorum remiserit peccata remittuntur eis; tum etiam ex verbis Ezechiel. 18. Quoties ingemuerit peccator omnium iniquitatum eius nõ recordabor amplius; & ex illo Psalmi, Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies; & ex illo Matthæi 23. Non dico tibi septies, sed vsque septuages septies; tum quia quotiescunque pęnitentia applicatur non est minoris virtutis, & efficaciæ vltima vice quam antea; cum ergo antea sufficiens esset ad delenda peccata sequitur, pœnitentiam quotiescunque applicetur, sufficientem esse ad delenda peccata toties, quoties homo peccauerit.

An Sacramentum Pœnitentiæ possit remittere vnum peccatum mortale sine alio?

BRACTEA III.

R. Negative non solum de potentia Dei ordinaria, verùm etiam absoluta. Ratio est, quia peccator non iustificatur sine receptione Gratiæ habitualis. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia peccatum, vel remittitur per cõtritionẽ, vel per actũ amoris Dei super omnia, & eodem modo non potest esse cum illo aliquod mortale, quia qui in vno offendit factus est omnium reus, quantum ad priuationem amoris, vel per attritionem cum sacramento, & tunc sunt etiam annexa, quoad remissionem cum gratia sanctificãte; quæ non potest secum compati vnum mortale; tunc etiam quia gratia habitualis formaliter, ita opponitur omnibus peccatis mortalibus, vt cum omnibus omninò sit incompossibilis cum primarius peccati mortalis effectus sit efficere hominem inimicum Dei, & filium Diaboli, &c. primarius verò effectus gratiæ sit facere amicum Dei, filium Dei, & hæredem gloriæ; implicat autem esse amicum Dei, & eius inimicum, esse filium Dei, & filium Diaboli, esse hæredem gloriæ æternæ, & dignum æterna pena; cum ergo Deus non possit huiusmodi effectus primarios peccati, & gratię impedire sequitur vnum peccatum mortale non posse remitti sine alio. Ita S.Thomas *3. parte quæst. 86. art.3.* Sotus *dist.14. quæst.1. art.1.* Valentia *tom.3. disput.7. quæst.3. pun.3.* Caietanus *1.2. quæst. 113. art.3.* Henriquez *lib.4. cap.13. num.4.* Zerola *de pęnitentia cap.10. quæsito 16.*



An

An Pœnitentia deleat tantum peccata confessa, an etiam oblita, & omissa ex causa excusante?

BRACTEA IV.

R. Per se, & directè tantum delere peccata confessa, quia absolutio, & sententia iudicialis tantum cadit in accusationem factam per accidens tamen, & indirectè ratione gratiæ, quæ vi Sacramenti infunditur, etiam delentur oblita, sed semper remanet obligatio illa subiiciendi clauibus, vt deleantur directè & per se. Ita Henriquez *cap.13.§.8.* & alij.

Vtrum per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur enim venialia?

BRACTEA V.

Sciendum, vt suprà dictum est, duplicem esse materiam remotam Sacramenti pœnitentiæ, vnam necessariam, & alteram sufficientem; Peccatum mortale non aliàs confessum esse materiam necessariam: Peccatum mortale iam aliàs confessum, & peccatum veniale esse materiam sufficientem: Quo posito.

R. Remissionem venialium esse beneficium Gratiæ, nec posse viribus naturæ comparari sine auxilio Dei gratuito, quod probatur ex pluribus locis scripturæ: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, Fidelis Deus, &c. vt remittat nobis peccata nostra, sic etiã in oratione Dominica generatim dicimus, *Dimitte* nobis debita nostra, &c. Ratio est, quia peccatum veniale est aliqua iniuria facta Deo pro qua viribus naturæ homo non potest dignè satisfacere.

R.2. Remissionem venialis. Peccati supponere in subiecto gratiam sanctificantem, quæ vel tunc fiat, vt cum quis iustificatur per Sacramenta, vel extra, per contritionem, vel quæ præcesserit remaneat quando remittũtur. Ita S.Thomas *qu.86.art.4.* Palludanus *distinc.16. qu.1. art.1.* Sotus *dist.15. qu 2. art.4. & est communis Doctorum sententia.* Ratio est, quia nullum actũ inimici Deus acceptat ad fructum spiritualem cuiusmodi, est etiam remissio peccati venialis.

R.3. Peccata venialia per Sacramentum pœnitentiæ remitti. Ita omnes Doctores communiter. Ratio, quia peccata venialia sunt materia sufficiens Sacramenti pœnitentiæ; Ergo per ipsum remittuntur.

R.4. Non modo per Sacramentum penitentiæ remitti peccata venialia, verum etiam per quodlibet aliud Sacramentum. Ita S.Thom. *3. parte quæst.87. art.3.* Valentia *tom.4.disp.7. quæst.4. pun.1.* Suarez *disp.12.sect.1.num.3.* Sotus *distinct.15. quæst.2.num.3.* & alij. Ratio est, quia ad recipienda dignè sacrameata requiritur saltem. Attritio, ex qua obtinetur remissio peccatorũ venialium, sequitur quod si quis cum attritione suscipit sacramenta obtineat remissionẽ peccatorum venialium. Ita Auctores citati.

An peccata venialia remittantur per Sacramentalia?

BRACTEA VI.

R. Peccata venialia non modo remitti per sacramenta, verum etiam per sacramẽtalia. Ita Valentia loco citato, Nugnus *3. part.quæst.87.num.3.diffic.1.* & alij.

Sciendum per Sacramentalia intelligi ceremonias, seù res sacras ad sacrificium, seù cultum diuinum, & sacramentum ordinatas, quorum sunt tres effectus principaliores; Primus auxilium, seù motus gratiæ; Secundò remissio culpæ venialis; Tertius remissio alicuius pœnæ temporalis peccatis debitæ.

Sciendum Sacramentalia hoc carmine contineri.

Orans, tinctus, edens, Confessio dans, benedicens.

Per verbum Orans intelligitur Oratio Dominicalis, per verbum Tinctus intelligitur aqua benedicta, per verbum Edens Eucharistia, per verbum Confessio non modo intelligitur Confessio Sacramentalis, verum etiam non sacramentalis, per verbum Dans intelligitur opera misericordiæ spiritualia, & corporalia, per verbũ Benedicens intelligitur Benedictio, quam Episcopus, & Abas benedictus impendit.

Non-Sed edens Eulogi

An Sacramentalia remittant venialia ex opere operato?

BRACTEA VII.

R. Sacramemtalia non remittere peccata venialia ex opere operato, sed ex opere operantis. Ita Suarez *dist.14.sect.1.n.14.* Vasquez *de pænit.quæst.87.art 3. num.9.* S. Bonauentura *in 4. dist.21.art.1. quæst.2.* Zerola *cap.2. de pænit. quæst.19.* Pezantius *3.par. quæst.87. art.3. disp.1.* Coninchus *quæst.71.art.3.num.28.* & alij. Ratio est, quia non remittunt peccata per gratiam habitualem cũ hæc sit propria Sacramenti pœnitentiæ, sed quatenus mouent voluntatem ad eliciendum actum amoris, vel contritionis, quod est conferre gratiam ex opere operantis in quantum ab actu amoris, vel contritionis disponitur subiectum ad gratiam, & remissionem peccatorum venialium. Ita auctores citati.

Sciendum meritum, seù efficaciam sacramentalium actionum, seù rerum fundari, vel in promissione Christi illis verbis *Dimitte nobis debita nostra*, & similiter meritum eleemosinæ aliquando fundari in meritis, seù oratione Ecclesiæ, quæ habet vim impetrandi, vt sacramentalia vim habeant impetrandi. D. Auxiliũ, quo homo excitetur ad actus amoris, &c. quibus remittuntur peccata venialia, & quia hęc nõ remittũtur, nisi iuxta dispositionẽ suscipientis, hinc est, quod nõ ex opere operato, sed solum ex opere operantis remittant venialia.

An contritio deleat omnia peccata venialia?

BRACTEA VIII.

R. Quamcunque contritione delere omnia illa venialia, de quibus habetur; vnde si sit

sit vniuersalis de omnibus venialibus, delet omnia peccata venialia; secus autem non. Ita D. Thomas *quæst.* 86. *art.* 1. Caietanus *ibidem*, & alij.

Sciendum contritionem duplicem esse, vnã vniuersalem, & alteram particularẽ; contritio vniuersalis est, qua quis detestatur omnia peccata simul; Contritio particularis est, quã quis detestatur aliqua peccata venialia, sed non omnia, ad remissionem omnium peccatorum venialium requiritur contritio vniuersalis. Ratio est, quia particularis non habet oppositionem cum omnibus peccatis, sicut oppositionem habet contritio vniuersalis, & sicut contritio vniuersalis omnium mortalium omnia peccata delet, ità & etiam contritio vniuersalis delebit omnia peccata venialia.

An peccata venialia possint remitti per actum dilectionis?

BRACTEA IX.

R. Affirmative. Ita Suarez *disp.* 11 *sess.* 3. *n.* 8. Vasquez *quæst* 89. *art.* 1. *dub.* 1. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 15. *nu.* 5. Caietanus 3. *par. quæst.* 87. *art.* 1. & alij communiter. Ratio est, quia per actum dilectionis deletur peccatum mortale; ergo etiam veniale.


Sciendũ q̃ si actus amoris sit perfectus, & extẽdatur ad omnia peccata venialia saltem virtualiter delebit omnia ipsa peccata per modum dispositionis sufficientis, & proportionatæ ad talem remissionem, si ad aliqua tantum, illa sola delebit. Dixi, si actus amoris sit perfectus, vt aduerterem, solum remitti peccata venialia per perfectum actum amoris, qui sit incompossibilis cum ipsis peccatis venialibus, qualis actus est, velle placere Deo etiam in minimis; aut detestari venialia, vt sunt leuis offensa Dei, &c.

R. 2. Per actus aliarum virtutum non remitti peccata venialia. Ita Vasquez *quæst.* 87. *dub.* 1. Sotus *de pœnit. sect.* 19. & alij. Ratio est, quia nullus actus remittit peccata venialia, nisi cum ipsis habeat oppositionem, sed nullus alius habet oppositionem cum peccatis venialibus; ergo, &c.

An peccata venialia remittantur per quemcunque alium actum meritorium?

BRACTEA X.

R. Non deleri per quodlibet opus meritoriũ hominis iusti. Ratio est, quia non quodlibet opus meritoriũ habet oppositionem cum peccatis venialibus, cum opus meritoriũ simul fieri possit, dum committitur aliquod peccatum veniale; ergo, &c. Ita Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 4. Vasquez *loco citato, &c.*



Vtrum vnum peccatum veniale possit remitti absque alio, & peccatum mortale sine veniali, vel è contra?

BRACTEA XI.

R. Per actum contritionis vniuersalem remitti omnia peccata venialia, vt dictum est, seu etiam per actum amoris perfectum, & similiter per sacramenta, & sacramentalia. Ita S. Thomas *quæst.* 83. *art.* 1. Vasquez *quæst.* 87. *art.* 1. Suarez *disp.* 11 *sess.* 3. & alij. Ratio est, quia habent oppositionem cum omnibus peccatis venialibus ipsaque vniuersaliter detestantur.

R. 2. Nullo modo remitti peccatum veniale, quin etiam remittatur mortale regulariter. Ita D. Thomas 3. *par. quæst.* 87. *num.* 4. Vasquez *ibidem dub* 2. *nu.* 16. Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *quæst.* 3. *pun.* 3. Ratio est, quia peccatum non remittitur nisi per infusionem gratiæ, quæ est incompossibilis cum peccatis mortalibus: sequitur igitur, quod remissis peccatis venialibus remittantur etiam peccata mortalia.

Sciendum, quod licet ad remissionem peccatorum mortalium, requiratur gratia, quæ expellat ipsum peccatum, vt incompatibilia simul, tamen ad remissionem peccatorum venialium non requiritur gratia, quæ expellat ipsum peccatum, quia gratia cum peccato veniali est compatibilis, vt patet in homine iusto habente sola venialia.

R. 3. De potentia Dei absoluta posse peccata venialia remitti absq; remissione mortalium. Ratio est, quia Deus posset peccatori elicienti actum cõtritionis incompossibilem cum venialibus denegare gratiam, consequenter per talem actum contritionis delerentur peccata venialia, vtpotè incõpossibilia cum tali actu, non verò delerentur mortalia, quia peccata mortalia licet dispositiuè, & mediatè deleantur per actus charitatis, nihilominus formaliter delentur solum per gratiam, quam in tali casu supponimus denegari, & sine qua peccata mortalia deleri non possunt, cum omnis priuatio debeat excludi per formam oppositã. Ita Bonacina *de sacramen. disp.* 5. *quæst.* 6. *sect.* 2. *pun.* 4. & alij.

R. 4. Peccata mortalia posse remitti absque remissione peccatorum venialium. Ita auctores citati. Ratio est, quia detestatio, quæ requiritur ad peccata mortalia non opponitur peccatis venialibus, quæ sunt leuis offensa Dei; ergo potest quis detestari peccata mortalia non detestando venialia, & consequenter illa possunt remitti sine istis.

An Sacramentum pœnitentiæ deleat peccata non solum quoad culpam, sed etiam quoad reatum pœnæ?

BRACTEA XII.

R. Sacramentum pœnitentiæ non solum delere peccata quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ, sed etiam temporalis. Ita Henriquez *lib.* 4. *de pęnitentia cap.* 14. Medina *tract.* 1. *quæst.* 7. *art.* 2. & alij. Ratio est, quia vt docet D. Paulus, per pęnitentiam fit homo ex iniusto iustus, & ami-

& animus Dei; sed iustus, & amicus Dei non fieret, nisi remitteretur peccatum quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ; sequitur ergo per Sacramentum peccatum remitti, & quoad culpam, & quoad reatum pęnæ æternæ; & patet, quia amicitia, & iustitia consistit in gratia habituali, quæ cum culpa nullo modo potest subsistere; deinde si filius fit amicus Dei per pęnitentiam fit etiam hæres, & cohæres Christi, sed hoc etiam non potest subsistere si non deleretur peccatum quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ; Ergo, &c.

Sciendum, in peccato duo esse, culpam, & reatum; qui etiam duplex est, vnus pęnæ æternæ, alter verò temporalis. Per absolutionē remittitur peccatum quoad culpā, & reatum pęnæ æternæ, & etiam secundum aliquam partem remittitur reatum pęnæ temporalis, iuxtà proportionem contritionis, & per satisfactionem conuenientem, aut saltem per alia opera meritoria. Et quia non sunt condigna, seù proportionata offensæ Dei hinc est, quod reatus pęnæ temporalis secundum aliquam partem remittatur, & secundum aliam remaneat purgandus in Purgatorio.

Sciendum 2. fundamentum reatus pœnæ æternæ esse culpam peccati mortalis non deletam; fundamentum verò reatus pęnæ temporalis esse culpam peccati mortalis deletam, & pro qua nondum est satisfactum, vel culpa peccati venialis.

An quoties remittitur culpam, & pœna æterna, semper remittatur aliquid pœnæ temporalis?

BRACTEA XIII.

R. Non semper remitti reatum pęnę temporalis, licet pęna æterna in temporalem commutetur. Ita S. Thomas 3. *parte quæst.* 86. *art.*4 Suarez *disp.*10.*sect.*3.*num.*5. Ratio est, quia sic colligitur ex Concilio Tridentino *sess.*6.*cap.* 14. vbi habetur, in Sacramento pęnitentiæ iniungi satisfactionem non pro pęna æterna, quę simul cum culpa remittitur per Sacramentum, vel Sacramēti votum, sed pro pęna temporali; ergo pęna temporalis non semper remittitur remisso peccato mortali quoad culpam, & pęnam æternam, cum non tollatur reatus pęnæ temporalis, nisi homo plenè satisfecerit.

An pœna temporalis, quæ remittitur in Sacramento sit æqualis?

BRACTEA XIV.

R. Non esse æqualem, sed iuxtà proportionem contritionis esse maiorem, vel minorem. Ita S. Thomas *quæst.* 86. *art.*4. Henriquez *lib.*34.*cap.* 19.*num.*1. Suarez *de pęnit. disp.*10.*sect.*3. *n.*7. & alij. Ratio est, tum quia recta ratio dictat, vt qui maiorem habet contritionem, maiorē etiam pęnę remissionem obtineat; tum quia sicut magis disposito maior gratia infunditur, ita magis disposito per contritionem, maior pęnæ quantitas videtur relaxari; immò vt dictum est contritio potest esse tanta, vt totam pęnam exhauriat, & auferat.

An Sacramentum pœnitentiæ fictè sumptum producat suum effectum?

BRACTEA XV.

Sciendum est, Sacramentum pęnitentiæ dupliciter posse à pęnitente suscipi; Primò verè, & realiter; Secundò fictè. Suscipitur verè, & realiter quando recipitur cum dispositionibus requisitis, nimirum cum contritione, vel cum attritione supernaturali, & vt sic dicitur pęnitens suscipere Sacramentum formatū, tum quia formatur charitate, & gratia; tum etiam, quia perficitur suo effectu, nimirum remissione peccatorum, quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ.

Suscipitur fictè, quando in suscipiente non ex malitia, sed ex ignorantia, aut inaduertentia datur aliquis defectus in dispositione accidentali; vt si putaret se esse attritum attritione supernaturali, & sufficienti, & solum esset attritus attritione naturali, & non sufficienti; quod Sacramentum dicitur informe, quia est sine charitate, & gratia, & caret suo effectu, tàm quoad culpam, quàm quoad reatum pęnę.

An recedente fictione producat suum effectum?

BRACTEA XVI.

R. Sacramentum Pœnitentiæ informe recedente fictione producere suum effectum, & quoad culpam, & quoad reatum pęnæ. Ita Valentia *tom.*4.*disp.*7.*quæst.*11.*pun.*2. Suarez *disp.*20.*sess.*5. *num.*14. & alij. Ratio est, quia peccata manifestata in Sacramento informi remittenda sunt per aliquod Sacramentum pęnitentiæ; sed non remittuntur per aliud, quam per ipsummet Sacramentum informe susceptum; ergo, &c. Ratio, quia pęnitens nō tenetur peccata in tali confessione manifestata iterum confiteri; ergo remittuntur per ipsum Sacramentum informe posita noua dispositione necessaria ad fructum.

Sciendum ad validandum Sacramentum Pœnitentiæ informæ respectu attritionis, seù doloris requisiti requiri, quod eliciatur nouus actus attritionis supernaturalis, dummodò post susceptum Sacramentum pęnitentiæ, non sit commissum peccatum mortale; quia si commissum fuerit, actus attritionis supernaturalis, qui denuò elicietur, non potest continuari, & coniungi cum Sacramento Pęnitentiæ informi ad validandum ipsum ad hoc, vt producat suum effectum, respectu peccati mortalis intermedij inter Sacramentum pœnitentiæ informe, & nouum actum attritionis elicitum; sed ad producendum effectum remissionis requiritur nouum Sacramentum formatum, vel contritio cum confessione in voto. Ita Henriquez *de pęnitent. lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 3. Suarez *disp.* 20. *sess.*5. *num.* 15. & alij.

De secundo effectu Sacramenti Pœnitentiæ.

An Pænitentia restituat hominem in primam dignitatem virtutum infusarum?

BRACTEA XVII.

R. Affirmative; restituere virtutes infusas, quę ita connexæ sunt cum gratia, vt ab ipsa separari nō possint; quia ipsam gratiam sequuntur, & simul cum ea amittuntur, & beneficio Sacramenti pęnitentiæ recuperantur iuxtà gradum gratiæ respondentem. Ita S. Thomas *quæst.*89.*art.*1. *&* 2. Valentia *tom.*4.*disp.*7. *quæst.*6.*pun.*1. Suarez 3.*part.quæst.*89. & alij. Ratio est, quia sicut pœnitentia restituit gratiam, ita & etiam eas virtutes, quæ habent cum ipsa connexionem, iuxta illam regulam accessoriū sequitur suum principale; tum etiam quia gratia non est minor efficaciæ, quam peccatum, & sicut per peccatum amittuntur virtutes infusæ, ita, & etiam per Sacramentum denuò acquiruntur.

An Opera mortificata reuiuiscant per Pænitentiam?

BRACTEA XVIII.

R. Affirmative; & ita communiter omnes Doctores, tum etiam probatur ex pluribus scripturæ locis a varijs Auctoribus citatis, & ex Concilio Tridentino *sess.*6.*cap.*16. Probatur etiam ratione, quia merita reuiuiscere nihil aliud est, quam in eo statu poni, vt si in eo moriatur homo consequatur eorum præmium; sed hoc fit per pęnitentiam, quia per eam præcedens meritum reponitur in tali statu, vt habeat omnes conditiones requisitas ad suum præmium, tum etiam quia sublata causa cessat effectus, sed causa propter quam bona opera remanebant mortificata fuit peccatum illis superueniens; ergo sublato peccato iterum incipiunt valere.

Sciendum bona opera esse in triplici differentia. Prima dicuntur opera mortua, quia carent gratia, vt sunt opera moraliter bona facta in peccato mortali, quæ dicuntur opera mortua priuatiuè. Secunda dicuntur opera mortua effectiuè, quia spiritualiter interficiūt animam, priuando ipsam gratia, quæ est anima ipsius, & hæc sunt peccata mortalia. Tertia dicuntur mortificata, & hæc sunt bona opera præstita ab homine in statu gratiæ, quæ postea mortificātur per subsequens peccatum mortale, de quibus dictum est reuiuiscere per Sacramentum pęnitentiæ. De operibus secundi generis inter omnes constat, huiusmodi opera traducere ad mortem, & ad æternam damnationem, iuxta illud Apostoli *ad Roman.*6. Stipendia peccati mors.



An Opera mortua reuiuiscant per Sacramentum pænitentiæ?

BRACTEA XIX.

R. Opera mortua priuatiuè, quia priuant hominem gratia, & amicitia Dei non reuiuiscere, nec fieri meritoria per subsequens Sacramentum pęnitentiæ. Ita S. Thomas 3. *part. quæst.*89. *art.*6. Vasquez *ibidem*, Nugnus *ibidem*, Suarez *ibidem*, Henriquez *lib.*4.*cap.*16. *num.*4. Coninchus *de pęnitentia dub.*20.*num.*178. Valentia *tom.*4. *disp.*7. *quæst.*6.*pun.*3. & alij communiter. Ratio est, quia reuiuiscere est remoto impedimento recipere priorem vitam, & valorem, quem habuerunt opera, quando facta sunt, & quia opera mortua priuatiuè, nunquam habuerunt gratiam, & meritum, idcircò non possunt reuiuiscere.

An gratia per peccatum amissa, restituatur per Sacramentum Pænitentiæ?

BRACTEA XX.

R. Per Sacramentum Pęnitentiæ non modo restitui nouam gratiam; verùm etiam restitui totam gratiam præcedentem, quæ præcedentibus meritis respondebat. Ratio primę partis est, quia homo per Sacramentum Pęnitentię iustificatur, & recipit gratiam remissionis. Ratio secundæ partis est, quia opera mortificata reuiuiscunt per ipsum Sacramentum; vnde sequitur reuiuiscentibus operibus, seù meritis reuiuiscere, & recuperari gratiam illis operibus, seù meritis respondentem. Ita Vasquez *cap.*89.*art.*5.*dub.*3.*num.*7. Zerola *cap.*2.*quæst.*24. & alij apud Henriquez *cap.*33. *num.*8.

An homo per Sacramentum pænitentiæ resurgat ad maiorem gratiam?

BRACTEA XXI.

R. Affirmative; & ratio colligitur ex supradictis, nam in primis semper accipit nouam gratiam per Sacramentum pęnitentię, & deinde recipit totum cumulū gratiæ, quam antea habebat; ergo semper resurgit cum maiori gratia, hinc est, vt etiam qui resurgit à peccato habiturus sit maius præmium essentiale meritorum, quam habuisset ante peccatum; nam & habebit illud, quod correspondet contritioni, & præterea integrum præmium correspondens prioribus meritis.

An Opera mortificata reuiuiscant, quoad totum præmium essentiale?

BRACTEA XXII.

R. Redire secundum primum valorem essentialem. Ita Sotus *dist.*22. *quæst.*1. *art.*2. Ricardus *dist.*14. *art.*8. *quæst.*2. Medina *quæst.*8. & alij citati à Suarez *sess.*2.*num.*17. Ratio est, quia ex Concilio Trident. *sess.*6.*cap.*16. Omnibus meritis

ritis de condigno redditur infallibiliter essentiale premium, si homo in gratia discedat; ergò nō potest fieri, vt homo discedat in gratia, & non consequatur totum premium essentiale, quod aliquando meruit, cum per remissionem peccati mortalis semper viuificentur integrè merita omnia.

An peccata per pœnitentiam dimissa redeant quando quis de nono peccat?

BRACTEA XXIII.

R. Peccata dimissa per Sacramentum non redire quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ, aut temporalis. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia per penitentiam, & gratiam fuerunt extincta; quod autem est extinctum naturaliter non reuiuiscit; tum quia fuerunt absolutè, & sine conditione remissa: non autem cum conditione pendente à futuro euentu.

R. 2. Secundum quid, & imperfectè dici redire, Primò quia redeunt secundum communem rationem peccatorum; nempè secundum auersionem à Deo, & priuationem gratiæ. Secundò ratione pœnæ, quæ ob ingratitudinem accepti beneficij grauior erit. Tertiò ratione circumstantię ipsius ingratitudinis, quia denuò peccando quasi contemnitur susceptum anteà penitentiæ beneficium, quæ quidem circumstantia reincidētię aperiēda est in confessione.

Sciendum tamen duplicem esse ingratitudinem; vna dicitur circumstantia, seu conditio generalis peccatorum commissorum post remissionem aliorum, & dicitur ingratitudo materialis, & est circumstantia aggrauans; altera dicitur ingratitudo specialis, seu speciale peccatum ingratitudinis, quod contingere consueuit quoties peccator eo animo committit peccatum, vt vilipendatur beneficium acceptum in remissione peccatorum priorum, & hæc specialis ingratitudo specialem habet malitiam, & est grauior ingratitudine materiali, & est necessariò explicanda in confessione.

De tertio effectu Sacramenti Pœnitentiæ nimirum de Sigillo.

Quomodo Confessarius, & quo iure teneatur ad Sigillum?

BRACTEA XXIV.

Sciendum 1. Sigillum confessionis nihil aliud esse, nisi obligationem reticendi audita in confessione; & hæc obligatio dicitur sigillum, quia sicuti ea, quæ in litteris sigillo munitis continentur, non licet directè, nec indirectè manifestare voce, nec signis: ita neque manifestari possunt directè, aut indirectè audita in confessione, cum ad id obliget virtus religionis, supposita institutione Sacramenti ob eius reuerentiam.

Sciendum 2. Confessarium teneri ad sigillum Confessionis non modo de iure humano verum etiam de iure naturæ, & Diuino, & patet de iure Diuino quia Deus remittendo peccata ea tegit, iuxta illud Psalmi Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Secundò de iure naturæ, quia manifestata sub secreto iuris naturæ non sunt manifestanda, cum lex naturalis obliget ad seruandum secretum circà famam proximi. Tertiò etiam de iure positiuo, vt patet ex capite omnis vtriusque sexus de penitentijs, & remissionibus, vbi strictissimè iubetur hoc sigillum sub varijs pœnis. Quo posito.

R. Confessarium teneri ad sigillum confessionis iure naturæ, Diuino, & humano. Ita communiter omnes Doctores. Obligatur iure naturæ, & Diuino, cum vices Dei gerat, & iure Ecclesiastico, vt colligitur ex cap. citato. Omnis vtriusque sexus, &c.

Ex qua Confessione oriatur obligatio Sigilli?

BRACTEA XXV.

R. Oriri ex confessione Sacramentali perfecta, vel inchoata facta Sacerdoti verò, vel ita existimato.

Dixi 1. Ex confessione, quia talis obligatio oritur ex Sacramento, & illi soli connexum est, debet autem esse Sacramentalis, quia ex ea, quæ fieret scienter laico, vel Clerico non Sacerdoti, etiam in necessitate, non oritur hæc obligatio, sed solius secreti naturalis, quia nulla talis esset sacramentalis, cum verum Sacramentum non perficiatur.

Dixi 2. Perfecta, vel incohata, quia ex hac etiam oriretur obligatio sigilli.

Dixi 3. Sacerdoti verò, vel ita existimato ad includendum primò eam cōfessionem, quæ fieret Sacerdoti, qui fingeret se Sacerdotem, cum tamen reuera non esset; nam propter iniuriam, quæ fieret penitenti, qui bona fide cōfitetur, Sacrilegus esset eam reuelans. Secundò, vt comprehenderem eam, quæ fieret Sacerdoti non habenti iurisdictionem, & quidem si vterque sit in bona fide non videtur dubium, si penitens solus etiam videtur Sacramētalis, quia est talis saltem ex intentione, & si vterq; sit in mala fide oritur solum obligatio secreti naturalis, ex quibus sequitur per confessionem factam ficte, v. g. ad furandum, illudendum, vel Sacerdotem peruertendum non induci obligationem sigilli, etiamsi etiam in isto casu adhuc prudenter tacendum sit. Nec etiam induci, si quis extra confessionem accipiat aliquid sub sigillo confessionis, quia tantum est obligatio secreti naturalis. Herman. Busebaus *lib. 6. tract. 4. num. 2.*

Quænam cadant sub sigillum Confessionis?

BRACTEA XXVI.

R. Ea omnia cadere, quæ pœnitens manifestat in ordine ad confessionem. Ita Vasquez *quæst. 93. art. 4. dub. 2. num. 6.* Suarez *disp. 33. sect. 2.* Henriquez *lib. 6. cap. 19. num. 8.* & alij. Ratio est, quia si quæ manifestarentur eorum, quæ dicta sunt in confessione redderetur ipsa confessio odiosa, & Confessarius censeretur sacrilegus sigilli violator.

Sciendum quod quando aliqua extrà Sacramentum

mentum pęnitentiæ manifestantur, etiamsi dicantur dici sub confessione non gaudere priuilegio sigilli confessionis, quia vt dictum est obligatio sigilli oritur à manifestatione peccatorum facta in ordine ad confessionem sacramentalem; & illa protestatio, seu allocutio, qua quis dicit se manifestare sub sigillo confessionis non efficit confessionem sacramentalem, gaudere tamen priuilegio secreti naturalis. Ita Vasquez *loco citato dub.2.num.13.* Graffius *1.part.lib.1.cap.23.num.26.* & alij.

Sciendum 2. quod vt suprà dictum est, licet aliqua iusta causa Confessarius non absoluerit pœnitentem, tamen teneri sub sigillo reticere ea, quæ in tali confessione audiuit cum fuerint dicta in ordine ad confessionem sacramentalem.

Sciendum 3. non modo peccatum cadere sub sigillo, sed propositū etiam committendi ipsum peccatum per confessionem cognitum, dummodo in ordine ad confessionem sacramentalem animo se accusandi fuerit dictum, quod si fuerit animo non se accusandi coram Deo, sed peruertendi Confessarium, & ipsum alliciendi ad aliquod malum perpetrandum, tunc non gaudere sigillo confessionis, cum tale dictum non censetur materia confessionis. Ita Sotus *in 4.dist.18 quæst.4.art.5.* Henriqu. *cap.21.num.3.*

Vnde qui in confessione animo se accusandi audiuit aliquam conspirationem, siuè in Ciuitate obsessa aliquam intelligentiam cum ijs, qui sunt foris, vel aliud simile sub sigillo debere teneri, quia cum fuerit dictum in ordine ad confessionem censetur materia eiusdem, secus verò si non fuerit dictum in ordine ad confessionem, & non animo se accusandi, sed solum ea manifestandi Confessario.

An verò Confessarius possit obligare pęnitentem, qui animo se confitendi talia manifestat ad denunciandum foro sæculari, & si nolit denegare illi beneficium absolutionis; Respondeo negatiuè. Ratio est, quia confessio redderetur odiosa tali obligatione, & ab ipsa inciperet inquisitio fiscalis; quod si dicatur, Confessarium obligari, obligare mulierem, quæ fuit sollicitata à Confessario, vt ipsum denunciet Inquisitori, aut si nolit, denegare illi beneficium absolutionis. Respondeo casus esse diuersos; nam Confessarius, qui sollicitat mulierem in confessione abutitur Sacramento, & contra ipsum committit peccatum, & consequenter non potest gaudere priuilegio sigilli; at verò qui in confessione manifestat conspirationes, seu intelligentias cum inimicis non abutitur Sacramento, neque contrà ipsum peccat, & per consequens non posse obligari contra sigillum, &c.

Quæ personæ teneantur ad sigillum?

BRACTEA XXVII.

R. Non modo Confessarium obligari ad sigillum, verumetiam omnes, qui aliquid norunt ratione confessionis. Ita Henriquez *lib.6.cap.20.* Reginaldus *lib.3. num.35.* Suarez *disp.33.sect.4.* Vasquez *quæst.93.num.13.* Ratio est, quia sicut manifestata in confessione cadunt sub sigillo, ita tenentur seruare sigillum omnes, qui aliquid norunt ratione confessionis.

Sciendum obligari ad sigillum confessionis. Primò Confessarios, quibus peccata manifestantur. Secundò obligantur Superiores, quibus Confessarij aliquid auditum in confessione aperuerunt, vt facultatem haberent absoluendi à reseruatis. Ita Nauarrus *cap. Sacerdos de pœnit.dist.6.num.105.* Reginaldus *lib.3 nu.25.* Vasquez *de pęnit. quæst.93. art.4. dub.2.num.10.* & alij. Tertiò obligantur etiam Interpretes, quibus vtuntur pœnitentes ad manifestanda peccata, quia sicut concurrunt in confessione sacramentali, ita etiam, vt Confessarij obligantur ad sigillum. Ita Vasquez *dub.2.num.2.* Reginaldus *lib.3. nu. 26.* Suarez *disp.33. sect.4.* Quartò obligantur etiam ad sigillum, qui ex malitia, vel casu aliquod audierunt peccatum in confessione, vel aliquid à Confessario alta voce loquente, dum alicuius audiebat confessionem. Ita Vasquez *quæst.93. art.3. dub.2.* & alij. Similiter obligatur ad secretum, qui inuenit chartam, in qua descripta erant peccata in ordine ad confessionem faciendam, qui licet non obligetur ratione sigilli confessionis, obligatur tamen ratione secreti naturalis. Ita Nauarrus *c.18.n.34.* Sotus *dist.18.quæst.4.ar.5.* Sayrus *de pęnit.cap.26.* & alij.

An Confessarius Parochus possit à matrimonio repellere, quos in confessione nouit habere impedimentum?

BRACTEA XXVIII.

R. Negative. Ratio, quia quod in confessione scitur est tamquam si nesciretur, tamen eos admonere tenetur, si commodè potest, vt à matrimonio desistant, si pęnitus certus sit de impedimento. Ita Sanchez *lib.3. de matrim.disp.16.* Hieronymus Onufrius *de sacro sigillo sect.4.quæst.7.dub.4.* Sayrus *de pęnit.cap.32. num.10.* & alij.

An sigillum seruandum sit cum ipso Pœnitente?

BRACTEA XXIX.

R. Cum Pęnitente non licere loqui de rebus in confessione auditis, nisi de licentia ipsius. Ita plures Doctores. Ratio est, quia contrarium esset valdè onerosum pęnitenti, & afficeretur pudore à Confessore, idque redundaret in iniuriam Sacramenti.

An Confessarius qui in confessione nouit aliquam proditionem Ciuitatis posit in genere Gubernatorem illius admonere, vt inuigilet?

BRACTEA XXX.

R. Posse in genere admonere illius Gubernatorem, dummodo non adsit periculum reuelationis Auctoris. Quod tamen intelligendum est modo Confessarius non possit retrahere delinquentem à tali peccato; quod si potest ipsum retrahere, debet admonere vim per

per correctionem cesset periculum damni. Ita Reginaldus *lib.3.nu.9.* Nauarr. *cap.Sacerdos n.124.* Zerola *de pœnitent.cap.9.quæsit.9.* Onufrius *de sacro sigillo sect.2.quæst.2.dub.2.* & alij.

Vtrum Confessarius posit vti scientia in confessionem habita?

BRACTEA XXXI.

R. Confessarium extrà confessionem non posse vti scientia in confessione habita ad aliquid faciendum, vel omittendum, quoties directè imminet periculum reuelationis. Ita Suarez *tom 4. disp.33.sect.1.* Sanchez *de matrimonio disp.16. num.3.* Reginaldus *lib.6. num.4.* Vasquez *quæst.93.art.4.dub.5.* Ratio est, quia si liceret vti scientia extrà confessionem cum periculo reuelationis saltem indirectè reuelarentur peccata pęnitentis, & læderetur confessio, sed hoc est prohibitum, ergo sequitur Confessarium nullo modo posse vti scientia in confessione habita.

Dixi extra confessionem, quia Confessarius in confessione potest vti scientia ab ipso pœnitente habita in alia confessione, cum possit repræhendere pęnitentem ob peccata sæpius perpetrata. Ita Onofrius *de sacro sigillo sess.4. quæst.5.* & alij.

Sciendum 1. Confessarium non posse absq; licentia pęnitentis vti scientia in confessione habita, nec loqui etiam cum ipso pęnitente de peccatis auditis in confessione, etiamsi talis locutio ordinata fuerit ad repræhensionem ipsius, vel emendationem eius vitæ, quia violaretur sigillum confessionis. Ita Bonacina *de sacram. penit. disp.5.quæst.5.sess.5.pun.4.num.8.*

Sciendum 2. Confessarium non frangere sigillum confessionis si ipse admoneat aliquos iuxtà mandatum ipsius pęnitentis, vel de mandato ipsius aliquid exequatur, vt si v.g. admoneat hæredes de restituendo aliquid post mortem ipsius pęnitentis, vel de aliqua eleemosyna facienda in exoneratione conscientiæ eiusdem. Ita Nauarr. *in manuali cap.12.num.13.* Reginaldus *num.59.*

Sciendum 3. Superiores ob scientiam in confessione habitam non posse priuare suos subditos aliquo officio. Ita Suarez *loco citato sect.7.* Reginaldus *lib.5. num.16.*

Nec etiam Superiorem, vel Confessarium posse aliquem priuare suo suffragio ad electionem alicuius beneficij, vel alterius dignitatis ob scientiam in confessione habitam de improbitate alicuius. Ita Suarez loco citato quoties directè, vel indirectè imminet periculum reuelationis confessionis, qui tamen exteriùs, vt bonus habetur. Ita Suarez loco citato. Ratio, quia non potest vti scientia in confessione habita cum periculo reuelationis, & quod per cõfessionẽ scitur est tãquã nesciatur.

Similiter per scientiam alicuius peccati in confessione habitam nõ posse Episcopum prohibere aliquem, ne suscipiat ordines, & Parochum non posse aliquem arcere à sumptione Eucharistiæ, ob scientiam alicuius peccati in confessione habitam. Ita Henriquez *lib.6.cap. 19.num.5.*

Similiter Confessarium alij Confessariò cõfitendo non posse illi errorẽ, quẽ in ministrãdò Sacramẽto Pœnitẽtiæ cõmisit manifestare, quoties ex illius manifestatione imminet periculum, quod proprius Confessarius veniat in cognitionem peccatorum Confessorum, aut pęnitentis. Ita Vasquez *quæst.93.art.4 dub.9 nu. 7.* Graffius *1.part.decisionum lib.1 cap.23.* Reginaldus *lib. 6.* Ratio est, quia magis obligat sigillum, quam integritas confessionis.

Ita Confessarium non posse complicem peccati sui Pœnitentis repræhendere ex notitia habita in confessione; nec similiter si illi cõfiteatur, & taceat aliquod peccatum potest ipsum repræhendere ex notitia habita in confessione alterius.

Confessarius qui iter faciendo nouit per confessionem paratos esse aliquos, vt illum occidant; & si anteà progreditur se non euasurum mortem potest desistere ab itinere faciendo, inueniendo aliquam causam, cur vltrà non progrediatur, vtitur enim iure suo, ita tamen cautè faciat, ne alij socij veniant in cognitionem desistere à via, ob auditam confessionem, sed ob aliam causam.

Similiter Sacerdos, qui dicendo Missam per confessionem Clerici intellexit, vino fuisse admixtum venenum, non potest Missam omittere, vt mortem euadat, aut discedere ab Altari, quia indirectè reuelaret confessionem, sed si est ante consecrationem aliquid facere, quo vinum spargatur, aut si post consecrationem, illud secreto transferre in aliud vas, & aliud nouum consecrare, si verò ante Missam intellexit, potest omittere Missam, quia vtitur iure suo, & non obligatur celebrare cum suo periculo, asserendo tamen causam præsumptam, cur non celebret.

An Confessarius possit loqui de auditis in Confessione?

BRACTEA XXXII.

R. Affirmative, dummodo sit sine manifestatione personæ, & sine periculo, vt audientes veniat in cognitionem, vel suspicionem personæ. Ratio quia huiusmodi locutione non reuelatur peccatum, nec ob id cõfessio redditur odiosa, & onerosa.

R. 2. Non posse Confessarium loqui de auditis in confessione, quoties imminet aliquod periculum reuelationis personæ. Ratio est, quia confessio redderetur odiosa, & onerosa pęnitenti, & frangeret sigillum confessionis. Ita Nauarrus *cap.Sacerdos dist.6. num. 56. & in Manuali cap.8.num.9.* Reginal. *lib.3.num.46.* Onufrius *de sigillo sect.4. quæst.2.*

An quando Confessarius dicit ille mihi confessus est peccatum reseruatum frangat sigillum?

BRACTEA XXXIII.

R. Affirmative etiamsi non explicet aliquod peccatum in particulari. Nam efficit, vt pęnitens magis peccator cognoscatur, quam cognosceretur antea. Ita Reginaldus *loco citato num.48.* Coninchus *disp.10.dub.8. num.12.*

Emanuel Sà *verbo Confessio*, Vasquez *dub.3.num.31.* Onufrius *loco citato sect.4.quæst.2.*

Et quid si Confessarius dicat, nondum absolui pœnitentem?

BRACTEA XXXIV.

R. Ivxta Caietanum verbo confessio, & alios, non frangere sigillum confessionis, dummodo ex illo dicto audientes non possint venire in cognitionem grauis alicuius defectus. Et ita Nauarrus *cap.84. num.10.* Onufrius *de sacro sigillo sect.4.quæst.7 dub.1.* Suarez *disput.33.sect.6.* Coninchus *loco citato dub.1.num.14.* & alij. Ratio quia denegatio absolutionis, vel retardatio aliquando potest esse ob prauam pęnitentis dispositionem, aliquando non; vnde si Confessarius dicat, se Titium non absoluisse, & ex circumstantijs, & coniecturis ingeri possit suspicio grauis defectus censetur frągere sigillum confessionis; si verò dicat confessionem non fuisse perfectam ob superueniens incommodum non videtur frangere sigillum confessionis, quia nullum peccatum auditum in confessione manifestat, nec pęnitens magis cognoscitur peccator, quam anteà cognosceretur.

An possit Confessarius vti scientia in confessione habita ad aliquid faciendum?

BRACTEA XXXV.

R. Negative vt supra dictum est, quoties periculum imminet reuelationis directè, aut indirectè alicuius peccati in confessione auditi, ex quibus pudor, seù confusio, aut damnum pęnitenti sequeretur. Ratio, quia sigillum læditur quoties directè, aut indirectè verbis, aut factis reuelantur peccata pęnitentis in confessione audita, & si vteretur scientia in confessione habita reuelarentur peccata pęnitentis saltem indirectè. Ita Reginal. *lib.6. n.4.51.& 55.* Coninchus *disp.9.dub.1.n.22.* Onufrius *de sigillo sect.2.quæst.2.dub.2.* Sanchez *lib.3. de matrim. disp.16.num.3.* Menochius *lib.6.præsump.quæst.5.* Suarez *tom.4.disp.33.sect.1.& 7.* & alij.

An in confessione possit Confessarius vti scientia in alia confessione habita?

BRACTEA XXXVI.

R. Affirmative, vt dictum est, & potest Confessarius in confessione, in qua pęnitens narrat peccata eiusdem speciei cum peccatis aliàs sibi ab eodem pęnitente confessis repręhendere pęnitentem ob peccata sæpius repetita. Ita Onufrius *loco citato sect. 4. quæst. 5.* Sanchez *loco citato*, & alij.

An Confessarius extrà confessionem possit loqui cum pænitente de auditis in confessione?

BRACTEA XXXVII.

Affirmative sententiam tenet Vasquez *quæst.93 art.4. dub. 10. num. 9. cum* Medina *de his, quæ à Confessario seruanda sunt*, qui docent Confessarium non peccare contrà sigillum confessionis, qui extrà confessionem loquitur cum pęnitente de peccatis auditis in confessione animo illum adiuuandi, aut repræhendendi, aut peccata exprobandi, etiamsi à pęnitente nō petierit licentiam loquendi de auditis in confessione, quia nulli manifestat secretum confessionis, licet faciat irreuerentiam Sacramento, cum inde confessio possit reddi odiosa, sed?

R. Confessarium non posse absque pęnitentis licentia loqui cum ipso pœnitente de auditis in confessione. Ratio, quia pœnitentes multa dicunt in confessione sine pudore, quæ extrà nolunt audire, aut si audiunt afficiuntur pudore.

R. 2. Confessarium, qui absque pęnitentis licentia loquitur cum ipso de auditis in confessione frangere sigillum ipsius. Ratio, quia audita in confessione debent esse tanquam nesciātur, & qui loquitur cum pęnitente de auditis frangit sigillum, cum ex auditis in confessione accipiat motiuum, & occasionem loquēdi extrà. Ita auctores citandi.

R. 3. Confessarium posse de licentia pęnitentis cum ipso loqui de auditis in confessione. Ita Bonacina *de sacramentis disp.5.quæst.6.sect.5. punct.4.num.8.* Reginald. *in praxi tom. 1. lib 8. cap.3. sess.2.num.30.* Suarez *in 3.partem tom.4 disp.32. sect. 5. num.3.* Onuphrius *de sigillo sess. 4. quæst. 7.* qui citat Sotum, Toletum, Rodriquez, Megalla *in 1. parte lib.1.cap.26. num.22.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst. 13.punct.3.* Siluius *in suis aureis commentarijs, in 3. partem* D.Thomæ *in addit.quæst.11.art.4.* vbi ait; Qui aliquem errorem commisit in confessione, nō debet pęnitenti simpliciter extrà confessionē ne arguatur sigilli fractor, sed ei dicat, vellem quod adhuc venires ad me pro confessione, quia habeo tibi dicere verbum, quod tibi erit vtile, si acquiescat officium suum, tunc adimpleat, si verò nolit, pęnitentiam agat Confessarius sui errati, non enim potest nisi de præuio pęnitentis consensu aliquid extrà confessionem manifestare. Ratio est, quia loquendo cum licentia pęnitentis nulli facit iniuriam, non Sacramento; neque pęnitenti, cum de licentia ipsius loquatur; sigillum est inductum in gratiam, & fauorem pęnitentis, & habet naturam secreti, cuius obligatio potest tolli de consensu illius, in cuius fauorem commisit secretum.

R. 4. Confessarium non frangere sigillum, qui loquitur cum pęnitente de auditis in confessione incipiente ipso pęnitente. Ratio, quia pęnitens incipiendo sufficienter indicat, se Confessario facultatem dare loquendi de auditis in confessione, cum non solum verbis, sed etiam factis animus indicetur.

An Confessarius qui dicit, in tali Ciuitate adesse Vsuraios plures, frangat sigillum?

BRACTEA XXXVIII.

R. Non frangere sigillum confessionis, cum non sit periculum, vt auctor illius criminis cognoscatur; secus autem si loquatur de loco paruo, quia fieri potest, vt audientes arripiant occasionem suspicandi de aliquo. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 11. quæst. 3. num. 222.* Coninchus *de sacramentis disp. 9. dub. 1 num. 16.* Henriquez *lib. 6. cap. 21. num. 6.* Nauarr. *cap. Sacerdos nu. 54.* Suarez *in 3. partem* D. Thomæ *tom. 4. disp. 33. sect. 3. num. 4.* Bonacina *de sacramentis disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 4. num. 3.* & alij.

An Confessarius ad impediendum aliquod malum possit vti scientia in confessione habita?

BRACTEA XXXIX.

R. Negative, quando adest periculum reuelationis alicuius pœnitentis. Ratio, quia fieret iniuria Sacram. & confessio redderetur odiosa, & fideles retardarentur ab hoc Sacramẽto suscipiendo, si vnquã sigillũ violare liceret. Ita Suarez *disp. 33. sect. 1. num. 7. & 11.* Onuphrius *de sigillo sess. 2. quæst. 2. dub. 2.* Henriquez *lib. 3. cap. 19. num. 5. & cap. 22.* Zerola *in praxi de sacram. pœn. cap. 20. quæsito 9.* & alij.

Ex quibus deducitur, qui ex confessione nouit, necem alicui parari, aut proditionem imminere Ciuitati non posse proditionem Ciuitatis futuram, aut necem alteri imminentẽ manifestare, quoties periculum est, vt auctor detegatur; præciso autem huiusmodi periculo potest. Ita plures citati apud Bonacinam *num. 19.* ex quibus patet etiam differentia inter secretum sacramentale, & naturale; quod secretum sacramentale nunquam potest violari, etiamsi Summus Pontifex id præciperet, cum magis obliget tale secretũ, quam præceptum. Ita apud Bonacinam *loco citato plures*; Aut etiam si Confessarius metu mortis cogeretur sigillũ reuellare, cum talis reuelatio sit intrinsecè mala, nec vlla de causa cohonestari potest. Ita D. Thomas *in addit. quæst. 11. art. 1* Nugnus *ibidem difficult. 1.* Henriquez *lib. 6. cap. 19. num. 6.* Reginaldus *lib. 3. num. 19.* Graphius *1. parte decis. lib. 1. cap. 23. num. 4. & 5.* & alij; Secretum naturale in aliquibus casibus potest violari, vt quando vertitur in præiudicium innocentis, siuè publici; aut propter periculum mortis, nisi vertatur in præiudicium Principis, seu Status, qua tunc potius debet mortem subire, quam secretum reuelare.

R. 2. Non posse Confessarium ex scientia in confessione habita admonere Episcopum, qui peccata impediat, si periculum sit, vt delinquens aliqua ratione cognoscatur, alioqui confessio redderetur odiosa, & subditi à confessione retraherentur. Ita Azorius *2 par. lib. 11. cap. 15.* secus autem si probabiliter nõ immineat periculum reuelationis pœnitentis. Ita Nauar. *concilio 11. de pœnit. ac remissione.*

Quomodo se gerere debeat Confessarius quando interrogatur de peccato in confessione audito?

BRACTEA XL.

R. Posse vti æquiuocatione, & non respõdere iuxta mentem interrogantis. Ratio, quia non potest vti scientia in confessione habita extra confessionem, vnde contra persecutantem in interrogatione posse absolutè dicere, se nihil scire. Ita citati apud Bonacinam *loco citato num. 31.*

Et quid quando Confessarius est certus de delicto pœnitentis, quod ipse negat in confessione, quomodo se gerere debeat?

BRACTEA XLI.

R. Si Confessarius certo sciat delictum pœnitentis, quod tamen ipse interrogatus negat ipsum manifestare, debet illum absoluere, quia tunc prudenter debet existimare habere iustam causam ipsum reticendi, & pœnitens, qui habet iustam causam reticendi peccatum debet à Confessario absolui, & licet cõfessio non sit integra materialiter, & tamen formaliter integra, quæ integritas ad validitatem confessionis sufficit iuxta alibi dicta.

Quod si Confessarius non sit certus de delicto, sed solum dubius, vel suspectus, tunc prudenter debet pœnitentem in genere interrogare, num habeat conscientiam alterius peccati, aut etiam ipsum interrogare, modo non sit periculum, vt pœnitens veniat in aliquam suspicionem, & si pœnitens non fatetur delictum debet ipsum absoluere tenendo quod si reticet peccatum iusta causa faciat, aut de ipso iam confessionem emiserit. Ita Nauarr. *cap. 8. num. 16.* Reginaldus *lib. 7. num. 29.* Zerola *in praxi cap. 14. quæst. 6.*

MALLEATIO XVI.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Qui sit Minister huius Sacramenti?

BRACTEA I.

R. Ministrum huius Sacramenti esse Sacerdotem habentem potestatem iurisdictionis in pœnitentem. Ita communiter omnes. Ratio est, quia Sacramentum pœnitentiæ ministratur per modũ iudicij emẽdatiui, in ministrante autẽ requiritur iurisdictio, Ergo, &c.

Sciendum est duplicem potestatem in Sacerdote absoluente requiri potestatem Ordinis, & iurisdictionis potestas Ordinis confertur Sacerdoti in sua consecratione, idest quãdo ordinatur Sacerdos: potestas iurisdictionis duplex est, vna ordinaria, & altera delegata: ordinaria est, quæ datur Sacerdoti ratione officij, vt Summo Pontifici ratione Pontificatus in tota Ecclesia, Episcopo in sua Diœcesi, Parocho in sua Parochia: potestas delegata est, quæ Sacerdoti conceditur ab eo qui

habet auctoritatem ordinariam, vt quæ conceditur Sacerdoti ad audiendas confessiones, vel ad aliquid aliud faciendum, &c.

Sciendum 2. quod licet in absoluente prçter potestatem ordinis requiratur potestas iurisdictionis, in quibusdam casibus sufficit potestas ordinis: primus est in articulo, seù probabili periculo mortis, in quo quilibet Sacerdos per potestatem ordinis potest absoluere à quibuscunque peccatis, & censuris, à peccatis absolutè, à censuris verò reseruatis cum obligatione se præsentandi si conualuerit, & si non se prçsentet cũ reincidẽtia non in eãdẽ, sed in æqualem censuram, ob contumaciam, etiamsi ille Sacerdos sit degradatus, irregularis, vel excommunicatus, quia tunc temporis habilitatur à iure ad hunc effectum, dummodo tamen non sit alius Sacerdos, qui ex officio, vel tanquã delegatus possit ipsum absoluere, quia vt infrà dicetur præsente approbato non potest simplex Sacerdos, vel degradatus, aut excommunicatus absoluere. Vasquez *quæst.93.dub 3.num.4.* Suarez *disp.26.sect.4.nu.4.* Reginaldus *lib.1.num.61.* Henriquez *lib.6.cap.8.num.2.* & alij. Similiter à peccatis venialibus, & mortalibus iam confessis *c.ea noscitur de sent.excom. &c.*

R. 2. Ministrũ Sacramenti vagorum esse Parochum loci, in quo vagi pro tempore commorantur, seù etiam Sacerdos, cui vagus se præsentat, vt confiteatur sua peccata. Ita Vasquez *quæst.93.art.1.dub.4.* Reginaldus *lib.1.num.64.* & alij. Ratio est, quia cum careant domicilio, vel quasi domicilio si nõ essent illius Parochiæ in qua commorantur nõ essẽt alicuius, & per consequens non subderentur legibus alicuius loci.

Sciendum 3. Maximam differentiam esse inter habentem domicilium, vel quasi domicilium peregrinum, seù viatorem, & vagum. Ille dicitur habere domicilium in aliquo loco, qui habet intentionem semper ibi manendo, vel habet domum, in qua maiorem partem anni habitare solet, vt dictum est alibi: quasi domicilium dicitur habere ille, qui habet intẽtionẽ manẽdi minorẽ partẽ ãni in aliquo loco: peregrinus dicitur ille, qui alibi moratur negotij causa: vagus, qui nullibi habet domicilium, vel quasi domicilium, sed semper in diuersis locis vagatur.

R. 3. Qui in diuersis locis habent diuersa domicilia posse illius Parochiæ, in qua habitant Parocho confiteri sua peccata. Ita Suarez *de penit.disp.23.sect.2.num.5.* Henriquez *lib.6.cap.7.nu.2.* & alij communiter. Ratio est, qui quilibet illorum censetur proprius Sacerdos: Peregrini, & aduenæ, qui litigandi causa, v. g. extra suum Oppidum manent possunt sua peccata confiteri Parocho illius loci in quo manẽt. Ita Syluest. *verbo confessio nu.1.* Reginald. *lib.1.num.84.* Suarez *disp.23.sect.3.* & alij. Ratio est, quia ille Parochus ex tacito consensu superioris censetur habere iurisdictionem ad audiendas confessiones eorũ, qui vel habitãt in propria Parochia, vel in illa negotij causa aliquo modo morantur.

Sciendum 3. Non solum posse Parochũ absoluere aduenam, & peregrinum, verum etiã absoluere à peccatis reseruatis ab eius Episcopo, quç tamen in propria Dięcesi Parochi non sunt reseruata. Ita communiter omnes: Ratio est, quia Sacramentum pęnitentiæ ministratur secundum iustitiam fori in quo ministratur: ab excommunicatione verò lata ratione statuti, vel generalis, aut particularis sententiæ non potest ipsũ absoluere si ipsi Episcopo sit reseruata, quia sequitur ipsum excommunicatum vbicunque terrarum sit: in casu necessitatis, vt supra dictum est, potest ipsum absoluere.

An ad præsentiam Confessarij approbati possit Sacerdos simplex in articulo mortis absoluere pœnitentem?

BRACTEA II.

R. NEGATIVE. Ratio, quia priuilegium hoc censetur concessum pęnitenti, quando existit in extrema necessitate: moribundus non dicitur in extrema necessitate confitendi simplici Sacerdoti, præsente aliquo approbato volente absolutionem impendere: ius autem concedit simplici Sacerdoti facultatem absoluendi in articulo mortis ratione necessitatis ipsius moribundi. Quamobrem præsente Parocho, vel alio Sacerdote approbato ad confessiones excipiendas extrà mortis periculum, non potest simplex Sacerdos in articulo mortis absoluere. Ita Vasquez *loco cit.* Reginaldus *lib.1.num.61.* Henriquez *lib.6.cap.8 num.2.cap.11.n.3.* Suarez *disp.26.sect.4.nu.4.* Coninchus *loco cit.n.16.* & alij.

An ad præsentiam Confessarij approbati, sed excommunicati, aut suspensi posit simplex Sacerdos absoluere?

BRACTEA III.

R. AFFIRMATIVE, quia Confessarius approbatus excommunicatus, aut suspensus arcetur ab Ecclesia, & priuatur hoc ministerio, ita vt non possit hoc ministerium exercere, nisi in articulo extremæ necessitatis, qualis non est præsens, cum ponamus adesse alium Sacerdotem, qui potest, & vult hoc munus adimplere. Bonacina *de sacram.disp.5.quæst.9.pun.1. num. 11.*

Et quid si solum aderit Confessarius excommunicatus vitandus, suspensus, degradatus, aut Hæreticus?

BRACTEA IV.

R. POSSE absoluere, & infirmum ab eo petere absolutionem, præciso tamen peruersionis periculo. Ratio colligitur ex Concilio Trident. *sess.14.cap.7.* vbi habetur quemlibet pęnitentem posse in mortis articulo à quibuscunque peccatis absolui à quolibet Sacerdote. Ita Vasquez *quæst.93.art.1.dub.4.* Henriq. *lib.6.cap.9.num.2.* Sayr. *de censuris lib.3.cap.18.nu.16.* Suar. *disp.26.sect.4.num.8.* Zerola *in praxi de sacrament.pœnit.cap.15.quæst.13.*

Sciendum facultatem absoluendi in articulo mortis esse directam, & absolutam, ita vt pęni-

pęnitens in huiusmodi casu absolutus non tenetur lapso eo periculo iterum eadem peccata licet reseruata confiteri, cum ab illis directè fuerit absolutus. Verùm si peccata habeant adnexam censuram pęnitens absolutus tenetur elapso eo periculo, quamprimum commodè potest coram superiore se præsentare, non vt iterum ab eo absoluatur, sed vt præcepto Ecclesiæ obediat, quæ iubet se præsentare, vt ostendat se obedientem, & paratum ad maiorem pęnitentiam suscipiendam, si illi à superiore iniungatur, alioquin in easdem censuras reincidit non quidem numero, sed eiusdem effectus. Vnde Confessarius debet admonere pęnitentem, quem absoluit in mortis periculo, vt eo elapso adeat superiorem quamprimum oblata opportunitate, si non velit reincidere ob contumaciam in aliam excommunicationem, vt suprà. Tertiò, iurisdictionem esse potestatem, quam quis habet in alios ad eos regendos, & gubernandos, seù dirigendos ad Regnum Cęlorum. Ita Mol. *tract. 5. de iurisd. disp. 2.* & alij. Quartò, iurisdictionem triplicem esse ordinariam, delegatam, & ex cōcessione iuris. Ille dicitur habere iurisdictionem ordinariam, cui competit iurisdictio ex officio, vt est ille, qui habet curam animarū. Ille dicitur habere iurisdictionem delegatam, qui facultatem obtinuit ab habente facultatē ordinariam, vt Sacerdotes deputati ad audiendas confessiones, quibus non competit ex officio. Ille dicitur habere iurisdictionem ex concessione iuris, qui à iure, vel ex priuilegio concessa est facultas eligendi Confessarium. Henriquez *lib. 3. cap. 5.* Suarez *disp. 25. sect. 2. num. 3.* & alij.

Quot modis Confessarius amittat iurisdictionem absoluendi?

BRACTEA V.

R. Ivrisdictionem ordinariam amitti priuatione officij, seù dignitatis, cui erat adnexa. Ratio, quia destructo principali corruit accessorium: iurisdictionem delegatam amitti. Primò lapsu temporis ad quod vsque fuerat concessa, quia facultas non extenditur vltrà voluntatem concedentis; Secundò, per reuocationem concedentis, nam res, pro quas causas nascitur per easdem dissoluitur. Ita Suarez *disp. 28. sect. 4.* Zerola *in praxi de pęnit. cap. 16. quæsito 2.* & alij. Tertiò, vtramque cessare per superuenientem excommunicationem, suspensionem, aut etiam per interdictum ab officio, modò qui excommunicatione detinetur, vitandus sit, cum sint inualida gesta per excommunicatum vitandum, & consequenter inualida absolutio collata ab eo Sacerdote, qui huiusmodi censura detinetur, nisi adsit error communis, aut titulus coloratus.

De alijs conditionibus requisitis in Confessario?

BRACTEA VI.

R. Præter potestatem ordinis, & iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ requiritur etiam in Confessario ad licitè ministrandum tale Sacramentum probitas ipsius. Ratio, quia Confessarius est Minister consecratus ad hoc Sacramentum administrandum: Minister autem consecratus peccat administrando Sacramentum sine probitate. Vnde ante administrationem se debet præparare ad gratiam, vt licitè administret. Ita S. Thomas *3. par. quæst. 64. art. 4. & 6.* Caietan. *ibidem*, Coninchus *ibid. art. 6. dub. 1.* Nauarrus *cap. 22. num. 3.* Henriquez *lib. 1. cap. 24.* Sair. *lib. 2. de sacram. cap. 7. quæst. 1. art. 1.* Reginaldus *lib. 26. num. 57. & 58.* & alij.

Quot peccata committat Confessarius, qui in peccato mortali audit Confessiones?

BRACTEA VII.

R. Primo, Peccare mortaliter. Ratio, quia indignè administrat Sacramentum. Secundò, tot peccata committere, quot sunt personæ, quibus administrat Sacramentum pęnitentiæ. Ita Azor. *par. 1. lib 4. c. 4 quæst. 6.* Suarez *in tertiam partem tom 4. disp. 22 sect. 5. n. 55.* & alij. Ratio est, quia tales administrationes non cēsentur moraliter vnica actio, sed plures cum singulæ habeant suum definitum obiectum, cū non solum sint simplices administrationes, sed etiam actiones effectiuè Sacramenti, ità vt tot sint Sacramenta, quot sunt administrationes Sacramenti, & per consequens tot esse peccata, quot sunt administrationes effectiuæ Sacramenti. Quod non censetur dicendum de administrante pluribus Sacramentum Eucharistiæ in peccato mortali, qui solum committit vnum peccatum mortale. Ratio, quia cum illę actiones non sint effectiuæ Sacramenti, sed solum administrationes: idcircò censetur solū moraliter vna actio, & ratione intentionis etiā, & per consequens solum vnum peccatum, & sub hac ratione vera est opinio. Rodriquez *in summa tom. 2. cap. 44. n. 3* Quod communicans plures in peccato mortali solum vnum peccatum committat, cum verè possit dicere, pluribus administraui Sacramentum Eucharistiæ, quod non potest dicere, si pluribus ministrauit Sacramentum Pęnitentiæ, cum illæ actiones non sint simplices administrationes Sacramenti pęnitentis, sed effectiuæ Sacramenti ipsum ministrando, ita vt tot sint Sacramenta, quot effectiones.

An Confessarius, qui incipit audire confessionem in peccato mortali, sed posteà ante absolutionem elicit actum contritionis, teneatur, quando confitetur explicare se incepisse confessionem in statu peccati?

BRACTEA VIII.

Affirmativam sententiam tenet Posseuinus *de officio Curati cap. 45.* qui citat Suarez *in 3. part. disp. 18. sect. 1. num. 2.* & licet hæc opinio sit probabilis, tamen.

R. Confessarium licet sit in peccato mortali, dum à principio audit confessionem non peccare mortaliter, si habeat propositum poenitendi, antequam absoluat. Ratio est, quia

tunc Sacerdos censetur peccare mortaliter, quando administrat Sacramentum in peccato mortali; sed in tali casu, quando Confessarius perficit Sacramentum iam per actum contritionis elicitum constitutus est in gratia, ergò non cēsetur ministrare Sacramētū in peccato.

De scientia requisita in Confessario?

BRACTEA IX.

SCiendum est, Confessarium qui ab Episcopo deputatur ad audiendas confessiones debere per examen approbari, vtrum habeat scientiam requisitam ad audiendas confessiones, quia cum audire cōfessiones sit actus iurisdictionis, qui non potest concedi, nisi approbato per examen idoneo; ita Concilium Tridentinum *sess.13. cap.15.* licet Episcopus, cui constat, aliquem esse peritum, & doctum possit illi absque præuio examine dare facultatem ad audiendas confessiones, cum certus sit de ipsius doctrina.

An Confessarius, qui se exponit extra necessitatem ad audiendas confessiones sine sufficienti scientia, peccet mortaliter?

BRACTEA X.

R. Peccare mortaliter. Ratio, quia exponit se periculo non ritè administrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

R.2. Sacerdotem qui dubitat de sua sufficientia, & superior affirmet eum esse idoneum excusari à peccato mortali, si ipsi superiori fidem præstat. Ratio, quia habet sufficientem rationem deponendi dubium de propria imperitia. Ita Henriquez *lib.6.cap.26.* Rodriquez *cap.61.* Vasquez *quæst.93. art.3.dub.1.* Reginaldus *lib.1.num.161.* & alij.

R.3. debere Confessarium scire, quæ sunt necessaria ad formam, & materiam Sacramenti, & circumstantias, quas pœnitens tenetur aperire in confessione, & quoties iteranda sit confessio, quando nam facienda sit restitutio? Quæ differentia inter peccatum mortale, & veniale, &c.

Quid facere debeat Confessarius, si difficilis casus accidat in confessione, quem ipse statim dissoluere non potest?

BRACTEA XI.

R. Posse pœnitentem absoluere, dummodo promittat facere, quod iudicatum fuerit, & tunc pœnitens censetur dispositus ad beneficium absolutionis recipiendum. Ita Nauarrus *cap.26. num.3.* Siluester *verbo confessio 3.* Angelus *eodem verbo 4.num.4.* Suarez *disp.28.sect.2.* Henriquez *cap.26. num.9.* Coninchus *disp.8. & 9. de pœnit.dub.16.num.126.*

R.2. Confessarium indoctum, qui nescit discernere inter peccatum mortale, & veniale validè absoluere. Ratio, quia concurrunt omnia ad validam absolutionem, idest forma, materia, intentio, & iurisdictio, & tres actus pœnitentis pro materia proxima, quamuis Confessarius iniustè agat, & possit errare in discernendis peccatis. Medina *C. de confess. ueranda ob defectum Confessarij*, Nugnus *in addit.quæst.8.ar.5.dub.4.* Suarez *disp.22.sect.6. num.4.* Reginaldus *lib.1.num.141.*

R.3. Confessarium teneri docere pœnitentem, quæ iudicauerit prudenter saluti pœnitentis expedire, & ad proprium officium pertinere. Ita citati.

An Confessarius censeatur sufficienter approbatus, qui probabiliter credit, Episcopum ratam habere ipsius absolutionem?

BRACTEA XII.

R. Distinguendo; vel Confessarius credit Superiorem ratam habere ipsius absolutionē de præsenti, vel de futuro, si credit superiorē de futuro ratā habere ipsius absolutionē anteà collatā non validè absoluit. Ratio, quia absolutio nō est valida pro tēpore pronūciationis formæ, cū Sacerdos tūc temporis careat iurisdictione, neque efficitur valida per subsequentem ratihabitionem, quia adueniente ratihabitione, iam præcessit forma absolutionis, quæ fuit inualida, & ratihabitio non retrotrahitur ad absolutionem anteà datam.

Si verò Confessarius credit, superiorem ratam habere absolutionem de præsenti, est etiā distinguendum, vel superior ratam habet signo aliquo externo, vel non; si superior signo aliquo externo ratam habet absolutionem de præsenti valida est, quia ratihabitio de præsenti tribuit iurisdictionem, dummodo sit aliquo signo externo expressa, quæ per cōsensum superioris obtinetur ab eo, qui cognoscit per eam ratihabitionem consensum præstari, & iurisdictionem conferri, eamque ipse acceptat. Ita Sanchez *lib.3.de matrim.disp.35.num.20.* Henriquez *lib.6.cap.13. num.13.* Nauarrus *in manuali cap.9.num.5.& cap. Placuit num.105.* Siluester *verbo Confessario 1.quæsito 6.* Vasquez *quæst.93. art.2. dub.2.* & alij.

An Confessarius approbatus petere debeat licentiam à Parochis, in quorum Ecclesijs vult audire confessiones?

BRACTEA XIII.

R. Debere petere licentiam non rigore iuris, quia ipse indigeat iurisdictione, cum Confessarius habuerit auctoritatem, & iurisdictionem ab Episcopo, qui habet iurisdictionem in tota Diœcesi independenter à Parochis, & inuitis ipsis potest saluti animarum suarum consulere, sed ex quadam æquitate. Ita Suarez *disp.27.* Henriquez *lib.3.de pœnitent.cap.12.* Reginaldus *lib.3.num.86.* Zerola *in praxi cap.15. quæsit.3.* Sayrus *de pœniten.cap.21.* tum quia iste modus, non audiendi confessiones, nisi de licentia Rectoris in cuius Ecclesia vult manifestare Sacramentum Pœnitentiæ apponitur in facultate, quæ conceditur.

An

An valida sit approbatio Confessarij, quando Episcopus iudicat aliquem tamquam idoneum, sed reuera non est idoneus?

BRACTEA XIV.

R. Validam esse. Ratio, quia concilium requirit talem approbationem, qua Sacerdos idoneus iudicetur; hic autem iudicatur idoneus, cum Episcopus credat ipsum esse idoneum, quamuis re ipsa talis non sit.

R. 2. Iuxta probabiliorem sententiam validè non posse audire confessiones Confessarium, qui fuit approbatus, & admissus ab Episcopo scienter illum non esse idoneum. Ratio quia Concilium Tridentinum *sess.23.cap.15.* exigit vt Confessarius, qui non habet Parochiale beneficium iudicetur idoneus, hic autem verè non iudicatur idoneus, sed fictè, cum Episcopus interius aliter sētiat, & iudicet eum non idoneum. Vnde Concilium videtur requirere approbationem cum iudicio, & iudicium cum approbatione. Ita Suarez *disp.28. sect.5.num.7.* Reginaldus *lib.1.num.197.*

R. 3. Confessarium approbatum ab Episcopo cum limitatione ex deffectu ætatis ad confessiones virorum, & non mulierum validè absoluere mulieres si ipsas audiat, licet peccet contra obedientiam Prælati. Ratio, quia illa limitatio approbationis ad viros tantum, non fuit apposita ex deffectu scientiæ, sed ætatis, sicut è contrà si aliquis fuisset approbatus cum limitatione, nè audiat confessiones personarum habentium difficilia negotia non est approbatus simpliciter, ex deffectu scientiæ, & ideò si audiret confessiones huiusmodi inualidè absolueret.

R.4. Talem Confessarium approbatum cum limitatione ad audiendos viros, & non fœminas posse tempore Iubilæi eligi à fęmina tamquam Confessarium approbatum. Ratio, quia ille Confessarius dicitur approbatus, & tempore Iubilæi, quis potest eligere Confessarium ex approbatis, quem maluerit. Tum quia tempore Iubilæi satis est eligere Confessarium ex approbatis, licet non habeat iurisdictionem, quia tunc Summus Pontifex, dat illi iurisdictionē, & Confessarius cū limitatione verè est approbatus, licet non habeat iurisdictionem, quoad omnes ob limitationem. Ita Henriqu. *lib.6.de pœnit.cap 6.num.8. & lib.7.cap.12.* Nugnus *in additionibus ad 3.part.quæst.8.art.5.dub.9.* Coninchus *disp.8.de pœnit.dub 7.num.57.* Sanchez *de matrim.lib.8. disp.34.num.16.* & alij.

An Confessarius regularius examinatus à suo Superiore, debeat etiam examinari ab Episcopo?

BRACTEA XV.

R. Examinandum esse ab Episcopo, vel eius Vicario, nisi aliàs idoneus iudicetur. Ita Concilium Tridentinum *sess.23.cap.15. de reformat. & ita*, etiam de regularibus sanxit Pius Quintus *in sua constitutione 135. quæ incipit Romani Pontificis sub datum octauo idus Augusti 1571.* vbi inhibetur omnibus regularibus, ne vigore deputationis, & approbationis à Magistris, Ministris, seù Prouincialibus Religiosorum absque speciali licentia in posterum, & approbatione Ordinarijs obtinenda sęcularium confessiones audire præsumant. Ita Belletus *disquis. Clericalium tit. de disciplina Clericali §. 4. num.42.*

R. 2. Eundem Episcopum non posse denuò examinare Confessarium, quem iam idoneum per examen existimauit ad audiendas confessiones, nouum verò Episcopum posse suspendere licentias audiendi confessiones regularibus datas, & eos denuò examinare. Ita Auctores alibi citati.

R. 3. Regulares habere iurisdictionem à Papa audiendi confessiones, cum ipsi sint exempti, iudicium verò, quod ipsi sint idonei habere ab Episcopo.

An Confessarius regularis idoneus æstimatus, sed non admissus ab Episcopo possit, non obstante Concilio Tridentino confessiones audire?

BRACTEA XVI.

R. Negatiue. Et ita auctores citati suprà: An si Episcopus non admittat regulares idoneos, &c. Ratio desumitur ex ipso Concilio, quod statuit solum eos regulares posse audire confessiones, qui habent Parochiale beneficium, aut ab Episcopo mediante examine sit iudicatus idoneus. Ita Auctores suprà citati; nisi fortè ex odio Episcopi idoneus non fuerit iudicatus, qui alioquin ab examinatoribus pro idoneo habetur, quia tunc sentiūt etiā non habita licentia posse confessiones audire. Ita auctores suprà citati.

R. 2. Tempore Iubilæi non posse aliquem eligere Confessarium antea approbatum, sed nunc reprobatum. Ratio, quia in Iubileo cōceditur facultas eligendi vnum Confessarium ex approbatis de præsenti, non autem eum, qui tempore præterito erat approbatus, sed de præsenti non esse approbatus. Secus autem dicendum erit, si ex odio Prælati, & non ex scientiæ, aut alia legitima causa erit reprobatus; quia si ex odio credo posse eligi in Confessarium tempore Iubilæi. Ita Auctores, qui defendunt ipsum posse confiteri, quando solo odio Episcopi fuit reiectus.

An Confessarius regularis ab Episcopo approbatus, sed à Prælato religionis prohibitus, si audiat confessiones, validè absoluat?

BRACTEA XVII.

R. Validè absoluere, & validum conficere Sacramentum. Ratio, quia talis Sacerdos habet potestatem ordinis, & iurisdictionis; ergo valida erit absolutio. Ita Nugn. *in addit.ad 3.part. tom.2. quæst.8. art.5.dub.8.* Salas *de legib.disp.16.sect.10.num.43.* Pitigianus *in 4. sententiarum tom.2.dist.17 quæst.vnica art.4.dub.1.* Villabos

in summa

in summa tract.9.dub.50.num.4. Miranda in manuali Prælatorum *tom.2.quæst.45.art.11. & 12.* An verò peccet mortaliter ministrando tale Sacramentum sine licentia, dubium est; sed respondeo, si sit illi particulariter præcepto particulari prohibitum, peccare mortaliter cōtra preceptum obedientiæ; si verò non sit particulariter prohibitum, sed solum ex præcepto constitutionum videndum est, an ipsæ constitutiones obligent ad culpam, vel solum ad penam, si primo modo peccare iuxtà qualitatem trāsgressionis, si secundo modo non peccare, licet mereatur subire pœnam constitutionum impositam contrà violantes præceptum, &c.

An Episcopus, qui vidit Sacerdotem sibi familiarem audire confessiones, & tacet, sentiatur illum approbare?

BRACTEA XVIII.

R. Episcopum, qui videt Sacerdotem sibi familiarem audientem confessiones, & non prohibet, cum facilè possit prohibere censeri eo silentio eum approbare nō simpliciter, sed pro eo tempore tantum, & pro illis, quibus hoc permittit. Ratio, quia talia concurrunt signa, vt huiusmodi silentium habeatur pro expresso consensu; cum enim superior possit, & teneatur impedire, nisi velit approbare, censetur non impediendo approbare. Tum etiam, quia in re modici præiudicij præsumitur liberalis cum suo familiari. Ita Reginaldus *lib 5 num.173.* Sanchez *lib.3. disp.35. num.20.* Salas *de legibus disp.20 sect.9.num.86.* & alij.

Sciendum tamen dubium esse ad solum ratum habendum, an requiratur, quod solum sileat superior, & non contradicat, cum possit contradicere, an verò etiam requiratur signū aliquod externum, ex quo sufficienter colligatur, superiorem ratam habere absolutionem, seu facultatem concedere ad absoluendum. Salas *de legib.disp.24.sect.9.num.85.* Sanchez *loco cit. num.26.* docent Prælatum censeri tacitè dispensare, quoties commodè potest contradicere, & non contradicit; huic opinioni contrariatur Bonacina *de sacramentis disp.5. quæst.7. pun.4.§. 1.num.14.* non censeri solum tacendo consentire, & consequenter iurisdictionē nō conferre, si consensum non exprimat signo aliquo externo. Cui opinioni ego adhæreo.

An Confessarius possit extrà Diœcesim delegantis audire confessiones?

BRACTEA XIX.

R. Parrochum posse extrà Diœcesim audire confessiones suorum subditorum. Ratio, quia iurisdictio, quæ absque strepitu iudicij exercetur, potest extra proprium territorium, & Diœcesim exerceri. Argumento textus *de officio legati cap.vltimo*; Parochus per absolutionem exercet iurisdictionem absq; strepitu iudicij, cum sacramentalis absolutio sine iudicij strepitu conferatur; tum etiam, quia Parochus super suum subditum habet iurisdictionem ordinariam, quę non desinit, etiamsi sit extrà Diœcesim, cum ipse semper sit Parochus, & alter eius Parochianus.

An verò, qui habet auctoritatem delegatam possit extrà Diœcesim delegantis audire confessiones suorum penitentium. Affirmatiuam sententiam sequuntur plures citati à Bonacina *de sacram.penit.disp.5.quæst.7. pun.2. num.10.* modo in facultate concessa non apponatur clausula in Diœcesi tantum; quia tunc Confessarius non poterit extrà Diœcesim ministrare Sacramentum penitentiæ; sed.

R. Confessarium delegatum non posse extrà Diœcesim ministrare Sacramentum penitentię, quia extrà non censetur habere iurisdictionem, cum iurisdictio delegata respiciat territorium. Et ita Siluester *verbo Confessor 1. quæsit.14.* Zerola *de sacrament. penitentia in praxi cap. 16.quæsito 3.*

An Confessarius possit tempore Iubilæi absoluere pœnitentem extrà confessionem?

BRACTEA XX.

Negatiuam sententiam tuentur multi, & inter alios Filliucius *tom.1.tract.11. cap.9.nu. 294.* Vasquez *in 3. part.tom.4.tract. de excommunicat. dub.2.num.9.* Sanctarellus *tract. de Iubilæo cap.8.dub. 8.* Suarez *in 3.part.tom.5.disp.7.sect.5.num.35.* Rodriquez *in Bull.§.9.num.54.* Acosta *in expos.Bullæ qu.50.* Fernandez *in exam. Theolog. moralis part.3. cap.9.§. 12.num.4.* & ita declarauit Pius Quintus in Bulla Iubilæi anni 1568. tum etiam, quia in bulla ponitur clausula Auditis confessionibus, & licet non apponatur, habetur tamen alia æquiualens, videlicet, quod possint eligere Confessarium, qui illos à peccatis, & censuris absoluere valeat. His tamen non obstantibus.

R. Confessarium virtute Iubilęi posse suum penitentem absoluere à censuris extra confessionem. Ratio, quia aliquando sic expedit saluti animarum, quoniam potest esse, vt penitens non sit paratus statim confiteri, & tamen adsint causæ, ob quas expediat eum statim absolui à censuris. Et ita Sanchez *de matrim.lib.3. disp.34. num 30.* Coninchus *de sacramentis disp.14. dub.16. num.253.* Villabos *in summa tom.1. tract.27.* Ledesma *in summa tom.1. tract. de exam. cap.8. dub.3.* Vegha *in summa tom.1. cap.6. casu 2.* & alij apud Henriquez *in summa lib.8. cap.13. num.2.* Ioannes dellacrux *in director. conscientiæ part.2.tract.de excom. dub.5.conclus.3.* Ad declarationem Pij Quinti respondetur, quod illa declaratio habuit locum in illo Iubilæo, in quo concessa fuit illa facultas tali pacto, & conditione. Et ita Villabos loco citato, illa autem verba, Audita confessione, referenda sunt ad absolutionem à censuris. Ita Auila *part. 2. de censuris cap.7. disp.3.dub. 13.* & alij.

An Confessarius propter consuetudinem peccandi possit differre absolutionem?

BRACTEA XXI.

R. Posse, & debere suspendere absolutionem peccatori recidiuo. Et ita Suarez *in 3.part.tom.4.disp.32.sect.2.* Reginaldus *in praxi tom. 2.lib.18.*

2. lib.18.num.87. Henriquez *lib.4.cap.24.num.4.* Sanchez *in summa tom.1.lib.2.cap.32.num.45.* Clauis regia *lib.5.cap.5.num.8.* Bannes *2.2.art.8.dub.2.* Villabos *in summa tom.1.tract.11.difficult.25.* Toletus *lib.3. cap.18.num.3.* Ledesma *in summa tom.2. tract.1. cap.3.* dummodo sine scandalo, & admiratione possit fieri, secus non. Ratio, quia Confessarius, qui cum periculo infamiæ rediciuo denegaret absolutionem, indirectè manifestaret statum pęnitentis, & proinde frangeret sigillum.

Sanch, in suis practicis disputationibus putat Confessarium ius non habere ad interrogandum pęnitentem de consuetudine peccandi, ne ipsum afficiat pudore consuetudine peccati cognita, sed debere pęnitentem statim absoluere, si habeat dolorem de præteritis, & firmiter proponat emendationem in futurum. Ratio est, quia si pęnitens teneretur consuetudinem peccati confiteri esset, illum obligare peccata legitimè cōfessa iterum repetere, quod nullo præcepto induci potest. Et ita Vasquez *in 3.part.tom.4.quæst.73. dub.* Similiter Sanchez loco citato putat, quod si pęnitens probabiliter credat, Confessarium non impensurum illi absolutionē, si fateretur cōsuetudinē peccādi, potest ęquiuocatione vtendo negare cōsuetudinē. Idem dicendū est de occasione proxima ineuitabili sine magno incōmodo, & scandalo; quod in tali casu potest etiam vti æquiuocatione, si à Confessario de tali occasione interrogetur, nam posito vero proposito emendationis habet pœnitens ius ad absolutionem, & vt Confessarius rectè fungatur suo officio nihil conducit scire, sit ne pęnitens in occasione proxima, vel non? dato quod illam vitare non possit; sed hoc non obstante.

R. Contrarium tenendum, idest pęnitentem obligari fateri consuetudinem peccandi, & occasionem proximam, etiamsi sciat, Confessarium non esse illi impensurum absolutionem vt Confessarius, tamquam Medicus sciat statum pęnitentis, & tamquam sapiens Iudex possit de ipso rectè sententiam ferre. Ita Azor. *tom.1.lib.11.cap.3.quæst.4.*

An Confessarius in confessione possit inquirere de complice, vt eum fraternè corrigat?

BRACTEA XXII.

R. Negatiuè. Ratio, quia sicut non licet inquirere extra confessionem peccata aliena multò minus in confessione. Vndè Sāctus Augustinus, Admonet nos Dominus non negligere inuicem peccata nostra, non quęrendo, quid repręhendas, sed videndo quid corrigas; & ideò Lorca *in 2.2. D. Thom. quæst.33. art.6. disp.45. sect.3. num.10.* sic asserit, non solum non tenemur quærere peccatores, & peccata, quæ corripiamus, sed talis inquisitio vitiosa est, & repræhensibilis, quia generat scandala, & occasionem præbet odijs, & dissentionibus, &c. ergo quantò magis Confessarius in confessione non tenetur interrogare de complice, vt corrigatur? Ita plures citati apud Dianam *tract.2.de dubijs regularium resolut.42.*

An Confessarius, qui non recordatur status pœnitentis, validè ipsum absoluat?

BRACTEA XXIII.

R. Validè ipsum absoluere. Ratio, quia adsunt omnia requisita ad perfectionem Sacramenti, materia, forma, & intentio, posse tamen peccare in pęnitentiam imponenda, sed non teneri monere pęnitentem, se non recordari peccatorum, & ipsius status.

R. 2. Confessarium validè absoluere pęnitentem legentem sua peccata scriptis adnotata. Ratio, quia in tali confessione adsunt omnia requisita; Primò ex parte Confessarij, nimirum iurisdictio, & intentio. Secundò ex parte pęnitentis. Primò materia remota pręsens, quæ sunt peccata, quæ leguntur scripta; Secundò materia proxima, quæ sunt actus pęnitentis, & per consequens talis confessio censetur valida.

R. 3. Inualidam esse confessionem, si pęnitens peccata scripta præberet Confessario, vt ea legeret. Ratio, quia confessio peccatorum debet esse ore, & non scriptis, & non potest confiteri per signa, & nutus, aut per interpretem, cum proprio ore confiteri quis debeat, & solum iste modus confitendi conceditur in casu necessitatis, & quando aliter peccata non possunt confiteri; sed confiteri per scriptum esset contra consuetudinem Ecclesię in re graui. Et ita Siluius *in addit. ad 3.part. quæst.9.art.3.* Fagundez *præcep.2.lib.3.cap.1.num.8.* Coninchus *de sacram.disp.6.dub.1.conclus.3. num.3.* Suarez *in 3.part. tom.4.disp.21.sect.3.num.5.* Filliucius *tom.1.tract.7.cap.1.num.14.* & alij.

An Confessarius dubitans, an habeat auctoritatem absoluendi à reseruatis, possit Pœnitentem absoluere?

BRACTEA XXIV.

R. Negatiuè. Ratio, quia absoluens cum tali dubio exponit se periculo impendēdi inualidam absolutionem, quia fieri potest, vt careat iurisdictione, & possessio stat pro peccatis, quæ constat esse reseruata.

R. 2. Posita iusta causa posse Confessarium indirectè, & sub conditione absoluere pęnitentem habentem peccata, de quibus dubitat, an sint reseruata. Ratio, quia tunc vtiliter gerit negotium pęnitentis, nullique facit iniuriam indirectè absoluendo, vel sub conditione, quoties habet iustam causam.

R. 3. Confessarium, qui non propriè dubitet, sed potius opinionem habet probabilem de iurisdictione posse à reseruatis absoluere pęnitentem, etiamsi opinio probabilis in contrarium adsit. Nam interueniente probabili opinione Ecclesia supplet iurisdictionem, sicut eandem supplet, quando aliquis titulo colorato, & errore communi vulgi pro legitimo Iudice habetur, vel Parocho, quamuis re ipsa non sit verè Iudex Parochus, Ita Lessius *lib.2. cap.29.dub.8.* Sanchez *lib.3.de matrim.disput.26.nu.6.* Coninchus *disp.8.dub.3. conclus.6. num.22.* Henriq. *lib.2.cap.14.num.3.& 4.* Reginaldus *lib.1.num.102.*

Suarez *disp.6 sect.6.* & alij. Vnde, qui cum opinione probabili, quod aliquod priuilegium non fuerit reuocatum absoluendi à reseruatis, & cum tali opinione aliquem absoluit, validè absoluere, etiamsi opinio illa probabilis à parte rei non subsistat. Nam Ecclesia supplet iurisdictionem. Ita Bonacina *de sacram. pœnitentiæ disp.5. quæst.7. punct.5. §. 4 num. 5.*

An quando Confessarius dubitat, an aliquod peccatum sit reseruatum possit ab ipso absoluere?

BRACTEA XXV.

R. In dubio facti cadentis sub reseruatione posse pœnitentem absoluere ab eo, nisi aliter decernatur in aliquo casu, aut nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium de reseruatione facti. Ratio, quia in dubio melior est conditio possidentis; Confessarius autem approbatus est in possessione suæ iurisdictionis. Tum etiam, quia odiosa sunt restringenda. Ita Suarez *de censuris tom. 5. disput.40. sect.6. num.5.* Henriquez *lib.6.cap.26.nu.7.* Sanchez *in summa lib. 2.cap.10.num.23.* & alij. Secus autem dicendum est, si adsit sufficiens præsumptio in contrariũ, qualis est si exterius proferat hæresim, & postea dubitet, an illam animo protulerit; hic enim præsumitur incurrisse excommunicationem Papæ reseruatam latam contra Hæreticos; nam possessio stat pro hæresi, quam cõstat esse prolatam, & omnis actus præsumitur secundum suam naturam, nisi aliter probetur. Nisi etiam aliter decernatur à iure, quia constat, superiorem posse in aliquo casu particulari decernere, vt quando dubitatur, an percussio Clerici fuerit leuis, mediocris, vel enormis? In quo casu percussio præsumatur enormis, & consequenter Sedi Apostolicæ reseruata.

An qui Confessario confessus est inualidè habenti facultatem reseruatorum, quoad reseruationem remaneat absolutus?

BRACTEA XXVI.

R. Affirmative. Quia pœnitens videtur satisfecisse fini reseruationis, & Confessarius satisfecisse suo muneri iniungendo pœnitentiam debitam, & medicinam. Tum etiam, quia actus, qui non valent, vt fiunt, valent eo meliori modo, quo possunt valere; vnde si actus absolutionis non valet quoad absolutionem peccatorum, quia confessio est inualida, valet tamen ad tolendam reseruationem, quæ etiam extrà Sacramentum pœnitentiæ tolli potest. Tum etiam, quia Confessarius intendit absoluere quantum potest; cum autem possit absoluere ad tollendam reseruationem, censetur ipsam auferre. Ita Caietanus *verbo casus reseruatus*, Coninchus *disp.8.dub.12. nu.91.* Syluester *verbo confessio 1 quæsito 9.* Reginald. *lib.8 num.62.* Rodriquez *quæstionum regularium tom. 2. quæst.21. artic.8.* Nugnus *in addit ad 3.part. dub. 4.* Henriquez *lib. 6. cap.16.num.5.* Suarez *disp.31.sect.4. num. 9.* Bonacina *de sacram. pœnit. quæst.7. punct.5. §.5. num.9.* & alij.

An Confessarius, qui non habet auctoritatem absoluendi à reseruatis, possit absoluere pœnitentem à non reseruatis?

BRACTEA XXVII.

R. Regulariter non posse Confessarium absoluere pœnitentem à non reseruatis dimittendo ipsum pro absolutione reseruatorum ad eum, qui habet auctoritatem absoluẽdi. Ratio, quia confessio debet esse integra, nisi aliqua iusta, & rationabilis causa excuset, cum vnum peccatum mortale non remittatur sine altero. Ita Syluester *verbo confessio quæst. 9.* Suarez *disp.31. sect.3 num.2.* Vasquez *quæst.91. art.3. dub.10.num.2.* & alij.

R. 2. Posita iusta, & rationabili causa posse Confessarium absoluere à non reseruatis dimittendo pœnitentem ad superiorem, vt absoluatur à reseruatis. Ratio est, quia posita necessitate, & rationabili causa habet Confessarius iurisdictionem indirectam supra peccata reseruata, & indirectè potest eos absoluere cum onere, & obligatione adeundi superiorem, vt directè absoluatur à reseruatis. Ita Bonac. *loco citato §.3. n.6.* Iusta autẽ causa dimidiandi confessionem est necessitas satisfaciendi præcepto, aut quando se exponit periculo mortali.

R. 3. Posse Confessarium ad vitandum scandalum speciale, vel grauem infamiam absoluere obstrictum necessitate celebrandi, vel communicandi indirectè à reseruatis. Ita Suarez *disp.31. sect.3. num.8.* Henriquez *lib.6.cap.15. nu.7.* Coninchus *disp.8.dub.13 num.106.* Medina *de confess. quæst.22.* & alij. Ratio patet ex suprà dictis.

R. 4. Confessarium posita iusta causa cum ratihabitione de præsenti posse directè absoluere pœnitentem à peccatis reseruatis. Ratio, quia ratihabitio de præsenti cõiuncta cum iusta causa dat iurisdictionem Confessario, & Confessarius posita tali ratihabitione, potest pœnitentem absoluere.

R. 5. Confessarium etiam in quibusdam casibus per epicheyam posse directè absoluere pœnitentem à reseruatis. Ratio, quia cum reseruatio sit medicina benignè est interpretando; vnde potest dari casus, in quo Confessarius præsumere possit, hic, & nunc non esse reseruatum ex intentione reseruantis.

An Confessarius si petat à Superiore licentiam absoluendi à reseruatis pro vna persona, possit ea vti pro seipso?

BRACTEA XXVIII.

R. Affirmative. Ratio, quia ex eo quod est Confessarius non censetur prioris conditionis, quam alia persona, & per consequens, si petat à superiore licentiam absoluendi pro alia persona potest pro seipso vti tali licentia. Tum quia petendo licentiam absoluendi à reseruatis pro persona tertia, cui Cõfessarius ipsam applicauerit, potest vti ipsa pro se sibi licentiam applicando.

An

An Superior dum absoluit à reseruatis, non auditis peccatis non reseruatis, dicatur Sacramentaliter absoluere?

BRACTEA XXIX.

R. Sacramentaliter absoluere, si penitens peccatum suum manifestet in ordine ad Sacramentum. Ita Sotus *dist.18. quæst.2. art.5.* Coninchus *disp.2.dub.9.num.82.* Suarez *disp.31.sect.1.num.2.* & alij. Ratio, quia illa manifestatio est sacramentalis,& ad illam concurrunt omnia requisita ad Sacramẽtum pęnitentię, materia ex parte pęnitentis,& iurisdictio ex parte absoluentis cum intẽtione absoluendi; & licet confessio non sit integra, materialiter est tamen integra formaliter, quæ integritas est sufficiens ad Sacramentum pęnitentiæ, & illa absolutio directè tendit ad peccata reseruata, indirectè verò ad non reseruata.

R. 2. Si peccatum non in ordine ad Sacramentum manifestetur, & superior non intendat sacramentaliter absoluere, tunc pęnitens non sacramentaliter absoluitur, nec illa absolutio confert gratiam, sed tollit solum reseruationẽ. Ratio est, quia Superior potest tollere reseruationẽ peccati absque sacramentali absolutionẽ. Ita Henriquez *lib.6.cap.4.n.10.* Coninchus *disp.8.dub.12.num.84.* Reginald. *lib.8.n.77.*

R. 3. Quando pęnitens à reseruatis sacramẽtaliter absoluitur directè à superiore de reseruatis, & posteà ab alio Confessario absoluitur directè à non reseruatis has duas confessiones esse duo Sacramenta pęnitentiæ, & non vnum. Ratio est, quia ambæ Confessiones habent omnia requisita ad Sacramentũ, cũ adsint materia, forma, & intentio absoluentis, qui intendit sacramentaliter absoluere, & intentio pęnitẽtis.

An pœnitens, qui iusta causa tacuit peccatum reseruatum, possit accedere ad Sacramentum Eucharistiæ, cum conscientia illius peccati ante præmissam confessionem?

BRACTEA XXX.

R. Pœnitentem, qui indirectè fuit absolutus à peccato reseruato non posse ante premissam confessionem, cum conscientia illius peccati indirectè absoluti accedere ad Sacramentum Eucharistiæ, aut nisi in casu necessitatis eliciat actum contritionis. Ita Suarez *disp.56.sect.3.* Nauarr. *cap.22. num.10.* Vasquez *3.parte tom.3.* Azorius *tom.1.lib.10.cap.31.quæsito 2.* Valentia *tom.4.disp.6.quæst.8.punct.3.*& alij plures. Ratio est, quia confessio de iure Diuino debet præcedere sumptionem Eucharistiæ, nisi aliqua iusta causa excuset. In quo casu tenetur elicere actum contritionis. Vnde D. Paulus *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat 1.Corinth.cap.11.* quæ probatio regulariter est per confessionem, & in casu necessitatis per contritionem cum proposito confitendi. Vnde Sacerdos, qui inchoata Missa recordatur alicuius peccati obliti non tenetur recedere ab Altari, vt confiteatur, nec vocare ad se Confessarium, quamuis commodè, & sine scandalo possit ipsum vocare; sed satis, quod tunc eliciat actum contritionis, & quamprimum commodè poterit posteà confiteatur; nã Sacerdos, qui vrgente necessitate cum conscientia peccati mortalis contritus celebrauit, tenetur quamprimũ confiteri; Si verò ex malitia ipsum tacuit, non tenetur quamprimum confiteri, cum Concilium loquatur solum de eo, qui vrgente necessitate cum conscientia peccati celebrauit, non autem de eo, qui ex malitia ipsum tacuit. Similiter, quando ex ignorantia inuincibili aliquod tacuit, ex præcepto Concilij Tridentini. Si verò recordatur peccati post consecrationẽ, ante sumptionem tenetur quamprimum ipsum confiteri, ex Concilio Tridentino, quia tunc vrgente necessitate celebrat non præmissa confessione. Similiter etiam Sacerdos, qui more laicorum communicatur cum conscientia alicuius peccati taciti, non obligatur ex Concilio Tridentino quamprimum confiteri, quia solum obligat eos Sacerdotes, qui vrgenti necessitate tenentur celebrare. Laicus verò, qui cum conscientia peccati suscepit Sacramentum Eucharistiæ non tenetur quamprimum confiteri, sed solum suo determinato tempore, vel cum denuò volerit suscipere Sacramentum. Ita Suarez *disp.66.sect.7.* Coninchus *quæst.80. art. 4. dub.2. num. 24.*

An Confessarius possit absoluere subditum alterius Diœcesis à peccato reseruato in illa, & in Diœcesi Confessarij non reseruato?

BRACTEA XXXI.

R. Affirmatiue. Ratio, quia Confessarius impendit absolutionem secundum iustitiam fori, in quo ministrat Sacramentum pęnitentiæ; at in isto foro, seu Diœcesi, vt supponitur non datur talis reseruatio, & per consequens potest absoluere subditum alterius Diœcesis à peccato reseruato in illa Diœcesi; modò in propria non sit reseruatum. Tũ etiam, quia Confessarius non tenetur scire peccata alijs Episcopis reseruata.

An Confessarius, qui absolutè absoluit pænitentem absoluat, ipsum à peccato reseruato oblito?

BRACTEA XXXII.

R. Affirmatiue. Ratio, quia Confessarius habet iurisdictionem absoluendi, & pęnitens facit quod in se est; seque constituit præsentem Sacerdoti facultatem reseruatorũ habenti, vt ab eo recipiat absolutionem, & satisfactionem, quam Confessarius iudicauerit iniungendam iuxtà pęnitentis dispositionẽ, & per consequens Confessarius validè absoluit, & pęnitens absolutionem consequitur. Ita plures citati apud Bonacinam *disp.5. quæst. 7. punct.5. §.5.num.1.* etiamsi illa peccata habeant adnexam excommunicationem. Ratio, quia Confessarius primò absoluit pęnitentem ab excommunicatione in quantum potest, cum absolutio peccatorum nequeat impendi excommunicato ante absolutionem à censuris, deinde

de absoluit ipsum à Peccatis, & si Confessarius habeat intentionem absoluendi absolutè Penitentem esse non modo à censuris, sed etiā à peccatis reseruatis non modo confessis, sed etiam oblitis. *Ita plures apud* Bonacin. *de Sacramento Penitentiæ disp.5. quæst.7. pun 5.* §. *5. num.3.* Verum iuxtà Vasquez *3.parte quest.91.art.3.dub.5.num 11.& 12.*Suarez *disp.76 sect. 6.* Pœnitens non remanet absolutus à reseruatione peccatorum oblitorum, si Confessarius non habuit intentionem absoluendi à reseruatis; forma enim absolutionis non operatur vltra intentionē proferentis, & actus agentium non operantur vltra intentionem eorum.

R.2.Reseruationem non tolli per quamcunque absolutionem collatam ab habente facultatem, sed per absolutionem datam cognito peccato reseruato, vel ab habente intentionem auferendi reseruationem. Vnde pœnitens, qui fuit absolutus à Cōfessario habente solum cōmunem intentionem absoluendi, licet remaneat absolutus à Peccatis quoad culpam non tamen remanet absolutus à peccato reseruato, quia proinde est ac si fuisset absolutus à non habente auctoritatē. *Ita apud* Bonacin.*loco citato.*

R.3. Penitentem remanere absolutum à reseruatis etiamsi expresse, & explicitè eorum non petat absolutionem, dum confitetur Cōfessario habenti auctoritatem circa reseruata, & habenti intentionem absoluendi à reseruatis. Ratio, quia & si Penitens non petat explicitè, tamen censetur implicitè petere, quoties accedit ad Confessarium, vt à peccatis absoluatur. Ita Coninchus *disp.8.dub.12.*

An pueri ante pubertatis annum completum subijciantur reseruationi casuum?

BRACTEA XXXIII.

R. Non subiici reseruationi casuum ante completum pubertatis annum, idest ante annum decimumquartum completum. Ita Paludanus *in 4.sententiarum dist.34.quæst.2.art.1.* Grassius *tom.1.consiliorum lib.5. de adulterio cons.3.num.13.* Bellocchius *de casuum reseruatione par.2.quæst.1.num.103.& quæst.7. num. 66.* Ratio, quia sicut minor ætas in foro exteriori excusat à pœna, ita & in animæ iudicio.

Sciendum, quod licet pueri post septennium subijciantur legibus Ecclesiæ, ita vt obligentur ad Missam, ad confessionem, &c. tamen legibus pœnalibus Ecclesiæ non subduntur, Ieiunio v.g. & similibus præceptis ob defectum ætatis, ita etiam dicimus non subiici reseruationi casuum, quæ est quasi quædam pœna animæ, licet plures Doctores sint contrariæ opinionis.

An Confessarius possit in pœnitentiam sacramentalem opus præcepti imponere?

BRACTEA XXXIV.

R. Affirmatiue. Ratio est, quia vt alibi est dictum opus præceptum est meritorium, & illo perfici potest Sacramentum. Et ita Vasquez *in 3.par tom.4.quest.94.art.1.dub.6.* Hurtadus *difficult.8.* Coninchus *de sacramentis dub.8.* Mercerus *quæst.14. dub. 4.* & in eo casu si pœnitens omitteret illam pœnitentiam, dupliciter peccaret: primò omissione præcepti: secundo omissione pœnitentiæ, sicut è contra illam explendo duplicem fructum reportabit, vnum ratione præcepti, alterum ratione pœnitentiæ. Ita Mercerus *loco cit.*

R. 2. Confessarium posse imponere penitentiam per alium implendam. Ratio, quia sicut vnus pro alio potest satisfacere, ita pro altero potest facere pœnitentiam, tum etiam quia obligatio implendi penitentiam oritur ex voluntate Confessarij; ergo quando Confessarius id precipit iustè per alium potest impleri. Ita Suarez *tom.4.disp.18.sect.9.* Reginaldus *tom.1.lib. 7. cap. 7.quæsit.2.* Tannerus *tom.4.disp.6 quæst.8.nu. 11.* Mercerus *de sacramentis in supplementum partis tertiæ quæst. 15.dub.7.num 4.* & alij.

R. 3. Confessarium posse imponere in penitentiam opus internum. Ratio, quia sicut Confessarius potest absoluere ab internis peccatis, ita ad actus internos penitentem obligari potest; & quamuis tales actus non sint sensibiles per se, sunt tamen sensibiles per accidens. Ita Hurtadus *difficult.7.* Suarez *loco cit. sect. 6.* Mercerus *dub.2.* Coninchus *disp.10.dub.8.*

An Confessarius possit absoluere habentem obligationem restituendi, antequam actualis restitutio fiat?

BRACTEA XXXV.

R. Affirmatiue, modò penitens habeat firmum propositum satisfaciendi suę obligationi, quamprimum opportunè poterit; Ratio, quia præceptum restituendi non obligat metaphysicè, idest statim, sed moraliter, idest statim, ac commodè potest.

R. 2. Si penitens non habeat firmum propositum restituendi, quamprimum potuerit, Confessarius non potest ipsū absoluere. Ratio, quia non censetur sufficienter dispositus, cum inter cæteras penitentis dispositiones requiratur propositum vitandi peccata in futurum, & consequenter satisfaciendi quamprimum præceptis, & obligationibus, tum etiam quia denegatio absolutionis prodesse solet penitentibus, qui tardiores sunt in restituendo. Ita apud Bonacinam *disput. 5. de sacramentis quæst. 7. pun.4.* §. *2. num.20.*

R. 3. Confessarium teneri admonere penitentem de obligatione restitutionis. Ratio, quia Confessarius tenetur docere penitentem, quæ prudenter iudicauerit saluti penitentis expedire, & ad proprium officium pertinere; cum autem spectet ad salutem restituere malè ablatum, idcircò Confessarius tenetur admonere penitentem de obligatione restitutionis.



An

An Confeſſarius, qui culpabiliter non admonuit Pœnitentem de obligatione reſtitutionis teneatur ipſe reſtituere?

BRACTEA XXXVI.

AFFIRMATIVAM ſententiam ſequuntur Didacus Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. quaeſt. 8. art. 4. dub. 6.* Petrus Nauarra lib. 3. *cap. 4. num. 125.* Nauarrus *cap. 17. num. 140.* Zanardus *in director. Confeſſ. part. 2. pun. 7. cap. 26. dub 3.* Gabriel *in 4. diſt. 15. quaeſt. 2. art. 3.* Mollina *tom. 3. diſp 335.* Silueſter *verbo vſura 7. quaeſt. 2.* & alij. Ratio, quia Parochus, ſeu Confeſſarius tenetur ex officio docere Pęnitente, cum ergo non admoneat, facit contrà ſuum officium, & conſequenter eſt cauſa virtualis, cur pęnitens non reſtituat: tamen.

R. Negatiuè, cum ſententia citata in praxi ſit difficilis. Ratio eſt, quia officium Confeſſariorum eſt in ordine ad ſpiritualia; & non admonendo pęnitentem non cenſetur peccare contra iuſtitiam proprij officij; tum etiam, quia non admonendo, non cenſetur cauſa dãni, quoniam adhuc, & pęnitens remanet obligatus ad reſtitutionem faciendam, & hanc ſententiam ſequuntur Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 10.* Valentia *tom. 3. diſp 5. quaeſt. 6. pun. 3.* Sanchez *in ſumma lib. 1. cap. 6. num. 5.* Filliucius *tom. 1. tract. 7. cap. 12.* Coninchus *de ſacrament. diſp. 7. dub. 16. num. 144.* Reginald *lib. 10. tract. 2. num. 44.* Azorius *3. part. lib. 4. cap. 16. quaeſit. 3.* Rebellus *part. 2. lib. 17. quaeſt. vlt. num. 12.* Em. Sà *verbo Reſtitutio num. 21.*

R. 2. Quod ſi Confeſſarius pęnitẽti obligato ad reſtitutionem, dicat non eſſe obligatum, tũc Confeſſarium obligari ad reſtitutionem, cum ſentiatur cauſa efficax damni. Ita Suarez *in 3. part. tom. 4. diſput. 32. ſect. 6.* & alij citati.

Ex qua culpa teneatur Confeſſarius?

BRACTEA XXXVII.

R. CONFESSARIVM teneri de damno ſua culpa lata ſecuto. Ratio, quia tenetur ſcire, ex officio, & præſtare ea, quæ ſciunt, & pręſtant alij Confeſſarij eiuſdem conditionis, & quando ea non ſit, vel non præſtat, tenetur de culpa lata, & conſequenter ad reſtitutionem damni ſequuti. Vnde quando dicit, pœnitentem non teneri ad reſtitutionem obligatur ad reſtitutionem, cum culpa lata, peccet contrà proprium officium.

R. 2. Confeſſarium non teneri de damno ſua culpa leui ſecuto. Ratio eſt, quia non tenetur adhibere maiorem diligentiam; quam alij teneantur adhibere exercendo tale officium, ergò non tenetur de leui, cum hoc ſit teneri de leui, adhibere maiorem diligentiam; quam adhibeant alij eiuſdem conditionis. Ita Rebellus *1. part. lib. 1. de contractibus quaeſt. 10. num. 12.* Silueſter *verbo culpa num. 6.* Azorius *3. part. lib. 4. cap. 11. quaeſit. 6.* & alij.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius ergà pœnitentem, qui reſtitutionis onere detinetur?

BRACTEA XXXVIII.

R. PRIMO non poſſe abſoluere pęnitentem, qui non habet firmum propoſitum reſtituendi quamprimum poterit data opportunitate. Ratio, quia non reſtituendo cum poſſit, cenſetur eſſe in ſtatu peccati mortalis; vnde qui de præſenti poteſt commodè reſtituere, & in futurum vult differre, vel vſque ad mortem non poteſt abſolui. Ita plures apud Bonacinam *diſp. 1. de reſtitut. quaeſt. 6. pun. 1. num. 15.*

R. 2. Non poſſe Confeſſarium abſoluere eum qui cum poſſit reſtituere totum id, quod debet non vult reſtituere, niſi per partes abſque creditoris aſſenſu, cum non poſſit Confeſſarius abſque cauſa dilationem concedere. Ita Molina *diſp. 756.* & alij.

R. 3. Confeſſarium non debere abſolutionem impendere ei, qui ſæpius promiſit Confeſſarijs reſtituere, & non reſtituit, cum poſſet commodè reſtituere, nec obtinuit dilationem à Creditore. Ratio, quia nolens reſtituere exiſtit ſemper in proxima occaſione peccandi quamdiù non reſtituit, cum detentio rei alienæ ſit illi cauſa peccandi; tum quia confeſſarius facilè poteſt præſumere ex præteritis promiſſionibus pęnitentem obtenta abſolutione non reſtituturum, & non habere debitum dolorem, aut firmum propoſitum vitandi peccata. Ita Caiet. *in ſumma verbo reſtitutio cap. 6.* Petrus Nauarra *lib. 4. cap. 4. num. 79.* Azorius *3. part. lib. 4. cap 34. quaeſito 4.*

R. 4. Confeſſarium non poſſe vrgere pęnitentem ad reſtitutionem, quam non poteſt facere, niſi cadat à proprio ſtatu iuſtè acquiſito, licet in iſto caſu teneatur diminuere expenſas, vt paulatim poſſit reſtituere, quia ſic recta ratio dictare videtur, ne creditor tantum detrimentum patiatur. Ita apud Bonacinam *diſp. 1. de reſtitut. quaeſt. vlt. pun. 1. num. 25.*

An Confeſſarius poſſit abſoluere eum, qui contrà Principis edictum transfert triticum?

BRACTEA XXXIX.

R. DEBERE illi abſolutionem denegare, quando ex tali tranſlatione ſequitur Reipublicæ graue detrimentum, niſi emendationem proponat in futurum, etiamſi transferenti graue periculum immineat, aut aliud notabile nocumentum. Ita Bonacina *diſp. 1. quaeſt. 1. pun. 1. num. 7.*

An Confeſſarius teneatur admonere eos, qui ex ignorantia vincibili & culpabili matrimonium contraxerunt cum impedimento?

BRACTEA XL.

R. AFFIRMATIVE; quia Confeſſarius tenetur ex officio inſtruere, & admonere peni-

pęnitentes, etiamsi non speretur fructus emendationis. Ratio, quia Confessarius obligatur ex iustitia suum munus persoluere. Ita Sotus *in 4. dist.18. quest.2. art.4.* Aragonius *2.2. quest.33. art.6.* & alij.

R. 2. Confessarium non teneri admonere eos, qui inualidè contraxerunt matrimonium ex ignorantia vincibili iuris, vel facti, quando remedium est difficillimum, ita vt scandalum, vel notabilis infamia inde sequatur, modo tamen non sit periculum damni communis. Ratio, quia præceptum Charitatis non obligat, quando remedium iudicio prudentis est difficillimum, & censetur potius nociturum, quàm profuturum. Quādo verò speratur admonitio profutura sine graui scandalo, vel detrimento Cōfessarius eos admonere tenetur. Ita Sanch. *lib.2 disp.38.* Vasq. *de pęnit.q.95.art.3.dub.9.* Henriq. *lib.6.c.27.n.4.* Reginald. *lib.2.n.45.* Conrad. *1.part. quest.141.* Gutierez *de matrim. cap.88.* Coninchus *disp.8.de pęnit.dub.17.num.136.* & alij.

Quando erit periculum damni communis Confessarius tenetur admonere, etiamsi non speretur fructus, & remedium sit difficillimum, vt quando impedimentum est publicum. Ratio, quia bonum commune præferendum est priuato. Ita Sanchez, & Gutierez locis citatis.

An Confessarius coniugi neganti debitum ex alia causa, existenti in ignorantia inuincibili valoris matrimonij possit præcipere, vt reddat debitum?

BRACTEA XLI.

R. Confessarium nec in genere loquendo, nec in specie posse præcipere coniugi, qui inualidè ignorantia inuincibili contraxit, & ex alia causa non vult reddere debitum, v. g. ex odio, vt reddat debitum. Ratio, quia ipse faceret contra propriam conscientiam persuadendo, & persuaderet ad id, quod scit esse intrinsecè malum, cum matrimonium sit nullum ob impedimentum dirimens etiam inuincibiliter ignoratum, sed prudenter debet se gerere, ne existenti in bona fide ingerat dubium, & poterit dicere, coniuges teneri reddere debitum, & sic relinquere eos in bona fide. Ita Coninchus *loco citato* Henriquez *lib.6. cap.27.num.5.*

Et quid si alter contrahentium sit dubius, & interroget Confessarium de veritate?

BRACTEA XLII.

R. Tunc teneri dicere veritatem, quamuis credat se nihil profuturum manifestando veritatem. Ratio, quia pęnitens dubius non dicitur laborare ignorantia inuincibili, sed potius vincibili, cum dubitet de impedimento, tum quia interrogatus non manifestando veritatem censetur approbare errorem. Ita Henriquez *lib.6.cap.27.num.5.* Arragonius, & alij citati à Bonacina *de matrim. quest.2. pun.vltimo num.11.*

An Confessarius teneatur petere licentiam à pœnitente, vt ipsum admoneat extrà Confessionem de impedimento?

BRACTEA XLIII.

R. Non teneri. Ratio, quia Confessarius non potest vti scientia in confessione habita ad aliquid faciendum, vel omittēdum, vel ad remedium exhibēdum extrà illam, quia notitia confessionis ordinatur solum ad forum conscientiæ, non autem extrà. Ita S.Th. *in 4.dist.21.quest.3 art.1.* Sanchez *lib.3.disp.16.num.16.* Gutierez *cap.60.* Silnester *verbo confessio quæsito 14.* & alij.

MALLEATIO XVI.

De Confessario sollicitante.

An Confessarius sollicitans in confessione sit denunciandus?

BRACTEA I.

R. Esse denunciandum, etiamsi delictum probare non possit. Ratio est, quia licet denunciator regulariter probare debeat suam denunciationem, tamen, in materia inquisitionis de consuetudine seruatur contra. Ita plures citati apud Dianam *tract.4. de denunciationibus resolut.1.*

R. 2 Confessarium sollicitantem in confessione esse denunciandum, etiamsi de tali crimine non sit infamatus. Ratio, quia in crimine sollicitationis potest fieri inquisitio, quamuis non præcedat infamia, quod colligitur ex verbis Constitutionis Pontificiæ, ibi diligenter inquiras, & iuxta facultatem tibi contrà Hæreticos, &c. procedas Diana *tract. 1. de Confessarijs sollicitantibus resout.1.*

An ante correctionem sit denunciandus?

BRACTEA II.

NEgatiuam sententiam tuentur D.Thom. *2.2.quest.35.art.7.* Sotus *de iustitia lib.5. quest.5. art.1.* Siluester *verbo correctio quest.5.* Lazarius *tracta de blasphemia quest.12. num.3.* Angelus *verbo denunciatio quest.2.* Canus *de locis Theologicis lib.12.cap.9.* Rosella *verbo inquisitio num.1.* & alij, sed:

R. In casu sollicitationis denunciationem faciendam esse ante correctionem. Ratio, quia correctio licet debeat præcedere denunciationem Euangelicam, quæ solum intendit emendationem, non tamen debet præcedere iudicialem, quæ intendit vindictam, qualis est quæ fit Sancto Tribunali Inquisitionis. Ita Suarez *tract. de fide disp.20 sect.4.num.11.* Henriquez *lib.2.cap.24.num.10.* Azorius *par.1 lib.8.cap.19.nu.9.* Sanchez *in selectis disput.11. num.56.* Simanchas *in Catholica institutione tit.19.num.11.* Lorca *2. 2. sect.3. disp.47.num.23.* Coninchus *de fide, &c. disp.28.dub.8. num 151.* Bannes *2.2.quest.23.art.8.* Turianus *in 2.2. tom 1.disp.58.dub.3.*

R. 2. Fœminam sollicitatam teneri sub peccato

cato mortali denunciare sollicitantem. Ita Henriquez *lib 6. cap. 3. num. 6.* Rodriquez *quæstionum regularium tom. 2. quæst. 27. art. 1.* & alij.

An Confessarius tradens chartam fœminæ in confessione, in qua ipsam sollicitat, sit denunciandus?

BRACTEA III.

R. Primo sollicitationem fieri quatuor modis; Primò verbis; secundò signis; tertiò scriptura; quartò quando Confessarius cum pœnitente facit actus impudicos, vel cum ea turpia loquitur.

R. 2. Confessarium tradentem chartam feminæ, in qua ipsam sollicitat esse denunciandum. Et ita Sanctius *in selectis disp. 11. num. 31.* vbi sic ait, Confessarius pœnas breuis non effugiet si chartam continētem sollicitationem tradat feminæ pœnitenti in confessione, quamuis non statim legendam conferat; nam cum traditur charta in Sacramento incipit sollicitatio, & iniuria fit Sacramento, quo monendum erat pœnitenti vitam in melius mutare instrumentum conferatur, quo saucietur. Ita ille, & alij.

An paruitas materiæ excuset pœnitentem à denunciatione?

BRACTEA IV.

R. Paruitatem materiæ non excusare pœnitentem à denunciatione. Et ita Sanctius *in selectis loco cit. num. 22.* vbi sic ait. Quamuis manum, brachium, vel pedem feminæ premere, vellicare digitos, intorquere mamillas, tangere, & similia, peccata sint venialia, intrà genus luxuriæ, dummodo absit finis mortalis, vel pollutionis periculum, vt docent Nauarrus *cap 14. num. 31.* Sanchez *de matrim. lib. 9 disp. 86. num. 16.* Salas *in 1. 2. quæst. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 24.* & alij, quæ tamen si fierent tempore ministrationis Sacramenti, vel immediatè ante, vel post erunt mortalia ob iniuriam illatam Sacramēto, & quamuis intra genus castitatis leuia sint, intrà tamen Religionis genus grauia reputantur. Ita Sanctius; & per consequens paruitatem materiæ non excusare à denunciatione, tum etiam, quia ex illis actibus præsumeretur, Confessarium velle vlterius progredi; vnde pœnitens in tali casu moraliter deberet præsumere illos tactus cum malitia mortali Confessario adhibitos fuisse; & ideò denunciationis nexu se ligari. Ita Diana *de Confessarijs sollicitantibus resolut. 5.*

An Confessarius emendatus sit denunciandus?

BRACTEA V.

Affirmatiuam sententiam sequuntur plures citati à Diana *loco citato resolut. 3.* & ratio illorum est, quia hæc denunciatio tendit ad punitionem, & non ad correctionem.

Negatiuam sequuntur Sotus *lib. 3. quæst. 7. art. 5.* Naldus *in summa verbo accusare* Victorelus *in notis ad manuale Nauarri cap. 25. num. 33.* Molphæsius *in summa tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 21.* Genuensis *in praxi cap. 18. num. 6.* Zanardus *in director. Confessorum par. 3. c. 31.* Rodriquez Acugna *in tract. de Confessarijs sollicitantibus quæst. 3. num. 15.* Megala *in 1. parte lib. 1. cap. 3. num. 26.* Portella *in addit. ad dubia regularia verbo sollicitare feminas num. 18.* vbi sic ait. Si femina sollicitata certò sciat, Confessorem esse pœnitentem, & moraliter intelligat pœnitentiam illius de præterito esse veram, non tenebitur denunciare, quia finis denunciationis est emendatio proximi; cum verò femina intelligat moraliter Confessorem esse emendatum cessabit obligatio denunciationis, quia cessauit finis illius, qui est emendatio proximi. Ita Portella *loco citato*, & idem docet Peijrinus *in priuileg ordin. minimorum tom. 1. constitut. 4.* Gregorij 15. *§. 6. num. 31.* ita asserens, si mulieres sollicitatæ constet de emendatione sollicitantis non tenetur denunciare cum probauerimus hoc peccatum fraternam correctionem admittere si hęc profuit, vel sine hac peccatum sit emendatum, non est cur ad denunciandum procedatur. Ita ille, dubium tamen est, quando quis sentiatur emendatus, vt quis non teneatur ratione edicti denunciare. Filliucius *in cap. testimonium de testibus*, asserit aliquem probare se esse emendatum, quando fecit confessionem sacramentalem. Genuensis *in summa cap. 18. num 6.* putat quod præsumi possit emendatio, si talis consecutus esset Iubilæum, Homobonus *de exam. Ecclesiasticorum part. 1. tract. 7. cap. 7. quæst. 33.* Freijtas *in addit. ad tractatum de Confessarijs sollicitantibus quæst. 8. num. 32.* Riccius *part. 2. decis. 159. num. 14.* & alij, & asserunt, quod qui per triennium benè vixerit emendatus præsumitur, alij verò putant id arbitrio boni viri remittendum esse, qui considerata qualitate personarum totum iudicabit cum prudentia, & maturitate.

An Confessarius audiens in confessione mulierem incidisse in peccata carnis extrà Ecclesiam ipsam sollicitans, sit denunciandus?

BRACTEA VI.

R. Affirmatiue, & ita Peijrinus *in priuilegijs minimorum tom. 2. constitut. 4.* Gregorij 15. *Scholion 2. num. 2.* vbi sic ait, occasione confessionis diceretur sollicitare Confessarius, qui audiens mulierem in confessione, eamque leuem ibi cognoscens, lenonem paulò post ad dictam mulierem mitteret eamquè domum intrantem sollicitaret, seu etiam in itinere. Ita ille qui citat Graphium.

Sciendum tamen, quod si inter Sacramentum, & sollicitationem detur maxima distantia temporis, ita vt actus sollicitationis moraliter non possit continuari cum Sacramento tunc licet malè faciat vtendo scientia in confessione habita, tamen non erit denunciandus. Ratio, quia actus sollicitationis neque moraliter, neque physicè incipit in locis prohibitis, cum prætextus confessionis, debeat esse immediatus, & proximus, non autem remotus à loco, & statu confessionis, vt docet Sousa *opusculo de Confessarijs sollicitantibus in addit. num. 10.*

R. 2. Confessarium qui cum femina in Confessionali alloquitur de negotijs, & sollicitationem interponit, licet de iure antiquo non

ſit denunciandus, tamen de iure nouo, & poſt conſtitutionem Gregorij XV. eſſe denunciandum; vt apparet ex verbis Bullæ, ſiuè extra occaſionem confeſſionis, &c. in quibus clarè Summus Pontifex determinat, Confeſſarium eſſe denunciandum, etiamſi extrà confeſſionem in Confeſſionali fęminam ſollicitet.

An Confeſſarius qui ſollicitat fœminam dicentem ſe cras velle confiteri, & Confeſſionem diſſuadet, ſit denunciandus?

BRACTEA VII.

NEGATIVAM ſententiam tenet Sanctius *in ſelectis diſp.11.num.49.* Caſtrus Pallaus *tom.1. tract.4.diſp.9.pun.8.num.8.* ſed.

R. Iuxta Bullam Gregorij XV. eſſe denunciandum, quia hæc ſollicitatio efficitur in cõfeſſionali, & Confeſſarius, dum pęnitentem ſollicitat, ſimulat eius confeſſionem audire, & ideò denunciandus. Ita Fagundez *de precept. Eccleſiaſticis part.2 lib.4.cap.3.num.49.*

R. 2 Si Confeſſarius talem fęminam extrà confeſſionem ſollicitaret, non eſſet denunciandus, cum fęminam non ſollicitet in confeſſionali prætextu confeſſionis, & cum non faciat actum prohibitum per Bullam, ideò non eſt denunciandus.

R. 3. Confeſſarium qui cum Matre loquitur in confeſſionali de proſtituenda filia amico vigore Bullæ eſſe denunciandum, vt patet ex eius verbis, Ad inhoneſta, ſiuè inter ſe, ſiuè cum alijs perpetranda, &c. Ita Sanctius *in ſelectis diſp.11.num 43.& 44.* Naldus *in addit.ad ſummam verbo confeſſio num.31.* Sanctarellus *de hareſi cap.84. dubit.vnica num.19.*

An qui non eſt Confeſſarius ſi in confeſſionali ſollicitet ſit denunciandus?

BRACTEA VIII.

R. Eſſe denunciandum, etiamſi non ſit Confeſſarius. Ratio, quia in Bulla Gregorij dicitur, declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam Sæculares, quã quorumuis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum ordinum inſtitutorum Societatum, & Congregationum regulares cuiuſcumque dignitatis, &c. Tum etiam, quia Summus Pontifex vult in dicta conſtitutione eſſe denunciandos, non modo Confeſſarios ſollicitantes in confeſſione, ſed etiam ſub ijs verbis declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes, tam Sæculares, &c. ſollicitantes prætextu confeſſionis, ſiuè extrà occaſionem confeſſionis in confeſſionali. Et ita etiam Sanctius *in ſelectis diſp 11.num.39.* & alij.

R. 2. Confeſſarium, qui ſolum ſignis, aut nutibus ſollicitat eſſe denunciandum, & ita Souſa *in Aphoriſmis inquiſitionis lib.1.cap.34.num.54.* & Peyrinus *in priuilegijs minimorum tom 2.conſtit.4.* Gregorij 15. §.6.*num.21.* vbi ſic ait, Mulieres ſi non ſolum verbis claris, ſed etiam tacitis, ſeu obſcuris, & ambiguis, ſeu etiam nutibus, vel tacitibus fuerint à Confeſſario ſollicitatæ debent eos Inquiſitoribus denunciare. Ita ille.

An Confeſſarius ſollicitans non ad turpia, & inhoneſta, ſed ad alia peccata ſit denunciandus?

BRACTEA IX.

R. Vigore Bullæ Gregorij XV. non eſſe denunciandum. Ratio, quia verba Bullæ diriguntur ad ſollicitationem carnalem, & in delictis non fit extenſio *cap.in pęnis de regulis iuris,* & ita in terminis Bullæ Clementis Octaui, & Pauli Quinti iam docuerunt. Paramus *de origine inquiſitionis lib.3.queſt.10.num 121.* Aloyſius Bariola *in floribus inquiſitionis,* Scortia *in Bulla Pontificis Epitome 77. theoremate 197.* Molphæſius *in ſumm. tom 1. tract 7. cap.24. num.31.* Rodriquez Acugna *tract. de Confeſſarijs ſollicitantibus qu.8.* citati à Diana *tract.4.de denunciationibus reſolut.20.*

An Confeſſarius ſit denunciandus ſi ſollicitet fœminam in alijs Sacramentis?

BRACTEA X.

R. Negatiue. Ratio, quia in conſtitutionibus Pontificum ſolum fit mentio de ſollicitante in Sacram. Pœnitentiæ, tum etiam quia in alijs Sacramentis, non ita facilè Confeſſarius poteſt arripere occaſionem ſollicitãdi, vt in Sacram. Pęnitentiæ, cum in illo fęminæ carnalia peccata manifeſtent, & inclinationem ad ea, vndè facilè Confeſſarius poteſt arripere occaſionem ſollicitandi, quod non ita accidit in alijs Sacramentis, & ideò Pontifices intenderunt obuiare ſuis Conſtitutionibus abuſibus, qui in illo Sacramento frequentiùs accidunt, & ita Auegna *queſt.16.num 6.* Peregrinus *in Conſtitutionibus Clericorum part.1.cap.5.* Leſana *in ſumma queſtionum regularium cap.19. num 34.* Sanctius *in ſelectis diſp.11. num.42.* Peijrinus *in priuilegijs minimorum tom 2. conſtitut.4. Gregorij 15. §.5. nu.17.* Diana *tract. de Confeſſarijs ſollicitantibus reſolut.16.* & alij.

An Confeſſarius, qui laudat mulierem ex pulchritudine, venuſtate, &c. dicatur ſollicitare?

BRACTEA XI.

R. Affirmatiue, & eſſe denunciandum, modo non præſumatur, Confeſſarium, qui laudauit fœminam ex pulchritudine, & venuſtate protuliſſe hæc verba alio fine, quam intentione aliciendi ad actus inhoneſtos. Et ita Acugna *de Confeſſarijs ſollicitantibus queſt.7.nu.13.* Barboſa *de officio Parochi cap.19.num.49.* & Peijrinus *de priuileg.minimorum tom.2 conſtitut 8. Gregorij 15. §.6.num.21.* vbi ſic ait, Inquiſitores poſſunt, ac debent procedere contra Confeſſarios, qui nõ verbis expreſſis, ſed ſolum tacitis, & occultis alliciunt pęnitentes ad actus inhoneſtos, vt ſi illas de pulchritudine, venuſtate, &c. laudent. Ita ille.

Nega-

Negatiuam sententiam tuentur Sousa *in aphorism. inquisit. lib. 1. cap. 34 num. 5.* & Freita *de Confessarijs sollicitantibus quæst. 7. num. 44. & 45.*

An si Confessarius statim pæniteat post sollicitationem, sit denunciandus?

BRACTEA XII.

R. Esse denunciandum. Ita Sanctarellus *tract. de hæresi. cap. 44 dub. vnico num. 18.* etiamsi ex magna perturbatione animi, & vehementi passione fuerit motus ad huiusmodi sollicitationem. Ratio, quia sicut ex altera opinione licet denunciare Confessariū emendatū, ita &c. & supposito etiā, quod Cōfessarius emendatus, non esset denunciandus, tamen in isto casu magna prudentia opus est, quia quilibet Confessarius sollicitans ad effugiendam denunciationem potest dicere se pęnituisse sollicitationis factę. Diana *loco citato resolut. 22.*

An Pœnitens teneatur denunciare Confessarium, si ex illa denunciatione timeat notabile damnum?

BRACTEA XIII.

Bonacina *in tract. var. disp. 6. pun. 1. §. 3. num. 6. & pun. 3. num. 11* affirmatiuam sententiam tenet, tum quia nunquam huiusmodi periculum imminet; tum quia incommoda, quæ sequuntur ex abusu Sacramenti pęnitentiæ præualent incommodis personarum priuatarum.

R. tamen cum Peijrino *de priuilegijs minimorum tom 2. constitut. 4. Gregorij XV. §. 9. nu. 28.* Sanctio *in selectis disp. 11. num. 55.* Lesana *in summa quæstionum regularium cap. 19. num. 34.* Acugna *de Confessarijs sollicitantibus quæst. 19. num 6.* Sousa *in aphorism. inquisit. lib. 1 cap. 34. nu. 58.* negatiuè, dummodo ex omissione denunciationis non periclitetur fides, quia tunc nō potest omitti denunciatio, etiam si sequatur aliquod damnum in fama; vel in bonis non modo fœminæ denuncianti, sed etiam parentibus.

An sit denunciandus Confessarius, qui prætextu confessionis vocatus est in domo, si posteà ibi Pœnitentem sollicitet?

BRACTEA XIV.

R. Si casualiter ipsam sollicitet, vel rem cum ipsa habeat non esse denunciādum, dummodo non sollicitet ipsam in confessione, etiamsi antea fuerit aliquis tractatus remotus de culpa habenda, qui tractatus remotus nihil ad rem facit, siue simuletur, siue non cōfessio, & prætextus confessionis de quo agit constitutio Gregorij XV. debet esse proximus, non autem remotus à loco, & statu confessionis. Ita Freitas *de Confessarijs sollicitantibus quæst. 15. nu. 44.* Secus verò si Confessarius accedat cum intentione sollicitandi prætextu confessionis audiendæ, & intentione venereorum agendorum.

An mandans Confessario, vt sollicitet pro se Pænitentem sit denunciandus?

BRACTEA XV.

R. Non esse denunciandum. Ratio, quia verba legis pęnalis sunt formaliter, & propriè accipienda, non autem extendenda, & sicut non incurrit in excommunicationem latam contrafacientem, si quis mandauit facere, ita nec etiam est denunciandus, qui mandat Confessario, vt pro se sollicitet. Ita Tabiena *verbo excommunicatio 5. casu 89. §. 5.* Nauarr. *in manuali cap. 27. num. 1.* Suarez *de censuris disp. 4 sect 3 nu. 5* Angelus *verbo excommunicatio 8. num. 1* vnde si excommunicatio feratur in eum, qui occidit, vel furatur, non ligat mandantem furari, vel occidere. Reginald. *in praxi tom. 1. lib 9. cap. 12. num. 214.* tum etiam, quia quando lex pęnalis vult includere mandantem id specificè explicat; & ita in cap. Mulieres de sententia excommunicationis extenditur ad mandantem excommunicatio, quæ in cap. si quis suadente Diabolo, erat tantum lata contra percutientem Clericum.

An mulier sollicitans Confessarium sit denuncianda?

BRACTEA XVI.

R. Negatiue. Ratio, quia Constitutiones Pontificum in Confessarios diriguntur, & ad comprimendam illorum audaciam, & iniquitatem, & cum hæ Constitutiones sint pœnales non sunt extendendæ ad alium casum ex cap. *statutum de electiōn. & ex lege cum quidam ff. de liberis,* Suarez *de matrim. lib. 10. disp. 4. num 3.* Castrus Pallaus *de lege pęnali lib. 1. c. 7. docum. 3.* & alij.

R. 2. Licet vigore Bullæ Pontificum non sit denuncianda, tamen vt vehementer suspecta de hæresi est denuncianda. Ratio, quia sollicitando abutitur Sacramento pęnitentiæ.

R. 3. Confessarium esse denunciandum, qui sollicitatus à fœmina ad fornicandum renuit, tantum osculis, vel tactibus contentus. Ita Ioannes Sanctius *in selectis disp. 11. num. 28 vbi sic ait; Si fœmina ad actum naturalem Veneris Confessarium instiget, & ille renuat contentus solum se delectare tactibus, & ad eos solos prouocet, tunc denunciandus erit Confessarius, cum tàm à copula, quàm ab osculis, & tactibus auertere possit feminam.*

R. 3. Quod si fęmina sollicitasset Confessarium, posteà verò dolore tacta pęniteat, vt absolutionem petat, Confessarius tamen eam sollicitet, erit in tali casu denunciandus, quia postquam fęmina cessauit à sollicitatione in illo statu est constituta, ac si nunquam sollitasset, & tūc sollicitatio facta Cōfessario, non potest dici continuatio sollicitationis fęminæ, sed noua sollicitatio ex parte ipsius Confessarij. Ita Diana *loco cit. resolut. 13.*

An si Laicus, vel Clericus occultè ponat se in Confessionali, & ibi sollicitet fœminam sit denunciandus?

BRACTEA XVII.

R. Negative. Ratio, quia Constitutiones Pontificum solum loquuntur de Confessariis, & Sacerdotibus, non autem de Clericis, & Laicis, & verba pęnalia non sunt extendenda. Ita Diana *loco cit. tract.* 18.

An Confessarius sollicitans fœminam ad lenocinium sit denunciandus?

BRACTEA XVIII.

R. Esse denunciandum tàm vigore Bullæ Gregorij XV. quàm Clementis VIII. & Pauli V. & quod sit denunciandus ex Decreto Constitutionis Gregorij XV. patet ex illis verbis, Aut cum pęnitētibus illicitos, & inhonestos sermones, siuè tractatus habuerint, &c. Inhonesti sanè sermones sunt pęnitentem inducere, quod mediet, vt alia fęmina in fornicatione consentiat. Ita Sanctius *in selectis disp.* 11. *num.*44. quod etiam sit denunciandus vigore Bullarum aliorum Pontificum patet, quia ex supradictis Bullis mandantur denūciari Sacerdotes, qui mulieres pęnitentes ad actus inhonestos prouocant, seu alliciunt. Qui autem prouocat pęnitentem vt mediet, prouocat ad actus inhonestos, cum illa mediatio actus inhonesti sit eiusdem speciei cum crimine perpetrando. Ita Castrus Pallaus *tract.*4.*disp.*9.*pun.* 5.*num.*2. tum etiam, quia abutitur Sacramento, cum venenum propinet Confessarius, cui debebat salutis anthidotum propinare, & loco reconciliationis grauem peccati molem imponat, fontiq; limpidissimo lutum admisceat.

R. 2. Confessarium consentientem sollicitationi, siuè turpibus actibus esse denunciandum. Ratio, quia Summus Pontifex in dicta Bulla prohibet omnes illicitos, & inhonestos sermones, quos Confessarij cum pęnitentibus habuerint, & Confessarios denunciandos esse statuit, sed Confessarius consentiens sollicitationi, &c. commiscet cum pęnitente illicitos, & inhonestos sermones; ergo est denunciandus. Ita Facundes *de praeceptis Ecclesiasticis precep.* 2.*lib.*4. *cap.*3. *num.* 56. *&* 57. Quod si Confessarius solum actibus internis consentiat sollicitationi non est denunciandus. Ratio, quia sic consentiendo non facit contra Bullam.

An interpres si sollicitet in Confessione sit denunciandus?

BRACTEA XIX.

R. Non esse denunciandum. Ratio, quia denunciatio iubetur solum in odium Sacerdotum, & Confessariorium sollicitantium in confessione; Interpres non est Sacerdos, aut Confessarius, vt suppono; ergo non est denunciandus cum se teneat potius ex parte pęnitentis, quam Confessarij. Ita Sanctius *in selectis disp.*11.*num.*10. Castrus Pallaus *tract.* 8. *disp.* 9.*pun.*9.*num* 6. Antonius Souza *in aphorism.inquisit. lib.*1.*cap* 34.*nu* 14 *vbi sic ait*, Siuè Laicus, siuè Sacerdos interpres mulieris confitentis, qui ipsam confitentem sollicitat non comprahenditur in Summorum Pontificum decretis.

R. 2 Pęnitentem tunc non excusari à denunciatione, etiamsi hoc nouerit sub sigillo secreti, quando taciturnitas probabiliter vertitur in damnum commune, etiāsi secretum firmatū esset iuramento. Ratio, quia nullum iuramentum promissiorum cadens in damnum tertij, vel Reipublicæ obligat, ac proinde talis tenetur aperire non secus, ac si non promisisset, secus autem si non vertatur in damnum publicū, vt quando quis aliquam pro vna vice tantum sollicitasset.

An Confessarius, qui immediatè post Confessionem sollicitauit fœminam, & posteà cum ipsa copulam habuit, teneatur in confessione aperire hanc circumstantiam?

BRACTEA XX.

R. Affirmative. Cum Petro de Ochagania *tract.*2.*de confess.sacram.quest.*14.*num.*14. *vbi sic ait*, Si fortè contingat aliquem Confessarium committere peccatum Luxuriæ cum aliqua pęnitente in ipsa confessione, talis circūstātia esset aperinda in cōfessione, quia mutat speciem propter iniuriam, & irriuerentiam contrà Sacramentum pęnitentiæ commissam; cum verò tale peccatum committitur vnico die post confessionem non habet eam specialem deformitatem necessariò confitendam. Tum, quia non dicitur proximè ad confessionem; tum quia ex confessione minimè contrahitur cognatio spiritualis perpetuò duratura, sicut nascitur ex Baptismo Sacramenti. Ita ille, & Hurtadus *de sacram.pœnit.disp.*9. *difficult.*4.

An Confessarius, qui sedens in Confessionali alloquitur fœminam, & eam sollicitat sit denunciandus?

BRACTEA XXI.

R. Non esse denunciandum vigore Bullæ. Ratio, quia in tali sollicitatione non adfuit simulatio audiendi confessionem, quæ simulatio requiritur iuxtà Constitutiones Pontificum. Et ideò Castrus Pallaus *tom.*1.*punct.* 8. *num.*4.*sic asserit*, Auertendum autem est optimè posse Sacerdotem cum fœmina de rebus inhonestis tractare in Confessionario, modo simulatio nulla sit audiendæ confessionis, & tunc denunciandus non est, quia non quælibet sollicitatio in Confessionario facta cauetur illo decreto Gregorij; Sed sollicitatio, quæ simulationem confessionis trahat, vt constat ex illis verbis simulantes ibidem confessionem audire. Et ita etiam Freitas *de Confessarijs sollicitantibus quest.*15. *num.* 49. *& quest.*13. *num.* 30. Lesana *in summa questionum regelarium cap.*19.*num.*44.

Sciendum esse declarationem Cardinalium Sancti Officij facta relatione, quod multi Confessarij tractant cum mulieribus in Confessionali

hali extrà occasionem confessionis de rebus inhonestis Sanctissimus declarauit, vt contrà huiusmodi Cõfessarios in Sancto Officio procedatur; vnde vigore huius decreti sentio contrà tales Confessarios esse procedendum.

An Confessarius, qui à pœnitente petit, vt domum suam conducat Concubinam sit denunciandus?

BRACTEA XXII.

R. Vigore Bullæ esse denunciandum, cum in ipsa dicatur ab inhonesta, siuè inter se, siuè cum alijs quomodolibet perpetranda; tum etiam, quia contrà Bullam abutitur Sacramento. Ita Diana *loco citato resolut.* 45.

R. 2. Confessarium sollicitantem in Confessione non esse vehementer suspectum de hæresi, sed leuiter tantum. Ita Sousa *opusc. de confessario sollicitante tract.* 1. *cap.* 5. Quoniam hæc suspicio non est vehemens, neque violenta, ergo erit solum leuis, antecedens patet, quia ex hoc facto non colligitur, neque semper, neque vt plurimum, vt illud facientes sint hæretici, tum etiam; quia hoc factum ab hæresi longissimè distat, cum ordinetur ad Luxuriam, ad quam homines maximè inclinant. Et ita Paramus *de origine Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 115. Ioseph Sessè *tom.* 4. *decis.* 449. Acugna *in tract. de Confessario sollicitante quæst.* 2. *num.* 20.

An Confessarius dans pœnitentiam pœnitenti, vt nuda ab ipso verberetur sit denunciandus?

BRACTEA XXIII.

R. Esse denunciandum. Ratio, quia iste actus verberationis est inhonestus, & sollicitationes in confessione ad actus turpes sunt prohibitæ ex Constitutionibus Pontificum, & ideò iuxtà Bullam est denunciandus, sicut etiã esset denunciandus, qui fœminæ dicenti in confessione habere vas naturale morbo affectum, vt illud ostenderet, cum hæc suasio non fiat ad medicinam præstandam, sed potius ad sollicitationem actus inhonesti. Ita Diana *loco citato resol.* 87.

An si Confessarius à fœmina sollicitatus consentiat ad actus turpes, & sermones inhonestos sit ab alijs, qui hoc sciunt, sit denunciandus?

BRACTEA XXIV.

R. Non esse denunciandum Confessarium, qui à fœmina sollicitatus eius libidini consensit. Et ita Sanctarellus *tract. de heresi cap.* 46. *num.* 2. etiam post Bullam Gregorij XV. Sanctius *in selectis disput. num.* 25. & 26. Homobonus *de exam. Ecclesiasticorum tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 12. *quæst.* 26. Bonacina *in tract. variarum quæstionum disp.* 6. *pun.* 3. *n.* 17. Peyrinus *in priuilegijs minimorum tom.* 2. *constit.* 4. Gregorius XV. §. 2. *num.* 2. Et licet in Bulla dicantur denunciandi illi Confessarij, qui pœnitentes sollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones habuerint, siuè tractatus; vbi Summus Pontifex nõ solum simpliciter, vt fecerant antea Clemens VIII. & Paulus V. vtitur verbo sollicitandi, & prouocandi, sed addit illa verba, Aut cum eis, quæ verba possunt intelligi non de Confessario consentiente sollicitationi pœnitentis, sed de Confessario de rebus turpibus in Cõfessionario cum aliqua muliere cõfabulãte absque sollicitatione ad aliquid inhonestum perpetrandum. Et ita Peyrinus *loco citato*.

R. 2. Quòd si Confessarius non modo consentiat, sed post consensum colloquatur cum femina de rebus turpibus tunc esset denunciãdus. Ratio, quia colloquendo licet non sit primus in Confessionali cum muliere de rebus turpibus, facit cõtrà Bullam prohibentem sermones illicitos, & inhonestos, & per consequens est denunciandus.

R. 3. Qui à fide dignis audiuit Confessarium sollicitasse in confessione, vel sollicitationi factæ à muliere consensisse obligari ipsum denunciare. Et ita Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 24. *cap.* 3. *sect.* 6. *num* 50. Lessius *lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 7. *num.* 49. Villalobos *in summa tom.* 3 *tract.* 17. *difficult.* 3. *nu.* 15. & alij. Si verò id audiuerit à leuibus personis, vel non fide dignis difficultas est, an quis teneatur denunciare. Rodriquez *quæst. regul. quæst.* 6. *art.* 7. asserit neminẽ esse obligatũ denũciare, quod à gente parui nominis, & æstimationis audiuit; ita vt si illis fidẽ dederit de facilitate in credẽdo possit à pluribus notari, quod adeò verũ est, vt procedat etiam si à superiore sub pœna excommunicationis imperetur. Quam sententiam in terminis etiam docet Facundes *de preceptis Ecclesiasticis præcepto* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 31. Alij verò sequuntur contrariam sententiam, cum hoc delictum noceat bono communi, teneri ipsum denunciare etiamsi si hoc audiuerit à leuibus personis, cum ad illum non spectet discernere, an à quo audiuit sit bonæ famæ, vel leuis conditionis? Quæ opinio videtur probabilis, & sequenda.

An sit denunciandus Sacerdos, qui non habens facultatem audiendi Confessiones sollicitat fœminam fingens, se habere talem potestatem?

BRACTEA XXV.

R. Esse denunciandum. Ratio, quia Pontifex nõ solũ vult esse denũciãdos Cõfessarios in cõfessione, sed etiã prætextu confessionis, siuè extrà occasionem confessionis in Cõfessionario. Et ita Ioannes Sanctius *in selectis disp. n.* 11. 39. etiã si mala fides Confessarij, & pœnitentis interueniat, quia vterque cognoscit confessionem inualidam esse; & ob id intendere nequeant Sacramentum conficere. Diana *loco citato resolut.* 8.

An

An Confessarius possit suadere Principi, vt condat legem, qua fures plectantur?

BRACTEA XXVI.

R. Posse. Ratio, quia sicut ipse Princeps, siue Laicus, siue Ecclesiasticus potest absque periculo irregularitatis huiusmodi leges facere in generali, cum ea sit tantum causa remota; ita etiam Confessarius potest absque periculo irregularitatis suadere Principi, vt huiusmodi legem ferat. Ita Auilla *par.7. disp.5. sect.1. dub.6.* Henriquez *cap.16. nu.4.* Filliucius *tract. 29. cap.9. num.242.* & alij.

An Confessarius incurrat irregularitatem, qui pœnitenti nolenti punire reum dicit, nolle se illum absoluere, nisi proponat ipsum punire iuxtà leges?

BRACTEA XXVII.

R. Non incurrere irregularitatem. Tum, quia hic casus per Epicheiam censetur exceptus à iure; tum etiam, quia cum Confessarius non possit absoluere pęnitentem existentem in mortali peccato, nisi recipiscat, & proponat facere, quod tenetur ex officio; potest etiam Confessarius dicere pęnitēti, se nolle illi absolutionem dare, nisi faciat quod tenetur facere; vnde Confessarius potest absque periculo irregularitatis dicere pęnitenti, non te absoluam, nisi facias, quod leges præcipiūt, vel nisi præstes quod debes, vel nisi reos punias secundum iura. Ita Sayrus *lib.6. cap.18. num.26.* Filliucius *loco cit. num.242.* Henriquez *lib.14. cap.12.* Reginaldus *lib.30. num.138.* Molina *disp.74. nu.18.* Auilla *7. parte disp.5. dub.6.* Coninchus *disp.18. dub. 10. num.96.* & alij.

R. 2. Confessarium, qui dicit pęnitenti, vt mittat reum in malam Crucem esse irregularē. Ratio, quia cooperatur morti, aut mutilationi; qui autē cooperatur morti, vel mutilationis secuto effectu est irregularis. Ita communiter omnes.

An Confessarius, qui pænitenti iuridicè interrogato hortatur vt dicat veritatem in causa sanguinis, sit irregularis?

BRACTEA XXVIII.

R. Non incurrere irregularitatem etiamsi reus ob confessionem veritatis puniendus sit pęna mortis. Ratio, quia hortatur ad id, ad quod tenetur, & præstat munus suum; secus autem dicendum, quando hortatur, vt veritatem aperiat, quam non tenetur manifestare, vel quia delictum non est semiplenè probatum, aut quia Iudex non est competens. Ratio est, quia videtur dare operam rei illicitæ periculosi homicidij. Ita Vgolinus *cap.16. num. 12.*

An Confessarius sit irregularis, si interrogatus à Iudice an sit obligatus ad occidendum reum, respondeat esse obligatum?

BRACTEA XXIX.

R. Esse irregularem, si interrogatus à Iudice an sit obligatus ad occidendum aliquem in particulari respondeat ipsum esse obligatum. Ratio, quia consulit in causa sanguinis, & censetur influere in mortem rei; si verò sit interrogatus in genere, an sit obligatus ad occidendum reum? Respondeat ipsum esse obligatum, non esse irregularem, quia sic non censetur cooperari ad mortem alicuius particularis; nec influere in mortem. Ita Bonacina *de censuris disp.7. quæst.4. pun.1. num.7.* & alij.

R. 2. Confessarium, qui reo dicit, vt ascendat scalam furcæ, vel ministro dicit, vt citius faciat suum officium esse irregularem secuta morte, vel mutilatione ex defectu lenitatis. Ratio, quia re vera cooperatur morti, licet iustè accelerando ipsam, dicendo reo, vt scalam ascendat, vel ministro, vt citius fungatur suo munere, cum non imitetur mansuetudinē Christi, etiamsi Confessarius dicat ministro talia verba ex pietate; si verò inaduertentèr dicat talia verba non incurrit irregularitatē, cū sentiatur causa per accidens accelerationis mortis. Ita Henriquez *lib.14. cap.12. num.7.* Mollina *de iust. tom.4. tract.3. disp.74. num.4.* Reginaldus *tom.2. lib.30. tract.2. cap.9. num. 105.* Layman. *in Theologia morali lib.3. sect.5. tract.3. part.3. cap.7. nu.2.* Auila *de censuris part.7. disp.5. sect.2. dub.1.* §. 8. Villabos *in summa tom.1. tract.21. difficult.27. num.33.*

An Confessarius quando multis imminet periculum vitæ, vt tempore pestis, naufragij, & belli, possit eos absoluere non audiendo integrè illorum peccata?

BRACTEA XXX.

R. In supradictis casibus posse pęnitentes absoluere non audiendo omnia peccata. Et ita Suarez *in 3 partem tom.4. disp.23 sect.1.* Coninchus *de sacramentis disp.7. dub.9. nu.74.* Ioannes Delacrux *in direct. par.2. de sacram. peniten. quæst.3. dub.5. concl.3.* & Villabos *in summa tom.1. tract.4. dub.23. n.6.* Ratio, quia audiendo vnius integram confessionem poterit alter sine ipsa è vita discedere. Immo Vasquez *in 3. partem tom.4. quæst.93. dub.2. art. 2. num.2.* docet, quod in tali casu tenetur Confessarius ex charitate, vt alijs possit subuenire confessionem non perficere: immò si ipse noller, quia forsan scrupulis detineretur pęnitens, qui videret periculū aliorū potest non perficere confessionem, vt Confessarius alijs succurrat, & si non erit tempus omnium audire confessiones ob imminens periculum, possunt simul omnes ostendere dolorem, & aliqua peccata confiteri, & absolui vnica forma. Ita Coninchus *loco citato*, & alij.

An

An Confessarius, qui ex negligentia culpabili non interrogauit pœnitentem de circumstantia necessaria teneatur ipsum monere de defectu commisso?

BRACTEA XXXI.

R. Cvm Fernandes *in exam. Theolog. moralis par. 4. cap. 5. §. 11 num. 3.* Affirmatiuè; dummodo monitio sine scandalo fieri possit. Ratio, quia culpa, & inaduertentia Confessarij est causa, cur pęnitens non fecerit confessionem integram, & confessio licet sit valida ratione inaduertentiæ Confessarij, & bonæ fidei pęnitentis, tamen Confessarius factus malæ fidei tenetur, vel post, vel in alia confessione monere ipsum de circumstantia præterita, & non manifestata.

MALLEATIO XVII.

De Satisfactione per Indulgentias.

Quid significet hoc nomen Indulgentia?

BACTEA I.

R. Apvd Latinos auctores hoc nomen esse æquiuocum, quod quidem aliquando accipitur in malam partem, est enim Indulgentia nimia licentia, seu mollis permissio, & educatio, vnde parentes indulgentes vocantur cum minus blandè tractant suos filios, quam pro suo iure possent iuxta illud Blanda Patrum segnes facit indulgentia natos; & illud Plinij *lib. 17 cap. 10.* Indulgentior est nutrix, quam mater, & Quintilianus *lib. 1. instit. cap. 13.* Mollis illa inquit educatio, quam Indulgentiam vocamus neruos omnes, & mentis, & corporis frāgit, & Laurentius Vala *lib. 4. cap. 18.* Indulgere inquit est concedere obsequenter, delicataque tribuere, hincque vsitata, & frequens vox indulgere gulæ, vino, & secundum hunc sensum explicari potest illud *Apostoli 1. Corinth. 7.* Hoc autem dico secundum Indulgentiam non secundum Imperium. Interdum tamen in bonā partem accipitur, & significat humanitatem, & clementiam; sic frequenter Ecclesiæ Doctores antiquissimi, vt Cyprianus, Lactantius, Hieronymus, Augustinus, & alij, qui prædicant Diuinam Indulgentiam, & per illam tolli peccata, & culpas nostras, & in hac significatione frequens est, & vsitata vox Indulgentia. Secundò non modo significat humanitatem, & clementiam, sed etiam aliquando gratiam, priuilegium, & dispensationem. Tertiò significat condonationem peccati, quoad culpam, vt *Iudit* 8. Posuistis tempus miserationis Domini; sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pęniteamus, vt Indulgentiā eius fusis lacrymis postulemus. Quartò condonationem peccati, quoad penam, vt *Isaia 61.* Spiritus Domini super me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, *& 63.* Saluabit eos in dilectione sua, & in indulgentia sua redimet eos, & hac ratione Deus dicitur indulgere dum non exequitur rigorem suæ iustitiæ in nos, & in hoc sensu à nobis accipitur hic, vt significat remissionem quandam alicuius debiti, seu pęnæ debitæ pro peccatis iam dimissis, quoad culpam.

An in Ecclesia extet thesaurus, qui sit fundamentum Indulgentiarum?

BRACTEA II.

R. Primo thesaurum Indulgentiarum nihil aliud esse, quam cumulum quendam satisfactionum in Diuina acceptatione repositum ad remittēdas pęnas temporales pro peccatis debitas per distributionem faciendam ab ijs, qui in Ecclesia præsunt.

Sciendum 1. thesaurum Ecclesiæ dici cumulum; nam idem proportionaliter dicere debemus de thesauro spirituali Indulgentiarum, quod de thesauro temporali in qualibet Republica benè ordinata reposito, sicut enim hic nihil aliud esse, quam multitudo, seu cumulus pecuniarum in Republica conseruatus ad Ciuium miserias subleuandas per eorum distributionem faciendam ab ijs qui Reipublicę pręsunt: ita spiritualis thesaurus Indulgentiarum nihil est aliud, quam cumulus satisfactionum ad spiritualia debita peccatorum persoluenda, & ad subsidium fidelibus omnibus præstādum. Secundò dicitur satisfactionum, quia cum remissa culpa per Sacramentum pęnitentiæ, & consequenter commutata pęna æterna in temporalem remaneat debitum persoluendi hanc pęnam, quæ tripliciter potest tolli, & remitti. Primo in Purgatorio per satisfactionem, siue in Sacramento impositam; siue vltrò susceptam. Secundo per satisfactionem alienam, siuè intentione speciali applicata, siuè generali, & implicita per dispensationem eorum, qui in Ecclesia præsunt, & hoc modo remittitur pęna temporalis per dispensationem thesauri Indulgentiarum; deindè dicitur in Diuina acceptatione repositus, nam cum huiusmodi satisfactiones sint opera meritoria eundem locum habent, quem illa; illa verò vigent in acceptatione Diuina tamquam in proprio loco. Vltimò dicitur ad remissionem pęnarum temporalium; quia pęna æterna non tollitur per Indulgentias, sed solummodo pęna temporalis, quæ remanet soluenda in Purgatorio.

R. 2. In Ecclesia extare thesaurum ex Christi passionibus infinitum ad tollendas pęnas pro peccatis debitas. Quod quidem probatur ex pluribus locis Scripturę, vbi habetur, Christum satisfecisse pro peccatis totius Mundi: *Isaia 53.* Languores nostros ipse tulit, &c. & Christus in Cœna dixit, Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Tum etiam, quia Passio Christi, & omnis eius actio fuit meritoria gratiæ, & satisfactionis pro peccatis, at sibi met gratiam meruit, nec satisfactionem indigebat; ergò meruit gratiam pro suis membris, pro quibus passus est, & simul etiam satisfecit; merita autem Christi fuerunt valores infiniti; ergò semper in Ecclesia erit thesaurus meritorum Christi.

An

An thesaurus Indulgentiarum Ecclesiæ sit infinitus, & immensus?

BRACTEA III.

R. Hunc thesaurum Indulgentiarum esse infinitum, & immensum, cum tanta sit præstantia, & excellentia Sanguinis Christi effusi, vt si infiniti Mundi essent conditi, adhuc vna gutta sufficiens esset pro reconciliatione omnium illorum, & licet absumerētur Indulgentiæ applicando Sanctorum satisfactionē, nunquam tamen per Indulgentias absumetur satisfactio Christi, quam constat esse valoris infiniti, cum sit passio suppositi infinitæ dignitatis Dei, scilicet, & hominis, à quo opus valorem obtinet.

An ad hunc thesaurum conferant etiam Sancti?

BRACTEA IV.

R. Thesaurum Indulgentiarum non solum includere satisfactiones Christi, sed etiam omnium Sanctorum, qui plus passi sunt, quam eorum peccata requirerent. Ita in Extrauaganti Vnigenitus, vbi Pontifex declarat extare in Ecclesia thesaurum spiritualem ex Christi passionibus, & Sanctorum conditum.

Sciendum tamen bona opera hominis iusti, seu existentis in gratia Dei sicut habent, quod sint bona, & quod pęnalia, ita etiam habent, quod sint meritoria, & satisfactoria; meritoria quidem tum vitæ æternæ, tum augmenti gratiæ; satisfactoria verò pro temporalibus pęnis, quę debētur pro peccatis venialibus, aut mortalibus iam dimissis quoad culpam, sed nondum quoad totam pęnam, & præter Christum multi Sancti fuerunt, qui plus satisfecerunt, quam deberent, vt qui ob nulla, aut paucissima, eaq; venialia sua peccata, nullius, aut modicæ tātū satisfactionis debitores fuerunt, multis autem bonis satisfactorijs abundantes fuerunt, quo factum est vt satisfactiones ipsorum superabundarent, superarentque pęnas suis peccatis debitas, quæ quidem superabundantia meritorum reposita est in thesauro Ecclesię dispensanda fidelibus.

An Angeli conferant aliquid in isto thesauro?

BRACTEA V.

R. Angelos nihil reponere. Ratio est, quia eorum opera non sunt satisfactoria, & licet adiuuent homines Orationibus, non tamen possunt eos adiuuare meritis, & satisfactionibus. Ita Bensom *lib. 2. de Iubilæo cap. 29.*

An opera quæ semel in thesauro recondita sunt, semper ibi permaneant?

BRACTEA VI.

R. Semper ea ibi permanere, quamuis ille, qui ea fecit incidat deinde in peccatum mortale, & in illo ex hac vita discedat. Ita Henriquez *lib. 4. cap. 16. §. 4. & lib. 7. cap. 2. §. 3.* Ratio est, quia ratio satisfactionis, quæ prodest alijs propter impedimentum, quod ipsi operanti posteà aduenit, non potest, nec debet reddi infructuosa, cum ex natura sua sit ratio fructifera satisfactionis, cum Deus nullum bonum irremuneratum relinquat, tum etiam, quia opera meritoria, etiamsi homo posteà cadat in peccatum semper manēt in acceptatione Dei, & alijs prodesse possunt; tum etiam cum huiusmodi opera sint in thesauro reposita, vt ab homine iusta facta, Ecclesia non potest ius suū perdere, quod in illa acquisiuit, vnde potest illa per indulgentias applicare, cum in illis ius acquisitum habeat.

An in Ecclesia sit verè potestas concedendi Indulgentias, atque adeò pro remissione pœnarum temporalium dispensandi thesaurum?

BRACTEA VII.

R. Vere in Ecclesia extare potestatem cōcedendi Indulgentias, & remittendi peccatorum pęnas à Christo relictam, est de fide definitum in Concilio Tridentino *sess. 25. decreto de Indulgentijs*, & in Bulla Leonis Decimi contra Lutherum, tum etiam, quia si in Ecclesia non esset talis potestas frustra esset supra memoratus thesaurus, tum etiam probatur ex scriptura *Matthæi 16.* Tibi dabo Claues regnī Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, &c. *Ioannis 20.* Quorum remiseritis peccata, &c. Quibus locis cum absolutè detur potestas tollendi impedimentum ingrediendi Cœlum, inter quæ est debitum soluendi pœnam temporalem, remissa culpa, & pœna æterna, & cum non limitetur expresè potestas ligandi, & absoluendi ad vsum intrà Sacramentum penitentiæ, debet intelligi data facultas remittendi peccata omnibus modo, qui bonitatem Dei doceat, & ad eius gloriam expediat, qui est vnus ex finibus Ecclesiastici ministerii, inter quos vnus est remittendi peccata, quoad culpam, & pęnam æternam, & temporalis pœnæ partem per Sacramentum, alter verò remittendi pęnam temporalem pro peccato debitam per Indulgentias, cum tales modos exigant peccata secundum propriam naturam, iuxta quam credendum est locis citatis scripturæ, dari potestatē illa remittendi.

Quid sit Indulgentia?

BRACTEA VIII.

R. Indulgentiam esse relaxationem pęnæ temporalis debitæ pro peccato actuali iam dimisso extrà sacramentalem absolutionem homini existēti in gratia ex thesauro Ecclesiæ ob rationabilem causam; seu Indulgentia est relaxatio pęnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis concessa homini existenti in gratia à Prælato per applicationem thesauri Ecclesiastici.

Sciendum quod alibi diximus in peccato præter culpam duplicem reatū esse, nimirum pęna

pęnæ ęternæ, & pęnæ temporalis. Per absolutionem remittitur peccatum, quoad culpam & reatum pęnæ æternæ, reatus pęnæ temporalis, quoad partem, altera pars remanet in Purgatorio purgandus, nisi in hoc Mũdo satisfiat per indulgentias, & alia opera meritoria, ob quę remittatur pęna illa temporalis, quę remanet purganda in Purgatorio, & ob addicitur Indulgentiã esse remissionẽ pęnę tẽporalis, nõ autem ęternæ de peccatis iam dimissis. Vnde sequitur per indulgentiam non remitti peccatum, quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ, quia hic est effectus Sacramenti penitentię, sed solum quoad reatum pęnæ temporalis. Quod si dicatur aliquando in Indulgentijs, præsertim in antiquis poni illa verba, à culpa, & pęna; ergo per Indulgentiam vtrumque potest dimitti: Respondeo primò, illam particulam a culpa, non esse à Sede Apostolica positam, sed potius à quæstuarijs, quia culpa solum per Sacramentum pęnitentiæ in re, vel in voto tollitur, & ideò hanc esse impropriam locutionem, & improprium modum loquendi, cum in rigore iuris, & proprio loquendi modo culpa solum tollatur per baptismum, & absolutionem. Et si additur illa particula A, culpa indirectè, & impropriè, vt dictum est, apponitur, cum directè solummodo per Indulgentiam fiat remissio pęnæ temporalis debitæ peccatis demissis; indirectè verò remittatur culpa, idest per confessionem actualem, vel per contritionem, cum proposito confitendi, quod requiritur ad acquirendam Indulgentiam.

Secundò dicitur in definitione homini existenti in gratia, quia existenti in peccato mortali non prosunt Indulgentiæ, cum ob tale peccatum mortale sit indignus tali remissione, & habeat obicem ad obtinendam gratiam. Dicitur etiam à Prælato Ecclesiæ, cum Prælati solum habeant potestatem dispensandi illas, vt infrà dicetur.

Tertiò dicitur ex thesauro Ecclesiæ, quia sicut, vt dictum est, in Republica bene ordinata ob bonum publicum conseruantur thesauri, ita etiam conseruatur thesaurus in Ecclesia Dei constans non solum ex meritis infinitis Christi, verum etiam ex satisfactionibus Sanctorum ipsis superfluis, quæ in thesauro Ecclesiæ ponuntur, & ibi ad bonum publicum conseruantur, vt à Prælatis Ecclesiæ dispensentur.

Sciendum in quolibet opere hominis iusti duo esse, meritum, & satisfactionem. Meritum est incommunicabile, & per consequens non potest alijs dispensari, & communicari. Cum igitur, vt suprà dictum est Sancti satisfecerint magis, quam indigebant, ipsorum Sanctorum superabundantes satisfactiones in Ecclesia Dei conseruantur distribuendæ per Ecclesiarum Prælatos, cuius thesauri tanta est copia, vt superabundet pęnis temporalibus hominibus pro eorum peccatis debitis, & licet Sanctorum satisfactiones absumerentur, nunquam tamen per applicationem potest absumi satisfactio sanguinis Christi, cuius tanta est virtus, vt vna gutta sufficiat ad delenda omnia peccata, cum sit valoris infiniti.

Postremò dicitur ob rationabilem causam, cum ad concedendas Indulgentias semper requiratur causa. Ratio, quia Prælati Ecclesiæ sunt solum administratores, & dispensatores thesauri; dispensator, siuè administrator non potest ad suum libitum thesaurum Ecclesiæ dispensare, sed solum iuxta rationabilem voluntatem Domini. Ita Suarez *tom.4. disp. 54. sect. 1.* Reginald. *lib.7. cap.12. num.126.* Valentia *tom.4. disp.7. quæst.20. pun.4.*

Sciendum est, plures assignari causas dispensationis thesauri Ecclesiæ, nimirum honor Dei vtilitas Ecclesiæ, bonum commune, & particulare, deuotio alicuius imaginis, adoratio alicuius reliquiæ, &c.

Quotuplex sit Indulgentia?

BRACTEA IX.

R. INDVLGENTIAM duplicem esse, aliam plenariam, & aliam temporalem. Et ita habetur ex Clement. 6. in Extrauaganti Vnigenitus de pęnitentia, & remissione. Indulgentiam Plenariam illam esse, qua remittitur tota pęna, idest totus reatus pęnæ temporalis, ita vt nihil amplius remaneat purgandum in Purgatorio. Dicitur etiam Indulgentia Plenaria, illa quæ remittit totum aliquod genus pœnæ. Indulgẽtia temporalis est, qua remittitur pars pęnæ, & quantum in Bullis exprimitur, vt est Indulgentia quadraginta dierum vnius anni, centum annorum, &c.

Sciendum Indulgentiam temporalem, siuè non Plenariam subdiuidi in quadragenam, carenam, & septenam, vel quartę partis, &c. Indulgentia quadragena, seu quarantena est, qua tantum pęnæ remittitur quantum respondet pęnitentiæ quadraginta dierum, &c. iuxta Canones. Carena Indulgentia est, qua remittuntur pęnæ, quod fuissent remissæ, agendo pęnitentiam quadraginta diebus, cum septem annis, & dicitur carena à carendo, quia is, cui carena iuxta Canones iniungebatur, carebat per quadraginta dies, & septem annos sequentes, vel cibis, vel consortio hominum. *Cap. accusati de accusatione cap. 2. de sponsa duorum.* Indulgentia septena est relaxatio tantæ pęnæ, quanta redempta fuisset per pęnitentiam septem annorum.

Similiter Indulgentia tertiæ, vel quartæ partis est remissio tertiæ, vel quartæ partis, quæ subeunda hic esset pro peccatis.

Sciendum 2. rursus Indulgentiam subdiuidi in localem, realem, & personalem; Localis est, quæ conceditur alicui loco, v.g. Ecclesię, vel Capellæ visitantibus ipsam. Realis est, quę conceditur alicui rei mobili, v.g. Medalijs, Rosarijs, &c. Indulgentia Personalis est, quæ conceditur personis particularibus, quę quandiù durant, durat etiam Indulgentia, sed mortuis illis cessat Indulgentia; si verò Indulgentia concedatur Communitati, secus dicẽdum, quia tunc manet Indulgentia, etiamsi omnes personæ moriantur, dummodo aliæ personæ succedant, vt Indulgentiæ concessę ordinibus Religiosorum.

Sciendum 3. ad maiorem notitiam supradicti, cum duplex sit quantitas alicuius pęnæ, vna extensionis secundum, quam vna pęna secundum tempus plus altera durat; altera intensionis, secundum quam vna est grauior altera

fieri

fieri posse, vt duæ pęnæ se mutuo excedant in altera, quantitate, vt vna sit maior extensiuè, & intensiuè minor, altera è contra, quomodo se habent pęna Purgatorij, & pęna huiusmodi inflicta pro peccatis; nam illa secundum Sotum *dist.21.quæst.2.art.1.* Valentiam, & Toletum, est minor extensiuè, sed maior intensiuè, licet alij dicant, vt Paludanus, Adrianus, Bellarminus *cap.9.* & alij apud ipsum pęnam Purgatorij esse maiorem, quoad durationem, quam sit pęna huius mundi, cum in hac vita non sit debitum pęnæ tam grande, quod non possit dissolui vno die, etiam per martyrium vna hora, breuiori etiam tempore per vehemētissimam contritionem, vt fuit illa latronis publicè peccata confitentis apud Climacum *lib. de scala Paradisi gradu* 40. qua satisfactione purgata fuisse continuò omnia eius peccata reuelatum fuit Sanctis Patribus; pro quo tamen soluendo in Purgatorio vix multi anni suffecissent, sed de hoc dicetur infra.

An Indulgentia Plenaria plenior, seu largior, & Iubilæum essentialiter distinguantur?

BRACTEA X.

R. Nullo modo distingui, quantum attinet ad pęnæ remissionem; nam in Indulgentia Plenaria tota pęna remittitur, qua quis est pro peccatis, siuè confessis, siuè oblitis, siuè mortalibus, siuè venialibus obligatus; & sic in effectu idem est, quod plenior, & plenissima, atque Iubilæum, quod solum differt ab Indulgentia Plenaria, & plenissima, quod in Iubilæo datur facultas eligendi Confessarium, commutandi vota, & absoluendi à casibus reseruatis, quę non datur in Indulgentijs Plenarijs. Ita Sotus *distinct.21.quæst.2.art.1.* Bellarminus *lib.1. de indulgentijs cap.9.* Coninchus *de sacramentis disp.12.nu.25.* Valentia *tom.4.disp.7.quæst.20.pun.3.* Suarez *tom.4.in 3.part.disp.50.sect.6.num.5.* & alij.

Propter quid concedatur Indulgentia?

BRACTEA XI.

R. Primo Indulgentias, quæ conceduntur in forma Iubilæi ad multa valere; nam in his. Primò datur facultas eligendi Confessarium ex approbatis tantum, iuxta decretum Concilij Tridentini *sess.23.cap.15.* Summus Pontifex in Iubilæis non permittit facultatem eligendi Confessarium non idoneum. Item datur auctoritas Confessarijs absoluendi à multis casibus reseruatis, & à multis censuris, commutandi plura vota in alia opera.

R. 2. Indulgentias absolutè sumptas vtiles esse, & valere, tum ad impedimentũ ingressus Cęli citiùs tollendum, puta reatum pęnæ temporalis; tum ad merendum, tam ratione operis iniuncti, quam ratione susceptionis Indulgentiæ, si vtraque fiat ex charitate, non valere tamen Indulgentiam ad remissionem culpæ mortalis, nec pęnæ æternæ, sed ipsam remissionem supponere.

R. 3. Indulgentias valere etiam ad culpas veniales tollendas. Ita S. Antoninus 1.*part.tit.10.cap.3.* Toletus *cap.24. de Indulgentijs in summa,* Henriquez *lib.1.de pœnit.cap.25.§.1. & lib.2.cap.19.§.8.* quibus locis alios citat. Ratio est, quia Indulgentiæ succedunt in locum satisfactionis, sed satisfactio sacramētalis vi satisfactionum Christi tollit venialia, & similiter quodcunq; opus meritorium, & satisfactoriũ tollit pęnam peccati venialis, ergo, &c.

R. 4. Per Indulgentias tolli obligationem faciendi pœnitentiam iniunctam à Confessario, siuè in satisfactionem, siuè in medicinam, neque ad hanc obligationem per indulgentias tollendam requiritur licentia Confessarij. Prior pars est communis, tum quia hoc significant verba illa de iniunctis, &c. & nomen Indulgentiæ Plenariæ, quæ succedunt in locum satisfactionis. Id colligitur etiam ex cap. cum ex eo de pęnitentijs, & remissionibus. Secunda pars etiam patet, quia potestas Sacerdotis solum est ad soluenda, & liganda peccata, quoad culpã, & pęnã, sed Indulgētia succedit loco satisfactionis pęnitentialis, ergo, &c.

An dispensatio Indulgentiæ pertineat ad potestatem Ordinis, aut iurisdictionis?

BRACTEA XII.

R. Primo dispensationem Indulgentiarum non esse actum potestatis Ordinis. Ratio est, quia si esset actus alicuius Ordinis esset actus Ordinis Sacerdotalis; sed hoc non potest dici; nam Pontifex potest dare facultatem cōcedendi Indulgentias etiam Clericis habentibus tantum primam tonsuram; ergo non est actus ordinis Sacerdotalis, tum etiam, quia si esset actus Ordinis omnes Sacerdotes possent Indulgentias conferre; sed hoc est falsum, vt ex infrà dicendis patebit, ergo, &c.

R. 2. Dispensationem Indulgentiarum esse actum potestatis iurisdictionis spiritualis non ligantis, sed soluentis, & benefacientis. Ratio est, quia censetur pars potestatis datæ Petro *Ioann.21.* Pasce oues meas, & pars potestatis promissæ *Matthei 16.* Petro eiusque successoribus; tum etiam, quia cap. Quod autem de pęnitentijs, & remissionibus habetur, Indulgentiam concessam ab Episcopis non prodesse nisi subditis. Et ratio est, quia sicut nemo potest ligari, nisi à suo Iudice, ita neque solui, & ita tenent D. Thomas *in 4. dist.20. quæst.1. art.4. quæst.2.* Bellarm. *lib. 1. de Indulgentijs cap. 5.* Hugolinus *de potest. Episcopi cap.41.* Azorius *part.2. lib.3. cap.54.* & alij.

An vsus Indulgentiarum repugnat Iustitiæ?

BRACTEA XIII.

R. Non repugnare Iustitiæ. Tum quia per applicationem Indulgentiæ satisfit Iustitię Diuinę ob applicationē meritorũ Christi & Sanctorum; tum quia adimplendã Iustitiam ex toto rigore, satis est solutio integra debiti, & in hoc casu Pia Mater Ecclesia ex suo thesauro sumit, vt possint filij eius satisfacere Iustitiæ Diuinæ; tum quia per Indulgentiam nō fit, vt non sustineatur pęna, quam culpa meretur, cum per Indulgentiam nihil de pęna gratis absolutè condonetur, sed pęna vnius alteri communicatur.

Quid

Quid sit vtilius, pro se proprijs operibus satisfacere Deo, an per Indulgentias alienam satisfactionem quærere?

BRACTEA XIV.

R. Melius esse, & vtilius Iustitiæ Diuinæ per proprias actiones satisfacere, quam per Indulgentias, cum melius sit satisfacere de suo, quam de alieno, & qui satisfacit pęnis temporalibus debitis propter Indulgētias, satisfacit nō de proprio, sed de alieno, & per consequens vtilius est satisfacere operibus bonis proprijs, quam per Indulgentiam.

R. 2. Indulgentias vtiliores esse, quam alia suffragia, & alia opera meritoria ad celerem liberationem pęnarum debitarum in Purgatorio. Ratio est, quia qui verò Indulgētiam Plenariam consequitur statim à toto debito liberatur, & si esset in Purgatorio statim in Cœlo euolaret, quod non tam citò fieret per alia suffragia, quæ ab Ecclesia applicantur; in quibus non datur remissio peccatorū quoad reatum pęnæ tam Plenaria; sed ad proportionē operis operati, & operantis. Et ita D. Thomas *in 4. dist. 20.* & alij.

R. 3. Melius esse in hac vita per Indulgentias satisfacere, quā in Purgatorio propter acerbitatem pęnarum ipsius. Ratio est, quia in Purgatorio, nec gratia augetur, nec quidquā meremur, neque mora in illo carcere aliud commodi, aut vtilitatis ab animæ purgatione prouenit; ergo Deo in præsenti vita per Indulgentias satisfacere melius est, quam in Purgatorio.

An Indulgentia, quæ viuis conceditur essentialiter sit vera absolutio?

BRACTEA XV.

R. Indulgentiam essentialiter esse veram absolutionem pęnæ debitæ pro peccatis, &c. Ita communiter omnes Canonistæ, & Theologi. Et ratio est, quia Indulgentia, vt dictum est, est actus iurisdictionis, & potestatis clauium, & non est actus ligandi, sed soluendi; ergo Indulgentia est vera absolutio iudicialis. Tum quia per Indulgentiam infallibiliter quis liberatur à reatu pęnæ temporalis; ergo est vera absolutio à tali vinculo; tum quia est conclusio definita à Martino V. in fine Concilii Constantiensis vbi concedens Indulgentiam Plenariam dicit, se absolutionē plenariam concedere, & Gregorius VII. in multis Epistolis Indulgentiam tribuens, vt plurimum vtitur verbo Absolutionis.

R. 2. Talem absolutionem posse etiam fieri extrà Sacramentum pęnitentię. Ratio est, quia sicut quilibet potest applicare suas satisfactiones ad remissionem pęnæ alterius extrà Sacramentum; ergo à fortiori poterit Ecclesia de thesauro suo inexausto; tum quia superfluæ satisfactiones Sanctorū essent in thesauro Ecclesiæ recondita, si non possent per Ecclesiam, & eius Prælatos per Indulgentias extrà Sacramentum distribui.

Ad quos spectet concedere Indulgentias?

BRACTEA XVI.

R. Primo nullum posse concedere Indulgētias, qui non habeat potestatem iurisdictionis; & patet quia concedere Indulgentias est actus iurisdictionis, cum vt suprà diximus non spectet ad potestatem ordinis. Hinc sequitur non posse fœminam, neque non baptizatum concedere Indulgentias, quia non habent potestatem iurisdictionis, nullum etiam excommunicatum, scismaticum, hæreticum, &c. posse dare Indulgentias. Ratio est, quia caret iurisdictione, cum sint ab ea suspensi. Quod tamen verum est de excommunicato denūciato, nō de occulto, vel communi errore populi tolerato. Ita Corduba *quæst. 12. propos. 11.* & Nauarr. *cap. 27. n. 35. in summa.* Et ratio est, quia Concilium Constantiense ita excipit, vt videre est apud Henriquez *cap. 22.*

R. 2. Existentem in peccato mortali posse concedere Indulgentias; & est opinio communis, quia peccatum mortale non tollit iurisdictionem, & quia dans Indulgentias non remittit pęnas vi propriorum meritorum, sed Christi, & Sanctorum.

R. 3. Posse non Sacerdotem dare Indulgentias ex commissione Papę, vel Episcopi, vt Diaconi, & Clerici. Ita S. Thomas *quæst. 26. art. 2. in addit.* & Nauarrus *de Iubilæo notabili 31.* immò, Laicum, vt docet Corduba *quæst. 10. de Indulgentijs cap. 31.* Ratio est, quia quæ sunt iurisdictionis sunt delegabilia Iure Pontificio iuxtà Glossam communiter receptam in Canone peruenit.

R. 4. Laicum de licentia Episcopi non posse concedere Indulgentias. Ratio, quia Laicus remouetur à muneribus Ecclesiasticis, & Episcopus non potest in iure communi dispensare; Papa verò de plenitudine suę potestatis potest Laico concedere licentiam concedendi Indulgentias. Ita Bonacina *de Sacramentis disp. 6. quæst. 1. pun. 3. & 12.*

An Prælatis Religionum possint concedere Indulgentias?

BRACTEA XVII.

R. Prælatos Religionum non posse iure communi concedere Indulgentias, sed solum ex speciali commissione Papę. Ratio desumitur ex cap. Quod autem cap. Cum ex eo de pęnitentijs, & remissionibus, cap. de Excessibus Prælatorum, vbi habetur non licere Abbatibus; nec alijs quibuscunque inferioris Ordinis, quam Episcopalis Indulgentias concedere. Ratio est ex D. Thoma *4. dist. 20. quæst. 1. art. 4.* quia potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ solis Prælatis Ecclesiæ conuenit; at huiusmodi sunt soli Episcopi; nam ipsi sunt sposi Ecclesiæ, vnde & eius annulum recipiunt, & sunt rectores integri Populi, & quasi Reges in paruo Regno, quibus tàm ipsi Prælati Religionum, quàm Parochi, &c. subijciuntur. De licentia verò Summi Pontificis possunt Prælati Religiosorum concedere Indulgentias.

An Prælati Religiosorum, v. g. Prouinciales possint alios efficere participes satisfactionum, & orationum, quæ fiunt in Religione?

BRACTEA XVIII.

R. Affirmatiue. Vt patet, tum ex communi vsu Religiosorum, qui benemeritos de suo Ordine omnium bonorum sui Ordinis efficiũt participes applicãdo illis merita, & satisfactiones suarum Congregationum; tum quia Prælati possunt præcepto, & intentione reseruare partem satisfactionis subditorum conferendam his, quos ipsi designant; sicut enim quilibet potest communicare sua bona opera satisfactoria antequã recondantur in Ecclesię thesauro, cũ quilibet sit Dominus suarum satisfactionum, ita Superior Religiosorum potest Religiosorũ satisfactiones antequã in thesauro Ecclesiæ reponantur cui voluerit applicare. Ita Graffius *in append. lib. 2. cap. 2. n. 18.* & Nugnus *in addit. quæst. 25. difficult. 1.* Nauarr. *de Indulgentijs notabili 31. num. 18.* & alij.

R. 2. Quando Prælatus alteri satisfactionem applicat, & subditus alteri, satisfactionem prodesse illi, cui subditus applicat, quia subditus in hac parte videtur primum locum obtinere, vt patet in sacrificio Missæ. Ratio est, quia Prælatus non videtur Dominus actus merè interni principaliter dependentis à voluntate subditi applicantis suffragium; licet plures sequantur opinionem contrariam.

An Prælatus possit alijs applicare satisfactionem subdito necessariam?

BRACTEA XIX.

R. Non posse Prælatum ea bona, quæ quis eius subditus facit pro satisfactione necessaria suorum peccatorum alijs applicare. Ratio est, quia Prælatus non videtur Dominus satisfactionis necessariæ ad salutem subditi, sed solummodò satisfactionis superabundãtis; tum quia Prælatus non videtur posse damnum subdito inferre in spiritualibus. Et ita Corduba *quæst. 42. de Indulgentijs.*

R. 2. In casu aliquo particulari posse superiorem satisfactiones subdito necsiarias alteri applicare; tum quia sic faciendo superior non priuat subditum præmio essentiali, quod consistit in merito ipsius actionis, sed tantum quodam temporali subsidio.

R. 3. Quod bona opera satisfactoria si antequã fiãt, vel dũ fiũt nõ applicãtur per ea faciẽtem, aut per superiorẽ postquã facta sunt non possunt amplius applicari, sed spectat ad Ecclesiam, vel ad eius Prælatos, cum iam sint applicata in thesauro ipsius. Ita Corduba *lib. 5. de Indulgentijs quæst. 42.* Suarez *tom. 4. in tertiam partẽ distinct. 55 sect. 5. num 5.*

Sciẽdum tamen triplex esse genus suffragiorum, quæ applicantur pro alijs. Primum est eorum, quæ per modum impetrationis, aut meriti de congruo feruntur, quo pacto hoc ipso, quod quis est peculiari modo membrum alicuius Religionis, merita eiusdem Religionis valent apud Deum, vt ratione illorum conferat aliqua bona peculiari auxilio personis eis coniunctis. Secundum est eorum, quę per modum satisfactionis, aut solutionis offeruntur pro peccatis iam commissis, vel proprijs, vel alienis, vt cum offertur propria satisfactio pro alio viuente, aut defuncto, & vocatur suffragium satisfactorium. Tertium est eorum, quæ dicuntur satisfactiones Christi, & Sãctorum, quæ scilicet iam factæ sunt, & tunc non habuerunt suum effectum, sed deinde applicantur ad remittenda peccata, posteà commissa, & hæ dicuntur Indulgentiæ. Quando ergo Prælati faciunt participes sæculares bonorum Religionis, & suffragiorum tantum faciunt participes primo modo, quia propter pia opera totius Religionis Deus benefacit membris eius; ideò omnibus etiam specialiter cum tali Religione coniunctis confert beneficia specialia propter eadem opera; Secundo verò modo etiam posset Religio aliquos admittere ad participationem suffragij, sed opportet particulares Religiosos etiam applicare suas satisfactiones, quando eas faciunt pro ijs, alioquin sola applicatio superioris non erit sufficiens, si inuito subdito fiat. Ita Suarez *tom. 4. in tertiam partem* D. Thomæ *disp. 79. sess. 5.* & alij.

An qui recipit alios ad participationem suorum bonorum operum, eius opera sint ei minus vtilia?

BRACTEA XX.

R. Cum distinctione; non esse minus vtilia quantum ad meritum, cum hoc sit proprium operantis ipsam actionem, & secundum quod omnes à Deo remunerantur; quia vt omnes Doctores tradunt meretur si ipse sit in statu gratiæ, quantum verò ad remissionem pœnæ sunt ei minus vtilia, si secundum aliquam partem solum applicentur; si verò applicentur in totum, ipsi operanti erunt inutilia, quia sunt eius, pro quo fiunt, nisi fortè talis satisfactio esset maior, quam exigerent eius peccata, pro quibus quis satisfacit, quia tunc illud superfluum suffragabitur operanti.

An Episcopus possit concedere Indulgentias?

BRACTEA XXI.

R. Posse concedere Indulgentias in casibus ei à Papa permissis, & cum limitatione, & restrictione, vt in Dedicatione Ecclesiæ, in qua concedunt Indulgentiam vnius anni, & alias quadraginta dierum. cap. Cum ex de pęnitentijs, & remissionibus; pro mortuis verò non posse concedere Indulgentias, cum eorũ facultas sit restricta pro subditis degentibus in hac vita; tum etiam, quia nunquam concesserunt Indulgentiam pro Defunctis; ergo signũ est non posse eas concedere. Ita Nauarr. *notabili 1. de Indulgentijs,* & alij.

An

An Episcopus possit non subditis Indulgentiam concedere?

BRACTEA XXII.

R. Non posse. Vt expresse definitur in cap. de pœnitentijs, & remissionibus; vnde, qui habent priuilegium concedendi Indulgentias non possunt illas concedere, nisi illis, in quos habent iurisdictionem, cum iurisdictio non possit exerceri, nisi in subditos; secus verò quando quis haberet specialem commissionem à Summo Pontifice.

R. 2. Posse Episcopum existentem in alterius Diœcesi, sine vlla diœcesani licentia Indulgentia suis subditis concedere. Ratio est, quia talis cōcessio Indulgentię est actus iurisdictionis voluntariæ, quæ extrà Diœcesim à Prælato potest exerceri. Ratio est, quia fit sine strepitu, & iudicij figura, & nulli fit præiudicium, & alteri prodest.

An Episcopus excommunicatus possit concedere Indulgentias?

BRACTEA XXIII.

R. Episcopum excommunicatum denunciatum non posse concedere Indulgentias. Ratio est, quia excommunicatus vitandus caret iurisdictione, & consequenter inualida sunt ipsius acta ad iurisdictionem pertinētia; secus autem si sit excommunicatus toleratus. Ratio est, quia excommunicatus toleratus non priuatur iurisdictione.

R. 2. Episcopum nondum consecratum, sed tantvmodo electum posse concedere Indulgētias. Ratio est, quia concessio Indulgentiarum est actus iurisdictionis; actus autem iurisdictionis potest ab Episcopo non consecrato exerceri, & alteri demandari. Ita Suarez *disp. 49. num. 3.* Nugnus *in addit. quæst. 25. art. 1.* Quod tamen intelligendum est dummodo Episcopus electus ad Episcopatum, sit à Summo Pontifice confirmatus, quia tunc solum censetur habere iurisdictionem, quæ requiritur ad concedendas Indulgentias. Et ratio est, quia sicut Episcopus electus, & nondum consecratus potest excommunicare, & ab excommunicatione absoluere, ita à simili potest etiam Indulgentias concedere. Et ita D. Thomas *in addit. ad tertiam partem quæst. 26. art. 2.* Corduba *lib. 5. de Indulgētijs quæst. 12.* Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 8.*

Hinc sequitur à pari Summum Pontificem electum, & nondum consecratum posse concedere Indulgentias.

An Vicarius Generalis Episcopi possit concedere Indulgentias?

BRACTEA XXIV.

R. Regulariter non posse. Ratio est, quia facultas conferendi Indulgentias solum Episcopis conuenit Iure Diuino, & Humano, non autem alijs. Ratio est, quia cum ipsi soli sint Prælati Ecclesiæ, ad ipsos soli spectat dispensatio Thesauri eiusdem. Et ita Nauarrus *comment. de Iubilæo notabili 31. num. 6.* Nugnus *in tertiam partē D. Thomæ quæst. 26 art. 1.* Azorius *par. 2. lib. 3. cap. 43.* Reginaldus *lib. 7. num. 122.*

R. 2. Vicarium speciali facultate Episcopi posse concedere Indulgentias. Ratio est, quia actus concedendi Indulgentias spectat ad facultatem iurisdictionis Episcoporum; quę quidem facultas licet spectet ad forum internum, tamen delegabilis est, sicut facultas iurisdictionis, quæ spectat ad forum externū. Ita Grassius *lib. 2. cap. 2. num. 21.* Bellarmin. *de Indulgentijs lib. 1. cap. 11.* Emanuel Sà *verbo Indulgent. num. 16.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 20. pun. 3.* & alij. An Episcopus possit hanc facultatem Laico delegare dictum est suprà.

An Capitulum Sede vacante possit concedere Indulgentias, quas possunt Episcopi?

BRACTEA XXV.

R. Negative. Et ratio est, quia cum Capitulum non succedat in dignitate, neq; succedere videtur in iurisdictione Indulgentiarum, quam iura volunt esse reseruatam dignitati Episcopali. Ita suprà citati Doctores. Et ratio est, quia potestas concedendi Indulgentias est actus iurisdictionis, quam non habet Capitulum, cum nullus inferior à Papa possit de thesauro disponere, nisi is, cui fuit concessum; sed hoc de Capitulo Sede vacante non est cautum; ergo, &c. Ita sentiunt Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Suarez, & Reginald. *locis citatis*, Corduba *lib. 5. de Indulgentijs quæst. 12.* & alij. Quod si dicatur, Capitulū habere eandem iurisdictionem, quam habet Episcopi, respondeo habere eandem iurisdictionem contentiosam, non autem voluntariam, & licet Capitulum succedat Episcopo in iurisdictione contentiosa, nunquam tamen in dignitate succedit, cui hæc potestas adiuncta est ex Iure Pontificio.

An Archiepiscopus possit in tota Prouincia sui Archiepiscopatus, ideft in Episcopatibus suorum suffraganeorum, Indulgentias concedere?

BRACTEA XXVI.

R. Primo posse Archiepiscopum Indulgentias concedere in sua Diœcesi, in qua est immediatus, & ordinarius Episcopus. Et ratio est, quia sicut Episcopi iure communi possunt concedere Indulgentias cum limitatione, & restitutione suprascripta, ita & etiam Archiepiscopus potest eas concedere, cum in sua Diœcesi sit ordinarius Episcopus.

R. 2. Posse Archiepiscopos dum sunt in actu visitationis Diœcesium suorum suffraganeorum posse Indulgentias concedere, quas concedunt Episcopi. Et ratio est, quia in actu visitationis cēsentur habere supremam auctoritatem, quam habent Episcopi, & idcircò posse concedere Indulgentias.

An Cardinales possint concedere Indulgentias?

BRACTEA XXVII.

R. Cardinalem non Episcopum non posse Indulgentias concedere. Et ratio est, quia non censetur dispensator thesauri Ecclesiastici, nisi de speciali mandato, seù delegatione Summi Pontificis, & tunc habebit solū potestatem delegatam, non autem ordinariā. Et ita Nauarr. *in comment. de Iubilæo notabili 31. n. 17.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 29. pun. 3.* Corduba *lib. 5. de Indulgentijs quæst. 16.* in Ecclesijs verò suorum titulorū, quia in eis habent iurisdictionē Episcopalem possunt concedere Indulgentias centum dierum. Et ita Zerola *lib. 1. de Indulgentijs cap. 13.* & ita obseruat consuetudo, quæ est legitima iuris interpres.

An Legatus Sedis Apostolicæ possit concedere Indulgentias?

BRACTEA XXVIII.

R. Posse. Et ratio est, quia habet illam auctoritatem in sua Prouincia, quam habet Episcopus in sua Diœcesi; & sicut Episcopus potest concedere Indulgentias, ita etiā cum eadem limitatione quadraginta dierum potest Legatus, seù Nuncius Apostolicus. Tū etiam, quia ipse est Ordinarius in Prouincia sibi delegata.

R. 2. Legatum Apostolicum, etiamsi non sit Presbyter, posse concedere Indulgentias. Ratio est, quia concessio Indulgentiarum est actus iurisdictionis, & non ordinis, qui actus iurisdictionis ad ipsum spectat, licet consuetudine etiam receptum sit, vt Legatus Apostolicus possit concedere Indulgentias centum dierum, vt docet Gambar. *de officio Legati lib. 8. tit. Quid possit num. 8.* & finita legatione, vel morte durāt Indulgentiæ, vt idem auctor docet *num. 20.*

An Consilium Generale possit Indulgentias concedere?

BRACTEA XXIX.

R. Concilium Generale non posse concedere Indulgētias Plenarias. Et ita Bellarminus *de Indulgentijs cap. 11.* Ratio est, quia Concilium Generale seclusο Papa non habet papalem auctoritatem, nec formaliter, nec eminenter, nec vllo modo, vt probat Caietanus *tract. 1. de auctoritate Papæ, & Concilij cap. 11. & 12.* ergo non potest secluso Papa ea facere, quæ propriè pertinent ad Summum Pontificem, sed ea solum, ad quæ extenditur auctoritas episcopalis; ergo solum eas Indulgentias potest concedere, quas possunt Episcopi; tum etiam, quia nullum extat exemplum hac de re. Quod enim aliqui dicunt, Concilium Basiliense *sess. 24.* Constantiense *sess. 17.* & Lateranense sub Innocentio III. concessisse Indulgentias Plenarias.

R. Concilium Basiliense eo tempore fuisse Scismaticum; vnde nec eius decreta, nec exempla certam fidem facere possunt; nec mirum est, quod Panormitanus auctor oppositæ sententiæ contradicat; id enim docuit eo loco, vbi Concilium suprà Papam esse omnes clamabant, Concilium verò Lateranense non concessit Indulgentiam, sed Innocentius III. caput Concilij.

Et quid si Concilium Generale esset sine Capite ob mortem Papæ, quia tunc Ecclesia caret capite, quod posset Indulgentias conferre?

BRACTEA XXX.

R. Vt suprà dictum est Concilium Generale seclusο Papa non habere papalem auctoritatem concedendi Indulgentiam. Ratio, quia non habet talem potestatem viuente Pōtifice; ergo neque eo mortuo. Patet consequentia, quia necessitas non est sufficiens ratio ad dandam iurisdictionem Concilio ad cōcedendas Indulgentias; tum etiam, quia Concilium præcisum à capite solum potest ferre leges ad regimen Ecclesiæ necessarias, & mortuo Papa Concilium habet talem auctoritatem, ad regimen autem Ecclesiæ non est necessaria potestas Indulgentiarum, præsertim pro illo breui tempore, quo durare solet vacatio Sedis, & licet esset diuturna, id per accidens esset.

An Papa Solus possit concedere Indulgentias?

BRACTEA XXXI.

R. Solum Summum Pontificem posse concedere Indulgentias, quia est fons totius Ecclesiasticæ iurisdictionis, & ab eo tanquam à fonte emanant riuuli ad cæteros Catholicæ Ecclesiæ Prælatos. Ratio est, quia tali Petro Christi dixit Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Tibi dabo claues Regnum Cælorum, &c.* & Ioann. 21. *Pasce oues meas.* Vnde de eo canit Ecclesia; Tu es Pastor omnium Princeps Apostolorum; tum etiam, quia cum ipse sit Pastor generalis, & curam habeat totius Ecclesiæ ad ipsum spectat Indulgentias in vniuersali Ecclesia concedere. Et ratio est, quia facultas distribuendi bona communia Reipublicæ conuenit Supremo Principi, at Roman. Pōtifex est summus Ecclesiæ Princeps, & custos thesauri totius Ecclesiæ Vniuersalis; ergo ad ipsum spectat solum concedere Indulgentias.

R. 2. Hanc facultatem competere Summo Pontifici de Iure Diuino, quia à Christo ortum habuit, nec aliunde habere potuit, cum alium Superiorem in terris non habeat.

Quisnam possit Indulgentias lucrari?

BRACTEA XXXII.

R. Solum hominem posse Indulgentias lucrari, qui habet vsum rationis. Ratio est, quia reatus pœnæ temporalis, ad cuius remissionem Indulgentia ordinatur oritur ex culpa actuali, quam solum committere potest, qui habet vsum rationis.

R. 2. Debere esse viatorem. Ratio est, quia concessio Indulgentiarum est actus iurisdictionis;

nis; actus autem iurisdictionis non potest in eos, qui non sunt viatores exerceri, cum ipsi non sint subditi Ecclesiæ, aut Ecclesiæ membra. Hinc sequitur, Angelos, & Beatos existentes in Gloria, non esse capaces Indulgētiarum, quia non sunt viatores. Similiter Dæmones, quia non sunt capaces remissionis culpæ, damnatos etiam non esse capaces Indulgentiarum, quia non sunt amplius viatores, & per immutabilem Dei sententiam, sint Ignibus addicti; vltimò pueros in Limbo detentos ob peccatum originale non esse capaces Indulgentiarum, tum quia non sunt amplius viatores; tum etiam quia non fuerunt Christo per Baptismum incorporati.

R. 3. Hominem capacem Indulgētiarum debere esse baptizatum. Ratio est, quia concessio Indulgentiarum est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, qui ab Ecclesia non potest exerceri in eos, qui nondum sunt baptizati, cum ipsi nondum sint subditi Ecclesiæ; tum etiam quia Indulgentiæ fundātur in articulo communionis Sanctorum, qui autem sunt extrà Ecclesiā, vt sunt infideles non possunt participare communionem Sanctorum, quia sunt membra præcisa, & mortua.

An excommuncati maiori excommunicatione sint capaces Indulgentiæ?

BRACTEA XXXIII.

R. Nullo modo esse capaces Indulgentiæ, quamuis sint contriti. Ratio est, quia excommunicatus licet contritus afficitur pœnis excommunicationis; vna autem ex pœnis excommunicationis est priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum, & bonorum, quales sunt Indulgentiæ. Ita Suarez *disp. 52. sect. 2. de Indulgentijs tom. 4.* Vgolinus *de censuris tabula 2. cap. 9.* Nugnus *in addit. quæst. 27.* quamuis plures teneāt, Indulgentias prodesse excōmunicato non existenti in peccato mortali.

An sit necessarium, vt is, cui Indulgentia datur, intelligat sibi eam concedi, etiam sit in statu gratiæ?

BRACTEA XXXIV.

R. Negative; Vt patet exemplo Censurarum, à quibus potest absolui etiam is, qui nihil intelligit. Hinc si quis repente tempore suæ infirmitatis, sensum, & rationem amittat, sitque in articulo mortis, nullumque signum contritionis præbeat, quamuis non possit sacramētaliter absolui, tamen potest lucrari Indulgentiam, si probabiliter constet, eum esse in statu gratiæ. Quia id satis est, vt is censeatur capax Indulgentiæ, & habere virtualem voluntatem eiusdem.

R. 2. Gratiam esse necessariam ad consequendam Indulgentiam, licet non sit necessaria ad alios fauores, qui cum Indulgentia concedi solent; vt est facultas eligendi Confessarium, qui eum etiam à reseruatis absoluat, facultas edendi oua, & laticinia in Quadragesima, audiendi Diuina tempore Interdicti, &c. Indulgentiam verò non valere illi, qui est in peccato mortali ad remissionem reatus pęnę temporalis debitę ratione illius peccati, quia pęna non potest dimitti, nisi prius dimittatur culpa.

R. 3. Indulgentiam non valere ei, qui est in peccato mortali ad remissionem pęnæ temporalis debitæ pro peccatis remissis. Ratio, quia Indulgentia essentialiter importat remissionē pęnæ; sed pęna nō potest remitti, quandiu homo est in peccato mortali; ergo vt Indulgentia ei valeat debet esse in gratia; & ratio est, quia omnis remissio pęnę est donum, quod non confertur nisi amicis.

An qui facit opera necessariò requisita ad lucrandam Indulgentiam debeat esse in statu gratiæ toto tempore, quo singula opera perficit, aut solum eo instanti, quo percipitur Indulgentia?

BRACTEA XXXV.

R. Non requiri quod sit in statu gratiæ, nisi pro illo instanti, quo consumato opere iniuncto, effectus Indulgentię est percipiendus, etiamsi omnia opera ad illam acquirendam nō impleantur in statu gratiæ, modo sint moraliter bona. Ita Toletus *lib. 6. cap. 27. nu. 3.* Graffius *de Indulgentijs cap. 5. num. 48.* Henriquez *de Indulgentijs cap. 9.* Nauarr. *de Indulgentijs cap. 16. nu. 17.* Ratio est, quia si toto tempore, quo singula opera præstat, deberet esse in gratia, sequeretur paucos percipere Indulgētiam; tum quia Summus Pontifex non præcipit omnia opera fieri in gratia.

Sciendum est, quod qui tenentur, vt consequantur Indulgentias diebus Mercurij, Veneris, Sabbati ieiunare, simulq; in aliquo dierum hebdomadæ confiteri, & die Dominico communicare, licet non ieiunauerit in statu gratiæ, tamen dummodo facit vltimum opus præscriptum, quod est die Dominico se communicare sit in statu gratiæ, assequitur Indulgentias. Ratio est, quia licet priora opera sint facta in peccato mortali, & per consequens ex se non meritoria, nec possint iuuare ad finem Indulgentiæ, tamen quatenus coniunguntur cum vltimo opere præstito in statu gratiæ possunt sufficere ad acquirendas Indulgentias.

An qui facit etiam vltimum opus præscriptum in peccato mortali, eo amoto consequatur Indulgentiam?

BRACTEA XXXVI.

R. Cum distinctione, quod si vltimum opus præscriptum fiat in peccato mortali sciēter, & aduertenter, nullo modo sublato obice acquiri effectum Indulgentiæ; & ita sentire videntur omnes illi, qui tenent, recipientem indulgentiam in peccato mortali non habere effectum remoto obice; si verò ignorantia inculpabili, &c. vltimum opus fiat in peccato mortali sublato obice producere indulgentiam suum effectum: eo modo, quo in Sacramento pęnitentiæ sublato obice reuiuiscit satisfactio

tisfactio sacramentalis, siue effectus Sacramenti in eo, qui ignorantia inuincibili, & inaduertenter recipit in peccato mortali Sacramentum pęnitentiæ; cum suam vim habeat ex opere operato, ita indulgentiæ, quæ suam vim habent ex thesauris Ecclesiæ reuiuiscunt sublato obice ad gratiam in eo, qui inaduertenter, & ignorantia inuincibili ipsas recipit in peccato mortali. Ita Henriquez *lib.7.cap.9.n.3.* Siluester *verbo Indulgentia*, & alij; & sicut qui scienter in peccato mortali recipit Sacramentum pęnitentiæ inualidè ipsum recipit, ita etiã qui scienter in peccato mortali recipit indulgentias inualidè eas recipit, & ratio est, quia thesaurus indulgentiarum solis amicis Dei aperitur, & clausus manet ijs, qui sunt in peccato mortali, vt sunt recipientes cũ ipso indulgentias, cum æternæ pęnæ sint rei, & obnoxi.

An necesse sit accipientem Indulgentias facere omnia opera præscripta in concessione illius?

BRACTEA XXXVII.

R. Affirmative. Et ita Graffius *de Indulgentijs cap.5.num.32.* Toletus *lib.6.cap.27.nu.2.* Henriquez *de Indulgentijs cap.10.num.3.* & alij. Ratio est, quia Superior concedit Indulgentias sub tali conditione, quæ si non adimpletur ipsa Indulgentia non acquiritur. Quod etiam probatur, nam quando Romani Pontifices volunt lucrari Indulgentiam ab his, qui legitimè impediti non possunt perficere omnia opera præscripta, addere solent, vt Confessarij commutent opera præscripta in alia opera pia, vel expressè declarant obtineri Indulgẽtiã ab ijs, q omnia opera pręscripta ex iusta causa perficere non possunt, vt colligitur ab Extrauaganti, & Vnigenitus, &c. Et ita tenent citati Doctores, & Nauarrus *notab.19. num.3.* Valentia *tom 4. disp.7. quæst.20. pun.5.* Suarez *disp.52. sect.5. num.1.* Filliucius *tom.1. tract.8. cap.6. num.152.*

Sciendum est, ad consequendum Indulgentias non solum satis esse facere opus præscriptum, sed illud debere esse honestum, & moraliter bonum; vnde qui eleemosynam præscriptam faceret ob vanam gloriam, vel ob alium prauum finem, non assequeretur Indulgentias, cum illa opera non essent moraliter bona, neque redundent in honorem Dei, seu ad finem intentum. Ita Corduba *lib.5. quæst.12.* Nauarrus *de indulgentijs notabili 10. num.6.* Reginaldus *lib.7. n.188.* & alij; secus verò dicendum esset, si opus præscriptum faceret ob vanam gloriam, & ob honorem Dei, & ad obtinendã Indulgentiam, quia tunc ipsam consequeretur, cum præstari videatur id, quod est præscriptum ad assequẽdam Indulgentiam, & talis actus sit sufficiens ad satisfaciendum præcepto. Similiter, qui Ecclesias visitaret non deuotionis gratia, sed vanitatis, aut curiositatis, nimirum, vt videret, aut videretur, non assequeretur Indulgentias, cum illa visitatio Ecclesiæ non sit actio honesta, nec opus moraliter bonum. Ita Valentia *tom.4 disp.7 quæst.20. pun.5.* Reginald. *loco citato* Nauarrus *de indulgentijs notabili 19. num.6.* & alij.

R. 2. Adolescentes, qui nondum peruenerunt ad vigesimum primum annum, & nondum ex præcepto Ecclesię tenẽtur ieiunare, esse obligatos ad ieiunium, alioqui non consecuturos indulgentiam, quoties in Iubilæo pręscribitur ieiunium. Ita Auctores citati.

An ex iusta causa prætermittens opus præscriptum acquirat Iubilæum?

BRACTEA XXXVIII.

R. Negative. Vnde qui non confitentur tempore Iubilæi, vel non faciunt aliud opus præscriptum nõ consequuntur Iubilęum, aut indulgentiam, licet ea prætermittant ex iusta causa, & impedimento, vel impotentia, nisi aliud in Bulla exprimatur, aut modo non fiat commutatio in aliud opus pium iuxta mẽtem Pontificis verbis expressam. Ita Em. Sà *verbo indulgentia*, & cum eo plures citati.

An in hoc casu sufficiat bona voluntas faciendi opus præscriptum?

BRACTEA XXXIX.

R. Negative. Et ita communiter omnes Theologi, & Iurisperiti. Et ratio est, quia licet in multis voluntas pro facto habeatur, & ipsi operi æquiualeat: *cap. magna de pœnit. disput.1.* tamen in materia de indulgentijs, cum concessio sit sub conditione faciendi opus pręscriptum, conditione non impleta, non sequitur id, quod sub conditione conceditur supra citata regula non valet in materia indulgẽtiaꝝ.

R. 2. Licet non lucretur indulgentias, lucrari tamen augmentum gratiæ in via, & gloriæ in patria; quod interdum est maius, quam lucrum indulgentiæ. Ita D. Thomas *in 4. dist.20. quæst.1. art.5.*

An lucretur partem Indulgentiæ, qui facit partem operis iniuncti?

BRACTEA XL.

R. Quod qui pręternmittit aliquã partẽ operis iniuncti, seu præscripti in concessione indulgentię non lucratur ipsã, nec partẽ ipsius, nisi aliter in Bulla exprimatur. Ratio, quia superior nõ facit diuisionẽ in cõcessione indulgentiæ, ita vt qui dimidiam partem operis iniuncti facit, assequatur dimidiam etiam partem indulgentiarum, si verò pars, quæ prætermittitur non fuerit notabilis, & leuissima, tunc assequeretur totam indulgentiam, quia parum pro nihilo reputatur, vt v. g. si ad acquisitionem indulgentiæ pręscriberetur auditio Missę, & quidam integrè ipsam non audiuisset, sed solũ ab Epistola, talis acquireret indulgentias; Ratio est, quia leuis omissio contra præceptum non impedit, quo minus satisfiat præcepto, dummodo illa omissio iudicio prudentis non censeatur notabilis.

An

An volens acquirere indulgentiam teneatur opus iniunctum per se ipsum adimplere?

BRACTEA XLI.

PRo maiori notitia sciendum est, opera, quę præscribuntur esse in duplici differentia; quędam esse realia, vt dare eleemosynam, &c, quædam verò personalia, vt sunt audire Missam, confiteri, communicari, &c. quo posito.

R. Accipientem indulgentiam posse per aliũ facere opera realia, vt Dominus per seruum potest eleemosynam facere; verum si seruus eleemosynam præscriptam non faceret, Dominus non lucraretur indulgentias, quia non præstaret opus in concessione indulgentię præscriptum.

R. 2. Opera personalia, vt sunt ieiunare, cõteri, confiteri accipientem indulgentiam non posse per alium facere, nisi aliud exprimatur in Bullis; aut facultas Confessario concedatur commutandi ea in alia opera pia.

An ratificans eleemosynam datam ab aliquo amico, motu proprio, nomine illius pro Indulgentia assequenda eam lucretur?

BRACTEA XLII.

R. Affirmative. Ratio est, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur iuxta regulam iuris; quod locum habet in operibus realibus, non autem personalibus, quod habeat locum in operibus realibus patet, quia non is tantum propriè dicitur ea facere, qui ea facit, sed etiam, qui ea præcipit, aut mandat, vt v. g. non is tantum dicitur facere eleemosynam, qui eam facit, sed etiam, qui eam mandat, aut præcipit. Secus verò dicẽdum est de operibus personalibus, quia nullus propriè dicitur hæc facere, nisi per se faciat, non autem quando per alium. Vnde vt dictum est, nisi in Bulla aliter exprimatur, opera personalia non possunt per alium fieri.

An vna, & eadem actione, seu eodem opere possit quis lucrari diuersas Indulgentias?

BRACTEA XLIII.

R. Vna, & eadem actione, seu eodem opere non posse aliquem lucrari diuersas Indulgentias à diuersis Pontificibus concessas diuersis Medalis, seu facientibus tale opus præscriptum concessas. Ita Suarez *disp. 32. sect. 8. nu. 10.* & alij. Ratio est, quia quælibet indulgentia habet suum opus præscriptum distinctum ab opere præscripto alterius indulgentię, & per consequens ad lucrandas distinctas indulgentias, requiritur distincta executio operum iniunctorum in illarum concessione. Vnde Sacerdos, qui celebrat Missam cum duabus Medalijs habentibus indulgentiam concessam liberãdi animam à Purgatorio solum vnam liberat, quia ex concessione Bullę requiritur ad liberationem animę celebratio vnius Missę, vnde licet habeat duas Medalias, quia facit vnum tãtum opus præscriptum, liberat vnã tantum animam à pœnis Purgatorij. Ita Auctores citati.

Quod si verũ esset, posset aliquem vna actione satisfacere pluribus obligationibus, tamen quando aliter constat de intentione legislatoris non potest, vt in hoc casu, patet intentionem concedentis esse, vt sacrificio Missæ mediante indulgentia Medalię liberetur anima à Purgatorio.

R. 2. Posse aliquem eodem tempore distinctis actibus satisfaciendo pluribus obligationibus acquirere distinctas indulgentias, quę satisfacientibus huiusmodi obligationibus concessę fuerunt, vt v. g. cum eodem tempore possit satisfacere quis pręcepto audiendi Missam, & recitandi officium, potest etiam acquirere indulgentias, quę audientibus Missã, & recitãtibus ritè officiũ à Summis Pontificibus concessę fuerunt. Ratio est, quia verè, & realiter satisfacit pręcepto audiẽdi Missã, & obligationi dicendi officiũ, cum actus audiendi Missam, non impediat actum recitandi officium, & per consequens cum faciat opera prescripta, acquirit duas indulgentias.

An verò qui eodem tempore audit plures Missas, quę in diuersis Altaribus celebrantur, acquirit tot indulgentias, quot audit Missas, supponendo quod audientibus Missam concessę sint indulgentię? Dicendum est negatiuè, cum vnus actus sit impeditiuus alterius, & nemo possit audire simul plures Missas, cum attentione, & deuotione; quę conditiones requiruntur, vt satisfiat pręcepto audiendi Missam.

An quis eodem die possit consequi sæpius Indulgentiam concessam visitantibus Ecclesiam tali die?

BRACTEA XLIV.

R. Affirmative. Modo indulgentia concessa sit absque temporis determinatione & nisi aliter constet de intentione concedentis. Ratio est, quia qui pręstat opus pręscriptum ad consequendam indulgentiam, illam consequitur; cum autem quis possit eodem die sępius opus pręscriptum adimplere, sequitur etiam posse sępius eodem die acquirere indulgentiam concessam visitantibus talem Ecclesiam tali die; si verò indulgentia concessa sit cũ tẽporis determinatione, non potest sæpius acquiri. Et ratio est, quia breue tempus pręscribitur, vt ostendatur, non posse sępius eandem indulgentiam obtineri. Ita S. Thomas *in addit. quæst. 25. art. 2.* Nauarrus *de indulgentijs notabili 31. num. 36.* Reginald. *lib. 7. num. 165.* & alij plures citati apud Bonacinam *de sacram. pœnit. disp. 6. q. 1. pun. 5. num. 32.*

An omnes facientes opus ad Indulgentiam requisitum, parem Indulgentiæ effectum consequantur?

BRACTEA XLV.

R. Affirmative; dummodo opus, quod postulatur in Bulla reuerenter perficiant

idest

idest pietatis, & religionis causa. Ratio est, quia conditio in indulgentia postulata sufficienter adimpletur, & omnia necessaria ad acquisitionem indulgentię sufficienter concurrunt. Tum etiam quia voluntas concedentis indulgentiam impleta conditione transit in absolutam, & est omninò efficax; si ergo omnes opus pręscriptum sufficienter perficiunt ęqualem fructum referent indulgẽtię; omnes enim totum sequuntur, in quo non reperitur maius, vel minus ex parte indulgentię.

R. 2. Per accidens posse contingere, vt vnus maiorem gratiam mereatur, ac proinde maior remissionẽ pęnę, quam alter, ex eo quod opus pręscriptum feruentiori modo exequatur, & hoc modo videtur intelligendus Bonifacius, Octauius in Extrauaganti antiqua, vbi sic ait, vnusquisque autem plus meretur, & indulgentiam efficacius consequitur, qui Basilicas ipsas amplius, & deuotiùs frequentauerit.

An possit vnus pro alio viuente Indulgentias acquirere?

BRACTEA XLVI.

R. Negative. Ratio, quia qui concedit indulgentiam applicat, cui, & quomodo vult, non autem ille, qui facit opus pręscriptum; ergo licet quilibet possit satisfactionem sui operis alteri tribuere, non tamen fructum indulgentię concessę pro illo opere, nisi hoc exprimatur in Bulla; tum etiam, quia indulgentia non plus operatur, quam sonat; quando autem forma indulgentię tantum est, vt faciens hoc, vel illud, tantam remissionem cõsequatur, non sonat, nisi vt is, qui operatur eam consequatur; ergo non potest alteri applicari. Si tamen in ipsa forma id exprimeretur, vt in indulgentijs pro defunctis, tunc posset vnus pro altero hoc modo lucrari. Ita S. Th. *in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 5.* Suarez *disp. 52. sect. 7. num. 6.* Corduba *lib. 5. quæst. 26.* & alij.

An qui pro alio lucratur Indulgentiam debeat esse in gratia?

BRACTEA XLVII.

R. Negative. Ratio est, quia quamuis existens in peccato mortali non possit suis actibus pro se, aut pro alio satisfacere, nihilominus potest Indulgentiam pro alio lucrari, si faciat opus iniunctum ad obtinendam Indulgentiam, quia tunc ipse non dicitur satisfacere pro alio, sed facere opus, quo posito Romanus Pontifex applicat thesaurum Ecclesiæ, & Indulgentia habet suum valorem ex opere operato, & non dependet à gratia illius, qui pro alio Indulgentiam lucratur; vnde & si necesse sit, vt sit in gratia is, pro quo quis intendit acquirere Indulgentiã, nõ tamen est necesse, vt is qui facit opus pręscriptum sit in gratia.

R. 2. Ad valorem Indulgentiæ sufficere, vt vnus pro alio opus præscriptum impleat, etiam illo nesciẽte. Ratio est, quia cum ille passiuè se habeat, non videtur necessarius ipsius consensus, vt patet à simili de animabus existentibus in Purgatorio. Ita Sotus *in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 3.*

An qui non est consecutus Indulgentiam ob aliquem actum possit iterum actum præscriptum facere ad consequendam Indulgentiam?

BRACTEA XLVIII.

R. Posse, modo nondum elapsum sit tempus ad consequendam Indulgẽtiam præscriptum. Ratio est, quia adhuc est capax Indulgentiæ, & præstat actum ad illam consequendam præscriptum. Ita Nauarrus *de Indulgentijs notabili 52. num. 47.* & alij.

An qui orat ante fores alicuius Ecclesiæ acquirat Indulgentiam concessam visitantibus ipsam Ecclesiam?

BRACTEA XLIX.

R. Eas acquirere, dummodo accesserit intẽtione acquirendi Indulgentiam, & præ hominum concursu, & multitudine ingredi non potuerit corporaliter. Ratio est, quia iuxtà communem modum loquendi censetur Ecclesiam visitare, & in ea orare, etiam si oret in cimiterio. Ita Suarez *disput. 52. sect. 1.* Reginald. *cap. 184. num. 9.* & alij.

An quis teneatur accedere ad septem Altaria, vt acquirat Indulgentias concessas ea visitantibus?

BRACTEA L.

R. Non teneri ad singula Altaria accedere, sed posse dum existit in eadem Ecclesia, & in eodem loco Indulgentiam consequi orãdo versus septem Altaria, quia sic sufficienter adimplet opus præscriptum. Ita Graffius *de Indulgentijs cap. 5. quæst. 31.* Emanuel Sà *verbo Indulgentia num. 7.* & alij.

An qui prætermittit aliquem actum, quem iuxtà opinionem probabilem credebat non esse necessarium ad consequendam Indulgentiam ipsam consequatur?

BRACTEA LI.

R. Non consequi Indulgentiam, si talis actus re ipsa necessarius erat ad lucrandam Indulgentiam. Ratio est, quia non præstat opus præscriptum ad consequendam Indulgentiam, nec communis error supplet defectum, cum nullum graue incommodum publicum sequatur, cuius ratione dicendus sit Summus Pontifex consentire rationabiliter, & supplere defectum, sicut supplet defectum iurisdictionis interueniente communi errore, & titulo colorato. Ita plures apud Bonacinam *de Sacramento Pœnitentiæ disput. 7. quæst. 1. pun. 5. num. 27.*

An

An Confessio sit necessaria ad acquisitionem Indulgentiæ?

BRACTEA LII.

R. Qvod quando Indulgentia est concessa absque expressione confessionis; ipsam non esse necessariam, sed satis esse, vt sit in gratia per contritionem. Ratio est, quia existens contritus est capax Indulgentiarum, & cum concedens Indulgentiam non requirat confessionem, ipsa necessariò non requiritur.

R. 2. Si in forma concessionis Indulgentiæ iubeatur confessio, vt opus præscriptum ad consequendum effectum indulgentiæ, tunc esse necessariam confessionem, vt Indulgentiam lucretur. Ratio est, quia Indulgentia tantum valet, quantum sonat, & solum operatur iuxtà intentionem concedentis expressam per formam, cum autem forma, vt suppono, postulet confessionem, vt partem operis præscripti, confessio actualis est necessaria tunc ad acquirendam Indulgentiã, erit autem sufficiens expressa intentio superioris concedentis Indulgentiam, si in forma dicatur præmissa, aut facta sacramentali confessione, vel confiteatur peccata sua, &c.

Quid agendum quando verba concessionis sint dubia, & ambigua, nec constet de mente Summi Pontificis? vt si in forma concessionis ponerentur hæc verba, contritis, & confessis.

BRACTEA LIII.

R. Qvando in forma concessionis ponuntur hæc duo verba, Contritis, & Confessis, confessionem esse necessariam ad assequendam Indulgentiam, & non sufficere, susceptorẽ esse in gratia per contritionẽ, sed debere esse per confessionem, si peccatum mortale cõmisit post vltimam confessionem. Ita colligitur ex Gl. *in Extrauaganti cap. Vnigenitus*, ex Caietano *opusc. de Indulgentijs cap. 9.* Nauarr. *de Iubileo notabili 18. num 14.* Corduba *lib. 5. de Indulgentijs quæst. 27.* & alij. Primò, quia particula illa; Et, non censetur disiunctiua, sed copulatiua, & coniunctiua, dispositio autem copulata, qualis est supradicta contritis, & confessis exigit vtriusque termini existentiam; tum etiam quia in dubio non est recedẽdum à proprietate verborũ, licet plures sequantur opinionem contrariam, & velint illam particulam, Et, non esse copulatiuam, sed disiunctiuam, ita vt non sit simpliciter necessaria confessio, sed vel confessio, vel contritio. Si verò post vltimam confessionem nullum cõmiserit peccatum mortale aliqui Doctores existimant, non esse necessariam confessionem, nisi aliter coniiciatur de mente Pontificis. Ratio est, quia susceptor Indulgentiarum censetur contritus, & confessus, & per consequens capax Indulgentiarum. Ita S. Antoninus *par. 1. tit. 20. cap. 3 num. 5.* Suarez *disp. 52. sect. 2.* Nauarrus *loco citato*.

An cum requiratur actualis confessio ad Indulgentiam consequendam confessio debet esse valida?

BRACTEA LIV.

R. Debere esse validam. Ratio est, quia confessio inualida non dicitur vera confessio, nec qui inualidè confessus fuit, verè contritus, & confessus; tum etiam, quia confessio inualida cum non faciat hominem capacem gratiæ, nec ipsum potest reddere capacem Indulgentiæ.

R. 2. Confessionem validam, sed informem reddere hominem capacem Indulgentiæ, dummodò posteà remoueatur obex ad consequendum effectum ipsius Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est, quia remoto obice recipit effectum Sacramenti, & per consequens gratiam, quia disponitur ad recipiendam Indulgentiam.

R. 3. Ad acquisitionem Indulgentiæ non requiri confessionem generalem totius vitæ, sed sufficere partialem ab vltima cõfessione facta. Ratio est, quia in rigore nemo potest obligari ad bis sua peccata confitenda, nisi specialiter exprimatur. Et ita Bellarminus *lib. 1. de Indulgentijs cap. 13.* Nauarrus *notabili 18. num. 17.* Suarez *disp. 82 sect. 3. num. 4.* & alij.

An quando ad Indulgentiam postulatur confessio teneatur quis confiteri venialia ad eam consequendam?

BRACTEA LV.

R. Non esse necessariam confessionem peccatorum venialium, si susceptor Indulgentiarum non habeat conscientiam peccati mortalis. Ita Henriquez *cap. 12.* Suarez. *disp. 51. sect. 3.* Nauar. Reginald. *locis citatis*, modo in Bulla non exprimatur confessio peccatorum venialium. Ratio est, quia quando in Bulla exprimitur confessio intelligitur de confessione mortalium, vt tollatur impedimentum consequendi Indulgentiam, quod non inducitur à peccato veniali, sed solum à mortali; tum quia Ecclesia non consueuit exigere confessionem, nisi mortalium; tum quia solum mortale propriè dicitur peccatum, cum priuet hominem gratia, & amicitia Dei.

An quando in forma concessionis Indulgentiæ præcipitur communio nulla facta mentione confessionis, censeatur etiam præcepta confessio?

BRACTEA LVI.

R. Qvod si non præcipiatur confessio in ordine ad Sacramentum Eucharistię sumẽdum, ipsam non esse necessariam; vnde si quis se communicet cum sola contritione, quia non habet copiam Confessarii, & vrget præceptum communionis, verè lucrabitur Indulgentiam, quia implet formam præscriptam.

An quando in forma Indulgentiæ præcipitur confessio, & homo verè confitetur tempore præscripto, si deinde labatur in peccatum mortale, antequam exequatur vltimum opus Indulgentiæ, teneatur denuò ipsum confiteri?

BRACTEA LVII.

R. Teneri ipsum confiteri. Ratio est, quia totaliter non impleuit conditionem præscriptam, cum non sit confessus omnia peccata ante susceptionem Indulgentiæ. Ita Suarez *tom.4.disp.52.sect.3.num.7.*

R. 2. Siquis obliuisceretur peccatorũ in confessione facta in ordine ad Indulgentiam assequendam, ipsorum etiam remissionem consequi. Ratio est, quia hæc peccata in confessione generica censentur absoluta, & quoad culpam, & pęnam æternam, dummodo obliuio fuerit inculpabilis; ergo etiam istorum pęnitens Indulgentiam consequitur.

An de necessitate Indulgentiæ necesse sit, vt fiat aliquod opus pium, itaut Pontifex in isto non possit dispensare?


BRACTEA LVIII.

R. Non esse simpliciter, & absolutè necessarium, vt Indulgentia concedatur sub cõditione faciendi opus pium ad effectum Indulgentiæ consequendum. Ratio est, quia vt communiter testantur Theologi tria solum requiruntur ad Indulgentiam, Potestas in concedente, Gratia in recipiente, & Pietas in causa; ergo opus pium non est semper necessarium; tum etiam quia Indulgentia potest conferri per modum donationis liberalis occasione alicuius magnæ festiuitatis; & sicuti Principes in die natalis sui, vel suæ coronationis solent thesauros suos Populis impertiri, sine aliqua conditione, ita & etiam Ecclesia potest largiri suos thesauros.

An per actum internum possit quis consequi Indulgentiam cum onere faciendi tale opus?

BRACTEA LIX.

R. Posse. Ratio est, quia qui implet opus à Summo Pontifice præscriptum consequitur Indulgentiam concurrentibus alijs conditionibus; tum etiam quia experientia patet, Summos Pontifices concedere Indulgentiam ijs, qui faciunt examen conscientiæ, aut eliciunt actum contritionis, aut in mortis articulo corde proferunt nomen Iesus, cum nequeãt ore, ac etiam ijs qui faciunt orationem mentalem; tum quia vt suprà dictum est, Summus Pontifex potest concedere Indulgentias absq; conditione operis pij; ergo à fortiori potest ipsas concedere ab actum internum.



An ad concessionem Indulgentiæ requiratur Causa?

BRACTEA LX.

Pro maiori Intelligentia huius propositionis sciendum, tria reperiri in concessione Indulgentiæ, remissionẽ pœnæ, quę est effectus Indulgẽtię, causã effectiuam remissionis pęnę, quæ sũt merita, & satisfactiones Christi, & Sãctorũ, quę applicãtur, & dispensantur, & causã concessionis indulgẽtię, seu rationẽ dispensandi thesaurum, quæ est quæcunque causa in vtilitatem Ecclesiæ, honorem Dei, & bonum commune, cuiusmodi est Sacramentorum frequentatio, Apostolicæ Sedis reuerentia, Ecclesiarum instauratio, pauperum, & hospitalium subsidia, motiuum misericordię erga Defunctos, Dei cultus, & Sanctorum honorum dignitas personæ postulantis, cuius opera res Ecclesiastica iuuatur, & quicunque demum actus, ex quo aliqua vtilitas Ecclesiæ, & Diuina Gloria redundet, siuè talis actus sit opus externũ, vt eleemosina, peregrinatio, &c. siuè sit interior, & spiritualis, vt oratio, & contemplatio, siuè fiat ab eo, cui conceditur Indulgentia, siuè ab alio pro illo, vt cum datur Indulgentia pro Defunctis, siuè sit futurus, cùm conceditur indulgentia, siuè præteritus, vt cũ datur indulgentia morientibus propter bona opera, quæ alij fecerunt, etiamsi illi morientes nihil tunc faciant, nec quidquam ab alijs eorum loco exigatur, vt rectè docent Durandus *4.dist.20.quæst.4.* Thurecremata *cap. quod aliter; & quod ex eo de Pęnitentijs, & remissionibus*, Corduba *quæst. 19.* siuè demum talis actus sit debitus ex præcepto, siuè non; vt docet Corduba *loco cit.* & Angelus *verbo Indulgentia* §.15. nã omnibus his modis intelligitur cõcedi Indulgentia ob causam quæ cedit in vtilitatẽ Ecclesiæ. Quo posito.

R. Indulgentiam sine causa pia, & iusta concessam non habere vim respectu pęnæ Purgatorij, seu debitæ iudicio Dei. Ita S. Bonauentura *disp.20.quæst.vlt.2.par.* Durãdus *quæst.4.* Gabriel *disp.45.quæst.3.art.4.* Adrianus *in 4.quæst.de Indulgentia conclus.2.* Caietanus *opusc.de caus.Indulgentiæ quæst.1.* & alij. Ratio, quia Summi Pontifices solent in Bullis Indulgentiarum exprimere causam iustam, & piam concedendæ Indulgentiæ; tum etiam, quia pęna expianda est Iure Diuino, & præscripto Dei, sed non potest Papa sine iusta causa dispensare in his, quæ pertinent ad Ius Diuinum, vt patet in dispositione iuramenti, & voti, quoniam Minister Dei est, non Dominus. Demùm, quia Papa est dispensator thesauri Ecclesiastici, sed dispensator inualidè dispensat, nisi id faciat secundum intentionem eorum, quorum bona dispensat, nam alioquin non dispensat, sed dissipat; at intentio Christi, & Sanctorum fuit, vt non nisi cum Diuina Gloria, & vtilitate Ecclesiæ dispensarentur eorum satisfactiones; ergo, &c. Dixi respectu pęnæ Purgatorij, & debitæ Deo; nam Indulgentia sine iusta causa concessa est valida; Primò respectu eorum, quæ pendent ex solo Iure Ecclesiastico, vt sunt priuilegia eligendi Confessarium, qui possit à reseruatis absoluere. Et ita Nauarrus *notabili 15.de Iubilæo*, & Sotus *dist. 21. quæst.2.* Ratio est, quia in his, quæ sunt

sunt de Iure Ecclesiastico etiamsi Pontifex sine iusta causa dispenset valida est dispensatio, satis etiam est, si constat, eum voluisse dispensare, cum id totum ab eius voluntate pendeat. Secundò respectu pœnæ iniunctæ à Confessario ex ea parte, quæ oritur ex solo præcepto Confessarij. Et ita Nauarrus *de Indulgentijs notab. 25. num. 11. & 12.* Et ratio est, quia licet quis debeat soluere pœnam pro suis peccatis, tamen hac, vel illa pœna satisfacere non tenetur ex Iure Diuino, sed tantum ex præcepto Confessarij in quo Pontifex potest, sicut & quouis alio præcepto Ecclesiastico dispensare.

An Indulgentia concessa pro causa non omninò iusta aliquo modo valeat?

BRACTEA LXI.

R. Valere non tamen absolutè, quantum verba sonant, sed iuxtà eam proportionem, quæ causæ respondet, vt si concedatur indulgentia decem annorũ pro causa sufficiente pro Indulgentia quinque annorum, faciens opus iniunctum nõ decem annorum, sed quinque annorum indulgentiam lucratur. Ratio est, quia cum hoc pendeat à voluntate Pontificis, & Pontifex hoc velit, quia vult concedere quantum potest hoc ipso, quod vult, & tentat conferre plus quã potest, à fortiori; ergo vult concedere effectum causæ respondentem.

An ad iustam causam requiratur proportio aliqua operis iniuncti, ita vt pro maiori Indulgentia maior causa requiratur? an verò pro opere minimo possit dari Indulgentia maxima?

BRACTEA LXII.

R. Indulgentiam, quantumuis magnam, concessam pro quacunque causa pia etiã leuissima esse validam in totum. Ita S. Thomas *4. dist. 20. quæst. 1. art. 3.* & alij citati apud Valentiã *de Indulgentijs pun. 4. quæst. 20.* Contrà S. Bonauenturam, Adrianum, Caietanum, vtrumque Sotum, & Bellarminum. Ratio colligitur ex cap. Cum ex eo de pœnitentijs, & remissionibus; vbi dicitur, quod indiscretas indulgentias claues contemnuntur, & satisfactiones sacramentales eneruantur; ergo indiscretæ indulgentiæ valent; nam si non valerent, non eneruarentur satisfactiones; ergo non requiritur proportio operis iniuncti cum indulgentia; tum etiam quia ad hoc, vt indulgentia tota valeat sufficit auctoritas in concedente, charitas in recipiente, & causa pia, per quam existimari possit, dispensatio thesauri fieri secundum intentionem Christi, & Sanctorum; sed quacunque causa pia existente etiam leuissima possumus meritò interpretari dispensationem thesauri secundum intentionem Christi, & Sanctorum; nam Christus, & Sancti lõgè pluris faciunt minimam Gloriam Diuinam ex opere quocunque pio, & vtili Ecclesiæ manantem, quam quodlibet opus suum satisfactorium, & in hoc toto genere dispensationis non tàm volunt exerceri proportionalem quãdam iustitiam, quàm gratiam, & liberalitatẽ, vt patet ex ipso nomine indulgentiæ, quod gratiam præ se fert, non iustitiam, ergo possumus interpretari, ipsos non ægrè ferre, licet multum de illorum satisfactionibus pro quantulocunque opere pio in indulgentia dispensetur; tũ etiã quia pro vna, eademq; causa interdũ maiores interdũ minores indulgentię cõceduntur, immò sępè pro leuissima causa maximè cõceduntur absolutè, & sine vlla cõditione, vt Indulgentia Plenaria pro dicentibus in articulo mortis nomen Iesus, vel pro recitãtibus quinquies Pater, & Aue, & Psalmũ Miserere; ergo non requiritur inter causam, & indulgentiam proportio, cùm pro leuissima causa concedantur maximè indulgentiæ.

An quando dubitatur, an Summus Pontifex habuerit iustam causam concedendi Indulgentiam præsumendum sit, ipsam fuisse iustam?

BRACTEA LXIII.

R. In dubijs censendum esse, Romanum Pontificem habuisse iustam causam, & satis esse, nos adimplere opus iniunctum, & non debere esse sollicitos in perscrutandis causis, quia in dubio statur arbitrio eius, cui Christus commisit clauem scientiæ, vt tanquam Iudex perpensis circunstãtijs prudenter æstimet, quę causa sit iusta, & nisi euidenter appareat causa iusta, cum ad superiorem concedentem indulgentias spectet ventilare, num causa sit iusta, non autem ad reliquos Christifideles; tum quia difficile est, priuato homini, & si docto iudicare concessionem indulgentiæ excedere sufficientiam causæ, cum non possit cognoscere omnes causas, quæ mouerunt Pontificem ad concedendam Indulgentiam.

An Indulgentia possit concedi ob causam particularem?

BRACTEA LXIV.

R. Affirmatiue. Quia potest necessitas, aut vtilitas illius personę esse grauissima, & alijs, vt iure possit per tale medium procurari, vt ad impetranda salute Regis, aut Prælati concedatur indulgentia, & tunc etiamsi bonum, quod proximè intenditur sit vnius personæ, mediatè tamen, & virtute redundant in communitatem, cum ipsa persona maximè cõferat ad communitatem. Hinc sequitur, intercessionem alicuius personæ posse conferre ad honestandam causam indulgentiæ, quia regulariter, qui intercedit pro indulgentia impetranda præter suam voluntatem semper debet afferre iustam causam, ob quam indulgentia concedi possit.



An

An Pontifex pro subsidio temporali possit Indulgentias concedere?

BRACTEA LXV.

R. Affirmative, quatenus temporale ordinatur ad aliquid spirituale, vt est defensio Ecclesiæ ab hostibus, &c. quia tunc datur pro illo spirituali, ad quod ordinatur subsidium temporale; tum quia Ecclesia non exigit pecuniam, vt quasi pretium remissionis peccatorum, sed vt eleemosina impertita ob aliquem bonum finem, v. g. pro adiuuandis pauperibus tempore famis, aut pestis, aut pro fabricanda arce necessaria ad defensionem Ecclesiæ: idcirco conceduntur Indulgentiæ euntibus ad bellum contra Infideles, conferentibus pecunia ad ædificationem Ecclesiæ, Monasterij, Hospitalis, vt notat Nauarr. *in comment. de Indulgentijs notabili 31. num. 47.* Posse etiam concedi Indulgentias pro ædificatione Palatij Pōtificis, & Episcopi, quod Palatium Papæ dicitur sacrum. Vnde dicitur Magister Sacri Palatij, & Domus Episcopi gaudet immunitate Ecclesiastica. Pro ædificanda arce Regia, vel pro erigendis mœnibus Ciuitatis non possunt concedi Indulgentiæ. Ratio est, quia quamuis sint publica ædificia, non tamen sunt pia.

An Indulgentiæ valeant ad remissionem culpæ mortalis?

BRACTEA LXVI.

R. Per se, & immediatè non valere ad talem remissionem. Ita Suarez *disput. 50. sess. 1.* Ratio est, quia peccatum mortale non remittitur sine influxione gratiæ iustificantis ex Tridentino *sess. 6. cap. 7.* gratia autem iustificans non potest infundi per solam Indulgentiam, sed per Sacramētum in re, aut in voto susceptum, vt constat ex eodem Concilio Tridentino *sess. 6. can. 4. de sacram.* vbi dicitur sine sacramentis, aut eorum voto neminem posse iustificari.

R. 2. Indulgentiam valere ad impetrandum bonum motum, quo se disponat homo sufficienter ad remissionem mortalis, vt patet iuxta D. Thomam de Sacramentalibus ab Ecclesia institutis, quibus mouetur homo ad detestanda peccata, vel ad ea confitenda, vel ad eliciendum actum contritionis cum proposito confitendi; sic etiam indulgentia potest mouere hominem ad confitendum peccatum, vel ad eliciendum actum contritionis cum proposito confitendi.

An Indulgentia valeat per se ad remissionem culpæ venialis?

BRACTEA LXVII.

Prima Sent. asserit, Indulgentiam non valere ad remissionē culpæ venialis. Ita Nauarrus *notabili 10. num. 12.* Ratio est, quia venialis culpa non potest deleri ordinariè sine actu hominis, quo prior voluntas aliquo modo mutetur; & per Indulgentiam non datur homini talis actus contra peccatum veniale; tum quia Indulgentia ex vi, & opere operato solū potest tollere pœnas temporales, sed culpa venialis non est pœna; ergo, &c.

Secunda sententia est asserentium Indulgentiam delere peccata venialia ad instar sacramentalium, quam sententiam suprà secuti sumus.

An quando in Bulla concessionis Indulgentiæ præscribitur eleemosyna qualibet sit sufficiens?

BRACTEA LXVIII.

R. Quamlibet eleemosynam esse sufficientem ad acquirendam indulgentiam, siue sit magna, siue parua, & exigua, nisi in Bulla aliter demandetur, vt quando dicitur, quod eleemosyna fiat pro cuiusque facultate; quia tunc in isto casu vnusquisque tenetur dare eleemosynam iuxta suæ personæ qualitatem, diues vt diues, & pauper, vt pauper. Ratio verò propositionis est, quia conditio eleemosynæ indefinitè proposita per quamlibet eleemosynam, etiam minimam adimpletur. Hinc si diues minimam eleemosynam largiatur id satis erit, vt totam indulgētiam lucretur, quia simpliciter implet conditionem in Bulla requisitam, quatenus tamen spectat ad meritum nō æqualiter meretur, qui magnam, ac qui paruam tradit eleemosynam, cum magis mereatur, qui magnam tradit, quàm qui paruam.

An consequantur tantam Indulgentiam qui commorantur in aliqua Ciuitate visitando Ecclesias præscriptas, quantam consequuntur, qui ex longinquo cum expensis, & laboribus peregrinantur, vt eas visitent?

BRACTEA LXIX.

R. Positis eisdem circumstantiis habitantes in Ciuitate cōsequi Indulgētiā visitādo Ecclesias præscriptas, sicuti consequūtur qui longū iter suscipiūt ad eas Ecclesias visitādas. Ratio est, quia omnes isti sufficienter opus præscriptum faciunt ad lucrandam indulgentiam, tum etiam, quia in materia indulgentiarum non respicitur proportio laboris, expensarum, & periculorum, sed meritum dispensationis. Ita D. Thomas *in addit. ad 3. part. quæst. 25. art. 2.* & alij. Licet magis mereantur in ratione meriti, qui longum iter suscipiunt, & cum laboribus, & expensis peregrinantur, quàm qui manent in Ciuitate.

An qui Indulgentiam Plenariam acquirit si statim moriatur obtenta ipsa euolet ad Cœlum sine transitu per Purgatorium?

BRACTEA LXX.

R. Si Indulgentia Plenaria ritè suscipiatur, & statim obtenta ipsa moriatur suscipiens, hunc euolare ad Cœlum. Ratio est, quia

quia per indulgentiam suscipienti condonatur reatus penę temporalis, & tota pena, quę remanet soluenda in Purgatorio; excipiuntur tamen aliqui casus à Doctoribus. Primò, si indulgentia non sit pro penis debitis in Purgatorio, & iniungendis per Diuinam iustitiam, sed sit solum de penis iniunctis à Confessario in confessione. Secundò, si indulgentia non sit de pena, quæ debetur omnibus peccatis, sed solum de pena, quę debetur peccatis tunc confessis, non autem oblitis, & ignorantia tacitis. Tertiò, quando quis acquirit indulgentiam, & post ipsam aliquod peccatum mortale commisit, quod licet postea confiteatur, non tamen tollitur pęna illi debita in Purgatorio, cũ fuerit commissum post susceptam indulgentiam.

An Indulgentia concessa pro articulo mortis possit pluries suscipi?

BRACTEA LXXI.

SCIENDVM ad maiorem notitiam, articulum mortis duplicem esse, vnum verum, & alterum præsumptum. Verus est, in quo quis postea moritur; Præsumptus in quo quis probabiliter æstimatur secundum iudicium Medicorum moriturus. Quo posito.

R. Quod si exprimatur in concessione, quod Indulgentia concedatur solum pro vero articulo mortis, non posse eam lucrari in articulo mortis præsumpto. Ratio est, quia indulgentię tantum valent, quantum sonant, & solum pro vero articulo mortis fuit concessa.

R. 2. Quod si absolutè dicatur in concessione cõcedi Indulgentiam Plenariam pro articulo mortis, posse etiam ipsam obtinere in articulo mortis pręsumpto, licet re vera mors non sequatur. Ratio est, quia Indulgentia indistinctè loquitur de articulo mortis, sub quo nomine venit articulus præsumptus.

An qui Indulgentiam consecutus est in mortis articulo præsumpto possit ipsam denuò obtinere in alio articulo mortis vero, vel præsũpto?

BRACTEA LXXII.

R. CVM distinctione; quod si in concessione indulgentiæ in articulo mortis semel tantum dicatur, tunc semel tantum potest quis in tali articulo mortis lucrari indulgentiam, & postquam semel, sic iam fuerit lucratus, iam non poterit amplius illam lucrari, quia illa concessio indulgentiæ iam sortita est suum effectum, quod si verò in concessione indulgentiæ non dicatur semel, poterit eam suscipere toties, quoties deuenerit in eum articulum. Ratio est, quia cum Bulla loquatur indistinctè de articulo mortis, debet intelligi de quolibet articulo occurrente, cum non sit maior ratio, cur debeat applicari solum ad vnum articulum, quam ad omnes, sicuti constat à simili in concessionibus factis pro articulo mortis, v. g. ad absoluendum à peccatis reseruatis, ad celebrandum domi suæ, & ad audiendum Diuina tempore infirmitatis, & in articulo mortis intelliguntur toties, quoties in talibus articulis occurrentibus; ergo eadem ratione idem dicendum erit de indulgentia; tum etiam, quia extrema vnctio concessa pro articulo mortis intelligitur concessa pro quolibet articulo occurrente, sic etiam indulgentia, cũ propositio indefinita æquiualeat vniuersali, & ita Corduba *lib. 5. de indulgentijs quæst. 36.*

An quando Indulgentia prærequirit actualem Confessionem mutus, aut infirmus, qui non potest loqui possit eam lucrari?

BRACTEA LXXIII.

R. MVTVVM, qui per signa, & nutus potest manifestare suã peccata posse frui Indulgẽtijs actualiter ipsa cõfitentibus cõcessis. Ratio est, quia qui per nutus, & signa confitetur, dicitur verè, & propriè confiteri, cum ijs exprimantur peccata.

R. 2. Infirmum, qui non potest signis manifestare sua peccata, nec ostendere signa contritionis posse frui indulgentijs sibi concessis in articulo mortis, licet prærequirant confessionem, si cum adhuc sanè esset mentis vocauerit Confessarium. Ratio est, quia sicuti censetur capax Sacramenti, & effectus absolutionis, ex eo, quod vocauit Confessarium, ita etiam censetur capax indulgentiæ, cum adhuc sit viator, licet amplius non possit loqui, & ceteras habeat conditiones, quæ in suscipiente indulgentias requiruntur. Si vero ipse non vocauerit Confessarium, sed alij ipsum procurauerint, nec vlla ostenderit signa contritionis, tunc sicut ipse non est amplius capax sacramenti, ita neque indulgentiæ, cum confessionem prærequirat, quod si antequam amitteret loquellam declarauit, se velle in casu mortis per Confessarium idoneum sibi concedi indulgentiã, in eo casu potest absolui, & indulto indulgentiæ vti. Et ratio est, quia censetur dispositus ad absolutionem, & ad indulgentiam. Et ratio est, quia illa declaratio, se velle, &c. ostendit ipsum esse contritũ, & per consequens capacem indulgentiæ.

An qui peccat sub spe consequendi Indulgentiam, possit illam lucrari?

BRACTEA LXXIV.

R. POSSE, modo de illo peccato eliciat actum contritionis. Ratio est, quia qui peccat sub certa spe veniæ, non ideò fit incapax ad assequendam indulgentiam, cum non magis, quam qui sine illa peccat.

Quomodo sit intelligenda Indulgentia per dierum & annorum numerum? & quid per dies, & annos intelligatur?

BRACTEA LXXV.

R. PER dies, & annos in huiusmodi indulgentiarum concessione intelligi dies, & annos penitentiæ præsentis vitæ, ita vt sensus sit tantam pęnam per indulgentiam decem annorum, dimitti, quanta dimitteretur per decem annos penitentiæ factæ in hac vita, vt cõstat ex ipsa forma indulgentiarum, in qua Pontifices

tifices non dicunt, se remittere tot dies, & annos pœnæ, sed pœnitentiæ, pęna verò, quæ soluitur in Purgatorio propriè loquendo non est penitentia.

An pœnitentia vnius diei, vel vnius anni in hac vita, tantum reatus pœnæ valeat, quantum expiaret vnus dies, vel annus in Purgatorio?

BRACTEA LXXVI.

PRIMA sententia est Soti *in 4. dist. 21. quest. 2. ar. 1.* vbi contendit pęnam Purgatorij esse tantò acerbiorem pęnis huius vitæ, vt per vnum diem Purgatorij, multo amplius deleatur pęna peccatis debitę, quam per multos annos vitæ præsentis in pęnitentia seuerissimè agēda consumptos, & contingere posse, quod multi anni pœnitentię præsentis vitæ correspondeant vni diei Purgatorij. Sed

R. Quod licet pęna Purgatorij sit accerbior cunctis pęnis, quas in hac vita experti sumus, tamen ad expiandum reatum pęnæ efficaciorem esse pęnam voluntariam huius vitę, quam accerbior pęna Purgatorij, quoniam hoc est tempus misericordiæ, & illud iustitiæ. Tum etiam, quia nullum est debitum, tam grande in hac vita, quod non possit non solum vna die, vel hora, sed vnō momēto per vehementissimā contritionem expiari, pro quo tamen expiando vix multi anni sufficerent in Purgatorio. Tum etiam, quia Ecclesia celebrat anniuersarias Missas, & Officia pro defunctis, qui in Purgatorio vexantur, & ijs suffragijs supplet pro pœna, quę longo tempore illis erat in Purgatorio luenda.

Quandiù durent Indulgentiæ?

BRACTEA LXXVII.

SCIENDVM I. quasdam Indulgentias concedi absolutè, indefinitè, sinè vlla expressa, vel tacita temporis limitatione, quasdam verò concedi pro certo, & determinato tempore, vt v. g. valituras ad decennium, &c.

R. 1. Indulgentias absolutè concessas perpetuò durare, etiam mortuo eo, qui concessit. Ita Suarez *disp. 57. sect. 2. n. 2.* Regin *lib. 7. n. 159.* Siluester *verbo Indulgentia num. 16.* & alij. Ratio est, quia indulgentia tantum valet, quantum sonat; hæc autem indefinitè concessa sonat perpetuitatem; ergò, &c. Ratio secundæ partis est, quia cum sint gratię non expirant morte concedentis, & vbi superior concedens non limitat, nec nos limitare debemus.

R. 2. Indulgentias concessas cum determinata temporis limitatione nō durare vltra pręfixum tempus. Ita communiter omnes. Et ratio est, quia concessio non valet vltra intentionem concedentis expressam ipsius verbis.

Sciendum est, aliquando concedi Indulgentiam Communitati, aliquando alicui loco particulari, quod si conceduntur Communitati manente ipsa semper perseuerant indulgentiæ, licet particulares ipsius Communitatis moriātur; si verò indulgentia non Communitati, sed alicui particulari concessa fuerit sine præfixione temporis, semper durat ipso viuente, mortuo autem cessat indulgentia, quod si cum determinatione temporis fuerit concessa perseuerat vsque ad præfixum tempus.

Similiter si alicui loco concessa fuerit cum limitatione temporis, vsque ad idem tempus præfixum perseuerat; si vero sine limitatione temporis, sed absolutè, semper perseuerat quādiù durat locus, quia concedens absolutè indulgentias præsumitur velle semper eas durare, vt si alicui Ecclesiæ absolutè, & sine limitatione temporis concessæ fuerint indulgentiæ, semper perseuerant, durante ipso templo, seu Ecclesia, etiamsi paulatim, & secundum partes destruatur, & eadem ratione reædificetur, quia locus semper censetur perseuerare. Ita Suarez *disp. 50. sect. 2. nu. 11.* Quod si Ecclesia in totum destruatur, vt amplior ædificetur, adhuc perseuerant indulgentiæ, quia non parietibus, sed loco concessæ fuerunt, dummodo nō destruatur auctoritate Prælati; quia tunc cessabunt indulgentiæ. Ita Suarez *de legib. lib. 8. cap. 5. nu. 7.*

Si verò Ecclesia transferatur in locum commodiorem, & viciniorem, & sub eodem titulo ædificetur, dubium est an indulgentiæ priori loco, & situi concessæ transferantur simul cum templo? Ad quod respondeo si indulgentiæ concessæ fuerunt intuitu alicuius imaginis, vel Altaris illius templi, vel etiam Societatis, vel ad augendam deuotionem illius Templi, cum ipso, indulgentias transferri, quia nulla ratio potest assignari, cur non transferantur, cum sequantur imaginem, vel Altare, &c. quorum intuitu fuerint concessæ. Si verò propter aliquod accidens priori situi occursum, idest propter aliquod miraculum ibi operatum, vel gratiam factam, vel ob aliquam apparitionem B. Virginis Mariæ, vel alterius Sancti, tunc Indulgentiæ cum Templo non transferūtur, quia in fauorem situs, in quo hęc acciderunt, pręsumuntur concessę.

An Indulgentia cesset per reuocationem?

BRACTEA LXXVIII.

R. INDVLGENTIAM cessasse per reuocationem concedentis. Ratio est, quia indulgentię durant iuxtà intentionem concedentis, cum sit quoddam beneficium gratuitum, quod ad libitum potest reuocari iuxtà illud, res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur. Ita Nauar. *de indulgentijs notabili 31. nu. 28.* Siluester *verbo Gratia* §. 2. & Suarez *disp. 57. sect. 2. num. 5.* & alij.

R. 2. Non solum concedentem, verum etiam ipsius successorem posse indulgentias reuocare ab antecessore concessas. Ratio est, quia succedit illi in auctoritate, & sicut concedens poterat reuocare, ita, & successor in dignitate, inferior verò non potest reuocare indulgētias concessas à suo superiore, cum non possit eius voluntatem reuocare, aut mutare; vnde Episcopus non potest reuocare indulgentias concessas à Summo Pontifice, ipse verò Summus Pontifex potest indulgentias à se concessas, vel ab alio reuocare. Ita colligitur ex multis canonibus, & ex Clementina *Dudum §. Nos autem de sepulturis, &c.* & ita Suarez *loco citato,* & alij.

R. 3.

R. 3. Qui concessit indulgentias non posse licitè eas reuocare absq; iusta causa. Ratio est, quia sicut requiritur causa in concessione, ita & etiam requiritur in reuocatione, quia beneficium semel collatum non potest sine legitima causa reuocari; si tamen reuocetur, licet licitè non fiat, valida adhuc est reuocatio, quia concessio, sicut, & reuocatio dependet à libera voluntate ipsius concedentis. Ita Suarez *tom.* 4. *disp.* 57. *sect.* 2. *num.* 6. Rodriquez *tom.* 2. *quæstionum regularium quest.* 98. *art.* 4. & alij.

R. 4. Quod si Summus Pontifex, vel alius superior reuocet indulgentiam, ipsam non statim cessare, sed tantummodo quando peruenit ad aures eorum, quibus fuerat concessa. Ratio est, quia sicut lex non obligat ante publicationem, ita reuocatio priuilegij, seu indulgentiæ non obligat, nisi post publicationem, & notitiam de reuocatione habitam. Et ita Siluester *verbo Gratia num.* 4. Suarez *disp.* 57. *sect.* 2. *num.* 8. Salas *de legibus disp.* 17. *sect.* 17. *num.* 80. Em. Sà *verbo indulgentia num.* 9. & alij. Ratio est, quia Summus Pontifex non præsumitur reuocare, donec cognitio reuocationis perueniat ad aures eorum, quibus concessa fuerat indulgentia. Hinc si quis inuincibiliter ignorans indulti sibi concessi reuocationē cōfiteretur bona fide peccata reseruata, vel censuras remaneret absolutus virtute indulti, nec obligaretur ad comparēdū coram superiore, vt amplius absolueretur.

An cessante causa, ob quam fuit concessa indulgentia cesset ipsa?

BRACTEA LXXIX.

R. Cessante causa, ob quam concessa fuit indulgentia ipsam non cessare, nisi particulariter id sit expressum in concessione indulgentiæ. Ratio est, quia indulgentia perpetua concedi potest ob causam temporalem; ergò indulgentia non cessat, cessante causa. Ratio etiam deducitur à simili, nam sicut dispensatio voti, & iuramenti semper durat, quamuis cesset causa, ob quam fuit data dispensatio, ita, & etiam perseuerat indulgentia, quamuis cesset causa concessionis ipsius. Ita Filliucius *tract.* 8. *num.* 245. Et ratio est, etiam quia licet indulgentia in fieri, seu in concedi dependeat à causa, tamen in conseruari non dependet ab ipsa, & ideò cessante causa, non cessat indulgentia.

R. 2. Indulgentiam non cessare per renunciationem eius, in cuius fauorem fuit concessa. Et ratio est, quia inferior nō potest per suā renunciationem irritare voluntatem superioris, aut ipsam mutare absque consensu concedentis. Quod si superior acceptet renunciationem factam, tunc indulgentia cessare non per renunciationem eius, qui renunciat, sed per voluntatem Pontificis eam reuocantis.

An Pontifex possit per actum solum internum Indulgentias reuocare?

BRACTEA LXXX.

R. Affirmatiue. Et ratio est, quia valor indulgentiæ pendet ex voluntate ipsius Pontificis, quæ quidem per actum internum definit esse, nam licet concessio indulgentiæ requirat actum internum, & externum, tamen ad eam auferendam sufficit reuocatio interna, cum pauciora requirantur ad destruendum, quam ad ædificandum. Verum si hoc modo Pontifex reuocaret, & si valida etiam esset reuocatio, tamen peccaret mortaliter, quia per illā illuderetur, & deciperet Ecclesia. Ita Suarez *disput.* 53. *sect.* 2. *num.* 10. Filliucius *tract.* 8. *de Iubilæo num.* 242. & alij. Licet hoc nunquam Pontifices soleant agere sine expressa reuocatione externa, quæ non habeat effectum, nisi saltem sit sufficienter promulgata.

An vna Indulgentia cesset per aduentum alterius?

BRACTEA LXXXI.

R. Primo loquendo de indulgentijs personalibus vnam non cessare per aduentum alterius, nec posteriorem esse irritam iure communi, quamuis concedens dicat nolle dare vnā nisi reuocando priorem; vnde in Indulgentijs personalibus non cessat prior per alterius concessionem; immò vtraque manet. De localibus est regula Cancellariæ 57. duas indulgentias esse incompatibiles in eodem loco, si in impetratione posterioris nulla facta fuit mentio prioris, tunc enim posterior est nulla, vt potè habita per surreptionem. Ita Suarez *tom.* 4. *disp.* 37. *sect.* 2.

An si Altari priuilegiato conceditur Indulgentia pro animabus Defunctorum, & transferatur ad alium locum perseueret in illo eadem Indulgentia?

BRACTEA LXXXII.

R. Perseuerare si translatio Altaris fiat intra eandem Ecclesia, & sub eodem titulo. Et ratio est, quia Pontifex videtur Indulgentiam concedere intuitu Ecclesiæ, & Altaris sub tali nomine; secus autem si translatio fieret extra Ecclesiam.

An Indulgentiæ possint applicari pro animabus, quæ sunt in Purgatorio?

BRACTEA LXXXIII.

Supponendum est dari Purgatorium, in quo animæ detinentur, donec persoluerint pœnas pro peccatis debitas, pro quibus in hac vita debitam non præstiterunt satisfactionem, qui Purgatorius ex pluribus locis probatur. Primò *ex* 1. *Corinthiorum* 5. vbi dicitur, *Unius cuiusque opus quale sit Ignis probabit*; & ex illo *Machabeorum*. Secundò *Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare*, & ex illo Thobiæ 4. *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue, & ex pluribus alys locis scripturæ*. Probatur etiā ratione Diuinæ iustitiæ, quia postulat, vt aliquis non euolet ad Cœlum, nisi sit purgatus a sordibus, quas

quas in corpore contraxit viuendo in hoc mũdo; cum autem remissis peccatis non semper tollatur obligatio, seù reatus ad pęnam, sequitur dari Purgatorium, in quo, qui pro reato in hac vita nõ satisfecit, puniatur, & purgetur.

In quo loco sit Purgatorius?

BRACTEA LXXXIV.

SVPPONENDVM I. Purgatorium esse inter viscera terræ propè Infernum inferiorem, vt constat ex illis verbis Ecclesiæ, Libera Domine animas fidelium Defunctorum de pęnis Inferni, & de profundo lacu, vbi Infernus sumitur pro Purgatorio, qui Purgatorius dicitur iuxta legem Dei ordinariam, licet alter sit iuxtà dispositionem Dei quasi extraordinariam, cũ Deus aliquando extraordinarium Purgatorij locum constituat, ad aliquas animas non solum ibi purgandas, verùm etiam ad instructionem viuentium, vel ad vtilitatem defunctorũ.

Supponendum 2. Animas in Purgatorio duplicem pęnam pati, pęnam damni, & pęnam sensus: Pęnam damni consistit in priuatione visionis Dei; cum enim Deus sit summum bonum sequitur pęnam damni esse præcipuam, & maximam inter eas, quas animæ patiuntur. Pęna sensus consistit in dolore, quem anima sentit ob priuationem visionis Dei, & ob tristitiam quam habet, quatenus Igne torquetur, qui quidem Ignis idem est cum eo, qui damnatos in Inferno excruciat, quamuis aliqua ratione ab eo diuersificetur, cum ignis Inferni sit æternus, & ignis Purgatorij temporalis, & finem habens, quo modo iste ignis purgatorij possit animas separatas à corpore torquere? Doctores varia dicunt, alij putant, hunc modum torquendi soli Deo esse cognitum, & nobis ignotum; alij verò, vt Scotistæ animas per ignem pati, quatenus inuoluntariè ad ipsum sunt alligatæ producendo qualitatem ipsis disconuenientem, & doloris causatiuam; alij vt Thomistæ dicunt, animas separatas à corpore pati solummodo per suas Potentias, nimirum per Intellectum, & Voluntatem; quæ quidem opiniones videntur omnes probabiles, sed non certæ, cum Deus hoc non reuelauerit. Quibus positis.

R. Summum Pontificem posse concedere indulgentias pro animabus quę sunt in Purgatorio, non per modum iudicij, & auctoritatis directè eas absoluendo, sed solum per modum suffragij, & si Diuinæ placuerit bonitati. Ratio primæ partis est, quia animæ, quæ sunt in Purgatorio sunt oues Christi; ergo Summus Pontifex potest eas pascere eo modo, & ratione, qua indigent, iuxtà illud Mathæi 16. *Tibi dabo claues Regni Cęlorum, &c.* vbi D. Petro *datur potestas tollendi quodcunque impedimentum ingressus Cęli à quocunque, siuè viuo, siuè mortuo*, & Ioannis 20. *Pasce oues meas, capaces scilicet pastura*; sed animæ Purgatorij sunt oues Christi, & capaces; ergo, &c. tum etiam, quia animæ Defunctorum iuuantur suffragijs viuentium, 2. Machabeæorum 4. *Sancta, & salubris cogitatio pro Defunctis exorare, &c.* Ergo multò magis illis proderunt suffragia satisfactionem Christi, & Sanctorum, quæ per indulgentias applicantur. Demum quia de facto multi Pontifices concesserunt indulgentias pro Defunctis, vt Paschalis primus, &c. Quod si dicatur, animæ Defunctorum non sunt super terram; sed potestas data Petro est super terram; ergo, &c. Respondeo 1. quod qui sunt in Purgatorio sũt aliquo modo super terram, nam Purgatorium est quodammodo via, quia animæ, quæ in ipso purgantur sunt in via, & in transitu ad gloriam, & quodammodò terminus, quia animæ quæ sunt in ipso peccare amplius non possunt; tum etiam quia animę in Purgatorio existẽtes quoad solutionẽ, & ligationẽ depẽdent ab Ecclesia Militãte, dũ scilicet tẽporalibus, & terrenis suffragijs iuuãtur ab Ecclesia; tum etiã in ratione meriti, quia dũ erant in terris meruerunt, vt suffragijs Ecclesiæ adiuuarentur; demum & vltimò ratione delicti in hac vita perpetrati, quilibet enim reus sortitur forum ratione delicti quocunque se transferat. *cap. Ubi de Crim. agi oporteat.* Ratio secundæ partis est, quia Ecclesia super eas iudiciariam, & absolutam potestatem non habet, sed solum respectu Ecclesiæ Militantis: & idcirco Papa non potest illis concedere Indulgentias per modum absolutionis, sed per modum suffragij. Et patet, quia Summi Pontifices hoc modo concesserunt Defunctis Indulgentias, vt Paschalis primus, Sixtus, Calistus, & alij; & Leo Decimus in Epist. ad Caietanum declarauit viuis per modum absolutionis, & mortis per modum suffragij Indulgentias prodesse, & Pius Quartus, vt refert Toletus *cap. 26.* Viuæ vocis Oraculo declarauit sic eas prodesse, & idem docent omnes Scholastici. Dari autem Indulgentias Defunctis non per modũ absolutionis, sed suffragij, idest non dari per modum absolutionis iuridicæ, sed per modum solutionis, & compensationis. Ita S. Thomas *4. disp. 45. quæst. 2. ar. 3.* Gabriel *in addit. ad sect. 57.* Alensis, & Bonauentura apud ipsum.

An Indulgentia accepta pro Defunctis prosit illis de condigno?

BRACTEA LXXXV.

SENTENTIAM negatiuam tenet Caietanus *tom. 1. Opusculorũ tract. 16. quæst. 5. & 6.* Henriquez *lib. 7. cap. 7.* & plerique alij, qui affirmant Indulgentiam prodesse Defunctis de congruo, idest ex mera gratia, & misericordia Dei, non autem ex certa, & firma lege, idest de condigno ex iustitia. Ratio illorum est, quia Summi Pontifices non habent auctoritatem iurisdictionis suprà Defunctos, sicut super viuos, ideò non de facto liberare Defunctos sicut istos, sed

R. Indulgentias pro Defunctis concessas ex certa, & firma lege, & Christi promissione ex condigno, & iustitia prodesse, sicut prosunt viuentibus, quando pro eis conceduntur. Ratio, quia Deus pro sua infinita misericordia semper acceptat huiusmodi Indulgentias pro Defunctis, sicut & alia suffragia, quæ ordinariè pro illis Ecclesia offert, cum sint eius amici, & nobis charitate coniuncti; tum etiam, quia tàm Indulgentia viuorum, quàm mortuorum nititur communicatione Sanctorum, & vsu illius auctoritatis tributæ Petro, & successoribus, Mathæi 16. Sed illa duo habent Diuinam promissionẽ de certo, & facto, vt patet ex

ex illis verbis, Et erit solutum; ergo, &c. tum etiam, quia suffragium satisfactorium vnius viui pro altero viuo valet de condigno, vt etiā fatetur Caietan. ergo etiam valebit de condigno pro mortuo; nám in vtroque est eadem ratio, idest communio charitatis, sed multò efficaciùs quoad pęnæ remissionem per Indulgentias iuuantur animæ Defunctorum, quàm per suffragia viuorum, quia merita Christi, & Sanctorum sunt maioris efficaciæ, & quia auctoritas, quam Ecclesiæ Christus contulit ad Christi, & Sanctorum satisfactiones applicandas aliquid iuuant ad earum efficaciam quoad certitudinem.

Quid sibi velit, Indulgentiam per modum suffragij Defunctis prodesse?

BRACTEA LXXXVI.

R. Sic debere intelligi, prodesse per modum suffragij, quoniā nō prosunt per modum iudiciariæ potestatis, & absolutionis, sed per modum solutionis, & compensationis, eo modo satisfactoria suffragia prosunt ipsis pro debito eorum, vnde sicut cum quis ieiunat, peregrinatur, vel facit alia opera bona meritoria pro Defunctis non absoluit Defunctos à reatu pęnæ, sed offert Deo satisfactionem illam pro Defunctis, vt Deus acceptans liberet eos à debito pęnæ: sic Pontifex non absoluit animas Purgatorij, sed offert Deo ex thesauro satisfactionum, quantum sufficit ad eas liberandas, vt scilicet Deus acceptans talem satisfactionem eas liberet à reatu illius pęnæ.

R. 2. Indulgentiam prodesse omnibus Defūctis, & quoad gaudium accidentale, & quoad satisfactionem, & liberationem à pęnis. Suffragia Ecclesiæ communia prosunt omnibus in communi; suffragia verò particularia, & Indulgentiæ pro certis animabus susceptæ prosunt tantum illis, quibus ex intentione viuorū applicantur. Ita S. Thomas *4. dist. 15. & 45.* Durandus *ibidem quæst. 3.* Ratio primę partis est, quia Charitas facit omnia communia, hoc autem facit, quatenus omnes, qui sunt in charitate internam consolationem recipiunt, & gaudent de bonis aliorum, ac si essent propria; *Charitas enim congaudet veritati prima Corinthiorum 13.* & hoc modo suffragia viuorum ita valent pro pluribus, ac si pro vno tantum; quia Charitas non minuitur, si diuidatur eius effectus in multos; sed magis augetur, & plus valent eis, qui habent maiorem charitatem. Secunda pars probatur ex concessionibus Pontificijs, nam Paschalis Primus, Alexander Quintus, & Clemēs Septimus Indulgentiam ita concesserunt, vt qui pro anima Patris, vel particularis personę defunctæ, tot Missas celebrauerit, vel quid simile fecerit, animas illas de Purgatorij pęna eripiat; tū etiā, quia hic est sēsus verus totius Ecclesiæ, & fideliū; tum quia iustitia Diuina est ad instar iustitiæ humanæ, sed secundū iustitiā humanam si aliquis soluat debitum pro aliquo ille solus, pro quo debitum soluitur liberatur, & nullus alius; ergo secundum iustitiam Diuinam ille, pro quo fit suffragium ad soluendum debitum pęnæ solus liberatur.

Quæ conditiones requirantur, vt Indulgentia prosit pro Defunctis?

BRACTEA LXXXIX.

R. Ad hoc vt Indulgentiæ prosint mortuis aliquas conditiones requiri. Primò requiritur auctoritas suprema, quæ tantum est in Summo Pontifice; nam hic solus absolutè potest dispensare thesaurum Ecclesiæ tàm pro viuis, quàm pro Defunctis; Secundò requiritur causa iusta, & rationabilis, cuius defectu non potest Pontifex liberare omnes animas, quæ sunt in Purgatorio; Tertiò, vt qui pro Defunctis Indulgentias suscipit adimpleat opus præscriptum; Quartò, vt tale opus fiat intentione, vt Defunctis Indulgentia prosit, illudque afferat pro Defunctis; Quintò, vt defunctus sit in statu gratiæ; nam pro existentibus in Inferno non est orandum, vt docent Dionysius *cap. 7. Cęlestis Hyerarch.* Augustinus *lib. de cura pro mortuis cap. 1.* Gregorius 24. *moralium cap. 1.* Sextò, non requiritur quod is, qui præstat opus præscriptum pro Defunctis sit in statu gratiæ, licet optimum sit, quod si saltem in illo instāti, quo completur vltimum opus. Ratio, quia non censetur validior ad obtinēdum pro alijs, quam pro se; & ita tenet Angelus *verbo Indulgentia* §. 21. Tabiena *ibidem* Emanuel Sà *nu. 2.* Card. Bellarminus *lib. 2. de Indulgentijs cap. 14.* licet plures sequantur contrariam sententiam, nimirū non esse necesse, quod ille, qui pro Defunctis Indulgentiam suscipit sit in statu gratiæ etiam in vltimo instanti. Ratio, quia qui lucratur Indulgentiam pro alio adimplet opus iniunctum à Summo Pontifice, & operatur nomine Ecclesiæ, & vt minister eius, cui nunquam deest gratia. Hinc colligitur, quod qui in peccato mortali celebrat pro anima in Purgatorio detenta, talem animam liberat, pro qua celebrat. Ratio est, quia hic non consideratur opus ex opere operantis, sed ex opere operato. Ita Nauarrus *notabili 22.* sunt etiam plures aliæ rationes, quæ à Doctoribus narrantur.

An animæ in Purgatorio existentes cognoscant Indulgentias, & suffragia, quæ pro eis applicantur, & à quibus offerantur?

BRACTEA LXXXVIII.

R. Affirmative iuxtà D. August. *in lib. de Cura pro mortuis habenda*, aut per reuelationem Diuinam, aut per reuelationem Angeli Custodis; vel ea ex se ipsis, quia sua tormenta minui sentiunt. Demum per reuelationē mortuorum nouiter ad eas transeuntium, quibus reuelant quidquid hic actum est instar illorū, qui eunt ad triremes.

R. 2. Si anima pro qua suscipitur Indulgentia sit in Inferno nihil illi prodesse, sed tantūmodo suscipienti non per modum Indulgentiæ, sed per modum orationis ad augmentum gratiæ, vel applicari alijs indulgentibus. Ita Sotus *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1.*

An quando in Indulgentia dicitur quod liberatur anima à Purgatorio, liberetur illa, pro qua applicatur Indulgentia, vel alia quæ Deo placet?

BRACTEA LXXXIX.

R. Liberari eam animam, pro qua Indulgentia applicatur; tum quia nulla est ratio in contrarium, cur Indulgentia non prosit illi, pro qua applicatur, sed potius alteri; tum quia hic est sensus totius Ecclesiæ, omniumq; fidelium; tum etiam quia Paschalis Papa Primus Indulgentias ita concessit; *Vt qui pro anima Patris, vel alterius particularis personæ defunctæ tot Missas celebrauerit in Capella Sancti Zenonis, quæ est in Ecclesia S. Praxedis animas illas de Purgatorij pœnis liberet.* Quod idem dixerunt alij Pontifices in concessione Indulgentiæ, vel in indictione Iubilæi.

An Indulgentia prosit tantum illis pro quibus particulariter sumitur, an etiam alijs?

BRACTEA XC.

R. Quantum ad diminutionem pœnæ intensiuæ prodesse omnibus animabus, quæ sunt in Purgatorio. Ratio est, quia cum sint in charitate gaudent cum gaudentibus animabus per indulgentiam liberatis, & illis congratulantur, & per hoc gaudium sentiunt etiam aliquod refrigerium, & leuamen, & consequenter pęnarum diminutionem, quoad relaxationem autem pęnæ, prodesse tantum ijs, pro quibus applicatur. Ratio est, quia sicuti apud homines satisfactio pro vno debitore exhibita alteri non suffragatur, sed solum ipsi debitori, ita indulgentia pro vna anima applicata illam liberat à pęnis, & non alias. Ita Bellarminus *lib. 1. de indulgentijs cap. 24.*

An vno die omnes animæ Purgatorij, possint à Summo Pontifice per Indulgentias liberari?

BRACTEA XCI.

R. Si spectetur potestas eius, & amplitudo thesauri Ecclesiastici, qui est infiniti valoris procul dubio posse omnes animas à Pontifice per Indulgentias liberari; sed quia requiritur iuxta causa, & opera etiam requiruntur facta à viuentibus debitè, ideò casus iste moraliter censetur impossibilis. Nam ista causa nõ videtur posse dari, vt ait D. Thomas in addit. ad 3. *partem quæst. 71. art. 10.* Opera verò debitè nõ fiunt ab omnibus: posita attamẽ iusta causa, & tot, qui opera debitè facerent, vt sufficerent ad numerum defunctorum, tunc nullum esset inconueniens asserere, Romanum Pontificem posse vna vice omnes animas Purgatorij liberare.

An pœnæ à quibus per Indulgentiam liberantur animæ in Purgatorio excedant pœnas omnes huius mundi?

BRACTEA XCII.

R. Indubitatum esse pęnam damni in Purgatorio esse maximã pęnarũ, tã quę in Purgatorio, quæ quam in hac vita reperiri possũt. Ratio est, quia talis pęna consistit in priuatione visionis Dei, quæ priuatio magis affligit animam, quam pęna sensus purgatorij, & quęlibet pęna huius mundi; nam sicut possessio desiderati boni gaudium, & delectationem parit, ita absentia desiderati boni parit dolorem, sed bonum, quo animæ purgatorij priuantur, & desiderant est summum, & desiderium est etiã maximum; ergo priuatio eius est maxima pęnarum, quia est priuatio summi gaudij, quia cum illæ animæ perfectè compræhendant beatitudinem esse summum, & infinitum bonum, vehementissimè eam desiderant, & consequẽter quo vehementius est desiderium, eò maior est pęna, quam ex priuatione percipiunt, & confirmatur, nam quantò aliquid magis appetitur, tantò eius absentia, est molestior, & quia desiderium quo summum bonum, & infinitum appetitur ab animabus, quæ in purgatorio detinentur est intensissimum, ideò ex eius boni tardatione maximè excruciantur, demum cum pęna damni sit priuatio summi, & infiniti boni maior procul dubio est pęna, quã quælibet pęna sensus, cũ hæc non sit tanti boni priuatio, sed priuatio eius boni, quod est quædam incolumitas propria, seu quædam animi quies, & vacuitas ab afflictione, & dolore. Vnde *D. August. alienare à regno Dei carere multitudine dulcedinis eius, tam grandis pęna est, vt nulla possint tormenta, quę nouimus ei comparari.*

R. 2. Minorem pęnam sensus purgatorij esse acerbiorem maxima pęna huius vitæ, & ratio est, quia quantò pęna est vniuersalior, tantò est maior; quęlibet pęna purgatorij est vniuersalis, cum obligat animam totam; ergò maior est pęna sensus, quę non est vniuersalis, & non affligit totum corpus, sed in aliqua parte solum. Vnde D. Augustinus *in lib. de Cura pro mortuis habenda cap. 18. ait, Hic Ignis, & si æternus non sit excedit tamen omnem pęnam, quam aliquis vnquam passus est in hac vita: & in lib. de Igni purgatorij dicit, Nemo fratres charissimi dicat, parum referre in Ignis pęnis diu manere, dummodo ad vitam æternam perueniatur, quia ille Ignis purgatorius durior erit, quam quidquid potestis, aut videre, aut sentire, aut excogitare.*

Ex quo deducitur non esse admittendam doctrinam *Cardinalis Bellarmini lib. 2. de Purgatorio, cap. 14. & D. Bonauenturæ in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 1.* qui docent, pęnam sensus in purgatorio seu dolorem animæ separatę patientis non excedere omne malum huius vitę, quod falsum censetur.

An pœna quàm patiuntur animæ in Purgatorio sit voluntaria?

BRACTEA XCIII.

R. Licet desiderent vehementissimè ab ipsis liberari, tamen esse pęnam voluntariam. Ratio est, quia in omnibus conformantur Deo, & suam voluntatem conformant volun-

luntati Diuinæ, & cum Deus velit eas purgari, ipsę Deo conformantur, & volunt purgari.

Sciendum tamen dupliciter aliquid dici voluntarium; vno modo voluntate absoluta, & si nulla pęna censetur voluntaria; alio modo voluntate conditionata, & sic pęna purgatorij dicitur voluntaria, & voluntariè eas sustinent. Primò quia sciunt eas à Deo inflictas esse, & volitas. Secundò quia sciunt eas iustè illatas pro suis peccatis. Tertiò, quia sciunt se aliter non posse gloriam obtinere, nisi Indulgentijs & suffragijs adiuuentur.

R. 2. Animas in purgatorio non æqualiter ab igne torqueri, sed secundum magis, & minus intensius iuxtà grauitatem, & quantitatem peccatorum, & sic quantò quis viuendo grauius peccauit, intensius, & acerbius pęnis torquebitur.

An pœnæ Purgatorij paulatim per remissionem minuantur, donec finiant? An verò æqualiter crucient vsq; ad finem?

BRACTEA XCIV.

R. Pœnas Purgatorij paulatim per remissionem diminui, & non æqualiter perseuerare donec finem accipiant. Ita Henriquez *lib. vltimo cap. 25. num. 3.* Bellarminus *lib. 2. de purgatorio cap. 14.* Et ratio est, quia per suffragia viuorum, quæ illis suffragantur si non liberantur, mitigantur saltem pęnę, quoad intentionē licet non quoad diminutionem temporis, ob certam spem propinquæ liberationis, tum etiā quia sicut dictum est, Indulgentia non modo prodest animæ, pro qua applicatur, sed etiam alijs animabus, quæ sunt in purgatorio, quoad diminutionem pęnæ intensiuæ; quod falsum esset, si ęqualiter perseuerassent in cruciatibus vsque ad finem.

An animæ, quæ sunt in Purgatorio possint mereri, vel demereri?

BRACTEA XCV.

R. Nec posse mereri, nec demereri; & ratio est, quia non sunt amplius in via, quod maximè requiritur ad merendum; vel demerendum. Vnde *Ecclesiast. 9.* dicitur, *Mortui nihil nouerant amplius, nec habent vltrà mercedem*, quem locum exponens Hieronymus ait, *Donec viuunt homines possunt fieri iusti, post mortem verò nulla datur boni occasio*, & Eccl. 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos inuenire cibum*, cum non possint ibi amplius mereri; cum solummodo in hac vita, quis possit mereri, & demereri, post mortem verò nemo possit mereri, nec demereri. Quod si dicatur, animas quæ sunt in purgatorio posse pro nobis orare, & consequēter posse mereri. Respondeò eas non mereri, sed solum impetrare ex meritis pręcedentibus, quemadmodum Beati in Cęlo pro nobis impetrant, licet non mereantur.

R. 2. animas purgatorij sufficienter purgatas statim in Cęlum euolare, ibique clare Deum videre; quod patet ex illo Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiso*; & ex Concilio Florentino, vbi in decreto Vnionis definitur animas sufficienter à peccatis purgatas in Cęlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum sicuti est: Quod etiam potest probari ex pluribus locis scripturę, & auctoritate sanctorum Patrum, quæ breuitatis causa omittuntur.

An animæ in Purgatorio torqueantur à Dæmonibus?

BRACTEA XCVI.

R. Animas in Purgatorio nullo modo à Dęmonibus torqueri, cum non deceat D. iustitiam, vt animæ quæ in hoc mundo de dęmonibus triumpharunt, & confirmatæ sunt in gratia à victis torqueantur; licet aliqui dicant à Dęmonibus torqueri, vt Beda *lib. 3. Historiarum Anglicarum cap. 19.* Dionysius Carthusianus *lib. de quatuor nouissimis*, & nonnulli alij dicant quod in purgatorio dęmones non vexunt animas, sed extrà illud læti de earum pęnis insistent, irrideant, subsanent, & sua visione torqueant.

MALLEATIO XVIII.

De Suffragijs.

An fideles possint præstare suffragia pro animabus, quæ sunt in Purgatorio?

BRACTEA I.

Sciendum est primùm suffragium dupliciter accipi; Primò pro voto, quod in fauorem alicuius prębetur, vnde diximus alium suffragari in electione ad beneficium, quando votum suum in electione pollicetur, & datur; Secundò sumi potest pro auxilio, quod alteri præbetur, vel in hoc mundo, vel in alio purgatorio. Quo posito.

R. Non modo fideles posse sibi inuicem iuuare suffragijs, dum viuunt, verum etiam posse suffragari animas quæ sunt in Purgatorio satisfaciendo pro pęna ipsis debita. Ita S. Th. *in 4. dist. 20. quęst. 1. art. 2.* Suarez *disp. 41. sect. 1.* & 2. Ratio est, quia non modo in Ecclesia est communicatio bonorum operum inter fideles dum viuunt, verum etiam dum sunt in Purgatorio, cum sint etiam membra Ecclesię, sub capite Christi.

Sciendum est, bonum opus dupliciter considerari. Primò quatenus est meritorium: Secundò, quatenus satisfactorium; si primo modo consideretur solum prodest ipsi operanti ad meritum vitæ æternæ. Ita Suarez *disput. 48. sect. 7. num. 7.* Si verò consideretur secundo modo idest quatenus satisfactorium non prodest facienti, sed solum ei, cui applicatur. Ita Suarez *loco cit. sect. 6 num. 7.*

Sciendum 2. quod quando opus bonum vni applicatur magis prodest, quam cum pluribus applicatur. Ratio quia res distributa, quoad valorem minus est efficax, quam vnita; vnde

missa

missa applicata pro vna anima purgatorij magis prodest, quam pluribus applicata; quia totus eius valor illi applicatur; quandò vero pro pluribus celebratur minus prodest singulis quia eius valor diuiditur.

An suffragia quae fiunt nomine Ecclesiae habeant effectum ex opere operato?

BRACTEA II.

R. Indubitatum esse, missam habere suum effectum ex opere operato, vt expressè definitur in *Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1.* & ait D.Thom. *in 4. dist. 45. quaest. 2. art. 1.*

R. 2. quod licet suffragia particularia habeāt suum effectum ex opere operantis; suffragia tamen generalia totius Ecclesiae habent etiam effectum, & efficaciam ex opere operato, eo quod in illis suffragiis applicentur à Summo Pontifice illis, pro quibus fiunt merita Christi & Sanctorum, quae conseruantur in ipso thesauro Ecclesiae, & ita D.Thomas *in 4. dist. 45. q. 2. art. 1.* Sotus ibidem *quaest. 2. art. 1.* Nauarrus *de oratione cap. 19. num. 58.*

An opera suffragatoria debeant esse paenalia?

BRACTEA III.

R. Contra Scotum *in 4. dist. 25. quaest. 1. art. 3.* qui docet suffragia posse fieri per aliquod opus non pęnale, vt per actum intensum dilectionis, & contrà Sotum *in 4. dist. 19. quaest. 2. ar. 1.* qui putat per quęcunque opera meritoria, quę ex gratia procedunt, quantumuis delectabilia vt comedere, bibere, & dormire, posse fieri suffragia, posse tantum fieri per opera pęnalia; & ratio est, quia in tantum opus bonum est satisfactorium, in quantum est pęnale, vt rectè docet D.Thom. *in 4. dist. 15. quaest. 1. art. 4.* Tum quia satisfactio est actus iustitiae vindicatiuae, qua peccator in se punit, & vindicat iniuriam Deo factam; vindicta autem propriè fit per pęnam ergo, &c.

Huic opinioni fauent multa sacrae scripturae loca, quae quoties hortantur homines ad satisfaciendam pro peccatis semper opera pęnalia proponerat, vt Ioel 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu*, & Ione 3. *Predicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis*, & Matth. 11. *In cilicio, & cinere penitentiam egissent*, & alia plura.

R. 2. suffragia non tantum fieri per actus externos pęnales, sed etiam per actus merè internos, nimirum per actum contritionis, & per orationem mentalem, ac meditationem, aliaque exercitia spiritualia. Ratio est, quia actus interiores sunt boni, & homini in hac vita etiam laboriosi, & pęnales; ergo possunt esse satisfactorij, & consequenter suffragia his fieri Ita Henriquez *lib. 6. cap. 19. num. 8.* Sotus *in 4. dist. 29. quaest. 2. art. 1.* Suarez *tom. 4. de Paenit. disp. 37. sect. 5. num. 3.* & alij.



Quaenam sint magis satisfactoria? Eleemosina, Oratio, an Ieiunium?

BRACTEA IV.

R. Ieiunium esse magis satisfactorium, quā Oratio, & Eleemosina. Ratio est, quia in eo quis plus patitur, & affligitur, & per cōsequens illud est magis satisfactorium, quam Oratio, & Eleemosyna, in quibus faciendis parum laboris sentitur, maximè si eleemosina fiat ab homine diuite, & liberali, tum etiam quia ieiunium magis contrariatur naturae, quā Oratio, & Eleemosyna; ergo censetur magis opus satisfactorium.

Quod si dicatur Oratio non habere pęnam, cum sit contra tristitiam medicina iuxtà illud *Iacob. 5.* Tristatur aliquis vestrum? Oret, aequo animo est, psallat; ergo oratio non debet computari inter opera satisfactoria, quae debent esse pęnalia. Respondeo quod quamuis Oratio habeat suauitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis, cum fiat cum fatigatione corporis propter attentionem, iuxtà illud *Ecclesiast. vltim.* Frequens meditatio carnis afflictio est; vnde ex hac ratione censetur opus pęnale, & per consequens satisfactorium.

An opus satisfactorium sit meritorium? & è contrà.

BRACTEA V.

R. Omne opus satisfactorium meritorium esse. Ita communiter omnes Theologi. Et ratio est, quia licet opus pęnale sit satisfactorium, in quantum est opus bonum, liberum, dependens à gratia, non debet perdere suam mercedem, & per consequens censetur meritorium.

R. 2. Omne opus meritorium esse etiam satisfactorium. Ratio est à simili, quia sicut omne opus gratum homini, est ei satisfactorium pro iniuria, ita etiam omne opus gratum Deo; est ei satisfactorium; at omne opus meritorium est gratum Deo; ergo etiam satisfactorium. Tum etiam, quia omne opus meritorium est pęnale; ergo est etiam satisfactorium, cum opus pęnale sit satisfactorium.

An vt opera meritoria sint satisfactoria, requiratur promissio Dei?

BRACTEA VI.

R. Primo opera meritoria, quae ab homine existente in gratia proficiscuntur ex se sine promissione Dei habere moralem valorem ad satisfaciendum Deo pro peccatis dimissis. Ratio est, quia illa opera in gratia facta sunt meritoria Deo absolutè considerata absq; tali promissione; ergo etiam satisfactoria; cum non magis requiratur ad merendum, quam ad satisfaciendum.

R. Quod vt opera infallibiliter sint satisfactoria, & remissiua pęnae necessaria est promissio

sio Dei de condonanda, & concedenda, & remittenda pena. Ratio est, quia pena temporalis debita peccato dimisso, est pena Purgatorij; sed nulla pœna huius vitæ, est cum illa comparabilis; ergo non potest esse sufficiens ad satisfaciendum pro illa, nisi ex promissione, & lege Diuina, qua Deus promiserit se acceptaturum eam penam pro ea remissione. Ita in Concilio Tridentino *sess.19.cap.8.* vbi dicitur, esse necessariam Diuinam acceptationem, vt Deus acceptet hanc nostram satisfactionem penæ huius vitæ, quę acceptatio debet fundari in aliqua promissione, qua Deus se obligauerit ad illam acceptandam.

An requiratur, vt homo possit suffragari animabus Purgatorij, quod sit in gratia?

BRACTEA VII.

R. Vt opus satisfactorium ex opere operantis factum ab aliquo, prosit alteri ad satisfactionem, requiri vt operans sit in gratia. Ita S. Thomas *in 4. dist.14. quæst.5. art.3.* Nugnus *in addit.quæst.* [illegible] *difficult.5.* Caiet. *tom.1. opuscul. tract.5. quæst.2.* & plures alij apud Sanchez *disp.48. sect.7.num.3.* apud Coninch. *disp.10. dub.4. num.23.* Ratio est, quia existens in peccato mortali est Deo inimicus, & consequenter impotens ad obtinendam alteri remissionem penæ, seu ad satisfaciendum pro altero, cum satisfaciens debeat esse gratus. Tum quia opus factum in statu peccati nihil prodest apud Deum, iuxtà illud D. Pauli 1. Corinthior. *cap.13.* Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil sum. Ita Suarez *disp.48. sect. 7. num.3.* Coninchus *loco citato,* & colligitur ex Concilio Tridentino *sess.14. cap.8.*

Dixi Opus satisfactorium ex opere operantis, quod si fuerit ex opere operato alijs proderit, etiamsi offerens non existat in gratia. Ratio est, quia valor suffragij ex opere operato non dependet à bonitate offerentis, nec potest impediri per ipsius improbitatem.

R. 2. Opus satisfactorium factum nō in propria persona, ab aliquo, sed nomine Ecclesiæ prodesse alijs, etiamsi offerens sit improbus, & non existat in gratia, ideòque sacrificium oblatum ab improbo Sacerdote habet suum fructū non solum si consideretur, vt sacrificium, verum etiam si consideretur secundum preces, quatenus offeruntur à Sacerdote in persona Ecclesiæ. Ratio est, quia malitia Ministri non nocet operi boni actoris, & dignitas orationis consideranda est secundum dignitatem Ecclesię, cuius nomine offertur; non iuxta dignitatem improbi Ministri. Ita Nauarrus *de oratione cap.19. conclus.4. num.56.* Sotus *dist.45. quæst.2. art.1.* S. Thomas *in 4. dist.45. quæst.2. art.1.* Graffius *lib.2. cap.10. nu.10.* Nugnus *in addit. quæst.20, ar.4. difficul.5.*

An opera bona in peccato mortali facta sint alicuius boni meritoria?

BRACTEA VIII.

R. Opera bona in mortali peccato facta nō proficere ad consequendam gratiam, aut gloriam, vel remissionem penæ. Ratio est, quia censentur opera mortua, & per consequens nullum possunt habere effectum gratiæ.

R. 2. Bona extrà charitatem facta esse quorundam bonorum temporalium impetratoria, vt patet in Exodo, vbi legitur, Obstetricibus Ægiptiorum Deum benefecisse, quia filios hebreorum suffocare noluerunt, & Romanis datum fuit à Deo imperium propter eorum bona opera moralia, vt docet Augustinus *lib. 5. de Ciuit. Dei cap.12.*

R. 3. Non modo opera bona facta in peccato mortali valere ad consecutionem bonorum temporalium, sed etiam ad impetrādum à Deo aliquod auxilium, quo excitemur, vt à peccatis resurgamus. Secundò ad impediendam culpam, quia dum homo talibus operibus incumbit, euitat peccata. Tertiò ad mitigandam penam, quæ ex peccatis impeditis oriri poterit. Quartò, vt homo assuescat in bonis operibus, per quæ generatur in eo habitus virtuosus benè operando. Postremò ad euitandum imminēs flagellum, & ideo legimus, Deum pepercisse Achab, quia illum humiliatum vidit.

An qui suis operibus pro alio satisfacit etiam pro se ipso satisfaciat.

BRACTEA IX.

R. Regulariter non satisfacere pro se ipso, si talia opera non superant satisfactionem, ad quam alter est obligatus. Et ratio huius est, quia satisfactio debet fieri ad æqualitatem penæ debitæ; vnde qui satisfacit pro alio, si satisfaciendo non superat penam, non potest pro se ipso satisfacere.

R. 2. hominem posse pro se ipso, dum viuit, satisfacere pro pena debita peccatis dimissis. Ratio est, quia nihil impossibile à Deo præcipitur, vt colligitur ex Tridentino *sess. 6. cap. 11.* & docet D. August. *lib. de natura, & gratia cap. 43.* at Deus præcipit satisfactionem homini pro se, dum viuit illis verbis *Lucæ 3.* Facite fructus dignos penitentiæ; ergo possibile est homini Deo satisfacere in vita. Tum etiam, quia homo dùm viuit potest id, quod est magis, ergo etiam id, quod est minus. Antecedens patet, quia homo potest per contritionem pro culpa satisfacere; ergo multò magis poterit satisfacere pro pena temporali, quæ est minus.

R. 3. Hominem non modo de congruo, dum viuit, potest satisfacere Deo, sed etiam de condigno pro pena debita in Purgatorio pro peccatis dimissis. Et ratio est, quia homo satisfacit de condigno pro culpa, & pena æterna; ergo etiā pro pena temporali; tum quia si colligitur ex Concilio Tridentino vbi dicitur, Nos eodem modo satisfacere apud Deum, sicut meremur de condigno; ergo, &c. & ita tenet D. Thomas *in 4 dist.15. quæst.1. art.2.* & alij communiter, qui addunt, satisfactionem non ita esse de condigno, & iustitia, quia semper ei admisceatur aliquid misericordiæ; Primò, quia Deus dat nobis vires, quibus possimus facere opera satisfactoria, tum etiam, quia opera habent vt sint satisfactoria ex meritis Christi, & Sanctorum. Tertiò ratione promissionis Dei, quia opera promisit acceptare, quæ tamen non impediunt,

pediunt, quominus homo de condigno possit Deo satisfacere.

An homo per opera iam debita ex aliquo præcepto, possit pro se ipso, & alijs satisfacere?

BRACTEA X.

PRIMA sententia est Doctoris Subtilis *in 4. dist. 15. quæst. 1.* Palludani *eadem dist. quæst. 1. art. 2.* Gabrielis *disput. 16. quæst. 2.* & Capreoli *quæst. 1. art. 3.* & aliorum, qui omnes tenent, neminem posse pro se, & alijs satisfacere per opera aliàs debita, & præcepta, & huius opinionis dicunt fuisse auctorem Diuum Thomam *in 4. dist. 15. q. 1. art. 2.* vbi sic ait; Quædam mensura est homini imposita, idest impletio mandatorum, quæ à Deo requiritur, & super eam potest homo aliquid erogare, vt satisfaciat, *& quæst. 2. art. 5.* dixit eleemosynam, quæ est in præcepto non esse satisfactoriam, *& quæst. 3. art. 1. quæsito 5.* Idem videtur de ieiunio asserere: his tamen non obstantibus.

R. Per omnia opera pęnalia, quamuis sint aliàs debita, siuè præcepto naturali, & diuino, siuè præcepto humano posse hominem pro se, & alijs satisfacere. Ratio est, quia opera debita, siue præcepta facta ab homine existente in gratia sunt vitæ æternæ meritoria, vt constat ex Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 10. & 16.* ergo à fortiori sunt satisfactoria. Tum quia nemo non dicet posse aliquem satisfacere per eleemosynam factam extremè indigenti, at talis eleemosyna est debita ex pręcepto iuris naturæ, & Diuini; ergo ex re præcepta potest quis satisfacere. Tum quia Christus à Patre præceptum moriendi habuit attamen per mortem pro nobis plenissimè satisfecit; ergo quis potest satisfacere ex opere præcepto pro se, & alijs, vt satisfecit Christus.

An opera iniuncta à Confessario in pœnitentiam sint magis satisfactoria, quam voluntariè assumpta?

BRACTEA XI.

R. Esse magis satisfactoria; Primò quia talis satisfactio est pars Sacramenti. Secundò, quia licet talia opera impleatur in peccato mortali recedente ipso viuificantur, & prosunt, & sunt satisfactoria. Ita Nauarrus in manuali *cap. 3.* Tertiò ex virtute Clauium, quibus semper aliquid pœnæ tollunt; demum ex maiori participatione meritorum, & satisfactionum Christi, quæ magis participantur per Sacramenta.

Quæ conditiones requirantur ex parte offerentis suffragium pro alio?

BRACTEA XII.

R. PLVRES conditiones requiri; Prima est, vt habeat intentionem determinatam offerendi pro alio suffragium; Secunda, vt voluntariè fiat; Tertia, vt opus, siuè internum siuè externum sit moraliter bonum; Quarta, vt operans sit in gratia; quia qui est in peccato mortali impotens est ad obtinendam alteri remissionem penæ. Circà quod

Sciendum est, opus satisfactorium esse in duplici differentia: vnum quod ex opere operantis habet suum valorem, & alterum ex opere operato. Opus satisfactorium ex opere operantis in peccato mortali factum non prodest ad satisfactionem aliorum, nec ipsius operantis. Opus satisfactoriũ ex opere operato alijs prodest, etiamsi operans tale opus sit in peccato mortali.

Aliquando etiam suffragia accipiunt suum valorem non à suffragante, sed ab Ecclesia, cuius nomine fiunt, vt sunt Orationes publicæ, quæ fiunt à Ministris ab Ecclesia deputatis, quę licet fiant ab improbis tamen prosunt pro quibus fiunt, quia malitia Ministri non potest nocere dignitati Ecclesiæ, quæ semper digna est exaudiri. Ita Nauarrus *de oratione cap. 19.* Graffius *lib. 2. cap. 16. num. 10.*

Quænam conditiones requirantur ex parte eius, cui applicatur suffragium?

BRACTEA XIII.

R. PLVRES conditiones requiri, quarum prima est vt indigeat suffragio, ne frustrà fiat applicatio; secunda si sit viator, vt sit in gratia, quia existens in peccato mortali non est dignus suffragio, & suffragium oblatum pro existenti in peccato mortali conuertitur in vtilitatem offerentis si illo indigeat. Ita Graffius *lib. 2. cap. 10. num. 14.* Vnde suffragia pro damnatis oblata non prosunt, sicuti nec prosunt pueris, qui sunt in Limbo. Ita Bellarminus *lib. 2. de Purgatorio cap. 18.* quia cum non sint in gratia non sunt dispositi ad ipsum; suffragium verò pro Beatis oblatum non illis prodest quoad satisfactionem, cum illo non indigeant, sed ad augmentum gloriæ accidentalis illis prodest. An verò suffragium oblatum pro existente in peccato mortali illi prosit sublato obice? R. negatiuè. Ratio est, quia si existens in peccato mortali est indignus actuali sanctificatione, ergo est etiam indignus vt illud Deus acceptet pro tempore, quo resurget à culpa; quia totum est actus amicitiæ, quæ non est inter Deum, & peccatorem; tum quia hoc priuilegium singulare est pro Sacramentis, vt scilicet recedente obice peccati reddeat effectus eiusdem. Demum quia suffragia oblata pro iusto non indigente hac satisfactione non acceptantur, nec quasi conseruantur illi fructus, & effectus illorum, vt pro eo tempore, quo eguerit recipiat prædictum effectum, ergo multo minus acceptabitur respectu peccatoris; ergo non reuiuiscit hic effectus, sed manet in thesauro Ecclesiæ. Et ita Suarez *disput. 48. sect. 7.* & pleriq; alij. Tertia conditio est, vt peccata pro quibus offeruntur suffraggia sint iam remissa quoad culpam. Ratio est, quia fieri non potest, vt remittatur pęna ante remissam culpam. Quarta conditio est, vt ille pro quo offeruntur suffragia sit impotens ad satisfaciendum pro se, vt docet Caietanus *in 1. Opusc. tract. 10. quæst. 1.* Sed hæc vltima conditio non videtur necessaria.

An

An opera pœnalia extrà Charitatem facta sublato obice reuiuiscant quoad effectum?

BRACTEA XIV.

R. Primo opera pęnalia iniuncta à Confessario in Sacramento Pęnitentiæ extrà charitatem expleta, recedente fictione habere suum effectum. Et ratio est, quia vt sunt opera sacramentalia ex se, & ex sua natura sicut viua, licet facta in peccato mortali sint mortificata, & recedente obice sortiuntur suũ effectum; ad differentiam operum operantis, quæ facta in peccato mortali sunt mortua, & nunquam reuiuiscunt.

R. 2. Opera extrà gratiam facta adueniente ipsa, & charitate non reuiuiscere. Et ratio est, quia illa opera fuerunt omninò mortua, & ideo non reuiuiscunt quoad effectum merendi, aut satisfaciendi. Et ita D. Thomas *in addit. ad 3. partem quæst. 14 art. 3.*

An homo in gratia constitutus possit de condigno pro culpa, & pro pœna æterna illi debita satisfacere?

BRACTEA XV.

R. Posse mediante gratia Dei de condigno satisfacere. Ratio est, quia vbi opera hominis deficiũt supplet virtus Passionis Christi, & gratiæ diuinæ virtute illius ei collatæ; itaut mediante illa per opera sua possit homo satisfacere pro culpa mortali, aut pęna æterna ei debita, & de condigno mereri.

R. 2. Quod licet hominis satisfactio quantũ est de se non sit Deo accepta, tamen informata gratia efficitur accepta.

R. 3. Habentem peccatum etiam veniale nõdum remissum non posse pro pęna sibi debita satisfacere; donec peccatum quoad culpam deleatur. Et ratio est, quia *vt habetur in Extrauagant. Unigenitus de Pęnitentijs, & remissionibus pęna non remittitur nisi remissa culpa, in qua ipsa fundatur.*

R. 4. Eũ qui est in gratia posse pro pęna debita vni peccato mortali satisfacere non satisfaciendo pro pena alijs peccatis mortalibus imposita, licet nõ possit satisfacere pro vno quãdo retinet effectum alterius. Et ratio est, quia satisfactio præsuponit desideriũ placandi Deũ; qui autem vnius peccati mortalis affectum habet, non censetur habere desiderium placandi Deum, sed potius præsistere in inimicitia; ergo non potest satisfacere pro vno peccato non satisfaciendo pro alio. Et ita D. Thomas *in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 3. & in tertiam partem quæst. 86. art. 3.* Suarez *tom. 4. disp. 36 sect. 2. num. 6.* & alij communiter.

An vnus homo possit pro altero satisfacere?

BRACTEA XVI.

R. Primo neminem posse pro altero mereri de condigno, sed solum pro se, præter solum Christum, qui tanquam caput nostrũ meruit nobis gratiam, & gloriam. Ratio est, quia gratia non confertur alicui nisi per Sacramentum, aut per opera propria facta in charitate, iuxta illud ad Romanos 2. *Reddet vnicuique secundum patientiam boni operis gratiam, & gloriam, & in corruptionem, & vitam æternam.*

R. 2. Posse hominem iustum mereri de congruo primam gratiam homini existenti in peccato mortali, vt conuertatur, & à fortiori potest mereri augmentum gratiæ, vt scilicet per propria opera proficiat in gratia.

R. 3. Satisfactione sacramentali nõ posse vnũ pro altero satisfacere. Ratio est, quia talis satisfactio est obligatio personalis; vnde si non potest per se ipsum adimplere non tenetur per alium satisfacere; & si fecerit non proderit ei ex opere operato.

R. 4. Posse vnum pro altero satisfacere, prout satisfactio importat relaxationem pęnæ debitæ pro peccatis iam dimissis. Ratio est, quia quilibet est dominus suæ satisfactionis; ergo cui voluerit poterit illam applicare; tum quia fideles offerre solent eleemosinam, & orationem pro Defunctis; ergo id etiam poterit fieri pro alijs viuis; tum etiam quia charitas magis apud Deum potest, quam apud homines; sed apud homines vnus potest debitum eius soluere; ergo à fortiori hoc in Diuino Iudicio fieri potest. Et ita D. Thomas *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2. quæsit. 3.* Nauarrus *de Iubilæo notabili 22. num.* 8. & 9. Sotus *in 4. disput. 19. quæst. 2. art. 4.* Caietanus *tom.* 1. *opusc. tract. 16. quæst. 1. &* 5. Bellarminus *lib. 1. de Indulgentijs cap. 2.* Couiar. *in cap. Alma Mater 1. parte* §. 4. *num.* 7. Suarez *tom.* 4. *disput.* 88. *sect.* 2. *num.* 4. & alij communiter.

An qui orat pro damnatis in Inferno peccet mortaliter?

BRACTEA XVII.

R. Affirmative. Et ratio est, quia pro illis solum orare debemus, pro quibus speramus impetrare veniam à Deo; sed damnati non sunt tales. Ratio est, quia malo firmiter adhærent, & secundum legem ordinariam Dei eorum salus est impossibilis; ergo pro illis orare non debemus; tum quia in orationibus debemus conformari Diuinæ voluntati in his, quæ scimus Deum velle; Sed certi sumus de damnatione hominum decedentium cum peccato mortali, & ipsi firmiter semper adhærere; ergo nullo modo pro illis licet orare, cum nõ possint relinquere affectum ad peccatum; tum denique quia Ecclesia prohibet pro illis orare, *cap. pro obeuntibus, & cap. Placuit;* & qui orat facit contrà præceptum Ecclesiæ prohibens in materia graui; ergo si quis orat pro illis peccat.

An pœna remittatur animabus Purgatorii ab illis, qui pro eis applicant suffragia per modum impetrationis? an verò per modum solutionis?

BRACTEA XVIII.

R. Certum esse, & indubitatum opera meritoria, quæ applicantur pro animabus Purgatorii illis suffragari quoad solutionem

pęnæ

pęnæ debitæ pro peccatis dimiſſis. Et ita D. Thomas *in 4. diſt.45. quæſt.3 art. 3. vbi ait, Suffragia Eccleſiæ eſſe pro Defunctis quandam ſatisfactionem viuentium vice mortuorum.*

R. 2. Indubitatum eſſe poſſe vnum fidelē per modum impetrationis, & meriti de congruo alteri viuo ſuffragari, videlicet impetrando, ac merendo de congruo, vt Deus remittat talem pęnam ſiuè immediatè gratis illam cōdonando, ſiuè dando aliquod auxilium, quo alter bona opera efficiat, per quæ poſſit remiſſionem talis debiti obtinere. Vnde D. Auguſt. *in ſermone D. Stephani ait, quod ſi Stephanus non oraſſet Eccleſia paulum non habuiſſet*; & ſic S. Stephanus per modum orantis impetrauit illi talem remiſſionem.

R. 3. Suffragia prodeſſe aliquando animabus, quæ ſunt in Purgatorio, non modo per modum ſatisfactionis, ſed etiam aliquando per modum impetrationis. Et ratio eſt, quia Eccleſia aliquando orat Deum, vt per ſuam piiſſimā miſericordiam eruat animas Defunctorum à pœnis Purgatorij; ergo ſignum eſt, ſuffragia viuorum prodeſſe etiam illis per modum impetrationis.

An Sancti regnantes cum Chriſto, poſſint ſuffragari animabus, quæ ſunt in Purgatorio?

BRACTEA XIX.

R. Beatos Cœli Ciues orare pro animabus Purgatorij, ac proinde impetrare illis gratiam remiſſionem alicuius pœnæ. Ratio eſt, quia licet non ſint in ſtatu merendi, nec ſatisfaciendi, ſunt tamen in ſtatu impetrandi ex merito præcedenti; nam dum erant in via meruerunt, vt orationes eorum exaudirentur. Tum quia orare pro afflictis eſt officium miſericordiæ, quod maximè conuenit ſtatui Beatorum; tum etiam quia Eccleſia vtitur interceſſione Sanctorum, vt Defuncti ad beatitudinē perueniant, Beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis. Et ita D. Thomas *in 4. diſt.45. quæſt.2. art.3.* Caietanus *tom.1. opuſc. tract.16.* & alij.

R. 2. Sanctos pro animabus Purgatorij quinque impetrare; Primò, vt Deus exaudiat preces, & ſatisfactiones fidelium pro animabus illis; Secundò, vt Deus excitet fideles vt orent, & debito modo ſatisfaciant pro iiſdē Defunctis, vt efficacitèr conſequātur earum liberationē; Tertiò, vt animæ à Purgatorio celeritèr liberentur etiamſi neceſſe ſit, diuturnitatem temporis intenſione pœnarum compenſare; Quartò, vt dignetur Deus pro illis animabus applicare aliquas proprias ſatisfactiones, quas ipſi reliquerunt in theſauro Eccleſiæ militantis; Quintò, impetrant à Chriſto, vt tantum ſuæ Paſſionis applicet, quantum neceſſe ſit, vt à Purgatorij pœnis liberentur.

Quidnam ſit efficaciùs ad liberationem? Indulgentia, an ſuffragium?

BRACTEA XX.

R. Indvlgentiam eſſe efficaciorem, quoad celeritatem liberationis animæ, quam ſuffragium; tum quia Indulgentia pro Defunctis accepta poteſt etiam acquiri ab exiſtente in peccato mortali, non verò ſuffragium.

An quilibet poſſit ſumere ad libitum ſuffragia, quæ poſuit in theſauro?

BRACTEA XXI.

R. Negative. Quia poſtquam ſuffragia cōſtituta ſunt in theſauro Eccleſiæ, qui ea conſtituit non eſt amplius eorum dominus, ſed Eccleſia; & ad ipſam ſpectat poteſtas iuriſdictionis vtendi illis ad applicandum cui voluerit, quā poteſtatē habet ſolus Roman. Pōtifex.

R. 2. Quod licet vnus pro alio Indulgentiam lucrari poſſit, nemo tamen quamuis ſit vir iuſtus poteſt in alium transferre fructum Indulgentiæ, quem iam ſibi acquiſiuit. Et ratio eſt, quia illa Indulgentia iam ſortita eſt ſuum effectum in operante, vel rediit ad theſaurum Eccleſiæ, ſi nullus Indulgentię indiguit; cuius applicatio ſpectat ad Romanum Pontificem.

R. 3. Eſſe melius ſuffragia offerre pro Defūctis, quam pro viuis. Ratio eſt, tum quia Defuncti magis indigent cum ſint in extrema neceſſitate; tum etiam quia non poſſunt ſibi ſuffragari, vt viui facere poſſunt. Ita D. Thomas *in 4. diſt.49. quæſt.1. art.2.*

An qui debet reſtituere maneat in Purgatorio quoaduſque ab hæredibus reſtitutio fiat?

BRACTEA XXII.

R. Qvod defunctus, qui in ſuo teſtamento mandauit hæredi, vt poſt eius mortem creditoribus reſtituat, etiamſi poſteà non fiat nō detinetur in Purgatorio quoaduſq; fiat. Ratio, quia ipſe fecit, quod tenebatur facere; tum quia non eſt amplius in eius poteſtate reſtituere, aliàs poſſet durare illa pœna in perpetuum non reſtituentibus hæredibus. Quod ſi defunctus eſſet in culpa, vt reſtitutio non fieret, quia ipſe in articulo mortis non fecit quod debuit, vt reſtitutio fieret, nec credidit, hæredes reſtituturos eſſe damnabitur. Ratio, quia ob ſuam negligentiam cenſetur in culpa mortali.

R. 2. Hæredes non excuſari à reſtitutione eo quod certò ſciant, animam defuncti eſſe in Inferno, & ideò illi non pro futuram, quia aut ſit in Purgatorio, aut in Inferno ſemper hæres tenetur debita defuncti ſoluere; quia onera realia tranſeunt ad ſucceſſorem, alioquin damnabuntur non reſtituentes. Ita Nauarrus *in manuali cap.17.*

R. 3. Quod & ſi anima defuncti non detineatur in Purgatorio quoaduſque reſtitutio mandata per defunctum ab hæredibus fiat, tamen tarditas reſtitutionis maximè nocet animę exiſtenti in Purgatorio. Ratio eſt, quia cogūtur illæ animæ pęnis debitis ſatisfacere illi tarditati, & ideò magis cruciantur.



An

An Defunctus magis torqueatur in Purgatorio ex eo quod retardantur suffragia, quæ pro anima sua mandauit fieri?

BRACTEA XXIII.

R. Retardari ipsius liberationem à Purgatorij flammis ex eo quod retardentur suffragia, quæ pro anima sua mandauit fieri. Quod si dicatur voluntas habetur pro facto apud Deum; ergo, &c.

R. Si anima illa est in gratia nihil perdere de merito; & sic voluntas habetur pro opere cõpleto apud Deum, non autem quoad remissionem pœnæ, nisi hæredes suffragijs relictis satisfaciant, sicut non sufficit debitori ordinare, vt satisfiat debitum, pro quo in carcerẽ detrusus fuit, nisi realiter fiat satisfactio, alioquin detinetur in vinculis quoad vsque satisfiat.

An excommunicatus priuetur suffragijs Ecclesiæ?

BRACTEA XXIV.

R. Primo iniustè excommunicatum nõ priuari apud Deum suffragijs Ecclesiæ. Et ratio est, quia talis excommunicatio est inualida, & iniusta. Ita Nauarrus *in manuali cap. 27. num. 36.* Sayrus *lib. 2. de Censuris cap. 17. num. 13.* & alij. iustè verò excommunicatum priuari suffragijs Ecclesiæ. Ita communiter omnes.

R. 2. Iustè excommunicatum, & si contritũ, & per ipsum non stet quò minus absoluatur, priuari etiam suffragijs Ecclesiæ. Ita Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.* Vgolinus, Tabiena *de Censuris cap. 9. §. 1. num. 4.* Coninchus *disp. 14. dub. 6. nu. 49.* Vasquez *tom. 4. in tertiam partem dub. 2. tract. de excommunicat. art. 2.* Filliucius *tract. 11. cap. 2 quæst. 6.* Bonacina *de Censuris disp. 2. quæst. 11. pun. 1. §. 3.* Ratio est, quia excommunicatus contritus adhuc remanet excommunicatus, donec absoluatur, & excommunicatio habet suũ effectum donec auferatur; tum etiam quia si hoc esset, licitum esset excommunicato contrito nondum absoluto accedere occultè ad recipienda sacramenta, cum supponatur in gratia; hoc autem est falsum; ergo, &c. *Tum quia in cap. à nobis 2. de sententia excommunicationis, & in cap. Sacris eodem titulo,* in quibus quæritur à Romano Pontifice, an liceat orare pro excommunicatis defunctis, qui ante obitum signum dederint contritionis, sed absolui non potuerunt; ad quod respondet *Pontifex non licere pro illis orare, nisi prius absoluantur ab excõmunicatione,* & posteà oretur pro illis; ergo sicuti pro excõmunicatis defunctis, qui in morte ostenderunt signum contritionis nõ licet orare; ergo multò minus licet orare pro viuis excommunicatis, licet contriti, fuerint, & à delicto resipuerint; Et si contraria sententia videatur probabilis ob pluralitatem insignium Doctorum, qui eam sequuntur.

MALLEATIO XIX.

De Iubilæo Ordinario, idest de Plenissima Indulgentia, & de Iubilæo anni Sancti.

Et primò de Iubilæo Ordinario.

Quid sit Iubilæum?

BRACTEA I.

R. Iubilævm esse Indulgentiam Plenissimã, quæ vltrà totalem pœnæ remissionem cõcedit aliqua priuilegia in ordine ad ipsum lucrandum. In qua definitione duo sunt, vnum quod se habet per modum Generis, & est Indulgentia Plenissima, cum omne Iubilæum sit Indulgentia Plenissima, non tamen è contra; alterum est, quod se habet per modum Differentię, vt sunt illa verba; Quę vltrà totalẽ, &c. per quam differentiam Iubilæum differt ab Indulgentia plenaria, quia ista solum remittit pęnam; Iubilęum vero preter remissionem pęnæ addit tria priuilegia; Primum est facultas eligendi Confessarium ex approbatis ab Ordinario; Secundum est facultas absoluendi etiã à casibus Summo Pontifici reseruatis; Tertium est potestas commutandi Vota, &c.

Sciendum inter Indulgentiam Plenissimam, Plenariam, & Plenam nullam esse differentiã, cum quælibet significet remissionem omnium pęnarum debitarum in Purgatorio pro peccatis mortalibus confessis, & venialibus.

Quænam requirantur ad consequendum Iubilæum?

BRACTEA II.

R. Sex regulariter requiri. Primò, visitationes Ecclesiarum; Secundò, Orationes; Tertiò, Ieiunia; Quartò, Eleemosinæ; Quintò, Confessio; Sextò, Communio.

R. 2. Quoad primum spectat nimirum quoad visitationem Ecclesiæ, fideles non obligari visitare Ecclesias, tempore quo fiunt processiones, sed ad libitum, diebus tamen determinatis ad acquirendum Iubilæum, *vt constat ex Bullis,* & docet Nauarr. *de oratione Miscel. 60.* & Graffius *par. 2. aurearum decisionum lib. 4. cap. 15. num. 41.* etiamsi Papa diceret, vt fierent processiones ad arbitrium Ordinarij, cum illa Ordinario non sit mandatum, sed potius exhortatio, quæ non inducit præceptum. Ita Nauarrus, Graffius *locis citatis.* Verùm si Pontifex præciperet in concessione Iubilæi associari dictas Processiones, qui non essent præsentes ipsum non lucrarentur.

An dicta visitatio debeat fieri tribus diebus, & vicibus? an semel tantum?

BRACTEA III.

R. Sufficere si semel tantum fiat, nisi in Bulla aliter notetur. Ita Rodriquez *par. 1. cap. 184.*

cap.184.num.3. Filliucius *tom. 1. de Sacram. num. 274.* & sufficere visitare Ecclesias in quolibet die hebdomadæ cōcessi Iubilæi; vt constat ex verbis Bullæ, in prima, vel secunda hebdomada visitauerint, cum colligatur, totam hæbdomadam assignari pro visitatione.

R. 2. Non esse necessarium visitare omnes Ecclesias ex iniunctis, sed satis esse, vt duę tantum visitentur, nisi aliter exprimatur in forma concessionis, vt constat ex verbis Bullæ præteritorum Iubilæorum, vel duas illarum saltem visitent. Ita Nauarrus *de Oratione num. 128.* Filliucius *tract.8.de Sacramentis num. 274.*

R. 3. Ad lucrandū Iubilæū necessariā esse intētionē actualē, vel virtualē lucrādi Iubilęū; vnde si alia intētione visitēt nō acquirit Iubilæū.

R. 4. Acquirere Iubilęum non modo qui pedibus visitat Ecclesias, sed etiam qui curru, vel equo, &c. ipsas visitat. Eta ratio est, quia censetur adimplere opus præscriptum, licet quoad meritum, qui pedibus visitat magis mereatur, cum magis laboret, quam qui curru, vel equo, &c. vehitur ad lucrandum Iubilæum.

An non modo per Orationem vocalem, sed etiam per mentalem quis satisfaciat Iubilæo?

BRACTEA IV.

R. Satisfacere etiam cum Oratione mentali, cum Oratio mentalis veniat nomine Orationis. Ita Grat. *parte 2. de Iubilæo cap. 13.* Fabrin. *de Iubilæo cap.33.* & alij.

R. 2. Ad lucrandum Iubilæum non esse necessarium dirigere mentem de illa omnia, quæ in Bulla commendantur circà Orationem, sed satis esse si pro his omnibus, quæ à Papa præscribuntur in communi Oratio fiat. Ita Zanardus *de Sacram. Pęnit. cap.1.* & alij; qui etiam addūt, satis esse si quis proponat orare iuxtà mentem Pontificis, vt lucretur Iubilæum, quamuis postea, dum orat non recordetur.

R. 3. Orationem debere fieri in Ecclesijs, quę visitantur, vt constat ex Bullis, illis verbis; Ibi deuotè visitauerint, &c.

R. 4. Toties dębere fieri Orationem iuxtà mentem Pontificis, quoties visitantur Ecclesię.

R. 5. Eum, qui plus orat in aliqua Ecclesia non plus fructus Indulgentiæ acquirere, quam qui parum orat; poterit tamen magis mereri ad vitam æternam obtinendam. Ita Suarez *tom. 4. disput.57. sess.8. num.5.* Quod etiam debet dici de eo, qui facit maiorem eleemosinam, vel qui ieiunando vescitur solum pane, & acqua, magis scilicet mereri, licet potiorem effectum Indulgentiæ non acquirant.

Quid intelligatur nomine Ieiunij, quod in Iubilæo præcipitur?

BRACTEA V.

R. Intelligi Ieiunium Ecclesiasticum, & non naturale, quod non frangitur sumptione medicinæ, potus, vel parum cibi per modum medicinæ, quod sumitur ad confortandum stomachum.

Sciendum qui venialiter frangit Ieiunium acquirere Iubilæum. Ratio est, quia parum pro nihilo reputatur, & posita leui omissione præceptum simpliciter adimpletur, & consequenter obtinere Iubilæum, qui leuiter frangit ipsum Ieiunium.

Sciendum 2. satis esse ad lucrandum Iubilęum, quod quis ieiunet comedendo laticinia. Ratio, quia in concessione Iubilæi præcipitur ieiunium iuxtà consuetudinem patriæ; vnde si ex consuetudine in ieiunijs extrà Quadragesimam possit comedi oua, & laticinia, &c. hoc modo quis ieiunando pro Iubilæo satisfacit. Ratio est, quia abstinentia ab ouis, & laticinijs non est de essentia ieiunij, nisi per consuetudinem contrariam aliter receptum sit. Et ita Nauarrus *in Manuali cap.21. num.15.* Henriquez *lib. 7. cap.10. num.4.* Sanchez *lib.4. Summæ cap. 11. num. 49.* Caietanus *secunda secundę quæst. 147. art. 7.* Benzon *lib.5. de Iubilæo cap.15. dub.6.* & alij.

Sciendum 3. sexagenarios, & non excedentes annum vigesimum primū teneri ad ieiunium, si velint assequi Iubilæum. Ratio, quia priuilegium cessat, cum datur gratia cum aliquo onere, & Confessarij non possunt commutare dictum ieiuniū, nisi ex ipso adueniret illis notabile detrimentum. Ita Rodriquez *par.1. c.184. num.10.* Graffius *lib.2. Append. cap.5. num.9.* Naldus *verbo Ieiunium num. 6.* & alij. Hinc sequitur quod qui cum possint ieiunare faciūt ipsum commutare, non lucretur Iubilæum, quia datur facultas commutandi tantum circà eos, qui non possunt, moraliter loquendo ieiunare.

Sciēdum 4. eam solam causam excusare à ieiunio Iubilæi, quæ excusat à ieiunio præcepti, & hanc multipliciter assignare à Summistis *verbo Ieiunium*, & Nauarr. *cap. 2. num. 16.* An dispensatus ad comedendas carnes tempore ieiunij, sentiatur etiam dispensatus à ieiunio. R. Iuxtà opinionem plurium Doctorum affirmatiuè. Ratio, quia dispensatus ad maius censetur dispensatus ad minus; & abstinentia à carnibus est de essentia ieiunij; ergo etiam dispensatus ad carnes censetur dispensatus à ieiunio. Ita D. Thom. *secunda secundæ quæst.147. art.8.* Caietan. & Medina ibidem. Licet contraria opinio sit etiam probabilis, nimirum quod dispensatus ad carnes non sit dispensatus à ieiunio, & quod de essentia ieiunij non sit abstinentia à carnibus, sed solum consistat in vnica comestione iuxtà præscriptum Ecclesiæ, vel consuetudinem introductam.

An si hæc Ieiunia incidant tempore Quatuor Temporum, possit quis ieiunare illis diebus ad finem lucrandi Iubilæum?

BRACTEA VI.

R. Affirmative. Et ratio est, quia vno, & eodem opere potest quis pluribus obligationibus satisfacere; tum quia opus quod præcipitur est satisfactorium; ieiunare verò diebus Quatuor Temporum est opus satisfactorium; ergo his diebus ieiunādo potest quis lucrari Iubilæum. Ita Sotus *in 4. dist 19. quæst.2. art.1.* Henriquez *lib.7. cap.10. num.5.* Ferdinand. *in Medulla par.2. cap.8. §.10. num.2.* Corduba *lib.5. de Indulgentia quæst.21.*

Sciendum quod si quis tempore præscripto non ieiunauit, v.g. feria quarta non satisfacit ieiu-

ieiunando alio die, v.g. feria 5. nisi id faciat de consilio Confessarij commutantis ieiunium. Ratio est, quia ieiunium præscriptum est onus affixum diei, quod, transacto die cessat. Ita Henriquez *lib.7. cap.10. num.5.* Nauarr. *conf.35. de pœnitentijs, & remissionibus*: secus diceretur, si tale onus non esset affixum diei, sed dies esset affixus in fauorem oneris, seu obligationis, quia tunc transacto die non cessat obligatio, sed adhuc remanet.

Vtrum ad lucrandum Iubilæum requiratur status gratiæ?

BRACTEA VII.

R. PRIMO non requiri statum gratiæ ad fauores obtinendos, qui cum Iubilæo concedi solent, vt sunt absolutio à casibus reseruatis, commutatio votorum, &c. sed solum requiri statum gratiæ, quando acquiritur effectus Iubilæi, qualis est remissio reatus pœnæ temporalis. Et ratio est, quia Iubilæum est applicatio meritorum passionis Christi, ad satisfaciendum pro peccatis dimissis, sed merita passionis Christi non applicantur mẽbris mortuis per peccatum, sed viuis, idest existentibus in gratia; ergo, &c. Et ita D. Thomas *in 4. dist. 20. quæst. 2. art. 1.* & alij plures.

Sciendum non requiri, vt sit in statu gratiæ, quando singula opera perficiuntur, sed satis esse, vt sit in gratia in vltimo opere requisitum ad Iubilæum. Ratio est, quia gratia non requiritur propter opus, sed vt dispositio ad effectum Iubilæi, qui non datur, nisi in fine operis iniuncti.

An ad consequendum Iubilæum requiratur actualis confessio?

BRACTEA VIII.

R. AD acquirendum Iubilæum actualem confessionem requiri, vt constat ex illis verbis Bullæ, & peccata sua confessi fuerint, non tamen requiri confessionem generalẽ peccatorum, sed sufficere confessionem peccatorum mortalium, quę, quis commisit post vltimam confessionem validam. Ita Nauarr. *notabili 18. num.17.* & Corduba *lib.5. de indulgentijs q.27.*

Sciendum non esse necesse ante visitationem Ecclesiarum confiteri, sed sufficere, si post dictas visitationes, aut inter ipsas confiteatur. Ratio est, quia vt supra dictum est, non est necesse, vt omnia opera præscripta Iubilæi fiant in statu gratiæ. Ita Nauarrus *de Iubilæo notabili 32. num.37.* Henriquez *lib.7. cap.9. lib.5.* licet optimum sit confiteri, & per confessionem consequi gratiam ante visitationes Ecclesiarum, hoc enim in praxi est consulendum, etsi speculatiuè loquendo opinio supradicta sit probabilior.

An qui non habet peccatum mortale teneatur vi Iubilæi confiteri?

BRACTEA IX.

R. PRIMO confessionem venialium esse necessariam ad Iubilæum assequendum, quando confessio requiritur, vt pars operis iniuncti. Ratio, quia totum opus præscriptum debet impleri, quando in forma Iubilæi dicitur præmissa, vel facta confessione, etiam venialium exigitur confessio, tamquam pars operis iniuncti; & per consequens, qui habet solum peccata venialium debet etiam confiteri, vt assequatur Iubilæum. Quando verò in Bulla solum dicitur: Et peccata sua confessi fuerint, tunc non est necesse confiteri peccata venialia, sed solum peccata mortalia, si eorum habeat conscientiam, & sicut quis præcepto annuæ confessionis non obligatur, si solum habeat venialia, ita ad Iubilæum requirendum, nisi vt dictum est, aliter in Bulla dicatur.

Sciendum vt quis assequatur Iubilæum confessionem debere esse validam. Et ratio est, quia confessio exigitur tanquam dispositio ad communionem, & ad impetrandum iuxtà mentem Pontificis, confessio solum valida ponit hominem in statu gratiæ.

Sciendum 2. confessionem validam, sed informem ponere hominem in statu gratiæ, & esse sufficientem ad lucrãdum Iubilæum, dummodo posteà Pœnitens factus malæ fidei sufficienter de peccato doleat, seque in gratia Dei constituat.

An per confessionem inualidam remaneat quis liberatus à reseruatione?

BRACTEA X.

R. SI confessio fiat extrà Iubilæum pęnitentem remanere absolutum à reseruatis, etiamsi inualidè confiteatur. Ratio est, quia ad tollendam reseruationem sufficit, vt peccatum reseruatum sit cognitum, & reuelatum ipsi Prælato, aut habenti potestatem, quia illa inualida confessio hunc operatur effectum, vt tollatur reseruatio. Ita Caiet. *in summa verbo Casus reseruatus*, & Siluester *verbo confessio 1. quæst.19.* Em. Sà *verbo Casus num.7.* Si illa peccata habeant adnexam censuram, & pęnitens à peccatis inualidè fuerit absolutus tempore Iubilæi à confessario, qui absoluit ex sola auctoritate Iubilæi, pęnitens non tenetur amplius dicta peccata reseruata confiteri, vt reseruatio peccatorum tollatur. Cum enim Confessarius tempore Iubilęi possit absoluere à censuris, & à peccatis reseruatis, & absolutio censurarum pręcedat absolutionem peccatorum, & cum absolutio censurarum non pendeat ex absolutione peccatorum, non exigitur dispositio ex parte pęnitentis, vt à censuris absoluatur, cum Confessarius possit absoluere à censuris, etiam extrà confessionem, absoluendo ab eis in confessione inualida ex culpa pęnitentis valebit saltem, vt absolutio extrà confessionem, ad cuius validitatem nulla dispositio pęnitentis exigitur cum à Superiore possit impedi, etiam in inuitũ.

An tempore Iubilæi in confessione sit iniungenda pœnitentia?

BRACTEA XI.

Sciendum in Sacramento pęnitentiæ, pęnitentiam dublicem esse, vnam medicinalem, & præseruatiuam, & alteram punitiuam, quę propriè est tertia pars sacramenti. Quo posito.

R. Medicinalem pęnitentiam, & præseruatiuam esse necessariam tempore Iubilæi. Ita Graffius *lib. 2. Append. cap. 5. num. 24.* Et ratio est, quia talis pęnitẽtia spectat ad bonum spiritualem pęnitentis. Similiter etiam pęnitentiam punitiuam esse necessariam, quia in Bullis concessionis Iubilæi semper addunt Summi Pontifices iniuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pęnitentia salutari arbitrio Confessarij, qui habita ratione personarum, culparum, & dispositionis salutarem pęnitentiam iniungat.

Sciendum quod qui post communionem factam in ordine ad assequendum Iubilæum incidit in peccatum mortale, antequam impleuerit vltimum opus præscriptum obligatur, si velit assequi Iubilęum denuò ipsum confiteri. Et ita Suarez *tom. 4. disput. 52. sect. 3.* Bonacina *de Sacramentis disput. 6 quæst. 1. pun. 2. num. 9.* Et ratio est, quia si ipsum non confiteretur ante impletionem vltimi operis præscripti, non esset verum, quod esset confessus de omnibus peccatis iuxta Bullam.

An volens Iubilæum obtinere, debeat omnia opera præscripta ad consequendum ipsum præstare vna, & eadem hebdomada, an satis sit opera aliqua præscripta facere in vna hebdomada, & confessionem in alia?

BRACTEA XII.

Prima sententia est, Henriquez *lib. 7. de Indulgentijs cap. 11. num. 2.* vbi sic ait, si quis prima hebdomada ieiunauit, & dedit eleemosynam, non satis est, vt in secunda hebdomada solum communicet, sed omnia opera intra vnam hebdomadam expleri debent. Ita etiam Sanchez *in opere morali lib. 4. cap. 54. num. 28.* & alij etiam. Ratio est, quia Iubilęum non obtinetur, nisi pręstentur ea, quę in Bulla exprimuntur à Summo Pontifice; Summus autem Pontifex pręscribere videtur, vt hæc omnia fiant vna, & eadem hebdomada, dicitur enim, qui feria quarta, sexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ieiunauerint, pariterque sua peccata confessi fuerint, & sanctissima communione refecti, vbi notanda est illa particula Pariter, & illa particula Et, quæ significat coniunctionem, & vnionem in eadem hebdomada, & virtutem Iubilęi expirare media nocte Sabbati. Ita Filliucius *tract 8. de Sacramentis num. 282.* & ita declarauit Innocentius Nonus, & Clemens Octauus viuę vocis oraculo; & ita etiã tenent Sanctarellus *cap. 7.* Fernandus *in Medulla part. 3. cap. 8. §. 7.* concessit tamen Pęnitentiarijs S. Petri, vt absoluerent etiam die Dominico, quod etiam fertur pręstitisse Innocẽtius Nonus cuidam Episcopo idem petenti. Itaque de rigore textus confessio debet fieri ante diem Dominicum; dicitur enim intra hoc tempus primę scilicet, vel secundę hebdomadę confiteantur, & Dominica prima, vel secunda sumant Eucharistiam, in die Dominico tamen, quo solet promulgari non videtur dubium, confessionem in illo factam valere post publicationem.

Secunda sententia est valere Iubilęum, etiãsi omnia opera pręscripta non fiant in eadẽ hebdomada, & licitum sit in prima hebdomada ieiunare, eleemosynam facere, Ecclesias visitare, & in sequenti hebdomada confiteri, & communionem percipere. Ita Rodriquez *in summa 1. part. cap. 184 num. 14.* & ita videtur vsu receptum; ergo non est necesse, vt omnia opera pręscripta fiant in vna, & eadem hebdomada. Tum quia Summus Pontifex valdè cupit fideles participes fieri huius pretiosissimi thesauri; ergo ipsius mentẽ possumus benignè interpretari seruata tamen proprietate verborum, & facta hoc modo interpretatione, seruatur verborum proprietas, & commodiùs Summi Pontificis voluntas adimpletur.


R. Quod licet hæc opinio sit probabilis, quia nititur auctoritate insignium Doctorum, tamen primam in praxi consulendam esse, idest vt omnia opera præscripta fiant vna, & eadem hebdomada, pręcisa aliqua necessitate, vel rationabili causa; tum quia tutior est, tũm etiam quia grauissimorũ Doctorum auctoritate fulcitur.

An pueri qui defectu ætatis Sacramentum Eucharistiæ suscipere non possunt, adimplendo reliqua consequantur Iubilæum?

BRACTEA XIII.

Debere à Confessario communionem in aliud opus pium commutari, alioquin non acquirere Iubilæum. Ita Henriquez *lib. 7. cap. 10. num. 8.* Pinellus de Indulgentijs *cap. 23.* & plerique alij. Quod idem dicendum erit de illis, qui ex aliqua infirmitate sacram communionem suscipere non possint, ac etiam de his, qui ex inaduertentia ante communionem liberent.

Sciendum, eũ qui in peccato mortali sacram Eucharistiam suscipit satisfacere Iubilęo dũmodo non sit opus vltimum præscriptum, & ratio est, quia vt suprà dictum est, non est necesse, vt quis faciat omnia opera præscripta in statu gratiæ, sed sufficit quod sit in gratia in vltimo instanti, in quo vltimum opus perficit; tum etiam, quia præceptum communionis nõ obligat formaliter, sed solum materialiter ad differentiam præcepti confessionis, quod obligat materialiter, & formaliter.



An

An eleemosyna sit facienda iuxtà qualitatem personæ?

BRACTEA XIV.

R. Non esse faciendam iuxtà qualitatem personæ, nisi id in Bulla exprimatur, sed sufficere quamlibet eleemosynam, cum in concessione Iubilæi regulariter dicatur, & eleemosynam pro suo arbitrio fecerint.

Sciendum faciendam esse eleemosynam in tribus diebus, quibus ieiunatur, & visitantur Ecclesiæ præscriptæ, licet quis possit satisfacere vna vice faciendo eleemosynam, modo tantam elargiatur, quantam proposuit dare pro Iubilæo lucrando. Et ita Graffius *cap.5 num.38.* Nauarr. *de orationi, Missel.92.* Reginald. *lib.7.num. 185.* Rodriquez *part.1.cap.184.num.3.*

Sciendum 2. satisfieri Iubilæo faciendo eleemosynam, cui ex præcepto debetur, v. g. Parenti pauperi, vel alteri extremè indigenti. Ita Henriquez *lib.7. cap.10. num.6.* nec esse necessarium, vt per se ipsam faciat, sed satis esse, vt per famulum, vel amicum illam faciat. Et ratio est, quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur. Ita Filliucius *tom.1.tract.8.cap.6. quæst. 13. num. 161.* Pinellus *de Indulgentijs cap.15.* & alij. Verum si seruus talem eleemosynam furaretur mandans ipsam fieri, non acquireret Iubilæum, cū non præstaret opus præscriptum. Ita Bonacina *disp.6. de Sacramentis quæst.1.pun.5.*

An Pauperes, qui mendicant, & alij qui non habent dominium teneantur facere eleemosynam?

BRACTEA XV.

R. Pauperem qui de sudore suo viuit, & non habeat vnde eleemosynam faciat obligari ad minimam saltem, vel ad curandam, vt ipsa commutetur in opus aliud pium à Confessario si velit acquirere Iubilæum. Et ita Graffius *cap.5.num.34. & 42.*

Sciendum, vxorem, & filios si velint acquirere Iubilæum, teneri ad eleemosynam, & si Pater, & Maritus nolint eam dare, posse de bonis Mariti, & Patris aliquid clam surripere, vel de proprio victu aliquid sibi detrahere. Verū ad euitanda scandala, quæ clam surripiendo poterunt oriri, tutius erit, vt commutetur à Confessario in aliud opus pium iuxtà tenorem Bullæ.

Sciendum 2. Religiosos ad faciendam eleemosynam non posse aliquid clam surripere de rebus Monasterij, si Prælatus eam nolit dare, aut nomine Religiosorū ipsam facere in communi, sed Confessarius electus debet ipsam commutare in aliud opus pium.

Sciendum 3. eleemosynam non esse faciendam his, qui ex illa sumunt occasionem peccandi, nisi in casu extremæ necessitatis. Ita D. Thomas *in 4 dist.45.quæst.2.art.7.quæsito 2.* Siluester *verbo eleemosyna* §.3. Eleemosyna autem potest fieri, & de rebus ludo iustè acquisitis, vt docet D.Thomas *loco citato art.4.* & Siluester *verbo ludus* §.13. & de rebus turpiter acquisitis, vt de lucro meritricium, &c. dummodo non fuerint iniustè extortæ. Ita Siluester *verbo eleemosyna* §.5. vnde de furtis, &c. eleemosyna non potest fieri.

An qui non habuit notitiam Iubilæi, nisi feria sexta, & sic non ieiunauit feria quarta si faciat cætera opera iniuncta lucretur Iubilæum?

BRACTEA XVI.

R. Cum Iubilæum incipiat à die notitię posse in secunda hebdomada ieiunare, & reliqua opera perficere; si verò compleat in prima hebdomada, in qua notitiam habuit Iubilæi cętera opera præscripta Iubilæum acquirit si faciat sibi commutari. Ieiunium prætermissum à Confessario electo ob assequendum Iubilæum.

An approbatus ab vno Episcopo in vna Diœcesi ad audiendas confessiones sit vbique locorum approbatus?

BRACTEA XVII.

R. Approbatum ab vno Ordinario non esse vbique locorum approbatum, sed solū Diœcesi illius Ordinarij, à quo fuit approbatus. Ratio est, quia nullus Episcopus habet iurisdictionem in alieno territorio, ita vt in alieno possit constituere Confessarios, nec ipsos approbandi pro alteris ouibus, cum quilibet Ordinarius habeat hoc ius separatum determinandi Confessarios pro suis Ouibus, cum ad ipsos spectet cura suarum Ouium, & iudicare idoneitatem Confessariorum, quos constituere volunt ad confitendam. Tum quia si est definitum à Sacra Congregatione Cardinalium, quæ sic habet *Congregatio Concilij respondet, approbatum ab aliquo, quam à Valentino Episcopo in Diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab Ordinario,* & colligitur ex verbis Concilij Tridentini *sess.23.cap.15.* vbi dicitur *Approbatus ab Episcopis, & non ab Episcopo,* & ita Suarez *tom.4. disp.28 sect.6. & 7.* Sotus *in 4. dist.18.quæst.4.art.3.* Megala *part.1.institut. Confessarior. lib.1. cap 15. num.2.* Coninchus *disput. 8. num. 52.* & alij.

Sciendum tempore Iubilęi Confessarium esse eligendum approbatum ab Ordinario illius Dięcesis, in qua quis vult cōfiteri, nō autem approbatū ab Ordinario alterius Dięcesis. Ratio, quia Episcopo loci, in quo quis vult lucrari Iubilæum, cōmissa est cura animarū commorantium in eius Episcopatu, & ille solus potest approbare Confessarios, qui volunt audire confessionem in suo territorio.

Sciendum 2. iuxtà quorumdam sententiam Confessarium approbatum solummodo pro vna Parochia, non posse eligi tempore Iubilæi in Confessarium ab ijs, qui non sunt ex illa Parochia. Ratio est, quia non est simpliciter approbatus, nisi pro animabus illius Parochię. Ita Nugnus *in addit. ad 3 part. quæst.8. art.5. dub.9.* Similiter Confessarius solummodo approbatus cum limitatione, v. g. ad confitendos masculos non posse eligi tēpore Iubilęi in Confessarium à mu-

à mulieribus. Ratio est, quia ille Confessarius non censetur simpliciter approbatus ab Ordinario, sed approbatus cum limitatione. Ita Suarez *tom.4.disp.17.sess.7.num.3.* Rodriquez *par.1. cap. 60.* licet alij teneant opinionem contrariam, quam non modo probabilem, sed probabiliorem existimo, cum Confessarius approbatus cum limitatione verè sit approbatus, licet non habeat iurisdictionem, quoad omnes ob limitationem. Ita Henriquez *lib.6.de pœnit. cap.6.num.8. & lib.7.cap.12.* Coninchus *disp.8.dub.7. n.57.* Sanchez *de matrim. lib.8. disp.34. n.6.* & alij.

Sciendum 3. non omnes Confessarios approbatos ab Ordinario posse eligi à Monialibus vigore Iubilęi in Confessarium. Ratio est, quia respectu Monialiũ ille Confessarius nõ est approbatus, & illi prohibitus est accessus ad ipsas. Tum quia nunquam Romanus Pontifex intendit dare iurisdictionem illi Sacerdoti, qui habet aliquod impedimentum. Tum etiam, quia est definitum à Sacra Congregatione Cardinalium his verbis Declaratio Concilij censuit, quatenus gratia in Bulla cruciatę pertinet ad Moniales non posse vigore facultatis in eadem Bulla concessę alios Confessarios pręter eos, qui ad audiendas ipsarum Monialium confessiones ab Ordinario approbati fuerint eligere, quam declarationem refert videsse Emanuel *in Bulla §.9.num.22.* & Fernandez *3. part.cap.9.§.8.* & ita sentiunt Suarez *tom.4.disp.28.sect.7.num.3.& 19.* Rodriquez *part.1.summe, cap.60. num.4.* Reginald. *lib.1.*

An possit eligi in Confessarium Iubilæi, qui fuit approbatus ab Episcopo sciente, illum non esse idoneum?

BRACTEA XVIII.

R. Non posse. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess.23. cap.25.* petit vt Confessarius per examen iudicetur idoneus; hic autem verè non iudicatur idoneus, cum Episcopus interius iudicet non esse idoneum. Ita Suarez *tom.4. dist.28. sect.5. num.7.* Reginald. *lib.1. num.197.*

R. 2. posse tempore Iubilęi ad audiendas confessiones eligi, qui fuit approbatus ab Episcopo, vt idoneus, sed reuera non erat idoneus. Ratio est, quia Concilium requirit talem approbationem, qua Sacerdos iudicetur idoneus, hic autem iudicatur idoneus, cum Episcopus bona fide credat ipsum esse idoneum, quamuis re ipsa non sit talis. Ita Suarez *disp.28.sess.5.num.7.* Reginald. *lib.1.num.197.*

R. 3. non posse eligi in Confessarium tempore Iubilęi, qui ex malitia Episcopi non fuit ad confessiones admissus, qui ad illas erat idoneus Et ratio est, quia Concilium Tridentinum absolutè decernit, neminem posse confessiones audire, nisi sit ab Ordinario approbatus.

R. 4. posse Episcopum attenta ignorantia alicuius Confessarij ipsum prohibere, ne tempore Iubilæi confessiones audiat, attenta eius manifesta ignorantia. Et ita Nauarrus *Concilio 29. de sententia excommunicationis lib.5.* & Grassius *par. 1. decis.lib.4.cap.15.num.8.*

An approbatus à Superiore regularium ad audiendas confessiones regularium, possit ab ipsis regularibus eligi ad effectum consequendi Iubilæum?

BRACTEA XIX.

R. Posse eligi. Ratio est, quia iste regularis censetur approbatus à proprio Ordinario, & Iubilæum solum requirit approbationem Ordinarij, vt patet ex Concilio Tridentino *sess.23.cap.5. de Reformatione*.

Sciendum tamen, quod licet iste Confessarius approbatus à suo Superiore possit à regularibus eiusdem Religionis eligi in Confessarium ad effectum consequendi Iubilæum, non tamen posse eligi à Sæcularibus virtute Iubilęi. Et ratio est, quia hic non censetur approbatus ab Ordinario ipsorum. Et ita refert decisum in Sacra Pœnitentiaria Filliucius *tom.1. tract.8. cap.10.num.275.*

An Regulares possint virtute Iubilæi quemlibet Confessarium approbatum eligere à Superiore alicuius Religionis?

BRACTEA XX.

Affirmativam sententiam tuentur Grassius *lib.2. appendic. cap.5.num.18.* Homobonus *de casibus reseruatis part.1.cap.5.* Sanctarellus *de Iubilæo cap.7.dub.1.* Bonacina *disput.5. de Sacramentis pun. 4.§.1.num.25.* Ratio est, quia illa verba, quæ in Bulla Iubilæi exprimuntur, quod possit eligere Confessarium approbatum ab Ordinario non apponuntur priuatiuè, sed accummulatiuè, & ampliatiuè in fauorem ipsius Pęnitẽtis, & Pręlatus Religiosorum appellatur Ordinarius respectu ipsorum Religiosorum excepta causa Ordinis, vt Episcopus appellatur Ordinarius respectu Laicorum, aut Clericorum sæcularium sibi subditorum; ergo Religiosi possunt eligere Confessarium approbatum, tantummodo à suo superiore. His non obstantibus.

R. Non posse regulares eligere Confessarium tantum approbatum à Superiore Religionis, sed debere esse approbatum ab Ordinario loci, siuè ab Episcopo. Ratio desumitur ex Bulla (Ab Ordinarijs Locorum) quorum appellatione veniunt tantum Episcopi. Et ita Reginaldus *lib.1.num.186.* & alij plures.

An excommunicati, suspensi, & interdicti possint tempore Iubilæi eligi ad audiendas Confessiones?

BRACTEA XXI.

R. Posse nisi sint per sententiam Iudicis nominati, denunciati, vel publici percussores Clericorum. Et ita Homobonus *de casibus reseruatis par.1.cap.5.* Fernandes *par.3.cap.9.§.8.nu.11.* & alij.

An

An Confessarius virtute Iubilæi possit absoluere pænitentem à casibus reseruatis Episcopo.

BRACTEA XXII.

R. Affirmative. Et ratio est, quia in Iubilæo expressè confertur facultas absoluendi à casibus Papæ reseruatis; à fortiori censetur tacitè etiam concessa facultas absoluendi à casibus Episcopo reseruatis absque eius licentia. Et ita Nauarr. *in Manuali cap.7.num.261.* Reginaldus *tom.2.lib.8.num.55.* Henriquez *lib.3. de Pœnit.cap.14.num.9.* Vgolinus *de Censuris cap.10.§.4.* Graffius *lib.4.decis.cap.15.num.8.* & alij.

Sciendum non modo Confessarium tempore Iubilæi posse absoluere à peccatis reseruatis Episcopo, sed etiam à censuris eidem reseruatis. Et ita auctores suprà citati, licet Bonacina *disput.1.de Censuris quæst.3.pun.1. num.10.* & alij teneant opinionem contrariam. Et ratio illorũ est, quia dum Pontifex condit aliquam legem, non intendit derogare statutis, & consuetudinibus particularibus locorum *cap.1.de constitut.in 6.* Tum quia Clemens Octauus in Bulla, quæ incipit Sacra Congregatio decreuit, nec vllus prætextu cuiuscunque priuilegij absoluat à casibus reseruatis Episcopo, & licet hæc opinio videatur probabilis tamen nostra cẽsetur probabilior; tum auctoritate rationis, tum auctoritate Doctorum, qui eam sequuntur.

An Confessarius virtute Iubilæi possit absoluere à Censuris latis ab homine generaliter?

BRACTEA XXIII.

R. Affirmative. Et ita habetur expressè in Iubilæo Vrbani Octaui, ibi à Iure, vel ab homine. Et ita Homobonus *tract.5. sui examinis quæst.38.* & alij plures.

Sciendum quod licet virtute Iubilæi possit Confessarius absoluere à censuris latis ab homine generaliter, non posse tamen in foro interiori absoluere à censuris latis ab homine nominatim. Et ratio est, quia Rom. Pontifex non intendit per Iubilęũ aliquẽ lędere, nec facere, vt absolutio cedat in contẽptũ Iudicis excõmunicãtis. Et ita ex Cõcili. Trident. *sess.25. de reformatione cap.12.* vbi decernitur, ne absoluatur excommunicatus nominatus pro furto Decimarum, &c. nisi prius partem satisfaciat; quod colligitur etiam ex Iubilæo Pij Quinti à se concesso *Anno 1568.* & ita tenet Graffius *lib.2.cap.5. num.29.* & Duardus *lib.3.Bullæ Cenæ §.2.quæst.1.n.46.* qui addit quod si offensa sit dubia, debet etiam prestari satisfactio cõpetens arbitrio boni viri.

Sciendum quod si pęnitens non habeat vnde satisfaciat, tunc potest absolui vigore Iubilæi etiamsi offensa sit manifesta. Et ratio est, quia verba Iubilæi benignè sunt explicanda, cum non sit credibile, Summum Pontificem velle obligare pęnitentem ad impossibile, cum impossibilium nulla sit obligatio. Et ita Nauarr. *in Manuali cap.28.num.45.* Reginaldus *lib.9.num.63.* Bonacina *disput.1.de Censuris quæst.3.pun.9.* & alij.

Sciendum, quod Confessarius, qui habet priuilegium limitatum sub conditione satisfactę partis non potest validè absoluere pęnitentem, qui nondum satisfecit: Et ratio est, quia iurisdictio limitata non excedit suos terminos. Suarez *disput.7.sect.5.num.44.* & alij. Si verò non habeat priuilegium limitatum sub conditione, sed absolutè habeat priuilegium absoluendi absque limitatione validè absoluit etiamsi nõ imponat obligationem satisfaciẽdi parti lęsę. Ratio est, quia priuilegium accipiendum est prout verba sonant, & significant, sed verba significant auctoritatem absoluendi absque limitatione satisfactæ partis, quamuis mortaliter peccet absoluendo ante exhibitam satisfactionem. Ita Nauarrus *cap. 27 num. 37.* Suarez *disput.7. sect.5. num. 42.* Emanuel Sà *verbo absolutio ab excommunicat.num.4.* & alij.

An in Iubilæo, in quo datur facultas absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis intelligantur concessi casus Bullæ Cœnæ Domini?

BRACTEA XXIV.

R. Negative. Ratio est; quia in generali concessione non veniunt ea quæ non esset quis verisimiliter concessurus, si specialiter peterentur. *cap.in generali de regulis iuris in 6.* Si autem peteretur facultas absoluendi à casibus in Bulla Cęnæ reseruatis non concederetur; tum etiam quia casus in Bullæ Cęnæ specialiter reseruantur consequenter indigent speciali expressione in concessione facultatis absoluendi; Tum quia ita vsu receptum videtur. Et ita Suarez *disput.21.sect.3.num. 3.* Vgolinus *cap. 10. §.4.num.8.* & alij.

An quando in Iubilæo conceditur facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ intelligatur concessum crimen hæresis exterioris?

BRACTEA XXV.

R. Primo, quod si Hæreticus esset manifestus, vel relapsus, hic casus non intelligitur compræhensus in generali concessione casuum Bullæ Cœnæ, sed eius cognitionem, & absolutionem spectare ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, qui sunt particulares Iudices deputati in hoc crimine.

R. 2. Quod licet hæreticus sit occultus, & emendatus, hæresis illius, signis, vel scriptis expressa sub huiusmodi clausulis generalibus nõ comprehenditur, nisi in Bulla criminis illius expressa fiat mentio. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, si specialiter peterentur; at hæresis absolutio adeò reseruata est, vt verisimiliter eam Pontifex non concessisset; tum etiam, quia ita fuit declaratum à Gregorio Decimo-tertio, & à Pio Quinto, & extat motus proprius Gregorij Decimi-tertij; tum quia Sixtus Quintus in anno 1589. & Clemens Octauus anno 1597. post concessionem casuum Bullæ Cęnæ concesserunt in specie crimen hæresis; ergo signum est, quod in generali concessione casuum Cęnæ non venit crimen hæresis, licet plures Doctores, quorum opinio videtur

etiam

etiam probabilis teneant, quod in generali cõcessione casuum Cenę comprehendatur casus hæresis exterioris, & ratio illorum est, quia qui totum dicit nihil excludit, vnde cum Summus Pontifex in Iubilæo concedat facultatem absoluendi ab omnibus casibus, etiam in cœna Domini sibi reseruatis hæresim includit, cũ omnes nominet, ergo, &c.

An Confessarius, qui vigore Iubilæi potest absoluere ab omnibus casibus, & censuris Apostolicæ Sedi reseruatis, possit etiam in irregularitate dispensare?

BRACTEA XXVI.

R. Negative. Ratio est, quia irregularitas non est censura, sed Ecclesiasticum impedimentum, vt colligitur *ex cap. Quærenti de verborum significatione*, & ita tenent Molina *tom. 4. de iustitia disp. 8. num. 6.* Nauarrus *in manuali cap. 27. nu. 194.* Couar. *cap. Alma Mater 1. part. § 6. num. 6.* Sayrus *lib. 1. de censuris cap. 1. num. 18.* Auilla *de censuris part. 7. disput. 10. dub. 4.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 6.*

Contrariam sententiam sequuntur Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1.* Salon. *2. 2. quæst. 64. art. 4. contr. 4.* Corduba *lib. 5. de Indulgentijs cap. 43. dub. 4.* qui existimant virtute Iubilæi, vel priuilegij posse dispensari in irregularitate quæ oritur ex delicto, non autem in irregularitate, quę oritur citrà culpam, & peccatum, vel ob bigamiam, vel homicidium iniustum. Ratio illorum est, quia irregularitas, quæ nascitur ex delicto, est vera Ecclesiæ censura, sed quia hoc fundamentum probabile non videtur: idcircò, &c.

An quando Romanus Pontifex in Iubilæis concedit facultatem dispensandi in omni irregularitate, censeatur dare facultatem dispensandi in irregularitate contracta ob homicidium iniustum?

BRACTEA XXVII.

R. Negative. Et ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ Pontifex sibi soli specialiter solet reseruare, & hæc irregularitas semper Papæ reseruatur, vt docet Viualdus in suo candelabro aureo tract. de irregularitate non obstante clausula prædicta generali.

Sciendum quod licet in concessione Iubilæi dicatur Confessarius posse absoluere à pęnis Ecclesiasticis, id non esse intelligendum de irregularitate, sed de illis pęnis, quę pęnitentem impediunt à consecutione Iubilæi, cuiusmodi sunt pęnæ taxatæ per Canones pęnitentiales, vt intrà aliquod tempus arceatur pęnitens à communione, vt in Canone Præsbiter, aliæ autem pęnæ præsertim pecuniariæ nunquam veniunt in tali concessione.

An virtute Iubilæi possit Confessarius absoluere à censuris, & peccatis commissis post publicationem?

BRACTEA XXVIII.

R. Affirmative. Ratio est, quia Iubilęum conceditur pro censuris, & peccatis cõmissis, & committendis, vsque ad illud instans vltimi operis præscripti, quo tale Iubilæum lucratur; tum etiam, quia verba Bullæ sunt generalia, & non limitata ad peccantes de pręterito; ergo etiam se extendunt ad peccantes de futuro, quia quando lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, & ita Nauarrus *de Iubilæo notabili 34. num. 4.* Reginaldus *lib. 8. num. 34.* Molphesius *tract. 11. cap. 15. num. 204.* Coriolanus *de casibus part. 1. sect. 3. art. 4.* Corduba *lib. 5. quæst. 27.* & alij.

Sciendum, quod quando in Bulla non excipiuntur peccantes intuitu Iubilęi; peccantes intuitu ipsius posse absolui. Et ratio est, quia qui peccat sub certa spe venię non grauius peccat, quam qui pecca nulla spe venię; immò minus. Tum etiam, quia priuilegium latè est interpretandum, quando non vergit in prejudicium tertij, quale est Iubilęum. Et ita Nauar. *loco citato notab. 34. num. 6.* Bellarminus *lib. 1. de Indulgentijs cap. 10.* Henriquez *lib. 3. cap. 16.* Filliucius *tract. 8. num. 262.* & alij plures.

An vigore Iubilæi possit Confessarius absoluere à censuris, & vota commutare extrà Sacramentum Pœnitentiæ?

BRACTEA XXIX.

R. Posse absoluere à censuris, & vota commutare extrà Sacramentum Pœnitentię, nisi aliter decernatur in Bulla Iubilęi. Et ratio est, quia non sunt materia Sacramenti Pęnitentię, tum quia in Iubilęo dicitur talis facultas concedi in foro conscientię tantum, quę verba significant posse Confessarium absoluere, vel vota commutare extrà Sacramentum Pęnitentię. Et ita Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. 6.* Sotus *lib. 7. de instit. quæst. 4. art. 3.* Lasarius *de monitorijs sect. 4. quæst. 15. num. 8.* Garzias *de beneficijs part. 1. cap. 5. n. 52.* Sanchez *lib. 4. summæ cap. 54. num. 16.* & alij.

Sciendum absolutionem à censuris in foro conscientię tempore Iubilęi non valere pro foro externo, sed tantum pro foro interno, & conscientię. Et ratio est, quia hęc facultas confertur in Iubilęo ad spiritualem salutem animarum, non autem pro re temporali. Ita Couar. *cap. Alma 1. part. § 11. num. 16.* Homobonus *tract. 5. sui examinis quæst. 38.* Grassius *parte 2. lib. 4. decis. cap. 15. num. 10.* & alij.

An vt aliquis possit absolui à censuris, &c. teneatur prius onera in Iubilæo præscripta adimplere?

BRACTEA XXX.

R. Negative, sed posse prius frui, dictis priuilegijs, & posteà opera in eo pręscripta

pra præstare. Tum quia hęc Bulla est fauorabilis, & ideò debet fauorabiliter interpretari; tum quia non pręcipitur in Bulla, vt quis primum opera pręscripta adimpleat, & ideò potest vnusquisque in principio hebdomadę confiteri, & à reseruatis absolui, animo tamen Iubilęum acquirendi, quia Pontifex hoc priuilegium largitur in ordine ad assequendum Iubilęum. Ita Suarez *tom. 2. de Religione tract. de voto lib. 6. cap. 16. num. 6.* Pinellus *de Indulgentijs cap. 18.*

Sciendum eum non lucrari iubilęum, qui opera pręscripta non adimplet, etiamsi id fiat per impotentiam, vel aliud iustum impedimentum. Ratio est, quia Indulgentia solum operat iuxtà voluntatem concedentis declaratam in Bulla, sed forma Bullę est conditionata, vt adimpleantur opera pręscripta in ea, ergo, &c. Ita D. Thomas *in addit. ad 3. part. quæst. 27. art. 3.* Nauarrus *notab. 19. num. 1.* Henriquez *lib. 7. cap. 10. nu. 1.* Corduba *lib. 5.*

Sciendum 2. Similiter eum non lucrari Iubilęum, nec aliquam partem ipsius, qui facit solum aliquam partem operis pręscripti. Ratio est, quia Summus Pontifex non concedit partem Iubilęi pro parte operis præscripti, sed ad lucrandum Iubilęum totum opus requirit; ergo qui totum opus non implet nullam lucratur Iubilęi partem. Ita Nauar. *notab. 19. num. 4.* Coninchus *de Sacram. disput. 12. num. 38.* Suarez *disp. 52. sect. 5. num. 3.* & alij. Qui verò leuem partem operis pręscripti pretermittit ipsum lucratur dummodo pars illa sit validè leuis. Et ratio est, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur.

An qui in principio Iubilæi fecit se absoluere, & vota commutare, cum intentione, & animo adimplendi opera præscripta, & posteà mutata voluntate omnia non adimplet, an iste talis re incidat in casus, & censuras, &c.

BRACTEA XXXI.

SCIENDUM indubitatum esse non remanere absolutum si fraudulenter sine animo exequendi opera iniuncta confiteretur. Et ratio est, quia confessio non esset integra ratione fraudis appositæ, nec lucrari Indulgentiam, cum non faciat opera pręscripta in Bulla, quo posito.

R. 1. Eũ qui bona fide accessit cum intentione faciendi opera pręscripta, etiãsi ipsa nõ faciat absolutionẽ valere, quoad peccata, quoad cẽsuras nõ valere, sed reincidere in easdẽ cẽsuras. Ratio est, quia priuilegia, quę concomitantur Iubilęum acquiruntur, quando fit vltimum opus pręscriptum, cum autem bona fide accedens ad confessionem, cum intentione faciendi omnia opera pręscripta, si posteà ipsa non faciat à peccatis reseruatis remanet quidem absolutus; non autem quoad cętera priuilegia, quę concomitantur Iubilęum. Ita Viualdus *in Candelabro 3. part. de voto cap. 14. num. 59.* Quod verò remaneat absolutus à peccatis reseruatis patet, quia huic absolutio data fuit, & non potuit esse, pendens à futuro euentu; ergo statim fuit valida, & habuit suum effectum.

An si tempore Iubilæi quis absoluatur à casibus reseruatis, & antequam compleat reliqua opera præscripta obliuiscitur alicuius casus, an hic talis possit à quocunque Confessario absolui, etiamsi posteà recusauerit facere cætera opera præscripta?

BRACTEA XXXII.

R. POSSE absolui. Ratio est, quia per confessionem factam tempore Iubilęi peccata remanserunt non reseruata; ergo poterunt à quolibet Confessario approbato absolui, antecedens patet, quia legitimè fuit confessus peccata reseruata Confessario, qui habebat facultatem, & intentionem absoluendi ab ipsis. Ita Sanchez *lib. 4. summæ cap. 57. num. 45.*

Sciendum, quod qui confessus est tempore Iubilęi, & fecit opera pręscripta in ipso, completo tempore potest absolui à casibus, & censuris reseruatis oblitis. Ratio est, quia cum hic fuerit legitimè confessus, Confessarius absoluens ab omnibus peccatis; tum directè confessis, tum indirectè ex obliuione omissis virtute Iubilæi intendit quamcumq; reseruationem remouere, ergo illam aufert, & consequenter expleto Iubilæo poterit à quouis Confessario approbato absolui. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 55 num. 25.* Nauarrus *cap. Consideret §. Cautus nu. 30.* Filliucius *tract. 8. num. 280.* Bonacina *de Sacram. disp. 5. quæst. 7. pun. 5. nu. 16.* Henriquez *lib. 7. cap. 11. n. 4.* & alij.

An vota oblita transacto Iubilæo commutari possint?

BRACTEA XXXIII.

NEGATIVAM sententiam tuetur Suarez *tom. 2. de Religione tract. de voto lib. 6. cap. 16. num. 14. & 15.* Rodriquez *part. 1. summæ cap. 184. num. 18.* Graffius *lib. 4. decis. cap. 15. num. 3.* & ratio illorum est, quia pęnitens ideò potest expleto Iubilæo à quolibet Confessario approbato absolui à censuris, & casibus reseruatis oblitis tempore Iubilæi, quia obtinuit generalem absolutionem à peccatis, in qua non includitur commutatio votorum; ergo transacto tempore Iubilęi Confessarius non potest amplius commutare vota. Sed.

R. Posse commutare vota, quando Pęnitens tempore Iubilæi petit commutationem ipsorum, si fortè aliqua habeat, quorum obliuiscitur; si verò eorum non petit commutationem, nullo modo posse Confessarium transacto tempore Iubilæi ea commutare. Ratio primæ partis est, quia petendo commutationem votorum oblitorum censetur velle gaudere priuilegio Iubilæi circà commutationem ipsorum. Ratio secundæ partis est, quia non petendo generaliter commutationem votorum oblitorum est signum, quod transacto tempore Iubilæi nolit gaudere priuilegio ipsius.

An qui in priori hebdomada Iubilæi fuit à casibus, & censuris reseruatis absolutus, si denuò in ipsa incidat possit in secunda hebdomada absolui?

BRACTEA XXXIV.

R. In secunda hebdomada non posse absolui à peccatis, & censuris reseruatis in quas denuò lapsus fuit. Ratio est, quia Iubilæũ semel tantũ in vna, vel altera hebdomada acquiri potest, ac subinde semel etiam à votis, peccatis, & censuris reseruatis absolui; ergo qui Iubilæum obtinuit, non potest iterũ virtute Iubilęi à casibus reseruatis absolui in secunda hebdomada supponẽdo, quod in prima Iubilęũ acquisierit. Si verò ante transactã hebdomadã primam absolutus fuit à casibus, & censuris reseruatis potest iterum eadem hebdomada virtute Iubilæi ab illis absolui si intra eandem hebdomadam reincidat ante expleta opera in Iubilæo præscripta, si verò reincidat in casus reseruatos postquam omnia opera in Iubilęo pręscripta sunt expleta non posse amplius absolui. Ratio est, quia Romanus Pontifex tempore Iubilæi Confessarijs facultatem largitur absoluendi à peccatis, & censuris reseruatis, & vota commutandi, vt fideles Iubilæum assequantur; ergo illo percepto priuilegium cessat; ergo non potest amplius eo vti.

Sciendum, quod qui tempore Iubilæi confessus est, & à votis, peccatis, & censuris reseruatis absolutus, & de licentia Confessarij confessionem distulit in secundam hebdomadam si prius quàm Sacram communionem sumat, denuò in peccata reseruata reincidat, & vota Sedi Apostolicæ reseruata emittat, posset iterum absolui. Ratio est, quia cum nondum hic Iubilęum consequutus sit, potest eo frui, cum adhuc Iubilęi tempus persistat.

An qui post adimpleta opera Iubilæi die Sabbabati accessit ad confessionem, sed ob angustiam temporis ipsam perficere non potuit, si posteà transacto Iubilæo ipsam perficiat, possit à casibus reseruatis, & censuris, &c. absolui?

BRACTEA XXXV.

R. Posse absolui à casibus reseruatis, censuris, & votis post transactum Iubilęum. Ratio est, quia iurisdictio semel cepta non expirat quoadusq; finiatur; at hæc confessio erat iam cępta tempore, quo poterat illam exercere; ergo, & terminare debet. Ita Graffius *lib. 2. Appendic. cap. 5. num. 21.* Molphesius *tract. 7. cap. 16. num. 44.* Fioronus *de casibus par. 1. cap. 6. §. 5. num. 1.* Rodriquez *1. part. cap. 184. num. 12.*

Sciendum non modo posse absolui à reseruatis commissis ante elapsum Iubilæum, sed etiam post Iubilæum commissis, & commutari posse vota deinde emissa. Ratio est, quia per hanc dilationem intendit Pontifex inducere pęnitentes ad lucrandum Iubilæum, sed qui de consensu Confessarij confessionem distulit, & posteà in casus, & censuras reseruatas incidit, Iubilæum non potest lucrari, quin prius ab illis absoluatur; ergo donec Iubilæum consequatur Confessarius electus habet potestatem illum à casibus, & censuris reseruatis absoluendi, ac si nondum Iubilæi tempus esset elapsum.

An qui sua culpa in Patria non est lucratus Iubilæum elapsis duabus hebdomadis, possit proficisci in eum locum vbi est Iubilæum?

BRACTEA XXXVI.

R. Posse. Et ratio est, quia Romanus Pontifex non concedit Iubilæum loco, sed omnibus Christifidelibus; ergo liberum est eis vbi voluit illud acquirere, dummodo ibi Iubilæum adhuc duret. Ita Bonacina *disp. 7. de Sacramentis pun. 5. §. 5. num. 5.* Hugolinus *de potestate Episcopi cap. 4. §. 4. num. 5.* & alij.

An virtute Iubilæi possint vota commutari?

BRACTEA XXXVII.

R. Posse quando de commutatione instatur à pęnitẽte. Ratio est, quia in hoc casu Confessarius est Iudex in fauorem pęnitentis petentis ius, quod habet ex Iubilæo, modò tamen talis commutatio non vergat in relaxationem pęnitentis. Ita Homobonus *tract. 5. sui examinis quęst. 40.*

Sciendum commutare votum nihil aliud esse, quam materiam rei alicuius promissam Deo in aliam rem mutare, v. g. cum commutat peregrinationem in ieiunium, vel orationem, &c.

Sciendum 2. Vota Romano Pontifici reseruata esse solum quinque, nempè votum perpetuæ Castitatis, Religionis, Peregrinationis in Hyerusalem, quod etiam dicitur Vltramarinum, peregrinationis ad limina Apostolorum Petri, & Pauli Romę, & ad Sanctum Iacobum in Compostella, vt constat ex constitutione Sixti Quarti, quæ incipit, Decet Romanum Pontificem. Et ita tradit Nauarrus *in Manuali in cap. 12. num. 79.* Azorius *lib. 11. cap. 18. quęst. 4.* Sotus *lib. 3. de iustitia quæst. 4. art. 3.* & alij communiter.

Sciendum 2. Vota in pręiudicium tertij non posse commutari, nisi de ipsius voluntate, vt votum de maritandis puellis, & votum quod fuit acceptatum. Ita Suarez *lib. 6. cap. 15. n. 3. & 7.*

R. 2. Confessarium virtute Iubilæi non posse commutare votum Castitatis, & Religionis; vota autem eundi Romam, aut Compostellã, &c. posse commutare. Ratio est, quia quando textus non excipit, nec nos excipere debemus.

Sciendum 3. Vota per Iubilæum ipso facto non commutari, sed solum Confessarijs dari facultatem commutandi, & ideo requiritur, vt actu positiuo Confessarius virtute Iubilæi talia vota commutet; & si non commutabit retinebunt pristinam obligationem, quamuis vouens acceperit Iubilæum animo ea commutandi. Ita Nauarr. *cap. 12. num. 79.* Sayrus *lib. 6. cap. 11. nu. 115.* Sanchez *lib. 4. summæ cap. 54. num. 10.* Arragonius *secunda secundæ quæst. 88. art. 12.* Suarez *tom. 2. de Religione tract. 2. de voto lib. 6. cap. 16. num. 12.*

R. 3. Com-

R. 3. Commutationem voti sine consensu penitentis acceptantis non valere. Et ratio est, quia per talem commutationem emittitur votum circa materiam subrogatam, & votum cum sit actio personalis emitti non potest absque vouentis consensu.

An qui habet facultatem commutandi vota, possint etiam in ipsis dispensare?

BRACTEA XXXVIII.

R. Primo, qui auctoritate propria, & ordinaria potest commutare vota, potest etiam ea dispensare; qui verò facultate delegata potest vota commutare, nō potest dispē̄sare. Et ratio est, quia cui conceditur minus, non ideò conceditur maius: vnde cum in Iubilæo solum concedatur Cōfessario electo facultas commutandi vota virtute illius priuilegij vota solum posse commutare, non autem ea dispensare. Et ita Nauarr. *cap.12.num.*71. Clauisregia *lib.6.cap.*18. Lessius *lib.2.cap.40.dub.11.n.*94. Corduba *lib.5.quest.*37.

R. 2. Quis facultatem habent dispensandi in votis habere etiam facultatem commutandi. Ratio desumitur ex regulis iuris in 6. quia cui committitur quod est plus, committitur etiam quod est minus, quando minus continetur in maiori tanquam pars in toto, vel species in suo genere.

An commutatio debet fieri in æquale bonum?

BRACTEA XXXIX.

R. Qui habent priuilegium dispensandi in votis possunt sine scrupulo commutare in longè minus bonum partim dispēdo, & partim commutando.

R. 2. Qui virtute Iubilæi habet facultatem commutandi vota regulariter commutationē in rem æquiualentem fieri debere non Physicè, sed moralitèr. Ratio est, quia priuilegium nō est extendendum vltrà verborum proprietatē: posita autem iusta, & rationabili causa præsūpta, & apparenti potest commutari votum in id quod est mitius, & minus bonum, alioquin priuilegium nihil operaretur, cum absque eo possint vota in melius, & in æquè bonum auctoritate Prælati commutari. Et ita Arragonius *secunda secundæ quest.88.art.*12. Lessius *lib. 2. cap. 40. dub.16 nu.*109 Reginaldus *2. parte summæ cap. 102. num.*4. Henriquez *lib.7.cap.30.num.*5.

An tempore Iubilæi possint commutari vota non solum facta ante Iubilæum, verùm etiam quæ post illud emissa sunt?

BRACTEA XXXX.

R. Primo posse quemquam virtute Iubilæi absolui non solum à peccatis, & censuris commissis ante publicationem ipsius, verū etiam post illud publicatum. Quod etiam dicendum est de commutatione votorum. Et ratio est, quia eodem tenore, & modò in Iubilæo conceditur facultas absoluendi, & commutandi; ergo par debet esse vtriusque intelligentia; quia coniunctorum eadem est dispositio; tum etiam, quia quando in priuilegio verba non sunt limitata, nec ea nos debemus limitare ad casus præteritos, & non ad futuros; sed in Iubilæo verba, quibus datur facultas cōmutandi non sunt limitata, sed generalia; ergo, &c. Et ita Azorius *tom.1.lib.11.cap.18.quest.*9. Sanctarellus *cap.8. de Iubileo dub.* 9. Sanchez *lib. 4. summæ cap.53. num.* 26. Corduba *in summa quest.* 149. & alij.

An Confessarius sicut potest commutare vota virtute Iubilæi, ita etiam possit relaxare iuramenta facta circà materiam votorum?

BRACTEA XXXXI.

R. Certum, & indubitatum esse iuramenta, quæ fiunt homini solum posse ab eodem remitti, cui facta sunt.

R. 2. Qui ordinaria auctoritate potest vota commutare, vel dispensare potest quoque iuramenta circà eandem materiam facta commutare, vel dispensare, vt constat de Episcopo, cui verò per Iubilæum delegatur facultas commutandi vota non potest vi illius priuilegij iuramenta relaxare. Et ratio est, quia à diuersis non fit illatio, & in Bulla datur solum potestas commutandi vota, non autem relaxandi iuramenta; tum quia facultas delegata non est extendenda vltrà verborum proprietatem, sed iuxtà verborum proprietatem aliud est votū, aliud iuramentum; ergo facultas in ordine vota nō extenditur ad iuramētæ. Et ita Nauarrus *in Manuali cap.27. nu.*275. Lessius *lib.2.cap.42.dub.*102.*nu.*60.*&* 62. Azorius *tom. 1. lib. 11.cap.10.quest.*2.

An virtute Iubilæi Confessarius electus possit commutare votum factum in vtilitatem loci, aut tertiæ personæ?

BRACTEA XXXXII.

R. Aut illud votum factum in fauorem loci, vel tertiæ personæ fuit acceptatum, vel non: si primum, non potest amplius commutari, nisi de consensu illius, in cuius fauorē fuit factū. Ratio est, quia per acceptationē fuit acquisitum ius loci, vel tertiæ personæ: si secundum potest commutari. Ratio est, quia tertius nondum acquisiuit ius, & Confessarius nulli facit iniuriam commutando illud votum etiam absque consensu illius, in cuius commodum fuit emissum. Et ita Clauisregia *lib.2.cap. 11.num.*121. Azorius *1 pa. lib.11. cap.*19. Reginaldus *lib.18.num.*355. Megala *concilio 25.num.*7.

An virtute Iubilæi possit commutari pœna pecuniaria debita ex fractione voti pœnalis?

BRACTEA XXXXIII.

Negativam sententiam tuetur Azorius *tom. 1.lib.11.cap.18.quest.11.& cap.19 quest.*23. Nauarrus

rus *lib.3.Consiliorum titulo de Voto concil.33. & 35.* Sayrus *lib.7.cap.12.num.2.* & alij. Et ratio est, quia illud est pęna, & aliud votum, & ideò potestas concessa ad commutandum votum non censetur extendenda ad pęnam mutandam; sed

R. Posse Confessarium virtute Iubilæi non solum commutare votum, sed pęnam contractam ex violatione eiusdem. Ratio est, quia qui potest dispensare in principali, potest etiã dispensare, vel commutare in accessorio; ergo Confessarius qui virtute Iubilæi potest commutare votum pęnale, potest etiam commutare pęnam contractam ex violatione eiusdem voti. Et ita Suarez *tom.2.de Religione tractat.de voto lib.6.cap.19.* Sanctarellus *cap.11.de Iubilæo dub.3.* Lessius *lib.2.cap.40.dub.16.* Sanchez *lib.8.de matrim.disp.15.nu.14 & lib.4.operum moralium cap.52. nu.10.* & alij.

An Confessarius possit commutare virtute Iubilæi vota pœnitentis, quorum numerus est oblitus?

BRACTEA XXXXIV.

R. Affirmatiue. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad commutãda talia vota, nimirùm iusta causa, vt supponitur, & iurisdictio in commutante, vel disponente; tum etiam à simili, quia sicuti regularitates oblitæ, & censuræ possunt per dispensationem, vel absolutionem generalem auferri; ergo etiam auferri possunt vota; vnde si pœnitens commutatione peracta, & Iubilæi tempore expleto recordatur alicuius voti alia commutatione nõ indigebit. Ita Homobonus *de casibus reseruatis parte prima cap.4.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 15. num.15. & lib.4.operis moralis cap.54.num.35.*

Sciendum eum, qui tempore Iubilęi memor sui voti reseruati noluit petere commutationem, quia volebat illud implere posse transacto Iubilæo commutationem petere, & Confessarium commutare. Ratio est, quia cum hic opera præscripta ad Iubilæum lucrandum adimpleuerit, acquisiuit ius, vt sibi vota ante Iubilæum emissa commutari valeant, quo priuilegio transacto Iubilæo vti potest. Ita Suarez *lib.8.de matrim.disput.15.nu.39. & lib.4.summa cap.54.num.40.*

An Confessarius possit commutare vota, quæ sub certa spe obtinendi Iubilæum sunt emissa?

BRACTEA XXXXV.

R. Affirmatiue. Ratio est, quia sicut qui peccat sub certa spe obtinendi absolutionem virtute Iubilæi potest ab illo peccato absolui, nisi in Bulla exprimatur contrarium, ita etiam, qui votum emittit spe obtinendi commutationem à fortiori poterit tale votum ex vi Iubilæi commutari. Ita Sanchez *lib.4.summa cap.54.num.18.* Suarez *lib.6.de voto cap.13. num.7.* Reginaldus *lib.7.cap.vltimo quæst.4.num.190.* Nauarrus *de Iubileo notab.34.num.6.*

R. 2. Posse tempore Iubilæi vota reseruata toties commutari, quoties emissa fuerint. Ratio est, quia priuilegium est largè interpretandum, & quando Pontifex non exprimit pro vna tantum vice concedere censetur concessũ pro toto eo tempore, quo durat priuilegium. Ita Sanchez *lib.4.summa cap.54.num.27.*

An facta commutatione voti liceat vouenti, omissa commutatione seruare primum votum?

BRACTEA XXXXVI.

R. Affirmatiue. Et ratio est, quia talis commutatio facta est in fauorem vouentis, & cum possit cedere fauori, poterit primũ votum adimplere. Ita Azorius *1.par. lib. 11. cap. 18.quæst.10.* Reginald. *lib.18.nu 362.* Sanchez *lib.4. summa cap.55.nu.26.* Lessius *lib.2.cap.40.dub.16. n.111.*

Sciendum quod si quis voueat non ludere, & si ludat promittat castitatẽ, Confessarius vtrũque votum posse commutare. Et ratio est, quia sublato principali aufertur etiam accessoriũ. Secus autem dicendum, quando votum principale esset reseruatum, accessorium autem minimè. Ita Suarez *lib.6.cap.23. num.3.* vt si quis voueat castitatem, & si eam violet, largiri certam eleęmosynam, Cõfessarius electus non poterit commutare primum, sed solum secundum, sicuti etiam poterit commutare ea vota in quibus Episcopi possunt dispensare. Ratio est, quia Summus Pontifex intendit solum denegare facultatem cõmutandi vota Castitatis, & Religionis, quæ sibi reseruantur, non autẽ ea, quæ potest Episcopus dispensare. Ita Clauisregia *lib.6.cap.11.* Suarez *lib.6.de voto cap.16.n.17.* Sanchez *lib.8.de matrim.disput.15.nu.3.* Vt sunt votum pœnale, castitatis, & religionis, vt cum quis vouet, se non lusurum sub pęna ingrediẽdi Religionem, quæ vota potest Confessarius commutare non solum ante impletam conditionem, sed etiam post. Ratio est, quia votũ, quod Papæ reseruatur fit ex directa volitione, & affectu boni, quod promittitur, votum verò pęnale non fit ex affectu boni, sed solum, vt vouens se alienet ab aliquo malo. Et ita Aragonius *secunda secundę quæst.88.art.12.* Clauisregia *lib.6.cap.11.num.32.* Caiet. *secunda secundę quæst. 88.art.3.* Henriquez *lib.7. cap.30. nu.6.* Valentia *secunda secundæ dist.6.quæst.6. pun.7.* Emanuel Sà *verbo votum num.11.* Reginald. *lib.18. num.337.* & alij. Similiter vota conditionalia Castitatis, & Religionis posse à Confessario virtute Iubilęi cõmutari ante impletam conditionem. Et ratio est, quia durante conditione non sunt vota absoluta, & completa; & quando Romanus Pontifex talia vota sibi reseruat, intelligitur de votis absolutis, quæ statim vouentem obligant, non autem de imperfectis, ac diminutis, vt sunt vota conditionalia. Et non modo Confessarium talia vota posse commutare ante expletam conditionem, vt docet Clauisregia *lib.6.cap.11.n.77.* Lessius *lib.2.cap.40 dub.13.n.106.* Sed etiam post expletam conditionem huiusmodi vota commutare posse. Ratio est, quia licet in eo casu vota Castitatis, & Religionis obligent, tamen quia obligatio oritur ex imperfecto consensu, votum etiam obligat imperfectè, & tale votum non censetur perfectũ, sed imperfectũ, quia ex motiuo imperfecto. Et ita Suarez *lib.8.de matrim.disp.10.n. 13.* Tolet. *lib. 4. summæ c.28.* Petrus Ledesma *2.tom.sũmæ tract.10.c.8.*

Scien-

Sciendum 2. quod si quis etiam voueat Castitatem cum expressa intentione non se obligandi sub mortali, posse tale votum in Iubilęo à Confessario commutari. Ratio est, quia talia vota non sunt perfecta, vt sunt vota, quæ Romano Pontifici reseruantur. Ita Sanchez *lib.4.summæ cap.40.num.47.*

Sciendum 3. votum Castitatis, vel Religionis ad tempus factum posse commutari à Confessario vigore Iubilæi. Ratio est, quia talia vota non censentur simplicitèr, & absolutè vota, & votum quod Pontifici reseruatur est illud, quod absolutè,& simplicitèr est votum, vt est votum perpetuum. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim.disp.15 num.3.* Reginald.*lib.18.num.331.*Sotus *lib.7.quæst.4 art.3.* & alij.

An Confessarius virtute Iubilæi possit commutare votum Religionis, vel Castitatis ex metu leui emissum?

BRACTEA XXXXVII.

R. Quod, quando metus leuis est à causa intrinseca, v.g. ab infirmitate, &c. non posse Cōfessarium votum emissum ex tali metu à causa intrinseca incussum cōmutare,cum nec Episcopus id possit. Si verò metus leuis, quo quis emittit votum sit incussus à causa extrinseca, Confessarius vi Iubilæi potest ipsum commutare, quia reseruatio Papæ facta non videtur extendenda ad vota per metum emissa, cum talis reseruatio sit odiosa,quia contrà ordinariam Episcoporum facultatem, quam habent dispensandi in voto, & per consequens strictè interpretanda. Ita Nauarr. *cap.12 nu 69.* Sanchez *lib 4.summę cap.40 num 30.* Reginald. *lib. 28 num.338.* Lessius *lib 2.cap.40 num.106.*

An votum non adulterandi,non fornicandi,&c. possit virtute Iubilæi commutari?

BRACTEA XXXXVIII.

R. Affirmatiue. Ratio est, quia non sunt vota integræ, & absolutæ Castitatis. Et ita Nauarr. *loco citato nu.77.* Lessius *loco citato n. 105.* Sanctarellus *de Iubilæo cap.9 dub 5.* & alij.

Sciendum non modo talia vota posse à Cōfessario commutari, sed etiam votum de virginitate seruanda, si sine intentione seruandi perpetuam Castitatem, sed tantum vitandi illum primum actum deflorationis, integritatis fuit emissum. Ita Azorius *tom.1.lib.11. cap.19.quæst. 14.* Suarez *lib.8.de matrim.disput.9.num.9.* Sanctarellus *de Iubilæo cap.9.dub.2.*

Sciendum 2. Confessarium posse etiam commutare votum non nubendi virtute Iubilæi, quia non est votum Castitatis, sicut etiam potest commutare votum de non tāgendo mulierem libidinosè, vel de non cognoscendo fœminas carnaliter, cum non sint vota perfectæ Castitatis. Ita Nauarrus *cap.12.num.76.* Molfesius *tract.4.cap.11.num.22* & alij; sicut etiam potest commutare propter eandem rationem votum suscipiendi Præsbyteratum, & votum cōiugalis Castitatis. Ita Sanchez *lib.8. de matrim. disp.9.num.7.* Henriquez *lib.7.cap.30.num.6.*

Sciendum 3. Posse etiam Confessarium commutare votum factum ab vno coniuge non petendi debitum absque consensu alterius, cum non sit votum omnimodæ Castitatis, sed tantum partis. Ita Azorius *lib. 11 cap.19. quæst.16.* Sanchez *lib.4 summæ cap. 40 num.63.* Quod si votum esset de communi consensu vtriusque, Cōfessarius etiam potest eum commutare,cum nō sit votum integræ, & absolutæ Castitatis. Et ita Rodriquez *par.2 summæ cap.90.n.3.* sicut etiam potest commutare votum Castitatis factum ab vno coniuge absque consensu alterius ob supradictam rationem. Ita Rodriquez *loco citato nu.6.* Arragonius *secunda secundæ quæst.88.art.8. dub. vltimo.* Quod si votum reciproco consensu esset emissum, tunc Confessarius non potest ipsū commutare, quia censetur votum perpetuæ Castitatis, & obligat ad non petendum, & nō reddendum debitum. Ita Nauarr. *cap.18. nu.59.* Sanchez *lib.4 summæ cap.40.nu.57.* Arragonius *secunda secundæ quæst.88.art.8.* Henriquez *lib.11.quæst.15. num.8.* Sotus *in 4.dist.26. quæst.1 sect.4.* Lopes *1. parte cap 46.* & alij.

An Confessarius possit in Iubilæo commutare votum Castitatis, quando datur aliquod periculum, vel scandalum expectando dispensationem. R. Pontificis?

BRACTEA XXXXIX.

R. Non posse, quamuis id Episcopus possit facere, vt Delegatus Sedis Apostolicę, & Cōfessarius tempore Iubilęo potest solum cōmutare votum Castitatis in illis casibus, in quibus potest Episcopus iure ordinario, non autem in quibus potest dispensare, vt Delegatus Summi Pontificis. Ita Valentia *secunda secundæ disp.6.quæst.6.pun.7.* Nauarrus *cap. 12. num.76.* Sanchez *lib.8.de matrim.disp.25. num.19* Suarez *lib. 6.cap.26.num.19.*

An Confessarius possit in Iubilæo commutare votum arctæ Religionis in laxiorem?

BRACTEA L.

R. Posse, tum quia Episcopus in hoc casu iure ordinario potest commutare,& per consequens etiam Confessarius in Iubilæo ipsum commutare potest. Et ita Lessius *lib.2.cap. 40.dub.13 num.105.* Reginaldus *lib.18.num.131.* Henriquez *lib.7.cap.22.num.7.* Sayrus *lib.6.cap.11. nu.63.* Sanchez *lib.4.cap 40. num.74.* tum quia commutatio non fit in substantia voti, sed solum in circumstantia, quæ Romano Pontifici reseruata non est.

An possit Confessarius commutare votum ingrediendi Religionem Melitensem?

BRACTEA LI.

R. Negatiue. Ratio est, quia hic ordo vera Religio est, cum in ea emittantur tria vota solemnia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ.

dientiæ. Ita Henriquez *lib.11.cap.8.num.6.* Molina *de primogenijs lib.1. cap.13. num. 98.* Sanctarellus *de Iubilęo cap.10.dub.2* Rodriquez *tom.1.cap.239 n.2.* Sanchez *lib.2.de matrimonio disput.18.num.8.* Corduba *in summa quæst.144.* & alij.

Sciendum quod Confessarius non modo nō potest commutare votum ingrediēdi Religionem Melitensem, sed neque potest commutare votum, quo quis vouit ingredi in Religionem Militarem Sancti Mauritij, & Lazari Alcantarę, Calatrauę, &c. Et ratio est, quia isti Equites verè Religiosi sunt, & Ordo illorum vera Religio, & isti more aliorum tria solemnia vota emittūt sub regula Romano Pontifice approbata. Et ità Nauarrus *tract. de redditibus Ecclesię quæst.1.* Conrrac. *4. decret. 2. par. cap.3. §.1. n.18.* Medina *de Sacrorum hominum continentia lib. 4. contr. 7. cap.39.* Reginald. *quæst. regularium tom.1. quæst.1. art.8.* licet plures sequantur opinionem contrariam, putantes hos Ordines non esse veram, & perfectam Religionem. Sic D. Thomas *secunda secundæ quæst.186. art.4.* Arragonius *ibidem quæst.88. art. 11.* Valentia *ibidem disp.10. quæst.4 pun.2.* Et licet hęc opinio sit probabilis, tamen nostra videtur probabilior propter rationem allatam.

An in Iubilæo Confessarius possit commutare votum, quo quis vouit non modo ingredi Religionem, sed etiam in ea perseuerare?

BRACTEA LII.

R. Confessarium non posse commutare votum ingrediendi Religionem, & in ea perseuerandi, cum vtrumque censetur votum perfectæ Religionis Pōtifici reseruatum, quod Confessarius virtute Iubilæi non potest commutare, licet Sanchez *lib.8. de matrim. disp.9. n.15. & lib.4. summæ cap 40. n.75.* & Molfesius *cap.15 n.147.* dicant, quod licet Confessarius non possit commutare votum ingrediendi Religionem, potest tamen commutare votum perseuerantiæ in ipsa, cum votum perseuerandi sit diuersum à voto Religionis.

Sciendum Confessarium in Iubilęo posse cōmutare votum Religionis non approbatæ. Ratio est, quia Religio non approbata non est vera Religio, & ideò votum illius non est proprium votum Religionis. Ita Lessius *lib. 2. cap. 40 num 105.* Sanchez *lib.4 summæ cap.40. nu.50.* Reginaldus *lib.18. num. 331.* sicut etiam potest commutare votum Religionis factum ad duos, vel tres annos tantum, quia non censetur votum perfectum Religionis, quod inducat perpetuam obligationem.

MALLEATIO XX.

De Iubilæo Anni Sancti.

Quid intelligatur nomine Iubilæi?

BRACTEA I.

R. Hoc nomen Iubilæum ex sua primaria impositione deriuare ab Hebræo vocabulo *Iobel*, quod D. Isidorus *lib. 4. Ethymol. cap.9.* annotauit remissionem, ac libertatem significare, quia per Iubilæum remittitur omnis pœna debita peccatis, quæ remissio figurabat nostrum Iubilæum, in quo à Romano Pontifice Indulgentia Plenissima conceditur, quod vt colligitur ex extrauag. ātiquorū Pōtificū prius fuit quolibet centesimo anno, quod Clemens Sextus reduxit ad quinquagesimum, nunc autē ad vigesimumquintum annū reductū est, & Indulgētia, quę anno sācto cōceditur, dicitur Iubilęū ob similitudinē, quod Iubilęum habet cū Hebræo, quia sicuti in illo remittebantur debita temporalia, & caduca, in hoc remittuntur debita spiritualia, quę contraximus ob peccata erga Diuinā Iustitiā in illo recuperabantur possessiones terrenæ, in hoc virtutes, & merita mortificata ob peccata in suam pristinam naturam redeunt: in illo exules damnati ad exilium, ad patriam reuocabantur, in hoc peccatores, qui sunt exules è Cœlo efficiuntur denuò habiles ad fruitionem Dei; idcirco ille annus dicitur annus Iubilæi, idest annus solutionis, remissionis, redemptionis, reconciliationis, benignitatis, vbertatis, benedictionis, annus placabilis, annus purus, plenus, firmus, fertilis, annus vitæ, gratiæ, salutis, pacis, gaudij, coronæ, germinis, messis, annus requiei, annus fœcundus, tempus acceptabile, tempus diuitiarum, & annus Sāctus, qui ab omnibus criminibus, impietatibus, flagitijs in eo, quilibet studet emundari, & quia nobis Deum propitium facit.

R. 2. Iubilæum Anni Sancti nihil aliud esse, quàm remissio plenissima totius pęnæ temporalis debitæ peccatis confessis, quam Romanus Pontifex Christi Domini in terris Vicarius illis concessit, qui confessi, & contriti visitauerint præscriptas Ecclesias.

R. 3. Solum Romanum Pontificem, qui est vnicus dispensator thesauri Ecclesiæ posse Iubilæum cōcedere, vt constat ex illis verbis Mathæi 16. *Quodcunque solueris, &c.* & ex cap. Cum ex eo de pœnitentijs, & remissionibus. Et ita D. Thomas *in 4 dist.20. quæst.1. art.4.* Nauarrus *de Iubilæo notabili 31. num.16.* Henriquez *lib.7. cap.31. §. 3.* Azorius *tom.2. lib.3 cap.54 quæst.1.* & alij.

Quisnam fuit primus, qui Iubilæum concesserit?

BRACTEA II.

R. Bonifacium Octauum constituisse, vt centesimum quoque anno celebretur, & Clemens Sextus hoc Iubilęum ad quinquagesimumquintum annum in extrauaganti reduxit. Vnigenitus, ob multas rationes, & principaliter ob breuitatem vitæ humanæ; alij verò Pontifices Iubilęum singulis trigintatribus annis celebrari decreuerunt; alij verò ad annum vigesimumquintum restrinxerunt, & hæc consuetudo seruatur hodie in Ecclesia.

Quænam sint causæ, ob quas institutum fuit Iubilæum?

BRACTEA III.

R. Primam causam esse, vt fidelis possit satisfacere pro debitis contractis ob peccata in hac vita ex thesauro Ecclesiæ per dispensationem ipsius thesauri, quo beneficio fide-

fideles adiuti promptiores sint ad Diuinos gratiæ Cœlestis fructus percipiendos. Secunda causa est, vt exhibeantur fideles compuncti stimulo Iubilæi ad opera pęnalia, nempè ad orationes, eleemosinas, peregrinationes, &c. Tertia vt per Iubilęum loca sacra vrbis Romę deuotiùs colerentur. Quarta, vt ea Vrbs visitetur, quæ est Mater, & Magistra, ac caput omnium Ecclesiarum. Quinta, vt excitentur Infideles ad conuersionem, & confundantur Hæretici. Sexta, ad excitandos animos fidelium ad sustentandam mortem pro Christo, cum tota Ciuitas Romana sit ossibus Sanctorũ ditata, quæ videntes excitantur fideles ad effundendum sanguinem pro Christo.

Qua die, & hora annus Iubilæi incipiat, & finiat?

BRACTEA IV.

R. Incipere ante primas vesperas Natiuitatis Domini, quia immediatè ante dictas vesperas aperitur à Summo Pontifice Porta Sancta, & perseuerat vsque ad finem vesperarum eiusdem festi Natiuitatis Christi sequentis anni, quando reseratur dicta porta, itaut illud sequens festum non pertineat ad annũ Iubilæi.

Sciendum, quod in anno Iubilæi aperitur Porta Sancta ad significandam anni Iubilæi prestantiam, & decorem. Secundò, aperitionem Ecclesiastici thesauri, qui in Christi satisfactione, & Sanctorum meritis consistit. Tertiò, faustum, ac bonum omen omnibus fidelibus. Ita Filliucius *tom.1.tract.8.cap.10.quæst.6.nu.259.* Benzon *lib.4. de Iubilæo cap.14.dub.2.*

Sciendum 2. non modo hora, qua incipit Iubilæum, Portam Sanctam aperiri, verum etiam ablui; primò ad denotandum eos solum beneficium sacri Iubilæi consecuturos, qui mundi per Sacramentum pęnitentiæ ab omni culpa mortali fuerint; secundò, ad insinuãdum, quod omnia bona, quorum participes efficimur ex Christo emanant; tertiò, ad designandum effectum, quem in nobis Indulgentia Iubilęi operatur, huius virtute homines ad innocentiam baptismalem reuocantur.

Quare vocetur Porta Sancta?

BRACTEA V.

R. Primo, quia hi qui per illam ingrediũtur Sancti efficiuntur; secundò, quia Deus in aperitione huius Portæ homines peculiaribus donis, & gratijs visitare incipit; tertiò, quia materia, qua clauditur Porta benedicitur in Christi nomine, & sanctificatur, & ideò de ea cantatur; *Hæc est Porta Domini iusti intrabunt per eam.*

Sciendum, quod licet in aperitione Iubilæi aperiatur Porta Sancta, tamen absolutè non esse necessarium ad consequendum Iubilæum dictas Portas ingredi, cum talis conditio in Bulla non exprimatur. Ita Filliucius *tom.1.tract.8.cap.10.quæst.6.num.260.* Benzon, *lib.4. de Iubilæo cap.14 dub.5.* & alij. Licet pium sit, & sanctum ingredi huiusmodi portas tempore assequendi iubilæum.

Sciendum dubium esse, an qui Portas Sanctas ingreditur cum peccato mortali, aliquod peccatum committat? Respondeo secluso contemptu non committere peccatum. Ita Benzon. *lib.cit. cap.14. dub.7.* Filliucius *tom. 1. tract.8. cap.10. quæst.6.num.260.* Quod dicendum etiam est de eo, qui egreditur per Portas Sanctas in peccato mortali.

Quot conditiones requirantur ad consequendum Iubilæum anni Sancti?

BRACTEA VI.

R. Quatuor requiri, nimirum contritionem, confessionem, visitationem Ecclesiarum præscriptarum, & orationem iuxta intentionem Summi Pontificis.

Sciendum ad assequendum iubilæum anni Sancti, quod requiritur status gratiæ. Et ratio est, quia Iubilęum consistit in remissione pęnæ, quæ non relaxantur, nisi sit remissa culpa mortalis; ergo, &c.

Sciendum 2. ad assequendum Iubilæum anni Sancti non esse necesse, quod omnia opera prescripta fiant in statu gratia, sed satis esse, quod in gratia existat, dum complet vltimum opus. Ratio est, quia opera præscripta ad lucrandum iubilæum non debent necessariò esse satisfactoria, sed tantum requiruntur, vt conditio, qua posita, Pontifex applicat fructum Iubilæi; ergo non est necesse, vt omnia opera iniuncta fiant in statu gratiæ, sed satis est, vt in vltimo instãti, in quo vltimum opus perficitur sit in gratia, quia tunc fit applicatio thesauri. Et ita Sotus *in 4. dist.21. quæst.2. art 3.* Tolet. *lib.6. cap.27 nu.3.* Naldus *verbo Indulgentia num.7.* Em. Sa *eodem verbo num 20.*

Sciendum 3. quod qui in statu peccati mortalis opera præscripta adimplet, hunc per eã opera mereri de cõgruo bonam dispositionem, vt exeat à peccatis, & conteratur. Ita Molphesius *in summa tract.7. cap.26.* & alij.

An ad consequendum Iubilæum anni Sancti requiratur actualis confessio peccatorum?

BRACTEA VII.

R. Prima Sententia est Nauarr. *comment. de Iubilæo notab.18. num.14.* Reginaldi *lib.7. num. 172.* Cordubæ *lib.5. de Indulgentijs quæst.27.* Quod si quis accipiens Iubilęum anni Sancti commodè possit confiteri tunc requiritur actualis confessio, si verò commodè non possit, tunc non est necessaria.

Secunda sententia est Suarez *tom.4.disp.52.sect.4.num.3.* & Filliucij *tom.1. tract.8. num.248.* qui dicunt, tunc esse necessariam confessionem, quãdo quis non potest elicere actum contritionis, vt constituatur in statu gratię, cum solum requiratur confessio, vt dispositio, per quam quis constituatur in gratia; ergò si per cõtritionem potest constitui in vltimo opere, quod fit ad lucrandum Iubilæum; ergo confessio non erit absolutè necessaria.

Tertia sententia est D. Antonini *part.1. summa*

ma tit.10.cap.3.§.5. Gabrielis *in 4. disput.45. quaest.3. ar.3* & aliorum dicentium non esse necessariam confessionem quando quis confessus est in illo anno iuxta præceptum Ecclesiæ, quia verè potest dici confessus; quod si post dictam confessionem incidit in peccatum mortale sufficere si eliciat actum contritionis cum proposito confitendi tempore debito. Sed

R. Ad consequendum Iubilæum anni Sancti requiri actualem confessionem. Ita Caiet. *opusc. de Indulgentijs cap.9.* Coninch. *disp.12 de sacram.n.38.* & alij. Et ratio est, quia verba Indulgentiæ sunt intelligenda, vt sonant, sed ista verba (verè pœnitentibus, & confessis) quæ in Bulla ponuntur sonant, vt confessio actualis sit necessaria; ergo, &c.

Sciendum non esse necesse, quod confessio fiat ante visitationem Ecclesiarum, sed satis esse, quod fiat post visitationem Ecclesiarum, licet tutius sit confessionem fieri, antequam quis inchoet visitationes, cum talis videatur mens Summorum Pontificum, qui verè pœnitentibus & confessis Ecclesias præscriptas deuotè visitauerint; Ex quibus verbis præsumitur, Pontificem ante inchoationem visitationum Ecclesiarum, contritionem, & confessionem sacramentalem requirere, & hanc fuisse mentem Gregorij Decimi-tertij testatur Nauarrus *in comment. eius Bullæ num.3.* Cui opinioni fauet Caietanus *tom.1. opusculorum tract.10. quæst.2.* licet plures alij sequantur opinionem contrariam, vt dictum est suprà.

Sciendum 2. quod si accipiens Iubilæum anni Sācti habeat solummodo peccata venialia, tunc non obligatur ad confessionem. Et ratio est, quia sicut non obligatur præcepto annuæ confessionis, ita neque ad confessionem virtute Iubilæi, cum non habeat obicem ad assequendum fructum Iubilæi. Ita Nauarr. *notab. 18.num.17.* Suarez *disp.52 sect.3.num 3.* & alij.

Quo ordine teneatur quis visitare Ecclesias in anno Sancto?

BRACTEA VIII.

R. Debere visitare Ecclesias præscriptas piè, ac deuotè iuxtà præscriptum Bullæ concedentis Iubilæum anni Sancti, & non esse necesse, quod Ecclesiæ præscriptæ continuatim, aut ordinatim visitentur, sed satis esse quod visitentur, & à quacunque incipiatur. Ita Henriquez *lib.7.cap.14 num.5.* Gratianus *part.2. de Iubilæo cap.12.* Sanctarellus *cap.4. dub.2.* Rodriquez *de Iubilæo cap.3.num.6.* licet necesse sit omnes Ecclesias præscriptas visitare eodem die, nisi aliter exprimatur in Bulla. Ita Nauar. *notab.32. num.41.* Fabrinus *de Iubilæo cap.35. dub.5.* Pinellus de Indulgentijs *cap.23.* & alij. Licet verum sit, quod ista visitatio possit fieri per partes interruptas, v.g. aliquas visitando diluculo, alias post meridiem, & alias sub noctem, dummodo Ecclesiæ præfatæ eodem die visitentur. Ita Nauar. & Henriquez *locis citatis.*

An quis visitando Ecclesias, vel confitendo ad assequendum Iubilæum, possit satisfacere pluribus præceptis?

BRACTEA IX.

R. Affirmatiuè, nisi expressè aliud in cōcessione Iubilæi exprimatur. Et ratio est, quia per vnum opus potest quis satisfacere pluribus præceptis. Et ita Corduba *lib.5.de Indulgentijs quæst.18.* Valentia *lib. de Indulgentijs cap.7.*

Sciendum non modo vno opere posse aliquē satisfacere pluribus præceptis, sed etiam posse acquirere plures Indulgentias, v.g. Indulgentiam anni Sancti, & alias indulgentias concessas dictis Ecclesijs. Et ratio est, quia non sunt actus incompatibiles, & potest ille multiplicare orationes pro omnibus illis Indulgentijs acquirendis.

An qui in nocte visitat Ecclesias lucretur Iubilæum?

BRACTEA X.

R. Lucrari. Et ratio est quia appellatione diei venit etiam nox cum dies naturalis sit viginti quatuor horarum; vnde quando Indulgentia conceditur pro certo die festo intelligitur à primis vesperis vsque ad secundas cōprehendendo nocturnum tempus, quod primas vesperas sequitur. Ita Henriquez *lib.7.cap. 14.num.5.* Gratianus *part.2.de Iubilæo cap.12.*

Sciendum non modò acquiri Iubilæum visitantibus noctu Ecclesiam, sed etiam si quis extrà portam oret in nocte, quando portæ Ecclesiæ sunt clausæ, modò faciat reliqua, quæ præscribit Bulla. Et ratio est, quia qui ante fores Ecclesiæ orat moraliter loquendo censetur orare in ipsa Ecclesia. Et ità Bonacina *lib.6. de Sacram.quæst.1.pun.5.* Rodriquez *part.1.cap.184.nu.5.* & Rosella *verbo Indulgentia §.22.* & alij.

An qui Ecclesiam visitat, & ibi non orat, lucretur Iubilæum?

BRACTEA XI.

R. Non lucrari, quia visitatio, quę præcipitur non intelligitur de visitatione materiali, sed de visitatione Religiosa, & deuota; moraliter absque aliqua oratione esse non potest. Ita Suarez *tom.4.in 3.part. D. Thom. disp.52. sect.1.num.4.*

An satisfaciat, qui Ecclesiam visitat solum, vt Iubilæum consequatur?

BRACTEA XII.

R. Eum satisfacere. Ratio est, quia qui expressè vult Iubilæum lucri facere, implicitè vult gloriam Dei. Ita Nauarr. *cap.Quando de consecr. dist.1.cap.6.§.14.* & alij communiter.

Sciendum dubium esse, an actus, quo quis visitat Ecclesiam in Dei honorem, & ob vanam gloriam

gloriam sit actus moraliter bonus, vel non? Coninchus *disp 12.num.4.* Suarez *disp.52.sect.6.* & alii putant, hunc actum esse bonum, ac proinde cum lucrari iubilæum, quia illi duo fines mutuò non se excludunt, cum sint compatibiles, alij verò existimant, hunc actum esse malum, ac proinde non sufficiētem ad consequendum iubilęum. Sed

R. Quod quando quis vno actu vult gloriam Dei, & alio actu gloriam vanam, ille actus quo vult gloriam Dei est bonus, quia tunc valet ratio, quod vna intentio nō excludit aliam; secus verò quando eodē actu vtrumq; finē intendit, quia tunc non potest dici, ille actus simpliciter bonus.

Sciendum 2. quod finis bonus non semper in toto opere, est necessarius, sed satis est, quod sit bonus in vltimo instanti acquisitionis iubilęi anni Sancti. Et ita Nauarr. *notab. 32. de Iubilæo num. 36.* Gratianus *part. 2. de Iubilæo cap. 6.* & alij.

Quanta Oratio debbat esse pro lucrando Iubilæo anni Sancti?

BRACTEA XIII.

R. Sufficere quamlibet minimam orationem, nisi aliter exprimatur in Bulla. Et ratio est, quia in Bulla oratio indefinitè postulatur, ad quem sufficit quęlibet minima oratio. Ita Suar. *disp.52.sect.5.num.3.* Filliuc. *tom.1. tract.8. num.257.*

Sciendum recitationem Litaniarum non esse necessariam ad consequendum iubilęum, sed consulitur, nec necesse est, interesse Processionibus, quę fiunt, cum non sint de pręcepto, sed de Concilio.

Sciendum 2. cū satisfacere ad assequendum iubilęum, qui facit orationem mentalem, dummodo aliter non exprimatur. Et ratio est, quia nomine orationis venit etiam oratio mentalis; si verò aliter exprimatur in Bulla, vt quando dicitur, quod fideles certas preces effundant, certum est pro adipiscendo Iubilęo, orationem vocalem debere esse.

An qui morbo impeditus non potuit confiteri, vel prætermisit aliud opus præscriptum, possit Iubilæum adipisci?

BRACTEA XIV.

R. Regulariter non adipisci iubilęum. Et ratio est, quia sub illa conditione conceditur; ergo qui vult illud lucrari, tenetur pręstare omnia pręscripta, & licet quantum ad gratiam, & gloriam voluntas pro facto habeatur apud Deum, in materia de indulgentijs hęc regula fallit. Dixi Nisi aliter exprimatur in Bulla, quia aliquando Pontifices solent id declarare, vt colligitur ex Extrauaganti Vnigenitus §. *Adijcientes* Vnde Vrbanus Octauus in Bulla, quam de iubilęo condidit, declarauit peregrinos, qui post iter ad vrbem huius deuotionis causa susceptum infirmitate, & inimicitia capitali, vel morte pręuenti impediuntur Ecclesias visitare, lucrari iubilęum, ac si visitassent Ecclesias.

Sciendum 1. Quod qui facit solummodo aliquam partem operis iniuncti, vt v. g. ex impotentia, aut negligentia aliquas Ecclesias non visitat, vel aliud simile prętermittit, non acquirit iubilęum anni Sancti. Ratio est, quia omissio visitationis vnius ex dictis Ecclesijs nō est leuis materia, cum non sit leuis pars operis iniuncti; vnde qui bis tantum ieiunauit, cum ter ad ieiunium teneatur, nec totum iubilęum, nec illius quidquam consequitur.

An Censuris ligatus possit consequi Iubilæum?

BRACTEA XV.

R. Iniustè excommunicatum posse iubilęū lucrari. Et ratio est, quia isti possunt non solum conteri, sed etiam confiteri, & reliqua opera iniuncta pręstare; si verò sit iustè excommunicatus, etiamsi contritus non posse iubilęum consequi. Et ratio est, quia excommunicatio maior iure Ecclesiastico priuat excommunicatum, etiam contritum omni communione Ecclesiastica, & participatione suffragiorum Ecclesiasticorum; ergo etiam effectibus iubilęi anni Sancti. Ita Vgolinus *de censuris cap.9.* Suarez *disput.52.sect.2 num 2.& 3.* Nugnus *in addit.ad 3. partem. quæst,27.art.1.* & Sotus *in 4.dist. 22.quæst,1.art.4.*

Quid fideles lucrentur, qui annum Iubilæi consequuntur?

BRACTEA XVI.

R. Eos lucrari indulgentiam plenissimam, per quam tollitur omnis pęna, tam iniuncta, quam iniungenda pro omnibus peccatis, tam mortalibus, quam venialibus, etiam non confessis. Ita Nauarr. *de Iubilæo notab.9.nu.3.*

Sciendum Iubilęum per se non delere peccatum mortale. Et ratio est, quia iubilęum solum remittit pęnam debitam, quę remissio supponit remissionem peccati mortalis per infusionem gratię: per accidens verò possumus dicere remittere peccatum mortale, in quantū ad acquirendum Iubilęum exigitur Confessio, quę remittit peccata mortalia, & per consequens cum Iubilęum pręsupponat remissionē peccati mortalis non valere ad remissionem pęnę ęternę, quia hęc simul cum culpa mortali remittitur, sed solum ad remissionem pœnę temporalis. Ita S.Th. *in 4.dist.28.qu.1. art 5.* Hēriquez *lib.7.cap,9. n.4.* Corduba *lib. 5. quæst.7.* & 14. Pinellus de *Indulg. cap.2.* Quod etiam dicendū est, Iubilęum directè non delere peccata venialia, sed indirectè, quia ingrediendo Ecclesiam homo recipit aquam benedictam, & talia facit, per quę remittuntur peccata venialia directè.

An omnes facientes opera ad Iubilæum præscripta æqualem Iubilæi fructum percipiunt?

BRACTEA XVII.

R. Præstando opera pręscripta in iubilęo, & in gratia existentes per se ęqualiter ę-

qualem gratiam Iubilæi anni Sancti percipere. Et ratio est, quia conditio requisita sufficienter adimpletur; ergo parem indulgentiam cõsequuntur. Tum etiam, quia indulgentia operatur ex opere operato, nempe meritis Christi, vel Sanctorum; ergo maior, vel minor deuotio, quoad remissionem pęnę in Iubilæo nihil addit, vel minuit.

Sciendum quod qui plus laboris, itineris, deuotionis, &c. pro lucrando Iubilæo impendit, prodest non ad maiorem Indulgentiam acquirẽdam, sed ad maius præmium essentiale, quod est longè præstantius, quam Indulgentiā. Ita Suar. *disp.52.sect* 8. *num.9*.

An qui consequitur Iubilæum, teneatur facere pœnitentias sibi iniunctas?

BRACTEA XVIII.

R. Primo per Iubilæum non liberari hominem à pęnitentiis præseruatiuis. Et ratio est, quia Iubilæum non datur in destructionem, sed in ædificationem animę, & consequenter si Iubilæo tolleretur pęnitentia præseruatiua, esset inducere animam in interitum damnationis æternæ; ergo, &c. Ita Henriquez *lib.5.cap.22.§.6.* Reginald. *lib.7. num.92.*

R. 2. Iubilæum tollere pęnitentias impositas à Confessario in satisfactionem peccatorum. Et ratio est, quia indulgentia, quæ conceditur in anno Sancto gerit vices omnium pęnitentiarum iniunctarum, & est conclusio definita in cap. Cum ex eo de penitentijs, & remissionibus vbi dicitur, Per indulgentias pęnitentias iniunctas eneruari. Et ita Nauarrus *in comment. de Iubilæo notab. 31.num.43.* Siluester *verbo indulgentia q. 9.* Gratianus *de Iubilæo part.1. cap.15.* & alij. Verum, quia nemini est omninò certum, an reuera consecutus sit Iubilęum optimum consilium erit, vt pęnitens totam pęnitentiam impleat.

An possit quis in anno pluries confiteri, &c. & obtinere Iubilæum?

BRACTEA XIX.

Prima sententia est Nauarri *in comment. de Iubilæo notab.32. num.46. & notab.34. nu.7.* Henriquez *lib.6. cap.16.§.3.* Reginald. *lib.7. cap.13. sect.4. num.155.* Graffius *lib 2. cap.5. num.23.* Sanctarellus *cap.5. dub.2.* Sanchez *lib.4. summa cap.54. num.29.* & aliorum asserentium Iubilęum pluries lucrari posse, modo opera præscripta reiterentur. Ratio est, quia priuilegia fauorabilia sunt amplianda, cum autem hoc priuilegium sit fauorabile, & nemini noxium est ampliandum, & latissimè interpretandum. *l. Beneficium ff. de Const. Principis cap. Quamuis in fine de prebend. in 6.* His tamen non obstantibus.

R. Iubilæum anni Sancti posse solum pro vna vice accipi; nam teste Filliucio *tom.1.tract.8. nu.278 mense Maio anno 1620.* Sacra Cardinalium Congregatio, quæ interpretationibus Sacri Concilij præest, declarauit tantum semel acquiri Iubilæum, & semel tantum à censuris, & casibus reseruatis absolui quempiam posse; si quis tamen hæsitaret, an prima vice lucratus sit Iubilęum, & ad maiorem securitatem vellet illud lucrifacere in secunda hebdomada prudenter faceret, quia in hoc casu nonnisi semel lucratur Iubilæum.

An vnus possit per alium Iubilæum anni Sancti acquirere?

BRACTEA XX.

R. Negatiue, qui Iubilæum requirit personalem industriam in peregrinando, vel visitando Ecclesias præscriptas, vt ex Bulla colligitur. Et ita Reginald. *lib 7.num.183.* Fabrinus *cap.35.dub.2.* & alij communiter.

Sciendum non modo acquirentem Iubilęum non posse per alium ipsũ accipere, sed neq; pro defunctis, nisi Pontifex speciali priuilegio id concedat. Ratio est, quia quis non potest alteri applicare, quod pendet à voluntate alterius: Indulgentia anni Sancti non pendet à voluntate lucrantis, sed concedentis; ergo, &c. Tum quia Indulgentia est viuentium gratia, quam ex peregrinatione ad loca Sancta Vrbis acquirunt, & defuncti adimplere non possunt, quæ in Bullis Pontificum describuntur. Et ita S. Thomas *in 4. dist.45 quæst.25.art.3.* Nauar. *notab. 22.num.1.* Gratianus *part.2. de iubilæo cap.32.* & alij.

Sciendum 2. quod quando in Bulla conceditur, vt possit quis lucrari Iubilæum pro Defunctis, potest etiam illud applicare pro viuis. Et ratio est, quia maior est communicatio nobis, cum viuis, quam cum Defunctis, & qui difficilius concedit, censetur concedere minus difficile. Ita Filliucius *tom.1.tract.8.num.161.* & alij.

An Indulgentiæ in anno Sancto suspendantur?

BRACTEA XXI.

R. In anno Sancto solum Indulgentias plenarias, siuè perpetuas, siuè temporales suspendi. Ratio est, quia in plenarijs tantum ratio militat dictæ suspensionis, quæ est ne fideles retrahantur à peregrinatione Romana; & colligitur expresè ex constitutione Sixti Quarti, quæ incipit Quemadmodum ad cuius tenorem cæteræ conceduntur. Et ita Nauar. *notab.25.num.2. & notab.33.num.1.* Fabrinus *de Iubilæo cap.21* & alij.

Sciendum tamen, quod licet tempore Iubilæi anni Sancti censeantur suspensæ non tamen suspenduntur Indulgentię concessę Ecclesiæ Portiunculæ Sancti Francisci de Assisij die 2. Mensis Augusti, nisi de illis expressa mentio fiat; sicuti etiam non censentur suspensę indulgentiæ plenariæ concessæ Ecclesijs, quæ sunt extrà vrbem, vel in eius suburbijs sitæ. Et ratio est, quia quamuis non sint in vrbe, tamen Ecclesiæ Vrbis sunt.

An Indulgentia concessa pro viuis in articulo mortis censeatur in Anno Sancto suspensa?

BRACTEA XXII.

R. Si loquamur iuxtà Bullam Sixti Quarti, certum est eam esse suspensam, quia ibi expresè

expressè Indulgentiæ etiam pro articulo mortis suspenduntur; si verò iuxtà Bullam aliorũ Pontificum dubium est. Nauarr. *comment. de Iubilao notab.*28. *num.*6. Fabrinus *cap.*21. *de Iubilao*, & Grassius *lib.*2. *cap.*8. *num.*4. affirmant eam esse suspensam, quia in ea militat ratio suspensionis; tum quia omnes Indulgentiæ Plenariæ suspendũtur; ergo & hęc, quæ est pro articulo mortis; Vrbanus Octauus, vt refert Alphonsus de Leone *par.* 1. *de Iubilao num.* 242. declarauit illam non esse suspensam, sicut etiam declaratum fuit posse hoc anno dari moribundis Indulgentiã concessam rebus benedictis, nempè Rosarijs, &c. & hæc declaratio publicata fuit ab Illustrissimo Coccino Rotæ Auditore dignissimo, & Pœnitentiariæ, Vicemgerente doctissimo.

Sciendum si loquamur etiam de Bulla Gregorij Decimitertij, Indulgentias Plenarias cõcessas Ecclesiæ B. Mariæ de Laureto non esse suspensas, quia sic Pontifex declarauit; regulariter verò nisi aliter exprimatur in Bulla Anni Sancti esse suspensas: vnde Clemẽs Octauus, qui Indulgentiam Plenariam visitantibus eandem Ecclesiã concedit, nonnisi vsq; ad futurũ Annum Sanctum exclusiuè concessit, quod etiam de quacunque alia Ecclesia dicẽdum est.

An Indulgentiæ concessæ pro mortuis, tàm Plenariæ, quàm non Plenariæ censeantur in Anno Sancto suspensæ?

BRACTEA XXIII.

R. Non esse suspensas. Ratio est, quia causa finalis constitutionis suspensionis Indulgentiarum cessat in Indulgentia pro mortuis; ergo, &c. & patet, quia in Præfatione Bullæ dicitur expressè, quod causa finalis cur suspenduntur huiusmodi Indulgentiæ est, vt omnes nationes Christianæ accedãt ad Vrbẽ; ergo cessare non debent Indulgentiæ pro mortuis concessæ, cum mortui, præfata facere non possint, & sic respondisse dicitur Clemens Octauus, & Vrbanus Octauus. Et ita tenent Sechius *in suo tractatu de casibus cap.*4. *num.*5.

Sciendum regulares ex ista doctrina non solum in Anno Sancto posse lucrari Indulgẽtias Plenarias directè concessas pro mortuis, verũ etiam illas Indulgentias, quæ licet directè ipsis sint concessæ pro viuis, tamen ex vi priuilegiorum ipsis a Summo Pontifice concessorum possũt applicare Defunctis per modum suffragij. Similiter in hoc anno Altaria priuilegiata, quæ continent Indulgentias pro Defunctis non esse reuocata, vel suspensa. Ratio est, quia in hoc casu cessat ratio, ob quam principaliter facta est suspensio; nam per præfata Altaria homines non retrahuntur, quin Romam proficiscantur, & visitent loca illa Sancta.

Quot & quænam alia, vltra Indulgentias Plenarias censeantur suspensa in Anno Sancto?

BRACTEA XXIV.

R. Quatuor, scilicet facultas eligendi Cõfessarium cum potestate absoluendi etiã à casibus Sedi Apostolicę reseruatis; Secundò, potestas commutandi vota; Tertiò, potestas dispensandi super ea; Quartò, potestas dispẽsandi, & componendi circà malè ablata, quorum Dominus nescitur. Sic in Bulla Sixti Quarti, in Bulla Gregorij Decimitertij simpliciter suspenduntur facultates, & indulta quæcunque, per quæ verba Nauarrus *notab* 33. *nu.*2. Fabrinus *cap.* 21. de Iubilæo tenent omnia prædicta quatuor esse eodem modo suspensa; at in Bullis Clementis Octaui, & Vrbani Octaui solum suspendũtur omnia priuilegia, & facultates absoluendi etiã à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini, vt notat Fillliucius *tract.*8. *de sacramento num.*254.

An in Anno Sancto Indulgentiæ concessæ pro viuis à diuersis Pontificibus, medalijs, &c. suspendantur?

BRACTEA XXV.

R. Suspendi. Et ratio est, quia sunt Plenariæ, & propter hoc retrahuntur homines à proficiscendo Romam hoc Anno; sicuti etiã suspenduntur Indulgentiæ Plenariæ concessæ pro solis particularibus cum onere recitandi hanc, vel illam orationem, vel visitandi hanc, vel illam Ecclesiam. Et ratio est, quia in istis militat ratio suspensionis, nam particulares personæ etiam retardari possunt à peregrinatione Romana, licet Gratianus *cap.* 13. de Iubilæo neget eas esse suspensas.

An Indulgentiæ Plenariæ concessæ in hoc anno absque expressa reuocatione censeantur suspensæ?

BRACTEA XXVI.

R. Eas esse suspensas dummodo specialiter dictæ Indulgentiæ pro hoc Anno non concedantur. Et ita Nauarrus *notab.*28. *num.* 33. Vnde benedictiones calculorum datę hoc Anno a Romano Pontifice pro hoc anno non cõtinent Indulgentiam Plenariam pro viuis, sed tantum pro Defunctis, & in articulo mortis.

An nomine Indulgentiarum, quæ in Anno Sancto suspenduntur, veniant litteræ filiationis Religionis?

BRACTEA XXVII.

R. Negatiue. Et ratio est, quia per dictas literas non applicantur satisfactiones ex communi thesauro Ecclesiæ, sed ex determinato satisfactionum thesauro alicuius Religionis, & ideò non suspenduntur in anno Iubilęi.

An facultates eligendi Confessarios, sed sine potestate absoluendi à casibus Summo Pontifici reseruatis sint in Anno Sancto suspensa?

BRACTEA XXVIII.

R. Non esse suspensas, nisi aliter exprimatur in Bulla, vt expressum fuit in Bulla

la suspensionis Vrbani Octaui, quia ibi expressè sic habetur, Omnes, & singulas Indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, & facultates, & indulta absoluendi etiā in casibus Sedi Apostolicæ reseruatis etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis. Ratio est, quia cum illo anno Indulgentiæ Plenariæ reuocentur priuilegia etiam illarum respectu concessa reuocari necesse est, nō ideò tamen alia priuilegia in alium finem concessa suspenduntur, & ideò non esse reuocatas facultates, & priuilegia Confessariorum Regularium circa absolutionem à reseruatis, tàm circa fratres, quam circa sæculares; quia illa non ad acquirendam Indulgentiam Plenariam concessa fuerunt, sed ad commodum spirituale fidelium: tunc autem censetur esse cōcessa facultas absoluendi occasione Indulgentiæ Plenariæ, quando hoc modo conceditur, vt quis possit in vita absolui à suo Confessario electo. Ita Rodriquez *tom. 2. quest. regularium quest. 62.* Similiter non esse suspensam facultatem absoluendi à casibus, & censuris Episcopo reseruatis. Ratio est, quia Papa solum reuocat sua, non autem Episcopalia, vt constat ex illis verbis, A nobis, & eadem Sede, vel eius auctoritate. Nauarr. 28. *num. 6.* Item facultates, quas habent Episcopi circa absolutionem à reseruatis à Summo Pontifici, & iure nouo Concilij Tridentini *sess. 14. cap. 6. de reformat.* non esse suspēsas. Ratio est, quia non conceduntur occasione Indulgentiæ Plenariæ, sicuti non sunt suspensę facultates, quas Nuncius habet, vel Legatus Papæ circa absolutionem casuum Sedi Apostolicæ reseruatorum. Ratio est, quia sunt facultates ordinarię, & Nuncius, vel Legatus est ordinarius in sua Prouincia. Demum nō cēsētur reuocatæ auctoritates remittēdi, dispēsādi, & cōponendi super rebus incertis restituendis, quæ nō malè, neque illicito modo ablatæ sunt, cum diuersa sint ab illis incertis restituendis, quæ malè vel illicito modo habentur. Et ita Nauarrus *de Iubil. notab. 28. n. 8. 9. & 10.* sicut etiam facultates edendi oua, aut laticinia, vel carnes in diebus prohibitis celebrandi Missam cum altari portatili extra locum sacrum, audiendi Diuina tempore interdicti, celebrandi summo mane ante auroram, vel post meridiem, vel matutino tempore recitandi hoc, vel illud officium, & alia huiusmodi, quæ non spectant ad consecutionem Indulgentiæ. Nauarr. *notab. 28. num. 21.* Fabrinus *de Iubilæo cap. 2.*

An reserata Porta Sancta, & transacto anno Iubilæi Indulgentiæ reuiuiscant?

BRACTEA XXIX.

RPOST elapsum annum Iubilæi durare suspensionem Indulgentiarum vsque ad confirmationem. Ratio, quia Sedes nunquam moritur, & ideò est necessarium, vt confirmentur de nouo, vel per viam vnionis renouentur: licet Reginaldus *lib. 7. num. 164.* Filliucius *tom. 1. tract. 8. cap. 10. quest. 3. num. 253.* Santarellus *cap. 5. de Iubilæo.* & alij doceant solùm anni Sancti tempore reuocatas fuisse; si verò loquamur de Bullis Iubilæi Clementis Octaui, in quibus dicitur expressè, durante anno Sancto, certum est eo absoluto Indulgentias Plenarias reuiuiscere, vt antea. Filliucius *tom. 1. de sacramentis tract. 8. n. 254.*

Indictio vniuersalis Iubilæi anni 1650.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

Vniuersis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

APPROPINQVAT, dilectissimi filij continuis bonorū expetitus votis, annus sāctificationis, atque Indulgentię, annus à partu Virginis quinquagesimus supra millesimū, sexcētesimūq; Ad quē in hac vrbe sanctitatis Regia celebrandum ex veteri Ecclesiæ ritu, quem Bonifacius Papa Octauus prædecessor noster intra sæculi spatium siue institutor, siue instaurator inclusit, ac alij deinde Pontifices prædecessores quoque nostri in breuiores annorum circulos; quò plures fruerentur Iubilæi solemnia, redegerūt. Nos eadem fulti auctoritate, quæ in nobis per Dei misericordiam perseuerat, vos acceptabili hoc tempore, non vt olim tubis clangentibus, & Hebræorum populum excitantibus ad recolendum annum ab egressu filiorum Israel ex Ægypto quinquagesimum, annum Iubilæi, ac remissionis, libertatisque captiuorum, hæreditatum, ac possessionum, sed ipsius Altissimi filij voce compellamus, qui primus per sanguinem suum euangelizauit, mundum Iubilæi annum, clamans per ora Prophetarum, ad annunciandum mansuetis missum se, vt medeatur contritis corde, vt prædicet captiuis Indulgentiam, & clausis libertatem, & annum placabilem Domino. Audite hæc omnes Christi sanguine redempti; intrate exultantibus animis portas eius. Haurite cum iubilo de fontibus Saluatoris aquas salientes in vitam æternam. Inuitat vos Sanctarum aperitione Portarum Ciuitas hæc Sacerdotalis, & Regia hęc Petri Sedes, & fidei petra, hæc magistra Religionis, vineę Domini tutoris, communis omniū patria, & commune perfugium. Hic aperto spirituali ærario diuitiæ meritorum Christi, Sanctorumque in Ecclesiam congestę, in hac plenitudine temporis pleniore in omnes manu dispensantur, & reseratis Cœli foribus cœlestium benedictionum manna in Christifideles abūdantiùs pluit. Inuitant vos Trophæa Apostolorum tanto apud omnes gentes ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio venerationi semper habita, vt ex longinquis mundi partibus ad ea venientes, quamuis viderent, vigentibus Imperatorum persecutionibus deregi se per eum cultum, & tamquam Christianos obseruari, atque adeò montis discrimen adire non tamen sacris peregrinationibus absisterēt, ac plures ob eam causam martyrij palmā decorarēt. Hæc sunt illa Apostolorum sepulcra Imperatorijs manibus ædificata, quorum vel externos Basilicæ gradus, ac limina genibus flexis Imperatores aliquando subijsse legimus, ac Reges magnam gratiam putasse, si non propè Apostolorum monumenta, sed vel extra Basilicæ vestibula eorum corpo-

ta sepelirentur, ac Reges fierent Piscatorum Ostiarij. Verùm hæc ipsa fęlicium temporum recordatio magno doloris sensu angit cor nostrum, dum animo subinde reuoluimus, quam longè à maiorum pietate distent hæc tempora, quam multas Prouincias, ac Nationes à cōsortio Catholicæ Religionis hęretica labes abstulerit, atque ab hac Iubilæi lætitia, & cœlestium bonorum communione seiunxerit. At vos Principes, ac Reges, qui vexillum Crucis in fronte gestatis: vos filij promissionis, gens sancta, populus acquisitionis, vos qui timetis Deum pusilli, ac magni vno omnes ore offerte in templum eius sacrificium laudis, & condonatis inuicem offensionibus in anno remissionis, ac pacis, abiectisque tandem armis, quæ cum funesta Christiani sanguinis effusione nimis iamdiù exercentur, ad communem hanc credentium matrem, ex qua lac fidei omnes pariter suxistis fraternis, ac iubilantibus animis conuenite. Qui vos vocatione sua sancta dignatur, mittet è sede magnitudinis suæ Angelos salutis, qui vos ad hæc sacra Apostolorum limina peregrinantes doceant eius vias, & dirigant in semitas æternitatis. Erit hæc vestra in varijs mundi partibus in domum Domini conuenientium frequentia populorum iucundum Cœlo, cœlitibusque spectaculum. Erit & nobis acceleratio Diuinæ propitiationis, & cumulus gratiarum. Si enim oratio iusti plurimum valet, quid preces tot millium communi charitatis spiritu in vnum psallentium non impetrabunt? Erit quoque religionis hostibus rubor, & confusio (vtinam & recipiendi occasio) dum rabescente, videbunt omnia Christi membra suo capiti cohęrere, intelligentque se Patris loco non habere Deū, qui Romanam Ecclesiam matrem non agnoscunt. Nos interim quos Deus nullo quidem meritorum suffragio voluit suorum mysteriorum dispensatores prę̨sidere Ecclesiæ, quam acquisiuit sanguine suo de eius misericordia confisi Sanctissimis Prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, eorumque sanctum institutum tenentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium assensu vniuersale, maximumque Iubilæū in hac sacra Vrbe à primis Vesperis Vigiliæ Natiuitatis Sanctiss. Saluatoris nostri Iesu Christi proximè futuræ incipiendum, & per totū eiusdē peruertati anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi Deo dante prosequendū auctoritate Dei omnipotētis, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac nostra, maxima; & memorabili nostri cordis iubilatione ad ipsius omnipotentis Dei gloriā, Sanctæ Ecclesiæ exaltationem, & tranquillitatem, hæresum extirpationem, Catholicorum Principum concordiam, Christianorūq, omnium populorum solatium, & sanctificationem indicimus promulgamus, & statuimus. Quia Sanctissimi Iubilæi celebratione durante omnibus vtriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum Basilicas, Lateranēm quoque ac S. Mariæ Majoris Almæ Vrbis Ecclesias semel saltem in die per triginta continuos, aut intermissos dies si Romani, vel incolę Vrbis fuerint, seu per quindecim dies si fuerint peregrini, aut alias externi deuotè visitauerint, & pro ipsorū fideliū, ac totius Christiani Populi salute, pace, & concordia pias ad Deum preces effuderint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgētiam, remissionem, ac veniam misericorditer in Domino concedimus, & impartimur. Et quoniam euenire potest, vt ex his, qui hac causa iter aggressi fuerint, vel ad vrbem se contulerint, aliqui in via, aut etiam in ipsa vrbe morbo, vel alia legitima causa impediti, aut morte præuenti, pręfinito dierum numero non cōpleto, ac ne quidem fortassè inchoato premissa exequi, & dictas Basilicas, & Ecclesias visitare nequeant: nos piè, promptèque illorum voluntati quantum in Domino possumus benignè fauere cupientes, eosdem verè pęnitentes, & confessos prædictæ Indulgentiæ, ac remissionis participes perinde fieri volumus, ac si dictas Basilicas, & Ecclesias, vt præfertur à nobis præscriptas re ipsa visitassent. Vos autem venerabiles fratres nostri Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Duces, & Pastores, Populorum, lux Mundi, & sal terrę, capite tubas argenteas quorum vsus est in Iubileo, idest adhibitē prędicationem verbi Dei, & annunciate Populis hoc gaudium, vt sanctificentur, & Dei iuuante gratia parati sint ad ea cęlestia dona capięnda, quę bonorum omnium Largitor Dei filius dilectionis suę per ministerium humilitatis nostræ pręparauit, adducite fratres verbo, & exemplo paruulos ad huius charissimę Matris vbera, quę eos per Euangelium in Christo genuit, adducite filios ad Patrem, Oues ad Pastorem summum, membra ad caput, fideles ad fidei petram, in qua omnis ędificatio Catholicę Ecclesię consurgit, adducite Populum ad Sanctā Romanā Ecclesiā, & ad gloriosos Principes Terre Petrum, & Paulum, qui vniuersum Mundum legem docuerūt Domini, & quorum fides, dignitas, & auctoritas indigno etiam in herede non deficit. Ad sacras igitur Indulgētias, earumque salutares fructus ipso iubilęi anno Romę percipiendos vocate, cętum congregate, Populum sanctificate, Ecclesiam docete, Oues fidei vestrę creditas quia aduenę, & Peregrini sumus in hac vita, & Ciuitatem hic permanentem non habemus; sed futuram inquirimus. Ideò quia breues dies sunt huius nostrę ęrumnosę peregrinationis, & nescimus qua hora Paterfamilias, & Sponsus Christus venturus sit. Idcirco vigilent, & lampades ardentes, & plenas oleo charitatis, & misericordię gestent in manibus, & festinent ingredi in illam requiem. Nam si vnquam alias, nunc potissimum irę, rixę, & contentiones, & inueterata odia dimittenda propter Christum, nunc maximè seruos decet misereri conseruorum suorum, vt Dominus Clementissimus tam debitum dimittat eis, nunc pręcipuè omnes carnis impuritates abluendæ, vt templum Dei mundum sit, & vnusquisq; vas suum possideat in honore, & sanctificatione, & portet Deum in corde suo. Postremò furta, rapinę, homicidia, & adulteria, & omnia peccata exterminanda, vt placetur ira Dei, & eos, qui Christiano nomine gloriantur, agnoscant verè Christianos, & immitatores Christi, & sectatores bonorum operum, docete autem eos quemadmodum ad salutares indulgentias consequendas in animo contrito, & in spiritu humilitatis assiduis orationibus, & ieiunijs, cęterisque pietatis operibus se ipsos pręparare, atq; exer-

cere debeant, & qui substantias huius mundi habent, aperiant viscera sua, & fratrum suorum pauperum inopiam subleuent, præcipuè verò ergà peregrinos Romā venientes misericordes sint, & Sanctam hospitalitatem Deo gratissimam, & quam vetustissimi illi Christiani, etiam inter persecutionum fluctus diligentissimè coluerunt, ipsi quoque multa cum charitate spiritus renouent, atque obseruant. Admonete etiam eos, vt orent pro Regibus, & Principibus Christianis, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, ac pax, & concordia perpetuò conseruetur. Postremò docete eos cum sanctam peregrinationem susceperint, qua modestia, qua deuotione, qua fraternę pacis obseruantia lucere eos opporteat, vt sint Christi bonus odor in omni loco. Prębete autem vos ipsi fratres venerabiles, & omnis Clerus exemplum in primis bonorum operum, & formam gregis, vt vestra virtutis, & Religionis veluti sale cęteri condiantur, & omnem peccati putredinem abhorreant, ac denique omnes vnanimes in vno spiritu Christianę charitatis, atq; in omni sanctitate, & iustitia Deo seruiamus. Hortamur quoque, & rogamus in Domino charissimos in Christo filios nostros Imperatorem, ac Reges, & Principes omnes Catholicos, vt quo plura, & magis illustria beneficia ab eo, per quem Reges regnant acceperunt, tanto ardentiùs, vt par est, ad Dei gloriam procurandam pio zelo excitētur, pręcipuè verò venerabilium fratrum nostrorum Episcoporum, & Superiorum Antistitum Pastoralem sedulitatem, ac vigilantiā adiuuent, & à suis Magistratibus, & Ministris adiuuari mādēt, vt improborū licētia coerceatur, & bonorum studia eorum regia opera, & gratia faueātur, maximè autem ergà Peregrinos beneficentiam, & liberalitatem exerceant, curentq; vt tutis incedant itineribus, & nulla hominum perditorum vexatione perturbentur, sed hospitalibus, domibus, & publicis hospitijs amanter excepti, & commeatu, & rebus ad vitam necessarij recreati sine vlla concussione, & iniuria institutum iter lęti peragant, & cum gaudio in Patriam reuertantur. His enim hostijs Reges Potissimum, & Principes Deum sibi pacabilem reddant, vt diù in terris fęlices viuant, & demum in ęterna Tabernacula recipiantur ab illis ipsis pauperibus, ergà quos misericordiam exercuerint, in quibus Christus pascitur, & nutritur. Vt verò pręsentes litterę ad omnium fidelium quibuscunque locis existentium notitiam facilius perueniant; volumus earum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac personę in dignitate Ecclesiastica constitutę sigilio munitis, eandem prorsus fidem adhiberi, quę haberetur si exhibitę forent, & ostensę. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrę indictionis, promulgationis, concessionis, impartitionis, hortationis, rogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contradire, si quis autem hoc attentare pręsumpserit, indignacionem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicę millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, quarto nonas Maij, Pontificatus nostri anno quinto.

D. Card. Prodat.

Ferdinandus Reggius
N. Lagnel.

Visa de Curia Petrus Iennel.

Registrata in Secretaria Breuium.

MALLEATIO XXI.

Extrema Vnctio est Sacramentum, quod confertur homini in extrema necessitatę vitæ existenti, & idcircò dicitur Extrema vnctio, quia est vltima, quàm homo viator recipit, recipiendo primam in Sacramento Baptismi, in Confirmatione secundam, &c. De materia, forma, effectibus, & Ministro huius Sacramenti breuiter hic agam, de isto tractant Theologi distinct. 23. *Canonistæ* cap. 1. de Sacramento Vnctionis cap. Peruenit distinct. 95. & cap. Præsbiteros *Summistæ* Verbo Vnctio extrema.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

An Extrema Vnctio sit Sacramentum?

BRACTEA I.

Rextremam Vnctionem esse Sacramentum. Et est de fide, ex Ecclesiastica traditione, ex Tridentino Concilio *sess.* 14. habetur etiam *cap. cum venisse de Sacra Vnctione ex Innocentio III. & ex Iacobe* 5. vbi dicitur Infirmatur quis in vobis inducat Presbiteros Ecclesię, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit Infirmum, & alleuiabit eum Dominus, etsi in peccatis sit, remittantur ei.

Sciendum ad Extremam Vnctionem concurrere tria requisita ad rationem Sacramenti. Primum signum externum, quod est Vnctio Olei cum oratione. Secundò effectus cum promissione gratię, quę est alleuiatio infirmi, & remissio peccatorum. Tertio institutio Christi, & mandatum, quod habetur ex Apostoli promissione, nisi enim id Dominus mandasset, non

tam

tam certo, & absoluto Apostolus promisisset. Designatur etiam Minister, & suscipiens, ille nomine presbyteri, id per infirmum fidelem.

Sciendum 2. hoc Sacramentum esse à Christo institutum, & est de fide ex definitione Concilij Tridentini *sess. 7. de Sacr. in genere can. 1.* Quādo verò institutū est, nihil certū haberi potest. Suar. *to. 4. disp. 39. sec. 2.* docet probabile esse, quod Christus tunc potestatem illud administrandi Apostolis dederit, & ex consequenti illud constituerit, cum dans eisdem potestatem remittendi, & retinendi peccata, Sacramentum penitētię instituit post resurrectionem dicens *Quorum remiseritis peccata remittuntur ei, &c.* Ratio est, quia sicut hoc Sacramentum quodammodo est Sacramento pęnitentię annexum, ad tollendas reliquias peccatorum: ita etiam, potestas ipsum administrādi, nō immeritò creditur quoad institutionem annexa fuisse potestati administrandi Sacramentum pęnitentię.

Sciendum 3. hoc Sacramentum esse vnum, vnitate specifica, & numerica. Quod sit vnum vnitate specifica, patet, quia fit ex eadem materia, & forma, & ordinatur ad eundem finem semper, ergo est eiusdem speciei. Quod sit vnum vnitate numerica, patet etiam, quia licèt constet ex multiplici vnctione, & multiplici verborum forma, nihilominus, ex illis omnibus consurgit vnum numero Sacramentum, quod vocatur vnum compositione, quia cum omnes tales vnctiones, & formę ordinentur ad vnam integram totius hominis vnctionem, ad vnumque completum obtinendum, ex omnibus illis componitur vnum tantum Sacramentum, quod producat gratiam sufficientem ad confortandum, & alleuiādum infirmum quantum indiget, vel indigere potest.

Quid sit Sacramentum Extremæ Vnctionis?

BRACTEA II.

R. Esse signū rei sacrę, quo Presbyter vngit oleo benedicto certas corporis partes infirmi probabiliter periclitantis de vita, sub pręscripta verborum forma, iuxta Christi institutionem ad salutem animę, & corporis. Ita colligitur ex Doctoribus. Quę definitio censetur perfecta, cum contineat genus, & differentiam: dicitur enim signum rei sacrę loco generis, in quo extrema vnctio conuenit cum reliquis Sacramentis; cœtera verò ponuntur loco differentię, cum per hasce particulas extrema vnctio differat à cœteris Sacramentis.

Quænam sit materia huius Sacramenti?

BRACTEA III.

R. Materiam huius Sacramenti duplicem esse, proximam, & remotam. Materiam remotam esse oleum oliuarum ab Episcopo benedictum, quod oleum sit materia remota, patet ex verbis D. Iacobi *Vngentes eum oleo,* illudque debere esse oliuarum, quia tale simpliciter intelligitur nomine olei, sicut aqua elementaris nomine aquę. Quod debeat esse ab Episcopo benedictum, patet etiam, quia materia huius Sacramenti non est vsu Christi sanctificata, ideò eguit consecratione, quod habetur ex Apostolica traditione, vt notatum est in Concilio Tridentino *sess. 14. in doctr. de extrem. vnct. cap. 1.*

Sciendum de necessitate Sacramenti non esse necesse, vt oleum fuerit eo anno benedictum, cum nullo iure constet hoc requiri, ex consuetudine tamen, & ex pręcepto, debet esse benedictum eo anno *cap. litteris de consecratione dist. 3.* nec Parochus videtur excusandus à peccato, si oleum alterius anni adhibeat, nisi aliud suadeat necessitas.

Sciendum 2. non requiri, vt sit oleum Balsamo adiunctum. Patet vsu communi Ecclesię. Et ratio est, quia odor bonę famę balsamo significatus, non est necessarius morientibus, sed viuentibus, ideòque cum hoc Sacramentum morientibus conferatur, non eget balsamo.

Sciendum 3. posse Parochū licitè oleum non consecratum miscere consecrato, quando timet fore, vt oleum consecratum non sufficiat, vtrumque enim censetur consecratum per admixtionem, modo quod additur, sit minoris quantitatis consecrato.

R. 2. Materiam proximam huius Sacramenti esse Vnctionem Infirmi ex prædicto oleo. Patet ex verbis Iacobi 5. *Vngentes eum oleo, &c.* Et ratio est, quia hoc Sacramentum non consistit in ipsa materia permanente, sed in vsu: Si ergo non consistit in materia permanente, vsus vtiq; remotę materiæ, erit proxima, atque adeo ipsa Vnctio.

Sciendum 3. non esse de necessitate Vnctionem fieri in modum crucis, nam neq; in scriptura, neque in Concilijs, neque in Concilio Tridentino habet fundamentum, debere tamen fieri ex consuetudine iam introducta.

Sciendum 4. ad integritatem huius Sacramenti requiri septem particulares vnctiones, vngendum esse in oculis propter visum, in auribus propter auditū, in manibus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter egressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.

Sciendum 5. non esse de necessitate Sacramenti, vt omnes concurrant, quod plerumque propter honestatem duæ earum omittuntur, pedum scilicet, & renum, præsertim in fœminis: Vnde consequens est eas non esse de necessitate Sacramenti. Quod autem aliæ quinque sint necessariæ, probatur ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine, à qua recedere in re, quæ dubium efficere potest Sacramentum esset peccatum mortale, tum quia hoc Sacramentum est institutū ad tollendas sordes, & reliquias peccatorum, & ibi adhibetur, vbi est radix peccati.

Sciendum 6. non esse absolutè necessarium, vt vtrumque organum sensus vngatur, sed sufficit ad valorem Sacramēti vnū oculum, vnam aurem, vel vnam manum inungere, vt docet Henriq. *cap. 12. num. 1.* Suarez *disp. 40. sect. 2. num. 5.* & alij. Qui tamen modus vngendi vsurpandus non est contra Ecclesiæ consuetudinem, nisi necessitas postulet, quia periculum in mora est. Quod si ægrotus manibus careat, vngenda est caro propinqua, si oculis careat, locus oculorum vngi debet. Ita Henriq. *loco cit.* & alij: nam licet homo, qui perpetuò caruit visu, non potuerit eo sensu peccare secundum effectum, potuit tamen peccare secundum concupiscentiam videndi, &c.

Quæ

Quæ sit forma Sacramenti Extremæ Vnctionis?

BRACTEA IIII.

R. Formam huius Sacramenti esse verba, quæ proferuntur à Sacerdote, dum vnguntur partes infirmi, quæ sunt hæc. *Per istam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum. Amen*, & similiter de alijs membris.

Sciendum formam esse proferendam modo deprecatiuo. Et ita communiter omnes, & fundatur in traditione Ecclesiæ. Ratio est, quia datur infirmis, qui egent oratione, tum quia ipsi transeunt ex foro Ecclesiæ ad forum superiùs Diuinæ Maiestatis, ideòque Diuinæ Clementię commendantur, & cum dicitur; *Per istam sanctam Vnctionem*, significatur materia proxima huius Sacramenti; cum verò subiungitur, *& suam pijssimam misericordiam*, significatur principalis causa operans in hoc Sacramento; cum demùm additur, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, significatur primarius huius Sacramenti effectus.

An de necessitate huius Sacramenti sit, vt forma proferatur modo deprecatiuo?

BRACTEA V.

R. Necesse esse, vt proferatur modo deprecatiuo, & inualidum esse Sacramentum administratū forma indicatiua. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia vnius Sacramenti non possunt esse duæ formæ institutæ, nisi sint æquiualentes saltem in sensu: cum autem forma deprecatiua sit sufficiens ad validitatem Sacramenti, sequitur verba, quæ proferuntur solùm indicatiuo modo non esse formam sufficientem, licet Suarez *tom.4.disp.40.sect.3* & alij apud Bartholmæum ab Ang. §.108. asserant hanc formam sufficere, *vngo te Oleo sancto, vt Deus tibi remittat quidquid deliquisti per visum*. Ratio est, quia verbo indicatiuo adiungitur sufficiens deprecatio, sed hæc opinio displicet Bonacinę *disp.7.quæst.vnica par.3.* cum non videatur continere formam deprecatiuam versus Deum.

An omnia verba posita in forma sint de essentia ipsius?

BRACTEA VI.

R. Non omnia verba posita in forma consueta videri essentialia, quāuis sine peccato omitti nequeant, vt si quis dicat, *per hanc vnctionem remittat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, &c.* validum esse Sacramentum, licet Minister grauiter, ea omittendo, peccet.

Sciendum certum esse inuocationem Sacrosanctæ Trinitatis ad huius Sacramenti formulam non requiri, tum quia nulla est specialis necessitas inuocandi Sanctissimam Trinitatem, cùm hoc Sacramentum non sit professio fidei, sicut est Baptismus. Ita Coninchus *disp.19. dub.4.num.15.* Layman *tract.7.de extrem.vnct.cap.3.nu.3.* & alij, quamuis non sit omittenda in Ecclesijs, quibus consuetudo est, vt addatur.

Sciendum 2. verba illa *quidquid peccasti* efficere sensum conditionalem, si peccasti. Quamobrem ministrari posset hoc Sacramentum homini non habenti peccatum, v.g. ei, qui immediatè ante baptizatus fuit. Ita Ricard. *in 4. dist.23.art.2.quæst.4.* Suarez *disp.42.sect.2.num.7.*

Sciendum 3. posse Parochum quando periculum est in mora iniuncta singulorum sensuū vnica parte, vnicam formam proferre, complectentem plures partiales formas. Quamobrem poterit Parochus, dum vngit aures, nares, oculum, & os dicere. *Per istam Sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti*, licet in praxi non sit facile recedēdum à consuetudine, & communi vsu, nisi aliter postulet, & cogat necessitas.

Quis sit Minister huius Sacramenti?

BRACTEA VII.

R. Solum Sacerdotem posse esse Ministrum huius Sacramenti Extremæ Vnctionis, & patet, tum ex Tridentino *sess.14.cap.3.de Extr.Vnct.* tum ex verbis Iacobi *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Et ita S.Thomas *in 4.dist.23.quæst.2.art.1.* S.Bonau. *ibidem quæst.2 art.1.* Richard. *art.2.quæst.2.* Paludan. *quæst 2.art.1.* Suarez *disp.43. sect.1.num.5.* Bellarm. *tom.3.de Extrem.Vnct.cap.9.* Siluest. *verbo Vnctio Extrema num.4.* Angel. *ibidem num.3.* Tabien. *num. 6.* & alij communiter.

Sciendum, quod licet quiuis Sacerdos hoc Sacramētū validè administret, quia eius administratio intrinsecè non est actus iurisdictionis sicuti absolutio à peccatis, mortaliter tamen peccat, qui nec proprius Sacerdos existens, nec à proprio Pastore licentiam habens, hoc Sacramentum administrat, cum ministrare Sacramenta fidelibus sit proprium Pastoris officium. Regulares verò excommunicationis sententiam Sedi Apostolicæ reseruatam, ipso facto, incurrunt Clement. 1. de priuileg. si Clericis, vel Laicis Sacramentum Vnctionis, vel Eucharistiæ ministrare, vel matrimonijs assistere sine Sacerdotis proprij licentia præsumant: Excipitur tamen casus necessitatis, si videlicet Parochus adsit, vel non possit, aut per manifestam iniuriam nolit Sacramentum ministrare, neque etiam hoc in casu Superior eius adiri queat pro petenda licentia, tunc quemuis alium Sacerdotem non excommunicatum, aut suspensum licitè ministrare. Ita Caiet. *verbo excommunicatio num.64.* Henriq. *lib.3. cap.13.num.14.* Suarez *disp.44.sect.2.* Zambranus *cap.5.disp.8.* quia tunc præsumitur adesse, & licentia Episcopi, vel Summi Pontificis, cum non sit credibile Ecclesiam velle priuare Infirmum tanto Sacramento, quo potest ex attrito fieri contritus, & consequenter saluari. Ita Valentia *tom.4.disp 8.quæst.1. part.2.* Reginald. *lib.18. num.418.* & alij.

An hoc Sacramentum dari possit à pluribus Sacerdotibus simul?

BRACTEA VIII.

R. Plures Ministri possunt esse in Sacramento Extremæ Vnctionis, itaut vnus vnum

vnum sensum vngat partiali forma prolata, & alter alterum sensum vngat, itidem prolata forma partiali, vigente tamen necessitate, modo vnusquisque vngat independenter ab altero. Ratio est, quia hoc Sacramentum non requirit vnitatem Ministri, cum habeat plures partiales materias, & formas, quorum singulę habent suam partialem significationem per ordinem ad suum effectum, quamuis à pluribus proferantur, licet extra necessitatem non possit hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus ministrari absque peccato mortali. Ratio est, quia consuetudo Ecclesiæ declarat, vt vnus Minister omnes Vnctiones, atque adeò totum Sacramentum perficiat, nisi Sacerdos post peractas aliquas vnctiones moriatur, aut propter aliquod impedimentum omnes prosequi nequeat, tunc enim alter Sacerdos peragere, debet eas Vnctiones, quæ restant, neque iam peractas repetere, vtpotè ex se sufficientes in suo gradu ad verum Sacramentum perficiendum. Et ita S. Thomas *in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2.* Sotus *ibidem*, & alij.


An Parochus teneatur tempore pestis ministrare Extremam Vnctionem, & Eucharistiam cum periculo vitæ?

BRACTEA IX.

R. Regvlariter Parochum non obligari administrare Sacramẽtum Extremæ Vnctionis cum periculo vitæ. Ratio est, quia non est Sacramentum necessitatis, & alioquin sufficienter subuenitur necessitate infirmi per Sacramentum confessionis: Si verò moraliter certus esset infirmum indigere tali Sacramento, tunc cum periculo vitæ, etiam obligaretur ipsum administrare. Ita Molphesius *in summa tom. 1. tract. 4. cap. 3. num. 51.*

Sciendum iuxta Siluium *in 3. part. quæst. 32 art. 3.* Sacerdotem tempore pestis posse iniungere infirmum, non digito, sed virga oblonga his verbis. Curet Sacerdos habere vestes breues, & ita eas ad se colligat, vt quam maximè potest fugiat contactum infirmi. Præterea ægrotum sic potest constitui, faciat in loco puro, & libero non festatuat inter ignem, & infirmum muniat se præseruatiuis iudicio Medicorum, & vti potest virga oblonga, verè tamen oleo tincta, sic, vt perficiatur vnctio. Peracta autem vnctione virgam eiusmodi, aut purgabit, ac in similem vsum seruabit, si aurea, vel argentea sit propter reuerentiam Sacramenti, vel igne comburatur si sit lignea. Ita Siluius *loco citato*.

R. 2. Parochum tempore pestis ex iustitia teneri ministrare Sacramentum confessionis, etiam cum periculo vitæ, nisi moraliter esset certus infirmum non habere conscientiam peccati mortalis, & alioquin periculum vitæ magnum esset. Ita Suarez *disput. 44. sect. 3. num. 13. & 15.*



An Sacerdos tempore pestis possit inungere solum vnam partem?

BRACTEA X.

R. Affirmative. Et ita Siluius *in 3. part. quæst. 2. art. 7.* Ratio est, quia sicut in casu necessitatis potest solummodo inungere vnam partem: ita etiam posset ad euitandum contagij periculum vngere vnum organum sensus ad Vnctionem magis expositum, & detectum proferendo totam formam: Ita Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 8. cap. 9. num. 3.* Coninch. *de Sacram. disp. 19. dub. 3. num. 9. & 12.* & an Sacerdos tempore pestis possit inungere infirmum virga oblunga, dictum fuit.

An Sacerdos, qui vnxit Infirmum cum oleo veteri peccauerit mortaliter?

BRACTEA XI.

R. Sacerdotem, qui absque iusta, & legitima causa vngit Infirmum oleo veteri, peccare mortaliter. Ratio est, quia facit contra consuetudinem Ecclesiæ in materia graui. Ita Zambran. *de casib. occurrentib. tempore mortis cap. 5. dub. 4. num. 5. & 14.* vbi sic asserit. Ex dictis sequitur esse peccatum mortale; vel oleum benedicere alio die, quam feria quinta, vel illud singulis annis non renouare; vel veteri vti extra necessitatem. Et ideo renouandum esse oleum infirmorum quotannis, & vetus combu rendũ vel in piscinam inijciendum: si verò (vt dictum est) non sit aliud oleum, nisi vetus, potest, instante morte fieri cum illo Extrema Vnctio.

An vna gutta olei sit sufficiens in vnaquaque Vnctione ad conferendum Sacramentum Extremæ Vnctionis?

BRACTEA XII.

R. Svfficere vnam guttam olei in vnaquaque vnctione ad conferendum Sacramentum Extremæ Vnctionis. Ratio est, quia sicut vna gutta aquæ sufficit ad conferendum Sacramentum Baptismi, quia talis gutta dicitur lauare, ita etiam vna gutta olei erit sufficiens in vnaquaque vnctione ad ministrandum Extremę Vnctionis Sacramentum, quia vna gutta olei dicitur etiam vngere, ergo, &c. Ita Reginaldus *in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 9. num. 13.* & alij.

An si Parochus cognoscat per confessionem puerum nunquam actualiter peccasse, teneatur hoc Sacramentum ministrare?

BRACTEA XIII.

R. Teneri. Ratio est, quia in isto casu Infirmus indigebit Sacramento Extremæ Vnctionis ad acquirẽdum robur aduersus tentationes, & accipiet gratiam, qua perfectiùs ad ingressum gloriæ præparetur. Ita Suarez *tom. 4. disp. 42. sect. 2. n. 10.* & alij citati à Diana *in tract. 4. de Sa-*

de Sacramentis resol.181. licet plures ab ipso citati teneant contrariam sententiam.

An Sacerdos incurrat irregularitatem, si ægrotus ex hac vita discedat, dum Sacerdos curat illum reuolui ad Vnctionem impendendam?

BRACTEA XIV.

R. Negative. Et ita Sot. 5. *de iustitia quæst.1. art.9.* Posseuin. *cap.9. nu.17.* Ratio est, quia hæc irregularitas non est in iure expressa. Irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa.

De subiecto huius Sacramenti?

BRACTEA XV.

R. Svbiectvm capax huius Sacramenti est solus homo baptizatus, qui rationis vsum adeptus est, qui morbo, vita periclitatur. Ita communiter omnes.

Sciendum ad subiectum huius Sacramenti tria requiri. Primò, requiri vt sit baptizatus, nam baptismus est ianua vitæ spiritualis, quia per ipsum de corpore Ecclesię efficimur. Quare sine baptismo homo capax esse non potest aliorum Sacramentorum, quę Christus pro salute, & profectu, Ecclesiæ instituit. Secundò requiritur, vt rationis vsum adeptus sit, tunc enim peccati actualis capax, tamquam miles aduersus extremos Diaboli incursus pugnare, & ob id veluti ad luctam vngi potest. Tertiò, requiritur, vt homo vita periclitari videatur propter infirmitatem ex morbo, peste, vulnere, veneno potato, vel simili causa intrinseca, neq; enim Extrema Vnctio ijs conferri potest, quibus per extrinsecam violentiam, gladio, suspendio, naufragio mors inferenda est. Et ita communiter omnes Scholastici *in 4. dist.23.*

Sciendum 2. ad recipiendum hoc Sacramentum, non esse expectandum extremum, aut omninò certum periculum mortis, sed expedit dare, cum periculum est probabile, ne si diutiùs differatur vnctionis Sacramentum, mors, vel saltem sensũum defectio subito superueniat. Ita communiter omnes.

An Puer sit vngendus Sacramento sub conditione, quando dubitatur an habeat vsum rationis?

BRACTEA XVI.

Respondet Zambranus, *de casibus occurrentib. tempore mortis cap.1. dub.1. num. 7.* dandam esse Extremam Vnctionem sub conditione, quando de puero dubitatur, an haberet vsum rationis sufficientem ad Sacramentum pęnitentiæ, licet videatur tutius non dare Vnctionem, quando dictus puer non posset recipere Sacramentum Pęnitentiæ. Sed.

R. Absolutè dandam esse Extremam Vnctionem sub conditione, etiamsi infirmus recepisset Sacramentum Pęnitentiæ sub conditione, & de eo dubitetur an vsum rationis habeat: Ita Sanctius *in select. disp.27. num.17.* Diana *de Sacrament. resolut.169.*

An Mulieribus parturientibus sit ministrandum hoc Sacramentum?

BRACTEA XVII.

R. Si discrimen vitę fundetur in aliqua actuali ægritudine, & infirmitate, vt quia iam cępit habere accerbissimos dolores, ex quibus iudicio Medicorum appareat probabile mortis periculum, posse dari: simpliciter ob partu nullo modo posse dari, quia non laborant infirmitate corporali.

An Senibus possit dari Sacramentum Extremæ Vnctionis?

BRACTEA XVIII.

R. Posse dari, nam Senium est quoddam morbi genus, & addito periculo, nihil videtur deesse ad eum stãtum, qui exigitur ad extremam vnctionem recipiendam. Ita Nauar. *cap.22. num.14.* & alij.


R. 2. Laborantes phrænesi posse recipere Sacramentum Extremæ Vnctionis cum fructu, si ante phrænesim optauerint hoc Sacramentum modo saltem actum attritionis præmiserint, & Phraneticus, qui ante phrenesim habuit actum attritionis, dicitur recipere Sacramentum sine obice, ergo recipit Sacramentum cum fructu consequenter obtinet remissionem peccatorum.

Sciendum hoc Sacramentum posse dari omnibus fidelibus, in articulo mortis existentibus. Ratio est, quia tunc censentur habere intẽtionem illud suscipiendi, saltem interpretatiuam, qualem habent, qui Christianè vixerunt, vel qui signa dederunt contritionis, vel qui semel habuerunt intentionem suscipiendi hoc Sacramentum. Ita Nauarr. *cap.22. num.13.* Henriquez *lib.1. cap.22. num.3.* & alij.

Quid faciendum quando Infirmus moritur dum vngitur?

BRACTEA XIX.

R. Parocvm debere desistere ab vnctionibus. Ratio est, quia Sacramenta solum viatoribus conferuntur. Ita Siluest. *verbo Extrema Vnctio num. 5.* Armil. *eodem verbo num.7.* Tabien *eodem verbo nu.8.* & alij. Si verò solum dubitatur an sit mortuus, administrandum esse sub conditione, si adhuc viuit. Ita Emanuel Sa *verbo Extrem. Vnctio*, & fieri potest, vt Infirmus ex attrito fiat contritus, si adhuc viuit. Ita Suarez *disp.42. sect.1.* & alij.



An

An Fideles obligentur ad recipiendum hoc Sacramentum?

BRACTEA XX.

R. Ad huius Sacramenti susceptionem fideles non obligari sub mortali. Ratio est, quia talis obligatio, neque sequitur ex natura rei, neque habetur ex aliquo præcepto; ex accidenti posse in duobus casibus esse peccatum mortale non recipere tale Sacramentum. Prior est ratione scandali, seu quando aliqui efficaciter inducerentur ad parui pendendum hoc Sacramentum, vel ad generaliter negligendum remedia suæ salutis, vel ad iudicandum temerè, & cum publica detractione de salute spirituali proximi, &c. Secundus casus quando ex contemptu Sacramentum istud non percipitur. Ita Reginaldus *lib.28.cap.vlt.num.72.* & alij citati à Bonacina *disp.7.quæst.vnica part.5. de Sacramento Extremæ Vnctionis num.*10.

An sit peccatum mortale conferre Sacramentum Extremæ Vnctionis Infirmo, antequam susceperit Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ?

BRACTEA XXI.

R. Negatiue. Ratio est, quia Infirmus potest per contritionem se disponere ad suscipiendum hoc Sacramentum, licet regulariter dandum sit post Viaticum, quoties infirmus potest Viaticum recipere, & post absolutionem Sacramentalem. Ita Suarez *tom.4. disp.44. sect.1.* Emanuel Sa *verbo Extrema Vnctio num.3.* Henriq. *cap.10.* S. Antonin. *3.part.tit.14.cap.15. §. 6.* & alij.

De effectu Sacramenti Extremæ Vnctionis?

BRACTEA XXII.

R. Primarium huius Sacramenti effectum esse gratiam habitualem, quæ habet adiuncta specialia auxilia ad expellendas habitudines, & procliuitates ad malum, ad delenda venialia, & ad conferendam sanctitatem, quatenus expedierit. Et ita plures Doctores citati à Bonacina *disp.7. quæst.vnica par.6. de effectu Sacram. Extrem. Vnct. num.1.*

Sciendum hoc Sacramentum de se præparare animam proximèque disponere ad introitum in Cœlum, quandoquidem non modo tollit peccata, si quæ sint, sed etiam eorum abstergit reliquias, ac per prædicta auxilia iuuat ad perseuerantiam in bono vsque ad mortem, tollit etiam pœnas temporales peccatis debitas iuxta dispositionem suscipientis, & potest aliquando facere hominem ex attrito contritum.

R. 2. Sanitatem corporis, esse etiam effectum huius Sacramenti est de fide, & fundatur in verbis *Iacob.5.* Oratio fidei saluabit infirmum & alleuiabit eum Dominus. Quæ verba intelliguntur etiam de salute corporis.

Sciendum promissionem huius effectus debere intelligi conditionatè si scilicet ita animæ saluti expedierit, vt explicat Trident. *sess.14.cap.2.* salus enim corporis non est bonum per se homini necessarium.

Quando Sacramentum Extremæ Vnctionis conferat gratiam?


BRACTEA XXIII.

R. Ipsam conferre quando perficitur vltima vnctio cum sua forma essentiali, quæ est quinta. Et ita Filliucius *tom.1.tract 3.cap.5 nu. 126.* Suarez *tom.4.disp.41 sect.2.nu.13.* & alij citati à Diana *tract.4. de Sacramentis resolut.179.* Ratio est, quia omnia Sacramenta, quæ consistunt in vsu vnicam gratiam conferunt in eo momento, quo Sacramentum completur, ergo idem in hoc, tum etiam, quia peccatum vnius sensus non remittitur sine peccatò alterius, & omnes vnctiones institutæ sunt ad eundem effectum completum, & ordinantur ad vnam integram totius hominis vnctionem: Vnde si infirmus moreretur ante quintam vnctionem non reciperet gratiam.

An Sacramentum Extremæ Vnctionis possit reiterari?

BRACTEA XXIV.

R. Esse reiterabile hoc Sacramentum. Et ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia non imprimit characterem, & Sacramenta, quæ non imprimunt characterem, sunt reiterabilia, & licet in eadem infirmitate, seu in eodem infirmitatis statu iterare nequeat: cum semel suscepta sit medicina sufficiens ad conferendum effectum, quo Infirmus indiget, nihilominus si status infirmitatis mutetur, potest iterari. Et ita Siluest. *verbo Extrem.Vnct.nu.9.* Henriq. *cap.19.nu.4.* & communiter omnes Doctores circa ritus, & cæremonias, cum quibus administrandum est hoc Sacramentum, & deferenda est Extrema Vnctio ad Infirmum, standum est Rituali, consuetudini, & legibus Episcoporum.



MALLEATIO XXII.

Quod Ordo sit Sacramentum est de fide, ita colligitur ex Concilio Florentino in institut. Armenor. *& ex Tridentino* sess.23.can.2. *& communiter docent Theologi, more solito procedam agendo de eius institutione, materia, forma, Ministro, subiecto, & effectibus. Præterea de ijs, quæ impediunt susceptionem, & exercitium Ordinis, nimirum de irregularitate, excommunicatione, &c. Secundò de obligationibus annexis ordini, idest de obligatione incedendi in habitu, & tonsura, recitandi horas Canonicas, &c. & de Cœlibatu. Tertiò Cuius sint fructus beneficiorum. Quartò De priuilegijs Clericorum. Quintò De dignitatibus, & Officijs annexis ordini. Sextò De distributionibus. Septimò De modis legitimis acquirendi beneficia, & de Pensionibus. Octauò De spolijs Ecclesiasticorum. Nono De Simonia. Decimo De alienatione bonorum Ecclesiasticorum. Vltimò De rebus Ecclesiæ per successionem non deferendis. Tractant de ordine Theologi* distinct.24. & 25. *Diuus Thomas* à quæst.34. vsque 40. *Canonistæ* in Decr.23. *Summ.* verb. ord. *& alij*.

De Sacramento Ordinis.

Quid significet nomen Ordinis?

BRACTEA I.

R. Svmi varijs modis, sed quod attinet ad rem nostram, præcipuè tribus. Primò pro respectu inter aliquas res, quarum vna est prior altera, vel natura, vt causa, & effectus, vel tempore, vt Pater filio, Arbor fructibus, vel loco, vt Cœlum, igne, &c. vel superioritate, vt inter nouem Angelorum Ordines: Vnde S. Augustinus *lib.19. de Ciuit. Dei cap.13.* inquit. Ordo est parium, dispariumq; rerum suà cuiq; loca distribuens dispositio. Atque ita non modo in vniuerso inferiora subsunt Cœlestibus; verum etiam inter homines alij alijs, &c. Secundò sumitur ordo per Antonomasiam pro varijs Religionibus, quo pacto vulgo dicitur ordo S. Dominici, vel S. Francisci, &c. Tertiò sumitur pro signo, seu ceremonia externa, qua confertur homini gradus dignitatis, & officium in Ecclesia Christi, & hac postrema significatione sumitur hoc loco.

Quid sit Sacramentum Ordinis, & quando fuerit institutum?

BRACTEA II.

R. Ordinem esse Sacramentum nouæ legis, quo potestas spiritualis significatur, & traditur in ordine ad Sacrosanctum Christi Corpus consecrandum. Primò ponitur Sacramentum loco generis, quia illi commune est, cum reliquis Sacramentis, & est de fide ex Concilio Florentino *in construct. Armenor.* & ex Tridentino *sess.7.can.1.* Cœtera verò ponuntur loco differentiæ.

R. 2. Hoc Sacramentum institutum esse in vltima cœna verbis illis apud Luc. *cap.22. Hoc facite in meam commemorationem, &c.* Quibus verbis Christus contulit Apostolis auctoritatem Sacerdotalem, eisdemque, & ipsorum in Sacerdotium successoribus præcipuè, vt Corpus suum, & sanguinem sub specie panis, & vini offerrent.

Sciendum, quod Christus per excellentiæ potestatem Apostolis omnes Ordines simul contulit: nam sub principali, quod est Sacerdotium, cœteri omnes comprehenduntur, qui participant, licet imperfectè potestatem aliquam circa Corpus Christi ministrandum, & Sacerdoti inseruiendum. Ita Henriquez *cap.4. §.3.*

R. 3. Ordines esse septem, quorum nomina, & vnuscuiusq; propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in vsu fuisse, nimirum Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Exorcisatum, Lectoratum, & Ostiariatum, inter quos locum primum tenet Sacerdos, quippe qui Excellentissimum Missæ sacrificium Deo Patri offert, ei verò proximè assistit, atque inseruit Diaconus, posteà Subdiaconus, deinde Acolitus, cuius officium est cereos deferre, ampullas præbere, Exorcistas verò Dæmones ab obsessis pellendo, eos aptos reddit, vt Missæ sacrificio interesse possint: Lector autem sacra lectione præsentium fidelium animos ad debitam huic mysterio pietatem excitat: Ostiarius denique eos, qui digni censentur, ad sacrificium admittit, indignos verò excludit, sicut optimè explicat D. Thomas *in 4. dist. 24. quæst.2. art.1.*

Sciendum 2. inter septem hos Ordines, quidam Sacri sunt, qui & maiores vocari solent, quidam non sacri, & inferiores, sacri Ordines dicuntur, quibus votum continentiæ annexum est, cuius vigore, ita Deo, & Ecclesiæ consecrantur, vt statum Matrimonij, aut alia officia laica, deposito statu Clericali, assumere nunquam possint, secùs est de ordinibus non sacris, quibus initiati licet ordinem nunquam amittant, tamen ducendo Vxorem viduam, omne officium, ac priuilegium Clericale deponere, ac veluti Laici fieri censentur. Ita Layman *tract.9. de Sacramento Ordinis cap.3.num.2.*



Votum

Votum Episcopatus sit Ordo?

BRACTEA III.

PRIMA sententia est, quod Episcopatus sit ordo, & ita Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. par. 4.* Nauarr. *in manual. cap. 22. num. 18.* Michael Medina *lib. 1. de cœlibatu sacerd. cap. 16.* Caietan. *tom. 1. opusc. tract. 11.* Coninch. *disp. 20. dub. 2. num. 9.* Ratio est, quia per Episcopatum cõfertur peculiaris potestas, & character, per quem creari possunt Sacerdotes. Sed

Respondeo Episcopatum non esse ordinem, loquẽdo propriè de Ordine, per quem confertur peculiaris potestas ad conficiendum corpus Christi, & ad sacrificandum. Ratio est, quia Ordines distinguuntur per diuersam habitudinem, quam habent ad Ecclesiam. Episcopatus autem non habet circa illam maiorem potestatem, quam simplex Sacerdos, sed tantum potest conferre duo sacramenta Confirmationem, & Ordinem, quæ nequit simplex Sacerdos: hæc autem potestas non pertinet ad Eucharistiam, nec obstat *cap. Decernimus dist. 28. & Trident. sess. 23. cap. 4.* vbi dicitur Episcopatum esse sacrum Ordinem, sicut est Ordo Præsbyterorum, & Diaconorum.

Respondeo esse quidem sacrum Ordinem, sed non tamquam distinctum numerari, quia non habet distinctum actum circa Eucharistiã, quia sequeretur esse octo Ordines, quod videtur contra cõmunem sententiam admittentem septem tantummodo Ordines Et ita S. Thomas *3. par. quæst. 40. art. 5.* Reginald. *lib. 30. tract. 1. num. 5.* & alij plures, licet etiam prima opinio sit probabilis, quia Sacerdos habet eandem potestatem circa sacrificium, quam habet Episcopus, & ideò non videtur constituere octauum Ordinem Epscopatus, sed continetur sub sacerdotio, est enim perfectum sacerdotium.

An prima Tonsura sit Ordo?

BRACTEA IV.

R. PRIMAM Tonsuram non esse ordinem, sed solùm præambulum, & dispositionẽ ad ordines, sicut nouitiatus ad Religionem. Ratio est, quia licet habens primam Tonsuram habeat ex deputatione Ecclesiæ, & ex priuilegio quendam inter Clericos gradum, & sit capax iurisdictionis Ecclesiæ, & beneficiorum; eiusmodi tamen priuilegium non pertinet ad Sacramentum, nec vllum habet officium in ordine ad conficiendam Eucharistiam. Ita communiter omnes Doctores, cum S. Thoma *3. par. quæst. 40. art. 2.*

An Episcopatus sit Sacramentum?

BRACTEA V.

R. QVOD Episcopatus est verè, ac propriè Sacramentum. Ita Durandus *in 4. dist. 24. quæst. 6.* Palud. *ibidem quæst. 7.* Nauarr. *cap. 21. num. 18.* Vasq. *disput. 140. cap. 4.* Medina *lib. 1. de sacrorum hominum continent. cap. 16.* & alij. Ratio patet, quia Concilium Tridentin. *sess. 23. cap. 3.* & Doctores omnes probant sacram ordinationem Sacramentum esse, tum etiam quia quando in scriptura probatur ordinem esse Sacramentum, intelligitur de Episcopatu, vt 1. ad Timoth. 4. Si ergo Episcopatus non est Sacramentum, neque ordo erit Sacramentum, quod est negandum. Quod si dicatur, quia sic essent ordines octo. Respondeo non esse octo, sed septem, quia Episcopatus est vnus ordo cum sacerdotio, nõ quidem specie, sed genere.

R. 2. Diaconatum etiam esse Sacramentum à Christo institutum. Ita Bellarm. *cap. 26.* & communiter omnes Theologi, excepto Durando *in 4. dist. 24. quæst. 2.* tum quia confertur per impositionem manuum, dicente Episcopo, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* tum quia Diaconus ordinatur ad ministeria valdè sacra, atquę ritè obeunda speciali gratia indiget, quæ proinde ipsi per ordinationem confertur.

R. 3. Subdiaconatum esse Sacramentum. Ita communiter omnes Theologi ex Bellarmino *cap. 7.* Ratio est, quia imprimit characterem irreiterabilem, licet plures dicant non esse Sacramentum à Christo institutum, sed ab Ecclesia, & ideò sacramentale esse, idemque multo magis sentiunt de minoribus ordinibus. Quã sententiam quoad minores ordines attinet, ait esse probabilissimam Sanchez *lib. 7. de matrimonio disput. 31. num. 17.* & Nauarr. *cap. 22. num. 18.* Vasq. *disput. 237. cap. 2.* & alij. Sed.

R. Ab Ecclesia Subdiaconatum esse factum ordinem, quia collata est ei potestas tangendi sacra vasa, cùm antea eam non haberet, & secundum communionem Doctorũ sententiam ex Bellarmino *cap. 8.* Ordines minores esse etiã Sacramentum. Ratio est, tum quia non iterantur, tum quia per eos constituitur ordinatus in certo gradu Ecclesiæ circa ministerium Eucharistiæ.

De materia Sacramenti Ordinis?

BRACTEA VI.

R. DVPLICEM esse materiam Sacramenti ordinis, remotam scilicet & proximam. Materiam remotam esse instrumentum, quod traditur ordinandis in signum potestatis spiritualis, quam recipiunt; materiam proximam esse traditionem instrumenti, seu materiæ remotæ. Ratio est, quia illa est materia Sacramenti, per quam conficitur, Sacramentum autem ordinis, conficitur re, & traditione rei, ergo, &c.

Sciendum, quod instrumentum, quod traditur suscipienti, dicitur materia remota, quia circa illam versatur materia proxima, idest traditio. Traditio verò dicitur materia proxima, quia versatur circa remotam. Ita Bellarm. *tom. 3. de ordine cap. 9.* Henriq. *lib. 10. cap. 8. num. 2.* Vt v. g. materiam remotam sacerdotalis ordinis esse Calicem cum vino, & Patenam cum Hostia: materiam verò proximam esse traditionẽ Calicis cum vino, & Patenæ cum Hostia. Materiam Diaconi esse librum Euãgeliorum, proximam vero traditionem eiusdem libri. Materiam Subdiaconatus esse propriè Calicem vacuum cum Patena. Materiam proximam, traditionem eiusdem Materiam Acolytatus esse Vrceolus, nam isti traduntur in ordinatione. Materiam exorcistatus esse librum exorcismorum. Materiam lectoratus esse librum lectionum.

Materiam ostiariatus esse cimbalum,& claues, materiam proximam esse traditionem eorum, cum ordines perficiantur traditione instrumentum.

An contactus materiæ sit de essentia ordinationis?

BRACTEA VII.

R. Esse de essentia. Et ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia in quolibet sacramento habente materiam, necesse est, vt suscipiens contingat illam.

Sciendum materiam debere tangi, quando simul proferuntur verba; ita vt sint simul contactus, & verba, seu forma, licet non sit opus, vt mathematicè sint simul, sed sufficere vt sint simul moraliter, idest sine mora interposita, quia cum simultate morali subsistit significatio Sacramentorum. Ita Emanuel Sà *verbo ordo num* 5 Nugn. *quæst 34. art. 5 difficult. 2.* Henriquez *cap.* 10. & alij. Vnde ad essentiam ordinationis non requiritur contactus Physicus rei, sed tantum moralis, licet plures sequantur opinionem, ad substantiam, & valorem ordinationis non requiri contactum, vt Albertus *in 4. distinct. 24. art.* 38. Victoria *de sacramento ordinis num.* 230. Henriq. *lib. 1. cap. 9. num. 11.* Armilla *verbo ordo num. 4.* sed satis esse, quod ordinandus acceptet materiam signo aliquo externo. Ratio est, quia concilia tantum dicunt ordinem conferri per traditionem materiæ: at materia potest dici verè tradi absque eo, quod tangatur; ergo, &c. Sed hoc fundamentum non videtur satis solidum. Ratio est, quia sacramenta omnia præter Eucharistiam consistunt in receptione passiua: hæc autem non est absque contactu, tum quia vsus Ecclesiæ, & communis existimatio id approbat.

Quænam sit forma omnium Ordinum?

BRACTEA VIII.

R. Formam Ordinis esse verba, quæ proferuntur ab Episcopo imperatiuo modo cum expressione potestatis, quæ confertur. Ita Sotus *dist. 25. quæst. 1. art 2* Bellarmin *lib. 1 de sacram. cap* 18. Vasq. *disput. 240. cap. 5. num* 58. & alij communiter. Ratio est, quia per ea significatur eiusmodi sacramentum consistere in potestate tradita, quæ innotescit per vsum, & actum.

An valida sit Ordinatio, quando plures ordinantur ordine Sacerdotali, & Episcopus prolata semel vnica forma in plurali præbet materiam pluribus successiuè tangendam.

BRACTEA IX.

R. Validam esse ordinationem, quia materia, & forma censentur simul moraliter. Et ita Martin. Fornarius *de ordinat. cap. 2. num 5.* vbi testatur Romæ ita fuisse definitum in quadam Congregatione.

Sciendum officium Sacerdotis esse administrare sacramenta, excepta Confirmatione, & Ordine, simulque ad ipsum pertinere curam prædicandi verbum Dei, & docendi populum. Officium Diaconi esse publicè legere Euangelium in Ecclesia, assistere, & ministrare sacrificio Missę, & vrgente necessitate de licentia Parochi potest solemniter baptizare. Officium Subdiaconi est proximè assistere Diacono, illique ministrare in sacrificio Missæ, deferendo Calicem, & patenam ad altare. Officium Acolythi est porrigere Diacono Vrceolos cum vino, & aqua, præparare lumina ad sacrificium, & transferre cereum accensum ad altare. Officium exorcistę est imponere manus super Energumenos, illisq; exorcismos legere ad fugãdos Dæmones. Officiũ Lectoris est legere Prophetias. Officiũ Ostiarij est claudere, aperire, & custodire Ecclesiam, admittẽdo dignos ad sacra, & excludendo indignos. Ita cõmuniter omnes.

De effectibus Sacramenti Ordinis?

BRACTEA X.

R. Primarium effectum sacramenti Ordinis esse gratiam iustificantem ex opere operato iuxta definitionem Concil. Tridentini *sess. 6. can. 6. & 8. de sacram. in gen. & sess. 23. cap. 3.*

Sciendum hunc effectum non tantum maioribus ordinibus conuenire, sed etiam minoribus; cum hi quoque rationem habeant sacramenti, ex communiori sententia Doctorum, quam sententiam tuetur Gregorius à Valentia *tom. 4. disp. 9. quæst. 1. par. 4.* & docet Concil. Trident. *sess. 23.* neque obstat, quod actus minorum ordinum licitè fiant à non ordinatis, ideòque nihil supernaturale habere videantur, quod nequeat absque sacramento præstari, quia non est essentiale omni sacramento ordinis, vt instituatur ad actum, qui nequeat vllo modo validè, aut licitè absque eo exerceri. Ita Reginald. *lib. 30. tract. 1 cap. 1. num* 18.

Sciendum 2. quod sicut in Baptismo datur gratia, vt sanctè suscipi possint reliqua sacramenta; ita etiam dari in hoc sacramento, vt sanctè, religioseque possint reliqua sacramenta administrari. Ita S. Thomas *qu. 35. ex supplem. art. 1.*

R. 2. Secundarium effectum huius sacramenti esse characterem, vt constat ex Tridentino *sess. 23. cap. 4* & communiter id docent omnes Doctores. Ratio est, quia in ordine sacro confertur potestas spiritualis ad exercendum Ecclesiasticum ministerium, & in illius signum imprimitur character in anima.

Sciendum 3. non modò ordines maiores imprimere characterem, sed etiam minores. Ratio est, quia omne sacramentum, in quo character non imprimitur, est iterabile: minores autem ordines non sunt iterabiles, vt ex eo patet, quod si illis initiatus ad Laicalem statim se transferat, rediens ad Clericalem non initietur denuò.

Sciendum 4. ordinem sicut reliqua sacramẽta supponere characterem Baptismi, quia Baptismus ianua est omnium sacramentorum, prout definit Concil. Trident. *in instruct. Armenorum* non supponere tamen, nisi ex congruitate characterem Confirmationis: vnde fit, vt si quis ordinetur, antequam sit confirmatus, ordo teneat.

Scien-

Sciendum 5 de necessitate præcepti ordinem superiorem præsupponere characterem ordinis inferioris, non tamen de necessitate sacramenti, ita vt accipiens ordinem superiorem, prætermisso inferiori, v.g. Diaconatum nondum accepto Subdiaconatu mortaliter peccat quidem, ordinatio tamen est valida, & cum impressione characteris illius ordinis, ideoque non iteranda. Ita habetur *ex cap. vnico de Clerico per saltum promoto.*

Sciendum 6. characterem imprimi in ipsa traditione instrumenti, seu materiæ remoræ ordinis factæ ab Episcopo cum debita formæ prolatione, vt v.g. character in sacerdotio imprimitur in traditione Calicis cum vino, & in imposi tione manus, quando applicatur integra materia, & forma. Ratio est, quia character tunc confertur integrè, quando confertur integrum sacramentum: integrum autem est in vtriusque materiæ applicatione: similiter characterem Diacono conferri in traditione libri Euangeliorum, & Subdiacono in traditione libri Epistolarum, & Calicis vacui cum Patena. Ratio est, quia tunc applicatur integra materia Subdiaconatus, & forma, ergo, &c. & sic de cæteris ordinibus minoribus dicendum est.

De Ministro Sacramenti Ordinis?

BRACTEA XI.

R. Ordinarium huius sacramenti ministrum esse solum Episcopum. Ita habetur in Florentino *in decr. Eugeny*, & ex Tridentino *sess.14.can.7.* & manifestum est traditione Ecclesiæ.

Sciendum, quod licet ordinarius minister sacramenti ordinis sit Episcopus, etiam excõmunicatus, interdictus, vel suspensus, aut priuatus Episcopatu, qui adhuc retinet characterem, & potestatem conferendi ordinem non tamen quilibet Episcopus licitè quoslibet ordinare potest, sed eos solùm quorum est superior ex *cap. eos qui* de temporibus ordinationum in sexto. Superior autem in hac re ex *cap. cum nullus*, intelligitur esse Episcopus, de cuius Diœcesi oriundus est is, qui ad ordines desiderat promoueri, aut in cuius Diœcesi habet beneficium Ecclesiasticum requirens residentiam, aut in eadem habet domicilium, licet alibi natus fuerit, & Episcopi titulares nõ possunt alijs ordines cõferre, nisi de expresso proprij Episcopi consensu, aut acceptis eiusde m dimissorijs litteris, cũ quibus quẽ licitè possũt ab alieno Episcopo ordinari, vt communis vsus ostendit. Ex facultate Summi Pontificis ordines posse conferri ab alijs, quam ab Episcopis. Et ita Henriq. *lib.10.cap 23.* Valentia *tom.4.disp.9 quæst.2.par.1.* Bellarm. *lib.1.de Clericis cap.27.* & alij. Vnde Abbates habentes ius Mitræ, & Baculi ab Episcopis benedicti, possunt conferre primam Tonsuram, & ordines minores suis subditis Regularibus, alijs verò absque consensu Ordinarij loci cum litteris dimissorijs nequeunt conferre. Ita Quaranta *verbo ordo*: alij verò superiores, qui Abbates non sunt, etiamsi sint Priorales, non possunt regularibus suis ordines conferre, sed pertinet ad Episcopum, in cuius Diœcesi habent domicilium, cum consensu tamen præfati Regularis. Ordines verò maiores non posse Abbates etiam respectu suorum Regularium conferre. Et ratio est, quia iure communi ad Episcopum spectat omnium ordinum collatio: priuilegio autem est Abbatibus concessa collatio tantum minorum, ergo quoad maiores remanet ius commune pro Episcopis.

R. 2. Simplices Sacerdotes Summi Pontificis concessione posse conferri quatuor ordines minores. Et ita *in cap. Requisiuit de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatui.* An verò Summus Pontifex possit illi, qui non est Sacerdos dare facultatem conferendi ordines. Respondeo negatiuè. Ratio est, quia collatio ordinum est actus ordinis, qui nõ potest ab eo conferri, qui caret ordine. Ita Siluester *verbo ordo 2.num.1.* & à fortiori Episcopum non posse illi, qui non est Sacerdos, talem cõcedere facultatem. Ita Henriquez *lib.10.cap.23 num.3.* & alij. Ordo verò Subdiaconatus, Diaconatus, aut Præsbyteratus, etiam de consensu Papæ non potest à simplici Sacerdote conferri, cum solùm ad Episcopum spectet.

An Capitulum Sede vacante possit litteras dimissorias concedere?

BRACTEA XII.

R. In duobus solùm casibus Capitulo permitti Sede vacante, vt litteras dimissorias concedat. Primus est, quando Episcopatus vacauit per annum. Secundus est, quando quis est arctatus, vt perderet beneficium receptum, vel recipiendum, si tunc tẽporis non promoueretur ad ordines. Ita Henriquez *lib.10.cap.22. n.3.* Quaranta *verbo capitulum Sede vacante*, Toletus *lib.14.cap.49 num.2.* Nauarrus *cons.44. de temporibus ordinand.* Emanuel Sà *verbo ordo num. 29.* & Concil. Trident. *sess.7.cap.10.*

R. 2. Tres solùm Ordinarios posse concedere dimissorias, nimirùm originis, in quo quis natus est, vt ibi permaneret, qui si natus esset, vbi mater aderat ratione itineris, vel negotij non acquireret domicilium. Secundus est Episcopus loci, in quo quis habet aliquod beneficiũ, quamuis tenue, modo non habitet extra illud locum vltra decennium: beneficium autem nõ requirens residentiam, non est satis ad acquirendum domicilium ratione illius, nisi in eo personaliter resideat. Tertius est Episcopus loci, in quo quis habeat domicilium animo permanendi. Pro foro tamen externo non præsumitur animus, nisi manserit per decennium: si in pluribus locis habitet, habebit in his omnibus domicilium.

An Abbas possit dimissorias concedere?

BRACTEA XIII.

R. Abbatem, si Ordinarius fuerit priuatiuè quoad Episcopos, & habuerit ius visitandi, & congregandi Synodum sæcularibus sibi subditis litteras dimissorias concedere posse. Ita Campanilius *in diuersor. iure canon. rubr.9.cap.8.num.4.* Tamburin. *de iure Abbat. tom.2.disp.11.quæst.26.num.2.* Barbosa *de officio, & potestate Episcopi par.2. allegat.7.num.8.* contra quod non facit dispositio Concilij Tridentini *sess.27.cap.10.* Et ita Stephanus

nus Gratianus *discept. forens. tom. 2. cap. 112.* sed de hac re melius infra cum de Abbate.

An qui ordines accepit ab alieno Episcopo absq; Summi Pontificis auctoritate incurrerit aliquam pœnam?

BRACTEA XIV.

R. Si absque Summi Pontificis auctoritate, vel absque litteris dimissorijs sui Ordinarij incapacem esse beneficij, & esse suspensum ab executione ordinis, quem suscepit, licet hæc suspensio quam quis contraxit recipiendo ordines sine litteris dimissorijs, potest ab Episcopo auferri ob priuilegium Episcopis cōcessum in Tridentino *sess. 24. cap. 6.* modò delictum sit occultum, neque obstat Constitutio Sixti V. quæ incipit *Sanctum, & salutare*, in qua Summus Pontifex sibi reseruat absolutionem prædictæ suspensionis, nam rigorem istius constitutionis moderatus est Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit *Romanum Pontificem decet*, eamque ad dispositionem Concilij Tridentini reuocauit, vt docet Quaranta *verbo ordo*, Sayrus *de censuris cap. lib. 7. num. 36.* & alij.

Quodnam sit subiectum Ordinum?

BRACTEA XV.

R. Masculos omnes baptizatos, etiamsi vsu rationis careant, vt infantes, & amentes, aut alium patiatur defectum, quo inepti sint ad ordines exercendos, vt cæci, manci, hæretici, & similes esse subiectum capax ordinis, & si de facto ordinentur ordinationem tenere, & imprimi verum ordinis characterem. Et ita communiter omnes, vt refert Gregorius à Valent. *tom. 4. disput. 9. quæst. 4. par. 1.* Ratio est, tum quia *cap. vnico de Clerico per saltum promoto* habetur illos non esse reordinandos, qui ante discretionis annos acceperunt minores ordines, tum quia ad sacramenti validitatem, tunc solùm requiritur vsus rationis in suscipiente, cum ipsum consistit in aliquo eiusdem suscipientis actu, sicut sacramentum pœnitentiæ, quod consistit in confessione, & contritione pœnitentis, & matrimonium in mutuo contrahentium consensu: non autem in ijs, in quibus actus suscipientis non requiritur necessitate sacramenti, sed sufficit capacitas potentię, seù potestatis, quę confertur, vt Baptismus ad suscipienda sacramenta, & ordo ad ipsa ministranda.

Sciendum fœminam iuxta doctrinam Vasquez *disput. 245. cap. 2.* non posse per dispensationem Summi Pontificis recipere primam Tonsuram, etiamsi non sit sacramentum, sed sacramentale ab Ecclesia institutum. Ratio est, quia prima Tonsura aliud non est, quam consecratio, ac deputatio personæ ad eum statum, ex quo ad Ecclesiasticos ordines, & gradus ascendi possit; cum igitur mulier ex Diuina institutione incapax sit huius ascēsus, sequitur etiam incapacem esse primæ Tonsuræ. An verò Hermaphroditus possit ordinari. Respondeo si æquè, aut magis participet fœmineum, quam virilem sexum non posse validè ordinari. Ratio est, quia non magis dici potest masculus, quam fœmina. Subiectum autem ordinationis (vt dictum est) debet esse masculus. Ita Valentia *tom. 4. disput. 9. quæst. 4.* Henriquez *lib. 10. cap. 16.* Suarez *tom. 5. disput. 51. sect. 2.* & alij. Si verò præualeat sexus virilis, validè potest ordinari, cum dicatur masculus, licitè tamen non potest ordinari, cum sit irregularis.

Sciendū 2. esse differentiam inter pueros vsu rationis carentes, & inter amentes, quod pueri possunt validè ordinari (licet non licitè) etiāsi ordines nunquam expetierint, verò qui post vsum rationis inciderunt in amentiam, eis non validè conferuntur ordines, si ipsos nullo modo prius expetierint, censentur enim habitualiter nolle ordines suscipere. Ita Bonacina *de sacram. ord. par. 5. num. 3.*

De ætate, & qualitate in ordinandis requisita?

BRACTEA XVI.

R. Ad primam Tonsuram, & & ordines minores suscipiendos requiruntur saltem septem anni completi, *ex cap. de ijs dist. 28. cap. in singulis dist. 77.* ad Subdiaconatum vigintiduo inchoati ex Tridentino *sess. 23. cap. 12.* ad Diaconatum vigesimumtertium inceptum. Ad Presbyteratum vigintiquinque, etiamsi per medium tantū diem, vel inchoati sint, vt patet ex Bulla Pij II. Quam refert Quaranta *verbo ordo, & in cap. Nullus de temporibus ordinandorum.* Ad Episcopatum minùs verò requiruntur triginta anni completi, *cap. Cum in cunctis de electione*, & nihil iure nouo fuit cautum in contrarium.

Sciendum, quod qui mala fide ordines susceperunt ante legitimā ętatem esse suspensos, vt infra dicetur, donec absoluantur, imò probabiliter videtur etiam incurrere irregularitatem, si post ordinationem consecrēt cum Episcopo. Sacerdos enim suspensus incurrit irregularitatem per exercitium ordinis sacri, vt suo loco dicetur. Ita Nauarr. *5. consil. de Cleric. non ordinatis*, & alij, quos adducit Quaranta *verbo ordo.*

Sciendum 2. vt hoc sacramentum non modò validè, sed etiam licitè recipiantur multa requirere. Primò requirit rectam fidem debitāq; intentionem vtriusque, nimirùm conferentis ordinem, & recipientis. Secundò conscientiam absque labe peccati mortalis, & in eo, qui sibi conscius est peccati mortalis, requirit confessionem, vel saltem contritionem. Tertiò cum susceptione Baptismi necessaria de iure Diuino, requirit susceptionem confirmationis necessariam de iure Ecclesiastico. Ex Concilio Tridentino *sess. 23. de reformatione cap 4.* Quartò requirit probitatem morum, qua conscientiæ testimonio non agnoscat se in peccato publico, aut in infamia publica, ac de reliquo proponat vitæ emendationem, nec item agnoscat se impedimentum irregularitatis, aut censurę Ecclesiasticæ habere, vt infra dicemus. Quintò requirit scientiam, vt qui ad ordines minores promouentur, saltem calleant lingua latina, & qui ad Subdiaconatū, & Diaconatū sint litteris, & ijs, quæ ad tales ordines pertinent instructi, & qui ad Presbyteratum sint idonei, tum ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, tum ad sacramenta administranda. Sextò requirit, vt suscepturus ordines initiatus sit prima Tonsura, licet vali-

da

da sit ordinatio ante primam Tonsuram, cum nullo iure colligatur necessario requiri primã Tonsuram ad validam ordinis susceptionem. Septimò requiritur, vt habeat titulum, quando promouetur ad sacros ordines, quod ex institutione Concilij Tridentini *sess. 21. de reformatione cap. 2.* ad maiores, seu sacros ordines nullus Clericus sæcularis quamtumuis alias idoneus sit moribus, scientia, & ætate debeat promoueri, nisi prius legitimè constet eum pacificè possidere beneficium Ecclesiasticum, quod sibi honestè ad victum sufficiat. Atqui si non habeat beneficium, sed patrimonium, aut pensionẽ, nõ ideò ordinari potest, nisi Episcopus iudicauerit ipsum assumendum pro necessitate, & commoditate Ecclesiarum. Et in Concilio additur non posse beneficium resignari, aut pensionem extingui, ad cuius titulum facta est promotio, donec is aliunde habeat, vnde viuere possit. Clericus autem regularis ordinatur ad titulum paupertatis, quam est professus.

De temporibus ordinationum?

BRACTEA XVII.

R. PRIMAM Tonsuram quouis die posse conferri, sicut ex communi docet Henriquez *lib. 10. cap. 12. num. 1.* Vasquez *disput. 246. cap. 5.* Ordines verò minores non tantum in generalibus ordinationibus conferri possunt, sed etiã quouis die Dominico, aut festo, dummodo nõ multi ordinentur, vt videatur esse ordinatio generalis, *cap. De eo autem*. Licet consuetudo sit in quibusdam locis, vt ordines minores in vespere feriæ vj. conferantur, quasi hæc sit inchoatio quædam generalis ordinationis in Sabbato peragendæ. Et ita notat Henriq. *lib. 10. cap. 12. nu. 2.*

R. 2. Ad Subdiaconatum, aliosque maiores ordines iure communi prohibitum est quempiam ordinari extra quatuor tempora, & duo Sabbata, antè Dominicam passionis, & ante Dominicam Resurrectionis Christi. Ita habetur *in cap. De eo, & cap. vlt. dist. 75.* in Tridentinò *sess. 23. cap. 8.* Regulares, qui priuilegium habent ordinandi extra Tempora, possunt extra ipsa ordinari.

R. 3. Pro ordinatione Episcopi, Dominica dies assignata est ex antiqua traditione, & praxi Ecclesiæ, vt docet Leo, *epist. 19 ad Dioscorum*.

Sciendum duo sacri ordines eodem die, siuè in eadem ordinatione generali conferri non possunt, non obstantibus priuilegijs, quæ vel Regularibus, vel alijs concessa sunt. Ita habetur partim in *cap. Dilectus de temporibus ordinationum*, partim in Tridentino *sess. 23. cap. 13.*

Sciendum 2. permissum esse Episcopo, vt ob rationabilem causam, v. g. multitudinem ordinandorum, vel infirmitatem, &c. collationem ordinum etiam maiorum in Sabbato faciendam ad Dominicam sequentem differre possit, modò eo vsque continuetur naturale, & exactũ ieiunium, vt Sabbati, & Dominici matutini quasi vnus dies reputetur, vt colligitur ex *cap. Litteras*, & ita Siluester *verbo ordo 2. num. 6.* Henriquez *loco citato num. 2.* Suarez *disput. 31. sect. 1. num. 41.* Verumtamen prohibitum est Episcopo, ne eidem, quem in Sabbato inter Diaconos v. g. ordinauit mane sequentis Dominicæ, Presbyteratum conferat.

MALLEATIO XXIII.

De irregularitate tamquam impedimento, siuè suscipiendi Sacramentum Ordinis, siuè susceptum exercendi.

Quid sit Irregularitas?

BRACTEA I.

R. IRREGVLARITATEM esse canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proueniens, quod directè impedit promotionem ad Ecclesiasticos ordines, & consequenter etiam eorum vsum ob reuerentiam Diuinorum. Ita Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 63. num. 1.* Henriquez *lib. 14. cap. 1.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 9. par. 1.* Sayrus *lib. 6. cap. 1. num. 16.* & alij communiter.

Sciendum, quod attinet ad vim nominis, irregularis dicitur is, qui est sine regula, & irregularitas id, à quo formaliter quis dicitur irregularis, eò quod irregularis non sit intra regulam ab Ecclesia præscriptam: vnde irregulare dicitur, quod non est iuxta regulæ præscriptum.

Sciẽdum 2. quod in definitione dicitur, quod irregularitas est impedimentum, vt ostendatur irregularitatem nõ esse censurã, quæ vinculum est, quo, ad animam ligantur delinquentes, vt ad recipiendum à delicto, vel illud in posterum cauendum. Secundò dicitur canonicum, quia omnis irregularitas iure humano est introducta, quod constat ex *cap. Is, qui de sententia excommunicationis in 6.* vbi statuitur irregularitatem non incurri, nisi in casibus in iure expressis, & licet irregularitas sit de iure positiuo, habet tamen fundamentum in iure, tum naturali, tum diuino. De iure naturali patet, quia apud omnes gentes in vsu fuit, vt ad sacerdotium non admitterentur, nisi corpore integri. De iure Diuino patet etiam, quia quantumuis irregularitas non habeat vim ex Diuina institutione, habet tamen ex humana auctoritate diuinitus homini concessa. Tertiò dicitur ex facto, vel defectu proueniens, vt ostendatur causa materialis irregularitatis, quę est, vel factũ aliquod, vel aliquis defectus, quamuis ad incurrendam irregularitatem non sufficiat sola faciendi voluntas id, propter quod ipsa imponitur. Ratio est, quia lex Ecclesiastica requirit factum.

Sciendum 3. quod licet factum sit occultum non obstare, quin ex eo irregularitas sequatur; ita vt ex Nauar. *in Enchirid cap. 27. num. 197.* Irregularitas quælibet occulta tantum noceat in foro conscientiæ, quantum manifesta, ac æquè requirat ad dispensationem. Quartò dicitur, quod irregularitas directè impedit loco differentiæ, vt appareat in quonam irregularitas distinguatur à censuris, quia irregularitas alia ratione impedit susceptionem, & exercitium ordinum quã cẽsura, nam excommunicatio maior impedit susceptionem, & exercitium ordinum, quatenus ipsa susceptio est quædam communicatio. Suspensio priuat directè vsum ordinum: irregularitas verò impedit directè susceptionem ordinum, illorumque vsum, & exerci-

exercitium. Interdictum non semper impedit vsum ordinum, sicut irregularitas; differunt etiam inter se, quia censuræ proueniunt tantū ex facto culpabili, quod saltem sit peccatum veniale: irregularitas verò potest ex defectu, atque ex facto non culpabili prouenire, quod tamen illius causa sit iusta, habito ad bonum commune respectu. Dicitur etiam susceptionem ordinum, aut eorum vsum, vt aduertatur non omnem irregularitatem, quæ impedit susceptionem ordinis impedire vsum illius iam suscepti, quia aliquis aliquando impeditur, ne ordinem sacerdotalem suscipiat, quamuis non impediatur fungi ordine Subdiaconatus iam suscepti, vt accidit in eo, cui amputatur pollex digitus, qui potest exercere ordinem Diaconatus canendo Euangelium, quamuis ad Sacerdotalem ordinem nequeat promoueri. Ita Nauar. *cap. 27. num.* 141. & alij communiter. Vltimò dicitur ob reuerentiam Diuinorum, vt ostendatur causam finalem irregularitatis esse reuerentiam Diuinorum.

An Irregularitas impediat susceptionem primæ Tonsuræ?

BRACTEA II.

R. Irregularitatem impedire susceptionem primæ Tonsuræ. Et ita Nauar. *tom. 1. consil. 24. de tempore ordinat. num. 1. & 3.* Filliucius *tract. 19. cap. 3. num. 59.* Suarez *de censuris disput. 40. sect. 1. num. 11.* Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tract. 1. num. 5.* Ratio est, quia quamuis Tonsura non sit ordo, sed dispositio ad ordines; nihilominus in iure canonico intelligitur nomine ordinis, & quando in definitione irregularitatis dicitur irregularitas est canonicū impedimentum impediēs susceptionem ordinum, nomine ordinum, etiā intelligitur prima Tonsura, prout ordo communiter accipitur à iure canonico, à quo imposita est irregularitas, licet etiam contraria opinio sit probabilis.

Quotuplex sit Irregularitas?

BRACTEA III.

R. Irregularitatem duplicem esse, vnam ex defectu, & alteram ex facto, seu delicto.

Sciendum irregularitates ex defectu plures esse species. Prima est ex defectu animi. Secunda ex defectu corporis. Tertia ex defectu natalium. Quarta ex defectu ætatis, & libertatis. Quinta ex defectu Sacramenti, idest bigamia. Sexta ex defectu lenitatis, idest ex homicidio licitè patrato. Irregularitates ex delicto, multas etiam esse species. Prima dicitur ex iteratione Baptismi. Secunda ex indebita susceptione, vel vsu ordinis. Tertia ex actu infidelitatis, aut hæresis. Quarta ex infamia. Quinta ex homicidio illicitè patrato.

Sciendum irregularitatem aliquando indelebilem esse, aliquando per seipsam cessare; vt irregularitas, quæ fundatur in defectu perpetuo, vt quæ fundatur in muto, aut manibus trunco esse perpetuam, quia non potest esse Ecclesiasticum remedium ad illam amouendam: irregularitas verò, quæ fundatur in defectu temporaneo, remoto impedimento, per seipsam cessare; vt irregularitas, quæ ex infamia nascitur, restituta fama, cessat, & ea, per quam aliquis ob ignorantiam repellitur a susceptione, vel vsu aliquorum ordinum, tollitur eo ipso, quo sibi id ad sufficientem scientiam peruenit: sic etiam irregularitas, quæ nascitur ex defectu ætatis, aut ex defectu libertatis tollitur eo ipso, quod illam patiens ad legitimam ætatem peruenit, & sic de alijs.

An ad irregularitatem requiratur actus externus?

BRACTEA IV.

R. (Vt dictum est) nullam esse legem canonicam, quę imponat irregularitatem propter actum mere internum. Ratio desumitur ex regulis generalibus, quia Ecclesia non iudicat de internis, tū etiam quia actus merè internus, quatenus est culpabilis, & consequenter dignus pœna non subiacet hominum iudicio. Et ita communiter omnes Doctores.

R. 2. Non imponi regulariter irregularitatem pro actu externo inchoato, sed pro actu externo consumato, & patet ex singulis irregularitatibus; in quibus semper supponitur actus consumatus. Ita Sotus *lib. 20. de iustitia quæst. 1. art 9.* Suarez *disput. 40. sect. 3. num. 13.* Valentia *tom. 4. disput. 5. qu. 19 par. 2.* Vnde ad incurrēdam irregularitatem, quæ prouenit ex homicidio non sufficere attentationem, ac conatum proximum mortis, vel mutilationis, sed requiri mutilationem, vel mortem.

Sciendum de possibili Ecclesia posse pro actu externo tantum inchoato, & imperfecto in sua specie imponere irregularitatem. Ratio est, quia hoc ipso, quod est externus, constituitur in fauorem Ecclesiæ. Ita Filliucius *tract. 19. cap. 1. num. 17.* & alij.

An culpa venialis sufficiat ad incurrendam Irregularitatem?

BRACTEA V.

R. Si peccatum veniale sit ex genere suo, non videtur satis esse ad inducendam irregularitatem. Ratio est, quia nullum ius de facto imposuit irregularitatem propter talem culpam, tum quia nec etiam suspensio grauis, aut interdictum imponitur ob culpam venialem, ergo etiam irregularitas.

R. 2. Si culpa sit venialis ratione leuitatis materiæ, vel imperfectionis actus, etiam probabilius videtur per eam non incurri irregularitatem. Ratio est, quia si sit venialis ratione leuitatis materiæ, iam non est proportio inter culpam, & pœnam, nec verba legis complentur in tam leui materia: si verò sit ex actus imperfectione, iam ille actus cum non sit simpliciter humanus; neque etiam erit sufficiens ad contrahendam irregularitatem ex delicto.

R. 3. Ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis. Ita Nauar. *cap. 27. num.*

27.*num.* 249. Henriquez *lib* 14. *cap*. 3. Reginaldus *lib*.30.*num*.201. Sotus 5. *de iustitia quæst*. 1. *art*. 1. Sanchez *lib* 9. *disput*.32. & alij. Ratio est, quia pœna debet proportionari delicto, *cap. felicis de pœnis in* 6. Cum ergo irregularitas, quæ ob delictum incurritur sit pœna grauissima, non debet incurri ob veniale peccatum, sed ob mortale, & consummatum.

Sciendum irregularitatem ex delicto non incurri, interueniente ignorantia probabili, quia sicut excusat à culpa, ita etiam à pœna. Ita Vgolinus *cap*.40.§.10. *num*. 9. Auila *par*.7. *disput*.2. *dub*.7. Coninchus *disput*.18.*dub*.4.*num*.29. Reginaldus *lib*.30.*tract*.2.*cap*.2 *num*.15.& alij.

De causa efficiente Irregularitatis?

BRACTEA VI.

R. Cavsam efficientem irregularitatis esse ius humanum Ecclesiasticum, siuè ius Pontificium, & commune. Ita *ex cap. Is, qui de sententia excommunicationis*. Ratio est, quia potestas ferendi irregularitatem ad eum pertinet, qui potest ius commune canonicum condere, sed potestas ferendi iûs canonicum pertinet ad Summum Pontificem, ergo, &c.

Sciendum Episcopum, aliosque Summo Pōtifice inferiores non posse ferre irregularitatē, cum ad ipsos non pertineat ferre ius commune, & irregularitas nulla est, nisi sit in iure expressa.

Sciendum 2. irregularitatem feri solo iure scripto, vt patet ex *cap. Is, qui*, vbi cum dicitur nullam esse, nisi sit iure expressa, omnis alius modus remanet exclusus. Quare neque consuetudine quomodocumque confirmata, nisi ius scriptum exhibeatur, sufficienter inducitur.

Sciendum 3. non satis esse, quod irregularitas posita sit in simili casu, vel minori, sed requiritur, vt lata sit in propria specie talis delicti, quia quod infertur per argumentum à simili, nō potest dici expressum in iure. Suarez *disput* 40.*sess*.3.*num*.15. Filliucius *tract*.19. *&* 9. *de censuris cap*.2.*num*.35.& alij communiter.

R. 2. Causam materialem, seù subiectiuam irregularitatis esse hominem capacem ordinis subditum iure communi. Ratio est, quia irregularitas est quædam priuatio, seù impedimētum ad ordines recipiendos, impedimentum autem, seù priuatio supponit capacitatem.

R. 3. Causam formalem irregularitatis esse verba ipsam exprimentia.

Sciendum duo requiri in verbis formæ. Primò, vt significet pœnam, ipso facto, incurrendam. Secundò, vt sint ita propria, vt significent irregularitatem tamquam speciem à cæteris pœnis distinctam. Hinc sequitur, quod si verba non significent pœnam, ipso facto incurrendam, non pertinere ad irregularitatē. Ratio est, quia lex pęnalis nō operatur per seipsā, nisi per verba sufficiēter exprimatur, & verba præsentis temporis, aut præteriti, significant ferri statim per ipsam legem: verba autem futuri significant pœnam ferendam, nisi ex adiunctis aliud colligeretur. Item verba requirere, quod etiamsi priuatio ordinum ex vi verborum canonis ipso iure feratur; non tamen semper fertur irregularitas, nisi id colligatur, vel expressis verbis, vel alijs indicijs.

Sciendum indicia, ex quibus potest colligi irregularitas, & non alia pœna, hæc sunt. Primùm, si pœna dicatur auferenda per dispensationem. Secundum, si feratur sine culpa, quamuis non sine causa, licet hoc non sit generale: nam aliqua irregularitas etiam supponit culpam, & aliqua suspensio potest esse sine culpa. Tertium si per legem imponatur impedimentum ordinibus, quod etiam maneat post peractam pœnitentiam, & commune etiam sit Laicis.

An in dubio aliquis sit iudicandus irregularis?

BRACTEA VII.

Sciendvm dubium duplex esse, vnum iuris, & aliud facti. Dubium iuris illud esse, quando quis ignorat legem continentem irregularitatem. Dubiū facti illud esse, quando quis sit latam esse legem continentem irregularitatem, sed dubitat, an factū perpetrauerit prohibitum sub irregularitate. Quibus positis.

R. Si dubium sit iuris, an sit lata irregularitas, nec ne & intellectus maneat suspensus; iudicandum est, non esse latam irregularitatem in vtroque foro. Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi adsit ius expressum sufficiēter indicans irregularitatē positam esse. At quę ita occulta est, vt sapientes remaneant suspensi, vt nequeant ferre iudicium, non potest dici in iure expressa; ergo, &c.

R. 2. Si sit ita probabile per ius ferri irregularitatem, vt contrarium non iudicetur probabile, tunc id satis erit ad eam incurrendam. Ratio est, quia in rebus humanis non potest prudenter exigi maior certitudo. Quare tantum examinandum erit, an opinio contraria sit probabilis, nec ne, ex pondere rationum, & verbis iurium rectè perpensis, & si non sit probabilis, tunc iudicandum erit secundum contrariam partem iudicatam probabilem, secus verò non.

R. 3. Ex facto dubio aliquando oriri irregularitatem, & aliquando nō, vt v.g. ex dubio facti homicidij oritur irregularitas, vt patet *ex cap. significasti*, & *ex cap. Ad audientiam 2. de homicidio*, in quibus expressè habetur in casu facti dubij de homicidio debere se quempiam irregularem reputare, quod intelligendum est in vtroq; foro. In dubio verò facti alterius delicti non esse quempiam iudicandum irregularem. Ratio est, quia *cap. ad Audientiam*, & *cap. Significasti*, loquūtur tantum de dubio homicidij, tum quia odiosa sunt restringenda, tum etiam quia in dubio iuris fauendum est subditis, & nullus censendus est irregularis post adhibitam sufficientem diligentiam ad veritatem cognoscendam. Ita Henriquez *lib*.14.*cap*. 3.,*num*.4. Filliucius *loco citato num*.48. Suarez *disp*.40.*sect*.6.*num*.13.& alij.

Sciendum, quod qui in dubio iuris de irregularitate homicidij suscepit ordines mala fide peccauit, eo quod non adhibuerit debitam diligentiam, & non posse in susceptis ministrare. Ratio est, quia alioquin exponeret se periculo errandi, quod in re morali censetur peccatum. Post verò adhibitam diligentiam ad sciendam veritatem posse ordines exercere, quamuis adhuc dubium perseueret. Ratio est, quia sumus in dubio iuris, in quo nullus censendus

fendus est irregularis, licet mortaliter peccauerit in dubio suscipiendo ordines, non adhibendo prius debitam diligentiam non lata esset irregularitas, tum etiam quia qui adhibuit sufficientem diligentiam ad rei veritatem inueniendam, & ad expellendum dubium iuris, censetur laborare ignorantia inuincibili, si rei veritatem non potuit inuenire, & dubium expellere, sed qui ignorat inuincibiliter aliquod præceptum, non tenetur illud seruare; ergo qui adhibuit debitam diligentiam ad rei veritatem inueniendam, & ad expellendum dubium iuris circa irregularitatem, non tenetur seruare irregularitatem, seque irregularem iudicare.

Sciendum 3. illum censeri irregularem, qui fœminæ grauidæ præbuit Pharmacum ad procurandum abortum, licet dubitetur de animatione fœtus, hic enim versatur in dubio facti circa homicidium iniustum. Ita Rodriquez *par.1.cap.275.nu.4.* Nauar. *cap.27.num 223.* Ita etiam illum censeri irregularem, qui consuluit homicidium, quando dubitat an suo consilio homicidium sit secutum. Ratio est, quia sumus in dubio facti, & possessio non stat pro ipso dubitante, sed contra ipsum. Ita Mascardus *de probat. tom. 1. conclus. 419. num. 9.* Sayrus *lib.7.cap.3. num.2.* Auila *2 par.cap 5.num.3.dub.3.* & alij.

De effectibus Irregularitatis?

BRACTEA VIII.

R. Primo irregularitatem impedire susceptionem ordinum, & etiam primæ Tonsuræ (vt dictum est.) Et ita communiter omnes Doctores, & patet expresse ex iure, vt *cap. Curandum,* & *cap.Si quis vxorem dist.34.*

Sciendum irregularitatem non impedire susceptionem ordinum; itaut non remaneat ordinatus verè, si eos suscipiat, neque enim id potest Ecclesia impedire, & ideo impedit, prohibendo, ideòque irregularis ordinatus validè est, ordinatus licet illicitè.

R. 2. Quod si irregularis ordines suscipiat contra prohibitionem Ecclesiæ peccare mortaliter. Ratio, quia facit contra præceptum Ecclesiæ varijs iuribus explicatum in re sacra, atque adeo graui, quod intelligendum est non solùm si suscipiat maiores ordines, sed etiam minores; quia etiam hi sunt res sacræ, etiamsi suscipiat primam Tonsuram, quia licet Sacramentum non sit, est tamen res grauis, cum sit dispositio ad ordines, afferens secum multa priuilegia, & statim tribuens Clericalem.

R. 3. Non modo irregularitatem impedire receptionem ordinum, sed etiã vsum, & exercitium receptorum; ita vt grauiter peccet irregularis ministrando in ordine ex officio. Ita Nauar. *cap.27.num.194.* Couar. *Clement.1.de homicid. par.1.§.1.2.* & *3.* & fundatur *in cap. vlt. de temporibus ordinat.* & *cap. Inquisitionis 1. de accusat.* Ratio constat ex definitione ipsius irregularitatis.

Sciendum irregularitatem non priuare Clericum actibus, qui solent à Laico exerceri. Ratio est, quia priuat tantum actibus ordinum, & qui ex officio illis conueniunt: & actus, qui possunt, & solent etiam a Laicis exerceri, non sunt proprij ordinatorum; ergo, &c. idcircò irregularis non priuatur perceptione Sacramentorũ, quæ non est coniuncta cum ministratione aliqua propria ordinati, ideoque communicare poterit Sacerdos irregularis, vt Laicus.

Similiter irregularis etiam potest baptizare sine solemnitate in necessitate, recitare officiũ, etiam cum alijs, sicut faciunt Confraternitates Laicorum ministrare Sacerdoti in Missa, interuiendo illi eo modo, quo Clerici, denique omnes illi actus pertinentes ad ordines minores, qui etiam fiunt à Laicis, possunt quoque fieri ab irregulari.

Sciendum 3. irregularitatem duplicem esse, vnam totalem, quæ impedit exercitium omniũ ordinum susceptorum, alteram partialem, quæ solùm prohibet illum actum, cui ponit impedimentum, vt accidit in irregularitate ex defectu corporis contracta post susceptionem ordinũ, cum qua irregularis potest exercere functiones ordinum, ad quos non est inhabilis: vnde si alicui post susceptum Sacerdotalem ordinem amputetur digitus, non remanet irregularis respectu omnium functionũ Sacerdotalis muneris, quia potest absoluere, sed tantum respectu illius, cui fit inhabilis, vt celebrare Missam, vt patet ex *cap.2.de corpore vitiatis*, & ex *cap.2. de Clerico ęgrotante.* Ita Nauar. *cap.37. num. 200.* Coninch. *disp.18.dub.1.num.8.*

R. 4. Irregularem suscipiendo ordines, aut ordines susceptos ministrando non incurrere aliam pœnam, ipso facto, neque aliam irregularitatem. Ita Nauar. *cap.27 num. 193.* Heuriquez *lib.14.cap.5.* Reginaldus *lib.30.cap.1. num.11.* & alij. Quod non incurrat aliquam pœnam; patet, quia in iure lata nõ est, & de alia irregularitate; patet etiam, quia hæc non incurritur, nisi sit in iure expressa, sic *cap. Is, qui de sententia excommunicationis in 6.* Dixi ipso facto, quia à Iudice posset alia imponi, ita vt ipso facto incurreretur alia irregularitas.

An Irregularis sit incapax beneficij?

BRACTEA IX.

R. Quod Irregularitas, licet occulta facit hominem incapacem beneficij, & per consequens quod non possit beneficium accipere absque dispensatione, quia iure id prohibetur, nec obtentum posse retinere, nisi obtenta irregularitatis dispensatione, curauerit beneficium sibi denuo conferri ab eo, qui potest illud conferre. Ita Auila *par. 7. disput. 2. dub.6.* Henriquez *lib.14 cap.2.nu.5.* Nauar. *cap 27.nu. 251.* & alij plures. Ratio est, quia beneficiũ datur propter officium, cũ ergo irregularis non possit fungi officio, eo quod sit ad vsum ordinum inhabilis, sequitur ipsum etiam esse ad beneficium inhabilem, tum etiam quia deficit voluntas conferentis beneficium; cum præsumatur superiorem velle solùm conferre beneficium non habenti canonicum impedimentum, vt colligitur ex *cap. Postulastis.*

R. 2. Irregularitatem non priuare beneficio iam obtento. Et ita Nauar. *cap.27.num.249.* Coninchus *disput.18.dub.1.num 5.* Emanuel Sa *verbo irregularitas num. 4.* Sayrus *lib.6.cap.2.num.24.* Filliucius *de censuris in particul.cap.3.num.68.* & alij. Ratio est, quia priuatio bonorum propriorum nunquam incurritur ipso iure per delictum, nisi exprimatur, id autem nullo iure est expressum, nec delictum hæresis, vel symoniæ, vel homici-

dij qualificati habet adiunctam priuationem beneficij ipso facto ex vi irregularitatis, sed ex alia lege simul coniuncta.

R. 3. Non oriri ex vi irregularitatis obligationem dimittendi beneficium, antequam illo quis priuetur per sententiam. Et ita Henriquez *lib.14.cap.3 num.5.* Sayrus *lib.6.cap.2.num.24.* & alij. Vnde sequitur beneficiarium, qui incidit in irregularitatem post beneficij consecutionem posse resignare beneficium in fauorē alterius, adhuc enim habet titulum, & ius; item non teneri fructus restituere beneficij, si muneri suo satisfecit per se, vel saltem per alterum. Ita Coninchus *disput.18.dub.1.num.5.* & alij communiter: cum enim beneficij titulum habeat, habet etiā ius ad fructus.

R. 4. Beneficiarium, qui lapsus est irregularitatem, qui nec per se, nec per alium supplere potest, nec irregularitatis dispensationem obtinere, teneri beneficium in manibus Superioris resignare, quia non potest beneficium cum damno alterius retinere, nisi aliqua iusta causa excusetur.

An irregularitas priuet fructibus beneficij?

BRACTEA X.

R. Non priuare. Ratio, quia sicut suspensio ab officio non infert necessariam suspensionem à beneficio: ita etiam irregularitas, quæ tantum impedit ordinis susceptionem, priuat ipso iure fructibus beneficij, tum quia nulla est lex, quæ imponat ipso facto, priuationem fructuum ratione irregularitatis.

R. 2. Si per Iudicis sententiam contingat irregularem priuari fructibus beneficij, ijs, quos vsque ad illud tempus percepit, priuari nequit.

Sciendum in his casibus, in quibus vnà cum irregularitate est annexa priuatio beneficij, ipso facto, & retrotrahitur sententia ad diem commissi criminis, potest etiam vtique priuari fructibus perceptis, vt accidit in crimine hæresis. Verùm id non oritur ex vi irregularitatis, sed ex vi materiæ, & in odium criminis commissi.

An irregularitas priuet irregularem iurisdictione?

BRACTEA XI.

R. Irregvlarem esse incapacem iurisdictionis ordinariæ, quam quis habet ratione beneficij. Ratiò est, quia cum sit incapax ad recipiendum beneficium; ita etiam iurisdictionis prouenientis ab ipso. Et ita Suarez *disp. 40.sect.2. num. 12.* Filliucius *de censuris cap.3.de effect. irregul.num.81.*

Sciendum, quod licet irregularis sit inhabilis ad iurisdictionem ordinariam, non est tamen inhabilis ad iurisdictionem delegatā. Ratio est, quia nullum ius est, quod irritam faciat talem delegationem, tum etiam quia iurisdictio delegata non confertur ratione beneficij, nec in ordine ad exercitium ordinum.

Sciendum 2. irregularem posse actus iurisdictionis, qui non includunt exercitium ordinis exercere, non solùm validè, sed etiam licitè. Ratio est, quia per irregularitatem solùm impeditur actus iurisdictionis, quæ procedit ab ordine, non autem alterius iurisdictionis. Vnde Parochus irregularis potest matrimonio assistere, non autem solemniter benedicere, quia sic est actus ordinis, non autem ille: similiter posse alteri facultatem absoluendi delegare, quamuis ipse nequeat absoluere sacramentaliter. Ratio est, quia delegatio non est actus ordinis, sed iurisdictionis. Ratio secundæ partis est, quia absoluere est actus ordinis. Nec etiam priuari iure eligendi, vel confirmandi electionem factam. Ratio est, quia id pertinet ad iurisdictionem, qua non priuatur irregularis. Ita Nauar. *cap.27.num.244.* Filliucius *de censuris cap. 3. de effectibus irregularit.num.75.*

De irregularitate ex defectu animæ?

BRACTEA XII.

R. Primo carentes vsu rationis, vt sunt amentes esse irregulares, & inhabiles ex natura rei ad suscipiendos ordines, quamuis recipiant characterem, si promoueatur ad ordines. Ita Nauarrus *cap.27.num.205.* Toletus *lib.1. cap.59.* Suarez *disput.51.sect.1.num. 2.* & alij communiter.

Sciendum, quod numerari solent quinque genera hominum, qui non vtuntur ratione. Primum, est puerorum vsu rationis carentium. Secundum, perpetuò amentium. Tertium, furiosorum ad tēpus, sub quibus comprehenduntur omnes amentes, siue prouocentur in iram, siue sint tantum stolidi. Quartum genus hominum sunt lunatici. Quintum est eorum tantum, qui dicuntur arreptici, & energumeni.

R. 2. Defectum scientiæ, seù ignorantiam facere homines irregulares. Ita Reginaldus *lib.30. num.35.* Toletus *lib.1.cap 59.num.7.* Filliucius *loc.cit. num.188.*

Sciendum 2. scientiam requiri tàm iure naturali, & Diuino in ordinando, quo pacto quisque scire tenetur necessaria ad debitè officium præstandum.

Sciendum 3. ignorantiam, qua ratione impedit ordinem suscipiendum, eadem etiam impedire susceptum. Et quidem si furtiuè, vel per fauorem, vel alia ratione mala fide illiteratus ordinatus sit, omnes conueniunt manere suspēsum suspensione inclusa in ipsa irregularitate: si verò bona fide ordinem accepisset, ignorans obligationem suam, nihilominus manet impeditus, cum id aduertit, donec addiscat, quātum opus est ad ordinem receptum.

Sciendum 4. quod solùm ille defectus doctrinæ constituit irregularitatem, qui hominem denominat illiteratum, quia de hoc tantum iura mentionem faciunt, vt ad *cap. Illiteratos dist.36.* Glossa interpretatur. Quo nomine significari eum, qui nunquam grammaticam audiuit, deduci potest ex *cap.fin.de ætate, & qualitate*, vbi de quodam qui *quoniam illiteratus erat*, depositus fuit; dicitur, quod nunquam de grammatica didicisset: illi verò, qui aliquo modo in litteris versati sunt, etiā si nō multū profecerint, nō videtur illiterati censendi, sūt sufficiēter ad irregularitatē, præsertim quando in illis, ꝙ imperfectum est scientię, supplet perfectio charitatis.

R. 3. Neophytos nuper ad fidem conuersos, idest nondum expletis decem annis in vera fide post susceptum baptismum, esse irregulares. Ita colligitur ex *dist.* 48. *cap.* 1. & 2. Et ita Henriq. *lib.* 14 *cap* 4. Suarez *tom.* 5. *disp.* 43. *sect.* 3 *num.* 5. & alij.

Sciendum 5. illc dici Neophytum, qui ex Saracenis, Iudæis, aut Paganis conuertitur ad fidem Christianam, qui verò ab infantia baptismum suscepit, non dicitur Neophytus, quamuis descendat à Paganis, Iudæis, &c. sicut nec etiam ille dicitur Neophytus, qui abhinc decē annis, vel eo, amplius baptismi Sacramento insignitus est: causa autem istius irregularitatis est iuxta Apostolum 1. ad Timoth. *cap.* 3. Ne in superbiam elatus incidat in laqueum Diaboli. Altera etiam causa insinuatur, quod alios docere nesciat, quia ipse non didicit, & miserum sit eum fidei magistrum, qui nunquam fuit Discipulus, eumque summum Sacerdotem fieri, qui nullo gradu vnquam obsecutus est, licet aliquādo eo quod in Neophyto nonnunquam tanta appareat charitas, humilitas, & eruditio in ijs, quæ ad fidem pertinent, vt sine dilatione longa, possit imo debeat cum ipso dispensari, si id necessitas Ecclesiæ exigere videatur.

De secunda specie irregularitatis, quæ oritur ex defectu corporis?

BRACTEA XIII.

REVM corporis defectum inducere irregularitatem, cui iniuncta est inhabilitas ad officium ordinis exercendum, vel deformitas notabilis, quæ populo scandalum, aut horrorem inducat.

Sciendum illum defectum corporis irregularem tantummodo facere, quoad officium illius ordinis, ad quod exercendum reddit ineptum: sic enim defectus duorum digitorum impedit Sacerdotem, ne Missam celebrare possit, non item ne alia officia Sacerdotalia exercere, vt confessiones audire, &c.

Sciendum non esse eandem regulam in ordine ad susceptionem ordinum, & administrādum in susceptis. Ratio est, quia is, qui ordinem suscipere debet hoc ipso, quod est inhabilis ad eos exercendos, est etiam irregularis, & inhabilis ad eos recipiēdos: qui verò iā ordinatus est, si talis defectus superueniat, dūmodo per illū nō reddatur notabiliter deformis, potest exercere illa officia, à quibus non impeditur, vt si Sacerdoti superueniat cæcitas, &c. licet (vt dictum est) non possit Missam celebrare; potest tamen alia munera Sacerdotalia peragere.

R. 2. Corporis defectus occultos nullam inducere irregularitatem. Ratio est, quia hoc ipso, quod occulti sunt, sequitur eos nullam afferre deformitatem, aut scandalum, dummodo tamen talem non inducant debilitatem, quæ impediat ordinum executionem: vnde si quis in pede, v. g. careret pollice, aut digitum haberet deformem, aut sectus esset in genitalibus, vel ob infirmitatem, vel aliam causam non esset irregularis, vt ex Innocentio *cap. Significauit de corpore vitiatis, & cap. Eunuchus dist.* 55. docet Toletus *lib.* 1. *cap* 57. Si verò ex propria culpa, accidissent huiusmodi defectus, etiamsi occulti inducerent irregularitatem, quamuis ea membri priuatio non impediat vsum ordinis, neque notabilem afferat deformitatem, *cap. Maritum dist.* 33. Et ita Henriquez *cap.* 8. §. 4. Sayrus *cap.* 7. *num.* 11. & patet ex *cap. Si quis absciderit dist.* 55. *cap. Significauit de corpore vitiatis, cap. Qui partem.* Vnde qui sponte sibi virilia amputauit, vel permisit amputari absque iusta causa irregularem esse, & consequenter non posse ordines suscipere, aut susceptos exercere: similiter qui ex ira digitum, etiam in pede sibi amputauit irregularem esse, etiamsi ex huiusmodi abscisione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrandum, *cap. Qui partem* 6. *dist.* 55. Et ita Molina *disp.* 70 *num.* 19. Nauar. *cap.* 27. *num.* 198. Qui verò ex indignatione seipsum vulnerauit, vel dentem extraxit, non est irregularis, quia ex vulnere non sequitur defectus corporis, & dēs non est membrum, aut pars corporis. Ita Henriquez *cap.* 8 *n.* 1. Filliucius *loco cit. n.* 160. Qui verò per infirmitatem amisit digitos pedum, aut virilia, aut ea curauit sibi ob sanitatem abscindi, non est irregularis, sicut neque est irregularis, qui amisit digitum manus non necessarium ad Eucharistiam eleuandam, modò ex ea mutilatione nō inducatur notabilis deformitas, quia tunc esset irregularis: similiter eum non esse irregularem, qui caret lumine oculi dextri, modò habeat vtrumque oculum integrum. Ratio est, quia huiusmodi vitium non impedit vsum ordinis, nec notabilem inducit deformitatem: si verò careat oculo, aut lumine oculi sinistri, ita vt non possit commodè per oculum dextrū conspicere sine indecora conuersione faciei ad populum est irregularis. Ita Nauar. *cap.* 27. *n.* 199. Vgolinus *cap.* 47. & 48. Filliucius *loco cit. nu.* 167. & alij: si verò solùm habeat maculam in oculo, nō est irregularis, dummodo notabilem non generat deformitatem: secus si notabilem deformitatem efficiat: similiter irregularem esse, cui aures, vel nares abscisa sunt, vt ex communi docet Nauar. *loco citato num.* 223. nisi aurium deformitas capillatura tegi possit, vt notat Auila *par.* 7. *disp.* 3. *dub.* 1. Coninchus *disput.* 38 *dub.* 13. *num.* 103. Similiter irregulares sunt, & ex defectu corporis, & ratione deformitatis leprosus, paralyticus, phraneticus, morbo caduco laborans, & laborantes febri continua, morbo Gallico, qui foris appareat, horroremque generet: similiter laborantes peste esse irregulares propter periculum infectionis aliorum: sicut etiam sunt irregulares laborantes tussi, quę periculum habeat in suscipienda Eucharistia, quamuis peste, vel tussi sublata, sicut etiam morbo Gallico, vel alia infirmitate cesset irregularitas.

An Monstra sint irregularia?

BRACTEA XIV.

SCIENDVM ad Monstra pertinere quatuor genera personarum. Primò sunt, qui habent plura membra, vt capita, manus, pedes, &c. Secundò ij, qui licet debita membra habeant quoad numerum, est tamen inter ea maxima disparitas inducens deformitatem. Tertiò dicuntur monstruosi propter excessum debitæ quantitatis, vel defectum, vt Gigantes, vel Pigmæi. Quartò propter excessum in aliqua parte, vt gibosi. Quibus positis,

R. Mon-

R. Monstra primi generis esse irregularia, Ratio, quia notabilem inducunt deformitatem, tũ etiã quia excludũtur ab hereditate Mõstra secundi generis, etiã esse irregularia, si talis disparitas notabilem inducat deformitatẽ; Mõstra verò tertij, & quarti generis tũc esse irregularia, quãdo tales esset in his deformitas, vt futuri viderentur occasio ludibrij, & risus, si ordines susciperent, quod discutiendum relinquitur iudicio Episcopi; an ita videatur futurum, nec ne.

An Hermaphroditus sit irregularis?

BRACTEA XV.

R. Hermaphroditum, qui ęqualiter participat de sexu virili, ac feminco esse irregularem *cap. si testes 4. quast. 2.* & hic non solùm repellitur ab ordinibus, sed etiam à professione. Et ita Henriquez *lib. 4. cap. 8. num. 6.* ob periculum scandali, & libidinis; tum etiam quia talis vir, nec propriè dicitur vir, neque fœmina. Subiectum autem capax characteris est vir propriè, cum fœmina repellatur ab ordinibus; si verò magis particeps sit viri, quam fœminei sexus, tunc quamuis sit irregularis, est capax, & characterem recipit, si ad ordinem promoueatur. Ita Nauar. *cap. 27. num. 203.* Suarez *tom. 5. disput. 51. sect. 2.* Vgolinus *cap. 48.* Filliucius *loco cit. num. 162.*

Sciendum, quod si cõtingat fęminam erumpente natura mutari in virum, non censebitur amplius irregularis, si remaneat solùm sexus virilis, quia hic non dicitur amplius fœmina, vel Hermaphroditus; & ideò non videtur inhabilis ad ordines. Ita Suarez *disput. 51. sect. 2. num. 2.* Filliucius *loco citato num. 162.* & alij.

An Abstemius dicatur irregularis?

BRACTEA XVI.

R. Si est Abstemius ante susceptionem Sacerdotij, eo quod vinum non possit bibere, vel si bibat, illud euomat esse irregularem, & non posse ad Sacerdotium admitti. Ratio est, quia Missam celebrare non possunt, cum in ea omitti nequeat consecratio sub vtraque specie, sumptioque calicis. Ita *de consecratione dist. 2. cap. Comperimus.* Qui vero suscepto Sacerdotio fit Abstemius; ita vt non possit degustare vinum, posse vti Sacerdotio, excepta celebratione, & sacrificium Missæ non potest amplius peragere propter periculum vomitus in sumẽdo speciebus vini. Ita Maiolus *cap. 25.*

Sciendum dubium esse an Summus Pontifex possit dispensare cum Abstemio, vt promoueatur ad Sacerdotium. Respondeo iuxta sententiam illorum, qui dicunt Summum Pontificem non posse dispensare, quod sacrificium fiat sub vna specie: non posse dispẽsare cum Abstemio, vt promoueatur ad Sacerdotium. Secundum verò sententiam illorum, qui dicunt posse dispensare Summum Pontificem, quod sacrificium fiat sub vna specie, posse etiam dispensare cum Abstemio, vt ad ordines promoueatur.

An habens defectum corporis impedientem Sacerdotium possit admitti ad alios ordines?

BRACTEA XVII.

R. Negative. Ratio est, quia censetur irregularis, & irregularitas, &c. tum quia carens aliquo membro non solùm est inhabilis respectu Sacerdotij, sed etiam respectu aliorum suscipiendorum, ergo sicut non potest promoueri ad Sacerdotium, ita nec etiam ad alios ordines. Ita Nauar. *cap. 27. num. 20.* Vgolinus *cap. 52. §. 1. num. 4.* Bonacina *disp. 7. quast. 2. par. 2. num. 28.*

De tertia, & quarta specie irregularitatis ex defectu ætatis, & ex defectu libertatis?

BRACTEA XVIII.

R. Primo, defectum ætatis requisitæ ad ordines, dum durat, facere hominem irregularem, & deducitur ex *cap. de temporibus ordinationis.*

Sciendum, quod ordinati ante legitimam ætatem suspensi sunt ab ordinium executione, donec ad illam peruenerint: ea autem adueniẽte, dummodo susceptos ordines nondum exercuerint possunt sine dispensatione eos exercere, & ad altiores promoueri: si verò exercuerint actus ordinum maiorum ante legitimam ætatem ex violatione suspensionis irregularitatem incurrũt: vnde & adueniente ætate opus habent dispensatione Papæ, vt per Bullam Pij II. quæ incipit *Cum hac sacrarium,* notant Siluester *in verbo irregularitas quaest. 10.* & Nauar. in Enchirid. *cap. 25. num. 70.* ex *cap. 27. num. 155.*

R. 2. Ex defectu libertatis homines esse irregulares. Ita communiter omnes.

Sciendum primò illi, qui omninò priuantur libertate, sunt mancipia, & ita habetur ex *tit. de seruis non ordinandis,* quod genus hominum Ecclesia tanto studio à sacris ordinibus arcet, vt Episcopi in sua consecratione de ea moneantur, vt dicitur in *cap. de seruis non ordinandis* ijs verbis, *Si memores in consecratione tibi dictum fuit, vide ne quemlibet seruilis conditionis ad ordines promouere præsumas.* Ratio, quia non decet seruum ob vilem conditionem promoueri ad dignitatem Sacerdotalem. Verùm si seruus, Domino sciente, & non contradicente ordinatus est, liber euadit. Ita ex *cap. Si seruus sciente dist. 54.* etiamsi minoribus tantum ordinibus esset ordinatus. Et ratio est, quia canon generaliter loquitur: si verò absq; Domini consensu sit initiatus minoribus ordinibus, adhuc manet seruus: si verò sit promotus ad ordines sacros acquisiuit libertatem, sed tamen obligatur Domino satisfacere, aut alium seruum suo loco substituere. Quod si neutrum possit, debet Domino suo restitui, & inseruire in ijs rebus, in quibus antea seruiebat: si verò promotus sit ad Sacerdotium, non potest amplius cogi ad seruitutem obeundam; sed aliquod peculium habeat, debet illud reddere Domino iuxta *cap. Ex antiquis,* aut si non habeat, debet redemptionem procurare, & si vtrumque non possit, debet Domino in ijs obsequijs seruire, quæ ordinem, quem consecutus est, non dedeceant iuxta *cap. Frequens.*

Sciendum 2. irregulares etiam esse ex defectu libertatis, qui libertatem, quidem aliquam habent, non tamen integram, perfectamque, vt Curiales, qui ex obligatione inseruiunt Curijs Principum sæcularium, vt sunt Iudices, Aduocati, Milites, & alij, qui repelluntur ab ordinibus suscipiendis, quandiu ab illa obligatione non fuerint soluti. Et ita Henriquez *lib.14.cap.5. num.5.* Siluester *verbo ordo* 4. Suarez *disput.47.sect.4.* & alij: qui vero frequentant Curias, & obsequij causa inseruiunt Principibus sęcularibus absq; obligatione, non repellũtur ab ordinibus: nam habent integram, perfectamque libertatem. Similiter ad ratiocinia obligati sunt irregulares & impediuntur, ne ordines suscipiant. Et ita habetur ex *cap. vnico de obligat. ad ratiocin.* Ratio est, quia talis obligatio est vinculum quoddam temporale, reddens hominem valdè impeditum ad ministeria Ecclesiastica. Tales sunt Curatores, Tutores, Procuratores, &c.

Sciendum 3. duplicem obligationem considerandam esse in his personis, vna est ad tales actiones, dum sunt in officio, & hęc non durat, nisi ipso officio durante. Alia est ad reddẽdam rationem peracti officij, & hæc etiam manere potest, relicto officio. Durante ergo priore obligatione, verum est tales esse irregulares: demisso autem officio, & liberatis personis à secunda obligatione reddendi rationem, tollitur irregularitas. Si obligatio ad ratiocinia proueniat ex administratione publica, vt obligantur Thesaurarij, aut Depositarij æris publici, item Aduocati, Magistratus, Iudices, &c. Idem dicendum est, quod de obligatis ad reddendam rationem administrationis rei priuatæ.

An ex debito pecuniario inducatur Irregularitas?

BRACTEA XIX.

R. Ex debito pecuniario per se non induci irregularitatem. Ratio est, quia nullo iure inuenitur expressa talis irregularitas.

Sciendum, quod licet per se non inducatur irregularitas, si tamen periculum sit litiũ, & vt prematur debitor à creditoribus dici potest, adesse irregularitas ex defectu obligationis ad reddenda ratiocinia, licet se eximere possit cõcedendo omnia sua bona creditoribus, & reseruata congrua sustentatione, iuxta *cap. Odoardus de solut.* Ita Maiolus *lib.2.cap.11.num.* 15. Suarez *disp.55.sect.9.* & alij.

De quinta specie irregularitatis, quæ est ex defectu natalium?

BRACTEA XX.

R. Omnes filios illegitimos tàm naturales, quàm spurios irregulares esse canonici iuris constitutione *cap. 1. & 2. de filijs Presbyterorũ cap. 1.* quod introductum est partim in detestationem sceleris paterni, partim ob turpitudinis notam, quam filius ex tali natiuitate moraliter contrahere censetur, partim quia timetur, ne filius paternæ incontinentiæ imitator existat.

Sciendum triplici capite filium dici legitimum. Primò proprijssimè dicuntur illi, qui nati sunt ex parentibus in matrimonio iniunctis, siuè tale matrimonium sit Sacramentum, siue merus contractus, vt inter infideles. Secundo dicuntur legitimi ij, qui licet nati sunt ex concubitu illicito, tamen per subsequens matrimonium facti sunt legitimi. Tertiò iure canonico legitimi dicuntur ij, qui orti sunt ex matrimonio vero, ita bona fide reputato, saltem ab altero coniugum. *cap. ex tenore, qui filij.* Et ratio pendet ex dispositione iuris in fauorem prolis cõceptæ, sub titulo matrimonij validi iuxta bonam fidem, & publicam opinionem alterius: vnde quando matrimonium interdum inualidè contractum fuit ob occultum aliquod impedimentum, sed vterque contrahens, vel vnus eorum bona fide ex probabili errore iuris, cõtraxit in facie Ecclesiæ, filij, qui nati sunt, censentur legitimi, sicuti legitimi censentur filij ab infidelibus suscepti, qui tempore infidelitatis validum contraxere matrimonium secundum leges ipsorum, sed inualidum secundum leges canonicas.

Sciendum 2. quatuor esse illegitimorum gradus. Primò enim alij sunt naturales, qui scilicet orti sunt ex copula illicita eorum, inter quos poterat esse matrimonium, qui ideò dicuntur naturales, quia sola natura illos genuit, non autem honestas coniugij. Alij dicuntur Spurij, qui orti sunt ex copula damnata, vt ex stupro, vel raptu, vel sacrilegio, vel incęstu, vel ex fęmina coniugata. Alij dicuntur nothi, qui scilicet nati sunt ex soluto, & concubina domi non retenta, qui quando domi est retenta, dicitur filius naturalis. Alij dicuntur Manzer, vt illi qui ex meretrice orti sunt, qui omnes irregulares censendi sunt.

An expositi sint Irregulares?

BRACTEA XXI.

R. Triplicem esse sententiam. Prima absolutè negat eos esse irregulares. Ratio, quia quilibet præsumendus est legitimus, dum non probatur contrarium, tum quia in dubijs pars benignior est pręferenda. Secunda sententia affirmat eos esse irregulares. Ratio, quia tales frequentiùs sunt ex turpi conceptione: in obscuris autem solet inspici, quod est verisimiliùs. Ita Maiolus *lib.1. de irregularitate cap. 11.* Toletus *lib.1.cap.52.* & alij. Tertia sententia distinguit de ordinato, & ordinando: nam ordinatus censendus est legitimus, & ordinandus debet haberi pro illegitimo, & per consequens expositus non ordinatus censetur irregularis. Ita Rebellus *lib.1. de contract. quæst.2.num.15.* Henriquez *lib.14. cap.8.* Suarez *disp.50 num.3.* & alij.

R. 2. Illegitimum mortaliter peccare recipiẽdo ordines absque dispensatione, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, licet nouam non incurrat pœnam suscipiendo ordines, cum hæc sit iniuria expressa. Ita Nauar. *cap.27.num.96.* & alij.

Quibus

Quibus modis irregularitas ex illegitimatione auferatur?

BRACTEA XXII.

R. Tribvs modis auferri. Primò auctoritate Papæ, & sic legitimatus à Papa idoneus est ad ordines, vt si natus esset ex legitimo matrimonio, & similiter ad beneficia, & ad dignitates, aliaque omnia, ad quæ se extendit potestas legitimantis.

R. 2. Episcopos dispensare posse quoad ordines minores, & beneficia simplicia cum irregulari: Princeps verò sæcularis posse legitimare illegitimum quoad honores, & officia sæcularia, non autem quoad Ecclesiastica, vel ad ordines, vel ad beneficia.

R. 3. Irregularitatem auferri per professionem in approbata religione quoad omnes ordines etiam sacros, vt constat ex *cap. 1. de filijs Presbyterorum*, quod ius licet irritauerit Sixtus V. in sua constitutione contra illegitimos, eam tamen abrogauit Gregorius XIV. & reduxit ad terminos iuris communis: quare ius capiti dicti, etiam nunc manet: non tamen aufertur irregularitas per professionem quoad prælationes, ac dignitates, siuè intra, siuè extra religionem.

An filius Adulteræ censendus sit irregularis?

BRACTEA XXIII.

R. Evm, qui natus est ex matre adultera, à qua cognoscat se esse illegitimum non teneri credere se esse illegitimum ob solū matris testimonium ita asserentis, etiam in fine vitæ. Ratio, quia filius non tenetur adhibere fidem dicto matris, nisi sufficienter probetur tempore conceptionis non fuisse à marito cognitam, quamuis enim credat eam adulteram, cum etiam ex adultera possint oriri filij legitimi, si degat etiam cum viro suo: si verò filius sibi persuasum habeat, vel ex nimijs coniecturis, &c. vel etiam ex ignorantia, aut animi leuitate se esse illegitimum, tenebitur se gerere tamquā irregularem, nisi deponat conscientiam. Ratio est, quia aliter agendo faceret cōtra propriam conscientiam, ideòque teneretur petere dispēsationem, antequam ordines susciperet: sin autem præter dictum matris, id etiam pater affirmaret se eo tempore vxorem non cognouisse, tunc obligari videtur ad credendum se esse illegitimum, quod etiam dicendum est de filio supposito, qui matri non tenetur credere dicenti ipsum esse illegitimum, nisi concurrant alia, quæ cogant ipsum ad credendum.

De sexta specie irregularitatis ex defectu Sacramenti, seu bigamia?

BRACTEA XXIV.

R. Bigamiam efficere hominem irregularem. Ita habetur ex *cap. 3.* epist. 1. ad Timoth. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse vnius vxoris virum*, & ex *dist. 34. cap. Præcipimus, cap. Si quis viduam, & cap. Lector*, item ex *tit. de bigamis non ordinandis cap. 1. 2. & 3.*

Sciendum bigamiam triplicem esse, re, interpretatione, & similitudine; tunc dicitur re bigamus, quando quis habuit, & cognouit carnaliter duas legitimas vxores, siuè ante, siuè post baptismum vtramque, vel alteram habuerit. ex *cap. Acutius*, & *cap. Deinde dist. 23.* Et ita Rebellus *lib. 3. de matrimonio quæst. 20. num. 4.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 67. num. 4.* Sanchez *lib. 7. disput. 83. num. 8.* Maiolus *lib. 1. cap. 33.* Sayrus *lib 6. cap. 3. num. 23.* & alij. Interpretatione verò ille dicitur bigamus, qui non quidem verè, sed secundum iuris interpretationem duas duxit vxores, vt ille, qui duxit viduam, ex *cap si quis viduam 1. & 2. dist. 34.* & *cap. 3. de bigamis.* Dicitur præterea interpretatione bigamus is, qui duxit corruptam ab alio, ex *cap. Curandum distinct. 34.* etiamsi crediderit illam fuisse virginem, cum non esset. Et ratio est, quia ex eo nō desinit esse maritus corruptæ ab alio: corruptam verò extra matrimonium ab eo solo, qui illam duxit non efficere hunc irregularem. Ratio, quia talis fœmina non diuisit carnē suam in plures, vtpotè ab vnum tantum cognita, qui eo nomine censetur duxisse vxorem virginem, cum matrimonium absterserit præcedentis copulę vitium. ex *cap. Sancta*, qui filij sint legitimi. Tertiò interpretatione bigamus dicitur ille, & per consequens irregularis, qui cum virgine quidem contraxit matrimonium, eāq; cognouit, postquam adulterata est cum alio, siuè volens fuerit adulterata, siuè per vim, aut metum. *cap. Si cuius, cap. Si Laici dist. 34.* Ratio est, quia huic matrimonio defuit significatio, cum non significet vnionē Christi cum Ecclesia, quę vnio vna est, & non multiplex: si verò eam non cognouerit, postquam adulterata est, tunc non censetur bigamus, neque irregularis.

Sciendum etiam esse bigamum bigamia interpretatiua, qui duo matrimonia inualidè contraxit cum aliquo impedimento dirimente, & consumatis matrimonijs, illumq; esse irregularem, & qui cum vna contrahit validum matrimoniū, & cū alia inualidum. Et ita Vgolin. *§. 2. n. 13.* Sayrus *c. 4. n. 7.* Suar. *disp. 49 sect. 3.* Filliucius *de censuris lib. 4. de irregularitate num. 104.* Ratio est, quia quoad effectum duo init matrimonia, consequenter defuit significatio, tum quia indecens est eum, qui bis cōtraxit matrimonium coram Ecclesia esse Clericum.

Sciendum ex Nauar. *cap. 27 nu. 196.* bigamiam, quę irregularitatem inducit requirere coniunctionem, tum animorum per mutuum consensum contrahentium, tum corporum per carnalem eorumdem copulam, quod est requirere matrimonium consumatum, ex quibus deducitur solam fornicationem, etiam cum vidua non inducere irregularitatem bigamiæ, quia bigamia non est absque matrimonio. Secundò non esse irregularem, qui plures habuit concubinas, sed vnicam vxorem virginem duxit. ex *cap. Quia circa de bigamis*, nec eum, qui duxit vxorem eam, quæ matrimonio coniuncta fuit alteri morte præuento, antequam ipsam carnaliter cognosceret. ex *cap. vlt. distinct. 34.* & ex *cap. Debitum de bigamis.* Vltimò nec eum, qui contraxit quidem cum multis, sed cum vna tantum, & ea virgine copulam habuit.

Similitudine bigamus vocatur ille, qui post votum solemne castitatis emissum in professione, vel in susceptione sacrorum ordinum consumat matrimonium cum aliqua virgine,

eamque carnaliter cognoſcit. *cap. Quotquot diſt. 27. quæſt. 1.* & *cap. nuper. de bigamis.* Ratio eſt, quia aſtrictus voto ſolemni cenſetur ſpirituali quodam matrimonio coniunctus cum Chriſto, & Eccleſia, etſi carnaliter coniungitur cum alio, vel alia cenſetur duo matrimonia celebrare, non quidem vera, ſed ſimilitudinaria: quæ quidem irregularitas datur ſolummodo reſpectu ordinis ſacri, non autem reſpectu ordinum minorum, quia nullum datur ius, ex quo talis irregularitas habeatur, neque vlla ſit irregularitas, niſi è iure. ex *cap. Is, qui de ſententia excommunicationis.*

De ſeptima ſpecie irregularitatis, quæ contrahitur ex defectu lenitatis?

BRACTEA XXV.

R. Clericum mutilantem, vel occidentem, vel cooperantem ad mutilationem, & occiſionem incurrere irregularitatem ſecuto effectu ex defectu lenitatis, quæ impedit ſuſceptionem ordinum, & exercitium ſuſceptorum. Ita colligitur ex *cap. finali ne Clerici, vel Monaci cap. Si quis viduam diſt. 50.* & eſt concluſio communis omnium Doctorum. Ratio eſt, quia talis, qui voluntariè mutilat, vel occidit, potius repræſentat interfectores Chriſti, quam ipſum Chriſtum, & Miniſtri nouæ legis debent eſſe Miniſtri manſuetudinis, & dilectionis ad alliciendos hominum animos ad bonum, tum etiam quia ſunt Miniſtri Sacramenti vnionis, & viuificationis, qui autem occidit, non repræſentat Sacramentum vnionis, & viuificationis.

Sciendum per mutilationem in iure intelligi amputationem membri, nec ſatis eſſe debilitationem. Ratio, quia membrum debilitatum nō deſinit eſſe membrum: amputatum verò deſinit eſſe membrum, & pœnæ non ſunt extendēdæ vltra verborum proprietatem: per membrum autem intelligitur pars in humano corpore, quæ ſit inſtrumentum, & proximum alicuius actionis, vt manus, pes, oculus: digitus verò non dicitur propriè membrum, ſed pars membri.

R. 2. Non ſolùm incurri irregularitatem ex mutilatione membri integri, ſed ex mutilatione notabili membri, ita vt ſit irregularis, qui dimidiam manum abſcinderet, vel digitos omnes, vel maiorem eorum partem. Ratio, quia talis mutilatio æquiualet mutilationi totali, ſeu æquiparatur abſciſioni.

R. 3. Non modo eſſe irregularem iniuſtè occidentem, vel mutilantem, ſed etiam qui mortem accelerauit, aut cauſam accelerandi dedit dicto, vel facto. Ita Auila *par. 7. ſect. 1.* Sayrus *cap. 16.* Toletus *lib. 1. cap. 70.* Reginaldus *lib. 30. num. 97.* Vnde qui dicit Reo, aſcende ſcalam, vel ſuppone caput ad excipiendum ictum eſſe irregularem ex defectu lenitatis, quoties illud dictum eſt cauſa accelerationis mortis, niſi data opera aliquid aliud præſtet, quo mors retardetur, & differatur quantum ex illa cauſa potuit accelerari.

R. 4. Cooperatores ad homicidium iuſtum eſſe irregulares ſecuto effectu, & primò irregularem eſſe Iudicem ferentem ſententiam ſanguinis, vel mutationis, eiuſque acceſſores, cooperatores, ſatellites Reum comprehendentes, & ipſum torquentes ad extorquendam veritatem: item Notarium ſcribentem, vel legentem ſententiam ſanguinis incurrere irregularitatem ſecuta morte, vel mutilatione, quia cenſentur cauſa propinqua mortis, vel mutilationis. Similiter Conſultores in cauſa ſanguinis eſſe irregulares, ſi conſulant in aliquo caſu particulari, vt ſi quis dicat talem Reum mœreri mortem, vel mutilationē, ſecuta tamen morte, vel mutilatione ob ipſius dictum; ſecus tamen ſi illius dictum non fuerit cauſa mutilationis, vel mortis. Similiter irregulares eſſe, qui comitantur Reum ad ſupplicium cauſa ſecuritatis, cuſtodes carceris, oſtium aperientes; vt inde Reus ad mortem ducatur, fabricantes furcam, aut docentes in caſu particulari Carnificem imperitum, qui tradit ligna, quibus hæreticus, vel alius viuus imburatur, pulſantes cāpanam ad conuocandos milites, qui aliquem ducturi ſunt ad mortem: ſecus verò de eo, qui campanis dat ſignum, quo aliquis ſuſpendendus eſt, vt homines ſciant aliquem ad mortem duci, cum in effectum mortis non concurrat. Et ſic de alijs, qui cooperantur ad mortem in aliquo caſu particulari, ancorus eſſe irregulares ex defectu lenitatis.

An Iudex, qui iubet manum alicui amputari, & poſtea illum laqueo ſuſpendere, incurrat duas irregularitates?

BRACTEA XXVI.

R. Qvod, ſi Iudex vna ſententia iubeat manum alicui amputari, & ipſum poſtea laqueo ſuſpendere, incurrit ſolummodo vnam irregularitatem, ſicut etiam incurrit ſolummodo vnam irregularitatem, quando vna ſententia plures condemnat ad mortem. Ratio eſt, quia reputatur vnica actio, ſicuti cenſetur vnica actio, qui vno iactu lapidis plures percutit Clericos: ſi verò diuerſis ſententijs condemnet abſciſionem manus, & ſuffocationem Rei, vel plures ad mortem incurrit tot irregularitates, quot ſunt ſententiæ. Ita Bonacina *de irregul. quæſt. 4. pun. 1. num. 26.*

An Dominus temporalis committendo alteri munus iudicandi in cauſis criminalibus, incurrat irregularitatem ſecuto effectu?

BRACTEA XXVII.

R. Non incurrere irregularitatem, ſi mandatum fiat debito modo in genere, & nō in ſpecie, & modò ſpecialiter non mandet punitionem. Ita Silueſter *verbo homicidium 3. num. 7.* Vgolinus *cap. 5. §. 8* Sayrus *cap. 18. num. 17.* & alij. Quod etiam dicendum eſt de Prælatis Eccleſiaſticis habentibus iuriſdictionem in foro externo.



An Iudex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, sit irregularis?

BRACTEA XXVIII.

RESPONDEO non esse irregularem. Ratio est, quia degradando non cooperatur ad mortem, sed solum per degradationem ostendit se suo functum esse officio, consequenter præmissa protestatione non fieri irregularem, etiamsi delinquens postea plectatur morte à Iudice sæculari, vt patet ex *cap. Nouimus de verborum significat.* Similiter non esse irregulares Inquisitores S. Officij tradendo Reos mortis brachio sæculari, vt patet ex Bulla Pij V. imò nec etiam esse irregularem, si Iudici differenti executionem dicat, vt delinquentem puniat iuxta leges. Ita plures apud Sayrum *cap. 18. num. 15.* & apud Suarez *disput. 47. sect. 1. num. 11.* Excusantur etiam ab irregularitate Officiales S. Inquisitionis, denunciatores, testes, etiamsi nullam præmittant protestationem. Ratio est, quia Inquisitores, & Iudices Ecclesiastici non imponunt pœnam sanguinis, nec procedunt ad occidendum, aut mutilandum. Vnde necesse non est, vt denunciatores, & testes, &c. præmittant protestationem.

An Confessarius incurrat irregularitatem, qui Iudici dicit non posse ipsum absoluere, nisi Reum puniat secundum iura?

BRACTEA XXIX.

R. NON incurrere irregularitatem, quando solummodo Iudici simpliciter dicit, non te absoluam, nisi facias, quod leges præcipiunt, vel nisi præstes officium, quod debes, vel nisi Reum punias secundum iura: secus verò dicendum erit, si in aliquo casu particulari ita consuleret, quia tunc eius consilio censeretur causa accelerationis mortis. Ita Auila *par. 7. disput. 242.* Reginaldus *lib. 30. num. 138.* Filliucius *loco citato num. 242.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. num. 4.* Sayrus *lib. 6. cap. 18. num. 26.* Ratio est, quia in genere consulendo non censetur cooperari morti alicuius particularis.

An licitum sit Sacerdoti præbere consilium Principi, vt ferat legem, qua fures morte plectantur?

BRACTEA XXX.

R. LICITVM esse, dummodo in generali consilium ferat. Ita Henriquez *cap. 16. num. 4.* Filliucius *de censuris cap. 8. num. 242.* & alij. Ratio est, quia sicut Princeps in genere potest legem ferre; ita & Sacerdos absque irregularitatis periculo potest consulere Principi, vt ferat eiusmodi legem, sicuti & licitum est Concionatoribus Iudices hortari ad coercendos debitis pœnis improbos, & ad purgandam Rempublicam perditis, & scelestis hominibus, quamuis Iudex inde occasionem arripiat illos plectẽdi, nam Concionator suo vtitur iure, & præstat munus, ad quod tenetur, nec ob id ad mortem cẽsetur cooperari, vel ad alterius mutilationẽ.

An Accusator in causa sanguinis sit irregularis?

BRACTEA XXXI.

R. ACCVSATOREM in causa criminali esse irregularem, secuta morte, vel mutilatione, nisi hoc faciat petendo satisfactionẽ pro iniuria sibi, aut suis rebus collata. Ratio est, quia accusando in causa criminali, censetur cooperari morti, vel mutilationi, & per consequens secuta morte, vel mutilatione esse irregularem, & sic colligitur ex *cap. penult. de homicid. in 6.* Et ita Couarruuias *Clement. 1. de homicid. par. 2. §. 5.* & alij.

Sciendum duo esse necessaria ad euitandã irregularitatem accusando in causa criminali. Primò, vt accusatio fiat ad satisfactionem, quia ad seipsum indemnẽ seruandũ, licitum est alterã accusare. Secundò, vt expressè protestetur, quod non intendit vindictã, vel pœnam sanguinis, sed solummodo satisfactionem debitam: quę protestatio solummodo excusat ab irregularitate incurrenda, quando est in causa propria, & pro rebus proprijs. Quod si erit pro causa aliena, vel pro iniuria personis extraneis illata, aut etiam consanguineis fieri irregularem, secuta mutilatione, vel morte, etiamsi pręmiserit protestationem. *cap. Prælatis*, vbi permittitur Clericis conqueri coram Iudice de malefactoribus suis, non autem de ijs, qui alijs damna intulerunt. Ita Nauar. *cap. 27. num. 213.* Molina *disp. 8. num. 8.* Reginaldus *lib. 30. num. 129.* Filliucius *loco citato num. 249.* licet quidam Doctores extendant, & licitum esse conqueri de illis, qui damnum suis propinquis, aut domesticis intulerũt. Ratio est, quia illorum damnũ reputatur proprium; & iniuria illis illata, in ipsos videtur redundare. Ita Auila *par. 7. disput. 5. dub. 11.* Et Henriquez *lib. 14. cap. 11. num. 4.* & alij.

Sciendum 2. dari aliquos casus, in quibus Clericus excusatur ab irregularitate incurrenda accusando alium in causa criminali. Primus est, quando crimen est adeò leue, vt non videatur dignum mutilatione, etiamsi postea Reus mutiletur, vel ex malitia Iudicis occidatur. Ratio est, quia illa accusatio non censetur causa efficax mortis, vel mutilationis, cum fuerit de crimine leui. Secundus casus est, quando quis Reum accusauit de leui crimine, qui postea propter aliorum accusationem de alijs criminibus fuit morti adiudicatus. Ratio est, quia prima accusatio non censetur causa efficax mortis, sed solùm secunda. Ita Couarruu. *in Clem. si furiosus*, Vgolinus *cap. 6. §. 4.* Auila *dub. 9.* Henriquez *loco citato*. Tertius, & quartus casus est quando (vt supra dictum est) aliquem accusat non petendo vindictam, sed satisfactionem sibi debitam, & non accusat de iniuria extraneis illata, sed inferenda, cum non possit aliter impedire damnum, quam accusando.

Sciendum 3. protestationem esse faciendam coram Iudice competenti, in qua protestetur se solummodo petere satisfactionem, & nullo modo velle vindictam, aut punitionem. Quare accusans in caussa propria non euaderet irregularitatem, si ipsam omitteret, etiam ex obliuione, aut ignorantia, secuta morte, vel mutilatione. Ratio est, quia irregularitas non modo incurritur ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis.

Scien-

Sciendum 4. protestationem non modò in Clericis accusantibus requiri in causa propria, & pro iniuria rebus proprijs illata, sed etiam in Laicis accusantibus delinquentes ad consulendum sibi, rebusque suis, ita vt si fiat ipsi liberi sint, & si non fiat, incurrat irregularitatem, secuta morte, vt patet ex *cap. 2. de homicidio in 6.* Vbi hoc remedium constituitur ad euitandam irregularitatem, quæ ex vi talis accusationis incurrenda fuisset, quia esset moralis cooperatio. Ita Molina *tom. 4. disp. 74. num. 9.* Nauar. *cap. 27. nu. 226.* Filliucius *loco citato num. 248.* & alij.

An Testis in causa sanguinis sit irregularis?

BRACTEA XXXII.

R. Testem voluntarium in causa sanguinis incurrere irregularitatem secuto effectu. Ratio est, quia suo Testimonio cooperatur morti, vel mutilationi, cum ab ipsius accersione pendeat sententia Iudicis, & in hoc casu nō excusat protestatio, quia protestatio solummodo prodest, quando agitur de proprio interesse. *cap. Prelatis 2 de homicid.* aut quando Testis tenetur iure naturæ sese offerre attestandum, quia tunc Ecclesia non præsumitur velle irregularitatem imponere, præmissa protestatione. Ita Vgolinus *de irregularitate cap. 7. num. 2. & 4.* Nauar. *cap. 27. nu. 212.* Maiolus *lib. 2. cap. 8.* & alij communiter.

Sciendum Testem metu graui coactum, vel præcepto obligante in conscientia, si Testimonium ferat in causa ciuili, etiamsi per accidens sequatur mors non esse irregularem. Ratio est, tum quia per accidens sequitur mors, & non imputatur ei, tum quia dedit operam rei licitè, nec est prohibitio specialis de tali actione ob periculum mortis: secus verò dicendum est, si testimonium ferat in causa criminali, quia tunc non effugiet irregularitatem, & si compellatur præcepto.

An Aduocatus, vel Procurator accusatoris fiat irregularis secuta morte?

BRACTEA XXXIII.

R. Advocatvm in causa sanguinis, sicut etiam Procurator accusatoris, si ex illa sequatur effectus mortis, vel mutilationis esse irregulares. Ratio est, quia validè cooperantur morti, vel mutilationi, cum influant in talem sententiam mouendo practicè tale opus: si verò Aduocatur agat pro Reo contra accusatorem, tunc si accusatio iusta est, etiamsi Reus condemnetur, & Aduocatus nō obtineat, quod intendit, non est irregularis, ratione imperitiæ, vel negligentiæ in aduocatione poterit esse irregularis: si verò sententia sit iniusta, & Reus absoluetur, accusator verò mutiletur, erit irregularis Aduocatus, quia dabat operam rei illicitæ, ex qua probabiliter poterat sequi tale nocumentum: secus autem si bona fides eum excusaret, vt si putasset causam alioquin esse iniustam.

An Clerici militantes in bello iusto fiat irregulares?

BRACTEA XXXIV.

R. Clericos militantes in bello iusto absq; occisione, etiamsi hortentur milites, vt suo fungantur munere non esse irregulares, dummodo per seipsos non occidant, etiamsi hortentur milites in genere ad fortiter se gerendum, & ad patriam defendendam. Ita Nauar. *cap. 27. num. 215.* Vgolinus *tract. de irregularitate cap. 12. §. 2.* Sayrus *cap. 19 num. 3* Suarez *disput. 47 sect. 6. num. 8.* & alij, & probatur ex *cap. Petitio tua de homicid.* & ex *cap. Præsentium de Cleric. percuss.* Ratio est, quia militantes in bello iusto dant operam rei licitè, & per seipsos non occidunt, nec intendunt sanguinem proprijs manibus effundere, & quamuis cooperari videantur morti, nihilominus non cooperantur immediatè, sed tātùm mediatè, & remotè; dummodo non hortentur ad aliquod homicidium in particulari, vel essent alicui impedimento, ne possit fugere, tunc essent irregulares ob cooperationem proximā, ac determinatam ad homicidium: secus verò dicendum erit, si procederent ad bellum intentione pugnandi, quia tunc secuta morte essent irregulares, etiamsi per seipsos non occidant. Ratio est, quia voluntariè se exponunt periculo homicidij, & saltem in causa intendunt ipsam, & per consequens, secuto effectu, sunt irregulares.

R. 2. Quod si Clerici in bello iusto proprijs manibus aliquem occidant, aut mutilent esse irregulares ex defectu lenitatis, & patet ex *cap. Petitio tua de homicid.*

Sciendum Clericum non posse licitè militare in bello iusto aggressiuo. Et ita communiter omnes Theologi cum S. Thoma *2. 2. quæst. 40. art. 2.* & Canonistæ *cap. Petitio tua.* Ratio est, quia talis actio militandi est aliena à ministerio Sacerdotali.

Sciendum 2. ex pia causa posse Clericos licitè interesse bello iusto cum licentia sui Superioris. Ratio est, quia nullo iure est prohibitum, nec est intrinsecè malum.

In bello verò defensiuo ad defensionem propriæ personæ posse licitè pugnando sese defendere, nec incurrere irregularitatem secuto homicidio, etiam per propriam actionem. Ratio est, quia sicut in rixa priuata ob sui defensionē inculpatam, aggressorem occidere absque incursu irregularitatis licet, ita etiam in bello.

Sciendum 3. in bello defensiuo respectu patriæ, & boni communis non incurrere irregularitatem, secuto homicidio. Ratio est, quia præferenda est defensio patriæ conseruationi propriæ vitæ. Si ergo ob bonum priuatum defensiuum bellum non inducit irregularitatem, nec etiam illam inducet ob patriam, & commune bonum, quod tàm in Laicis, quàm in Clericis locum habet, vt colligitur ex *cap. 2. de immunitate Ecclesiæ.* Ratio est, quia Clerici in casu necessitatis in bello defensiuo, respectu patriæ, boni que communis licitè possunt interesse, & pugnare, & non esse irregulares, secuta morte, vel mutilatione, dummodo bellum sit defensiuum necessarium, & necessariò iudicetur opera Clerici.

R. 3.

R. 3. Consulentem alicui Principi bellum iustum non esse irregularem, etiamsi consulens sit Clericus. Ita ex *cap. Petitio tua:* imò nec esse irregularem in bello iusto pugnando, modò ipse non mutilet, vel occidat, etiamsi præbeat militibus arma ad pugnandum, modò ipsa non præbeat ad occidendum hunc, vel illum in particulari. Ita Henriquez *cap. 12.* & alij citati à Bonacina *de irregularitate par. 4. quæst. 4. num. 11.* Quod etiam dicendum est de Clericis militantibus de licentia Summi Pontificis, non esse irregulares, secuta morte, quia non est verisimile Summum Pontificem velle Clericum proprijs manibus pugnare, & pugnãdo subiacere irregularitati. Ita Molina *to. 4. tract. 3. disp. 73. n. 1. & 2.* Sayrus *li. 6. cap. 19. num. 5.* Bannes *2. 2. quæst. 40. ar. 2. dub. 4.* Henriquez *lib. 14. cap. 11. num. 3.*

Quis possit dispensare in irregularitate, quæ oritur ex defectu lenitatis?

BRACTEA XXXV.

R. Quod solus Papa in irregularitatibus ex defectu dispensare potest. Ratio, quia cum plenitudinem potestatis habeat in Ecclesia, quæcumque sunt per Ecclesiam, seù Ecclesiæ Prælatos instituta, de quorum numero est irregularitas, sunt ab ipso dispensabilia, prout D. Thomas expressit *quodlibet 4. art. 13.* & quamuis possit in omnibus irregularitatibus dispensare, in quibusdam tamen rarò solet, videlicet in irregularitate bigamiæ, præsertim verè, propriéque dictæ, cum illa ex Apostolica traditione descendat. Similiter in irregularitate ex defectu corporis, si nimis magna deformitas appareat, vt in populo Christiano scandalum queat generare, si talis ad Altaris ministerium accedat, Papa difficulter dispensat, teste Auila *par. 7. disput. 3. dub. 3.* Secus si non magna deformitas, qualis est v.g. macula albuginis in oculo. Ad arbitrium verò Episcopi spectat iudicare, num magna videatur.

R. 2. Quod licet iure ordinario in irregularitatibus ad solum Pontificem spectet dispensare, posse etiam de licentia Papæ dispensare Episcopum, vel ex commissione iuris, vt v.g. potest dispensare cum illegitimo ad ordines minores, & ad simplicia beneficia.

MALLEATIO XXIV.

De irregularitatibus, quæ proueniunt ex delicto.

De prima specie irregularitatis, quæ prouenit ex delicto infamiæ?

BRACTEA I.

Sciendum infamiam significare bonæ famæ priuationem. Fama, est bona existimatio, & dignitatis illæsæ status legibus, moribusque comprobatus. Quare infamia aliud non est, quam diminutio huiusmodi status.

Sciendum 2. quod infamia duplex est, vna iuris, quæ & legalis dicitur, & altera facti. Infamia iuris iterum duplex est, vel enim oritur ex delicto proprio, cui ex iuris constitutione infamia annexa est, idque duobus modis. Quædã crimina, quæ si notoriè cõmittantur ante iudicis sententiã, infamiã Reo inferunt, vt est crimen lenocinij per consuetudinem exercitum. Secundò, est crimen sponsaliorum, vel matrimonij cum duabus. Tertiò, crimen publici vsurarij. Quartò, crimen læsæ Maiestatis. Quintò crimen periurij permissorij. Sextò ignominiosa exauthoratio militis ob crimen commissum. Septimò, qui per operas suas, vt cum bestijs pugnaret, locauit. Octauò, qui quæstus causa, seù pretio accepto in certamen cum homine descendit. Nonò, crimen hæresis. Vltimò, infames dicuntur, qui voluntariò vitium exercent sodomiæ.

Sunt etiam alia crimina, de quibus Reus per sententiam Iudicis infamiam incurrit, vt crimen homicidij, adulterij, proditionis, falsi, rapinæ, &c. Altera iuris infamia nõ contrahitur ex proprio delicto, sed ex delictu parentum, qui crimen læsæ Maiestatis, ac perduellionis admiserunt: & similis est infamia quæ iure canonico. *cap. felicis de pœnitent. in 6.* irrogatur filijs, ac nepotibus eorum, qui R.E. Cardinalium hostiliter prosequuntur.

Infamia facti est publica notitia, vel opinio commissi criminis, per quod fama, & existimatio hominis, spectata personæ qualitate, & statu apud prudentes viros grauiter læditur.

Sciendum 3. ad infamiam facti, plura requiri. Primò, euidentiam publicam commissi criminis communiter vulgatam, cum infamia aliud non sit, quam publicæ famæ, seù existimationis diminutio. Verùm & si de crimine infami aliquis accusatus sit, non tamen ideò infamis censeri debet, nisi apud viros honestos, & probos famam eius læsam esse sciatur. Secundò, vt aliquis de crimine infamatus dicatur, necesse est viros graues, ac prudentes talem de homine existimationem habere: si autem constet ab hominibus tantùm leuibus, & imprudentibus rumorem criminis esse profectum, non ideò infamia contracta censeri debet. Tertiò, crimen, de quo quis infamatur, debet esse tale, quod eum attento personæ statu, & communitatis, intra quam viuit, meritò abiectæ, & vilis existimationis reddit. Quibus positis.

R. Infamiam iuris, & facti irregularitatem inducere, & facere hominem inhabilem ad ordines recipiendos, & susceptos exercendos. Ita communiter omnes Doctores.

Sciendum hanc esse differentiam inter infamiam iuris, & facti, quod infamia iuris facit hominem inhabilem ad ordines recipiendos, & susceptos exercendos. Ita Nauar. *cap. 27. num. 204.* Auila *disput. 5* Sayrus *cap. 13.* & alij communiter: quæ tripliciter contingit. Primò (vt dictum est) quando quis committit delictum, cui imposita est à iure canonico, vel ciuili pœna infamiæ. Secundò, per definitiuam Iudicis sententiam. Tertiò, quandò delinquens crimen suum confessus est in iudicio. Infamiam facti facere tantum hominem inhabilem ad ordines recipiendos, quandiù delinquens non fuerit emendatus, quia per emendationem aufertur infamia facti, & irregularitas ex eo consurgẽs, licet etiam infamia facti auferatur per dispensationem Papæ, aut à Principe, qui eam tulit.

Tertiò poteſt auferri per diſpenſationem Epiſcopi, quatenus poteſt diſpenſare in adulterio, & criminibus minoribus adulterio: nam directè diſpenſando in delicto, indirectè etiam, & acceſſoriè debet infamia inde conſurgētē augere. Ita Auila *par.7 diſp.4.dub.6.* Henriq. *lib.14.c.5.n.* & alij. Vltimò auferrur etiam per Baptiſmum, quia per Baptiſmum tollitur omnis infamia ex delicto conſurgens, cum Baptiſmus deleat peccatum, ſuper quod fundatur irregularitas.

De ſecunda, & tertia ſpecie irregularitatis ex delicto, nimirùm de irregularitate, quæ prouenit ex pœnitentia publica, & ex iteratione Baptiſmi?

BRACTEA II.

SCIENDVM pœnitentiam antiquitus triplicem eſſe. Prima erat ſacramentalis. Secunda publica, ſed non ſolennis, quæ imponebatur ex Epiſcopi, vel Superioris mandato ob delictum publicū, & fiebat ſine cęremonijs. Tertia verò fiebat in principio Quadrageſimæ cum quibuſdam cęremonijs, & imponebatur ab Epiſcopo, vel de eius mandato, licèt modò non ſit in vſu. Quibus poſitis.

R. 1. Et ſecundo modo non inducere irregularitatem. Ratio eſt, quia non eſt in iure expreſſa, quia canones ſolùm loquuntur de pœnitentia publica ſolemni, nec odia ſunt amplianda. Ita Sayrus *lib.7.cap.11.num.19.* Siluest. *verbo irregularitas queſt.17.*

R. 2. Pœnitentiam publicam tertio modo conſideratam antiquitus inducere irregularitatem, & impedire ſuſceptionem ordinum, & vſum receptorum. Ita Toletus *lib.1. cap.64.* & patet ex *cap. de pęnitentibus diſtinct. 50. & cap. canones diſtinct.50.*

R. 3. Ex culpabili reiteratione Baptiſmi contrahi irregularitatem, & toties ipſam incurrere, quoties denuò culpabiliter baptizatur. Ita ex *cap. ex litterarum de Apoſtatis, cap. Confirmandum diſt. 50. cap. Qui in qualibet 1. queſt. 7.* Ita Nauar. *cap. 27. num.246.* Siluest. *verbo irregularitas quaſit. 4.* Suarez *diſp.42.ſect.1.num.1.*

Sciendum non modo baptizatum, ſed etiam baptizantem eſſe irregularem, dummodo malitioſè, & ſcienter rebaptizauerit. Quod ſi aliquem rebaptizauerit ſub conditione, ſiuè illa conditio ponatur tantum in mente, ſiuè exteriùs addatur, non eſſe irregularem rebaptizando. Ita Nauar. *loco citato num. 246.* & alij. Ratio eſt, quia irregularitas prouenit ex iteratione Baptiſmi, hic autem non iteratur Baptiſmus; nam qui dicit, ego te baptizo, ſi non es baptizatus, non intendit baptizare, ſi ſit baptizatus, ſicut etiam non incurrit irregularitatem rebaptizantem, qui ex ignorantia iuris, vel facti aliquem rebaptizat, ſicuti etiam non eſt irregularis rebaptizatus ex ignorantia iuris, vel facti.

R. 4. Ex iteratione Confirmationis, & Ordinis non incurrere irregularitatem. Ratio eſt, quia non eſt in iure expreſſa. Irregularitas autem non incurritur, niſi ſit in iure expreſſa. Et ita Auila *par.7 diſput.7.dub.5.* Valentia *tom.4. diſp.5.queſt.1.par.4.* Filliucius *tract.19.cap.7.queſt.1.* Reginaldus *lib.30.tract.2.num.178.* contra plures alios.

De quarta ſpecie irregularitatis, quæ prouenit ex mala ordinis ſuſceptione?

BRACTEA III.

R. PRIMO ligatum maiori excommunicatione incurrere irregularitatem recipiendo ordines ſacros. Ita colligitur ex *cap. Cum illorum de ſententia excommunicationis in 6.* & *cap.1. de eo, qui furtiuè ordines ſuſcepit.* Et ita Siluest. *verbo irregularitas quaſit.2.* Reginaldus *lib 30. tract. 2. num. 181.* Rodriquez *1.par.cap.168.* Valentia *tom.4. diſput.7.queſt. 19. pun.3.* Si verò erit ligatus minori ſolummodo excommunicatione, non incurrit irregularitatem. *cap. Si celebrat de Clerico excommunicato miniſtrante*, ſicut etiam non incurrit irregularitatem, qui excommunicatus excommunicatione maiori recipit ordines minores, cum hæc irregularitas non ſit in iure expreſſa. Ita Nauar. *de ſententia excommunicationis 28.* licèt contraria opinio, quā plures tuentur, ſit etiam probabilis.

R. 2. ſuſpenſum, & interdictum recipiendo ordines ſacros non incurrere irregularitatem. Ratio eſt, quia iura loquuntur ſolùm de excommunicato, non de ſuſpenſo, aut interdicto; ergo, &c.

R. 3. Eum, qui furtiuè ordinis ſuſcipit, ſiuè quia non admiſſus ſeſe ingerit cum alijs ordinandis, ſiuè quia vſurpato nomine alterius perſonæ approbatæ eius locum occupat, ſiuè quia ſub nomine ſuo facit alium examinari, & poſtea ipſe proprio nomine vocatus accedit ad ordines eſſe irregularem, & patet ex *cap. 1. & vlt. de eo, qui furtiuè ordines ſuſcepit.*

R. 4. Qui vno, & eodem die, inſcio, & non aduertente Epiſcopo, recipit ordines minores cum Subdiaconatu, vel vltimum minorum cū Subdiaconatu, vel duos ordines ſacros eſſe irregularem, vel potiùs ſuſpenſum, & patet ex *cap. citato de eo, qui furtiuè ordinem ſuſcepit.*

R. 5. Clericum per ſaltum promotum. V. g. ad Diaconatum, prætermiſſo Subdiaconatu manere irregularem ad ordinem Subdiaconatus. ex *cap.1. de Cleric. non ordin.* & ſimiliter ad ordines ſuperiores, & ſimiliter impeditum ab executione Diaconatus, quia irregularitas priuās Subdiaconatu, priuat etiam, quantum eſt ex ſe Diaconatu, ſaltem quoad vſum, cum non poſſit priuare charactere iam recepto: erit etiam ſuſpenſus à maioribus ordinibus iam ſuſceptis, ad tempus, ideòque ſi eā durante miniſtret in eo, in nouam incideret irregularitatem ob violationem cenſuræ.

R. 6. Recipientem ordines ſacros ab Epiſcopo, qui renunciauit dignitati incurrere irregularitatem, vel ſaltem ſuſpenſionem. Ratio eſt, quia Epiſcopus, qui renunciauit dignitati, non habet amplius executionē ordinis: ſicut etiam eſt irregularis, qui ab Epiſcopo excommunicato, ſciſmatico, hæretico, depoſito, aut degradato ordinatur. Ita Reginaldus *lib. 30. tract. 2. cap.14. num.190.* & alij.

An

An exercens ordinem tempore censuræ sit irregularis?

BRACTEA IV.

R. Ligatum maiori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, incurrere irregularitatem exercendo solemniter, vel ex officio actus maioris ordinis, etiamsi sit occultus, aut toleratus, nisi excusetur ratione necessitatis, vel inaduertentiæ; vel obliuionis, vel ignorantię, & patet ex *cap. si quis Episcopus, & cap. Is, cui de sententia excommunicationis*.

Sciendum non modo incurrere excommunicationem, qui certò sciebat esse excommunicatum, sed etiam qui dubitabat se esse excōmunicatum celebrando incurrere irregularitatem, si re vera detinebatur excommunicatione: secus verò non, quia irregularitas non incurritur ob conscientiam erroneam, sed ob violationem censuræ.

Sciendum 2. ligatum excōmunicatione maiori incurrere irregularitatem faciendo officium hebdomadarij in choro, canendo Epistolam solemniter, & baptizando solemniter, absoluendo sacramentaliter, vel benedicendo sponsis, aut consecrando aquam ad aspergendum fideles publicè.

An Clericus incurrat irregularitatem exercendo ordinem, quem non habet?

BRACTEA V.

R. Irregularem fieri Clericum exercendo ordinem, quem nondum habet, solemniter, modo non ministrauerit ioco, sed seriò tamquam initiatus ipso ordine. Ita Nauarrus *num.* 242. Filliucius *tract.* 20. *cap.* 7. *quæsit.* 8. & 11. Toletus *lib.* 1. *cap.* 72. *num.* 1. Sayrus *cap.* 10. *numer.* 1. & alij.

Sciendum solum Clericum fieri irregularem ministrando in ordinibus sacris, quos nō habet, non tamen in minoribus ordinibus, cum in istis soleant etiam laici, adhibitis vestibus, ministrare. Secundò requiritur, quod solemniter ministret in ordine sacro, quia exercens ordinem sacrum sine solemnitate, non contrahit irregularitatem. Quamobrem cantans Epistolam sine manipulo, vel Euangelium sine Stola, non fit irregularis eo quod non dicatur canere solemniter ex ordine, & ex officio: Laicus verò exercens actum ordinis, nullam incurrit irregularitatem. Ita Angelus *verbo irregularitas* 1. *num.* 38. Suarez *de censur. disp.* 11. *sect.* 3. *num.* 22. Henriquez *cap.* 6. *num.* 1. & alij. Ratio est, quia iura loquuntur tantum de Clerico.

Sciendum 2. tunc dici aliquem, actum ordinis solemniter exercere, vel ex officio, quando actus talis est, vt ab alio nequeat exerceri, quam ab eo, qui talem ordinem habet: quando vero potest eodem modo ab alio exerceri, non dicitur exerceri solemniter, & ex officio. Propterea quando Laicus inseruit Missæ deferendo vrceolos ad altare, illosque porrigendo sacerdoti, non dicitur ordinem Acolytatus exercere, eo quod hoc munus ex consuetudine possit non solum à Clericis præstari, sed etiam à Laicis. Ita Bonacina *quæst.* 3. *de irregularit. p.* 6. *num.* 9. & alij.

De quinta specie irregularitatis, quæ oritur ex delicto hæresis?

BRACTEA VI.

R. Primo hæreticos irregulares esse, etiam occultos. Ita *cap. Saluberrimum quæst.* 1. *c.* 2. *de hæretic. in* 6. *cap. Presbyteros dist.* 50. Ita Nauarrus *num.* 205. Silu. *verbo irregularitas quæsit.* 5. Reginald. *lib.* 30. *tract.* 2. *cap.* 15. *num.* 195. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 64. Filiucius *tract.* 20. *cap.* 9. *num.* 127. Bonacina *loco cit. p.* 7. *num.* 1. & alij.

Sciendum quod vt hæreticus sit irregularis, primo requiri, quod hæresis sit exterior, & nō merè interna, tunc censetur externa, quando signo aliquo sufficienter illam indicante exterius manifestatur: actus verò internus non subiacet iurisdictioni Ecclesiasticę; Qui verò exterius hæresim profert, sed interius benè sentit, non est irregularis, cum re vera, non sit hæreticus, cum hæresis supponat errorem in mente.

Sciendum 2. hanc irregularitatem non modò extendi ad hæreticos, sed etiam, secundum quorundam opinionem, etiam ad Schismaticos, ad fautores hæreticorum, receptatores, consilium, auxiliumque dantes: extendi etiam ad filios, vsque ad secundam generationem per lineam virilem paternam, per lineam verò femineam, seu maternam vsque ad primam solum. *cap. Statutum* 2. *de hæretic.* Quod tamen est intelligendum, modo eorum parentes mortui sint in delicto hæresis, & non fuerint conuersi. Quod si post lapsum fuerint conuersi, & ante mortem, Ecclesiæ reconciliati, tunc eorum filij, & nepotes possunt ad ordines promoueri. Ita plures citati à Bonacina *loco cit. num.* 9.

An Clericus, qui lapsus est in hæresim possit susceptos ordines exercere?

BRACTEA VII.

R. Negative ante obtentam legitimam irregularitatis dispensationem. Ratio est, quia irregularis nequit ad ordines promoueri vel eos exercere ante dispensationem. Ita Sāchez *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 4. Molina *cap.* 36. *numer.* 2. & alij.

Quidam hæreticus occultus in foro conscientiæ absolutionem ab hæresi impetrauit quæritur. An sit irregularis, & possit ad ordines promoueri.

BRACTEA VIII.

R. Ipsum esse irregularem, etiamsi in foro conscientiæ impetrauerit absolutionem Ratio est, quia ad irregularitatem non requiritur sententia declaratoria cum ipso iure incurratur. Et quando ipso iure incurritur aliquid, non requiritur, vt factum sit notorium, sed

exercitium. Interdictum non semel etiam impedit vsum ordinum, sicut irregularitas; differunt etiam inter se, quia censuræ proueniunt tantū ex facto culpabili, quod saltem sit peccatum veniale: irregularitas verò potest ex defectu, atque ex facto non culpabili prouenire, quod tamen illius causa sit iusta, habito ad bonum commune respectu. Dicitur etiam susceptionem ordinum, aut eorum vsum, vt aduertatur non omnem irregularitatem, quæ impedit susceptionem ordinis impedire vsum illius iam suscepti, quia aliquis aliquando impeditur, ne ordinem sacerdotalem suscipiat, quamuis non impediatur fungi ordine Subdiaconatus iam suscepti, vt accidit in eo, cui amputatur pollex digitus, qui potest exercere ordinem Diaconatus canendo Euangelium, quamuis ad Sacerdotalem ordinem nequeat promoueri. Ita Nauar. *cap.27.num.*141. & alij communiter. Vltimò dicitur ob reuerentiam Diuinorum, vt ostendatur causam finalem irregularitatis esse reuerentiam Diuinorum.

An Irregularitas impediat susceptionem primæ Tonsuræ?

BRACTEA II.

R. Irregvlaritatem impedire susceptionem primæ Tonsuræ. Et ita Nauar. *tom.1. consil. 24. de tempore ordinat. num.1. & 3.* Filliucius *tract. 19. cap. 3. num.59.* Suarez *de censuris disput. 40. sect.1.num.*11. Reginaldus *tom.2. lib.30.tract.1.num.5.* Ratio est, quia quamuis Tonsura non sit ordo, sed dispositio ad ordines; nihilominus in iure canonico intelligitur nomine ordinis, & quando in definitione irregularitatis dicitur irregularitas est canonicū impedimentum impediēs susceptionem ordinum, nomine ordinum, etiā intelligitur prima Tonsura, prout ordo communiter accipitur à iure canonico, à quo imposita est irregularitas, licet etiam contraria opinio sit probabilis.

Quotuplex sit Irregularitas?

BRACTEA III.

R. Irregvlaritatem duplicem esse, vnam ex defectu, & alteram ex facto, seu delicto.

Sciendum irregularitates ex defectu plures esse species. Prima est ex defectu animi. Secunda ex defectu corporis. Tertia ex defectu natalium. Quarta ex defectu ætatis, & libertatis. Quinta ex defectu Sacramenti, idest bigamia. Sexta ex defectu lenitatis, idest ex homicidio licitè patrato. Irregularitates ex delicto, multas etiam esse species. Prima dicitur ex iteratione Baptismi. Secunda ex indebita susceptione, vel vsu ordinis. Tertia ex actu infidelitatis, aut hæresis. Quarta ex infamia. Quinta ex homicidio illicitè patrato.

Sciendum irregularitatem aliquando indelebilem esse, aliquando per seipsam cessare; vt irregularitas, quæ fundatur in defectu perpetuo, vt quæ fundatur in muto, aut manibus trunco esse perpetuam, quia non potest esse Ecclesiasticum remedium ad illam amouendam: irregularitas verò, quæ fundatur in defectu temporaneo, remoto impedimento, per seipsam cessare, vt irregularitas, quæ ex infamia nascitur, restituta fama, cessat, & ea, per quam aliquis ob ignorantiam repellitur à susceptione, vel vsu aliquorum ordinum, tollitur eo ipso, quod id ad sufficientem scientiam peruenit: sic etiam irregularitas, quæ nascitur ex defectu ætatis, aut ex defectu libertatis tollitur eo ipso, quod illam patiens ad legitimam ætatem peruenit, & sic de alijs.

An ad irregularitatem requiratur actus externus?

BRACTEA IV.

R. (Vt dictum est) nullam esse legem canonicam, quę imponat irregularitatem propter actum merè internum. Ratio desumitur ex regulis generalibus, quia Ecclesia non iudicat de internis, tū etiam quia actus merè internus, quatenus est culpabilis, & consequenter dignus pœna non subiacet hominum iudicio. Et ita communiter omnes Doctores.

R. 2. Non imponi regulariter irregularitatem pro actu externo inchoato, sed pro actu externo consummato, & patet ex singulis irregularitatibus, in quibus semper supponitur actus consummatus. Ita Sotus *lib.10.de iustitia quæst.1.art 9.* Suarez *disput.40.sect.3.num.13.* Valentia *tom.4 disput. 5.qu.19 par.2.* Vnde ad incurrēdam irregularitatem, quæ prouenit ex homicidio non sufficere attentationem, ac conatum proximum mortis, vel mutilationis, sed requiri mutilationem, vel mortem.

Sciendum de possibili Ecclesia posse pro actu externo tantum inchoato, & imperfecto in sua specie imponere irregularitatem: Ratio est, quia hoc ipso, quod est externus, constituitur in fauorem Ecclesiæ. Ita Filliucius *tract.19.cap.1. num.17.* & alij.

An culpa venialis sufficiat ad incurrendam Irregularitatem?

BRACTEA V.

R. Si peccatum veniale sit ex genere suo, non videtur satis esse ad inducendam irregularitatem. Ratio est, quia nullum ius de facto imposuit irregularitatem propter talem culpam, tum quia nec etiam suspensio grauis, aut interdictum imponitur ob culpam venialem, ergo etiam irregularitas.

R. 2. Si culpa sit venialis ratione leuitatis materiæ, vel imperfectionis actus, etiam probabilius videtur per eam non incurri irregularitatem. Ratio est, quia si sit venialis ratione leuitatis materiæ, iam non est proportio inter culpam, & pœnam, nec verba legis complentur in tam leui materia: si verò sit ex actus imperfectione, iam ille actus cum non sit simpliciter humanus, neque etiam erit sufficiens ad contrahendam irregularitatem ex delicto.

R. 3. Ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur culpa mortalis. Ita Nauar. *cap. 27.num.*

27.*num.* 249 Henriquez *lib.* 14. *cap.* 3. Reginaldus *lib.*30.*num.*201. Sotus 5. *de iustitia quæst.* 1. *art.* 1. Sanchez *lib* 9. *disput.* 32. & alij. Ratio est, quia pœna debet proportionari delicto, *cap. felicis de pœnis in* 6. Cum ergo irregularitas, quæ ob delictum incurritur sit pœna grauissima, non debet incurri ob veniale peccatum, sed ob mortale, & consumatum.

Sciendum irregularitatem ex delicto non incurri, interueniente ignorantia probabili, quia sicut excusat à culpa, ita etiam à pœna. Ita Vgolinus *cap.* 40. § 10. *num.* 9. Auila *par.* 7. *disput.* 2. *dub.* 7. Coninchus *disput.* 18. *dub.* 4. *num.* 29. Reginaldus *lib.* 30. *tract.* 2. *cap.* 2 *num.* 15. & alij.

De causa efficiente Irregularitatis?

BRACTEA VI.

R. Cavsam efficientem irregularitatis esse ius humanum Ecclesiasticum, siuè ius Pontificium, & commune. Ita *ex cap. Is, qui de sententia excommunicationis*. Ratio est, quia potestas ferendi irregularitatem ad eum pertinet, qui potest ius commune canonicum condere, sed potestas ferendi ius canonicum pertinet ad Summum Pontificem, ergo, &c.

Sciendum Episcopum, aliosque Summo Pōtifice inferiores non posse ferre irregularitatē, cum ad ipsos non pertineat ferre ius commune, & irregularitas nulla est, nisi sit in iure expressa.

Sciendum 2. irregularitatem feri solo iure scripto, vt patet ex *cap. Is, qui*, vbi cum dicitur nullam esse, nisi sit iure expressa, omnis alius modus remanet exclusus. Quare neque consuetudine quomodocumque confirmata, nisi ius scriptum exhibeatur, sufficienter inducitur.

Sciendum 3. non satis esse, quod irregularitas posita sit in simili casu, vel minori, sed requiritur, vt lata sit in propria specie talis delicti, quia quod infertur per argumentum à simili, nō potest dici expressum in iure. Suarez *disput* 40. *sess.* 3. *num.* 15. Filliucius *tract.* 19. *&* 9. *de censuris cap.* 2. *num.* 35. & alij communiter.

R. 2. Causam materialem, seù subiectiuam irregularitatis esse hominem capacem ordinis subditum iure communi. Ratio est, quia irregularitas est quædam priuatio, seù impedimētum ad ordines recipiendos, impedimentum autem, seù priuatio supponit capacitatem.

R. 3. Causam formalem irregularitatis esse verba ipsam exprimentia.

Sciendum duo requiri in verbis formæ. Primò, vt significet pœnam, ipso facto, incurrendam. Secundò, vt sint ita propria, vt significent irregularitatem tamquam speciem à cæteris pœnis distinctam. Hinc sequitur, quod si verba non significent pœnam, ipso facto incurrendam, non pertinere ad irregularitatē. Ratio est, quia lex pęnalis nō operatur per seipsā, nisi per verba sufficiēter exprimatur, & verba præsentis temporis, aut præteriti, significant ferri statim per ipsam legem: verba autem futuri significant pœnam ferendam, nisi ex adiunctis aliud colligeretur. Item verba requirere, quod etiamsi priuatio ordinum ex vi verborum canonis ipso iure feratur; non tamen semper fertur irregularitas, nisi id colligatur, vel expressis verbis, vel alijs indicijs.

Sciendum indicia, ex quibus potest colligi irregularitas, & non alia pœna, hæc sunt. Primùm, si pœna dicatur auferenda per dispensationem. Secundum, si feratur sine culpa, quamuis non sine causa, licet hoc non sit generale: nam aliqua irregularitas etiam supponit culpam, & aliqua suspensio potest esse sine culpa. Tertium si per legem imponatur impedimentum ordinibus, quod etiam maneat post peractam pœnitentiam, & commune etiam sit Laicis.

An in dubio aliquis sit iudicandus irregularis?

BRACTEA VII.

Sciendum dubium duplex esse, vnum iuris, & aliud facti. Dubium iuris illud esse, quando quis ignorat legem continentem irregularitatem. Dubiū facti illud esse, quando quis sit latam esse legem continentem irregularitatem, sed dubitat, an factū perpetrauerit prohibitum sub irregularitate. Quibus positis.

R. Si dubium sit iuris, an sit lata irregularitas, nec ne & intellectus maneat suspensus; iudicandum est, non esse latam irregularitatem in vtroque foro. Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi adsit ius expressum sufficiēter indicans irregularitatē positam esse. At quę ita occulta est, vt sapientes remaneant suspensi, vt nequeant ferre iudicium, non potest dici in iure expressa; ergo, &c.

R. 2. Si sit ita probabile per ius ferri irregularitatem, vt contrarium non iudicetur probabile, tunc id satis erit ad eam incurrendam. Ratio est, quia in rebus humanis non potest prudenter exigi maior certitudo. Quare tantum examinandum erit, an opinio contraria sit probabilis, nec ne, ex pondere rationum, & verbis iurium rectè perpensis, & si non sit probabilis, tunc iudicandum erit secundum contrariam partem iudicatam probabilem, secus verò non.

R. 3. Ex facto dubio aliquando oriri irregularitatem, & aliquando nō, vt v.g. ex dubio facti homicidij oritur irregularitas, vt patet *ex cap. significasti*, & *ex cap. Ad audientiam* 2. *de homicidio*, in quibus expressè habetur in casu facti dubij de homicidio debere se quempiam irregularem reputare, quod intelligendum est in vtroq; foro. In dubio verò facti alterius delicti non esse quempiam iudicandum irregularem. Ratiō est, quia *cap. ad Audientiam*, & *cap. Significasti*, loquūtur tantum de dubio homicidij, tum quia odiosa sunt restringenda, tum etiam quia in dubio iuris fauendum est subditis, & nullus censendus est irregularis post adhibitam sufficientem diligentiam ad veritatem cognoscendam. Ita Henriquez *lib.* 14. *cap.* 3. *num.* 4. Filliucius *loco citato num.* 48. Suarez *disp.* 40. *sect.* 6. *num.* 13. & alij.

Sciendum, quod qui in dubio iuris de irregularitate homicidij suscepit ordines mala fide peccauit, eo quod non adhibuerit debitam diligentiam, & non posse in susceptis ministrare. Ratio est, quia alioquin exponeret se periculo errandi, quod in re morali censetur peccatum. Post verò adhibitam diligentiam ad sciendam veritatem posse ordines exercere, quamuis adhuc dubium perseueret. Ratio est, quia sumus in dubio iuris, in quo nullus censendus

sendus est irregularis, licet mortaliter peccauerit in dubio suscipiendo ordines, non adhibendo prius debitam diligentiam non lata esset irregularitas, tum etiam quia qui adhibuit sufficientem diligentiam ad rei veritatem inueniendam, & ad expellendum dubium Iuris, censetur laborare ignorantia inuincibili, si rei veritatem non potuit inuenire, & dubium expellere, sed qui ignorat inuincibiliter aliquod præceptum, non tenetur illud seruare; ergo qui adhibuit debitam diligentiam ad rei veritatem inueniendam, & ad expellendum dubium iuris circa irregularitatem, non tenetur seruare irregularitatem, seque irregularem iudicare.

Sciendum 3. illum censeri irregularem, qui fœminæ grauidæ præbuit Pharmacum ad procurandum abortum, licet dubitetur de animatione fœtus, hic enim versatur in dubio facti circa homicidium iniustum. Ita Rodriquez *par.1.cap.275.nu.4.* Nauar. *cap.27.num.223.* Ita etiam illum censeri irregularem, qui consuluit homicidium, quando dubitat an suo consilio homicidium sit secutum. Ratio est, quia sumus in dubio facti, & possessio non stat pro ipso dubitante, sed contra ipsum. Ita Mascardus *de probat. tom. 1. conclus. 419. num. 9.* Sayrus *lib.7.cap.3. num.2.* Auila *2 par.cap 5.num.3.dub.3.* & alij.

De effectibus Irregularitatis?

BRACTEA VIII.

R. Primo irregularitatem impedire susceptionem ordinum, & etiam primæ Tonsuræ (vt dictum est.) Et ita communiter omnes Doctores, & patet expresse ex iure, vt *cap. Curandum,* & *cap. Si quis vxorem dist.34.*

Sciendum irregularitatem non impedire susceptionem ordinum; itaut non remaneat ordinatus verè, si eos suscipiat, neque enim id potest Ecclesia impedire, & ideò impedit, prohibendo, ideòque irregularis ordinatus validè est, ordinatus licet illicitè.

R. 2. Quod si irregularis ordines suscipiat contra prohibitionem Ecclesiæ peccare mortaliter. Ratio, quia facit contra præceptum Ecclesiæ varijs iuribus explicatum in re sacra, atque adeo graui, quod intelligendum est non solum si suscipiat maiores ordines, sed etiam minores; quia etiam hi sunt res sacræ, etiamsi suscipiat primam Tonsuram, quia licet Sacramentum non sit, est tamen res grauis, cum sit dispositio ad ordines, afferens secum multa priuilegia, & statim tribuens Clericalem.

R. 3. Non modo irregularitatem impedire receptionem ordinum, sed etiā vsum, & exercitium receptorum; ita vt grauiter peccet irregularis ministrando in ordine ex officio. Ita Nauar. *cap.27.num.194.* Couar. *Clement.1.de homicid. par.1.§.1.2. & 3.* & fundatur *in cap. vlt. de temporibus ordinat.* & *cap. Inquisitionis 1. de accusat.* Ratio constat ex definitione ipsius irregularitatis.

Sciendum irregularitatem non priuare Clericum actibus, qui solent à Laico exerceri. Ratio est, quia priuat tantum actibus ordinum, & qui ex officio illis conueniunt: & actus, qui possunt, & solent etiam a Laicis exerceri, non sunt proprij ordinatorum; ergo, &c. idcircò irregularis non priuatur perceptione Sacramentorū, quæ non est coniuncta cum ministratione aliqua propria ordinati, ideoque communicare poterit Sacerdos irregularis, vt Laicus.

Similiter irregularis etiam potest baptizare sine solemnitate in necessitate, recitare officiū, etiam cum alijs, sicut faciunt Confraternitates Laicorum ministrare Sacerdoti in Missa, inseruiendo illi eo modo, quo Clerici, denique omnes illi actus pertinentes ad ordines minores, qui etiam fiunt à Laicis, possunt quoque fieri ab irregulari.

Sciendum 3. irregularitatem duplicem esse, vnam totalem, quæ impedit exercitium omniū ordinum susceptorum, alteram partialem, quæ solùm prohibet illum actum, cui ponit impedimentum, vt accidit in irregularitate ex defectu corporis contracta post susceptionem ordinū, cum qua irregularis potest exercere functiones ordinum, ad quos non est inhabilis: vnde si alicui post susceptum Sacerdotalem ordinem amputetur digitus, non remanet irregularis respectu omnium functionū Sacerdotalis muneris, quia potest absoluere, sed tantum respectu illius, cui fit inhabilis, vt celebrare Missam, vt patet ex *cap.2. de corpore vitiatis*, & ex *cap.2. de Clerico egrotante.* Ita Nauar. *cap.37. num. 200.* Coninch. *disp.18.dub.1.num.8.*

R. 4. Irregularem suscipiendo ordines, aut ordines susceptos ministrando non incurrere aliam pœnam, ipso facto, neque aliam irregularitatem. Ita Nauar. *cap.27 num. 193.* Henriquez *lib.14.cap.5.* Reginaldus *lib.30.cap.1. num.11.* & alij. Quod non incurrat aliquam pœnam; patet, quia in iure lata nō est, & de alia irregularitate; patet etiam, quia hæc non incurritur, nisi sit in iure expressa, sic *cap. Is, qui de sententia excommunicationis in 6.* Dixi ipso facto, quia à Iudice posset alia imponi, ita vt ipso facto incurreretur alia irregularitas.

An Irregularis sit incapax beneficij?

BRACTEA IX.

R. Quod Irregularitas, licet occulta facit hominem incapacem beneficij, & per consequens quod non possit beneficium accipere absque dispensatione, quia iure id prohibetur, nec obtentum posse retinere, nisi obtenta irregularitatis dispensatione, curauerit beneficium sibi denuo conferri ab eo, qui potest illud conferre. Ita Auila *par. 7. disput. 2. dub.6.* Henriquez *lib.14 cap.2.nu.5.* Nauar. *cap 27.nu. 251.* & alij plures. Ratio est, quia beneficiū datur propter officium, cū ergo irregularis non possit fungi officio, eo quod sit ad vsum ordinum inhabilis, sequitur ipsum etiam esse ad beneficium inhabilem, tum etiam quia deficit voluntas conferentis beneficium; cum præsumatur superiorem velle solùm conferre beneficium non habenti canonicum impedimentum, vt colligitur ex *cap. Postulastis.*

R. 2. Irregularitatem non priuare beneficio iam obtento. Et ita Nauar. *cap.27.num.249.* Coninchus *disput.18.dub.1.num 5.* Emanuel Sa *verbo irregularitas num. 4.* Sayrus *lib.6.cap.2.num.24.* Filliucius *de censuris in particul.cap.3.num.68.* & alij. Ratio est, quia priuatio bonorum propriorum nunquam incurritur ipso iure per delictum, nisi exprimatur, id autem nullo iure est expressum, nec delictum hæresis, vel symoniæ, vel homici-

dij qualificati habet adiunctam priuationem beneficij ipso facto ex vi irregularitatis, sed ex alia lege simul coniuncta.

R. 3. Non oriri ex vi irregularitatis obligationem dimittendi beneficium, antequam illo quis priuetur per sententiam. Et ita Henriquez. *lib.14.cap.3.num.5.* Sayrus *lib.6.cap.2.num.24.* & alij. Vnde sequitur beneficiarium, qui incidit in irregularitatem post beneficij consecutionem posse resignare beneficium in fauorē alterius, adhuc enim habet titulum, & ius; item non teneri fructus restituere beneficij, si muneri suo satisfecit per se, vel saltem per alterum. Ita Coninchus *disput.18.dub.1.num.5.* & alij communiter: cum enim beneficij titulum habeat, habet etiā ius ad fructus.

R. 4. Beneficiarium, qui lapsus est irregularitatem, qui nec per se, nec per alium supplere potest, nec irregularitatis dispensationem obtinere, teneri beneficium in manibus Superioris resignare, quia non potest beneficium cum damno alterius retinere, nisi aliqua iusta causa excusetur.

An irregularitas priuet fructibus beneficij?

BRACTEA X.

R. Non priuare. Ratio, quia sicut suspensio ab officio non infert necessariam suspensionem à beneficio: ita etiam irregularitas, quæ tantum impedit ordinis susceptionem, priuat ipso iure fructibus beneficij, tum quia nulla est lex, quæ imponat ipso facto, priuationem fructuum ratione irregularitatis.

R. 2. Si per Iudicis sententiam contingat irregularem priuari fructibus beneficij, ijs, quos vsque ad illud tempus percepit, priuari nequit.

Sciendum in his casibus, in quibus vnà cum irregularitate est annexa priuatio beneficij, ipso facto, & retrotrahitur sententia ad diem commissi criminis, potest etiam vtique priuari fructibus perceptis, vt accidit in crimine hæresis. Verùm id non oritur ex vi irregularitatis, sed ex vi materiæ, & in odium criminis commissi.

An irregularitas priuet irregularem iurisdictione?

BRACTEA XI.

R. Irregularem esse incapacem iurisdictionis ordinariæ, quam quis habet ratione beneficij. Ratiò est, quia cum sit incapax ad recipiendum beneficium, ita etiam iurisdictionis prouenientis ab ipso. Et ita Suarez *disp.40.sect.2.num.12.* Filliucius *de censuris cap.3.de effect. irregul.num.81.*

Sciendum, quod licet irregularis sit inhabilis ad iurisdictionem ordinariam, non est tamen inhabilis ad iurisdictionem delegatā. Ratio est, quia nullum ius est, quod irritam faciat talem delegationem, tum etiam quia iurisdictio delegata non confertur ratione beneficij, nec in ordine ad exercitium ordinum.

Sciendum 2. irregularem posse actus iurisdictionis, qui non includunt exercitium ordinis exercere, non solùm validè, sed etiam licitè. Ratio est, quia per irregularitatem solùm impeditur actus iurisdictionis, quæ procedit ab ordine, non autem alterius iurisdictionis. Vnde Parochus irregularis potest matrimonio assistere, non autem solemniter benedicere, quia sic est actus ordinis, non autem ille: similiter posse alteri facultatem absoluendi delegare, quamuis ipse nequeat absoluere sacramentaliter. Ratio est, quia delegatio non est actus ordinis, sed iurisdictionis. Ratio secundæ partis est, quia absoluere est actus ordinis. Nec etiam priuari iure eligendi, vel confirmandi electionem factam. Ratio est, quia id pertinet ad iurisdictionem, qua non priuatur irregularis. Ita Nauar. *cap.27.num.244.* Filliucius *de censuris cap. 3. de effectibus irregularit. num.75.*

De irregularitate ex defectu animæ?

BRACTEA XII.

R. Primo carentes vsu rationis, vt sunt amentes esse irregulares, & inhabiles ex natura rei ad suscipiendos ordines, quamuis recipiant characterem, si promoueātur ad ordines. Ita Nauarrus *cap.27.num.205.* Toletus *lib.1. cap.59.* Suarez *disput.51.sect.1.num. 2.* & alij communiter.

Sciendum, quod numerari solent quinque genera hominum, qui non vtuntur ratione. Primum, est puerorum vsu rationis carentium. Secundum, perpetuò amentium. Tertium, furiosoruum ad tēpus, sub quibus comprehenduntur omnes amentes, siue prouocentur in iram, siue sint tantum stolidi. Quartum genus hominum sunt lunatici. Quintum est eorum tantum, qui dicuntur arreptici, & energumeni.

R. 2. Defectum scientiæ, seù ignorantiam facere homines irregulares. Ita Reginaldus *lib.30. num.35.* Toletus *lib.1.cap 59.num.7.* Filliucius *loc. cit. num.188.*

Sciendum 2. scientiam requiri tàm iure naturali, & Diuino in ordinando, quo pacto quisque scire tenetur necessaria ad debitè officium pręstandum.

Sciendum 3. ignorantiam, qua ratione impedit ordinem suscipiendum, eadem etiam impedire susceptum. Et quidem si furtiuè, vel per fauorem, vel alia ratione mala fide illiteratus ordinatus sit, omnes conueniunt manere suspēsum suspensione inclusa in ipsa irregularitate: si verò bona fide ordinem accepisset, ignorans obligationem suam, nihilominus manet impeditus, cum id aduertit, donec addiscat, quātum opus est ad ordinem receptum.

Sciendum 4. quod solùm ille defectus doctrinæ constituit irregularitatem, qui hominem denominat illiteratum, quia de hoc tantum iura mentionem faciunt, vt ad *cap. Illiteratos dist.36.* Glossa interpretatur. Quo nomine significari eum, qui nunquam grammaticam audiuit, deduci potest ex *cap. fin. de ætate, & qualitate,* vbi de quodam qui *quoniam illiteratus erat*, depositus fuit; dicitur, quod nunquam de grammatica didicisset: illi verò, qui aliquo modo in litteris versati sunt, etiā si nō multū profecerint, nō videntur illiterati cenendi, sūt sufficiēter ad irregularitatē, præsertim quando in illis, ꝗ imperfectum est sciētię, supplet perfectio charitatis.

R. 3. Neophytos nuper ad fidem conuersos, idest nondum expletis decem annis in vera fide post susceptum baptismum, esse irregulares. Ita colligitur ex *dist.* 48. *cap.* 1. *& 2.* Et ita Henriq. *lib.* 14 *cap* 4. Suarez *tom.* 5. *disp.* 43. *sect.* 3 *num.* 5. & alij.

Sciendum 5. illc dici Neophytum, qui ex Saracenis, Iudæis, aut Paganis conuertitur ad fidem Christianam, qui verò ab infantia baptismum suscepit, non dicitur Neophytus, quamuis descendat à Paganis, Iudæis, &c. sicut nec etiam ille dicitur Neophytus, qui abhinc decē annis, vel eo amplius baptismi Sacramento insignitus est: causa autem istius irregularitatis est iuxta Apostolum 1. ad Timoth. *cap.* 3. Ne in superbiam elatus incidat in laqueum Diaboli. Altera etiam causa insinuatur, quod alios docere nesciat, quia ipse non didicit, & miserum sit eum fidei magistrum, qui nunquam fuit Discipulus, eumque summum Sacerdotem fieri, qui nullo gradu vnquam obsecutus est, licet aliquādo eo quod in Neophyto nonnunquam tanta appareret charitas, humilitas, & eruditio in iis, quæ ad fidem pertinent, vt sine dilatione longa, possit imo debeat cum ipso dispensari, si id necessitas Ecclesiæ exigere videatur.

De secunda specie irregularitatis, quæ oritur ex defectu corporis?

BRACTEA XIII.

REVM corporis defectum inducere irregularitatem, cui iniuncta est inhabilitas ad officium ordinis exercendum, vel deformitas notabilis, quæ populo scandalum, aut horrorem inducat.

Sciendum illum defectum corporis irregularem tantummodo facere, quoad officium illius ordinis, ad quod exercendum reddit ineptum: sic enim defectus duorum digitorum impedit Sacerdotem, ne Missam celebrare possit, non item ne alia officia Sacerdotalia exercere, vt confessiones audire, &c.

Sciendum non esse eandem regulam in ordine ad susceptionem ordinum, & administrādum in susceptis. Ratio est, quia is, qui ordinem suscipere debet hoc ipso, quod est inhabilis ad eos exercendos, est etiam irregularis, & inhabilis ad eos recipiēdos: qui verò iā ordinatus est, si talis defectus superueniat, dūmodo per illū nō reddatur notabiliter deformis, potest exercere illa officia, à quibus non impeditur, vt si Sacerdoti superueniat cæcitas, &c. licet (vt dictum est) non possit Missam celebrare; potest tamen alia munera Sacerdotalia peragere.

R. 2. Corporis defectus occultos nullam inducere irregularitatem. Ratio est, quia hoc ipso, quod occulti sunt, sequitur eos nullam afferre deformitatem, aut scandalum, dummodo tamen talem non inducant debilitatem, quæ impediat ordinum executionem: vnde si quis in pede, v. g. careret pollice, aut digitum haberet deformem, aut sectus esset in genitalibus, vel ob infirmitatem, vel aliam causam non esset irregularis, vt ex Innocentio *cap. Significauit de corpore vitiatis, & cap. Eunuchus dist.* 55. docet Toletus *lib.* 1. *cap* 57. Si verò ex propria culpa, accidissent huiusmodi defectus, etiamsi occulti inducerent irregularitatem, quamuis ea membri priuatio non impediat vsum ordinis, neque notabilem afferat deformitatem, *cap. Maritum dist.* 33. Et ita Henriquez *cap.* 8. §. 4. Sayrus *cap.* 7. *num.* 11. & patet ex *cap. Si quis absciadit dist.* 55. *cap. Significauit de corpore vitiatis, cap. Qui partem.* Vnde qui sponte sibi virilia amputauit, vel permisit amputari absque iusta causa irregularem esse, & consequenter non posse ordines suscipere, aut susceptos exercere: similiter qui ex ira digitum, etiam in pede sibi amputauit irregularem esse, etiamsi ex huiusmodi abscisione non oriatur notabilis deformitas, vel impedimentum ad celebrandum, *cap. Qui partem* 6. *dist.* 55. Et ita Molina *disp.* 70 *num.* 19. Nauar. *cap.* 27. *num.* 198. Qui verò ex indignatione seipsum vulnerauit, vel dentem extraxit, non est irregularis, quia ex vulnere non sequitur defectus corporis, & dēs non est membrum, aut pars corporis. Ita Henriquez *cap.* 8 *n.* 1. Filliucius *loco cit. n.* 160. Qui verò per infirmitatem amisit digitos pedum, aut virilia, aut ea curauit sibi ob sanitatem abscindi, non est irregularis, sicut neque est irregularis, qui amisit digitum manus non necessarium ad Eucharistiam eleuandam, modò ex ea mutilatione nō inducatur notabilis deformitas, quia tunc esset irregularis: similiter eum non esse irregularem, qui caret lumine oculi dextri, modo habeat vtrumque oculum integrum. Ratio est, quia huiusmodi vitium non impedit vsum ordinis, nec notabilem inducit deformitatem: si verò careat oculo, aut lumine oculi sinistri, ita vt non possit commodè per oculum dextrū conspicere sine indecora conuersione faciei ad populum est irregularis. Ita Nauar. *cap.* 27. *n.* 199. Vgolinus *cap.* 47. *&* 48. Filliucius *loco cit. nu.* 167. & alij: si verò solùm habeat maculam in oculo, nō est irregularis, dummodo notabilem non generat deformitatem: secus si notabilem deformitatem efficiat: similiter irregularem esse, cui aures, vel nares abscisa sunt, vt ex communi docet Nauar. *loco citato num.* 223. nisi aurium deformitas capillatura tegi possit, vt notat Auila *par.* 7. *disp.* 3. *dub.* 1. Coninchus *disput.* 38 *dub.* 13. *num.* 103. Similiter irregulares sunt, & ex defectu corporis, & ratione deformitatis leprosus, paralyticus, phræneticus, morbo caduco laborans, & laborantes febri continua, morbo Gallico, qui foris appareat, horroremque generet: similiter laborantes peste esse irregulares propter periculum infectionis aliorum: sicut etiam sunt irregulares laborantes tussi, quę periculum habeat in suscipienda Eucharistia, quamuis peste, vel tussi sublata, sicut etiam morbo Gallico, vel alia infirmitate cesset irregularitas.

An Monstra sint irregularia?

BRACTEA XIV.

SCIENDVM ad Monstra pertinere quatuor genera personarum. Primò sunt, qui habent plura membra, vt capita, manus, pedes, &c. Secundò ij, qui licet debita membra habeant quoad numerum, est tamen inter ea maxima disparitas inducens deformitatem. Tertiò dicuntur monstruosi propter excessum debitæ quantitatis, vel defectum, vt Gigantes, vel Pigmæi. Quartò propter excessum in aliqua parte, vt gibosi. Quibus positis.

R. Mon-

R. Monstra primi generis esse irregularia, Ratio, quia notabilem inducunt deformitatem, tũ etiã quia excludũtur ab hereditate Mõstra secundi generis, etiã esse irregularia, si talis disparitas notabilem inducat deformitatẽ. Mõstra verò tertij, & quarti generis tũc esse irregularia, quãdo tales esset in his deformitas, vt futuri viderentur occasio ludibrij, & risus, si ordines susciperent, quod discutiendum relinquitur iudicio Episcopi; an ita videatur futurum, nec ne.

An Hermaphroditus sit irregularis?

BRACTEA XV.

R. Hermaphroditum, qui equaliter participat de sexu virili, ac feminco esse irregularem. *cap. si testes 4. quæst. 2.* & hic non solùm repellitur ab ordinibus, sed etiam à professione. Et ita Henriquez *lib. 4. cap. 8. num. 6.* ob periculum scandali, & libidinis, tum etiam quia talis vir, nec propriè dicitur vir, neque fœmina. Subiectum autem capax characteris est vir propriè, cum fœmina repellatur ab ordinibus; si verò magis particeps sit viri, quam fœminei sexus, tunc quamuis sit irregularis, est capax, & characterem recipit, si ad ordinem promoueatur. Ita Nauar. *cap. 27. num. 203.* Suarez *tom. 5. disput. 51. sect. 2.* Vgolinus *cap. 48.* Filliucius *loco cit. num. 162.*

Sciendum, quod si cõtingat feminam erumpente natura mutari in virum, non censebitur amplius irregularis, si remaneat solùm sexus virilis, quia hic non dicitur amplius fœmina, vel Hermaphroditus, & ideò non videtur inhabilis ad ordines. Ita Suarez *disput. 51. sect. 2. num. 2.* Filliucius *loco citato num. 162.* & alij.

An Abstemius dicatur irregularis?

BRACTEA XVI.

R. Si est Abstemius ante susceptionem Sacerdotij, eo quod vinum non possit bibere, vel si bibat, illud euomat esse irregularem, & non posse ad Sacerdotium admitti. Ratio est, quia Missam celebrare non possunt, cum in ea omitti nequeat consecratio sub vtraque specie, sumptioque calicis. Ita *de consecratione dist. 2. cap. Comperimus.* Qui vero suscepto Sacerdotio fit Abstemius; ita vt non possit degustare vinum, posse vti Sacerdotio, excepta celebratione, & sacrificium Missæ non potest amplius peragere propter periculum vomitus in sumẽdo speciebus vini. Ita Maiolus *cap. 25.*

Sciendum dubium esse an Summus Pontifex possit dispensare cum Abstemio, vt promoueatur ad Sacerdotium. Respondeo iuxta sententiam illorum, qui dicunt Summum Pontificem non posse dispensare, quod sacrificium fiat sub vna specie non posse dispẽsare cum Abstemio, vt promoueatur ad Sacerdotium. Secundum verò sententiam illorum, qui dicunt posse dispensare Summum Pontificem, quod sacrificium fiat sub vna specie, posse etiam dispensare cum Abstemio, vt ad ordines promoueatur.

An habens defectum corporis impedientem Sacerdotium possit admitti ad alios ordines?

BRACTEA XVII.

R. Negatiue. Ratio est, quia censetur irregularis, & irregularitas, &c. tum quia carens aliquo membro non solùm est inhabilis respectu Sacerdotij, sed etiam respectu aliorum suscipiendorum, ergo sicut non potest promoueri ad Sacerdotium, ita nec etiam ad alios ordines. Ita Nauar. *cap. 27. num. 20.* Vgolinus *cap. 52. §. 1. num. 4.* Bonacina *disp. 7. quæst. 2. par. 2. num. 28.*

De tertia, & quarta specie irregularitatis ex defectu ætatis, & ex defectu libertatis?

BRACTEA XVIII.

R. Primo, defectum ætatis requisitæ ad ordines, dum durat, facere hominem irregularem, & deducitur ex *cap. de temporibus ordinationis.*

Sciendum, quod ordinati ante legitimam ætatem suspensi sunt ab ordinum executione, donec ad illam peruenerint: ea autem adueniẽte, dummodo susceptos ordines nondum exercuerint possunt sine dispensatione eos exercere, & ad altiores promoueri: si verò exercuerint actus ordinum maiorum ante legitimam ætatem ex violatione suspensionis irregularitatem incurrũt: vnde & adueniente ætate opus habent dispensatione Papæ, vt per Bullam Pij II. quæ incipit *Cum hac sacrarium*, notant Siluester *in verbo irregularitas quæst. 10.* & Nauar. in Enchirid. *cap. 25. num. 70.* ex *cap. 27. num. 155.*

R. 2. Ex defectu libertatis homines esse irregulares. Ita communiter omnes.

Sciendum primò illi, qui omninò priuantur libertate, sunt mancipia, & ita habetur ex *tit. de seruis non ordinandis*, quod genus hominum Ecclesia tanto studio à sacris ordinibus arcet, vt Episcopi in sua consecratione de ea moneantur, vt dicitur in *cap. de seruis non ordinandis* ijs verbis, *Si memores in consecratione tibi dictum fuit, vide ne quemlibet seruilis conditionis ad ordines promouere præsumas.* Ratio, quia non decet seruum ob vilem conditionem promoueri ad dignitatem Sacerdotalem. Verùm si seruus, Domino sciente, & non contradicente ordinatus est, liber euadit. Ita ex *cap. Si seruus sciente dist. 54.* etiamsi minoribus tantum ordinibus esset ordinatus. Et ratio est, quia canon generaliter loquitur: si verò absq; Domini consensu sit initiatus minoribus ordinibus, adhuc manet seruus: si verò sit promotus ad ordines sacros acquisiuit libertatem, sed tamen obligatur Domino satisfacere, aut alium seruum suo loco substituere. Quod si neutrum possit, debet Domino suo restitui, & inseruire in ijs rebus, in quibus antea seruiebat: si verò promotus sit ad Sacerdotium, non potest amplius cogi ad seruitutem obeundam, sed aliquod peculium habeat, debet illud reddere Domino iuxta *cap. Ex antiquis*, aut si non habeat, debet redemptionem procurare; & si vtrumque non possit, debet Domino in ijs obsequijs seruire, quæ ordinem, quem consecutus est, non dedeceant iuxta *cap. Frequens.*

Sciendum 2. irregulares etiam esse ex defectu libertatis, qui libertatem, quidem aliquam habent, non tamen integram, perfectamque, vt Curiales, qui ex obligatione inseruiunt Curijs Principum saecularium, vt sunt Iudices, Aduocati, Milites, & alij, qui repelluntur ab ordinibus suscipiendis, quandiu ab illa obligatione non fuerint soluti. Et ita Henriquez *lib. 14. cap. 5. num. 5.* Siluester *verbo ordo* 4. Suarez *disput. 47. sect. 4.* & alij: qui vero frequentant Curias, & obsequij causa inseruiunt Principibus saecularibus absq; obligatione, non repelluntur ab ordinibus: nam habent integram, perfectamque libertatem. Similiter ad ratiocinia obligati sunt irregulares & impediuntur, ne ordines suscipiant. Et ita habetur ex *cap vnico de obligat. ad ratiocin.* Ratio est, quia talis obligatio est vinculum quoddam temporale, reddens hominem valdè impeditum ad ministeria Ecclesiastica. Tales sunt Curatores, Tutores, Procuratores, &c.

Sciendum 3. duplicem obligationem considerandam esse in his personis, vna est ad tales actiones, dum sunt in officio, & hęc non durat, nisi ipso officio durante. Alia est ad reddēdam rationem peracti officij, & haec etiam manere potest, relicto officio. Durante ergo priore obligatione, verum est tales esse irregulares: demisso autem officio, & liberatis personis à secunda obligatione reddendi rationem, tollitur irregularitas. Si obligatio ad ratiocinia prouenit ex administratione publica, vt obligantur Thesaurarij, aut Depositarij aeris publici, item Aduocati, Magistratus, Iudices, &c. Idem dicendum est, quod de obligatis ad reddendam rationem administrationis rei priuatae.

An ex debito pecuniario inducatur Irregularitas?

BRACTEA XIX.

R. Ex debito pecuniario per se non induci irregularitatem. Ratio est, quia nullo iure inuenitur expressa talis irregularitas.

Sciendum, quod licet per se non inducatur irregularitas, si tamen periculum sit litis, & vt prematur debitor à creditoribus dici potest, adesse irregularitas ex defectu obligationis ad reddenda ratiocinia, licet se eximere possit cōcedendo omnia sua bona creditoribus, & reseruata congrua sustentatione, iuxta *cap. Odoardus de solut.* Ita Maiolus *lib. 2. cap. 11. num. 15.* Suarez *disp. 55. sect. 9.* & alij.

De quinta specie irregularitatis, quae est ex defectu natalium?

BRACTEA XX.

R. Omnes filios illegitimos tàm naturales, quàm spurios irregulares esse canonici iuris constitutione *cap. 1. & 2. de filijs Presbyterorū cap. 1.* quod introductum est partim in detestationem sceleris paterni, partim ob turpitudinis notam, quam filius ex tali natiuitate moraliter contrahere censetur, partim quia timetur, ne filius paternae incontinentiae imitator existat.

Sciendum triplici capite filium dici legitimum. Primò propriissimè dicuntur illi, qui nati sunt ex parentibus in matrimonio iniunctis, siuè tale matrimonium sit Sacramentum, siue merus contractus, vt inter infideles. Secundo dicuntur legitimi ij, qui licet nati sunt ex concubitu illicito, tamen per subsequens matrimonium facti sunt legitimi. Tertio iure canonico legitimi dicuntur ij, qui orti sunt ex matrimonio vero, ità bona fide reputato, saltem ab altero coniugum. *cap. ex tenore, qui filij.* Et ratio pendet ex dispositione iuris in fauorem prolis cōceptae, sub titulo matrimonij validi iuxta bonam fidem, & publicam opinionem alterius: vnde quando matrimonium interdum inualidè contractum fuit ob occultum aliquod impedimentum, sed vterque contrahens, vel vnus eorum bona fide ex probabili errore iuris cōtraxit in facie Ecclesiae, filij, qui nati sunt, censentur legitimi, sicuti legitimi censentur filij ab infidelibus suscepti, qui tempore infidelitatis validum contraxere matrimonium secundum leges ipsorum, sed inualidum secundum leges canonicas.

Sciendum 2. quatuor esse illegitimorum gradus. Primò enim alij sunt naturales, qui scilicet orti sunt ex copula illicita eorum, inter quos poterat esse matrimonium, qui ideò dicuntur naturales, quia sola natura illos genuit, non autem honestas coniugij. Alij dicuntur Spurij, qui orti sunt ex copula damnata, vt ex stupro, vel raptu, vel sacrilegio, vel incestu, vel ex fęmina coniugata. Alij dicuntur nothi, qui scilicet nati sunt ex soluto, & concubina domi non retenta, qui quando domi est retenta, dicitur filius naturalis. Alij dicuntur Manzer, vt illi qui ex meretrice orti sunt, qui omnes irregulares censendi sunt.

An expositi sint Irregulares?

BRACTEA XXI.

R. Triplicem esse sententiam. Prima absolutè negat eos esse irregulares. Ratio, quia quilibet praesumendus est legitimus, dum non probatur contrarium, tum quia in dubijs pars benignior est pręferenda. Secunda sententia affirmat eos esse irregulares. Ratio, quia tales frequentiùs sunt ex turpi conceptione: in obscuris autem solet inspici, quod est verisimiliùs. Ita Maiolus *lib. 1. de irregularitate cap. 11.* Toletus *lib. 1. cap. 52.* & alij. Tertia sententia distinguit de ordinato, & ordinando: nam ordinatus censendus est legitimus, & ordinandus debet haberi pro illegitimo, & per consequens expositus non ordinatus censetur irregularis. Ita Rebellus *lib. 1. de contract. quaest. 2. num. 15.* Henriquez *lib. 14. cap. 8.* Suarez *disp. 50 num. 3.* & alij.

R. 2. Illegitimum mortaliter peccare recipiēdo ordines absque dispensatione, quia facit contra prohibitionem Ecclesiae in re graui; licet nouam non incurrat poenam suscipiendo ordines, cum haec sit iniuria expressa. Ita Nauar. *cap. 27. num. 96.* & alij.

Quibus

Quibus modis irregularitas ex illegitimatione auferatur?

BRACTEA XXII.

R. Tribus modis auferri. Primò auctoritate Papæ, & sic legitimatus à Papa idoneus est ad ordines, vt si natus esset ex legitimo matrimonio, & similiter ad beneficia, & ad dignitates, aliaque omnia, ad quæ se extendit potestas legitimantis.

R. 2. Episcopos dispensare posse quoad ordines minores, & beneficia simplicia cum irregulari: Princeps verò sæcularis posse legitimare illegitimum quoad honores, & officia sæcularia, non autem quoad Ecclesiastica, vel ad ordines, vel ad beneficia.

R. 3. Irregularitatem auferri per professionem in approbata religione quoad omnes ordines etiam sacros, vt constat ex *cap. 1. de filijs Presbyterorum*, quod ius licet irritauerit Sixtus V. in sua constitutione contra illegitimos, eam tamen abrogauit Gregorius XIV. & reduxit ad terminos iuris communis: quare ius capiti dicti, etiam nunc manet: non tamen aufertur irregularitas per professionem quoad prælationes, ac dignitates, siuè intra, siuè extra religionem.

An filius Adulteræ censendus sit irregularis?

BRACTEA XXIII.

R. Eum, qui natus est ex matre adultera, à qua cognoscat se esse illegitimum non teneri credere se esse illegitimum ob solũ matris testimonium ita asserentis, etiam in fine vitæ. Ratio, quia filius non tenetur adhibere fidem dicto matris, nisi sufficienter probetur tempore conceptionis non fuisse à marito cognitam, quamuis enim credat eam adulteram, cum etiam ex adultera possint oriri filij legitimi, si degat etiam cum viro suo: si verò filius sibi persuasum habeat, vel ex nimijs coniecturis, &c. vel etiam ex ignorantia, aut animi leuitate se esse illegitimum, tenebitur se gerere tamquã irregularem, nisi deponat conscientiam. Ratio est, quia aliter agendo faceret cõtra propriam conscientiam, ideòque teneretur petere dispẽsationem, antequam ordines susciperet: sin autem præter dictum matris, id etiam pater affirmaret se eo tempore vxorem non cognouisse, tunc obligari videtur ad credendum se esse illegitimum, quod etiam dicendum est de filio supposito, qui matri non tenetur credere dicenti ipsum esse illegitimum, nisi concurrant alia, quæ cogant ipsum ad credendum.

De sexta specie irregularitatis ex defectu Sacramenti, seu bigamia?

BRACTEA XXIV.

R. Bigamiam efficere hominem irregularem. Ita habetur ex *cap. 3.* epist. 1. ad Timoth. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse vnius vxoris virum*, & ex *dist. 34. cap. Præcipimus, cap. Si quis viduam, & cap. Lector*, item ex *tit. de bigamis non ordinandis cap. 1. 2. & 3.*

Sciendum bigamiam triplicem esse, re, interpretatione, & similitudine; tunc dicitur re bigamus, quando quis habuit, & cognouit carnaliter duas legitimas vxores, siuè ante, siuè post baptismum vtramque, vel alteram habuerit. ex *cap. Acutius*, & *cap. Deinde dist. 23.* Et ita Rebellus *lib. 3. de matrimonio quæst. 20. num. 4.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 67. num. 4.* Sanchez *lib. 7. disput. 83. num. 8.* Maiolus *lib. 1. cap. 33.* Sayrus *lib 6. cap. 3. num. 23.* & alij Interpretatione verò ille dicitur bigamus, qui non quidem verè, sed secundum iuris interpretationem duas duxit vxores, vt ille, qui duxit viduam, ex *cap si quis viduam 1. & 2. dist. 34.* & *cap. 3. de bigamis.* Dicitur præterea interpretatione bigamus is, qui duxit corruptam ab alio, ex *cap. Curandum distinct. 34.* etiamsi crediderit illam fuisse virginem, cum non esset. Et ratio est, quia ex eo nõ desinit esse maritus corruptæ ab alio: corruptam verò extra matrimonium ab eo solo, qui illam duxit non efficere hunc irregularem. Ratio, quia talis fœmina non diuisit carnẽ suam in plures, vtpotè ab vnum tantum cognita, qui eo nomine censetur duxisse vxorem virginem, cum matrimonium absterserit præcedentis copulę vitium. ex *cap. Sancta*, qui filij sint legitimi. Tertiò interpretatione bigamus dicitur ille, & per consequens irregularis, qui cum virgine quidem contraxit matrimonium, eãq; cognouit, postquam adulterata est cum alio, siuè volens fuerit adulterata, siuè per vim, aut metum. *cap. Si cuius, cap. Si Laici dist. 34.* Ratio est, quia huic matrimonio defuit significatio, cum non significet vnionẽ Christi cum Ecclesia, quę vnio vna est, & non multiplex: si verò eam non cognouerit, postquam adulterata est, tunc non censetur bigamus, neque irregularis.

Sciendum etiam esse bigamum bigamia interpretatiua, qui duo matrimonia inualidè contraxit cum aliquo impedimento dirimente, & consumatis matrimonijs, illumq; esse irregularem, & qui cum vna contrahit validum matrimoniũ, & cũ alia inualidum. Et ita Vgolin. *§. 2. n. 13.* Sayrus *c. 4. n. 7.* Suar. *disp. 49 sect. 3.* Filliucius *de censuris lib. 4. de irregularitate num. 104.* Ratio est, quia quoad effectum duo init matrimonia, consequenter defuit significatio, tum quia indecens est eum, qui bis cõtraxit matrimonium coram Ecclesia esse Clericum.

Sciendum ex Nauar. *cap. 27 nu. 196.* bigamiam, quę irregularitatem inducit requirere coniunctionem, tum animorum per mutuum consensum contrahentium, tum corporum per carnalem eorumdem copulam, quod est requirere matrimonium consumatum, ex quibus deducitur solam fornicationem, etiam cum vidua non inducere irregularitatem bigamiæ, quia bigamia non est absque matrimonio. Secundò non esse irregularem, qui plures habuit concubinas, sed vnicam vxorem virginem duxit. ex *cap. Quia circa de bigamis*, nec eum, qui duxit vxorem eam, quæ matrimonio coniuncta fuit alteri morte præuento, antequam ipsam carnaliter cognosceret. ex *cap. vlt. distinct. 34.* & ex *cap. Debitum de bigamis.* Vltimò nec eum, qui contraxit quidem cum multis, sed cum vna tantum, & ea virgine copulam habuit.

Similitudine bigamus vocatur ille, qui post votum solemne castitatis emissum in professione, vel in susceptione sacrorum ordinum consumat matrimonium cum aliqua virgine,

 eamque

eamque carnaliter cognoscit. *cap. Quotquot dist. 27. quæst. 1.* & *cap. nuper de bigamis.* Ratio est, quia astrictus voto solemni censetur spirituali quodam matrimonio coniunctus cum Christo, & Ecclesia, etsi carnaliter coniungitur cum alio, vel alia censetur duo matrimonia celebrare, non quidem vera, sed similitudinaria: quæ quidem irregularitas datur solummodo respectu ordinis sacri, non autem respectu ordinum minorum, quia nullum datur ius, ex quo talis irregularitas habeatur, neque vlla sit irregularitas, nisi è iure. ex *cap. Is, qui de sententia excommunicationis.*

De septima specie irregularitatis, quæ contrahitur ex defectu lenitatis?

BRACTEA XXV.

R. Clericum mutilantem, vel occidentem, vel cooperantem ad mutilationem, & occisionem incurrere irregularitatem secuto effectu ex defectu lenitatis, quæ impedit susceptionem ordinum, & exercitium susceptorum. Ita colligitur ex *cap. finali ne Clerici, vel Monaci cap. Si quis viduam dist. 50.* & est conclusio communis omnium Doctorum. Ratio est, quia talis, qui voluntariè mutilat, vel occidit, potius repræsentat interfectores Christi, quàm ipsum Christum, & Ministri nouæ legis debent esse Ministri mansuetudinis, & dilectionis ad alliciendos hominum animos ad bonum, tum etiam quia sunt Ministri Sacramenti vnionis, & viuificationis, qui autem occidit; non repræsentat Sacramentum vnionis, & viuificationis.

Sciendum per mutilationem in iure intelligi amputationem membri, nec satis esse debilitationem. Ratio, quia membrum debilitatum nō desinit esse membrum: amputatum verò desinit esse membrum, & pœnæ non sunt extendēdæ vltra verborum proprietatem: per membrum autem intelligitur pars in humano corpore, quæ sit instrumentum, & proximum alicuius actionis, vt manus, pes, oculus: digitus verò non dicitur propriè membrum, sed pars membri.

R. 2. Non solùm incurri irregularitatem ex mutilatione membri integri, sed ex mutilatione notabili membri, ita vt sit irregularis, qui dimidiam manum absciderет, vel digitos omnes, vel maiorem eorum partem. Ratio, quia talis mutilatio æquiualet mutilationi totali, seu æquiparatur abscisioni.

R. 3. Non modo esse irregularem iniustè occidentem, vel mutilantem, sed etiam qui mortem accelerauit, aut causam accelerandi dedit dicto, vel facto. Ita Auila *par. 7. sect. 1.* Sayrus *cap. 16.* Toletus *lib. 1. cap. 70.* Reginaldus *lib. 30. num. 97.* Vnde qui dicit Reo, ascende scalam, vel suppone caput ad excipiendum ictum esse irregularem ex defectu lenitatis, quoties illud dictum est causa accelerationis mortis, nisi data opera aliquid aliud præstet, quo mors retardetur, & differatur quantum ex illa causa potuit accelerari.

R. 4. Cooperatores ad homicidium iustum esse irregulares secuto effectu, & primò irregularem esse Iudicem ferentem sententiam sanguinis, vel mutationis, eiusque accessores, cooperatores, satellites Reum comprehendentes, & ipsum torquentes ad extorquendam veritatem: item Notarium scribentem, vel legentem sententiam sanguinis incurrere irregularitatem secuta morte, vel mutilatione, quia censentur causa propinqua mortis, vel mutilationis. Similiter Consultores in causa sanguinis esse irregulares, si consulant in aliquo casu particulari, vt si quis dicat talem Reum mœreri mortem, vel mutilationē, secuta tamen morte, vel mutilatione ob ipsius dictum; secus tamen si illius dictum non fuerit causa mutilationis, vel mortis. Similiter irregulares esse, qui comitantur Reum ad supplicium causa securitatis, custodes carceris, ostium aperientes; vt inde Reus ad mortem ducatur, fabricantes furcam, aut docentes in casu particulari Carnificem imperitum, qui tradit ligna, quibus hæreticus, vel alius viuus inburatur, pulsantes cāpanam ad conuocandos milites, qui aliquem ducturi sunt ad mortem: secus vero de eo, qui campanis dat signum, quo aliquis suspendendus est, vt homines sciant aliquem ad mortem duci, cum in effectum mortis non concurrat. Et sic de alijs, qui cooperantur ad mortem in aliquo casu particulari alicuius esse irregulares ex defectu lenitatis.

An Iudex, qui iubet manum alicui amputari, & postea illum laqueo suspendere, incurrat duas irregularitates?

BRACTEA XXVI.

R. Quod, si Iudex vna sententia iubeat manum alicui amputari, & ipsum postea laqueo suspendere, incurrit solummodo vnam irregularitatem, sicut etiam incurrit solummodo vnam irregularitatem, quando vna sententia plures condemnat ad mortem. Ratio est, quia reputatur vnica actio, sicuti censetur vnica actio; qui vno iactu lapidis plures percutit Clericos: si verò diuersis sententijs condemnet abscisionem manus, & suffocationem Rei, vel plures ad mortem incurrit tot irregularitates, quot sunt sententiæ. Ita Bonacina *de irregul. quæst. 4. pun. 1. num. 26.*

An Dominus temporalis committendo alteri munus iudicandi in causis criminalibus, incurrat irregularitatem secuto effectu?

BRACTEA XXVII.

R. Non incurrere irregularitatem, si mandatum fiat debito modo in genere, & nō in specie, & modò specialiter non mandet punitionem. Ita Siluester *verbo homicidium 3. num. 7.* Vgolinus *cap. 5. §. 8* Sayrus *cap. 18. num. 17* & alij. Quod etiam dicendum est de Prælatis Ecclesiasticis habentibus iurisdictionem in foro externo.



An

An Iudex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, sit irregularis?

BRACTEA XXVIII.

RESPONDEO non esse irregularem. Ratio est, quia degradando non cooperatur ad mortem, sed solum per degradationem ostendit se suo functum esse officio, consequenter præmissa protestatione non fieri irregularem, etiamsi delinquens postea plectatur morte à Iudice sæculari, vt patet ex *cap. Nouimus de verborum significat.* Similiter non esse irregulares Inquisitores S. Officij tradendo Reos mortis brachio sæculari, vt patet ex Bulla Pij V. imò nec etiam esse irregularem, si Iudici differenti executionem dicat, vt delinquentem puniat iuxta leges. Ita plures apud Sayrum *cap. 18. num. 15.* & apud Suarez *disput. 47. sect. 1. num. 11.* Excusantur etiam ab irregularitate Officiales S. Inquisitionis, denunciatores, testes, etiamsi nullam præmittant protestationem. Ratio est, quia Inquisitores, & Iudices Ecclesiastici non imponunt pœnam sanguinis, nec procedunt ad occidendum, aut mutilandum. Vnde necesse non est, vt denunciatores, & testes, &c. præmittant protestationem.

An Confessarius incurrat irregularitatem, qui Iudici dicit non posse ipsum absoluere, nisi Reum puniat secundum iura?

BRACTEA XXIX.

R. NON incurrere irregularitatem, quando solummodo Iudici simpliciter dicit, non te absoluam, nisi facias, quod leges præcipiunt, vel nisi præstes officium, quod debes, vel nisi Reum punias secundum iura: secus verò dicendum erit, si in aliquo casu particulari ita consuleret, quia tunc eius consilio censeretur causa accelerationis mortis. Ita Auila *par. 7 disput. 242.* Reginaldus *lib. 30. num. 138.* Filliucius *loco citato num. 242.* Henriquez *lib. 14. cap. 12. num. 4.* Sayrus *lib. 6. cap. 18. num. 26.* Ratio est, quia in genere consulendo non censetur cooperari morti alicuius particularis.

An licitum sit Sacerdoti præbere consilium Principi, vt ferat legem, qua fures morte plectantur?

BRACTEA XXX.

R. LICITVM esse, dummodo in generali consilium ferat. Ita Henriquez *cap. 16. num. 4.* Filliucius *de censuris cap. 8. num. 242.* & alij. Ratio est, quia sicut Princeps in genere potest legem ferre; ita & Sacerdos absque irregularitatis periculo potest consulere Principi, vt ferat eiusmodi legem, sicuti & licitum est Concionatoribus Iudices hortari ad coercendos debitis pœnis improbos, & ad purgandam Rempublicam perditis, & scelestis hominibus, quamuis Iudex inde occasionem arripiat illos plectendi, nam Concionator suo vtitur iure, & præstat munus, ad quod tenetur, nec ob id ad mortem cẽsetur cooperari, vel ad alterius mutilationẽ.

An Accusator in causa sanguinis sit irregularis?

BRACTEA XXXI.

R. ACCVSATOREM in causa criminali esse irregularem, secuta morte, vel mutilatione, nisi hoc faciat petendo satisfactionẽ pro iniuria sibi, aut suis rebus collata. Ratio est, quia accusando in causa criminali, censetur cooperari morti, vel mutilationi, & per consequens secuta morte, vel mutilatione esse irregularem, & sic colligitur ex *cap. penult. de homicid. in 6.* Et ita Couaruuias *Clement. 1. de homicid. par. 2.* §. 5. & alij.

Sciendum duo esse necessaria ad euitandã irregularitatem accusando in causa criminali. Primò, vt accusatio fiat ad satisfactionem, quia ad seipsum indemnẽ seruandũ, licitum est alterũ accusare. Secundo, vt expressè protestetur, quod non intendit vindictã, vel pœnam sanguinis, sed solummodo satisfactionem debitam, quę protestatio solummodo excusat ab irregularitate incurrenda, quando est in causa propria, & pro rebus proprijs. Quod si erit pro causa aliena, vel pro iniuria personis extraneis illata, aut etiam consanguineis fieri irregularem, secuta mutilatione, vel morte, etiamsi prę miserit protestationem. *cap. Prælatis*, vbi permittitur Clericis conqueri coram Iudice de malefactoribus suis, non autem de ijs, qui alijs damna intulerunt. Ita Nauar. *cap. 27. num. 213.* Molina *disp. 8. num. 8.* Reginaldus *lib. 30 num. 129.* Filliucius *loco citato num. 249.* licet quidam Doctores extendant, & licitum esse conqueri de illis, qui damnum suis propinquis, aut domesticis intulerũt. Ratio est, quia illorum damnũ reputatur proprium, & iniuria illis illata, in ipsos videtur redundare. Ita Auila *par. 7. disput. 5 dub. 11.* Et Henriquez *lib. 14. cap. 11. num. 4.* & alij.

Sciendum 2. dari aliquos casus, in quibus Clericus excusatur ab irregularitate incurrenda accusando alium in causa criminali. Primus est, quando crimen est adeo leue, vt non videatur dignum mutilatione, etiamsi postea Reus mutiletur, vel ex malitia Iudicis occidatur. Ratio est, quia illa accusatio non censetur causa efficax mortis, vel mutilationis, cum fuerit de crimine leui. Secundus casus est, quando quis Reum accusauit de leui crimine, qui postea propter aliorum accusationem de alijs criminibus fuit morti adiudicatus. Ratio est, quia prima accusatio non censetur causa efficax mortis, sed solùm secunda. Ita Couaruu. *in Clem. si furiosus,* Vgolinus *cap. 6.* §. 4. Auila *dub. 9.* Henriquez *loco citato*. Tertius, & quartus casus est quando (vt supra dictum est) aliquem accusat non petendo vindictam, sed satisfactionem sibi debitam, & non accusat de iniuria extraneis illata, sed inferenda, cum non possit aliter impedire damnum, quam accusando.

Sciendum 3. protestationem esse faciendam coram Iudice competenti, in qua protestetur se solummodo petere satisfactionem, & nullo modo velle vindictam, aut punitionem. Quare accusans in causa propria non euaderet irregularitatem, si ipsam omitteret, etiam ex obliuione, aut ignorantia, secuta morte, vel mutilatione. Ratio est, quia irregularitas non modo incurritur ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis.

Scien-

Sciendum 4. protestationem non modò in Clericis accusantibus requiri in causa propria, & pro iniuria rebus proprijs illata, sed etiam in Laicis accusantibus delinquentes ad consulendum sibi, rebusque suis, ita vt si fiat ipsi liberi sint, & si non fiat, incurrat irregularitatem, secuta morte, vt patet ex *cap. 2. de homicidio in 6.* Vbi hoc remedium constituitur ad euitandam irregularitatem, quæ ex vi talis accusationis incurrenda fuisset, quia esset moralis cooperatio. Ita Molina *tom. 4. disp. 74. num. 9.* Nauar. *cap. 27. nu. 226.* Filliucius *loco citato num.* 248. & alij.

An Testis in causa sanguinis sit irregularis?

BRACTEA XXXII.

R. Testem voluntarium in causa sanguinis incurrere irregularitatem secuto effectu. Ratio est, quia suo Testimonio cooperatur morti, vel mutilationi, cum ab ipsius accersione pendeat sententia Iudicis, & in hoc casu nō excusat protestatio, quia protestatio solummodo prodest, quando agitur de proprio interesse. *cap. Prælatis 2 de homicid.* aut quando Testis tenetur iure naturæ sese offerre attestandum, quia tunc Ecclesia non præsumitur velle irregularitatem imponere, præmissa protestatione. Ita Vgolinus *de irregularitate cap. 7. num. 2. &* 4. Nauar. *cap. 27. nu. 212.* Maiolus *lib. 2. cap.* 8. & alij communiter.

Sciendum Testem metu graui coactum, vel præcepto obligante in conscientia, si Testimonium ferat in causa ciuili, etiamsi per accidens sequatur mors non esse irregularem. Ratio est, tum quia per accidens sequitur mors, & non imputatur ei, tum quia dedit operam rei licitè, nec est prohibitio specialis de tali actione ob periculum mortis: secus verò dicendum est, si testimonium ferat in causa criminali, quia tunc non effugiet irregularitatem, & si compellatur præcepto.

An Aduocatus, vel Procurator accusatoris fiat irregularis secuta morte?

BRACTEA XXXIII.

R. Aduocatum in causa sanguinis, sicut etiam Procurator accusatoris, si ex illa sequatur effectus mortis, vel mutilationis esse irregulares. Ratio est, quia validè cooperantur morti, vel mutilationi, cum influant in talem sententiam mouendo practicè tale opus: si verò Aduocatur agat pro Reo contra accusatorem, tunc si accusatio iusta est, etiamsi Reus condemnetur, & Aduocatus nō obtineat, quod intendit, non est irregularis, ratione imperitiæ, vel negligentiæ in aduocatione poterit esse irregularis: si verò sententia sit iniusta, & Reus absoluetur, accusator verò mutiletur, erit irregularis Aduocatus, quia dabat operam rei illicitæ, ex qua probabiliter poterat sequi tale nocumentum: secus autem si bona fides eum excusaret, vt si putasset causam alioquin esse iniustam.

An Clerici militantes in bello iusto fiat irregulares?

BRACTEA XXXIV.

R. Clericos militantes in bello iusto absq; occisione, etiamsi hortentur milites, vt suo fungantur munere non esse irregulares, dummodo per seipsos non occidant, etiamsi hortentur milites in genere ad fortiter se gerendum, & ad patriam defendendam. Ita Nauar. *cap. 27. num.* 215. Vgolinus *tract. de irregularitate cap. 12.* §. 2. Sayrus *cap. 19 num.* 3 Suarez *disput.* 47. *sect. 6. num.* 8. & alij, & probatur ex *cap. Petitio tua de homicid.* & ex *cap. Præsentium de Cleric. percuss.* Ratio est, quia militantes in bello iusto dant operam rei licitè, & per seipsos non occidunt, nec intendunt sanguinem proprijs manibus effundere, & quamuis cooperari videantur morti, nihilominus non cooperantur immediatè, sed tātùm mediatè, & remotè; dummodo non hortentur ad aliquod homicidium in particulari, vel essent alicui impedimento, ne possit fugere, tunc essent irregulares ob cooperationem proximā, ac determinatam ad homicidium: secus verò dicendum erit, si procederent ad bellum intentione pugnandi, quia tunc secuta morte essent irregulares, etiamsi per seipsos non occidant. Ratio est, quia voluntariè se exponunt periculo homicidij, & saltem in causa intendunt ipsam, & per consequens, secuto effectu, sunt irregulares.

R. 2. Quod si Clerici in bello iusto proprijs manibus aliquem occidant, aut mutilent esse irregulares ex defectu lenitatis, & patet ex *cap. Petitio tua de homicid.*

Sciendum Clericum non posse licitè militare in bello iusto aggressiuo. Et ita communiter omnes Theologi cum S. Thoma 2. 2 *quæst.* 40. *art.* 2. & Canonistæ *cap. Petitio tua.* Ratio est, quia talis actio militandi est aliena à ministerio Sacerdotali.

Sciendum 2. ex pia causa posse Clericos licitè interesse bello iusto cum licentia sui Superioris. Ratio est, quia nullo iure est prohibitum, nec est intrinsecè malum.

In bello verò defensiuo ad defensionem propriæ personæ posse licitè pugnando sese defendere, nec incurrere irregularitatem secuto homicidio, etiam per propriam actionem. Ratio est, quia sicut in rixa priuata ob sui defensionē inculpatam, aggressorem occidere absque incursu irregularitatis licet, ita etiam in bello.

Sciendum 3. in bello defensiuo respectu patriæ, & boni communis non incurrere irregularitatem, secuto homicidio. Ratio est, quia præferenda est defensio patriæ conseruationi propriæ vitæ. Si ergo ob bonum priuatum defensiuum bellum non inducit irregularitatem, nec etiam illam inducet ob patriam, & commune bonum, quod tàm in Laicis, quàm in Clericis locum habet, vt colligitur ex *cap. 2. de immunitate Ecclesiæ.* Ratio est, quia Clerici in casu necessitatis in bello defensiuo, respectu patriæ, bonique communis licitè possunt interesse, & pugnare, & non esse irregulares, secuta morte, vel mutilatione, dummodo bellum sit defensiuum necessarium, & necessariò iudicetur opera Clerici.

R. 3.

R. 3. Consulentem alicui Principi bellum iustum non esse irregularem, etiamsi consulens sit Clericus. Ita ex *cap. Petitio tua:* imò nec esse irregularem in bello iusto pugnando, modò ipse non mutilet, vel occidat, etiamsi præbeat militibus arma ad pugnandum, modò ipsa non præbeat ad occidendum hunc, vel illum in particulari. Ita Henriquez *cap. 12.* & alij citati à Bonacina *de irregularitate par. 4. quæst. 4. num. 11.* Quod etiam dicendum est de Clericis militantibus de licentia Summi Pontificis, non esse irregulares, secuta morte, quia non est verisimile Summum Pontificem velle Clericum proprijs manibus pugnare, & pugnādo subiacere irregularitati. Ita Molina *to. 4. tract. 3. disp. 73. n. 1. & 2.* Sayrus *li. 6. cap. 19. num. 5.* Bannes *2. 2. quæst. 40. ar. 2. dub. 4.* Henriquez *lib. 14. cap. 11. num. 3.*

Quis possit dispensare in irregularitate, quæ oritur ex defectu lenitatis?

BRACTEA XXXV.

R. Quod solus Papa in irregularitatibus ex defectu dispensare potest. Ratio, quia cum plenitudinem potestatis habeat in Ecclesia, quæcumque sunt per Ecclesiam, seu Ecclesiæ Prælatos instituta, de quorum numero est irregularitas, sunt ab ipso dispensabilia, prout D. Thomas expressit *quodlibet 4. art. 13.* & quamuis possit in omnibus irregularitatibus dispensare, in quibusdam tamen rarò solet, videlicet in irregularitate bigamiæ, præsertim verè, proprieque dictæ, cum illa ex Apostolica traditione descendat. Similiter in irregularitate ex defectu corporis, si nimis magna deformitas appareat, vt in populo Christiano scandalum queat generare, si talis ad Altaris ministerium accedat, Papa difficulter dispensat, teste Auila *par. 7. disput. 3. dub. 3.* Secus si non magna deformitas, qualis est v.g. macula albuginis in oculo. Ad arbitrium verò Episcopi spectat iudicare, num magna videatur.

R. 2. Quod licet iure ordinario in irregularitatibus ad solum Pontificem spectet dispensare, posse etiam de licentia Papæ dispensare Episcopum, vel ex commissione iuris, vt v.g. potest dispensare cum illegitimo ad ordines minores, & ad simplicia beneficia.

MALLEATIO XXIV.

De irregularitatibus, quæ proueniunt ex delicto.

De prima specie irregularitatis, quæ prouenit ex delicto infamiæ?

BRACTEA I.

Sciendum infamiam significare bonæ famæ priuationem. Fama, est bona existimatio, & dignitatis illæsæ status legibus, moribusque comprobatus. Quare infamia aliud non est, quam diminutio huiusmodi status.

Sciendum 2. quod infamia duplex est, vna iuris, quæ & legalis dicitur, & altera facti. Infamia iuris iterum duplex est; vel enim oritur ex delicto proprio, cui ex iuris constitutione infamia annexa est, idque duobus modis. Quædā crimina, quæ si notoriè cōmittantur ante sudicis sententiā, infamiā Reo inferunt, vt est crimen lenocinij per consuetudinem exercitum. Secundò, est crimen sponsaliorum, vel matrimonij cum duabus. Tertiò, crimen publici vsurarij. Quartò, crimen læsæ Maiestatis. Quinto crimen periurij permissorij. Sextò ignominiosa exauthoratio militis ob crimen commissum. Septimò, qui per operas suas, vt cum bestijs pugnaret, locauit. Octauò, qui quæstus causa, seu pretio accepto in certamen cum homine descendit. Nonò, crimen hæresis. Vltimò, infames dicuntur, qui voluntariò vitium exercent sodomiæ.

Sunt etiam alia crimina, de quibus Reus per sententiam Iudicis infamiam incurrit, vt crimen homicidij, adulterij, proditionis, falsi, rapinæ, &c. Altera iuris infamia nō contrahitur ex proprio delicto, sed ex delictu parentum, qui crimen læsæ Maiestatis, ac perduellionis admiserunt: & similis est infamia quæ iure canonico. *cap. fœlicis de penitent. in 6.* irrogatur filijs, ac nepotibus eorum, qui R.E. Cardinalium hostiliter prosequuntur.

Infamia facti est publica notitia, vel opinio commissi criminis, per quod fama, & existimatio hominis, spectata personæ qualitate, & statu apud prudentes viros grauiter leditur.

Sciendum 3. ad infamiam facti, plura requiri. Primò, euidentiam publicam commissi criminis communiter vulgatam, cum infamia aliud non sit, quam publicæ famæ, seu existimationis diminutio. Verùm & si de crimine infami aliquis accusatus sit, non tamen ideò infamis censeri debet, nisi apud viros honestos, & probos famam eius læsam esse sciatur. Secundò, vt aliquis de crimine infamatus dicatur, necesse est viros graues, ac prudentes talem de homine existimationem habere: si autem constet ab hominibus tantùm leuibus, & imprudentibus rumorem criminis esse profectum, non ideò infamia contracta censeri debet. Tertiò, crimen, de quo quis infamatur, debet esse tale, quod eum attento personæ statu, & communitatis, intra quam viuit, meritò abiectæ, & vilis existimationis reddit. Quibus positis.

R. Infamiam iuris, & facti irregularitatem inducere, & facere hominem inhabilem ad ordines recipiendos, & susceptos exercendos. Ita communiter omnes Doctores.

Sciendum hanc esse differentiam inter infamiam iuris, & facti, quod infamia iuris facit hominem inhabilem ad ordines recipiendos, & susceptos exercendos. Ita Nauar. *cap. 27. num. 204.* Auila *disput. 5* Sayrus *cap. 11.* & alij communiter: quæ tripliciter contingit. Primò (vt dictum est) quando quis committit delictum, cui imposita est à iure canonico, vel ciuili pœna infamiæ. Secundò, per definitiuam Iudicis sententiam. Tertiò, quandò delinquens crimen suum confessus est in iudicio. Infamiam facti facere tantum hominem inhabilem ad ordines recipiendos, quandiu delinquens non fuerit emendatus, quia per emendationem aufertur infamia facti, & irregularitas ex eo consurgēs, licet etiam infamia facti auferatur per dispensationem Papæ, aut à Principe, qui eam tulit.

Tertiò

Tertiò potest auferri per dispensationem Episcopi, quatenus potest dispensare in adulterio, & criminibus minoribus adulterio: nam directè dispensando in delicto, indirectè etiam, & accessoriè debet infamia inde consurgēs augere. Ita Auila *par.7 disp.4. dub.6.* Henriq. *lib.14.c.5.n.* & alij. Vltimò aufertur etiam per Baptismum, quia per Baptismum tollitur omnis infamia ex delicto consurgens, cum Baptismus deleat peccatum, super quod fundatur irregularitas.

De secunda, & tertia specie irregularitatis ex delicto, nimirùm de irregularitate, quæ prouenit ex pœnitentia publica, & ex iteratione Baptismi?

BRACTEA II.

SCIENDVM pœnitentiam antiquitus triplicem esse. Prima erat sacramentalis. Secunda publica, sed non solennis, quæ imponebatur ex Episcopi, vel Superioris mandato ob delictum publicū, & fiebat sine cęremonijs. Tertia verò fiebat in principio Quadragesimæ cum quibusdam cęremonijs, & imponebatur ab Episcopo, vel de eius mandato, licèt modò non sit in vsu. Quibus positis.

R. 1. Et secundo modo non inducere irregularitatem. Ratio est, quia non est in iure expressa, quia canones solùm loquuntur de pœnitentia publica solemni, nec odia sunt amplianda. Ita Sayrus *lib.7.cap.11.num.19.* Siluest. *verbo irregularitas quæst.17.*

R. 2. Pœnitentiam publicam tertio modo consideratam antiquitus inducere irregularitatem, & impedire susceptionem ordinum, & vsum receptorum. Ita Toletus *lib.1. cap.64.* & patet ex *cap. de penitentibus distinct. 50. & cap. canones distinct.50.*

R. 3. Ex culpabili reiteratione Baptismi contrahi irregularitatem, & toties ipsam incurrere, quoties denuò culpabiliter baptizatur. Ita ex *cap. ex litterarum de Apostatis, cap. Confirmandum dist. 50. cap. Qui in qualibet 1. quæst. 7.* Ita Nauar. *cap. 27. num.246.* Siluest. *verbo irregularitas quæsit. 4.* Suarez *disp.42. sect.1. num.1.*

Sciendum non modo baptizatum, sed etiam baptizantem esse irregularem, dummodo maliti osè, & scienter rebaptizauerit. Quod si aliquem rebaptizauerit sub conditione, siuè illa conditio ponatur tantum in mente, siuè exteriùs addatur, non esse irregularem rebaptizando. Ita Nauar. *loco citato num. 246.* & alij. Ratio est, quia irregularitas prouenit ex iteratione Baptismi, hic autem non iteratur Baptismus; nam qui dicit, ego te baptizo, si non es baptizatus, non intendit baptizare, si sit baptizatus, sicut etiam non incurrit irregularitatem rebaptizantem, qui ex ignorantia iuris, vel facti aliquem rebaptizat, sicuti etiam non est irregularis rebaptizatus ex ignorantia iuris, vel facti.

R. 4. Ex iteratione Confirmationis, & Ordinis non incurrere irregularitatem. Ratio est, quia non est in iure expressa. Irregularitas autem non incurritur, nisi sit in iure expressa. Et ita Auila *par.7 disput.7. dub.5.* Valentia *tom. 4. disp. 5. quæst.1. par.4.* Filliucius *tract.19. cap.7. quæst.1.* Reginaldus *lib.30. tract.2. num.178.* contra plures alios.

De quarta specie irregularitatis, quæ prouenit ex mala ordinis susceptione?

BRACTEA III.

R. PRIMO ligatum maiori excommunicatione incurrere irregularitatem recipiendo ordines sacros. Ita colligitur ex *cap. Cum illorum de sententia excommunicationis in 6.* & *cap.1. de eo, qui furtiuè ordines suscepit.* Et ita Siluest. *verbo irregularitas quæsit.2.* Reginaldus *lib 30. tract. 2. num. 181.* Rodriquez *1. par. cap.168.* Valentia *tom.4. disput.7. quæst. 19. pun. 3.* Si vero erit ligatus minori solummodo excommunicatione, non incurrit irregularitatem, *cap. Si celebrat de Clerico excommunicato ministrante*, sicut etiam non incurrit irregularitatem, qui excommunicatus excommunicatione maiori recipit ordines minores, cum hæc irregularitas non sit in iure expressa. Ita Nauar. *de sententia excommunicationis 28.* licèt contraria opinio, quā plures tuentur, sit etiam probabilis.

R. 2. suspensum, & interdictum recipiendo ordines sacros non incurrere irregularitatem. Ratio est, quia iura loquuntur solùm de excommunicato, non de suspenso, aut interdicto; ergo, &c.

R. 3. Eum, qui furtiuè ordinis suscipit, siuè quia non admissus sese ingerit cum alijs ordinandis, siuè quia vsurpato nomine alterius personæ approbatæ eius locum occupat, siuè quia sub nomine suo facit alium examinari, & postea ipse proprio nomine vocatus accedit ad ordines esse irregularem, & patet ex *cap. 1. & vlt. de eo, qui furtiuè ordines suscepit.*

R. 4. Qui vno, & eodem die, inscio, & non aduertente Episcopo, recipit ordines minores cum Subdiaconatu, vel vltimum minorum cū Subdiaconatu, vel duos ordines sacros esse irregularem, vel potiùs suspensum, & patet ex *cap. citato de eo, qui furtiuè ordinem suscepit.*

R. 5. Clericum per saltum promotum, V. g. ad Diaconatum, prætermisso Subdiaconatu manere irregularem ad ordinem Subdiaconatus, ex *cap.1. de Cleric. non ordin.* & similiter ad ordines superiores, & similiter impeditum ab executione Diaconatus, quia irregularitas priuās Subdiaconatu, priuat etiam, quantum est ex se Diaconatu, saltem quoad vsum, cum non possit priuare charactere iam recepto: erit etiam suspensus à maioribus ordinibus iam susceptis, ad tempus, ideòque si ea durante ministret in eo, in nouam incideret irregularitatem ob violationem censuræ.

R. 6. Recipientem ordines sacros ab Episcopo, qui renunciauit dignitati incurrere irregularitatem, vel saltem suspensionem. Ratio est, quia Episcopus, qui renunciauit dignitati, non habet amplius executionē ordinis: sicut etiam est irregularis, qui ab Episcopo excommunicato, scismatico, hæretico, deposito, aut degradato ordinatur. Ita Reginaldus *lib. 30. tract. 2. cap.14. num.190.* & alij.

An

An exercens ordinem tempore censuræ sit irregularis?

BRACTEA IV.

R. Ligatum maiori excommunicatione, suspensione, vel interdicto, incurrere irregularitatem exercendo solemniter, vel ex officio actus maioris ordinis, etiamsi sit occultus, aut toleratus, nisi excusetur ratione necessitatis, vel inaduertentiæ; vel obliuionis, vel ignorantię, & patet ex *cap. si quis Episcopus, & cap. Is, qui de sententia excommunicationis*.

Sciendum non modo incurrere excommunicationem, qui certo sciebat esse excommunicatum, sed etiam qui dubitabat se esse excõmunicatum celebrando incurrere irregularitatem, si re vera detinebatur excommunicatione: secus verò non, quia irregularitas non incurritur ob conscientiam erroneam, sed ob violationem censuræ.

Sciendum 2. ligatum excõmunicatione maiori incurrere irregularitatem faciendo officium hebdomadarij in choro, canendo Epistolam solemniter, & baptizando solemniter, absoluendo sacramentaliter, vel benedicendo sponsis, aut consecrando aquam ad aspergendum fideles publicè.

An Clericus incurrat irregularitatem exercendo ordinem, quem non habet?

BRACTEA V.

R. Irregularem fieri Clericum exercendo ordinem, quem nondum habet, solemniter, modo non ministrauerit ioco, sed seriò tanquam initiatus ipso ordine. Ita Nauarrus *num.242*. Fillincius *tract.20. cap.7. quæsit.8, & 11.* Toletus *lib.1. cap.72. num.1.* Sayrus *cap. 10. numer. 1.* & alij.

Sciendum solum Clericum fieri irregularem ministrando in ordinibus sacris, quos nõ habet, non tamen in minoribus ordinibus, cum in istis soleant etiam laici, adhibitis vestibus, ministrare. Secundo requiritur, quod solemniter ministret in ordine sacro, quia exercens ordinem sacrum sine solemnitate, non contrahit irregularitatem. Quamobrem cantans Epistolam sine manipulo, vel Euangelium sine Stola, non fit irregularis eo quod non dicatur canere solemniter ex ordine, & ex officio: Laicus verò exercens actum ordinis, nullam incurrit irregularitatem. Ita Angelus *verbo irregularitas 1. num.38,* Suarez *de censur. disp.11. sect. 3. num.22.* Henriquez *cap. 6. num. 1.* & alij. Ratio est, quia iura loquuntur tantum de Clerico.

Sciendum 2. tunc dici aliquem, actum ordinis solemniter exercere, vel ex officio, quando actus talis est, vt ab alio nequeat exerceri, quam ab eo, qui talem ordinem habet: quando vero potest eodem modo ab alio exerceri, non dicitur exerceri solemniter, & ex officio. Propterea quando Laicus inseruit Missæ deferendo vrceolos ad altare, illosque porrigendo sacerdoti, non dicitur ordinem Acolytatus exercere, eo quod hoc munus ex consuetudine possit non solum à Clericis præstari, sed etiam à Laicis. Ita Bonacina *quæst.3. de irregularit. p. 6. num.9.* & alij.

De quinta specie irregularitatis, quæ oritur ex delicto hæresis?

BRACTEA VI.

R. Primo hæreticos irregulares esse, etiam occultos. Ita *cap. Saluberrimum quæst.1. c.2. de hæretic. in 6. cap. Presbyteros dist.50.* Ita Nauarrus *num.205.* Silu. *verbo irregularitas quæsit 5.* Reginald. *lib.30. tract 2. cap.15. num.195.* Tolet. *lib.1. cap.64.* Filiucius *tract.20. cap.9. num.127.* Bonacina *loco cit. p.7. num.1.* & alij.

Sciendum quod vt hæreticus sit irregularis, primo requiri, quod hæresis sit exterior, & nõ merè interna, tunc censetur externa, quando signo aliquo sufficienter illam indicante exterius manifestatur: actus verò internus non subiacet iurisdictioni Ecclesiasticę; Qui vero exterius hæresim profert, sed interius benè sentit, non est irregularis, cum re vera, non sit hæreticus, cum hæresis supponat errorem in mente.

Sciendum 2. hanc irregularitatem non modò extendi ad hæreticos, sed etiam, secundum quorundam opinionem, etiam ad Schismaticos, ad fautores hæreticorum, receptatores, consilium, auxiliumque dantes: extendi etiam ad filios, vsque ad secundam generationem per lineam virilem paternam, per lineam verò femineam, seu maternam vsque ad primam solum. *cap. Statutum 2. de hæretic.* Quod tamen est intelligendum, modo eorum parentes mortui sint in delicto hæresis, & non fuerint conuersi. Quod si post lapsum fuerint conuersi, & ante mortem, Ecclesiæ reconciliati, tunc eorum filij, & nepotes possunt ad ordines promoueri. Ita plures citati à Bonacina *loco cit. num. 9.*

An Clericus, qui lapsus est in hæresim possit susceptos ordines exercere?

BRACTEA VII.

R. Negatiue ante obtentam legitimam irregularitatis dispensationem. Ratio est, quia irregularis nequit ad ordines promoueri vel eos exercere ante dispensationem. Ita Sãchez *lib.2. cap.28. num.4.* Molina *cap. 36. numer. 2.* & alij.

Quidam hæreticus occultus in foro conscientiæ absolutionem ab hæresi impetrauit quæritur. An sit irregularis, & possit ad ordines promoueri?

BRACTEA VIII.

R. Ipsum esse irregularem, etiamsi in foro conscientiæ impetrauerit absolutionem. Ratio est, quia ad irregularitatem non requiritur sententia declaratoria cum ipso iure incurratur: Et quando ipso iure incurritur aliquid, non requiritur, vt factum sit notorium, sed

ſed ſatis eſt eſſe exteriùs commiſſum. Et ita plures citati apud Dianam *tract. 15. Miſcell. reſol. 24.* & Epiſcopum poſſe ſuprà talem irregularitatem diſpenſare. Ratio eſt, quia in Bulla cœnæ Papa tantum reuocat facultatem abſoluẽdi, ac de diſpenſatione nullum verbum facit: cum ergo ſint res diſtinctæ, & independentes, non eſt facienda deductio ex vna ad alteram, nec obſtat dicere maius eſſe abſolutionem, quam diſpenſationem, & per conſequens, vetita abſolutione, prohiberi etiam diſpenſationem, quod eſt minus, quia hoc ſolum cenſetur verum, quando id, quod eſt minus implicitè continetur in eo, quod eſt magis, vel ſicut pars in toto, vel ſicut ſpecies in genere: diſpenſatio autem, cum ſpecie differat ab abſolutione, implicitè in ea non continetur.

Vtrum Apoſtata à Religione, vel ſtatu Clericali ſit irregularis?

BRACTEA IX.

R. Religiosvm profeſſum Apoſtatam à Religione eſſe irregularem. *cap. finalis de Apoſtatis*, vbi dicitur Apoſtatam a Religione, durante eo ſtatu, non eſſe ad ordines admittendum. Ita Maiolus *lib. 5. cap. 30.* Clericus verò, qui eſt Apoſtata à Clericali habitu, & tonſura, nõ eſt irregularis, nam hęc irregularitas nullo iure probatur. Ita Vgolinus *cap. 36. num. 6.*

De ſexta ſpecie irregularitatis, quæ oritur ex delicto homicidij voluntarij?

BRACTEA X.

Sciendvm homicidium duplex eſſe, vnum voluntarium, & aliud caſuale. Homicidium voluntarium etiam duplex eſſe, vnum, quod dicitur directum, vel in ſeipſo, ſiuè voluntarium ſimpliciter, & eſt illud, in quod voluntas fertur immediatè, & in ſe, ſiuè quod immediatè intenditur ab agente, vt cum quis intendit occidere Petrum, ſiuè intendatur ſolum in ſeipſo, ſiuè etiam in ſua cauſa immediata, vt cum quis vult alterum occidere, dando venenum, vel inferendo vultus lethale, vel applicando ignem, ex quo ſequatur combuſtio, & occiſio. Alterum vocatur indirectum ſiue volitum in alio, quia nec in ſeipſo, nec in actione aliqua proximè coniuncta cum illo intenditur, ſed ſequitur præter intentionem, & ſolum in cauſa per accidens, eſt intentum, ideoque dicitur caſuale, vt cum quis intendit occidere feram, occidit hominem: Vnde apparet differentia inter homicidium caſuale, & voluntarium; nam homicidium caſuale dicitur, quod non eſt formaliter intentum, nec reputatur iudicio prudentis, tamquam formaliter intentum. Homicidium verò voluntariũ illud eſſe, quod fit ex propoſito, ſeu quod eſt per ſe, & directè intentum.

Sciendum 2. ad homicidium voluntarium requiri, primo voluntatem occidendi, quod ex probatur ex variis iuribus, quibus declaratur quodnam ſit homicidium voluntarium: nam ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 7. de reformatione* dicitur homicidium ex propoſito, quod nihil aliud eſt, quam ex voluntate occidendi, & ex *cap. 1. de homicid.* dicitur per induſtriam, quod ex intentione occidendi fit, & *cap. ſicut dignum de homicid.* dicitur quod fit animo occidendi, quod idem eſt cum voluntate occidendi, ex quibus ſequitur, qui vulnerat aliquẽ, directa voluntate ſolum percutiendi, & non cum propoſito occidendi, quamuis mors ſequatur, tale homicidium, non futurum voluntarium in conſcientia: in foro vero exteriori, cum agatur ex coniecturis, præſumptio eſſet contra illud.

Sciendum 3. ad homicidium voluntarium requiri voluntatem expreſſam, & directam occidendi. Ratio eſt, quia (vt dictum eſt) requiritur voluntas, & animus occidendi, hoc autem eſt voluntas expreſſa. Quibus poſitis,

R. Illum eſſe irregularem, qui alium voluntariè occidit, aut mutilat ſequuta morte, vel mutilatione. Ratio eſt, quia homicidium, & mutilatio membri voluntaria inducit irregularitatem ergo qui occidit, vel mutilat voluntariè, eſt irregularis. Ita *Clementina ſi furioſus de homicid.* & quia iura parem fecerunt homicidio mutilationem.

R. 2. Si quis animo occidendi vulnerauit, ſi mors ſequuta non ſit ipſum non eſſe irregularem. Ratio, quia pęna, quę imponitur ipſo iure, non incurritur, niſi per delictum conſumatum; cum pænę ſint reſtringendæ ad proprieratem verborum legis.

Sciendũ 4. quod licet irregularis ſit q aliquẽ mutilat, non tamen eſſe irregularem illum, qui membrum alicuius ita debilitat, vt ipſum inutile reddat. Et ita Molina *tom. 4. diſp. 68.* Reginaldus *lib. 30. num. 93.* & alii. Ratio eſt, quia in iure non eſt expreſſa irregularitas contra debilitantem membrum alicuius: ſicut etiam non eſt irregularis, qui reddit aliquem cęcum, non eruendo illi oculum, vel qui alteri digitũ abſcindit, cum digitus non ſit propriè membrum; ſicut etiam non incurrere irregularitatem mutilantem cadauer, cum hæc non dicatur hominis mutilatio. Similiter eum non eſſe irregularem, qui aliquem deformat, licet deformatus poſſit eſſe irregularis. Ratio eſt, quia in iure tantũ habetur incurri per homicidium, & mutilationem, non autem per debilitationem, aut deformationem.

An ſeipſum mutilans ſit irregularis?

BRACTEA XI.

R. Mvtilans proprium membrum eſſe irregularem in illis caſibus, in quibus mutilando alium quis fieret irregularis. Ratio eſt, quia talis verè dicitur mutilator, & non eſt minus delictum, imò maius mutilare ſeipſum, quam proximum: Si verò iuſta cauſa ſibi ipſi brachium mutilaret, non eſſet irregularis, cum talis mutilatio ordinaretur ad cõſeruandam totius corporis vitam. Qui autem zelo caſtitatis caſtraret ſeipſum, aut alia ratione membrum abſcinderet, eſſet irregularis, quia non eſſet bonus zelus, nec ſecundum ſcientiã. *cap. ſi quis abſcidit.* Nauarr. *cap. 27. num. 192.* Silueſt. *verbo homicid. 1. queſt. 1.*

Scien-

Sciendum dubium esse an abscisio membri emortui, & aridi inducat irregularitatem. Ad quod Respondeo quòd si talis abscisio non esset ordinata ad conseruandam vitam totius corporis, quod abscindens esset irregularis: si verò esset ordinata ad conseruandam vitam totius corporis, non esset irregularis abscindens. Et ratio patet, quia non est humani membri abscisio, ex eo quod non est informatum vita, tum etiam quia talis abscisio ordinatur ad salutem corporis.

An procurans abortum sit irregularis?

BRACTEA XII.

R. Quod si fętus non sit animatus procurãtem abortum, non esse irregularem. Ratio est, quia talis abortus non censetur homicidium, cùm non priuetur homo vita, cum nondum fætus sit animatus anima rationali, & quamuis impediatur hominis generatio, tamen ex hoc delicto, non incurritur irregularitas: si verò fętus sit animatus anima rationali, procurantem abortum esse irregularem, sequuto effectu. Ita *cap. Maiores 32. quæst. 2.* & plures citati apud Bonacinam *disp. 7. quæst. 4. par. 8. num. 27.* Ratio est, quia verè committitur homicidium, consequenter etiam irregularis erit qui procurauit.

An consulens homicidium sit irregularis?

BRACTEA XIII.

R. Consulentem in causa sanguinis, esse irregularem, effectu sequuto si homicidium sequatur ex vitalis consilij. Et ita ex *cap. Perniciosè de pœnis cap. si quis viduam dist. 50.* Et ita cõmuniter omnes Doctores. Ratio est, quia cõsulendo, censetur causa efficax mortis, vel mutilationis.

Sciendum quod in Responsione dixi si homicidium sequatur ex vi talis consilij, quia si aliunde sequeretur, tunc consulens, quia non influeret suo consilio in tale homicidium, cõsequenter non esset irregularis, sicut etiam non esset irregularis, qui consuleret homicidium alicui iam parato ad occidendum, quia non censetur causa efficax homicidij, quamuis peccet ratione affectus, & intentionis homicidij, esset tamen irregularis, si voluntatem occidendi augeret, quia tunc censeretur influere in homicidium, vt accidit quando quis suo consilio facit, vt alter faciliùs, vel citius committat homicidium. Ita Auila *par. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7.* Tolet. *lib. 1. cap. 81.* Si verò parum solummodo moueret voluntatem ad homicidium, non esset irregularis, cum parum pro nihilo reputetur: qui verò suadet mutilationem loco occisionis, non est irregularis, cum licitum sit, absque peccato suadere minùs malum ad euitandum maius. Qui verò suasit homicidiũ, vel mutilationem, quam alter suasisset, non modo incurrere irregularitatem, sed etiam obligari ad restitutionem: sicut etiam esset irregularis, si occideret v.g. Petrum quem alter occisurus erat. Ratio est, quia occidens, verè & realiter influit in homicidium.

Quale debet esse consilium ad inducendam irregularitatem?

BRACTEA XIV.

Sciendum dupliciter posse consilium dari. Primo directè suadendo rationibus, v. g. Petrum esse occidendum. Secundo indirectè, vt si quis dicat iniuriam passo, ne domum redeas, nisi vindictam feceris cum eo, qui tibi intulit iniuriam, vel petenti consilium an in rixa sequuta manserit aggrauatus, dicat consulens remanere, ex quibus verbis posteà sequatur homicidium. Quibus positis.

R. Ad incurrendam irregularitatem satis esse consilium indirectum. Ratio est, quia cõsilium indirectum eamdem vim habet ad moralem influxum, & motionem, quam consiliũ directum. Et ita probatur ex *cap. litteris de excess. Prælat.*

Sciendum duo esse consideranda in casibus particularibus. Primum an verba contineant sufficientem mandati, vel consilij significationem. Secundum, an ex eo incurratur irregularitas ex homicidio voluntario, an verò ex casuali. Primum videtur adesse, quãdo verba suprascripta continent sufficientem significationem, & inductionem ad homicidium. Secundum verò iudicandum erit ex intentione consulentis: si enim directè intendat homicidium, etiamsi indirecta inductione, erit irregularis ex homicidio voluntario. Quod si nec mors esset per se intenta, nec materia vindictæ talis, vt mortem requirat moraliter, tunc quãuis sequeretur, non imputaretur tamquam homicidium voluntarium, sed tamquam homicidium casuale.

An si Consulens reuocet Consilium sit sequuta morte Irregularis?

BRACTEA XV.

R. Consulentem post reuocationem consilij interficiendi aliquem incurrere irregularitatem, sequuto effectu, quamuis ante homicidium conatus fuerit consilium reuocare. Ratio est, quia consulens, ob tale consilium, verè & moraliter censetur influere in homicidium. Et Ita Nauar. *cap. 27 num. 233.* Suarez *disp. 44. sect. 3. num. 7.* Reginald. *lib. 30. num. 124.* Filiucius *tract. 29. de censur. cap. 2. num. 33.* & alij. Si verò consulens ante sequutum effectum fecerit quod moraliter potuit ad tollendum influxum, & impediendum effectum, & irreuocatio Consilij innotuerit consulto, aut consulens admonuerit eum, cõtra quem dederat consilium, non esse irregularem, sequuta morte, vel mutilatione. Ratio est, quia fecit id, quod moraliter potuit, vt reuocaret consilium, & influxum ipsius. Ita Filiucius *loco cit. num. 34.*

An qui exponit alium periculo mortis sit Irregularis?

BRACTEA XVI.

R. Qui exponit alium periculo mortis illicitè est irregularis, sequuto effectu. Ratio est, quia sic exponendo aliquem, peccat contra iustitiam, & ideò merito censebitur homicida, & per consequens irregularis, & quamuis non fiat iniuria ministro recipienti consilium, aut mandatum, talis tamen actio censentur contra iustitiam, etiamsi adhibeatur diligentia, ne sequatur mors, quia moraliter semper talis exponitur periculo mortis, ideoque etiam tunc incurretur irregularitas, vt patet ex *cap. Ad audientiam*, licet talis irregularitas non sit ex homicidio voluntario, cum directè non intendatur, sed solùm ex casuali, & ideò indirectè tantùm imputabitur, & ita casualis occasio erit, & irregularitas ex homicidio casuali, vt patet ex *cap. vlt. de homicid. in 6.*

An mandans homicidium sit rregulraris?

BRACTEA XVII.

R. Mandantem homicidium fieri irregularem, sequuta morte, nisi expresè, aut tacitè reuocarit mandatum, intimando reuocationem mandatario. Ita Nauar. *num.* 233. Reginald. *lib.* 30. *num* 124. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 80. Vgolinus *cap.* 15. §. 4. Azor. 3. *par. lib.* 2. *cap.* 8. & alii. Ratio primæ partis est, quia mandans censetur causa efficax homicidij, & damni. Ratio secundæ partis est, quia mandatum totam suam vim habet à mandante: Quare mutata voluntate mandantis, & intimata, cessabit saltem moraliter eius mandatum.

Sciendum, quod si reuocatio mandati non fuerit intimata, vel non innotuerit mandatario, obligari mandans ad restitutionem damni per mandatarium sequuti, & per consequens, sequuta morte ipsum esse irregularem. Ratio est, quia mandatum respectu mandatarij, non censetur reuocatum, etiamsi mandans tentauerit omnia, vt reuocatio ad illius aures perueniret: si verò mandatum homicidij faciendi oriatur ex inimicitia, & mandatarius postquã cognouit pacem, & familiaritatem initam ante sequutum homicidium, mandatum censetur implicitè reuocatum, eo ipso quo cognouit mandatarius pacem, & familiaritatem esse irritam, si verò mandatarius nesciat pacem, & familiaritatem esse celebratam, tũc enim mandatum non censetur reuocatum, & sequuta morte, mandantem esse irregularem, & obligari ad restitutionem.

Quidam mandauit Petro, vt occideret Paulum, accidit verò, quod Paulus occidit Petrum, quæritur, an mandans incurrerit irregularitatem?

BRACTEA XVIII.

R. Mandantem esse irregularem. Ratio est, quia videtur mandasse, & consuluisse opus, vt plurimum, mortis periculosum, non adhibita sufficienti diligentia, ad præcauendam mortem, tum quia hic casus videtur expressus *in cap. vlt. de homicid.* Et ita plures apud Bonacinam *loco cit. par.* 7. *num.* 17. Verum hæc irregularitas censetur ex homicidio casuali, cũ per se non intenderetur tale homicidium, licet plures sequantur opinionem contrariam, nimirum non incurrisse irregularitatem, quorum opinio etiam probabilis videtur. Ita apud Dianam *tract.* 15. *Miscellan. resol.* 17.

R. 2. illum esse Reum homicidij, & per consequens irregularem, qui mandauit aliquem verberare, vel percutere, imponendo expressè, ne occideret, & curaret, ne occideretur, sed nihilominus mandatarius inimicum re ipsa occidit. Ratio est, quia actiones mandatæ, sunt periculosæ mortis, non adhibita sufficiẽti diligentia ad mortem præcauendam, quam difficulter in eo casu potest adhibere, tũ quia sic extat in iure expressum *cap. vlt. de homicid.*

R. 3. Omnes cooperantes ad homicidium iniustum esse irregulares sequuta morte. Ita habetur expressè in *cap. sicut dignum §. illi de homicid.* Ratio est, quia efficaciter influunt in homicidium, vel mutilationem.

Sciendum ad hoc, vt cooperator sit irregularis ex homicidio voluntario, necesse est, vt homicidium, cui cooperatur sit ab ipso directè intentum. Ratio est, quia tunc dicitur verè cooperator homicidij voluntarij, cum verè illud intendat.

Sciendum 2. Si cooperator directè non intẽdat homicidium, tribus modis potest se habere. Primo assistendo alteri, nesciendo progredi ex intentione occidendi, sed alia de causa. Secundo assistẽdo ei, quem scit mortẽ alicuius intendere, & coactus amicitia illius, infert lethale vulnus, & tunc videtur irregularis ex homicidio voluntario. Ratio, quia licet coactus amicitia infligerit vulnus, tamen absolute fuit voluntarium. Et ita Suarez *disp.* 44. *sect.* 3, *nu.* 31. Tertio assistendo ei, qui alium occidit absque eo, & tunc dubitatio esse potest, an sequuta morte sit irregularis. Ad quod Respondeo, quod si ipse cooperatur alteri voluntariè, quẽ scit directè, velle mortem, & intendere esse irregularem; si verò ipse non intẽdat mortem, neque suis manibus intulit vulnus lethale, quidam dicunt non esse irregularem, licet maximè dubitari possit, cum ipse concomitetur cũ, quem scit directè velle, & intendere mortem.

An quando plures rixa contingente aliquem percusserunt, sed vnus tantum vulnere lethali percussit, est quo mortuus est, quæritur, an solus iste sit irregularis, an verò omnes?

BRACTEA XIX.

R. Cum distinctione, quod si plures de cõmuni consensu, & consilio aliquem aggressi sunt, & inuasus ex vno tantum vulnere perit, omnes impugnantes occisum fieri irregulares, non solum quando incerta est persona percutiens, sed etiam si certa sit. Ratio est, quia omnes cooperati sunt ad homicidium, conci-

concitando se, & consulendo homicidium, ex qua concitatione, & consilio, sequutum est homicidium. Et ita Auila *de censur.part.7.disp.6. sect.3. dub.3.* Vgolin. *cap.14.num.15.* Filliucius *tr.20. cap.4. quæst.7. num.*109. & alij. Si verò non se mutuo concitarunt, nec præmiserunt consilium, sed rixa subito contingente aliquem percusserunt; & vnus tantum lethale vulnus inflixit, ille tantum reus videtur homicidij, qui lethale vulnus inflixit modo constet de persona certa. Et ita Hostiensis *in cap. significasti,* & alij. Quando verò nescitur persona, quæ læthale vulnus inflixit, omnes dubitantes debere se tamquam irregulares gerere. Et ita Auila *p.7. disp.6 sect.3.* Vgolin. *cap.14.* §.1.*num.5.* & alij. Et ratio est, quia in isto casu, percussus præsumitur ex omnibus vulneribus obijsse; tum etiã quia versamur in dubio facti homicidij, in quo dubitans censendus est irregularis. Ita *cap. ad audientiam, & cap. significasti de homicid.* & alij.

An quando vnus primo loco percussit leuiter, & cæteri aduenientes læthaliter percusserunt absque cooperatione primi, qui censeatur irregularis?

BRACTEA XX.

R. Vltimos, qui læthaliter percusserunt censendos esse irregulares. Ratio est, quia isti soli censentur efficaciter in mortem influxisse: secus dicendum est, quando primus etiam lethaliter percussit, quia censetur etiam efficaciter influxisse in mortem. Quod si primus solum læthaliter percussit, & cęteri aduenientes, solum leuiter percusserint, itaut iudicio prudentum, non sint cooperati ad mortem citius inferendam, solum primum esse irregularem, tamquam reum homicidii ex delicto. Et ita Henriq. *lib.14. cap.14. num.2.* Sayrus *lib.7 cap.4. num.15.* & alij, quamuis alij putent, etiam leuiter percutientes esse irregulares.

An præstans arma illi, qui vult cum alio pugnare sit, sequuta morte irregularis?

BRACTEA XXI.

R. Esse irregularem si certo sciebat arma peti ad pugnandum, & occidendum. Ratio est, quia damnum, seu mors, quæ subsequitur, illi imputatur ad culpam, & ad pœnam irregularitatis ex homicidio casuali. Secus vero dicendum est, si nesciebat arma peti ad pugnandum, aut ad occidendum, quia sicut excusatur à culpa: ita etiam excusari debet à pœna. Ita Molina *disput.33. membr. 6. nu.8.*

An quando plures aliquem prouocant ad rixam, & vnus ex eis occidatur, an reliqui remaneant irregulares?

BRACTEA XXII.

R. Probabile esse, quod socij sint irregulares. Primo, quia causa fuerunt huiusmodi rixæ prouocando illum ad rixam, ex qua orta est, occisio vnius ex ipsis, & moraliter censentur vna causa illicitæ, & periculosæ actionis, à qua, vt plurimum potest esse mors, & licet prouocatio ad rixam, suaque natura potius ordinetur ad mortem prouocati, quam prouocantis, nihilominus etiam casualiter ordinatur ad mortem prouocantis, & per cōsequens socij erunt irregulares ex homicidio casuali.

An quis per omissionem eius, quod tenentur facere, sit irregulares secuta morte?

BRACTEA XXIII.

R. Qvando omissio est contra iustitiam, & ex illa omissione sequitur mors incurrere omittentem irregularitatem. Ratio est, quia tunc vere censetur committi peccatum homicidij propriè accepti, quia iste talis omittendo ea, quæ facere debet ex iustitia, censetur causa moralis homicidij, & contra iustitiam.

Sciendum obligationem ex iustitia ad impediendam alterius mortem oriri ex triplici capite. Primò, ratione officij. Secundò, ex stipendio, & pacto priuato. Tertiò, ex iure naturali. Primo modo, obligantur Iudices, Gubernatores, Principes, &c. Secundo modo, famuli ad id conducti. Tertiò, pater respectu filiorum, & è contra.

Sciendum 2. huiusmodi omissionem ad inducendam irregularitatem debere esse voluntariam, atque præuisam cum periculo mortis, quia si talis non esset, non induceret irregularitatem. Quod si omissio proueniret ex negligentia, vel timore humano, vel auaritia, oriretur irregularitas ex homicidio casuali: si verò oriretur ex odio, ac directa voluntate, vt alius occidatur, esset irregularitas ex delicto.

R. 2. Quod qui non impedit homicidium, quod ex iustitia non tenetur impedire, sed solùm ex charitate nullam incurrit irregularitatem. Ratio est, quia non peccat peccato homicidij, cum non teneatur ipsum ex iustitia impedire. Ita Nauar. *cap.27.num.231.* Molina *disp.76.nu.8.* & alij.

An ratum habens homicidium suo nomine factum sit irregularis?

BRACTEA XXIV.

R. Qvod qui ratum habet homicidium suo nomine factum, ipso insciente, non est Reus homicidij, & per consequens nec irregularis. Ratio est, quia talis ratihabitio in isto casu non censetur causa mortis secutæ, cum non influat in effectum iam præteritum. Et ita Sayrus *lib.7.cap.4.num.17.* Henriquez *lib.14.cap.11.num.10.* Toletus *lib.1.cap.81.num. 1.* & alij plures; secus verò dicendum erit, si ratum habuerit homicidium factum, ipso sciente, & non impediente quod ex iustitia teneatur impedire, & nō ex charitate. Ratio est, quia non impediendo censetur causa mortis, & ratihabitio in isto casu æquiualet mandato, & sicut mandans incurrit irregularitatem, secuto effectu: ita etiam ratum

X 2 habens

habens homicidium suo nomine factum, & sciente,& non impediente.

De irregularitate, quæ prouenit ex homicidio casuali?

BRACTEA XXV.

Sciendum homicidium casuale duplex esse. Primum, quod est indirectè voluntarium, & culpabile, quia non adhibetur ea diligentia, quam quis debebat ad ipsum præcauendum. Secundum, quod neque est indirectè voluntarium, quia videlicet omnis debita diligentia adhibita est, ne ex propria actione sequatur homicidium. Priùs dicitur homicidium casuale non simpliciter, nec omninò casuale; posteriùs verò simpliciter, & omninò casuale dicitur. Homicidium omninò casuale dicitur, quod non est volitum directè, vel indirectè in se, vel in causa. Homicidium non simpliciter, nec omninò casuale dicitur illud, quod licèt directè sit casuale, nihilominus indirectè, & simpliciter est voluntarium. Quibus positis.

R. Quod quando homicidium est indirectè voluntarium, sed volitum aliquo modo in causa inducere irregularitatem. Et ita communiter omnes Theologi cum S.Thoma 2.2. *quæst.64.* & Summistæ *verbo homicidium, & verbo irregularitas,* & patet ex iure canonico in *cap. Significasti* 1. & *cap. Dilectus de homicidio*: tum etiam, quia huiusmodi homicidium est sufficientem voluntarium, & peccaminosum mortaliter. Homicidium autem voluntarium, & mortaliter peccaminosum inducit irregularitatem; ergo, &c.

Sciendum 2. dantem operam rei licitæ non esse irregularem, si sequatur mors, modò debitam adhibuerit diligentiam, ne sequeretur homicidium. Ratio est, quia si sequatur, non censetur voluntarium, quando adhibita fuit debita diligentia, ne sequeretur; secus verò dicendum est, quando debita non adhibita est diligentia ad præcauendam mortem, seù homicidium, quam homines prudentes solent adhibere. Et ita communiter omnes Doctores.

Sciendum 3. ad incurrendam hanc irregularitatem ratione omissionis debitæ diligentiæ satis esse, quod sit culpa lata, non autem leuis, sed leuissima. Ratio est, quia si est culpa lata, iam fuit omissio eius diligentiæ, quam homines prudentes habere solent, & ideò homicidium secutum dicitur voluntarium indirectè, & in causa; Quando autem est culpa leuis, vel leuissima, non adest culpa mortalis, & ideò non incurritur irregularitas ex delicto, quæ supponit culpam mortalem, & non venialem. Ratio est, quia irregularitas est grauissima pœna; ergo non est verisimile incurri ob culpam tantùm venialem huiusmodi ex delicto, quæ incurritur ob delictum mortale.

R. 2. Quod quando homicidium non est indirectè voluntarium, sed omninò casuale, eò quod non est volitum in se, nec in causa non inducere irregularitatem. Ita ex *cap. Lator,* & ex *cap. Dilectus,* & ex *cap. Ioannes*. Ratio est, quia tale homicidium nullo modo censetur voluntarium, aut peccaminosum; & ideò nullam inducere irregularitatem. Ita Salonius *secunda secundæ quæst.64. art.8.* Valentia *tom.4. disput.7. quæst.19. par.3.* & alij.

An dans operam rei illicitæ periculosæ homicidij sit irregularis secuto effectu?

BRACTEA XXVI.

Rea sententia est asserentium esse irregularem. Et ita S.Thomas 2.2 *quæst.64. art.8.* Suarez *disput.45 sect.6 num.12.* Vgolinus *de irregularitate cap.* 18. §. 1. & alij. Ratio est, quia ex eo, quod dat operam rei illicitæ, periculosæ homicidij, censetur velle homicidium; ergo, &c.

Secunda sententia negat dantem operam rei illicitæ periculosæ homicidij esse irregularem, si debitam adhibuit diligentiam, ne sequatur homicidium. Ratio est, quia dans operam rei illicitæ, adhibita omni diligentia, ne alius sequatur effectus, omninò excusatur à culpa homicidij secuti ex opere illicito, ergo etiam excusabitur à pœna irregularitatis, quæ propter culpam, & delictum est imposita. Sed.

R. 1. Dantem operam rei illicitæ, à qua vt plurimum potest effectus homicidij esse, si vtatur diligentia ad præcauendum homicidium, quam prudentissimi solent in tali casu adhibere, nullam incurrere irregularitatem, si mors sequatur. Ratio est, quia periculum tollitur, & purgatur per diligentissimam actionem: secus vero dicendum erit, si adhiberet eam diligentiam, qua prudentes solùm solent adhibere. Et ratio est, quia adhuc esset in culpa.

R. 2. Quod dans operam rei illicitæ, à qua rarò solet esse mors, non est irregularis, dummodo vtatur diligentia, quam homines prudentes solent adhibere ad talem effectum præcauendum; secus verò si non vtatur tali diligentia. Ratio est, quia homicidium censetur inuincibiliter ignoratum, si fuit adhibita sufficiens diligentia, ne sequeretur: ignorantia autem inuincibilis homicidij, seù facti, excusat ab irregularitate.

Sciendum duos ab hac doctrina casus excipi, in quibus ex homicidio casuali secuto ex opere illicito incurritur irregularitas, etiamsi quis vtatur diligentia ad mortem, & homicidium præcauendum. Primus est in *capite vltimo de homicidio in 6. de mandante alium percuti tantum*, in quo declaratur mandantem affici irregularitate, secuta morte, vel mutilatione, etiamsi expressè imposuerit mandatario, ne lethaliter vulneraret. Secundus est in *cap. tua nos de homicid.* Vbi ob homicidium omninò casuale incurritur irregularitas ex opere illicito, etiamsi fuerit adhibita sufficiens diligentia, & sermo est de vsu artis Chirurgiæ, qui non est per se malus, sed respectu Clerici malus est, quia illi prohibitus. *cap. sententiam, ne Cleric. vel Monach.* Quare non erit extendendus ad Laicos, nec etiam ad Clericos in minoribus, quia in *cap Sententiam* solùm de maioribus sermo est.

Sciendum 2. conficientem gladios, quibus aliqui postea occidũtur non fieri irregularem, quia solùm censetur causa remota, & non proxima mortis, quæ requiritur ad irregularitatẽ. Similiter eum non esse irregularem, qui secundum regulas artis extraxit sagittam è vulnerato, qui mortuus est ex extractione sagittæ. Ratio est, quia seruando regulas artis, censetur debitam adhibuisse diligentiam in opere periculoso, ne sequeretur homicidium. Item non esse

esse irregularem Iudicem, si licitè præcipiat Reum iuxta leges verberari, quæ leuem imponunt percussionem: minister verò ita excessit in verberibus inferendis, vt ratione illius excessus Reus mortuus est. Item excusari ab irregularitate, qui alteri inflixit vulnus leue, & nō lethale, ex quo vulneratus absq; alia cura conualuisset, vel saltem cum modico medicamine, sed vulneratus ex sua intemperantia, vel ex incuria medicorum mortuus est. Item incidentem equo non esse habendum pro irregulari, quando equus fractis habenis puerum in via existentem conculcauit, & interfecit, quia in isto casu mors censetur simpliciter casualis: sicut etiam non est irregularis, qui domi diligenter feram custodit, quæ absque Domini culpa soluta aliquem occidit. Demùm non esse irregularem, qui bona fide in conuentu hominum detexit cuiusdam mulieris adulterium, quod postea delatum fuit ad virum adulteræ, qui illam occidit. Ratio est, quia illa manifestatio adulterij non fuit volūtaria in ordine ad mortem Adulteræ, quod maximè requiritur ad incurrēdam irregularitatem; & ideò manifestanti, mors non est imputanda, & per consequens non est irregularis.

Sciendum 3. Aromatarios conficientes medicinas ex rebus corruptis irregulares esse, secuta morte, si hac de causa secuta fuit mors Infirmi, cum ipsius fuerit causa. Secundò eum, qui præbet, aut consulit, aut tradit, aut aliquid mandat Infirmo contra Medici præceptum fieri irregularem, quoties illius rei traditio cēseatur causa mortis, vel acceleratione ipsius, etiamsi hoc fecerit titulo pietatis: qui vero tradit aliquid Infirmo bona fide, vel ex præscripto periti Medici, aut qui tradit aliquid, quod non est vetitum Infirmo, nec dubitat nociuum, aut qui reuoluit Infirmum in lecto, vt facilius somnum, quietem, aut cibum capiat, etiamsi mors ex aliqua culpa acceleretur, modo non sit culpa lata, seu negligentia notabili, idest modò reuoluens eam adhibuerit diligentiam, quam communiter adhibent homines illius professionis, non est irregularis. Tertiò Magistrum verberantem Discipulum excedēdo modum percussionis, & non adhibendo debitam diligentiam ne sequatur mors, vel mutilatio fieri irregularem, secuta morte, vel mutilatione, vt quando calce ventrem percutit, & inde mors sequitur. *cap. Presbyterum, & cap. Ad audientiā de homicid.* Et ita Henriquez *lib. 14. cap. 14. num. 4.* Reginaldus *lib. 30. cap. 12.* & alij. Vnde *cap. cit. Presbyterum* declaratur irregularis Præsbyter, qui causa disciplinæ puerum percussit in capite, & ea causa mortuus est, & *cap. Continebatur*, Diaconus declaratur irregularis, propterea quod ludens cum Laico, & hic victor in eum equitaturus insiliens ad eius falce, qua erat præcinctus, vulneratus obit, constat enim imputatam fuisse illi Diacono negligentiam in cauendo omni periculo homicidij, quia non debebat ludere alee accinctus eo genere ludi, & maximè quia illam habebat latentem. Similiter irregularem esse, qui inter dormiendum interemit infantem in lecto, eo quod non adhibuerit debitam, & sufficientem diligentiam in tenendo infantulum in lecto: nam voluntariè dedit operam rei illicitæ periculosæ, non adhibita sufficienti diligentia ad præcauēdum homicidium. Ita Vgolinus *cap. 18. §. 2. num 12.* Reginaldus *lib 30. cap. 12. num. 157.* Item illum esse irregularem, qui proijcit lapidem, v.g. in Petrum, si lapis, ipso declinante concidit in Caium, illumque occidit: Petrus verò declinando ictum lapidis, non fit irregularis, cum vtatur iure suo, vt seipsum seruet incolumem. Ratio est, quia censetur actionē periculosam homicidij exercuisse absq; sufficienti diligentia, ne lapis ad Caium perueniret. Ita Vgolinus *loco citato num. 5.* Reginaldus *loco citato nu 156 & 158.* secus verò dicendum erit, si debitam adhibuit diligentiam, & casu lapis tetigit Caium. Ita Suarez *disput. 45 sect. 6. num. 18.* Filliucius *tract. 20. de censuris num. 80. cap. 3. de secunda specie irregularit.* & alij. Similiter fieri irregulares, qui hyemali tēpore sese niueis pilis glacie confectis petunt, si inde contingat alteri oculum erui Ita Vgolinus *cap. 22. num. 4.* Quod idem dicendum est de ijs, qui lapidibus inter se certant, aut gladiatoriam artem exercent, aut hastis inter se concurrunt absque sufficienti diligentia, ne mors, vel mutilatio sequatur. Vltimò illum esse irregularem, qui reficiendo tectum proijcit tegulam, ex qua occiditur viator, nisi monuerit, vel signum de more exposuerit. Ratio est, quia in opere periculoso non censetur debitam adhibuisse diligentiam ad præcauendum homicidium. Ita Nauar. *loco cit. num. 55.* Reginaldus *num. 156* & alij communiter.

An qui percutit mulierem prægnantem, vnde sequitur abortus, sit irregularis?

BRACTEA XXVII.

Esse irregularem ex casuali homicidio. Ratio est, quia talis abortus est voluntarius in causa, & indirectè; in causa quidem, quia talis abortus non fuit per se intentus, indirectè tamen tum ob eandem rationem, tum etiam quia regulariter intercedit, vel inaduertentia actualis, vel ignorantia, quòd ex tali percussione sequi possit mors fœtus, sed culpabilis, ideóq; efficit voluntarium indirectè aliquando tamē directè potest esse voluntarium, vt si aduertatur periculum, itaque sibi persuadeat; vult tamen ita percutere, quia tunc esset causa proxima mortis, quod etiam dicendum est de saltante cum muliere prægnante: quod si saltat saltatione consueta, & modesta non esse irregularem, si sequatur abortus: secus verò si saltet saltatione immoderata. Ita *cap. Sicut ex litterarum de homicid.* esse irregularem secuto abortu. Ita Hēriquez *lib. 14 cap. 15 num. 4.* Reginaldus *cap. 12. num. 156.* & alij. Quod etiam dicendum est de eo, qui vtitur copula mulieris prægnantis absque debita cautione, si mors fœtus animati sequatur. Ita Maiolus *lib. 5 cap. 48. §. 3.* & alij.

De irregularitate, quæ contrahitur medendo, vel Chirurgiam exercendo?

BRACTEA XXVIII.

Laicum exercentem Chirurgiam secundum regulas artis non esse irregularem, etiamsi membrum abscindat causa sanitatis. Ita Silnest. *verbo homicid. 3. quæsit. 3.* Nauar. *cap. 27. num. 109.*

*num.*109. Suarez *disput.*47.*sect.*7.*num.*2. & alij. Ratio est, quia cum sint Laici, & debitam adhibeant diligentiam, sintque sufficienter periti, etiamsi mors ex eorum actione sequatur, non incurrũt irregularitatem. Ratio est, quia iura posuerunt solùm huiusmodi irregularitatem, si deficiant in debita diligentia, vel ex eorum imperitia sequatur mors.

An Medicus incurrat irregularitatem præbendo medicinam ægroto, quam dubitat illi profuturam?

BRACTEA XXIX.

R. Distingvendo, vel Medicus habet remedium certum ad sanitatem, vel habet tantummodo dubium, si habet remedium certum, præbendo dubium peccat, & secuta morte fit irregularis: si verò nullum habeat remediũ certum, debet adhibere remedium, quod opportuniùs existimat iuxta probabiliorem Medicorum sententiam, alioquin imprudẽter agit, temerè exponendo periculo salutem infirmi, & erit irregularis, secuta morte: si verò nullum habeat remedium certum, aut opportunius secũdum probabiliorem Doctorum opinionem, sed habet remedium tantummodo dubium, est irregularis, quando vtitur tali remedio, quando salus infirmi nondum est desperata, quia fieri potest, vt propter illud Pharmacum infirmus moriatur: quando verò salus infirmi iam est desperata, Medicus non peccat, neque fit irregularis, quando vtitur remedio dubio, quia tunc prudenter agit applicando remedium cũ spe salutis. Ita Bonacina *disput.* 7. *quæst.* 4. *part.* 5. *num.* 3.

R. 2. Hanc doctrinam etiam in Clericis locum habere citra abscisionem, vel adustionem. Ratio est, quia non extat ius prohibens illis tale opus pietatis, & misericordiæ. Ita Molina *tom.*4. *disp.*75. *num.*6. Sayrus *lib.*7. *cap.*6 *num.*11.

Sciendum Clericis maioribus ordinibus initiatis prohibitum esse mederi abscindendo, vel adurendo. *cap Sententiam sanguinis ne Cleric. vel Monach.* & *cap. Tua nos de homicid.* secus tamen tempore necessitatis, vt v.g. tempore pestis, quando non adest alius, qui hoc munus præstet, posse Clericum absque periculo irregularitatis abscindere, & adurere. Ita Rodriquez *cap.*77. Ratio est, quia in eo euentu, in quo obligat ius naturæ, cessat prohibitio iuris positiui.

Sciendum 2. quod licet Clericus maioribus ordinibus insignitus non possit regulariter abscidere, & adurere, potest tamẽ iubere incisionem, vel adustionem, & non fieri irregularem, etiamsi mors inde sequatur. Ratio est, quia qui solùm iubet incisionem, aut adustionem, non dicitur propriè incidere, vel adurere, quod solum prohibitum est Clericis, & odiosa sunt restringenda, seruata tamen verborum proprietate: vnde Clericus potest consulere, vt membrum cancro infectum abscindatur, cum hoc nõ sit incidere, vt supra dictum est: si verò Clericus sacris initiatus scindat venam ad emittendum sanguinem, fit irregularis, secuta morte, quia propriè dicitur incidere.

Sciendum 3. Clericum abscindendo, vel adurendo secundum regulam artis esse solùm irregularem, secuta morte, quia ex mutilatione ordinatur ad vitam conseruandam, non oritur irregularitas modò Clericus debitam adhibuerit diligentiam secundum regulas artis, nec mors inde secuta sit. Item non esse irregularem, si mors sit secuta ex abscisione, vel adustione, sed ex alia causa, vt v.g. ex grauitate morbi. Ratio est, quia mors non videtur imputanda abscindenti, vel adurenti, cum mors nõ proueniat ex abscisione, vel adustione: in dubijs verò Clericum habendum esse pro irregulari, vt patet ex *cap. Ad aures* de ætate, & qualitate.


An sit irregularis, qui aliquem occidit ad defensionem propriæ vitæ?

BRACTEA XXX.

R. Non esse irregularem, si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ: secus verò, esse irregularem. Et ita communiter omnes Doctores, & patet ex *cap. Si furiosus.* Ratio est, quia tale homicidium humano modo non est voluntarium, sed necessarium, & si fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ non est culpabile; ergo, &c. Ratio secundæ partis est, quia tunc cessat ratio, & dispositio iuris, tum etiam quia mors illi imputatur ad culpam; ergo debet etiam imputari ad irregularitatis pœnam.

Sciendum, quod ad hoc, vt homicidium factum ad defensionem propriæ personæ sit cum moderamine inculpatæ tutelæ, tria requiruntur. Primò, vt fiat, quando vis ab altero iniustè infertur, quia tunc licitum est vim vi repellere, modo vis iniustè inferatur. Secundò, vt fiat in ipso aggressionis actu, quando alter moraliter aggressionis actum incepit, nec aliter possit propriam vitam defendere, quam occidendo, vel mutilando. Tertiò, vt inuasus probabiliter credat se occidendum, vel mutilandum, vel sibi periculosum vulnus infligendum, aut graue damnum inferendum: vnde quando seruantur hæc tria, dicitur in homicidio seruare moderamen inculpatæ tutelæ: secus verò non.

Sciendum 2. non esse irregularem, qui occurrentibus his tribus conditionibus aliquem occidit, etiamsi ex odio occidat, & cum intentione sumendæ vindictæ. Ita Petrus Nauar. *lib.*2. *de restitutione cap.*3. *num.*327. & alij. Ratio est, quia illa actio externa homicidij in isto casu non est iniusta, cum sit ad defensionem propriæ personæ ordinata, & nequeat aliter se defendere, quam occidendo, etiamsi occidens causam dederit inuasionis, vt accidit, quando quis alium contumelijs afficit, vel adulterium cum ipsius vxore commisit, &c. Ita Lessius *lib.*2. Henriquez *lib.*19. *cap.*10. *num.*3. & alij. Ratio est, quia inuasus dando causam inuasionis, nõ amisit ius defendendi vitam propriam; ergo inuasus non incurrit irregularitatem occidendo inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiamsi dederit causam inuasionis. Ita Bonacina *loco cit. par.*6 *de irregul num.*3. & alij ab ipso citati.



An

An si quis fuga vitare possit periculum, incurrat irregularitatem occidendo?

BRACTEA XXXI.

R. INCVRRERE irregularitatem, si potest sine periculo, & dedecore, vel infamia fugere, nec tamen fugiat, sed occidat. Ratio est, quia in *Clement.* solum excipitur casus, in quo non potest aliter vitari mors, ergo qui potest fugere modo dicto, & non fugit, incurrit irregularitatem occidendo. Ratio est, quia tunc homicidium non videtur necessarium, cum aliter possit saluare vitam, & occidendo peccat coram Deo, quia sine morali necessitate committit homicidium. Ergo incurrit irregularitatem occidendo, quia homicidium est culpabile.

R.2. Si fuga non possit esse sine ignominia, non tenetur fugere, neque fit irregularis occidendo. Ratio est, quia quod fieri non potest sine periculo, ac ignominia, idem est, ac si aliter fieri non possit.

Vtrum alium occidens ad se defendendum à graui deformitate vultus, sit irregularis?

BRACTEA XXXII.

R. NON esse irregularem. Ratio est, quia homo tanti facit grauem vultus deformitatem, quanti grauem diuitiarum iacturam, sed qui alterum occidit ad suas diuitias defendendas, vt infra dicetur, non est irregularis. Ergo nec etiam est irregularis, qui alium occidit ad se defendendum à graui vulnus deformitate. Ita Bonacina *loco cit. num.* 8.

Sciendum etiam non esse irregularem, qui occidit Iudicem iniustè sibi parantem mortem. Ratio est, quia licet occidens peccet contra charitatem, non tamen peccat contra iustitiã consequenter non incurrit irregularitatem positam contra homicidas, cùm ipse occidat Iudicem volentem se iniustè occidere, sicut etiam non est irregularis, qui fure domi inuento, clamauit ad vitam, vel ad res suas defendendas, latrones, etiamsi ob id satellites furem repererint, & Iudex illum morti adiudicauerit, modo clamans præmiserit protestationem, & non fecerit hoc animo vindictæ, sed intentione rei suæ conseruandæ. Ita Vgolin. *cap.* 14. §. 1. *num.* 7.

An occidens inuasorem proximi incurrat irregularitatem?

BRACTEA XXXIII.

R. OCCIDENTEM inuasorem proximi non incurrere irregularitatem, modo homicidium fiat cum moderamine inculpatę tutelę. Ratio est, quia talis irregularitas nõ in iure cõstat, cum nullus sit Textus, qui loquatur de hac speciali defensione, vel homicidio, tum quia irregularitas homicidij non incurritur, nisi ob culpam, aut spontaneam voluntatem: In hoc autem casu non adest culpa homicidij cum licitum sit vim vi repellere, non solum ad propriam, verum etiam ad defensionem proximi, etiam extranei. Et ita Petr. Nauar. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 409. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 60. & alij.

Sciendum ex hac doctrina, si quis inuasus, ne occidatur, alium vocet ad sui defensionem, qui deinde aggressorem occidat, non incurrit irregularitatem is, qui vocauit, nam qui potest se defendere per seipsum, poterit etiam per alium se defendere, & per consequens defensor proximi positi in periculo, non erit irregularis sequuta morte, si cum moderamine id faciat. Secundo illum non esse irregularem qui tradit arma alicui inuaso ad se defendendum, & inuasor occiditur ab inuaso cum moderamine inculpatæ tutelæ.

An qui occidit alium ad defensionem sui honoris, vel suarum rerum, incurrat irregularitatem?

BRACTEA XXXIV.

R. OCCIDENTEM alium ad defensionem sui honoris cum moderamine inculpatæ tutelæ non fieri irregularem, quando aliter honor nullo modo potest defendi. Ita Suarez *tom.* 5. *disp.* 45. *sect.* 2. Sayrus *lib.* 6. *cap.* 17. *numer.* 22. Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 11. *num.* 73. & alij. Ratio, quia sicut licet occidere ad defensionem bonorum temporalium (vt infra dicetur) ergo multo magis licet occidere ad defensionem honoris, quando aliter honor requirit defendi.

R. 2. Bona temporalia licitè posse defendi, cum interitu eius, qui vult illa violenter auferre. Ratio est, quia id nec est contra charitatem, nec contra iustitiam, non primũ, quia charitas non obligat ad præponendam vitam proximi bonis temporalibus, nisi quando proximus esset in necessitate: non secundum, quia fraus, & vis nemini debet patrocinari, & vim vi repellere licet, & damnum quod sequitur aggressori, ipsimet imputari debet, quia contra iustitiam vult bona alterius auferre.

Sciendum quod ad hoc, vt defensio sit licita seruari debent, nonnullæ conditiones. Primo vt nocumentum temporale actu, & iniustè inferatur, & illud sit graue. Secunda, vt non sit alia via id reparandi, vel non sine magna difficultate, & periculo. Tertia, vt defensio sit moderata. Quarta, vt proximi nocumentum necessarium sit ad bona defendenda.

R. 3. Occidentem alium ad defensionem bonorum temporalium cum supradictis conditionibus non incurrere irregularitatem sequuto homicidio. Ratio desumi potest à simili, quia sicut licet alium occidere ad defensionem vitæ, ergo neque incurritur occidendo ad defensionem bonorum externorum, quæ suo modo sunt ad vitam necessaria; tum etiam, quia tale homicidium non censetur voluntarium, & culpabile, cum solum fiat ad defensionem bonorum externorum, & ad incurrendam irregularitatem ex homicidio, requiritur quod sit culpabile, & voluntarium, tum quia huiusmodi irregularitas non est expressa in Clementina, & in illa datur facultas extendendi declarationem ad casus similes, si respicitur formalis ratio

lis ratio

lis ratio illius; & sicut per ipsam non incurritur irregularitas occidendo ad defensionem propriæ vitæ, ita etiam potest extendi ad occisionem, quæ fit ad defensionem honoris, & bonorum externorum.

Quis possit dispensare in irregularitate prouenientе ex delicto homicidij?

BRACTEA XXXV.

R. Papam iure diuino posse dispensare in omni irregularitate ex delicto homicidij. Ratio est, quia habet supremã in terris potestatem immediatè à Christo, tùm quia potest ipse dispensare in iure communi, ita etiam potest dispensare in irregularitate. Et ita communiter omnes, & non modo posse dispensare, sed etiam posse sibi reseruare cuiuscumque irregularitatis dispensationem.

R. 2. Episcopum in sua Diœcesi dispensare posse cũ suis subditis in irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis, excepta irregularitate, proueniente ex homicidio voluntario, aut deducto ad forum contentiosum, dum tamen in Diœcesi existit. Et ita Sanchez *in summa lib. 2. cap 11. num. 2.* Reginald. *lib. 30. tract. 2. num 26.* Filliucius *tract. 20. cap. 10. nu. 267.* & alij.

Sciendum, quod à Doctoribus duæ regulæ traduntur ad cognoscendam Episcopi potestatem in dispensatione irregularitatum. Prima, de iure antiquo Episcopum posse dispensare in ea irregularitate, quæ continetur sub lege, in qua potest dispensare, cum non requiratur maior potestas ad dispensandum in pęna legis, quàm in ipsa lege: irregularitas autem est pęna legis: Verum nihil conducit huiusmodi regula ad praxim, vt rectè Suarez *sect. 5. num. 5.*

Secunda regula de iure nouo Trident. *sess. 24. cap. 6* Episcopum posse (vt dictum est) dispensare in qualibet irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepta irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, & deducta ad forum contentiosum, quam facultatem competere tantummodo Episcopis illarum regionis, vbi est acceptatum Concilium Tridentinum: quia vbi non est acceptatum non posse Episcopos vti hac facultate, quia si non recipitur Concilium, quoad onera, neque etiam acceptari potest, quoad fauores.

Sciendum 2. nomine Episcopi intelligi electum, & confirmatum etiam non consecratum, dummodo iurisdictionem, & subditos habeat, cum hoc priuilegium concedatur respectu suorum subditorum, & ideo requiritur vt habeat iurisdictionem, & subditos.

Sciendum 3. posse Episcopos huiusmodi facultatem dispensandi committere alteri, quia est annexa muneri Episcopali, quasi iure ordinario, & ideo posse dispensare etiam cum suo subdito extra Diœcesim, vel committendo alteri dispensationem, vel per seipsum, quia hæc potest etiam concedi absenti: cum extraneis verò non potest dispensare, sicut neque potest Archiepiscopus dispensare cum extraneis, vel cum subditis suorum suffraganeorum præterquam in actu appellationis, vel visitationis: Nomine autem subditi intelliguntur ij, in quos Episcopus ordinariam iurisdictionem habet, siue sint in Diœcesi, siue extra illam.

Sciendum 4. per casus occultos intelligi eos; qui publici non sunt, etiamsi ab aliquibus sciatur, & probari possint, modo non sint deducti ad forum contentiosum, hoc enim ipso reputantur publici, & in eo Episcopus non potest dispensare, vt accidit quando delinquens accusatus fuit de aliquo delicto, & nondum se purgauit in iudicio, nec fuit liberatus definitiuè, aut ab instantia: quando verò delinquens post accusationem se purgauit veris, aut falsis testibus, aut quando fuit absolutus defectu approbationis, Episcopus potest cum eo dispensare, quia cessat ratio deductionis ad forum contentiosum, & proinde est, ac si non fuisset deductum. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 20. num. 4.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 79. num. 8.* Auila *part. 7. disp. 10.* Filliucius *tract. 20. num. 169.* Sayrus *lib. 4. cap. 17. num. 23.* Emanuel Sà *verbo Episcopus num. 34.* & alij. Non posse tamen dispensare in irregularitate proueniente ex delicto deducto ad forum contentiosum, postquam delinquẽs fuit condemnatus. Ratio est, quia in Concil. Trident. conceditur Episcopis facultas dispensandi in irregularitate proueniente ex delicto non deducto ad forum contentiosum; in isto autem casu delictum fuit deductum ad forum contentiosum, & factum publicum per sententiam condemnatoriam Iudicis. Ita Rodriq. *1, part. cap. 168.* Suarez *disp. 41. sect. 2. num. 5.* Guttierez *lib. 1. quæst. canon. cap. 3.* citati à Bonacina *disp. 7. quæst. 5. par. 1. de irregul. num. 6.*

An Cardinales, & Capitulum Sede vacante possint dispensare in irregularitatibus?

BRACTEA XXXVI.

R. Collegium Cardinalium absolutè, & quoad omnes cõsideratum non posse dispensare in irregularitatibus. Ratio est, quia nullo iure illis reperitur concessa talis facultas tum etiam quia, vt sic consideratum nullam habet iurisdictionem ordinariam, nec subditos: in ordine verò ad electionem Pontificis, probabile esse habere potestatem dispensandi. Ratio est, quia potest intercedere causa rationabilis dispensandi, & quod expediat talem personam eligi, etiamsi irregularis; Ergo conueniens fuit, vt esset potestas in Collegio Cardinalium dispensandi in irregularitate, & patet, quia hoc ipso, quod datur facultas ad actum principalem, datur etiam ad accessoriũ, qui ad illum ordinatur, & cum Collegio data sit facultas ad eligendum Papam, ergo etiam ad tollendum quodcumque impedimentum, quod solo iure humano contractum sit.

R. 2. Capitulum Sede vacante non succedere in potestate dispensandi in irregularitatibus. Ratio est, quia tantum est concessa Episcopis priuatiuè, quoad alios omnes. Ita Filliucius *loco cit. num. 276.* & alij.



An

An Abbates possint dispensare in irregularitate prouenienti ex delicto occulto?

BRACTEA XXXVII.

R. Superiores Abbates posse dispensare super quacunque irregularitate, & suspensione ex delicto occulto contracto, homicidio voluntario, & hæresi exceptis iuxta formā Conc. Tridentini *sess.24.cap.6.* Episcopis concessam, cum fratribus, & personis sibi subditis dispensare. Ita concessit Gregorius Decimus Tertius, anno Domini 1574. Generalibus, & Abbatibus Congregationis S. Bernardi Hispaniæ, vt refertur in eius compendio priuilegiorum *verbo absolutio quod fratres* §. 11. & similiter in nostris priuilegij *verbo dispensatio* §. 4.

MALLEATIO XXV.

De Excommunicatione quatenus est impedimentum ad recipiendos ordines, vel susceptos exercendos.

Quid, & quotuplex sit excommunicatio?

BRACTEA I.

Sciendum excommunicationem significare extra communionem, & quod per ipsam fidelis separetur à communione fidelium, & à participatione Sacramentorum, quæ quidē alio nomine appellari solet Anathema, & alijs etiam nominibus appellatur, vt v.g. mors, medicina, mucro Episcopi, virga ferrea, neruus Ecclesiasticæ disciplinæ.

Sciendum 2. Excommunicationem diuidi in maiorem, & minorem. Maior est, quę à communione fidelium simpliciter separat fidelem a communione fidelium, & participatione fidelium, &c. minor, quæ à communione fidelium separat, secundum quid, videlicet secundum vsum passiuum, seu perceptionem passiuam Sacramentorum tantum, sicut habetur *in cap. si quem de excommunic.* ex quo colligitur nomen excommunicationis esse Analogum attributionis; ideoque si absolutè ponatur, accipiendum esse pro principali, seù maiori excommunicatione, sicut expressè habetur *cap. si quem*. Quibus positis.

R. Quod excommunicatio est censura ecclesiastica priuans hominem communione fidelium. Dicitur censura loco generis. Secundò priuans hominem, &c. loco differentiæ, cū per hoc differat excommunicatio ab alijs censuris.

Sciendum 3. Excommunicationem maiorem diuidi in iure, & ab homine. Secundò ex parte eorum, quibus infligitur, diuiditur in generalem, & specialem. Tertiò, ex parte formę diuiditur in comminatoriam, seù ferendæ sententiæ, & excommunicationem ipso facto, seù latæ sententiæ. Quartò, ex parte modi quo fertur diuiditur in iustam, & iniustam, validam, & inualidam. Quinto, ex parte potestatis absoluendi diuiditur in excommunicationem reseruatam, & non reseruatam.

Sciendum 4. Inter fideles triplicem principaliter communionem esse. Prima est spiritualis merè interna, vt communicatio in gratia, & charitate, per quam sibi inuicem communicant fideles meritò, quoad impetrationem à Deo spiritualium beneficiorum. Secunda, excommunicatio ciuilis, quæ consistit in externa conuersatione, videlicet in contractibus, colloquijs, &c. Tertia ex parte externa, vt participatio Sacramentorum, vsus sacrificij, & communiter in alijs officijs, & rebus sacris, partim interna, & mixta, vt participatio suffragiorum Ecclesiæ, applicatio orationum communionum ad impetrandum à Deo aliquod beneficium.

Sciendum 5. Ecclesiam nec velle, nec posse quemquam priuare communicatione bonorum merè interna, quæ per fidem ac charitatem est, nec etiam priuare fructū orationum, & satisfactionum, quas alij proprio nomine, & priuata intentione ipsi applicant. Et ratio est, quia cum huiusmodi actiones, seù opera pia, cuiusque operantis propria sint, ideò ad liberam ipsius applicationem, & non ad Ecclesiæ dispensationem spectant. Quapropter nemo prohibetur pro excommunicatis, etiam non toleratis, priuatim Deum orare, & licet sacerdoti non liceat sacrificium Missæ, vel Ecclesiasticum aliquod officium, quatenus id publicum est, facere pro excommunicatis non toleratis, potest tamen pro ijsdem, sicuti pro alijs hominibus, priuata intentione Deo offerre actionem sacrificandi, vel horas canonicas recitandi, quatenus est opus proprium operantis, & ex ratione satisfactorium, vel etiam ex congruo impetratorium. Ita Nauar. *cap. 27. num. 36.* Siluester *verbo excommunicatio 1, nu. 2.* Auila *par. 7. cap. 6. disp. 4.* & alij, & ideo potest sacerdos pro excommunicatis etiam non toleratis orare in memento, & offerre sacrificium, tamquam persona priuata, sicut etiam alij circumstantes pro ijsdem orare possunt, & sacrificium offerre.

Sciendum 6. Ecclesiam ob iustam causam hominem inobedientem, & contumacem per excommunicationem priuare posse communibus suffragijs, & satisfactionibus interdicere vsu, tùm actiuo, tùm passiuo sacramentorum, & sacrificij, quatenus ea ministeria publica, ideòque Ecclesiæ dispensationis à Christo demandata sunt, vt proinde ea indignis prohibere possit.

Sciendò, Ecclesiam inobedienti, & contumaci interdicere etiam posse externam fideliū societatem. Ratio, quia sicut quæuis Respub. potestatem habet subditū rebellem à reliquorum consortio excludendi: ita & Ecclesia, quæ perfectissima, & ad supernaturalem finem ordinata Respublica est, subditos sibi inobedientes à reliquorum consortio potest separare, ne alios morbi contagione inficiant, tum etiam, vt ipsi tanto magis pudefacti citius resipiscant, & curentur. Ita Layman *tract. 5. par. 2. cap. 1. de excommunicatione num. 4. & 5.*

An

An excommunicatus contritus priuetur suffragijs Ecclesiæ si nondum sit absolutus?

BRACTEA II.

R. Cvm Reginaldo *lib.32. num.13.* Valent. *tom. 14. disp. 7. quæst.17. p.8.* Nauar. *cap.25. n. 18.* Sayrus *lib.2. cap.4. num.5.* Auila *part.1. cap.7. disp.4. dub.2.* Excommunicatum per pœnitentiam diuinæ gratiæ restitutum non priuari fructu sacrificij Missæ. Ratio est, quia sacrificium Missæ habent effectum tantum in ijs, qui per fidem, & charitatem Christo vniuntur, vt docet S. Th. *par.3. quæst.79.ar.7.* & sicut excommunicatus non ob excommunicationem, sed propter peccatum, propter quòd incurrit in censuram priuatur charitate: ita etiam priuatur fructu sacrificij per peccatum, & omnis qui in charitate est participat eo fructu, quantumcumque sit excommunicatus, vt supradictum est, & docet Couar. *cap. alma mater par.1. §.6. nu. 2.* & ideò cum excommunicatus contritus sit diuinæ gratiæ restitutus, ideò non priuatur fructu sacrificij Missæ, aliorumque suffragiorum merè internorum.

Contrariam sententiam sequuntur Sotus *in 4. dist.22. quæst.1. art.1.* Vasquez *tom. 4. in 3. partem dub.2. tract. de excommunicatione* Suarez *disp.9. sect.9. num.2.* & alij plures, qui existimant excommunicatum contritum, etiamsi sit diuinæ gratiæ restitutus, priuari omnibus suffragijs Ecclesiæ Ratio illorum est, quia excommunicatus, vel contritus, semper remanet excommunicatus, quoad vsque obsoluatur, & ideò priuari omnibus suffragijs Ecclesiæ. Sed nostra opinio est probabilior, quia, vt supra diximus, excommunicationem non priuare fide, & charitate, & per consequens non priuare fructu sacrificij, & intantum priuare solum fructu sacrificij, inquantum est annexa culpæ mortali, quæ immediatè, & per se priuat fide, & charitate, & per consequens fructu sacrificij. Secus verò dicendum de alijs suffragijs.

An excommunicatus toleratus priuetur omnibus Ecclesiæ suffragijs?

BRACTEA III.

R. Excommvnicatvm toleratum, siuè etiã occultè excommunicatum priuari omnibus Ecclesiæ suffragijs. Ita plures citati apud Bonacinam *quæst.2. de excommunicatione* §. 1. Ratio est, quia antiquitus hi etiam erant priuati ex communi sententia, neque enim erat distinctio de publico, & occulto, de tolerato, & vitando, & Ecclesia etiam, iure nouo, excludit omnes excommunicatos ab eiusmodi suffragiis.

Sciendum occultè excommunicatum, siuè excommunicatum toleratum illum dici, qui nondum est denunciatus publicè per sententiam, vel non est notorius Clerici percussor: Excommunicatum publicum vitandum, & nõ toleratum eum dici, qui est nominatim denunciatus excommunicatus. Ita Siluest. *verbo excommunicatio 5. num.24.* Couar. *cap. alma mater par.1. §. 6.* Nauar. *cap.27. num.35.* & alij.

Sciendum 2. denunciationem fieri debere per Iudicem competentem, vt quis sit excommunicatus vitandus. Secundò debere fieri in loco publico, vt in Ecclesia, tempore maioris Missæ, aut apponendo schedulam in loco publico, iuxta morem loci, & regionis. Ita Suarez *disp.9. sect.2. num. 8.* Filliucius *tract. 13. cap.4. quæsit.6.* & alij. Tertiò, requiri vt excommunicatus non appellauerit à declaratione excommunicationis, vel à denunciatione: nam facta appellatione, non est vitandus. In istis casibus solummodo dicitur, quis excommunicatus vitandus, idest quando est denunciatus talis in loco publico per Iudicem competentem, & quod non appellauerit ab excommunicatione: alioquin erit toleratus, & per consequens cum his possumus in diuinis communicare, ac pro ipsis orare, etiamsi excommunicati sint, cum ex intentione Ecclesiæ non sint à communibus suffragijs exclusi. Ita Nauar. *cap.27. num. 36.*

Sciendum 3. publicum Clerici percussorem esse excommunicatum vitandum, & non toleratum, modo sit notorius notorietate facti, pro cuius intelligentia aduertendum, posse aliquem dici notorium Clerici percussorem dupliciter. Primo notorietate iuris, vt quando quis confessus est in iudicio Clericum percussisse, aut quando fama constat ipsum percussisse Clericum. Secundo notorietate facti, vt quando quis percussit Clericum in præsentia multorum, ita vt percussionem nequeat vlla tergiuersatione celare. Quod verò testes requirantur ad constituendum factum notoriũ notorietate facti. Respondeò relinquendum esse iudicio prudentis, quia idem numerus nõ potest esse, nec requiritur respectu omnium, cum respectu maioris cõmunitatis maior numerus requiratur, quam respectu paruæ communitatis. Et ita Menoch. *de arbitrarijs lib.2. centur.2. casu 166. num.7.* & alij. Hinc sequitur delictum commissum coram decem non esse notorium respectu magnæ communitatis, quamuis sit notorium respectu vicinis, aut parui loci. Hoc posito. Dico non esse excommunicatum vitandum, percussorem Clerici publicum notorietate iuris, sed solum illum esse vitandum, qui notorietate facti est publicus Clerici percussor, quando percussionem vlla tergiuersatione celare nequit; quia si potest eam tergiuersatione celare, non dicitur excommunicatus vitandus, vt quando percutiens se excusat dicendo Clericum percussisse, vt se defenderet; vel quia nesciebat illum esse Clericũ, quia habitum non ferebat, vel ioco percussisse, &c. Ex quibus sequitur non teneri euitare eum, qui coram me percussit Clericum eo tempore, quo tot non aderant testes, qui sufficiãt ad faciendum delictum notorium. Ratio est; quia factum illud, quamuis certum sit, & mihi notum, non appellatur tamen absolutè notorium.

An iniustè excommunicatus priuetur communibus Ecclesiæ suffragijs?

BRACTEA IV.

R. Cvm distinctione, vel est iniustè excommunicatus ex defectu legitimæ causæ, vel iuridici ordinis substantialis, vel est iniustè excommunicatus ex defectu ordinis iuridici acci-

accidentalis. Si primo modo non videtur priuatus communibus suffragijs: si verò secundo modo, videtur priuatus suffragijs. Ratio est, quia licet talis excommunicatio sit iniusta, modo secundo fulminata est tamen valida, & ideo suos habebit effectus, inter quos præcipuus est priuatio suffragiorum, tum etiam, quia Ecclesia habet talem pro verè excommunicato, & quamuis sit iniusta, est tamen valida, & quamdiù talis non absoluitur, tamdiu illum habet Ecclesia pro excommunicato, atq; ab eo subtrahit communia suffragia. Ita Filliucius *tract.12.cap.2. de censur. num.41. & 42.*

An excommunicatus priuetur participatione Sacramentorum?

BRACTEA V.

R. Excommvnicatvm maiori excommunicatione priuatum esse participatione passiua Sacramentorum. Ita *ex cap. si celebrat. de Cleric. excommunicato, & ex cap. cum illorum de sententia excommunicat.* Et ita communiter omnes Doctores, ita vt excommunicatus percipiendo Sacramenta sacrilegium committat, & peccet mortaliter, etiamsi sit excommunicatus toleratus. Ratio est, quia suscipiendo Sacramenta facit contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui, nisi excusetur ob ignorantiam, vel necessitatem, vel ob euitandam infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, quod alia ratione non potest vitare, cum in isto casu subueniat lex naturalis de fama, vitaque seruanda, & Ecclesia non obligat cum præiudicio iuris naturalis. Ita Filliucius *loco cit. num.56.* & alij.

An excommunicatus recipiens Sacramenta validè ea recipiat?

BRACTEA VI.

R. Validè, sed illicitè recipere omnia sacramenta, quoad substantiam, præter sacramentum Penitentiæ. Ratio est, quia in receptione horum sacramẽtorum adsunt omnia requisita ad validitatem sacramenti, nimirum materia, forma, & intentio. Ergo, &c. Dixi validè percipere sacramenta, quoad substantias, quia si loquamur de effectu sacramẽti, certum est ipsum ab excõmunicato nõsuscipi, cum excõmunicatus priuetur participatione actiua, & passiua sacramentorum, & participatione passiua suffragiorum. Dixi secundò, præter sacramentum Penitentiæ, quia si interueniat peccatum mortale, (quod in excommunicatione iusta præsumitur) in receptione penitentiæ non recipi secundum substantiam, cum tale sacramentum sit irritum, & nullum, si verò nullum interueniat peccatum mortale in receptione sacramenti penitentię, vel quia sit iniustè excommunicatus, vel quia excusetur ob ignorantiam, vel ob aliam causam, vt supradictum est, tunc validè censetur recipere sacramentum pœnitentiæ, & habebit suum effectum, nimirum remissionem peccatorum. Ratio est, quia per excommunicationem nihil tollitur, quod sit de substantia sacramenti, neq; ipse est incapax, cum censura tantum sit vinculum, quod habet adiunctum preceptum nõ recipiendi sacramenta, consequenter tantum reddit receptionem illicitam, non autem inualidam: si ergo sit aliqua causa excusans a peccato, & transgressione præcepti, valida, & licita, quoad substantiam, & effectum, erit receptio Sacramenti Pœnitentiæ.

An excommunicatus priuetur actiua Sacramentorum?

BRACTEA VII.

R. Primo non esse licitum excommunicato vitando administrare Sacramenta. Ratio est, quia excommunicatio priuat participatione actiua, & passiua Sacramentorum, quod tamẽ cum limitatione est intelligendum, quia in extrema necessitate, mortisq; articulo, cum alius non est minister, poterit ministrare Sacramentum Baptismi, & Penitentiæ, & etiam potest esse casus, in quo Sacerdos excommunicatus Sanctam Eucharistiam, vel Extremam vnctionem morituris, qui aliud Sacramentum suscipere nequeunt, ministrare liceat, vt notauit Nauar. *cap.22. num.4.* Suarez *disp.11. sect.1. num.17.* Auila *par.2. cap.6 disp.3. dub.3.*

Sciendum, quod licet excommunicatus sine necessitatis causa, atque adeò temerè, ac mala fide, nihilominus validè administrat Sacramẽta. Quippè quorum substantia vis, & valor propria materia forma, atque intentione Ministri secundum institutionem Christi perficitur, neque illa Ecclesia mutare potest, sed solùm ordinare, quæ ad accidentalem, magisque conuenientem Sacramentorum administrationem spectat.

Verùm tamen à tali doctrina excipi debet Sacramentum pœnitentiæ, cum enim ad eius administrationem non tantùm potestas ordinis requiratur, sed etiam iurisdictio, quæ à Prelatis Ecclesiæ Confessarijs confertur, & propter censuram excommunicationis eisdem aufertur, sequitur absolutionem irritam esse, quę fit à Sacerdote excommunicato vitando, excepto tamen (vt dictum est) casu necessitatis. Et ita Henriquez *lib.13. cap.10. num.2.* Vasquez *tract. de excommunicatione dub.4.* & alij communiter. Vnde sequitur & confessionem factam excommunicato vitando scienter irritam esse, & iterandam & præterea exprimendum nouum peccatum, quod commisit participando cum excommunicato vitando.

Sciendum 2. confessionem factam excommunicato vitãdo inualidam esse, etiamsi penitens ignoraret ipsum esse excommunicatum. Ratio est, quia deest iurisdictio, quæ requiritur ad validam absolutionem, modò tamen confessio non fuerit facta in articulo mortis, quia tunc censetur valida, etiamsi scienter fuerit facta excommunicato vitando ob hæresim, vel ob aliud delictum. Secundo, modo etiam confessio non fuerit facta in eo loco, in quo Sacerdos ignorabatur excommunicatus, & ex communi errore, ac titulo colorato habebatur pro legitimo Sacerdote, quia tunc ius supplet iurisdictionem,

dictionem, vt quando excommunicatus in vno loco iuit ad alium remotum, & ibi obtinuit beneficium curatum, ideóque publicè expositus est confessionibus audiendis, quia tunc confessio erit valida.

R. 2. Sacramenta administrata ab excommunicato tolerato valida esse. Ratio est, quia per excommunicationem occultam non priuatur iurisdictione administrandi Sacramẽta, & ideò validum esse matrimonium, cui assistit Parochus excommunicatus toleratus. Secundò validum esse Sacramentum pœnitentiæ administratum ab excommunicato tolerato. Ita Sayrus *lib.2.cap.2.num.*8. Henriquez *lib.* 13.*cap.* 6.*num.*3.& alij.

An Sacerdos administrans Sacramenta excommunicato peccet, & incurrat aliquam pœnam?


BRACTEA VIII.

R. Primo Sacerdotem non peccare administrantem Sacramenta excommunicato tolerato, seù occulto, ex *solo cap. violationis censuræ*, sed ex alijs capitibus posse peccare. Ratio primæ partis est, quia nulla extat prohibitio Ecclesiæ, qua Sacerdos prohibeatur Sacramenta administrare excõmunicato tolerato: quod verò possit peccare ex alijs capitibus; patet, quia iure Diuino naturali tenetur Minister nõ ministrare Sacramenta indignis: & excommunicatus semper est indignus, quia peccat mortaliter recipiens in excommunicatione; ergo etiam Minister dando peccaret.

R. 2. Mortaliter peccare Sacerdotem administrãdo Sacramenta excommunicatis vitãdis, & probatur ex *cap. Episcoporum de priuileg. in* 6. *cap. Significaui, cap. Cum desideres de sententia excommunicat.* quæ omnia id prohibent, & est peccatum mortale, quia materia grauis, & in specie sacrilegij. Ita Vgolinus *cap.*7.§.1. Suarez *disp.*10.*sect.*2.

Sciendum administrantem Sacramenta excommunicato vitãdo excusari à peccato mortali in duobus casibus. Primus, est ex parte administrantis, si id non faciat voluntariè, vel quia cogatur, vel ignoret, quia tunc non peccaret contra Ecclesiæ prohibitionem. Secundus, est ex parte recipientis, si nimirùm excusetur recipiens ob aliquam necessitatem, vt vitandæ mortis, vel grauis mali.

R. 3. Ministrantem Sacramenta scienter excommunicato vitando præter mortale peccatum, etiam incurrere excommunicationem minorem. Secundò interdici ab ingressu Ecclesiæ. ex *cap. Episcoporum de priuileg. in* 6. Qui tamen assisteret matrimonio excommunicati vitandi, nullam incurreret pœnam, cum non sit Minister huius Sacramẽti, incurreret tamen excommunicationem minorem, quia participaret cum excommunicato, & in humanis, & in Diuinis.



An petens Sacramenta ab excommunicato peccet?

BRACTEA IX.

R. Petentem Sacramenta ab excommunicato tolerato non peccare mortaliter, etiamsi scienter petat, & etiamsi excommunicatus sit proprius Parochus, siuè alius Sacerdos, siuè sit paratus administrare, siuè non, siuè adsit necessitas, siuè non adsit. Ita Sanchez *de matrimonio lib.*7.*disput.*9.*num.*8. Sotus *in* 4.*distinct.*22. *quæst.*1.*art.* 4. & alij. Ratio est, quia Concilium Constant. cum tradat fidelibus facultatem cõmunicandi cum excommunicato tolerato, videtur concedere facultatem administrandi Sacramenta petentibus absque peccato; & per consequens non peccare petentem Sacramenta ab excommunicato tolerato, tum etiam quia petens vtitur iure suo petendo.

R. 2. Petentem Sacramenta ab excommunicato vitando extra necessitatem peccare mortaliter. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia petendo Sacramenta ab excommunicato vitando absque causa, facit contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui: posita verò iusta causa, aut necessitate non peccat. Ratio est, quia in casu necessitatis, cessat præceptum Ecclesiæ, & Ecclesia non obligat cum graui incommodo.

An excommunicatus priuetur rebus sacris?

BRACTEA X.

R. Ecclesiam priuare excommunicatum communibus suis precibus, ita vt ipsum ijs interesse prohibeat; adeò vt excommunicatus peccet mortaliter, si vel Missæ, vel Diuinis interfit officijs, vel in Ecclesia cum alijs oret, siuè dicendo, siuè audiendo, quod vtrumque est participare in Diuinis, aut etiam manendo extra Ecclesiam, sed ad eam tàm propriè accedendo, vt Diuina Officia, quæ in ea celebrantur, audiat, vt docet D. Antoninus 3. *par. tit.*24. *cap.*5. Angelus *verbo excommunicatio vlt. num.* 4. Siluester *verbo excommunicatio* 3.*num.*1. Caietanus *verbo excommunicatio cap.vlt.* & alij. Ratio est, quia sic habetur *cap.vlt.de sententia excommunicationis in* 6. tum etiam quia quilibet excommunicatus generaliter priuatur communione, & participatione in Diuinis; ergo, &c.

Sciendum suprascripta intelligẽda esse cum quadam moderatione, quia si audiret Diuina Officia, sed sine animo participãdi in Diuinis, vt si propè Ecclesiam domum habeat, vnde audire possit, non peccat audiendo. Secundò posse excommunicatum audire concionem, ex *cap. Respons. de sententia excommunicat.* sed nequit concionari, neque publicè docere, vt Sotus habet *in* 4.*dist.*22.*qu.*1.*a.*4. Vbi & damnat ipsum id agẽdo, non peccare tamẽ mortaliter, si non sit excommunicatus vitandus. Tertio posse ingredi in Ecclesiam ad orandum priuatim, modò in ea tunc non celebrentur Diuina Officia, licet aliqui in eadem priuatim precentur. Ratio est, quia non censetur participare in oratione publica, vt si simul Missam audiret cum alijs, Horas Canonicas, &c. Quarto non modò posse

posse in Ecclesiâ priuatim orare, sed etiam persoluere Horas Canonicas, ad quas priuatim recitandas si sacris initiatus sit, tenetur, dummodo eas solus recitet. Quintò, posse intrare Ecclesiam absque peccato, etiam dum Diuina Officia celebrantur, si id faciat, non vt intersit illis, sed propter aliquod negotium, vel vt ibi latitet, persequentes, &c. fugiat, vel vt transeat, etiamsi transeundo flectat genua, & oret priuata oratione. Ita Caietanus *verbo exercitatio vltimo.*

Sciendum 2. officium Missæ multis modis esse excommunicato prohibitum. Primò, eius oblatio pro ipso prohibita est. Secundò, ipsa celebratio tamquam ministratio, & confectio Sacramenti est prohibita, sicut etiam cooperatio ad illud per dationem eleemosynæ. Tertiò, celebratio Missæ coram excommunicato vitando prohibita est, sicut etiam prohibita coassistentia cum excommunicato vitando in codē officio, etiam est prohibita fidelibus non excommunicatis, quia esset communicare cum illo in Diuinis, quia qui assistunt vni, eidemque Missæ communicant simul, & cum Sacerdote.

Sciendum 3. audientes Missam cum excommunicato vitando peccare mortaliter. Ratio est, quia participans in Diuinis cum excommunicato vitando grauiter peccat, & audientes Missam cum ipso, dicuntur participare in Diuinis cum excommunicato vitando; ergo, &c. Secundò, qui interest Missæ, aut celebrat, dum ibidem adest excommunicatus toleratus, non peccat prosequendo Missam. Ratio est, quia nullus tenetur excommunicatum toleratū euitare; vt patet ex Cōcilio Constant. si verò adest excommunicatus vitandus; admonendus est, vt exeat, & si nolit exire, vi compelli potest, & si Clericus sit, neque incurritur excommunicatus ob eius expulsionem. Ratio est, quia talis vis non dicitur iniuriosa, cum sit defensio Ecclesiasticæ immunitatis, & ex iusta causa infertur: si Missa verò sit inchoata, non est absoluenda, sed prætermittenda; si tamen cęptus nō est canon, sed si cęptus, sed non consecratio ab ijs verbis. Qui pridie quàm pateretur, &c. aliqui negant posse omitti, quia præceptum perficiendi Sacrificium præualet. Sotus *dist. 22. quæst. 1. art. 4.* Alij affirmant. Ratio, quia Missa essentialiter incipit à consecratione. Quare ante illam potest dici nō esse essentialiter inchoatam, & si quoad præceptum, & ceremonias etiam ante consequenter præceptum de vitando excommunicato præualebit præcepto perficiendi accidentaliter. Quartò, si consecratio cępta sit, Missa est perficienda vsque ad sumptionem inclusiuè, & consumptionem, quia tunc præceptum hoc, quod est Diuinum, præualet humano de vitādo excommunicato. Quintò, post cōmunio, & aliæ orationes omittendæ in Ecclesia, & recedendum ab Altari, & complendæ sunt in Sacristia. Sextò, alij omnes, præter Sacerdotem, & Ministrum exire debent, & relinquere excommunicatum in Ecclesia, si nolit exire, sed assistere Missæ: si enim tantùm in Ecclesia maneat, possent alij Missam audire, aut eo perseuerante in assistentia ad officium Missæ possent alij remanere in Ecclesia, modò non assistant eidem Missę. Septimò, si eodem tempore plures Missæ dicantur in Ecclesia, possunt alij (præsente excommunicato vni earum) audire alias, quia sic non communicant. Nauar. *de oratione notab 22. n. 8.* & alij: vnde tria prohibentur. Primùm audire Missam excommunicati. Secundùm dicere illam coram excommunicato. Tertiùm interesse sacris cum excommunicato. Ratio est, quia qui ad idem Sacrificium coniunguntur, vniuntur quodammodo in eodem Sacrificio.

R. 1. Prohibitum etiam esse excommunicatis interesse Processionibus, Orationibus publicis, &c. si sit Clericus, ne alicui ex his ministret ex officio in aliquo ordine. Et ita communiter omnes. Et ratio est, quia omnes istæ sunt actiones sacræ, & excommunicato prohibitum est his interesse. Laicis autem excommunicatis etiam prohibitum est huiusmodi officijs cooperari, quia esset communicare in Diuinis, & peccarent etiam mortaliter, licet minus grauiter quam Clerici ministrantes in his ex officio.

De pœnis, quæ incurruntur ab excommunicato participando in Diuinis?

BRACTEA XI.

R. Primo, excommunicatum ob Missę auditionem nullam incurrere pœnam, seu irregularitatem. Ratio est, quia nulla pœna est in iure expressa.

Sciendo Sacerdotem excommunicatum, qui sua auctoritate est causa vt Missa, aliavè Diuina Officia coram se celebrentur incurrere irregularitatem, iuxta communem Doctorum sententiā *in cap. Tanta de excess. Prælat.* & *cap. illud de Cleric. excommunicat. ministr.* Ratio est, quia talis æquiparatur illi, qui se ingerit celebrationi Missæ, cum sit excommunicatus, & ei, qui celebrat. Quare cum is, qui celebrat in excommunicatione, incurrat irregularitatem, etiam incurret illam is, qui auctor est: secus dicendum est, quando ille, qui auctor est celebrationis, nō est Sacerdos, quia tunc non valet supradicta ratio, quia cum ipse nequeat celebrare, consequenter non dicitur per alium celebrare: ad incurrendam igitur prædictam irregularitatē, requiritur, vt ille, qui præcepit coram se celebrari, sit Sacerdos, & excommunicatus, & iubeat corā se celebrari. Secundò excommunicatum à celebrante admonitum, vt exeat incurrere nouam excommunicationem, si nolit exire Papæ reseruatam. *cap. eos de sententia excommunicationis.*

R. 2. Celebrantem coram excommunicato vitando incurrere tantùm excommunicationem minorem, & non irregularitatem, cum talis pœna non sit in iure expressa. Et ratio est, quia talis non violat directè censuram, cum ipse non sit excommunicatus, sed tantùm celebret coram excommunicato.

R. 3. Clericos excommunicatos ministrantes in ordinibus sacris incurrere irregularitatem: si tamen ministrant solùm in ordinibus minoribus non incurrere irregularitatem. Ita Toletus *lib. 2. cap. 64. num. 4.* & alij plures. Ratio est, quia actus minorum ordinum exercentur ex consuetudine à Laicis, etiam cum solemnitate. Ergo, &c.

R. 4. Abbates, & Episcopos exercendo actus

sui ordinis, in excommunicationem incurrere irregularitatem, & est expressum *in cap. si Episcopus*: vnde incurrunt, si conferant minores ordines, aut Ecclesiasticas vestes in excõmunicatione benedicant, secundo, si Sacramentũ Confirmationis ministret. Tertio, si Altare cõsecrent, aut Ecclesiam, aut vasa sacra. Quarto, si vestimenta sacra, Abbates, Virgines, &c. Quinto, si benedicant populum solenniter, premisso versiculo, *Sit nomen Domini benedictum.* Sexto, si alium consecrent Episcopum, conficiant Chrisma, degradent Clericos, &c. incurrent irregularitatem: secus verò si actus puræ iurisdictionis exerceant: si enim simul esset actus ordinis, vt si absoluerent à censura solenniter, &c.

An excommunicatus priuetur sepultura Ecclesiastica?

BRACTEA XII.

R. EXCOMMVNICATVM priuari Ecclesiastica sepultura. Ita communiter omnes.

Sciendum nomine excommunicati intelligi tàm eum, qui à iure, quàm eum, qui ab homine fuerit excommunicatus, quia par est vtriusque excommunicationis vis separandi à communione fidelium. Secundò, nomine sacri, qui requiritur ad Ecclesiasticam sepulturam, intelligi non modò Ecclesiam, aut cœmeterium consecratum, sed etiam locum ad eam, vel ad alia Diuina Officia destinatum auctoritate Episcopi *ex cap. finali de consecratione Ecclesiæ, vel altar.* Tertiò, si excommunicatus iam sit sepultus in loco sacro, is debet exhumari, quando ab aliorum corporibus distingui potest. Ratio est, quia excommunicatus priuatur communione in spiritualibus, ergo etiam priuatur Ecclesiastica sepultura, qua defunctus dicitur aliqua ratione cum fidelibus communicare. Ita Suarez *disput. 11. sect. 4 num. 2.* Nauar. *cap. 27. num. 23.* Henriquez *lib. 13. cap. 7. num. 2.* Vgolinus *2 de censuris cap 9. §. 5.* Coninchus *disp. 14. dub. 8. num. 59.* & alij.

Sciendum 2. Ecclesiasticam sepulturam non esse excommunicato denegandam, etiam notorio, ac denunciato, qui in foro pœnitentiali absolutus fuit in articulo mortis. *ex cap. finali de de sepulturis.* Ratio est, quia per absolutionem sublata est excommunicatio, & per consequens in loco sacro potest sepeliri, imò si absolutus in loco prophano sepultus sit, exhumabitur, & in loco sacro sepelietur. Similiter excommunicatum toleratum admitti posse ad Ecclesiasticam sepulturam. Secundò, si ossa excommunicati discerni, nequeant illa esse in eodem loco sacro relinquenda. *ex cap. Sacris de sepulturis.*

R. 2. Sepelientem excommunicatum vitandum in loco sacro grauiter peccare, etiamsi signa dederit contritionis. Ratio est, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui.

Sciendum 3. sepelientem excommunicatum vitandũ in loco sacro non modò peccare mortaliter, sed etiam incurrere maiorem excommunicationem, à qua non potest absolui, donec satisfactionem dederit ad arbitrium Episcopi. Ita Auila *par. 2. cap. 6. disp. 10. dub. 6.* Reginald. *lib. 32. num. 16.* Filliuc. *tract. 11. cap. 4. n. 105.* & alij.

An excommunicatus sit inhabilis ad beneficium Ecclesiasticum?

BRACTEA XIII.

R. EXCOMMVNICATVM inhabilem esse ad beneficium Ecclesiasticum accipiendum. Quare præsentatio, vel collatio illius, item institutio confirmatio, ipso iure est irrita, vt patet ex *cap. Postulastis, & cap. vlt. de Cleric. excommunicat.* Ita Suarez *tom. 5. disput. 13 sect. 1.* Henriquez *lib. 13 cap. 4. num. 4.* Sayrus *lib. 4. cap. 5 num. 5.* Coninchus *disput. 14 dub 9* Reginaldus *lib. 32. num 43.* & alij: etiamsi excommunicatus sit toleratus, aut suam ignoret excommunicationem, vt docet Henriquez *lib. 13. cap. 3 num. 3* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 117.* Couarruuias *cap. Alma §. 7. par. 1 num 3.* Suarez *disput. 13 sect. 1 num. 3.* Auila *par. 2 cap. 6. disput. 5 dub. 2.* Ratio, quia licet ignorantia obligationis, aut præcepti reddat aliquem à culpa immunem, non tamen ignorantia contracti impedimenti, siue inhabilitatis aliquem habilem reddere potest, tum etiam quia Ecclesiasticum beneficium datur propter officium. *cap. Cum secundum de prebendis, & cap. vlt. de rescript. in 6.* & excommunicatus etiam suam ignorans excommunicationem suspensus est ab officio, & priuatus illo, quia inhabilis, & ideo collatio illi facta, irrita est, & inualida.

Sciendum non modò esse irritam beneficij collationem excommunicato factam, sed etiã collationem vniuscumque officij Ecclesiastici, vel sæcularis habẽtis annexam iurisdictionem. Ita Vgolinus *cap 13. §. 3.* Reginaldus *lib. 32 num. 28.* Sayrus *lib. 2. cap. 5 num. 36.* Auila *2 par. cap. 6. disp. 6. dub. 7.* Ratio est, quia vsus iurisdictionis est in ordine ad aliũ, & excommunicatus ab aliorum communione separatur: tum etiam quia prohibito vno, prohibitum etiam censetur id, per quod ad illud peruenitur: cum ergo sit excommunicato prohibitum actus dignitatis exercere, videtur etiam prohibitum ad dignitatem peruenire: quod tamen debet in omnibus casibus limitari. Primus est, quando Summus Pontifex confert dignitatem alicui, quem sit irretitum esse excommunicatione, quia tunc talis collatio censetur valida, eò quod Summus Põtifex præsumatur cum eo dispensare. Secundus est, quando aliquis ex testamento, vel ab intestato acquirit aliquod dominium temporale, cui annexa est iurisdictio, & dignitas. Ratio est, quia iura non irritant acquisitionem dominij temporalis, consequenter nec irritant iurisdictionem illi annexam, quamuis excommunicatus nequeat pro tempore excommunicationis actus iurisdictionis exercere.

An pensio possit conferri excommunicato?

BRACTEA XIV.

SCIENDVM pensionem triplicem esse. Vna est spiritualis, quæ in spirituali titulo fundatur, siuè ob spirituale ministerium confertur, v. g. concionatori, &c. Altera est pensio temporalis, seu Laica, quæ in temporali titulo fundata est, siuè propter temporale aliquod obsequium designata, Laicis etiam potest per-

sonis

sionis competere. Tertia demq; est pensio mixta, quæ licet ob spirituale ministerium non cōfertur, statum tamen Clericalem requirit, & plerumque loco beneficij datur Clerico. V. g. resignanti, permutanti, lite cedenti, sustentationem sufficientē non habente. Quare cum nihil affinitatis cum Ecclesiastico beneficio gerat, atque iisdem fermè modis, quibus beneficium, amitti solet. Quibus positis.

R. Excommunicatum omninò esse pensionis spiritualis incapacem. Ratio est, quia sicuti beneficium: ita & pensio hæc, propter spirituale officium datur, & cum excommunicatus officium præstare non possit; idcircò sicut pro tali tempore est inhabilis ad beneficium, ita & ad pensionem.

R. 2. Pensionem temporalem, seu Laicam excommunicato conferri posse, quia à spiritualis beneficij natura plurimum recedit, ac potiùs stipendium censetur, quam mera pensio.

R. 3. Pensionem mixtam collatam Clerico excommunicato inualidam esse. Ita Reginaldus *lib. 32. num.* 43. Gigas *de pensionibus quest.* 14. Couar. *cap. Alma par.* 1. §. 7 *num.* 2. Suarez *disp.* 13. *sect.* 1. *num.* 7. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 3. & alij plures. Ratio est, quia sicut excommunicatus incapax est beneficiorum: ita & pensionis titulo Clericali datæ; tum quia obtinenti pensionem à Summo Pontifice concedi solet absolutio censurarum ad hunc effectum, vt capax sit pensionis, ergo signum est excommunicatum incapacem esse pensionis; licet plures contrariam teneant opinionem, nimirùm excommunicatum capacem esse pensionis titulo Clericali collatæ propter declarationem Cardinalium *super sess.* 14. Concilij Tridentini *cap.* 7. incapacitatem homicidæ ad beneficia extendendam non esse ad pensiones, quæ verba intelligi non posse videntur de pensione merè spirituali, quæ ob spirituale officium confertur, cuius excommunicatus est incapax, sed de omni alia pēsione, quę ob aliam causam seu Laico, seu Clerico designatur, quorum opinio etiam probabilis videtur.

An excommunicatus possit percipere fructus beneficij collati?

BRACTEA XIV.

SCIENDVM Clericum per excommunicationis censuram, ipso facto excidere titulo, & possessione beneficij ante aquisiti; quāuis si excommunicatus per annum in excommunicatione sordescat, beneficijs suis priuari possit, secundum Gloss. & Innocent. *in cap. Cum bona de atate, & qualitate*, Siluest. *verbo excommunicatio* 3. *num.* 1. & alios. Quare ad ordinarium spectabit examinare vtrum crimen beneficij priuationē mereatur, nec ne. His positis.

R. Excommunicatum esse priuatū fructibus suorum beneficiorum. Ita Vgolinus *tab.* 2. *cap.* 12. Suarez *disput.* 13. *sess.* 2. ex *cap. Pastoralis. §. Verum de appellat.* ijs verbis *Illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Quæ verba continent dispositionem Ecclesiæ, & priuationem fructuum ipso iure; tum etiam quia beneficium, & fructus ipsius datur propter officium, sicuti merces propter opus: at excommunicatus est priuatus officio; ergo etiam fructibus beneficij.

Sciendum 2. excommunicatum non facere in conscientia fructus suos, ideòque etiam absq; sententia teneri illos restituere, vel curare eorum condonationem à sacra pœnitentiaria, nisi consuetudo alicubi contrarium induxisset, quod scilicet excōmunicati fructus non amittant. Ex Rebuffo, & Vgolino citati à Filliucio *tract.* 12. *de censuris num.* 129. licet plures teneant opinionem contrariam, quæ etiam probabilis videtur, nimirùm beneficiatum non priuari fructibus beneficij, nisi post sententiam.

R. 2. omnibus ijs fructibus esse priuatum excommunicatum, qui nomine Ecclesiasticorum prouentuum comprehenduntur, quod probatur ex *cap. Pastoralis §. verum de appellat.* Vbi simpliciter sermo est de Ecclesiasticis prouentibus, vt sunt annexi spirituali titulo, aut procedunt ex proprijs bonis Ecclesiæ, vt fructus beneficij ipsius, fructus præbendæ, oblationes, & fructus decimarum.

Sciendum 3. excommunicatum non esse priuatum fructibus beneficij; perceptis ante excommunicationem, vel debitis pro eo tempore. Secundò esse priuatum distributionibus quotidianis, quia est priuatus omnibus officijs, pro quibus illæ dantur; tum etiam quia nomine prouentus Ecclesiæ.

R. 3. (Vt dictum est) excommunicatum esse priuatum administratione Ecclesiastica rerum temporalium, cum sit illi prohibita conuersatio externa, & per consequens administratio rerum temporalium Ecclesiæ.

Sciendum 4. quod licet excommunicatus nō possit licitè se immiscere in negotijs rerum tēporalium suæ Ecclesiæ, valere tamen facta ab eo, si sint simplicis facti, vt est receptio censuū, & redditum beneficij, cura colligendorum fructuum, solutio debitorū Ecclesiæ, &c. Quod si aliquid faciat, quod in præiudicium Ecclesiæ resultet, non valet, præsertim si vitandus sit. Ita Filliucius *tract.* 12 *de censuris cap.* 5. *nu.* 135.

R. 4. Iniustè excommunicatum, qui ob iniustam excommunicationem non potest adesse Choro, nec suum præstare officium, videtur posse percipere fructus, & distributiones. Ita Henriquez *lib.* 13. *cap.* 13. *num.* 4. Emanuel Sà *verbo beneficium num.* 48. Moneta *de distribut. par.* 2. *quæst.* 15. & alij. Ratio est, quia cum priuatio fructuum, & distributionum sit pœna, non videtur subeunda ab eo, qui non est in culpa. *cap. Sicut dignum de homicid.*

De quibus alendus sit beneficiatus pauper, dum est in excommunicatione?

BRACTEA XV.

RALENDVM esse de fructibus beneficij, dummodo non sit contumax, sed penitens, & quærens absolutionem, & ideo Iudex potest illi applicare fructus beneficij, & ipse etiam propria auctoritate potest sibi ex huiusmodi fructibus succurrere. Ita Nauar. *cap.* 27. *num.* 21. Siluest. *verbo excommunicatio* 3. *num.* 1. & alij. Quod si contumax sit, non tenetur superior, aut Iudex beneficiatum pauperem alere, dummodo non extremè egeat. Ita Couar. 3. *var. cap.* 13. *n.* 8.

 & alij.

& alij. Ratio est, quia totum id meretur excommunicatus in suę pænam contumacię, & ipsi tribuitur, si mendicare cogatur, & nec ipse excommunicatus potest sibi ex huiusmodi fructibus succurrere, quia id esset contra iustam Ecclesiæ voluntatem, cuius bona nemo potest propria auctoritate vsurpare.

R. 2. ex fructibus beneficij prouidendum esse ministris, quos requirit Ecclesiæ seruitium *cap. peruenit. 2. de appellat.* & *cap. cum ad hoc Cleric. non residente.* Item soluenda est pensio, & quodcumq; aliud subsidium auctoritate superiorum impositum. Cœteri autem fructus impendendi in Ecclesiæ vtilitatem, ad quam beneficium pertinet, siue in pauperes, & loca pia.

An excommunicatus possit repetere fructus, & distributiones post absolutionem?

BRACTEA XVI.

R. Iniustè excommunicatum posse, postquam constiterit de iniusta excommunicatione repetere distributiones, quæ tempore censuræ fuerunt alijs canonicis choro assistentibus collatę, nam canonici acquisiuere tantũ ius imperfectum, ac reuocabile, quod etiam dicendum est de fructibus, qui cognita excommunicationis iniustitia repeti possunt ab eo, qui eos tenet, eosque nondum bona fide consumpsit, aut si eos bona fide consumpsit, id in quo est ditior, & locupletior factus: si verò in nihilo sit ditior factus, repetendi sunt à Iudice, qui si non seruato iuris ordine, aut mala fide excommunicauit, illos in conscientia tenetur restituere ratione iniustæ actionis: secus si bona fide, & seruato iuris ordine.

An si quis legitimè ad beneficium electus fuit, postea verò in excommunicationem elapsus, validè illud acceptet?

BRACTEA XVII.

R. Cum Couarruuia 3. *variar. resolut. cap. 16.* & *cap. Alma mater part. 1. §. 7. num. 4.* Auila *par. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 6.* Vasquez *tract. de excommunicatione dub. 6. num. 9.* Flamin. Parisien. *de resignatione lib. 10. quæst. 8. num. 39.* & alij, acceptationem validam esse. Ratio est, quia iura solum irritant collationem, electionemque beneficij, non autem acceptationem. Ergo acceptatio valida est, tum etiam, quia Canonicus excommunicatus validè potest optare præbendam meliorem, vt ait Vgolin. *tab. 2. cap. 13. §. 2. num. 15.* & Sayrus *lib. 2. cap. ibid. num. 13.* & alij. Ergo etiam excommunicatus validè acceptat beneficium.

Sciendum dubium esse an beneficium retineri possit ab cui facta est collatio tempore excommunicationis, qui obtenta excommunicationis absolutione beneficij collationem postea acceptauit. Ad quod respondeo collationem fuisse inualidam, quia collatio beneficij facta fuit excommunicato, & per consequens beneficium retineri non potest: Ita Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 119.* & alii, communiter. Et ita colligitur *ex cap. Postulastis,* etiamsi sit excommunicatus toleratus, etiamsi collatio facta sit motu proprio, quia quamuis motus proprius multa operetur ad tollendam surreptionem, non inducit tamen dispensationem aliquam, neque tollit vitium, quod quis patitur, & ex quo impeditur obtinere id, quod illi confertur nisi Summus Pontifex non ignarus impedimenti, quod quis habet scienter ei beneficium motu proprio conferat, quia tunc censetur tacita quadam dispensatione huiusmodi impedimẽtum tollere, tum etiam, quia collatio facta excommunicato non habet titulum, & beneficium retineri non potest sine titulo, licet sententia contraria, etiam probabilis videatur, nimirum validam esse collationem factam tẽpore excommunicationis, sed acceptatam post absolutionem, modo tempore acceptationis electores in prima perseuerauerint voluntate conferendi beneficium, & ita plures Doctores.

An excommunicatus possit conferre beneficia Ecclesiastica?

BRACTEA XVIII.

R. Excommunicatum non posse Ecclesiastica beneficia conferre. Ita Paludanus *in 4. dist. 18. quæst. 4.* Couar. *cap. Alma mater part. 1. §. 7. num. 9.* Vgolin. *tab. 2. cap. 11. §. 2. num. 2.* & alij.

Sciendum hoc habere locum in omni excõmunicato, quod non possit Ecclesiastica conferre beneficia, quia in omnibus eadem est ratio, & perconsequens eadem iuris dispositio, ita vt quilibet talis, neque per se, neque per suum Vicarium, aut alium possit beneficium conferre habeturq; pro intruso ille, qui per eiusmodi collationem beneficium acquisiuit.

Sciendum 2. hoc non procedere, quoad excommunicatum toleratum, nam talis, vt sacramẽta, sic, & beneficia potest ex ipsa Ecclesiæ toleratione validè conferre, & sicut ab eo, etiamsi excommunicato possumus petere nobis conferre sacramenta: ita & nobis conferre beneficia, quandoquidem Ecclesia relinquit liberam cum eo communionem in licitis, perindè ac cum non excommunicato.

Sciendum 3. non modo excommunicatum non posse conferre beneficia, sed neque eligere, neque electum confirmare, non posse præsentare, siuè ipse sit Patronus Clericus, siuè etiam Patronus laicus, licet quidam dicant præsentationem à laico factam validam esse, cum non præsentet ex officio, sicut Clericus, sed tamquam administrans aliquid pertinens ad suum patrimonium, nec posse etiam instituere præsentatum, nec posse censuras ferre, neque ab eis absoluere, quod D. Antonin. 3. *par. titulo 24. cap. 76.* probat ex *cap. Audiuimus 24. quæst. 1.* nec posse excommunicatum iudicare, ex Paludan. *in 4. dist. 18. quæst. 4.* siuè sit Iudex ordinarius, siuè delegatus, aut subdelegatus, siuè Iudex publicus, siuè priuatus, qui arbiter dicitur, quando per consensum partium litigantium eligitur, vt Iudicis partes suscipiat, & per suam sententiam liti finem imponat, procedens seruato ordine iudiciario. Arbitrator verò dicitur, quando eligitur non vt Iudex super rem litigatam, sed vt amicus, qui inter partes amicè componat, ac quid cuique competat, definiat.

niat. Similiter excommunicatum, nec accusare, nec testificare posse, nec in iudicijs agere, nec patrocinari posse, quod intelligendum est, non tantum in Aduocato, sed etiam in Procuratore, & nullos potest exercere actus publicos, quales sunt Aduocatorum, & Procuratorum, sed & Tabellionum, ac etiam tutorũ. Ita Armilla *verbo excommunicatio num. 9.* Quamuis hęc ita sint tamen ex *cap. intelleximus de Iudicijs*, potest excommunicatus in ius vocari, quia alioquin sua malitia ei prodesset. Item ex *cap. in fidei fauorem de Haret. in 6.* conceditur, vt in negotio inquisitionis aduersus Hęreticos excommunicati ferant testimonium.

De eo, quod agendum est, vt beneficium acquisitum in excommunicatione, tuta possit conscientia retineri?

BRACTEA XIX.

R. Si is, qui habet beneficium in excommunicatione acquisitum ostendat hanc esse inualidam, poterit beneficium retinere, illiusque fructibus gaudere. Ratio est, quia excommunicatio inualida sine effectu est, vt docet Couar. *cap. Alma mater. par. 1. §. 7. num. 5.* ac proinde beneficij acquisitionem non impedit. Si verò aduertit irritam esse beneficij collationem, quia illam valida excommunicatione recepit, tenetur etiam post obtentam absolutionem curare, vt noua collatione ei validetur beneficij titulus. Ita Paludan. *in 4. dist. 18. qu. 4.* Siluest. *verbo excommunicatio 3. num. 1.* Ratio est, quia collatio nulla fuit, & non firmatur temporis tractu, quod de iure initio non subsistit. Vnde talis tenetur, & beneficium acceptum relinquere, & fructus perceptos restituere. Et ita Nauar. *cap. 27. num. 21.*

Sciendum, quod si per absolutionem datam ab eo, cui de iure competit, sublata sit excõmunicatio, proprius Episcopus poterit titulum beneficij reualidare. Et ita Couar. *cap. cit. num. 8.* & Vgolin. *tab. 2. de censur cap. 13. §. 1. num. 3.* Et probant, quia vbi dispensatio à iure permittitur, nec quis dispenset declaratur, Episcopis dispẽsandi potestas permissa esse existimatur. Argumento *cap. nuper de sententia excommunicat.*

Sciendum 2. quod hæc doctrina aliquas patitur exceptiones. Prima est, cum ipsemet Episcopus scienter beneficium contulit excõmunicato, quia tunc non censetur dignus talem habere potestatem, sicut nec etiam quando simoniacè contulit beneficium Argomento *cap. præsentium 1. quæst. 5.* Secunda exceptio est, cũ collatio facta fuit per Papam, quia ex eo, quod Papa manum apposuit, alius quod deest non potest supplere. Argumento *cap. cum in distribuendis de temp. ordinat.* ex quõ habetur à Papa ordinatum in inferiori ordine, non posse ad superiorem ordinem promoueri, sine eiusdem Papæ licentia. Cum verò collatio facta fuerit per Prelatum Episcopo inferiorem potest tunc Episcopus ipse dispensare, perinde, ac si fuisset per ipsum facta, nec obstat, quod nequeat tale beneficium conferre, sicut nec id obstat, quamuis suam interponat auctoritatem permutationi beneficiorum ad aliorum collationem spectantium *cap. quæsitum de rerum permut.* Et ita Panormitanus *cap. cit. num. 9.* Tertia exceptio est, si Romanus Pontifex dispensationem eiusmodi reseruaret alteri, quam proprio Episcopo, *cap. graue de prebendis* & *cap. cum illorum de sententia excommunicationis.*

Sciendum 3. quod beneficiatus, qui in excõmunicatione valida recepit beneficium, dum curat obtinere dispensationem, & reuelationem tituli, potest tamquam depositarius fructus retinere illos cõseruando, vt patet à simili in eo, qui rem detinet alienam posse illam retinere, donec verò Dominum cognoscat, vt possit illam ei restituere, vel remissionem obtinere.

Sciendum 4. eum, qui beneficium Ecclesiasticum iniustè, nec canonicè habet, teneri quidem statim illud resignare in manu eius, à quo conferri potest, fructusque perceptos restituere, vt docet D. Antonin. Verum si subsit causa, qua non possit dimittere beneficium, quia titulo talis beneficij initiatus est sacro ordine, aut non potest ipsum dimittere, nisi cum scandalo, & vt detegat culpam occultam, potest interim illud retinere, quandiù debitam diligentiam adhibet ad impetrandam dispensationem, & reuelationem, fructusq; diligenter custodire, aut in Ecclesię vtilitatem expendere, aut etiam tantum sibi sumere, de cõcilio Confessarij, quantum sibi necessarium est ad vitam, ne opprimatur egestate.

Sciendum 5. habens beneficium non canonicè ob excommunicationem, ne in vitio intrusionis maneat, officium eidem beneficio annexum non debet per se præstare, sed per Vicarium ab Episcopo designatum, nisi fortè ad tempus sit periculum scandali, cui cedit ius Ecclesiasticum priuans excommunicatum vsu sacramentorum, publiciq; officij.

An excommunicatio priuet excommunicatum iurisdictione Ecclesiastica?

BRACTEA XX.

R. Quemlibet excommunicatum esse priuatum vsu iurisdictionis. Et ita communiter omnes. Et patet ex *cap. audiuimus 24. quæst. 1.* vbi dicitur excommunicatum non posse alterum excommunicare, & *cap. fin. de cohabit. Cleric.* Vbi Clericus concubinarius dicitur, quoad se, suspensus officij, licet non sit denunciatus, & *cap. final. de Cleric. excommunicat. ministran.* dicitur excommunicatus priuatus vsu iurisdictionis. Ratio est, quia suspẽsus non potest exercere ea, quæ sunt iurisdictionis, vt communiter dicitur *cap. cum Dilectus de consuet.* qui autem est excommunicatus, est etiam suspensus ab officio, hoc est, non potest licitè suum officium exercere, quia iurisdictio non exercetur sine hominum communione, excommunicatus autem ea priuatus est. Ergo, &c.

R. 2. quod licet excommunicatus sit priuatus vsu iurisdictionis quoad se, & in fauorem proprium, in fauorem tamen aliorum, si ab iis requisitus sit, & non sit vitandus, non est priuatus, ita vt licitè vti possit sua iurisdictione, Ratio est, quia cum alij possint cum tali excommunicato participare, & petere, ea quæ pertinent ad officium suum, debent etiam licitè posse

tè posse petere, quia quod sine peccato fieri non potest, absolutè, & moraliter non dicitur posse fieri, quod si ipsi licitè petunt etiam superiorem requisiti, licitè poterunt suam iurisdictionem exercere ad fauorem ipsorum: alioquin frustrarentur alij suo fauore, & iure posset negari exercitium iurisdictionis.

R 3. Gesta per excommunicatum ratione publici officij inualida esse. Ratio est, quia Ecclesia eo ipso, quo non tolerat huiusmodi excommunicatum, priuat vsu iurisdictionis propriæ. Ita *cap. ad probandum de re iudicata cap. de supplend. defectu Prælat. in 6. & cap. audiuimus distinct. 24. quæst. 1.*

Sciendum quod licet excommunicatus priuetur vsu iurisdictionis propriæ, non tamen priuari vsu iurisdictionis non propriæ: ideò Parochum excommunicatum validè assistere matrimonio, & validè concedere alteri sacerdoti facultatem assistendi, sicut etiam matrimonium celebratum ab excommunicato vitando, validum est. Et ratio est, quia actus contrahendi matrimonium, non est actus iurisdictionis, sed est actus à contrahente factus, tamquam à persona particulari: actus autem, & gesta ab excommunicato vitando tamquam a persona particulari facta, sunt valida, excepto tamen testamento facto ab eo, qui fuit excommunicatus ob hæresim, vel ab eo, qui fuit excommunicatus ob percussionem Cardinaliũ. *cap. felicis in 6.* Ita Nauarr. *cap. 27. num. 36.* Auila *2. part. disp. 6. cap. 6. dub. 6.* & alij communiter.

R. 4. Gesta per excommunicatum toleratum valida esse, etiamsi pertineant ad iurisdictionẽ propriam. Ita Nauar. *loco citato num. 21.* Auila *loco citato dub. 3.* Suarez *disp. 14. sect. 1. num. 8.* Henriquez *lib. 13. cap. 8.* Filliucius *de censur. cap. 6. nu. 144.* Ratio est, quia dum quis publicum exercet officium, quamuis defectum occultum habeat, acta tamen illius valida sunt ex eiusdem Reipub. interpretatione, & concessione; tum etiã quia Ecclesiastica tolerat huiusmodi excommunicatum in suis officijs, & permittit fidelibus cum eo communicare in rebus sacris. Ergo signum est excommunicatum toleratum habere iurisdictionem, & consequenter gesta per ipsum esse valida.

R. 5. Excommunicatum peccare mortaliter exercendo actus iurisdictionis, siue vitandus sit, siuè non, & admitti exceptionem contra ipsum ad elidendum iurisdictionis actum ab ipso dum censura detinetur factum, & ideò sententiam latam à Iudice excommunicato tolerato validam esse, donec contra eum excipiatur, & valida est excommunicatio lata à Prælato excommunicato tolerato, secùs verò si lata sit ab excommunicato vitando, quia vsu iurisdictionis caret, & etiam excommunicatum toleratum validè alteri concedere facultatem administrandi sacramentum pęnitentiæ Similiter electionem, præsentationem, vel collationem beneficij factam ab excommunicato tolerato validam esse, etiamsi ille, cui fit collatio sciat collatorem esse excommunicatum toleratum.

An excommunicato Episcopo possit Vicarius exercere iurisdictionem, quam accepit ab Episcopo ante ipsius excommunicationem?

BRACTEA XXI.

R. Negatiue. Et ita Auila *2. part. cap. 6. disp. 6. dub. 4.* Suarez *tom. 5. disp. 15. sect. 2. n. 4.* Reginald. *lib. 1. num. 47.* & alij. Ratio est, quia censetur vna persona, & vna iurisdictio, quæ si sit in principali sublata, etiam tollitur in eius ministro, cum sit vnum, & idem tribunal, Vicarij Generalis, & Episcopi, nec detur appellatio à Vicario Generali ad Episcopum: Vndè suspensa iurisdictione Episcopi per excommunicationem, aut ea sublata per eius mortem, remanet etiam suspensa, vel sublata auctoritas Vicarij, quamuis res anteà esset incepta, nisi Vicarius generalis aliundè haberet iurisdictionem.

An excommunicato priuet excommunicatum conuersatione humana?

BRACTEA XXII.

R. Prohibitum esse excommunicato, etiam tolerato communicare cum alijs fidelibus, *cap. cum desideres 15. cap. à nobis 28. cap. sicut 39. cap. si coniunctione 55. de sent. excommun. cap. nulli 8.* Ita communiter Doctores. Et ratio est, quia excommunicatio priuat subiectum excommunicatum qualibet communione cum fideli, nec distinguitur de qua, atque vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Sciendum, quod licet excommunicatus vi censuræ per se priuetur communione fidelium tamen per accidens, exempli gratia ratione necessitatis fieri posse, vt excommunicatus nõ peccet communicando cum fidelibus, sicut etiam non peccat fidelis communicando cum excommunicato tolerato, quando ipse excommunicatus sponte non sese ingerit in conuersatione, sed ab ipsis inuitatur, & prouocatur. Ratio est, quia in concilio constant: concessũ est fidelibus priuilegium communicandi cum excommunicatis toleratis, quo priuilegio non possent vti, nisi etiam ipsi excommunicati tolerati excusarentur à peccato, participando cum ipsis fidelibus.

Sciendum 2. plures esse casus, in quibus excommunicatus conuersando cum alijs fidelibus non peccat. Primus est cum conuersatur procurando suam absolutionem apud Superiorem, quia Ecclesia illi non negat conuersationem, per quam à contumacia exeat. Secundus est, quando probabiliter ignorat se esse excommunicatum, talis enim ignorantia, vt à peccato sic à pęna peccati excusat. Tertius est, cum præmitur necessitate excusante, qualis est famis, cum scilicet non habet vnde viuat, ita vt ab alijs petere, & accipere debeat victum, aut quando morbo præmitur, ideoq; indiget medicinis, & medici opera, aut cum vocatus est in ius, & respondere cogitur. Ratio est,

tio est, quia necessitas facit licitum id, quod non est lege licitum.

R. 2. Prohibitum esse fidelibus communicare cum excommunicato vitando, non autem cũ tolerato. Et patet ex Concilio constant. Vbi concessum est fidelibus priuilegium communicandi cum excommunicatis toleratis, non autem cum vitandis.

Sciendum 3. nomine fidelium, cum quibus prohibetur communicare excõmunicatus vitandus, comprahenduntur omnes baptizati, etiam excommunicati, ipsique hæretici, quod ex communi sententia tradit suarez *disput.* 15. *sect.* 2. *num.* 12. & licet, qui fidem quam in baptismo professi sunt abiecerunt, non sint vera & simpliciter dicta Ecclesiæ membra, quod tamen attinet ad subiectionem, non minus, quã alia ad Ecclesiam spectant, neque enim conuenit, vt Ecclesia propter ipsorum delictum iurisdictionem in eos amittat, ne ex propria iniquitate commodum ferant.

Quo peccato peccent fideles participando cum excommunicato vitando?

BRACTEA XXIII.

R. Communicando in rebus ciuilibus, & in actionibus humanis peccare tantummodo venialiter. Ita Nauar. *cap.* 27. *nu.* 29. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 8. Vasquez *de excommun. dub.* 7. *num.* 8. Sayrus *lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 20. Ratio est, quia huiusmodi communicatio censetur materia leuis.

Sciendum dubium esse an ex pluribus peccatis venialibus, contractis per participationem cum excommunicato vitando possit fieri peccatum mortale. Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia peccatum quod est veniale ex imperfectione actus mortalis, nimirum ex imperfectione materiæ fieri mortale superaddita materia, vt in isto casu, in quo multitudo actuum communicationis, simul sumpti constituunt materiam notabilem. Ergo peccata venialia contracta communicando cum excommunicato vitando possunt fieri mortalia.

Sciendum 2. præter peccatum mortale participando cum excommunicato vitando, incurrere etiam excommunicationem minorem. Et ita vniuersaliter omnes.

An liceat agere cum excommunicato pro contractibus, qui præcesserunt excommunicationem?

BRACTEA XXIV.

R. Si excommunicatus sit debitor, licet creditori communicare cum eo, ad suũ debitum petendum, etiamsi debitor sit excommunicatus vitandus. Ratio est, quia excommunicatio debitoris non priuat creditorem suo iure, & commodo.

R. 2. Si excommunicatus sit creditor, non priuatur suo iure per excommunicationem, licet sit priuatus actione petendi debitum in iudicio, non est tamen illi prohibitum priuatim petere debitum à suo debitore.

Sciendum non licere contractus celebrare cum excommunicato vitando. Ratio est, quia prohibita est participatio cum excommunicato, excepto in casibus infra dicendis, validos esse tamen contractus, si fiant cum excommunicato vitando. Ita communiter Canonistæ, *cap. si vere de sententia excommunicat. & cap. Veritatis de dolo, & contum*; Ratio est, quia contractus sunt de iure gentium, at Ecclesia non tollit per excommunicationem, quæ sunt valida iure gentium, sed solum pertinentia ad ius humanum positiuum, & ideo valere donationes venditiones, locationes factas ab excommunicato, & votum etiam, cum sit contractus cum Deo factus; Vnde professio facta ab excommunicato valet.

Sciendum 2. in tribus casibus contractus ab excommunicato celebratos nullos esse. Primus quando virtute rescripti supplentis aliquem defectum fit contractus, quia tunc rescriptum non prodest excommunicato. Secundus, si fieret promissio de contractu faciendo durante excommunicatione. Tertius si fiat à persona publica Ecclesiastica, vi potestatis, quam habeat ex suo munere, aut beneficio, quia enim per excommunicationem hęc iurisdictio suspensa est, ideò tunc contractus esset nullus.

An Testamentum possit fieri ab excommunicato?

BRACTEA XXV.

R. Testamentum non posse licitè fieri ab excommunicato ob communicationem ipsi prohibitam, si tamen fiat valet. Ratio est, quia nulla est lex irritans testamenta excommunicati, vel voluntatem testatoris: Testamentum autem habet vim ex testatoris voluntate.

R. 2. Illicitum esse Tabellioni, & testibus interesse testamento excommunicati, quia hoc esset participare in re prohibita.

Sciendum quod si Testator institueret hæredem excommunicatum peccaret ex generali prohibitione, valida tamen esset institutio, quia, vt excommunicatio non priuat dominio presenti, ita nec futuro.

In quibus casibus prohibitum sit participare cum excommunicato vitando?

BRACTEA XXVI.

R. Prohibitum esse participare cum excõmunicato vitando in quinque casibus, qui hoc versiculo comprahenduntur,

Os orare, vale communio mensa negatur.

Os significat prohiberi locutionem cum excommunicato, quod habetur *ex cap. sicut Apostoli*, & *ex cap. à nobis* & *ex cap. de exceptionibus*, & *ex cap. nuper. de sententia excommunic.* Et ita communiter omnes Doctores.

Significat præterea proposita vox prohiberi osculum pacis secundum D. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 1. & omnia alia signa pacis, vt sunt amplexus, &c.

Tertiò, significat eadem vox prohiberi missionem

sionem munerum ad excommunicatum, vel eorundem ab illo susceptionem: idq; siuè excommunicatus illa mittat suo nomine, siuè nomine alterius, siuè etiam ab alio mittantur nomine excommunicati, secundum Palud. *in 4. dist.18. quæst 6. art.2.*

Orate, significat interdictam esse omnem communicationem cum excommunicato in diuinis, ita vt quis non possit missam ab ipso celebratam audire, nec eam coram ipso celebrare, nec etiam simul cum eo diuinis interesse, vt dictum est supra; Vale, significat prohibitum esse salutare excommunicatum iuxtà D. Thom. *in 4. dist.18. qu.2. art.1.* quem alij communiter sequuntur. Quod intelligendum est, siuè salutatio fiat presenti, siue etiam absenti per epistolam, aut nuncium.

Significat secundo prohibitum esse resalutare excommunicatum iuxta Sotum *in 4. disti. 22. quæst.1. ar.4.* etsi liceat dicere illi Deus te illuminet, vel aliquid simile iuxtà Caietanum *in verbo excomm. cap. vlt.*

Tertiò significat propositum verbum prohibitum esse assurgere excommunicato, aut ei nutu reuerentiam exhibere, seù inclinare ad illum quasi resalutando ipsum, etsi nullum verbum dicatur ex Paludan. *in 4. dist.18. artic. 2.* & Nauarr. *Enchirid. cap.27.* & aliis quorum meminit Vgolin. *de cens. tab.2. cap. 23. §. 1. n.10.* Vbi contra sentientes eo quod nihil tale sit in iure enpressum, sic reijcit quia, etsi non est speciatim expressum est tamen generatim, ex quo communio excõmunicati prohibetur per plures canones, & per *cap. cum non ab homine de sententia excommunicationis*; potest tamen eorum sententia ex Nauarro in foro conscientiæ locum habere, si talia signa fiant sine animo salutandi, aut resalutandi, dicendo infra semetipsum Deus te conuertat aut aliud simile.

Per particulam, communio, prohibitum esse communicare cum excommunicato in actibus legitimis, quales sunt iudicare, patrocinari, testificari, & alia huiusmodi. Secundò prohibitum esse contrahere cum excommunicato siuè vendendo, siuè emendo, imò neque cum ipsius famulo, si eius nomine contrahat iuxta Palud. *loco cit.* Quod tamen intelligendum est, nisi necessitas excuset.

Sciendum, quod etsi non liceat cum excommunicato contrahere, factum tamen contractum, etiam cadentem in ipsius vtilitatem valere, vt docet Couar. *ad cap. Alma mater part. 1. §.1. num.9.* & Vgolin. *loco cit. §.1.* quia nullum ius est, quo reddatur irritus, nec vlla est illius prohibitio, quam ea, quæ includitur, in generali prohibitione communicationis cum excommunicato: Vnde nec alia est pœna contrahentium, quam communis cõmunicantium cũ excommunicato in humanis, nempe venialis peccati, minorisque excommunicationis.

Significat præterea prohibitum esse cooperari cum excommunicato, seù facere aliquod opus simul cum eo, itaut alteri non liceat simul cum ipso velle ædificare parietem, vel dotare ligna, vel quadrare lapides, nec etiam cum eo tamquam cum socio facere iter, imò, vt probabile est, nec legere coram eo, nec lectionem audire, eadem enim videtur talis cõmunionis ratio, quæ antedictarum, audire verò concionem cum eo licet, quia in his, quæ ad salutem animæ ipsius, & emendationem faciunt, licita est conuersatio humana.

Vltimò significat prohibitum esse cum excõmunicato mortuo communicare, etiam in humanis, vt v.g. ipsum lauando, aut vestiendo, prout tractat Vgolin. *tab. 2.* quia hæc videtur quædam communicatio. Cum autem non communicamus viuo, nec mortuo communicare debemus, quamquam non sit illicitum in loco profano ipsum sepelire, ne fæteat, & aerem corrumpat, quia hæc videtur fieri titulo necessitatis, quæ iustam præbet excusationis causam, vt infra dicetur.

Mensam, significare prohibitum esse cibi, & potus sumptionem cum excommunicato, vt accidit quando quis alterum inuitat ad cœnam, aut quando aliqui communem, & socialem vitam degunt siuè ijsdem cibis vescantur, siuè vnicuique proprium apponatur obsonium. Ita S.Thom. *in 4. dist.18. quæst.2. art.1. quæstiun.1.* & Palud. *loco cit. art.2.* iuxtà *cap. excommunicatos, & cap. nuper de sententia excommunicationis*, quod intelligitur siuè in propria, siuè in aliena domo fiat sumptio, modo in eadem mensa, ex Siluestro *verbo excommunicatio 5. num.3.* & S. Anton. *3. par. cap. 25. cap.2.* In diuersa autem mensa non est prohibitum comedere, etiam in eadem domo, nisi ab eodem, vterque esset inuitatus, quia hoc esset communicare in eadem conuiuio cum illo. Ita supra citati, ex Caiet. *verbo excommunicatio cap. vlt.* & Nauar. *in Enchir. cap.27. num. 20.* notat etiam Henriq. *in 1. part. suæ summæ lib.13. cap.7. §.3.* in diuersorio vbi, est longa tabula pro mensa, licere comedere separatim in diuersa parte tabulæ, quia moraliter alia mensa reputatur.

Sciendum 2. quod de sumptione cibi dicitur, Intelligendum etiam esse de dormitione, nempè esse prohibitum dormire, simul cum excommunicato in eodem lecto, siuè domus propria sit, siuè aliena, non autem dormire in eadem domo, aut in eodem cubiculo, in diuersis lectulis, dummodo aliter non communicetur.

In quibus casibus licitum sit communicare cum excommunicato?

BRACTEA XXVII.

Licitum esse communicare cum excommunicato in quinque casibus, qui hoc carmine continentur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Per particulam vtile intelligi vtilitatem spiritualem, vt temporalem ipsius participantis cũ excommunicato; aut ipsius excommunicati participantis cum alio, modo vtilitas vera sit, & non ficta, & ideo posse fideles communicare cum excommunicato, dum ex ea communicatione sperant ipsius excommunicati resipiscentiam, & emendationem, & ideò licitum esse consulere excommunicato, vt resipiscat, & ad meliorem sese recipiat frugem, in quo casu consulenti licitum est verbis benignis, & vrbanis excommunicatum salutare, vt caput aperiendo, aut in principio Epistolæ ponendo salutationem consuetam. Ratio est, quia licitum est adhibere media ordinata ad finem, vt sunt signa beneuolentiæ, & vrbanitatis. Ergo licitum ea signa adhibere, tum quia sic habetur

betur *cap. cum voluntate de sententia excommunicationis* Ita Nauar. *cap.27.num.27.* Auila *2. part. cap. 6.* & alij. Licitum etiam esse à Medico excommunicato vitando petere auxilium, & medicinas sicut & licitum est petere priuatim suum creditum à debitore, cum obligatio soluendi debitum sit obligatio iuris naturalis, quæ non tollitur per præceptum Ecclesiæ non participandi cum excommunicato.

Secundo, per particulam lex intelligi ius matrimonij. Ex Paludano *in 4. dist.18. quæst.6. ar.2.* Angelo *verbi excommunicatio 8. num. 7.* & Siluest. *ibidem 5. num.4.* & alij. Ratio, quia matrimonium dicitur lex, eo quod vxor sit sub lege viri, & ideo si enim vnus, vel vterq; coniux excommunicatus sit, nihilominus coniugij debitum, tum petere, tum reddere ipsis licitum erit, quin etiam in rebus alijs omnibus inter se communicare, videlicet in domus gubernatione, mensa, colloquio familiari, sicuti docet Caiet. *verbi excommunicatio cap.81.* Sanchez *lib. 9. de matrimonio disp.14. nu.4.* & colligitur *ex cap. quoniam*, vbi ex ore simpliciter permittitur, vt cum marito excommunicato communicare possit, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, quod etiam locum habet, etiã si matrimonium sit inualidum, dummodo sit bona fide contractum. Item etiam si mulier ei, quem sciuit esse excommunicatum, nupserit. Ratio est, quia ius in hac re loquitur absolutè de vxore, prout obligatur vir ad obsequia præstanda, quod tamen non habet locũ, si excommunicatio lata sit propter, matrimonium ipsum male celebratum. Ex auctoribus citatis. Et D. Antonin. *3. part. tit.25. cap. 1. §. 1.* quia si talem ob causam, etiam in alterum tantum coniugem lata sit excommunicatio, neuter potest cum altero communicare, sicut nec potest in quocumque alio crimine, pro quo excommunicatus sit. Et ita plures apud Sanchez *lib.9. de matrimonio disp.14.num.9.*

Nec item extendi debet hoc priuilegium, vt liceat vxori communicare cum excommunicato, cum quo maritus communicat, imò potius existimandum est contrarium, cum exclusio vnius expresse facta à lege sit inclusio aliorum, nec etiam, secundum multorum Doctorum opinionem, debet hoc priuilegium extendi ad diuina, ita vt licitum sit vxori in diuinis participare cum marito excommunicato vitãdo licet contrarium non careat probabilitate, nec extendi etiam priuilegium hoc quando vxor diuortiũ petit à marito, quoad habitationem, tunc enim nequit cum eo communicare, quia non censetur subiecta viro.

Tertiò, excusat humile, idest humilitas subiectionis, quam habent erga parentes liberi; serui, famuli, villici erga Dominum, Religiosi erga Prælatum, vel Clerici erga Episcopum excommunicatum non toleratum, sicuti constat *ex cap. quoniam* Vbi huiusmodi personis communicatio absolutè permittitur, vt animarum periculum euitetur, Quapropter talis concessio reciprocè est intelligenda, vt etiam pater cum filijs, & Dominus cum seruis excommunicatis non toleratis sine Ecclesiasticæ legis violatione communicare possit.

Sciendum supradictam doctrinam pati, primò exceptionem, vt non possit filius communicare in crimine, pro quo pater excommunicatus est, ex *cap. inter alia*. Secundò, vt non possit communicare, quando id daret illi causam perseuerandi in contumacia sua. Ex *cap. quoniam multos*. Tertiò, vbi periculum esset propriæ subuersionis, vt cum denunciatus esset ob hæresim. Quartò, cum communicatio fuerit in diuinis, talis enim non debetur Patri, quatenus Pater est, Vnde Parochus Patri suo denunciato, aut notoriè Clerici percussore non debet sacramenta administrare, neque coram eo Missam dicere, quod etiam de seruis dicendum est, qui cum dominis excommunicatis non debent communicare in crimine criminoso, & contumacia illius, aut in diuinis, aut cum periculo propriæ subuersionis, quia ratio eadem valet in eis, atque in vxoribus, & filijs.

Sciendum non modo filios legitimos, sed etiam adoptiuos, & illegitimos posse suo cum Patre excommunicato vitando communicare, non enim fuit expediens filios a Patre separare, cum huiusmodi separatio nequeat fieri sine damno, Nomine filiorum, venire nõ solum filium masculum, sed etiam fęminam, vel illegitimam, vel adoptiuam, imo veniunt etiam alij affines, qui loco filiorum habentur, vt gener, nurus, priuignus, vel priuigna, sicuti nomine Patris, non modo intelligitur verus pater, & immediatus, sed etiam auus, abauus, &c. & locos matris, auia, nouerca, socrus, &c.

An famuli, qui post excommunicationem cœperunt Domino inseruire scienter, & absque necessitate Domino excommunicato possint cum eo communicare?

BRACTEA XXVIII.

Prima sententia est asserentium non posse cum eo participare, si absque necessitate cœperunt inseruire Domino excommunicato: secus verò si cũ necessitate cœperunt Domino inseruire, quæ sentẽtia probabilissima est, sed.

Respondeo contrariam sententiam non carere etiam probabilitate. Ratio est, quia sicut coniuges, qui post excommunicationem contraxere matrimonium cum viro excommunicato vitando, possunt cum eo communicare in humanis, absque culpa, ergo, & serui, qui post excommunicationem Domini cœperunt ipsi inseruire, non peccant cum ipso communicando in humanis, tum etiam, quia Gregorius, *in cap. quoniam multos* absolutè loquitur, & absolutè concedit filijs, seruis, ancillis, &c. facultatem communicandi cum suis Patribus, Dominis, &c. Quare non requiritur talis conditio necessitatis.

An filius spiritualis possit communicare cum Patre excommunicato?

BRACTEA XXIX.

R. Filios spirituales non posse cum Patribus excommunicatis, cum quibus cognationem habent spiritualem, cõmunicare.

Ratio

Ratio est, quia in iure non conceditur talis facultas, tum etiam, quia filius spiritualis non habet necessitatem communicandi in humanis cum Patre spirituali, & ideò non possunt ratione filiationis spiritualis cum Patre excommunicato communicare, poterunt tamen ex aliqua alia causa, nimirum ratione vtilitatis, necessitatis, &c.

An Vassalli possint communicare cum Principibus excommunicatis vitandis?

BRACTEA XXX.

RNegatiue, vt patet ex *cap. Nos Sanctorum 15. quæst. 6* Et ita Henriquez *lib. 13. cap. 7. num. 4.* Vgolinus *cap. 13. §. 9.* Suarez *disput. 15. quæst. 6. & 7.* & alij, licet tamen subditi teneantur ad omnia onera, sicuti antea tenebantur, nimirùm ad solutionem tributorum. Ratio est, quia Princeps per excommunicationem non priuatur dominio temporali, tum etiam quia tributum est quoddam debitum: debitum autem est excommunicato soluendum. Ita Reginaldus *lib. 32. tract. 1. num. 115.*

Quartò excusat participando cum excommunicato vitando res ignorata, dummodo nō sit negligentia crassa, vel affectata.

Sciendum dubium esse, an quando quis ignoratur esse excommunicatus, sicuti licitè cum eo alij communicat: ità etiam licitè ipse excommunicatus possit cum ignorantibus ipsum esse excommunicatum communicare. Quidam dixerūt non peccare excommunicatum occultum ingrediendo Ecclesiam, & cum alijs in Diuinis communicando. Ratio est, quia non debet se prodere, quia peccaret dando scandalū, communis tamen Doctorum sententia est peccare excommunicatum occultum ingrediendo Ecclesiam, & cum alijs communicādo in Diuinis. Ratio, quia occultus perinde, ac manifestus excommunicatus priuatur participatione in Diuinis, & ideò peccat, etsi sit occultus participando, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui, & non participare in Diuinis, non est dare scandalum, sed potiùs bonum exemplum, cum obseruare Superioris mādatum legitimum, sine obligatio iuris Ecclesiastici sit actus virtutis: si verò abstinendo ab aliorum communione excommunicatus occultus contraheret infamiam, ex qua grauissimum nasceretur scandalum, nec tentatis omnibus alijs vijs vllam inueniret, qua illud impedire posset, non teneri tunc abstinere, si cum omni humilitate, firmoque proposito procurandi, & obtinendi quamprimum poterit absolutionem, reiecto omni alio obice, disponeret se ad dignè communicandum. Ratio est, quia cum Ecclesia vtatur excōmunicatione ad continendos in officio, reuocandosq; à vitijs subditos suos non est probabile velle, vt cum grauissimo aliorum scandalo excommunicatus, teneatur ab alio cum communione abstinere.

Sciendum 2. dubium etiam esse, an dubitans alterum esse excommunicatum, teneatur illum euitare. Ad quod respondeo cum distinctione, vel simul dubitat illum esse excommunicatum, ac etiam denunciatum, vel solùm dubitat, an sit denunciatus, certò sciens illum esse excommunicatum. Si priori modo dubitat, non potest, nec debet illum euitare, quia euitando exponeret se periculo faciendi illi iniuriam, & priuandi illum iure suo, cum possit esse, quod non sit excommunicatus. Ita Sanchez *in summa lib. 1. cap. 10. num. 69.* si verò secundo modo dubitat, nimirùm an sit denunciatus, potest, si velit illum euitare, quia cum certò sciat ipsum esse excommunicatum, non tenetur cum eo communicare, nihilominus regulariter loquendo, non tenetur illum euitare, cùm non obligetur euitare, excommunicatum vitandum, de quo dubitat, nisi in subsequentibus casibus. Primus est, quando imminet periculum scandali. Secundus est, quando adest periculum faciendi actum irritum participando cum excommunicato, vt si quis certò sciret Confessarium esse excommunicatum, sed dubitat, an sit vitandus, non teneretur illi confiteri, cum fieri possit, vt sit excommunicatus vitandus, & per consequens inualidè conferat absolutionem ex defectu iurisdictionis. Ita Auila *2. par. cap. 6. disput. 11. dub. 2.* Vnde sequitur teneri euitare illum, qui proprio ore dixit se esse excommunicatum vitandum, cum eius dicto moralem habeat certitudinem de eius excommunicatione, sicut etiā tenetur euitare eum, qui per publicam famam habetur pro excommunicato vitando: secus verò dicendum si non per publicam famam; Confessarium verò non teneri euitare illum, quem solùm in confessione cognouit esse excommunicatum vitandum, cum illud quod scitur per confessionem, est tamquam nesciatur, & per consequens Confessarius nequeat vti scientia in confessione habita ad aliquid faciēdum, vel omittendum extra confessionem, vel cum periculo reuelationis ipsius, vel cum pudore ipsius pœnitentis, vt in casu.

An dubitans esse excommunicatum, teneatur se pro excommunicato gerere?

BRACTEA XXXI.

SCiendum alind esse dubium iuris, & aliud dubium facti. Dubium iuris esse, quando quis dubitat latam esse excommunicationem contra committentes tale delictum. Dubium facti est, quando quis nouit latam esse excommunicationem ob tale delictum, sed dubitat vtrum ipse tale delictum perpetrauerit. Quo posito.

R. 1. In dubio iuris neminem teneri se tamquam excommunicatum gerere, sed debet adhibere diligentiam ad assequendam veritatem, & si ea adhibita dubium perseueret, non tenetur se tamquam excommunicatum gerere. Ita Clauis regia *lib. 1. cap. 13. num. 23.* Rebellus *2. par. lib. 1. sect. 2.* & alij. Ratio est, quia in dubio iuris fauendum est possidenti suam libertatem.

R. 2. In dubio facti neminem teneri se gerere tamquam excommunicatum propter rationem allatam, tum etiam quia in foro externo non iudicaretur excommunicatus; ergo neque iudicandus est in foro conscientiæ: vnde, qui dubitat se Clericum percussisse, non teneri se gerere tamquam excommunicatum, si adhibita diligentia adhuc dubium perseueret, habet enim dubium iuris. Secundò non conferri excommunicatum, contra quem lata est excommunicatio

municatio sub conditione, sed dubitatur an conditio sit adimpleta. Ratio est, quia possessio stat pro illo, & cum conditio sit quid facti, non præsumitur. Tertio, illum haberi pro excommunicato vitando, quem constat fuisse denunciatum, sed dubitatur, an fuerit absolutus. Ita Siluester *verbo excommunicatio 5. num. 26.* Nauarrus *cap. 27. num. 36.* & alij.

Sciendum 2. ad habendam notitiam absolutionis alicuius, requiri moralem certitudinem de ipsa, quia moralis certitudo excludit dubiũ, & purgat periculum peccandi, quæ habetur in istis casibus. Primò, quando multum temporis pertransit, & probabiliter credi potest excommunicatum obtinuisse absolutionem. Secundò, tempore Iubilæi, aut Sacerdoti facultatem habenti circa eam excommunicationem confessum fuisse creditur. Tertiò, quando excommunicatus testatur se esse absolutum, aut quando testis omni acceptione maior id testatur. Quartò, quando communiter habetur pro absoluto.

Per particulam, necesse, significatur licitam esse communicationem cum excommunicato propter necessitatem sustentationis ipsius, & sic colligitur ex *cap. Quoniam multos 11. quæst. 3.* & *cap. Inter alia §. illud autem de sententia excommunicat.* Ratio est, quia necessitas non subijcitur iuri, ex *cap. Quanto de consuetudine*, & ex *cap. 2. de obseruat. ieiuniorum*, & ex *cap. Quod non est de regul. iuris.*

Sciendum 3. intelligendum esse non modò de necessitate sustentationis, quoad ea, quæ ad victum pertinent, sed etiam quoad ea, quæ ad vestitum, & hospitium, ex quibus pendet vitæ sustentatio. Similiter extendi in graui necessitate famæ, aut rei familiaris pereuntis, in quibus licet subuenire, namque ad eam non extenditur prohibitio Ecclesiæ propter rationem allatam. Secundò illam dictionem significare licitum esse alicui cum excommunicato conuersari propter necessitatem sustentationis suæ, vt si quis non possit vitæ necessaria aliunde habere, quam ab excommunicato, posse ab ipso ea recipere, vt patet ex *cap. Quoniam multos circa*, in quo peregrinis, viatoribus, alijsque transeuntibus per terram excommunicatorum datur potestas accipiendi necessaria ab excommunicatis, si nequeant aliunde emere, aut si non habeant, vnde emant, extenditur etiam ad significandum necessitatem vitandi damnum sui patrimonij, vel tuendi statum proprium, in quibus casibus communicãs cum excommunicato excusatur à peccato, nisi sit communicatio in aliquo crimine, aut in Diuinis. Extenditur etiam licitum esse conuersare cum excommunicato propter necessitatem consilij spiritualis. Ita Caietanus *verbo excommunicatio 5.* Paludanus *in 4. quæst. 4. art. 2.* Vltimò excusat à peccato participantes cum excommunicato per vim absolutam, etiãsi communicatio sit in Diuinis, & probatur ex *cap. Sacris de his*, quæ vi, aut metus causa fiunt. Dicitur vis absoluta, quando ille, cui infertur, habet se omninò passiuè; ita vt ad actionem nihil propria voluntate conferat, sed illa actiuè sit tantùm ab externo principio, sicut etiam excusatur, qui per metum grauem communicare cogitur cum excommunicato, quia censetur in graui necessitate existere, nec Ecclesia obligat tanto cum incommodo; licet propter necessitatem, vel metum nequeat aliquis facere, quod sit intrinsecè malum. V. g. metu mortis, aut cruciatuum corporis cum excommunicato participare in peccato mortali, vt in furto, vel in fornicatione. Ita Vasquez *tract. de excommunicatione dub. 7.* & ideo excommunicatus vitandus non potest aliquem in articulo mortis non existentem licitè absoluere, etiamsi per metum grauem cogatur ad absoluendum; nam caret iurisdictione, quam metus non confert, consequenter inualidè absoluere.

An gratiæ, seu rescripta ab excommunicato impetrata sint valida?

BRACTEA XXXII.

R. Regulariter esse inualida, & patet ex *cap. 1. de rescript.* [illegible] quia in litteris Apostolicis inseri solet absolutio ab omnibus censuris ad hunc effectum, vt priuilegia, litteræ, & gratiæ Apostolicæ valeant, excepto casu excommunicationis ob hæresim, excepto etiam casu, quo quis per annum in excommunicatione sordescit ob suspicionem hæresis. Idcirco excommunicatio non irritare, & annullare gratias, & rescripta Apostolica. Persistens vero per annum in excommunicatione ob aliquam causam excusabilem videtur absolutione frui, quia vbi cessat culpa, ibi etiam cessat pœna. Ita Suarez *disput. 17. sect. 1.* Couarruuias *cap. Alma mater 1 par. §. 7.* Nauar. *cap. Ita quorundam de Iudæis.* Filliucius *tract. 12. cap. 9. num. 211.* & alij.

An excommunicatio minor priuet excommunicatum participatione Sacramentorum, &c. vt excommunicatio maior?

BRACTEA XXXIII.

R. Primò excommunicatum excommunicatione minori esse priuatum licita participatione passiua Sacramentorum. Ita communiter Doctores, & patet ex *cap. Si celebrat. de Cleric. excommunicato ministr.* in quo dicitur grauiter peccare eum, qui ligatus minori excommunicatione celebrat. Quare etiã qui alia suscipit Sacramenta peccat, quia quælibet Receptio est materia grauis, quamuis secundùm magis, & minus pro excellentia maiore, vel minore Sacramenti, & ideo non potest excommunicatum recipere Confirmationem, Eucharistiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, imo nec Pœnitentiam licitè sumere potest, nisi prius ab excommunicatione absoluatur.

Sciendum, quod si excommunicatus excommunicatione minori licitè non possit recipere Sacramenta, validè tamen ea recipere, si ea recipiat, præter pœnitentiam. Ratio est, quia Ecclesiastica prohibitio non irritat Sacramenta, si debita materia, & forma à legitimo Ministro applicētur. Dixi præter pœnitentiam, quia si velit absolui prius à peccatis, quàm ab excommunicatione inualidè absoluitur, si scienter id faciat, secus verò si bona fide, & ratio est, quia si sciat se esse excommunicatum, impedire absolutionem à peccatis, & tunc mentietur, & maliciosè illam omittit, & sic fit confessionem nonnisi grauiter sacrilegam, vel interr

retur talem excommunicationem, & tamen vult prius absolui à peccatis, quam ab ipsa, & tunc inualidè fatetur, quia facit contra præceptum Ecclesiæ iubentis neminem debere prius à peccatis absolui, quam ab excommunicatione. Quod si bona fide accedat ex ignorantia probabili iuris, vel facti, & priùs absoluitur à peccatis, quam ab excommunicatione validè absoluitur, quia ignorantia, bónaque fides illum à peccato excusat.

An sicut excommunicatio minor prohibet à licita Sacramentorum susceptione, ita etiam prohibeat ab actiua administratione?

BRACTEA XXXIV.

R. Excommunicationem minorem non priuare excommunicatum licita Sacramentorum administratione, & ideò non grauiter peccare excommunicatum excommunicatione minori administrando Sacramenta. Ita Nauar. *cap.27.n.24.* Filliucius *loco cit. cap.2.n.22.* & alij. Ratio est, quia ex *cap. A nobis* excommunicatio minor priuat tantum participatione passiua Sacramentorum, & administratio non comprehenditur sub nomine participationis passiuæ, & est expressum in *cap Si celebrant.* vbi dicitur participationem prohibitam consistere in sola perceptione, & non in actiuo ministerio, & ideò dico excommunicatum excommunicatione minori administrantem Sacramenta non peccare venialiter contra plures Doctores. Ratio est, quia non facit contra prohibitionem Ecclesiæ.

An excommunicatio minor prohibeat alias communicationes in Diuinis, vel humanis, vt excommunicatio maior?

BRACTEA XXXV.

R. Negatiue, & est communis Doctorum sententia apud Suarez *disput.24.sect.2.num.4.* & colligitur etiam ex *cap. Si celebrat*, vbi dicitur non esse prohibitum eligere, vel ea, quæ iurisdictionis sunt exercere. Quare multò minus erit prohibitũ alijs actibus humanæ cõmunicationis participare, sicut etiã nõ prohibetur cõmunicare in Diuinis, sicut colligitur ex *cap. A nobis*, vbi ponitur particula exclusiua *tantum à participatione Sacramentorum est remotus.* Quare Missam audire, & osculum pacis in ea recipere, licet excommunicato.

An excommunicatus excommunicatione minori celebrando fiat irregularis?

BRACTEA XXXVI.

R. Negatiue. Ratio est, quia irregularitas non incurritur propter solam Sacramenti susceptionem in censura, sed propter indebitam ordinis administrationem: at talis excommunicatus non prohibetur administrare Sacramenta, & facere actus ordinis, sed tantum Sacramenta recipere. Ergo non erit irregularis celebrando, vel administrando Sacramenta.

Sciendum, quod licet non incurrat irregularitatem, cum tamen grauiter peccare ratione receptionis Sacramenti in excommunicatione, eo quod sit illi prohibitum sub mortali, sed tamen nullam ipso iure incurrit pœnam.

Sciendum 2. neque etiam incurrere aliam excommunicationem minorem, vt docet Nauar. *cap.27.nu.25.* licet arbitrio Superioris sit puniendus, vt patet ex *cap. Si celebrat.*

De secundo effectu excommunicationis minoris?

BRACTEA XXXVII.

R. Esse priuatum electione, præsentatione, & collatione beneficij, & Ecclesiasticæ dignitatis, ita vt nequeat eligi, & si eligatur eius electionem esse irritandam. Ita *cap. Si celebrat de Cleric. excommunic. minist.*

Sciẽdum excommunicationẽ minorem, sicuti non priuat actiua Sacramentorum administratione, ita nec priuare actiua electione, aut præsentatione. Ita *cap. Si celebrat citato*, sed solummodo passiua, quamuis ipso facto non sit irrita, sed irritanda per sententiam. Ita Suarez *disp. 24.sect.2.num.21.* Toletus *lib.1.cap.17.* Coninchus *disp.4.dub.17.* & alij.

Sciendum 2. particulam, scienter, referendam esse ad eligentes, non autem ad electum. Ratio est, quia hic etiam si ignoranter ex parte sua eligatur, adhuc tamen eius electio est irritanda, tum quia sicut est priuatus passiua Sacramentorum receptione; ita etiam passiua electione ad beneficia, quia militat in eo eadem ratio.

Sciendum 3. electionem actiuam (vt dictum est) validam esse, vt constat ex *cap. Si celebrat*, quia illi permittitur vsus iurisdictionis: vnde non est irritanda electio facta ab excommunicato excommunicatione minori, quia nullo ex capite est prohibita, non ex parte electi, quia supponimus nullo excommunicationis vinculo esse ligatum, non ex parte eligentis, quia etiamsi essent excommunicati minori excommunicatione, non prohibentur ea, quę sunt iurisdictionis exercere: electio autem actiua est vsus iurisdictionis. An verò peccet, qui scienter eligit excommunicatum excommunicatione minori ad beneficium. Respondeo, quod si excommunicatus est denunciatus grauiter peccare electores ipsum eligendo. Ratio est, quia ante extrauagantem *ad euitanda*, id erat prohibitum directè ex vi censuræ, sed post extrauagantem remanet eadem prohibitio respectu denunciati; ergo, &c. Quare cum sit hodie prohibita communicatio cum tali in electione, & res alioquin grauis sit, culpa etiam grauis esset, si talis eligeretur: secus verò dicendum si talis excommunicatus non esset denunciatus, vt plurimum accidit, quia tunc electores non peccarent ipsum eligendo.

Quo-

Quomodo incurratur excommunicatio minor?

BRACTEA XXXVIII.

SCIENDVM excommunicationem minorem imponi posse non solùm ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale, nempè ob communicationem cum excõmunicato in colloquio, mensa, alijsque humanis, in quibus non cernitur Dei irreuerentia, aut proximi, vel sui læsio notabilis.

Sciendum 2. non aliam excommunicationem minorem esse in vsu, quam à iure, etiamsi possit quoq; ab homine ferri, vt docet Vgolin. *de censuris tab. 3. c. 1.* vbi etiã docet illũ solum posse illam ferre, qui potest ferre excõmunicationẽ maiorem, quia illa vt ista requirit iurisdictionem fori contentiosi, qua quoniam simplex Parochus caret, negandus est eam ferre posse.

Sciẽdum 3. quod licet per plura peccata possit incurri excommunicatio minor, quæ est à iure, vt docet D Antoninus *3 par. tit. 25. cap. 2. §. 1.* & Siluester *verbo excommunicatio 4 n. 2.* vsus tamen Ecclesiæ obtinuit, vt ea non incurratur, nisi ob participationẽ cum excõmunicato maiori excõmunicatione denũciato, aut etiam notorio Clerici percussore ad eos duos casus pœna minoris excommunicationi est restricta in Concilio Constant. sub Martino V. cuius decretum refertur à D. Antonino *in 3. par. tit. 25. cap. 3.* & ideò.

R. Excommunicationem minorem incurri regulariter nunc temporis solùm ob participationem cum excommunicato vitando denunciato, aut cum notorio Clerici percussore. Ita Caietanus *verbo excommunicatio cap. vlt. vers. excommunicatio minor* Nauarrus *in Enchrid. cap. 37. num. 25. & 35.*

Quomodo tollatur excommunicatio minor?

BRACTEA XXXIX.

R. AB excommunicatione minori lata iure posse absoluere non modò Episcopum, sed etiam Parochum, quod Couar. tamquam communem Canonistarum sententiam *in cap. Nuper de sententia excommunicationis*, & *scholasticorum in 4. dist. 18.* proponit *ad cap. Alma mater par. 1. §. 12. num. 6.* Dixi lata iure, quæ si ab homine lata esset (quod tamen non est in vsu) ab ea absoluere posset tantùm is, qui eam tulisset, aut ipsius Successor, vel eius Superior.

Sciendum dubium esse, an Sacerdos approbatus ad audiendas confessiones, qui non est Parochus, possit absoluere excommunicatum ab excommunicatione minori. Ad quod Respondeo posse. Ratio est, quia hic approbatus potest dici proprius Sacerdos per delegatam iurisdictionem. An verò simplex Sacerdos, qui non est ad audiendas confessiones delegatus, qui potest ob facultatem ordinis absoluere à venialibus, possit etiam absoluere à minori excommunicatione. Respondeo non posse. Ratio est, quia licet per potestatem ordinis possit absoluere à peccatis venialibus, non tamen ipsum posse absoluere à minori excommunicatione, cum nullum ius extet, quo probetur talis facultas. Et ita Vgolinus *tab. 3. cap. 4. § 5 num. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 28.* Suarez *tom. 5. disput. 7. quæst. 4. num. 17.* & alij. Licet etiam sit probabilis sententia Nauarri *cap. 27. num. 25.* Toleti *lib. 1. cap. 11.* & aliorum dicentium, quod sicut simplex Sacerdos potest pœnitentem absoluere habentem solùm peccata venialia; ita etiam posse absoluere ab excommunicatione minori. Ratio est, quia habens peccata solùm venialia, sicuti potest se subijcere Sacerdoti simplici, vt ab ipsis absoluatur; ita etiam potest se subijcere, vt absoluatur ab excommunicatione minori, tamen sententia supradicta censetur probabilior.

Quæ forma seruanda sit in absolutione minoris excommunicationis?

BRACTEA XL.

R. DEBERE dari per verba exprimentia absolutionem, & non esse necessarias cæremonias, quæ adhibentur in absolutione excõmunicationis maioris, aliarumvè censurarum. Ita Siluest. *verbo absolutio 3. num. 5.* Suarez *disp. 24. sect. 4.* Filliucius *tract. 13. cap. 7. quæst. 8. numer. 143.* & alij.

R. 2. Absolutionem non debere dari sub cõditione de futuro, vt v. g. dicendo absoluo te, si hoc vel illud præstiteris, quia talis conditio suspendit actum, & illum facit sine effectu: si verò detur casus, vt pœnitens dubitet se maiorem excommunicationem incidisse potest absolui sub conditione, ac forma, quæ communiter solet adhiberi, idest *Absoluo te ab omni vinculo excommunicationis quantum possum, & tu indiges.* Si verò certus sit de excommunicatione minori poteris absolui ijs verbis, absoluo te ab excõmunicatione, aut relaxo tibi excommunicationem, aut alia æquiualentia prolata cum intentione absoluendi.

De eo, qui potest absoluere ab excommunicatione lata à iure?

BRACTEA XLI.

R. AB excommunicatione reseruata iure, nemo potest absoluere, nisi ille, cui facta est reseruatio, nimirum si Papæ, solus Papa, si Episcopo, Episcopus tantum, aut etiam Metropolitanus ipsius, cum appellatum fuerit ad ipsum *ex cap. venerabiles §. 1. de sententia excomm.* Inferiores non posse, nisi gratia speciali, seu gratiosa commissione id fuerit illis concessum siuè ab homine, siuè à iure.

Sciendum ex cõmissione à iure facta in Tridentino *sess. 24. de reformatione cap. 6.* potest Episcopus absoluere ab omnibus excommunicationibus Sedi Apostolicæ reseruatis, cum fuerint occultę, nec ad forum externum deductæ quoscumque sibi in sua Diœcesi subditos per seipsum, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita salutari pœnitentia, id etiam procedere, quoad casus Bullæ Cœnæ Domini vt docet Nauar. *lib. 5. consil. tit de sententia excommunicationis consil. 43.* Ratio est, quia nulla fuisset ratio, cur Concilium specialem mentionem faceret hæresis, quoad eam, suam restringens facul-

facultatem, quę si non extenderetur ad casus reseruatos in Bulla Coenæ Domini, nihil spectaret ad hæresim, quæ primo omnium loco in eadem Bulla reseruatur, licèt absolutio debeat ab Episcopo impendi in propria Dioecesi, vt colligitur ex ipso Trident. vbi dicitur in Dioecesi. Ita Henriquez *lib.14. cap.20.* & *cap.8. num.5.* Auila *par.7. disp.10. dub.6.* & alij, licet probabile sit Episcopum posse suũ absoluere subditum à censuris, existentem extra propriã Dioecesim, dummodo tamen ipse existat in Dioecesi. Ratio est, quia Tridentinum non requirit absolutionem sacramentalem, quæ impendenda est præsenti, & nec requirit pęnitentiam subditi, vel vt subditus existat in Dioecesi. An verò Episcopus possit absoluere à casibus Papę reseruatis quando delictum fuit deductum ad forum contentiosum, & reus falsis se defendit testibus. Respondeò posse. Et ita Sanchez *li.2. de matr. disp.27. num.12.* Molina *tract.3. disp.79.* & alij. Ratio est, quia in hoc casu cessat ratio, ob quam crimen dicatur deductum ad forum contentiosum, nam perindè est, ac si non fuisset deductum.

An Episcopus possit illum absoluere, qui in loco, in quo commorabatur commisit delictum ibi publicum, notorium, & Papæ reseruatum, & posteà se transtulit ad alium locum, vbi delictum non est publicum?

BRACTEA XLII.

R. Posse, dummodo inter locum, in quo delictum est publicum, & inter locum, in quo delictum non est publicum, detur magna distantia arbitrio prudentis, ita vt probabiliter in isto loco nequeat fieri publicum, vt v.g. si quis Romæ commisit delictum aliquod publicum Papæ reseruatum, & hic Taurini nõ sit publicum, potest ab Ordinario istius Ciuitatis absolui, quia probabiliter præsumi potest propter locorum distantiam non posse hic fieri publicum: secus verò dicendum erit, si inter locum, in quo est publicum, & inter locum, in quo non est publicum daretur parua distantia, quia tunc probabiliter præsumi posset in loco, in quo non est publicum, posse fieri publicum. Ita Auila *par.2. disp.2. dub.11.* Suarez *in summ. lib.2. cap 11. num.20* & alij.

Sciendum Episcopum etiam posse absoluere ob excommunicatione publica Papæ reseruata habentem legitimum impedimentum, ob quod Papam adire non potest, vt quando excommunicatus longa laborat infirmitate, aut senectute, aut paupertate, vel si persona excommunicata sit foemina, aut impubes, aut alio laboret impedimento, quod iudicio prudentum legitimum existimetur. Ratio desumitur ex benigna Pontificis voluntate, qui non præsumitur absolutionem voluisse sibi tanto cũ incommodo reseruare. Ita Henriquez *lib.6. ca.9. num 7.* Auila *2. par. cap.7. disp 1. dub. 6.* Reginald. *lib 6. cap 9. num. 2.* & alij, licet teneatur sublato impedimento, quando ipsum non indicatum fuit perpetuum, Papam adire. An verò, qui nequit adire Papam, saltem teneatur adire legatum vel eius Nuncium, si commodè possit, vel mittere Romam Epistolam, vel Procuratorem pro absolutione obtinenda.

R. Negatiuè, sed habentem legitimum impedimentum, ob quod Papam non potest adire posse ab Episcopo absolui. Ratio est, quia Concil. Trident. talem Episcopis concedit facultatem, quando pęnitens nequit ob aliquod impedimentum, Papam adire, & vbi lex non distinguitur, nec nos distinguere debemus.

De eo, qui potest absoluere ab excommunicatione non reseruata à iure?

BRACTEA XLIII.

R. Ab excommunicatione à iure non reseruata possunt absoluere omnes Prælati iurisdictionem habentes in foro externo, nimirum Episcopus, & sede vacante Vicarius à Capitulo electus, quia id potest, quod Episcopus poterat, iuxta *cap. vnicum de maioritate, & obedient. in 6.* Potest quoque proprius Sacerdos, prout est citatum in cap. nuper, vbi nomine proprij sacerdotis, ex Nauarro *in Enchir. cap.27. num.39.* & alij intelligitur quiuis Prælatus Ecclesiæ regularis, siuè sæcularis, siuè sit priuilegio Summi Pontificis à iurisdictione Ordinarij exemptus, siuè non sit, dummodi iurisdictionem habeat in vtroque foro. Similiter quicumq; sacerdos potestatem habens absoluendi è mortalibus, potest iure communi absoluere à censuris Iuris nemini reseruatis, vt patet *ex cap. nuper de sententia excommunicationis,* vbi proprio sacerdoti datur facultas absoluendi, & non modo proprius sacerdos dicitur Parochus, sed & sacerdos delegatus ad audiendas Confessiones, qui respectu propriorũ pęnitentiũ dicitur proprius sacerdos, cum per delegationem acquirat subditos, quos in foro poenitentiæ non secus, ac Parochus potest à mortalibus absoluere, & superior eo ipso, quo non reseruat absolutionem, censetur cuicumque Confessario concedere facultatem, vt probatur ex cõmuni consuetudine. Ita Nauar. *cap. 27. num. 39.* Sayr. *lib.5. cap.15. num.22.* Henriq *lib.13. cap.27.* Reginald. *lib.9. num.12.* & alij. Dixi iure communi quia iure particulari sancitum est in aliquibus Ecclesijs, ne Parochi, vel alij sacerdotes absoluant à censuris, sed solum ab excommunicatione minori, & in hoc standum est consuetudinis loci.

An obtinens facultatem generalem, ab omnibus casibus Summo Pontifici reseruatis absoluendi possit absoluere à casibus in Bulla Cœnæ contentis?

BRACTEA XLIV.

R. Negatiuè. Ratio est, quia in generali commissione absoluendi ab excommunicatione minimè comprehenditur illa excommunicatio, cuius absolutionem delegans creditur nequaquam in specie commisisse, tum quia casus Bullæ Cęnæ specialiter reseruantur consequenter indigent speciali expressione in concessione facultatis absoluendi. Ita Suarez *disp.21. sect.3. num.3.* Vgolin. *tab.1. cap.10. §.4. nu.8.* & alij.

& alij. Vnde quando virtute Bullarum, & aliarum Apostolicarum litterarum conceditur facultas absoluendi ab omnibus excommunicationibus, etiam in Bulla cenæ Domini reseruatis, non posse aliquem absolui ab excommunicatione ob hæresim contracta. Ita Henriq. *lib.8. cap.16. num.3.* Sanchez *in summa lib.2. cap.12.* Auila *par.2. cap.2. disp.1. dub.7.* & alij.

Quis possit absoluere ab excommunicatione lata ab homine?

BRACTEA XLV.

Reum ab excommunicatione ab homine lata posse absoluere, qui illam tulit, aut qui ei in iurisdictione succedit, aut superior ipsius, aut per eum, cui specialis fuerit facultas delegata. Et ita communiter omnes. Ratio est, quia qui habet potestatem ferendi censuras, habet etiam potestatem illas auferendi, iuxtà illud Matth. 18. *quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cœlis, & quodcumque solueris, &c.* ergo qui tulit censuram, potest etiam illam auferre, cum absoluere sit illius, cuius est ligare. Quod possit quoque absoluere successor, qui succedit in eadem iurisdictione, siuè succedat in eadem dignitate, vt Episcopo Episcopus, siuè non, vt Episcopo Capitulum sede vacante. Ratio est, quia talis cum eo, qui succedit sicut, & ille, qui alicuius Prælati Vicarius est, in omnibus, reputatur eadem persona esse cum illo. Quod item possit superior, habens plenam in excommunicatum, atque excommunicator, iurisdictionem, dubium esse nequit; nam iurisdictio in aliqua Diœcesi competens Prælato inferiori; ita est accipienda, vt superiorem ordinaria iurisdictione, quam in eodem habet, non priuet. Quod denique delegatus excommunicantis possit ab ipso excõmunicatum absoluere, patet, tum *ex cap. Sacro §. caueat de senten. excommunicat.* cum dicitur *alioquin ipse per se, vel per alium, &c.* nullus ei absolutionis impendat, tum quia delegatus in re sibi delegata vires habet delegantis.

Sciendum ex istis colligi posse, quis possit absoluere à censura ab homine lata, quando moritur, vel excommunicatur, vel suspenditur superior, qui tolerat censuram, sed ligatus censura nondum fuit absolutus. Dicendum enim est eum, qui succedit in locum mortui, vel excommunicati posse absoluere: propterea mortuo, vel excommunicato Episcopo, potest Capitulum absoluere. Ratio est, quia Capitulum succedit in iurisdictione Episcopi. Secundò in defectum inferioris superiorem posse absoluere à censuris ab inferiore latis. Ratio est, quia iurisdictio inferiori competens, non datur illi priuatiuè, sed accumulatiuè, & ampliatiuè. Ita Auila 2. *par. cap.7. disput.1. dub.11.* Henriq. *lib.13. cap.28. num.3.* Angelus *verbo absolutio 2. num.3.* & alij.

An aliquis possit inuitus ob excommunicatione absolui?

BRACTEA XLVI.

Sciendum, quod quamuis non sit de substãtia absolutionis, vt eam excommunicatus postulet, id tamen expedire ad debitam, conuenientemque illius modum, iuxtà *cap. per tuas §. final. de sententia excommunicationis*, cum dicitur, *nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.* Quibus positis.

R. Absolutionem validè posse conferri inuito excommunicato. Ratio est, quia excommunicatio est pœna Ecclesiastica, neque pœna censetur voluntaria, ex voluntate puniti, sed ex voluntate punientis, qui eam pro arbitrio eam potest inferre, & auferre, & sicut inuitum excommunicare potest, sic etiam excommunicatione, siuè per statutum, siuè per simplicem hominis sententiam decretam, inuito remittere potest. Nec refert, quod Ecclesia nequeat inuito remittere culpam, ob quam tenetur quis excommunicare irretitus; quod licet culpam nequeat inuito culpam auferre, potest tamen auferre pœnam.

Sciendum 2. quòd licet absolutio fieri possit inuito, regulariter tamen non esse cõsentaneũ, vt ipsa potestate absoluendi inuitum vtatur, nisi in casu, in quo constaret eam absolutionem magis esse medicinalem animæ contumacis; quam excommunicationem ipsam, aut certè, quando superior videret excommunicationem non prodesse excommunicato, & nocere Communitati, propter participationem cum ipso, aut quando ex absolutione vtilitas perueniret Ecclesiæ.

An absens possit absolui ab excommunicatione?

BRACTEA XLVII.

R. Absentem posse ab excommunicatione absolui. Ratio est, quia sicut absens potest ligari censura: ita & absolui; nulla enim datur diuersitatis ratio, nec obstat, quod de contumacia deposita, non possit constare Iudici, nisi ipse præsentem habeat excommunicatum, qui emendationem promittat, absolutionemque petat, quia inuitus potest absolui ab excommunicatione.

Sciendum absentem absoluendum esse per Procuratorem, licet hoc fieri non debeat, nisi iusta causa. Secundò etiam absens potest per litteras absolui. Ratio est, quia res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur *cap.1. de regul. iuris*, at absens per litteras excommunicari potest, ergo etiam per litteras potest absolui, & excommunicatus tunc erit absolutus, quando litteras acceperit absolutionis; nisi aliundè constet de absoluentis mente, quod voluerit ipse esse antè absolutum, licet regulariter sit in vsu, vt cum aliquis absens, ab excommunicatione absoluendus est, id non fiat immediatè per litteras, sed committetur absolutio Sacerdoti, qui à peccato simul, & ab excommunicatione absoluat.

Sciendum 2. non modo per litteras, aut per

Pro curatorem potest absolui excommunicatus a b excommunicatione, sed etiam absolutè sine ijs. Ratio est, quia absolutio ab excommunicatione totaliter pendet à voluntate absoluentis, nec necessariò requirit corporalem præsentiam eius, qui absoluendus est, cũ hæc non sit magis ad eam rem necessaria, quam præsentia voluntatis, quam non esse necessariam ostensum est, probando posse inuitum absolui ab excommunicatione, sicq; absolutio generaliter facta extenditur etiam ad absentes. Vnde si Summus Pontifex diceret. Ego absoluo omnes excommunicatos, qui sunt in mundo cum intentione absoluendi, re vera, absolueret omnes, fierentq; omnes participes suffragiorum Ecclesiæ.

An vita functus possit ab excommunicatione absolui?

BRACTEA XLVIII.

R. Mortvvm non posse absolui ab excommunicatione contracta viuendo, licèt in articulo mortis signa dederit contritionis, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur ideoque non posse sepeliri in loco sacro, vel participem fieri communium suffragiorum. Ratio est, quia vita functus non est amplius sub iurisdictione Ecclesiæ, & ideò non potest absolui, & patet, quia potestas absoluendi ab excommunicatione, sicut excommunicandi data est Ecclesiæ à Christo in eos tantum, qui sunt super terram, vt constat ex verbis Matth. 18. *Quæcumque ligauerìtis super terram, erunt ligata, & in Cælis*, ita & subiunxit *quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cælis*, & sicut non potest mortuus propriè excommunicari, sed tantum in propria quadam excommunicatione, qua per modum maledictionis declaretur decessisse excommunicatus: ita potest tantum denunciari absolutus, seu quod è vita excesserit, quoad Deum absolutus ab excommunicatione, sed absolui ab excommunicatione propriè, nullo modo potest. Ita Nauar, *cap. 27. num 271.* cum, vt dictum sit, quia mortuus quoad animam separatus, omninò est à iudicio Ecclesiæ, quæ non potest illi, nec per excommunicationem, nec incommodum ferre, nec per absolutionem, commodum.

An Is validè absoluatur ab excommunicatione, qui ex falsa causa absolutionem obtinet, v. g. mentiendo se satisfecisse, cum non satisfecerit?

BRACTEA XLIX.

R. Primo habens potestatem ordinariam absoluendi, validè absoluere pœnitentẽ, qui nondum satisfecit parti læsæ, quamuis antea potuerit satisfacere, aut cautionem exhibere. Ita Nauar. *cap. 27. num. 37* Siluest. *verbo absolutio 3. num. 3.* & alij. Ratio est, quia cum Ordinarius non habeat limitatam auctoritatẽ, validè vtitur iurisdictione, quoties ea vti voluerint, quamuis peccet absoluendo pœnitentem ante satisfactionem, Ita Henriq. *lib. 13. cap. 28. num. 2.* & alij.

R. 2. Habens facultatem delegatam absoluendi absolutè, & sine limitatione satisfactæ partis, validè absoluit pœnitentem, qui nondum satisfecit. Ratio est, quia priuilegium accipiendum est; prout verba sonant, sed verba significant auctoritatem absoluendi, absque limitatione satisfactionis, ergo si absoluit absq; satisfactione, validè absoluit: secus verò dicendum est, si facultas data fuerit cum limitatione satisfactionis partis. Ratio est, quia priuilegium, & iurisdictio limitata non extenditur vltra limites præscriptos, & concessos: cum ergo facultas absoluendi lata sit sub conditione, sequitur inualidam esse absolutionem non subsistente tali conditione.

R. 3. Si excommunicatus absolutionem, quã non obtinuisset, si verum dixisset, obtinuit expressa fallitate, vt se satisfecisse parti lęsę, aut se propositũ parẽdi Ecclesię habere, cum vtrumq; falsum sit, tunc talem absolutionem inualidã nullamque esse. Ita Couar. *ad cap. alma mater 1. par. 1. § 11. num. 14.* & apertè confirmatur, tum *ex cap. officij de senten. excommun.* tum etiam manifesta ratione, quia in tali absolutione deest intentio absoluentis ei necessaria, cum sit actus humanus.

Sciendum quod si absoluens in isto casu haberet animum absoluendi causa existente falsa, peccaret quidem absoluendo, sed absolutio valeret, etiam in foro conscientiæ. Ratio est, quia absoluere aliquem sine causa non tollit potestatem ad validè absoluendum; hoc tamen intelligendum est cum moderatione, vt si pluribus de causis lata sit excommunicatio, & supprimatur aliqua non principalis, non ideò inualida redditur absolutio.

An absolutio per dolum, errorem, vel per vim metumque extorta sit valida?

BRACTEA L.

R. Qvod licet regulariter sit verum, quod sicut censura non debet extorqueri dolo, aut errore, ita etiam absolutio: Ratio est, quia talis absolutio sit extorta, non esset voluntaria, & per consequens non esset valida ex defectu intentionis.

R. 2. Sicut regulariter, etiam excommunicatio debet liberè sine vi, & metu ferri. Ratio est, quia infertur iniuria Superiori.

Sciendum absolutionem extortam metu inualidam esse, quando metus est cadens in cõstantem virum concussus ad hunc effectum, nimirum ad extorquendam absolutionem. Ratio est, quia talis absolutio irritatur à iure *cap. vnico de ys, quę vi in 6.* Ita Nauarr. *cap. 27. num. 125.* *lib. 13. cap. 30. num 1.* Reginald. *lib. 9. nu. 48.* Sayrus *lib. 2. cap. 21. nu 30.* Sec us verò dicendum est, quãdo metus, qui incutitur, iuxtè incutitur, aut non est, cadens inconstantem virum.

An

An irretitus pluribus censuris possit absolui ab vna remanente alia?

BRACTEA LI.

R. QVOD sicut ligatus vna excommunicatione potest denuò alia ligari, sic potest ab vna absolui manente alia. Ita S.Thom. *in 4. dist.18. art.5.* Sayrus *lib.2. cap.21. num.13.* Valentia *tom.4. disp 8. quæst.17. p.8.* Coninch. *disp.14. dub.16. num.221.* Reginald. *lib.9. num.49.* Ratio est, quod excommunicationes non sint quemadmodum peccata mortalia connexæ, quoad remissionẽ, quia ad hanc non est opus conuersione voluntatis ad eum, & infusione gratiæ gratum facientis, sicut ad remissionem peccati mortalis, quod cum illa cohærere non potest.

An excommunicatus sub conditione donec satisfaciat, exhibita satisfactione, opus habeat absolutione?

BRACTEA LII.

R. CONSIDERANDA esse verba legis, aut sententiæ, per quam fertur excommunicatio, si enim indigent negationem absolutionis, tunc præter satisfactionem absolutio est necessaria, vt in *cap. quamquam de censibus in 6.* nec ab excommunicatione eiusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineat, donec, &c. Si verò indicent confessionem absolutionis; tunc satisfactio sufficit, vt illa ex quo satisfecerit, absolutus sit absolutione eà concessa effectum suum consequente. Ita Suarez *tom.5. disp.7. sect.1. num.13.*

An absoluto possit concedi alicui ad reincidentiam?

BRACTEA LIII.

R. AFFIRMATIVE. Et ita Reginaldus *lib.9. num.54.* & alij plures.

Sciendum absolutionem ad reincidentiam esse, per quam censura tollitur non in perpetuum simpliciter, sed ita vt reditura sit post certum tempus, vel post certum effectum, atque esse duplicem, vnam non proprie dictam, quæ ex intentione absoluentis non datur in perpetuum, sed ad certum tempus, vel certo effectu, v.g. vt liberè possit testimonium ferre, vel vt collatio beneficij facta valeat. Aliam verò propriè dictam, quæ ex intentione absoluentis datur, non solum ad definitum tempus vel effectum, sed etiam, vt simpliciter valeat, perpetuaq; sit, sub conditione tamen satisfaciendi, vel aliquid faciendi intra certum tempus, quo transacto, & non impleta conditione, incidatur rursus in excommunicationem.

Sciendum dubium esse an censura, in quam pœnitens reincidit non seruando conditionem sit eadem cum ea, quæ fuit ablata. Ad quod Respondeo non esse eamdem numero, cum iã fuerit per absolutionem ablata, & idem effectus non possit naturaliter redire, sed est noua censura, quæ contrahitur ex iuris dispositione, & auctoritate ob inobedientiam admissam à pœnitente non seruando conditionem in absolutione appositam, quæ quidem censetur similis in specie prima, quæ si erat reseruata, ita & ista. Ita Suarez *de censuris disp.22. sect.1. num.62.* Sayr. *lib.3. cap.28.*

An sit vitandus excommunicatus, qui denuò reincidit in excommunicationem?

BRACTEA LIV.

R. VITANDVM esse. Ratio est, quia hæc posterior excommunicatio habet omnes illos effectus, quos habebat prima, & sicut prima priuat hominem consortio humano; ita & secunda.

Sciendum, quod licet nulla sua culpa possit quis reincidere conditionem in censuram pro certo effectu suspensam, vt patet in eo, qui beneficium obtinet à Papa sub his verbis, *Ad hunc effectum dumtaxat, hic enim reincidit absque noua culpa*, quamquam hæc non sit vera perfectaq; absolutio, cum sit tantũmodo ad hunc effectũ tamen regulariter, posita vera absolutione, non reincidit in excommunicationem, absquè nouo peccato, idest, vel per inobedientiam, &c.

De eo, à quo ferri debeat excommunicatio, vt sit valida?

BRACTEA LV.

SCIENDVM cum excommunicatio alia sit à iure, alia ab homine, illam is solus validè ferre potest, qui ius, & statum Ecclesiasticum perpetuum potest condere.

Sciendum 2. excommunicationem esse actũ iurisdictionis Ecclesiasticæ in foro exteriori, vbi causa inter homines contendendo agitur, vt facile est deducere ex verbis Domini. Matth.18. *Si frater tuus habet aliquid aduersum te, &c.* Vnde consequens est eum omnem, qui iurisdictionem habet in foro exteriori posse excommunicare, vt communiter docent omnes Theologi, & ideò.

R. Illum posse excommunicare, quo in foro externo Ecclesiastico habet iurisdictionem. Et ita communiter omnes, quod patet, quia homo sæcularis ex se non potest excommunicare, cum non habeat iurisdictionem Ecclesiasticam.

Sciendum 3. aliquas conditiones requiri in ferente censuras. Prima, vt sit homo viator idest viuens in isto mundo, & ideo Angelus, nec bonus, nec malus potest excommunicare, sed solus homo viuens, quia extra viam non ex capax iurisdictionis. Secunda est, vt habeat vsum rationis, quia carens vsu rationis, non potest actum exercere iurisdictionis. Tertia, vt sit Baptizatus: Vndè nec Iudæus, nec Paganus potest excommunicare cum non sint capaces iurisdictionis Ecclesiasticæ. Quarta, vt non sit Laicus, quia talis non habet iurisdictionem Ecclesiasticam, quæ requiritur ad ferendam censuram, & ideò in laico non potest esse potestas excommunicandi, nec quidem dele-

gata, nisi Papa sit, qui eam deleget. Quinta, vt ferens censuram non habeat vsum iurisdictionis impeditum, vt quando est excommunicatus, & suspensus, &c. Sexta, vt non feratur in causa propria, in qua ipse Actoris, & Iudicis personam sustineat. Ratio est, quia nullus potest esse Actor, & Iudex; tùm quia excommunicatio non potest ferri, nisi in subditum. Cum autem nullus possit sibi ipsi esse subditus, sequitur nullum posse in causa propria excommunicare. Excipitur tamen casus propriæ defensionis, in quo licitum est, vti excommunicatione ad propulsandam vim, & iniuriam, iuxtà illum *vim vi repellere licet*. Ita Suarez *de censur. disp.2. sect.4. num.7.* Filiucius *tract.11. cap.3. quæst.2. num.49.* & alij.

An fœmina validè possit excommunicare?

BRACTEA LVI.

R. Fœminam non posse validè excommunicare, etiamsi sit Abbatissa, *ex cap. Dilecta de maiorit. & obed.* Et ita omnes summistæ *in verbo Abbatissa*, & alij quorum meminit Vgolin. *de censur. tab.1. cap.2. §.7. num.3.* Ratio est, quia cum mulier non sit capax primæ tonsuræ, & ordinum, & per consequens claues Regni Cœlorum non habent in ea locum, ita ut possit eas claudere, & aperire, quod manifestum est, *ex cap. nona de pœnitent. & remiss.* Vbi ratio hæc redditur, quia licet Beatissima Virgo Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed istis claues regni Cœlorum commisit Dominus.

Sciendum nō esse improbabile feminā de absoluta Summi Pontif. auctoritate, saltē delegatam excommunicādi facultatem habere posse. Ita Palud. *in 4. dist.18. quæst.1. art.3.* Nauar. *cons.72. de sententia excommunicationis*. Sotus *dist.20. quæst.1. art.4.* Vgolin. *tab.1. cap.2. §.7.* & alij. Ratio est, quia talis delegatio non est contra ius diuinū, & naturale, licet non legatur talem facultatem fuisse feminæ commissum, neque obstat aliquas Abbatissas suspendisse, quia illa suspēsio non erat censura, sed simplex quædam prohibitio, cum mulieres religiosæ non habeant propriæ potestatem iurisdictionis spiritualis, sed solum potestatem coercendi in ordine ad disciplinam domesticam, bonamque domus gubernationem, sicuti mater familias respectu suorum filiorum, & ideò non potest sub mortali præcipere id, cuius transgressio non esset alioquin ex se peccatum mortale.

Apud quem resideat propriè potestas ferendæ excommunicationis?

BRACTEA LVII.

R. Tadem potestatem residere, Primò, apud Summum Pontificem. Secundò, apud Episcopos. Tertiò, apud alios Prælatos habentes iurisdictionem in foro externo. Similiter apud Concilium generale, & synodale, Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & concilia Prouincialia. Ratio est, quia isti omnes iurisdictionem habent in foro externo, & his omnibus accommodari possunt illa verba. Matth.18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus, Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cælis, &c.* Quod verò sint alij inferiores Episcopo, qui suo ex officio, etiam excommunicare possunt, manifestū est, *ex cap. cum ab Ecclesiarum de officio ordinarij*, vt sunt Abbates, & Priores Ecclesiarum habentes iurisdictionem in foro externo, Prælati religiosorum, vt Prouinciales, Priores, & Guardiani, vt docet Suarez *tom.5. disp.2. sect.2. ex cap. cum in Ecclesiis de maiorit. & obed.* & ideò ille excommunicare potest, qui iurisdictionem de consuetudine, vel iure communi habet *Host. de sententia excommunic. §. nedum cap. prælectis dist.25. cap. si implebibus dist.69. cap.2. de offic. Archidiac.*

Quid sit de Parochis tenendum.

BRACTEA LVIII.

R. Parochos iure communi excommunicare non posse. Ita Panormit. *in cap. cum contingat de foro compet. num 30. & ad cap. si Sacerdos de offic. ord. num.10.* & alij. Ratio est, quia non constat illi hanc potestatem competere ex iure diuino, aut humano, tum quia non est illi necessaria, cum non habeant iurisdictionem in foro externo. Dixi de iure communi, quia ex speciali iure, & priuilegio, aut consuetudine præscripta possunt excommunicare tamquam Vicarij Episcopi, qui vbique esse non potest.

De ijs, qui possunt excommunicare tamquam Delegati?

BRACTEA LIX.

R. Præter ordinarios Iudices Ecclesiasticos, ipsorum Delegati etiam excommunicare possunt. *Ex cap. Præterea de officio Delegat.* Et ita Couar. *ad cap. alma mater par.1. §.11. num.1.* & Vgolin. *de censur. tab.1. cap.7.*

Sciendum hoc esse restringendum aliqua cū limitatione, scilicet ad ea solum, quæ ipsis commissa sunt, & non extra illa. Secundò, dummodo is, qui illos delegauit adhuc viuat, nec sit ab officio amotus, aut alia ratione amiserit iurisdictionem, *ex cap. gratum de offic. Deleg.* quia secus non potest iure procedere, nisi in negotio per citationem cœpto, per quam iurisdictio continuatur.

Sciendum 2. ex Siluest. *in verbo Delegatus num.1.* Delegatum hic intelligi tantum eum, cui ab ordinario causa cognoscenda, & decidenda committitur, neque enim ille, cui nudum ministerium delegatur, potest excommunicationem ferre, nisi fortè id speciatim fuerit ei cōmissum. Ratio est, quia excommunicatio requirit causæ cognitionem, quæ non est ei commissa, quia demandata executione nuda non censetur commissa causæ cognitio, iuxtà legem *exequutorem C. de exequut. rei iudic.*

Sciendum 3. quemlibet ordinarium posse habere Delegatum, quia illud, quod est iurisdictionis, potest alteri remitti, nisi quis habeat impeditum suæ iurisdictionis vsum.

Sciendum 4. solum Delegatum Papæ posse Subdelegatum, idest à se rursus delegatum habere: alij verò Delegati à quouis ordinario non

non possunt subdelegare. Ita Reginaldus *lib. 9. num. 125.* & alij.

An habens facultatem excommunicandi, si incidat in excommunicationem, possit excommunicare?

BRACTEA LX.

R. Quod si Is, qui incidit in excommunicationem sit excommunicatus vitandus, aut quia est denunciatus, aut notorius Clerici percussor, non potest excommunicationis sententiam ferre, & si ferat, nullius momenti, esse. Ita *ex cap. audiuimus 24. quaest. 1.* Ratio est, quia priuatur vsu potestatis iudicandi *per capue exceptionem de exceptionibus*. Vbi dicitur excommunicatum publicè ab officio iudicis esse repellendum, *& per cap. ad probandum de sententia, & re iudicata,* vbi dicitur sententiam latam per publicè innodatum vinculo excommunicationis infirmandam, idest nullam esse. Si verò sit excommunicatus toleratus validam esse sententiam excommunicationis latam per ipsum. Ratio est, quia excommunicatus toleratus, non priuatur sua iurisdictione, nec publici officij vsu, ita vt teneant illa, quæ ab ipso geruntur, quamuis publicam habeat auctoritatem.

An excommunicatio lata ab irregulari, sit valida?

BRACTEA LXI.

R. Validam esse excommunicationem ab irregulari latam, Ratio est, quia irregularitas non tollit iurisdictionem, sed tantummodo adimit vsum ordinum, aut habilitatem ad eos suscipiendos, ad ferendam autem validè excommunicationem nihil amplius requiritur ex parte ferentis, quam iurisdictio sufficiens, & illius vsus non impeditus.

Sciendum peccare mortaliter, qui sciens, aut scire debens, se non posse, aut non debere excommunicare, & nihilominus excommunicat. Ita Nauar. *cap. 27. num. 8.* Ratio est, quia vsurpat alienam iurisdictionem, aut vsum illius, quem non habet, neque enim eos excusat, quod obtendunt se comminatoriam tantum ferre ad ipsos terrendos, absque intentione excommunicandi, nam plerique id ignorant, & conscientia erronea laborantes, eam quam putant veram excommunicationem parui pendentes peccant, in quod discrimen conijcere ipsos, est peccatum graue.

An Angelus, bestia, aut homo non baptizatus excommunicari possit?

BRACTEA LXII.

R. Primo Angelum non posse excommunicari. Ratio est, quia nec est capax Sacramentorum, nec aliorum bonorum, quibus excommunicatio priuat, neque vlli homini subditur.

R. 2. Neque Diabolum excommunicari posse. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 13.* nam ipse Angelus est, licet malus, bonorum quibus excommunicatio priuat minimè capax, tum etiam quia excommunicatio fertur ad retrahendum contumacem à contumacia, Dæmon autem obstinatus est, & pertinax in sua contumacia. Ita Nauarrus *cap. 47. num. 13.*

R. 3. Bruta animantia, seù bestias excommunicari non posse. Ratio est, quia prædictorum bonorum non sunt capaces, & ideò non dicuntur propriè excommunicari, sed adiurari, & maledici tamquam aliquid nobis noxium.

R. 4. Nullum Paganum, Turcam, aut Iudæum excommunicari posse. Ita S. Antoninus *3. par. tit. 24. cap. 75.* Siluester *verbo excommunicatio 1. num. 7.* & patet ex *cap. Multi 2. quaest. 1.* Vnde habetur correctionem Ecclesiasticam, quæ per excōmunicationē fit esse eorū, qui ad Ecclesiam pertinēt, & non eorum, qui foris sunt. Ratio est, quia nequeunt priuari participatione Sacramentorū, cum ad ipsa nunquam fuerint admissi, neque vt tales admitti possint iuxta *cap. Veniens de Presbytero non baptizato.*

R. 5. Hominem mortuum excommunicari nō posse. Ita communiter omnes Theologi, & Canonistæ, vt docet Couar. *ad cap. Alma mater par. 1. §. 11. num. 8.* & Alphonsus à Castro *in lib. 2. de iusta hæreticor. punit.* Ratio est, quia potestas iurisdictionis ad excommunicandum Prælatis Ecclesiæ concessa tantùm est in eos, qui sunt super terram, idest qui vitam adhuc in hoc mundo degunt, non autem in eos, qui vita functi sunt, vt patet ex Matth. 18. *Quodcunque alligaueritis super terram, erunt ligata, &c. & quæcumque solueritis, &c.* tum etiam quia solùm subditi excommunicātis excommunicari possunt. *cap. fin. de contrit. in 6. cap. 1.* & cum supradicti non sunt subditi; idcircò, &c. Subditi Episcopi dicuntur ratione iurisdictionis spiritualis omnes, qui sunt in sua Diœcesi, *cap. fin. de foro competenti,* & non tantùm subditi ratione territorij, sed & ratione delicti. *cap. Nobis 2. de sent. excomm.*

An Vniuersitas possit excommunicari?

BRACTEA LXIII.

R. Vniversitatem, seù Communitatem excommunicari non posse. Et ita colligitur ex *cap. Si habes 24. quaest. 3.* Et ità docet S. Thomas *in 4. dist. 8. quaest. 2. art. 3.* & plures citati apud Vgolinum *tab. 2. de censuris cap. 26.* Et ratio est, quia si Vniuersitas sumatur vt abstractum, in quo multi conueniunt, non est capax subiectum communicationis, à qua excommunicatio excludit: nam talis communicatio est in actibus, qui tantum sunt singularium, non autem vniuersorum, & abstractorum: sūpta autē vniuersalitas collectiuæ pro omnibus suis personis, ex quibus ipsa cōstituitur excommunicari prohibetur in *cap. Romana 5. in vniuersitatem de sententia excommunicationis in 6.* Vbi prohibitionis ratio redditur, quod nō nunquam contingeret innoxios tali sententia irretiri, nam demus aliquod mandatum esse alicui Capitulo sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; idest, quod si non fiat omnes, & singuli, qui de illo sunt in excommunicationem incurrant, Maiorem verò illius partem nolle obedire reliquis, maximè volen-

volentibus oporteret hos, qui innocentes fessent pœnæ excommunicationis subijci, quod absurdum est: secus verò dicendum erit, si aliquid ita præciperetur Vniuersitati, vt quicumque de ea non obtemperaret tali præcepto, excommunicationem incurcurreret, quia tunc culpabiles incurrēt excommunicationem, cum contra eos lata sit, non autem Vniuersitas, seu Capitulum. Ita *ex cap. cit. § in vniuersitatem*.

Sciendum, quod si feratur sententia excommunicationis cōtra Vniuersitatem inualidam esse. Ita Paludanus, & Richardus *in 4. distinct.* 18. Ratio est, quia errorem continet intolerabilē, vtpotè quæ ad alios culpa carentes extendi potest, tum quia prohibetur à iure ad vitandum animarum periculum, quod inde sequi posset.

Quisnam igitur excommunicari possit?

BRACTEA LXIV.

RSOLVM baptizatum directè esse capacem excommunicationis. Ratio est, quia homo baptizatus est subiectus iurisdictioni Ecclesiæ. Ita communiter omnes.

Sciendum, quod vt homo baptizatus possit excomunicari, plura requirūtur. Primò requiritur, vt sit homo viator, idest agens vitam in hoc mortali corpore. Ratio colligitur ex supradictis, quia mortui nequeunt excommunicari.

Secunda conditio, vt sit homo baptizatus. Ratio est, quia Ecclesia non habet iurisdictionem directam super non baptizatos, etiamsi Cathecumeni sint, quæ requiritur ad excomnicandum.

Tertia conditio est, vt sit adultus, rationis compos. Ratio est, quia sine culpa nemo potest affici excommunicatione, & idcircò requiritur, quod sit adultus, & rationis capax, quia non adulti, & non capaces rationis non possunt peccare; ergo, &c. Hinc sequitur infantes ante septennium completum non esse capaces excommunicationis, quia non sunt capaces bonorum spiritualium, excepta Confirmatione, consequenter nec priuatione illorum. Secundò, perpetuò amentes, insanos, & furiosos non posse excommunicari, quia comparantur infantibus, vsuque carent rationis, quod etiam dicendum est de dormientibus, & ebrijs, qui aliquod delictum vetitum sub excommunicatione committunt tempore somni, vel ebrietatis, dummodo tale delictum nō præuiderint, aut aliquo modo dederint causam ante somnum, & ebrietatem. Tertiò, adultos impuberes validè ligari excommunicatione non tantùm lata à iure, sed etiam ab homine, quia sicut peccare potest mortaliter, ita etiam possunt puniri.

Quarta conditio requisita est, vt homo sit determinatus, quia (vt dictum est) Vniuersitas nequit excommunicari.

Quinta conditio est, vt qui ligatur excommunicatione inferior sit, & subditus. Ratio est, quia iurisdictio, & subiectio correlatiua sunt, si ergo iurisdictio requiritur in excommunicāte: ita etiam subiectio in excommunicato. Hinc sequitur omnes Ecclesiæ Prælatos esse capaces excommunicationis, præter Papam. Ratio est, quia omnes, præter Papam, in spiritualibus agnoscunt Superiorem: Principes verò sæculares esse capaces excommunicationis, quia in spiritualibus agnoscunt Superiorem, licet in temporalibus non agnoscant. Papam verò non esse capacem excommunicationis ab homine latæ, cum in spiritualibus non habeat Superiorem, nec etiam à iure, quia ius humanum non est eo superius, & licet suis obligetur legibus quoad vim directiuam, non tamen obligatur quoad vim coactiuam. Sequitur secundò neminem posse seipsum excommunicare, quia nullus est inferior seipso, nec habet potestatem coactiuam contra seipsum. *cap. Quoties 1. quæst. 7.* Et ita communiter omnes, ex quo fit, vt accipiens à Summo Pontifice potestatem ferendi excommunicationem contra surripientes rem alienā in notabili quantitate non incurrat excommunicationem surripiendo, secus verò dicendum est, si ipsam non ferat, sed solùm promulget tamquam à Superiore latam, quia tunc incurrit excommunicationem delinquendo contra præceptum Superioris, quia inferior est, & subditus. Similiter æqualem non posse ab illo excommunicari, cum par in parem non habeat imperium, seu iurisdictionem. *cap. Innotuit de electione in 6.* ex commissione verò delegata à Superiore accepta, æqualis potest æqualem excommunicare, quia in isto casu non censetur æqualis in iurisdictione.

An ligatus vna excommunicatione possit alijs excommunicationibus ligari?

BRACTEA LXV.

REXCOMMVNICATVM vna excommunicatione posse adhuc alijs ligari excommunicationibus, non tantùm diuersis, sed etiam eiusdem rationis. Ratio est, quia potestas ferendæ censuræ non extinguitur per vnum actum excommunicandi, sed integra remanet, sicut prius, & persona est plurium capax excommunicationum, tum etiam quia ligatus excommunicatione potest adhuc transgredi legem continentem excommunicationem; ergo, &c. Ita Auila *par. 2. cap. 4. disput. vnica dub. 7.* Siluester *verbo excommunicatio 1. nu. 10.* Fillincius *tract. 11. cap. 5. quæst. 7.* & alij. Et ita colligitur *ex cap. Cum pro causa de sententia excommunicationis.*

Sciendum tot quis incurrere censuras, quot facit actus moraliter distinctos contra præceptum. Ratio est, quia lex ponit censuram propter transgressionem ipsius: Ergo tot sunt censuræ, quot moraliter censentur transgressiones diuersæ. Vnde qui successiuè sæpius percutit Clericum, incurrit tantum vnam excommunicationem. Ratio est, quia illæ percussiones censentur moraliter solùm vna actio: secus verò dicedum erit, si propter temporis interuallum, aut alia de causa illę transgressiones censentur moraliter distinctę, quia tunc tot excōmunicationes incurrit, quot iudicio prudētis cēsentur actus moraliter interrupti. Ita Suarez *disput. 5. sect. 3.* Vgolinus *tab. 1. cap. 16. §. 3. num. 5.* Qui verò percutit plures Clericos, successiuè tot incurrit excommunicationes, quot Clericos percutit. Ratio est, quia hæ percussiones ob obiecta distincta censentur moraliter distinctæ, & per consequens tot excommunicationes incurrit, quot

quot sunt Clerici, quos percutit. Qui verò vno actu occidit Clericum, & alium percutit, non incurrit plures excommunicationes, sed vnam solummodo, quia illa actio licet terminetur ad duos, moraliter tamen censetur vna.

R. 2. Faciens aliquem actum prohibitum à pluribus Superioribus sub excommunicatione incurrit vnam tantùm excommunicationem, quando Superiores prohibentes æqualem habent potestatem; secus verò dicendum erit, si inæqualem potestatem habeant, quia tunc tot incurruntur excommunicationes, quot sunt Superiores prohibentes, modò quisque protulerit excommunicationem tamquam suam, & intenderit imponere nouam obligationem. Ratio est, quia transgrediendo cõmittitur moraliter multiplex contumacia, quamuis physicè, & materialiter sit vna actio. Vnde duplici ligatur excommunicatione, qui facit aliquid sub excommunicatione prohibitum à iure communi, & à iure particulari, aut prohibitum à Papa, & ab Episcopo, & illum pluribus non ligari excommunicationibus, qui facit contra leges sæpiùs repetitas, & innouatas à multis Pontificibus sub excommunicatione, vel ab eodem Superiore. Ratio est, quia censetur solumodo Reus vnius contumaciæ.

An subditus delinquens extra territorium contra legem sui Superioris ligetur censura illi adiuncta?

BRACTEA LXVI.

R. 1. Svbditvm vnius Episcopi, v.g. Taurinensis violans eius statutum in aliena Diœcesi non incurrere censuram illi adiunctam. Ita communiter Doctores, quos refert Salas *de legibus disput. 14. sect. 5. num. 69.* & constat ex *cap. 2. §. statuto Episcopi de constitutione in 6.* Ratio est, quia extra territorium ius dicenti impunè non paretur; quod etiam dicendum est de eo, qui delinquit in loco exempto intra territorium, vt in Abbatia aliqua, vel Ecclesia, &c. Ratio est, quia licet materialiter sit intra territorium, formaliter tamen est extra, quia est extra eius iurisdictionem. Colligitur *ex cap. Cum Episcopus de officio Ordinarij in 6.* Debet tamen locus esse plenè exemptus, ita vt nequeat Episcopus territorij ferre in eo leges obligantes incolas illius loci. Item debet esse exemptus non ratione personarum, vt sunt Ecclesiæ, & Monasteria religiosorum sub ratione illius loci, seu locus ille subiectus sit alteri Episcopo, siuè Papæ. Ita Vgolinus *tab. 1. cap. 9. § 3.*

Sciendum ibi dici commissum esse delictum in ordine ad excommunicationem, vbi vlterius consummatur, licet alibi inchoetur. Vnde inchoans delictum in territorio Taurinensi, si consumet extra illud, siue extra Diœcesim Taurinensem non incurrit censuram latam in Diœcesi Taurinensi. Dixi in ordine ad excommunicationem, quia in ordine ad alias pœnas communis sententia Iuristarum est talem fieri subditum ratione delicti vtroque loco. Abbas *cap. Postulasti de foro competenti*, & alij.

R. 2. Superiorem posse excommunicatione per sententiam suos ligare subditos in alieno territorio existentes. Ita Suarez *disp. 3. sect. 5. num. 5. & 6.* & alij. Ratio est, quia sententia non respicit territorium, sed respicit personam, vt illius contumacia coerceatur, & puniatur. Vnde Clericus Taurinẽsis gestando sclopum in aliena Diœcesi ligatur excommunicatione, si lata sit ab Archiepiscopo contra Clericos huiusmodi armorum genus gestantes, si supponamus illam excommunicationem latam esse per modum sententiæ. Vnde sequitur quemlibet Christianum vbicumque existat ligari posse censuris latis à Summo Pontifice, siuè latæ sint per statutum, siuè per sententiam, cum Summus Pontifex particulare non habeat territorium, sed totus mundus illi seruiat pro territorio.

R. 3. Extraneum non ligari censuris latis ab Episcopo illius loci, in quo pro breui tempore reperitur. Ratio est, quia censura non fertur, nisi in subditos, extraneus autem, qui breui tẽpore in aliqua Diœcesi commoratur, non censetur subditus illius Diœcesis, consequenter non ligatur censuris latis ab Episcopo illius Diœcesis. Ita Suarez *disput. 5. sect. 5. num. 10.* Coninchus *disput. 13. dub. 7. num. 52.* & hoc intelligendum est, siuè censura lata sit per modum statuti, siuè sententiæ.


An excommunicatio debeat supponere aliquam culpam?

BRACTEA LXVII.

R. Debere excommunicationem supponere culpam. Ratio est, quia excommunicatio est pęna medicinalis, & spiritualis, quæ supponit culpam, & illius comes est.

Sciendum ad hoc, vt quis possit ob culpam excommunicari debere, culpam deuenire in notitiam ipsius excommunicantis. Ratio est, quia culpa debet esse causa impulsiua excommunicationis, non potest autem esse causa impulsiua, nisi media notitia cum nemo iudicet de causa incognita.

R. 2. Culpam, pro qua ferri debet excommunicatio debere esse mortalem. Ratio desumitur *ex cap. Nemo Episcoporum 11. quæst. 3.* vbi apertè dicitur Anathema nonnisi pro mortali crimine imponi debere. Ratio est, quia fidelis per excommunicationem ab Ecclesia certo modo excluditur *ex cap. Omnis Christianus, & ex cap. Nihil 11. quæst. 3.* qua exclusione non censetur dignus, nisi iudicatus sit Regno Cœlorum indignus, prout potest tantummodo peccatum mortale, per quod amittitur charitas, sine qua non patet ad Regnum Cœlorum aditus. Quocirca nemo nisi ob peccatum mortale debet excommunicari, tum etiam, quia excommunicatio cum sit pœna grauis, debet esse commensurata culpæ, vt iusta sit: cum ergo sit grauis pęna, quia priuat magis bonis spiritualibus, supponit etiam culpam grauem, & per consequens mortalem.



An

An culpa, pro qua fertur excommunicatio, debeat esse externa?

BRACTEA LXVIII.

SCIENDVM dupliciter peccatum censeri occultum, vel per se, vel per accidens. Per se, quando ex sua natura non potest naturaliter ab hominibus cognosci, vt sunt res internæ, siuè peccata interna. Per accidens verò, vt quando nõ committitur solo animo, sed etiam voce, aut opere; ita vt ex sua natura habeat, quod audiri possit, vel videri, licet actualiter non audiatur, aut videatur, quia nullus est præsens. Quibus ita positis.

R. Culpam, pro qua fertur excommunicatio debere esse externam, & manifestam; ita vt possit audiri, vel videri. Ita communiter omnes S. Thomas *prima 2. quæst. 91. art. 4.* Nauarrus *cap. 27. num. 56.* Ratio est, quia potestas punitiua Ecclesiæ non se extendit ad actus merè internos, sed solùm ad actus externos, qui humano modo cognosci possunt: interna autem, vtpotè occulta, reseruantur Dei foro, & Sacramento Pęnitentiæ. Huic opinioni consentit ius Canonicum *in cap. Tua nos, cap. Sicut tuis de simonia,* & *cap. Erubescant dist. 32.*

Sciendum 2. quod licet per peccatum per accidens occultum, quis non incurrat in excommunicationem ab homine, cum excommunicatio feratur pro culpa præterita, habentem adiũctam aliquam contumaciam præsentẽ, cum requirat processum, causæque cognitionem, & Iudex, qui illam fert, debeat iudicare secundum allegata, & probata, neque potest excommunicare eum, quem ignorat crimen commisisse, cũ iuxta Christi institutionẽ correctio delinquentis debeat excommunicationẽ pręcedere, quod fieri non potest, ignorato ipsius delicto, & ideò requiritur, quod delictum, pro quo excommunicatio ferri debet, ita notum sit, vt in iudicio probari possit, adeò vt minimè sufficiat vnus Testis, qui dicat audiuisse, vel vidisse eum ad ferendam sententiam, cũ dictum vnius Testis pro nihilo habeatur, incurrere tamen ob delictum per accidens occultum excommunicationem latam à iure, vt colligitur *ex cap. Porro de sententia excommunicationis,* ex quo habetur occultum Clerici percussorem irretiri excommunicatione, & in extrauaganti communi, *cum detestabile de simonia,* vnde habetur, &c. Simoniacum occultum subiici pęnis iuris perindè, ac manifestum; deinde excommunicatio à iure confertur tantùm generaliter pro culpa futura, contenta illius generali cognitione, nec requirere causæ cognitionem, nec processum, & causæ cognitionem, vt effectum sortiatur, sed solùm criminis perpetrationem. Vnde sequitur quotiescunque perpetratum, fuerit crimẽ, propter excõmunicatio lata est à iure, quod perpetratorẽ illius esse eo ipso excommunicatum, non obstante, quod crimen sit occultum, cum id non impediat, quin verè sit crimen, ac perpetratum; ita vt perpetratorem reddat sufficienter obnoxium excommunicationis propter illud impositæ.

An culpa, pro qua fertur excommunicatio, debeat esse consummata?

BRACTEA LXIX.

SCIENDVM actionem externam posse esse perfectam, vel imperfectam tribus modis. Primò in ratione voluntarij, vel quia defuerit scientia ex parte intellectus, vt si quis occidat hominem casu ignorans esse hominẽ, vel ignorans esse Clericum, vel quia ex parte voluntatis noluerit occidere, sed tantùm mutilare, aut vulnerare. Secundò in ratione integritatis actus, vt si quis vulneret, etiamsi lethaliter, cũ excommunicatio lata sit contra homicidas, & non contra vulnerantes. Tertiò ratione imperfectionis actus in esse morali, vt quia sit fictus, & non procedat ex animo, vt si quis fingat se hæreticum, aut infidelem, cum reuera non sit. Quibus positis.

R. 1. Si actio externa sit imperfecta in ratione voluntarij, verba excommunicationis attẽdenda sunt, & iuxta illa ferendum iudicium. Ratio est, quia excommunicatio non operatur vltra id, quod ex verbis intenditur, & declaratur. Vnde si excommunicatio lata sit contra transgressores alicuius præcepti, voluntarium illud, quod sufficit ad culpam mortalem, sufficiet ad incurrendam excommunicationem cõtra transgressores latam: si verò verba legis, siuè excommunicatio lata perfectum requirat voluntarium, tunc excusabit voluntarium imperfectum, & indirectum; vt si adsit verbum *Præsumpserit, vel temerè hoc fecerit, &c.* significatur enim per ea requiri perfectum voluntarium, & consequenter scientiam certam. Tertiò si verba latæ excommunicationis requirant contẽptum, non comprehenderet eum, qui peccat ex passione, vel fragilitate, vt si diceret, qui ex contemptu fregerit ieiunium, Anathema sit.

R. 2. Actionem externam prohibitam debere esse perfectam in ratione integritatis, actionis; & ideò quis non incurreret excommunicationem latam contra occidentes, si actio externa esset solùm attentata, vel inchoata; & non totaliter perfecta. Ratio est, quia odiosa sunt restringenda, & quando excommunicatio lata est contra occidentes, intelligi debet de vltimo illo effectu occisionis, & ideò lethaliter mutilans non incurrit excommunicationem; quia lex non prohibet sub excommunicatione vulnus inflictum, sed directè, & per se prohibet occisionem, licet etiam indirectè prohibeat vulnus, quatenus potest esse causa effectus occisionis.

R. 3. Actum debere esse perfectum in esse morali, idest vt adsit verus animus, & intentio v.g. occidendi, quibus deficientibus non incurreretur censura propter actum incompletum in esse morali. Ratio est, quia ille effectus potiùs censeretur casualis, quam voluntarius.

An peccatum, pro quo fertur excommunicatio maior, vt ea sit valida adiunctam habere debeat contumaciam?

BRACTEA LXX.

R. Vt peccatum sit legitima causa ferendi censuram requirere grauitatem, & contumaciam. Ita Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3. de reformatione*, quod peccatum mortale debeat habere grauitatem, patet ex eo, quod præceptum fuit à Patribus antiquis, vt nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro paucis, leuibusque causis à communione suspendat, nisi præter graues culpas, pro quibus iusserunt arceri solùm à communione, vt patet consideranti decreta ipsorum in iure Canonico. Quod debeat habere annexam contumaciam, ita docet S. Thomas *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 12.* Ratio est; quia sicuti sapiens Medicus non debet statim adhibere ægroto extrema, & molestissima remedia, sed prius debet adhibere leuiora: ita excommunicatio, quæ pęna medicinalis est, vt nulla sit ea maior in Ecclesia *ex cap. Corripiuntur 24. quæst. 3.* non ante debet adhiberi ad sanandum alicuius peccatum, quantumcumque graue, quam fraterna correctio, aut admonitio, aut præceptum Superioris tamquam leuior medicina antecesserit, vt patet ex verbis Matth. 18. *Si Ecclesi. non audierit si tibi, &c.* Vnde si nō pareat, dicetur inobediens, & contumax, & traditur *cap. Nemo Episcoporum 11. quæst. 3.* Vbi inter alia dicitur non debere quempiam excommunicari, nisi qui aliter non potuit corrigi: signum autem incorrigibilitatis est contumacia.

Sciendum contumaciam nihil aliud esse, quā inobedientiam quamdam, qua insdicenti non paretur *lege contumacia ff. de re iudicata* à verbo tumeo, quia ea affectus, quasi tumidus factus ius aspernatur.

Sciendum 2. contumaciam duplicem esse, vnā veram, & alteram præsumptam. Contumaciam verùm illam esse, quæ quis contumax est, & in iudicio negat se velle facere, quod præcipitur. Secundò, cum facit contra prohibitionē, quod negare nequit. Tertiò, si citatus, & monitus dixit se nolle facere. Quartò, cum quis per Iudicis sententiam citatus dixit ipsum locum non esse sibi tutum. Præsumpta duplex est. Primò ex parte delinquentis; vt cum citatus extra iudicium, & aduersario absente, dicit se nolle comparere. Secundò si citatus latitauit, vel impediuit, ne citatio ad eum veniret, cum non constet manifestè eum esse verè contumacem, saltem præsumptiuè contumax censetur. Secunda ex parte Iudicis, vt cum iniquo animo sine causa quempiam censura afficit, atque ideò præsumitur contumacia.

De modo, quo maior excommunicatio ferri debet, vt censeatur valida?

BRACTEA LXXI.

R. Ex parte excommunicantis duo requiri. Primò, vt in decernenda excommunicatione rectam habeat intentionem, idest moueatur affectu iustitiæ, non autem ira, odio, &c. alioquin excommunicatio erit iniusta, vt patet *ex cap. Episcop. Presbyter. 11. quæst. 3.* & *ex cap. Cum externi de sententia, & re iudicata*, quæ tamen iniustitia nō reddit excōmunicationē inualidā D. Thomas *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1.* Sotus *in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 3.* Ratio est, quia corruptio intentionis Iudicis non impedit quominus sententia, quam ipse fert, seruet æquitatem iustitiæ retinendam inter homines. Secundò requiritur, vt is ferat sententiam cum intentione ligandi. Ratio est, quia sententia excommunicationis vim accipit ex illius intentione, qui illam profert; ita vt absque hac, illa sit nulla. Ita Angelus *verbo excommunicatio 3. num. 16.* Siluester *verbo excommunicatio 1. num. 2.* Nauar. *cap. 27. num. 11.* & alij, quia sicut absolutio sacramentalis, eo quod sit actus humanus potestatis acceptæ à Christo, requirit intentionem faciendi id, ad quod instituta est eadem potestas, sic etiam excommunicatio requirit, cum ipsa sit actus humanus potestatis datæ à Christo.

R. 2. Ex parte excommunicati. Primò requiri in ferenda maiore excommunicatione, vt ille præmoneatur seruatis quibusdam circumstantijs, & patet *ex cap. Sacro de sententia excommunicat. ex cap. reprehensibilis de appellat.* & *ex cap. Statutum de sententia excommunicat. in 6.* Ratio est, quia excommunicatio solùm fertur contra contumaces in Ecclesiam, vel Superiorem, sed nequit esse contumacia, nisi præsuponatur admonitio; ergo, &c. Ita Sayrus *lib. 1. cap. 12.* Vasquez *tract. de excommunicatione dub. 12. num 4.* Coninchus *tom. 2. disp. 18. dub. 9. num. 79.* Reginald. *lib. 9. num. 180.*

Sciendum triplicem admonitionem esse pręferendam formaliter, & virtualiter, quando excommunicatio fertur per modum censuræ, & colligitur ex Matth. 18. Vbi Christus præcipit peccantem prius corrigi secretò, deinde adhiberi testes, vltimò dici Ecclesiæ. Quæ admonitiones non requiruntur formaliter distinctæ, sed solùm virtualiter, & ideò vna admonitio pro tribus assignatis competentibus aliquorum dierum interuallis, nisi facti necessitas aliquando suaserit interualla esse moderanda. *cap Constitutionem de sententia excommunicat. in 6.* & ideò Suarez inquit *sufficit vt Iudex concedat sex dies absolutè*, eo quod virtualiter tria interualla videantur in hoc termino contineri, modò Iudex explicet hunc esse vltimum terminum, quia si non explicaret, Reus non dicitur sufficienter contumax, eo quod bona fide possit credere alium superesse terminum, seque illum velle expectare; vrgente verò necessitate fieri potest, vt vna monitio absolutè sufficiat. *cap. Constitut. cap. de illicita 24. quæst. 5. cap. Cum sit de appellat. cap. reprehensibilis 26.*

Sciendum 2. in aliquibus casibus trinam admonitionem posse admitti. Primò, quando delictum est notorium simul cum eius auctore. Ita Abbas *cap. Illud de Clerico excommunicato.* Secundò, ratione contumaciæ iam cognitæ, vt quia Reus apertè dixit se nolle obedire. Tertiò, ratione periculi in mora, vt docet Nauar. *cap. Cum contingat de rescript. cap. 5.* & ex alijs etiam causis.

Sciendum 3. non modò monitionem requiri in excommunicatione lata ab homine, sed etiā excommunicatione lata à iure, quæ non distinguitur à scientia, & cognitione ipsius legis, & ideò cognitio, & scientia legis supplet pro admonitione, cùm lex dicatur semper loqui, & admo-

admonere, modò (vt dictum est) non ignoretur, quia vt infra dicetur, ignorantia inuincibilis excusat ab incurrenda excommunicatione.

R. 3. In censura, quæ fertur ab homine generaliter pro culpis futuris non requiritur admonitio. Ratio est, quia etsi non sint eiusmodi censuræ, seù excommunicationes ita permanētes, vt leges, quæ semper ex se durant, & loquuntur; attamen in modo, quo feruntur, sunt illis similes, quia continent pręceptum, & censuram latæ sententiæ.

Sciendum 4. dubium esse, an in excommunicatione ferendæ sententiæ requiratur admonitio distincta à publicatione legis. Ad quod respondeo non requiri admonitionem peculiarem distinctam à prohibitione legis. Ratio est, quia scientia ipsius prohibitionis supplet pro admonitione, & transgrediens prohibitionem notam, censetur sufficienter contumax ad incurrēdam excommunicationem, licet etiam contraria opinio videatur probabilis.

Cui facienda sit admonitio?

BRACTEA LXXII.

R. Qvando censura fertur contra personam aliquam particularem, & determinatam, admonitionem esse illi faciendam, ne contingat innocentem puniri in re tam graui. Ratio est, quia ad censuram requiritur contumacia, quam non incurrit, nisi sit admonitus. Ita Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 18. §. 1. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 9. *num.* 79. secùs vero dicendum est, si censura feratur contra indeterminatas personas, quæ scilicet tale delictum commiserunt, quia tunc satis est admonitionem fieri in loco publico, more vsitato, vt v. g. in Ecclesia indè poterit deuenire in notitiam delinquentiū.

Sciendum eiusmodi admonitiones fieri debere iuxtà consuetudinem loci, quæ regulariter est, vt fiant sub expressa cominatione censuræ, nisi infra terminum assignatum paruerit, itemque quando fit vna monitio pro trina, vt dictum est, id debet explicari, vt Reus intelligat terminum assignatum peremptorium, alioquin non diceretur sufficienter contumax, vt statim possit censura puniri.

Sciendum 2. quod quando fit admonitio alicui personæ, debent interesse personæ idoneæ, quæ testentur monitionem fuisse factam. Et colligitur *ex cap. Sacro de sententia excommunication.* Vbi superior, qui sine monitione, & sine hac circumstantia tulerit excommunicationem interdicitur ab ingressu Ecclesiæ per vnum mensem. Ita Panormit. *cap. Sacro*.

Sciendum 3. admonitionem faciendam esse auctoritate illius, qui censuram ferre debet. Ratio, quia censura fertur ob inobedientiam, & contumaciam contra præceptum superioris non dicitur autem quis inobediens, & contumax contra præceptum superioris, nisi admoneatur auctoritate, & nomine superioris. Ita Suarez *disp.* 3. *sect.* 11. *num.* 1. Filiucius *tract.* 11. *cap.* 4. *quæsit.* 6. & alij.

De causis excusantibus ab incurrenda censura?

BRACTEA LXXIII.

Sciendvm censuram aliam esse iustam, & alia iniustam. Censuram iustam esse illam, quæ datur ob iustā causam, nimirū ob peccatū mortale, quod habebat adiunctāt cōtumaciā, & datur etiam eo modo, quo debet dari substantialiter, & accidentaliter. Iniustam tripliciter esse posse. Primò, quando non prouenit ex amore iustitiæ, sed potius ex ira, odio, &c. Secundò, quando in ea ferenda non seruatur ordo substantialis necessarius ad validitatem sententiæ, & etiam accidentalis, absque causa. Tertiò, quando causa, pro qua fertur censura, non est vera, vel non est æqua, licet in iudicio probetur per testes vera, & in hoc casu dicitur materialiter iniusta.

Sciendum 2. censuram iniustam differre à nulla, quia iniusta potest esse valida, nulla autem semper est inualida. Iniusta, vel est ratione ordinis iuridici non seruati, vel ratione defectus legitimæ causæ, quæ iniustitia non habet locum in censura lata a iure, sed solum in lata ab homine. Censuram iniustam ex defectu ordinis iuridici accidētalis iusta causa validam esse, ex defectu vero formæ substantialis, inualidam, sicuti censurā iniustā ex defectu causæ nullam etiam esse, secus dicendum, si adsit causa saltem præsumpta. Quibus positis.

R. Ignorantiam probabilem, tam iuris cōmunis, quam particularis excusare ab incurrenda censura, & ita colligitur *in cap.* 2. *de constitution. in* 6. Ratio est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, sed vbi reperitur ignorantia probabilis, ibi non adest contumacia. Ergò, &c. Ita Couar. *cap. Alma mater part.* 1. §. 10. *num.* 6. Henriq. *lib.* 3. *cap.* 23. Suarez *disp.* 8. *sect.* 4. *num.* 6. Reginald. *lib.* 9. *num.* 200. Nauar. *cap.* 27. *num.* 16. & alij.

R. 2. Ignorantiam probabilis facti, aut qualitatis facti excusare ab incurrenda censura. Ratio est, quia sicut ignorantia excusat à peccato; ita etiam excusat à pęna, tùm quia interueniente ignorantia facti, vel qualitatis facti, non adest contumacia, quæ requiritur ad incurrendam censuram. Ita Molina *tom.* 4. *disp.* 53. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. Salas *de legibus disput.* 15. *sect.* 9. *num.* 110. Filiucius *cap.* 8. *quæsit.* 9. Vasquez *tract. de excommunic. dub* 14. *num.* 2. Reginald. *lib.* 9. *num.* 199.

Sciendum 3. illam dici ignorantiam inuincibilem facti, quando iuxtà negotij qualitatem, & occurrētes circūstantias adhibita est sufficiēs diligentia, & prudenter operatum est, quia si tunc præter intentionem aliquid contingat, censebitur ignorantia inuincibilis. Ignorantiam iuris tunc dici inuincibilem, quando quis iuxta præcepti officij, & personæ qualitatem adhibet sufficientem diligentiam, vt sciat leges ad se, suumque officium pertinentes: si enim hoc posito contingat aliquam ex ijs ignorare, dicetur illa ignorantia inuincibilis: si verò negligēs sit in sciendis suis obligationibus, ignorantia erit vincibilis. Ita vincitur *ex cap. si culpa de iniuria, &c.*

Sciendum 4. ꝙ ex duabus regulis potest, quis cognoscere an quis habeat ignorantiam inuincibilem. Prima, vt aduertatur an aliquando

venerit

venerit in mentem tale preceptum, vel dubium de eiusmodi obligatione. Quod si nullo modo mente occurrerit, dicitur laborare ignorantia inuincibili: secus verò dicendum, si in mentem tale præceptum venerit, vel habuit dubiũ de tali obligatione, quia tunc dicitur habere ignorãtiam vincibilem, cũ tale dubiũ per diligentiam potuerit euacuare. Secunda, an is, qui tenetur aliquid scire, & habuit sufficieter principium de tali obligatione, si adhibuit omnem diligentiam moralem ad sciendam veritatem, vel consulendo viros doctos, vel legendo libros, si ex se potest intelligere, & adhuc remãsit ignorantia, illa dicetur inuincibilis: secùs verò si non est visus diligentia, ad sciendam veritatem: Ignorantiam inuincibilem duplicem etiam esse. Affectatam, qua quis affectat nescire, vel nescit ea, quæ spectant ad suum officium, & alteram crassam, & supinam, quæ contingit quando quis non adhibuit diligentiam, moraliter, & humano modo ad sciendum id, quod scire tenetur.

Sciendum 5. ignorantiam quandoque appellari antecedentem, quandoque comitantem, & quandoque consequentem. Antecedens dicitur illa, qua non posita, actus malus nõ fieret. Comitans dicitur illa, quæ si non adesset actus nihilominus fieret. Ignorantia consequens, quæ quouis modo est voluntaria, & culpabilis. Quibus positis.

R. 3. Ignorantiam siuè facti, siuè iuris, si mortaliter sit vincibilis, non excusare à censura, si tãntum venialiter excusare à censura graui. Ratio est, quia quando interuenit culpa grauis in ignorantia, adest inobedientia, & contumacia sufficiens ad incurrendam censuram, nempe contumacia grauis volita indirectè; ergo nihil erit, vnde queat excusari: secùs verò dicendum est, si ignorantia sit culpabilis tantummodo venialiter, quia tunc adest solum leuis inobedientia, & contumacia, & per consequens non datur sufficiens causa censurę, cũ non pertingat ad culpam mortalem, qualem requiri ad excommunicationem dictum est.

R. 4. Ignorantiam pęnæ excusare ab incurrenda pęna censuræ. Vnde qui scit aliquod delictum prohibitum esse, sed nescit prohibitum sub tali censura, non incurret illam committendo tale delictum sub censura prohibitũ. Ita Nauar. *cap. 27. num. 274.* & alij.

R. 5. Ignorantiam comitantem excusare ab incurrenda censura. Ratio est, quia censura non incurritur, nisi transgrediendo delictum voluntariè, prohibitum sub censura: At qui aliquid operatur ignorantia comitanti, volũtariè non trãsgreditur præceptum. Ergo, &c. Vt patet in eo, qui putans occidere feram, occidit hominem, qui non contrahit excommunicationem, si quę lata esset contra homicidas. Ita Vasquez *prima secunda quest. 76. ar. 3. disput. 126.* Molina *disp. 53. num. 2. tom. 4.* & alij.

Sciendum 6. non incurri excommunicationem ab eo, qui percutit Clericum nesciens prohibitum esse sub excommunicatione Clericum percutere. Similiter non incurrere excommunicationem, qui percutit Clericum, quem ignorantia probabili credebat esse laicũ, quia laborat ignorantia probabili qualitatis facti: Secus dicendum, si dubitauerat ipsum esse Clericum, si nullam, vel saltem modicam adhibuit diligentiam ad cognoscendum num esset Clericus, quia tunc dicitur laborare ignorantia crassa, & supina, quæ non excusat ab incurrendis censuris. Tertiò, non incurri excommunicationem ab eo, qui proijcit saxum ad percutiendum Caium Clericum, sed fortè inculpabiliter percutit alium Clericum illac transeuntem, nam percussio istius clerici est inculpabilis, & ad excommunicationem requiritur culpa mortalis, modò diligentiam adhibuerit, ne actus perueniret ad alium: secus vero dicendum est, si non est visus diligentia, ne actus perueniret ad alium. Quartò, percutientem Clericum cum hac intentione volo occidere hunc hominem, qui est laicus, aut si est Clericus adhuc volo illum occidere, ligari excommunicatione, quia actus externus est malus, & efficaciter dependet ab illo actu interno, quo percutiens vult hunc hominem occidere; quod non accidit, quando adest ignorantia comitans, tunc enim actus externus non prouenit ab actu interno iniusto. Ita Auila *2. part. cap. 5. disp. 5 dub. 6.* Suarez *disp. 4. sect. 8. num. 10.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 16. num. 14.* Filiucius *tract. 11. cap. 8. quæsit. 9. num. 247.* & alij.

Sciendum 7. ad non incurrendam excommunicationem sufficere ignorantiam inuincibilẽ sententię excommunicationis ab homine latæ, ita vt minimè ligetur is, qui fecit id, propter quod lata est, si propter illud latam esse inuincibiliter ignorarit. Ratio est, quia ignorans non potest censeri inobediens, & contumax in quem solum excommunicatio ferenda est: *ex cap. nemo Episcoporum 11. quæst. 3.* Secundò, ad ipsam non incurrendam sufficere ignorantiam inuincibilem statuti particularis, si factum, propter quod decernit excommunicationem sit alias licitum, nec vlla diuina, aut naturali lege prohibitum, vt si per synodale statutum excommunicentur Clerici ferentes sclopptum, certũ est tali excommunicatione eos non ligari; qui ignorantia inuincibili ignorant statutum.

An metus, & impotentia excuset ab incurrenda Censura?

BRACTEA LXXIV.

R. Qvando metus talis est, vt excuset à culpa, propter quam esset incurrenda censura, etiam excusabit ab ipsa. Ratio est, quia censura nunquam incurritur sine culpa proportionata. Ita Nauarr. *cap. 27. num. 63.* Auila *2. par. disp. 8. dub. 5.* Suarez *de legib. disp. 11. sect. 1.* Duardus in *bull. cęnæ lib. 1 cap. 1. quæsit. 3. num. 49.* & alij. Secùs dicendum est, si lex illa, quam transgrediendo, debet quis incurrere censuram, sit non tantum humana, sed etiam naturalis, & diuina tunc etiamsi metus non excuset à culpa, vt est contra legem naturalem, vel diuinam, excusare tamen à pęna, quia excusat à culpa, vt est contra legem humanam, ex qua pendet censura. Quando verò metus incutitur directè in contemptum Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis, tunc sicut non excusaret à culpa, ita neque à pœna. Ratio est, quia agitur de damno religionis, boniq; communis, etiam cum periculo mortis, tenetur quis seruare talem

legem, quam quisque tenetur seruare lege naturali.

R. 2. Impotentiam faciendi, quod percipitur sub excommunicatione excusare ab incurrenda excommunicatione. Ratio est, quia ad impossibile nemo tenetur, & hoc non modo intelligendum est de impotentia physica, sed etiã morali, & ideò si feratur sententia excommunicationis in aliquem, nisi restituat ea, quæ deprædatus est, aut quæ alio nomine iustè debet, excusatur ab excommunicatione, si tempore sententiæ fuerit impotens, licet in tali casu, qui non potest soluere in totum, teneatur in partem. Secundò non obstante impotentia soluendi excommunicationem latam in non soluentem duraret tempore, quo fuerit potens ad soluendum, ita vt in excommunicationem incurrat, si factus ditior non soluat. Ita Sotus, Nauarrus, Corduba, & alij, quos citat, & sequitur Suarez *disp. 20. sect. 3. num. 9.* & alij.

An appellatio excuset ab excommunicatione?

BRACTEA LXXV.

R. Legitimam appellationẽ excusare ab incurrenda censura lata sub conditione, modo fiat ante conditionis euentum. Ita Nauar. *cap. 27. num. 159.* Sayr. *lib. 1 cap. 16. n. 24.* Vgolin. *tab. 1. cap. 13.* §. 18. Auila *2. par. cap. 5. disp. 5. dub. 11.* & alij. Ita colligitur ex *cap. preterea 2. de appellat. & cap. pastoralis*. Secus dicendum est, si lata sit purè, & absolutè, quia tunc per appellationem non suspenditur, sicut nec etiam suspenditur excommunicatio lata sub conditione post cõditionis euentum. Ita Suarez *disp. 3. sect. 6. num. 5.* & alij.

R. 2. Appellationem à sententia sub conditione lata excusare ab incurrenda pęna, etiamsi posteà appellatio ipsa non fuerit prosequuta. Ita Conar. *cap. Alma mater 1. part.* §. 10. Vgolinus *tab. 1. cap. 13. num* 18. & alij, & probatur ex *cap. licet de sententia excommunic. in 6.*

Sciendum licitum esse appellare à sententia declaratoria, & reo competit ius se defendendi per appellationem à tali sententia. Ita plures apud Suarez *disp. 3. sect. 1.* & apud alios. Vndè declaratum excommunicatum non esse vitandum facta appellatione à sententia declaratoria, quia appellatio suspendit effectum sententiæ declaratoriæ. Ita Suarez *disp. 3 sect. 15. num. 20.* & alij.

Sciendum 2. ad appellationem duo requiri. Primum est, vt appellatio fiat cum probabili, & sufficienti causa, vel saltem, vt appellans bona fide appellet existimans se habere probabilem, & sufficientem causam, quia si aliter appellaret, non excusaretur ab incurrenda cẽsura per appellationem. Secundum est, vt appellatio fiat debito tempore, quod debitum tempus iuxta Abbat. *in cap. preterea 2. de appellat.* est spatium decem dierum, quia tale spatium præscribitur ad appellandum in omnibus alijs sententijs, licet iuxtà communiorem sententiam tempus ad appellandum in censuris est, quodcumque tempus intercedens ante conditionis euentum.

An consensus illius, in cuius fauorem lata est censura excusare possit ab incurrenda censura?

BRACTEA LXXVI.

R. Esse sufficientem ad suspendendam censuram, ne incurratur. Ita Angel. *verbo excommunicatio num. 2.* Coninch. *disp. 14. dub. 16. num. 199.* Filiuc. *tract. 11. cap. 3. quæsit. 13. num.* 80. vt v. g. si latum sit præceptum ad instãtiam, fauoremq; creditoris iura, vt intrà mensem restituat, prorogatione facta à creditore, prorogari etiam excommunicationem. Ratio est, quia absque contumacia non incurritur censura, at debitor concessa dilatione à creditore, non est cõtumax. Ergo, &c. etiamsi talis prorogatio sit, nesciente Iudice, qui tulit sententiam excommunicationis, sed satis sit, quod fiat prorogatio condonante creditore propter rationem allatam. Ita Filiuc. *loco cit. num. 81.*

Quæ sint excommunicationes Papæ reseruatæ extra Bullam cœnæ?

BRACTEA LXXVII.

R. *Contra omnes*; esse sequentes. Prima in incendiarios. Secunda intubentes litteras Apostolicas falsas, & in falsarios litterarum Apostolicarum. Tertia, in effringentes, & spoliantes Ecclesias. Quarta, in communicantes eodem crimine cum excommunicatis à Papa. Quinta, in vexantes eos, qui censuram in alios tulerunt. Sexta, in Absolutos ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. Septima, in Violantes interdictum Papale. Octaua, in dantes, & recipientes aliquid ex pacto ob admissionem ad religionem. Nona, in simoniacos reales circa ordinem, vel beneficium. Decima, in committentes simoniam confidentialem. Vndecima, in impediẽtes executionem litterarum sacræ pęnitentiariæ. Duodecima, in dantes, & recipientes aliquid pro gratia, aut iustitia apud sedem Apostolicam. Decimatertia, in cõmittentes duellum, & ad id cooperantes. Decimaquarta, in mulieres ingredientes monasteria Regularium. Decimaquinta, in impugnantes institutum societatis Iesu. Decimasexta, in facientes iurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ. Decimaseptima, in rapientes bona Ecclesiastica rem exigentes tributa ab Ecclesiasticis. Decimaoctaua, Violantes libertatem Ecclesiasticam, quoad fugientes ad Ecclesiam. Decimanona, Docentes posse fieri confessionem in absentia. Vigesima, in eos, qui alterutram opinionem de Conceptione B. Virginis damnant peccati mortalis, vel hæreseos, Item in eos, qui in concionibus alijsque publicis actibus vt lectionibus, conclusionibus, &c. asserunt B. Virginem conceptam in originali. Vigesima prima, in percussores Clericorum.

R. 2. *Contra Clericos, & Religiosos esse sequentes*. Prima, participantes in sacris cum excommunicatis à Papa. Secunda, procurantes alienationẽ Ecclesiarum. Tertia, in concionatores, qui scripturæ sensum à Doctorum interpretatione alienum

alienum circa tempus Antichristi, & extremi iudicij, aliaque similia reuelata prædicant. Quarta, In Parochos non implentes iuramentum de residentia factum. Quinta, in Mendicantes transeuntes ad alium ordinem, præter Carthusian. Sexta, in Moniales exeuntes claustra sine licentia. Septima, In religiosos, qui sine priuilegio, vel speciali licentia Parochi Clericis, aut laicis Sacramentum Eucharistiæ, vel vnctionis ministrare, vel matrimonia solemnizare præsumunt.

De excommunicationibus Papæ reseruatis in Bulla cœnæ?

BRACTEA LXXVIII.

Rᴇxᴄᴏᴍᴍᴠɴɪᴄᴀᴛɪᴏɴᴇs Papę reseruatas in Bulla cœnæ, esse sequentes.

Excommunicatio I.

Contra Hæreticos, & Apostatas à fide credentes hæreticorum Receptatores, fautores, Defensores eorum agētes, scienter libros eorum continentes hæreses, vel de Religione tractantes. Retinentes, Imprimentes, Defendentes, Schismaticos, & subtrahentes se ab obedientia Summi Pontificis.

Excommunicatio II.

Contra Appellantes ab ordinationibus, seu mandatis Papæ ad futurū Concilium generale.

Accessoriæ. Dantes Auxilium, & fauorem ad appellandum.

Excommunicatio III.

Contra Piratas Cursarios, & latrunculos maritimos, Discurrentes mare Summi Pontificis; præcipuè à monte Argētario ad Terracinam.

Accessoriæ Contra Fautores, Receptatores, Defensores eorumdem.

Excommunicatio IV.

Contra Surripientes bona christianorum naufragantium, inuenta in ipsis nauibus, vel eiecta in mare, siuè in litore inuenta, non solum in mare Pontificio, verum etiam in alio quolibet, non excusante priuilegio, consuetudine, immemorabilis temporis possessione, aut alio prætextu.

Excommunicatio V.

Contra Imponentes noua pedagia, seu gabellas in terris suis. Eadem augentes Exigentes prohibita imponi, vel augeri. Excipiuntur tamen habentes supremam potestatem in terris, vel qui possunt iure permittente, vel Pontifice.

Excommunicatio VI.

Contra Falsificantes, falso fabricantes, falso signantes litteras, supplicationes Sūmi Pontificis, Vice-Cancellarij, Vices ipsorum gerentium.

Excommunicatio VII.

Contra Deferentes, Equos, Arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chaliben, omnia genera metallorum, lignamina, canabem, funes ex canabe, vel alia materia, Materiam funium, & omnia alia huiusmodi.

Excommunicatio VIII.

Contra Impedientes eos, qui victualia, & alia ad vsum Romanæ Curiæ adducunt. Inuadentes eos, qui prædicta aduehunt, prohibentes, ne prædicta deferantur, perturbantes, ne adducantur.

Accessoriæ Contra Defendentes per se, vel per alios, qui prædicta faciunt.

Excommunicatio IX.

Contra Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes, Detinentes, Capientes, Vsurpantes sibi iurisdictionem ordinariam, vel delegatam Summi Pontificis, vel Iudicum ipsius, ad præstandas actiones præfatas, contra morantes in Curia.

Excommunicatio X.

Contra Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes, Detinentes, Capientes, Deprędantes, Moripetas, Morantes in Vrbe, Recedentes ab Vrbe causa deuotionis, seu peregrinationis.

Accessoriæ Contra Dantes Auxilium, Consilium, vel fauorem præfatis delinquentibus.

Excommunicatio XI.

Contra Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes, Percutientes, Capientes, Carcerantes, Retinentes, Hostiliter insequētes, Capientes ex Diœcesibus, Territorijs, Terris, seu Dominijs, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, Sedis Apostolicæ, Nuntios.

Excommunicatio XII.

Contra Occidentes, Percutientes, Spoliantes per se, vel per alios, Recurrentes ad Romanā Curiam ob lites, & negotia, Procurantes in ijsdem causis, & negotijs, Gestores negotiorum, Aduocatos, Procuratores, Agentes, Auditores, Deputatos super dictis negotijs, Iudices ordinarios, vel Delegatos.

Accessoriæ Contra Committentes id fieri. Exequentes per alios, Procurantes, Dantes, Auxilium, Consilium, aut fauorem, directè, vel indirectè.

Excommunicatio XIII.

RÉcurrentes ad laicam poteſtatem prætextu appellationis a grauamine, vel futura executione litterarum Sedis Apoſtolicæ, & Iudicum Apoſtolicorum, vel faciendo capi huiuſmodi litteras Apoſtolicas per poteſtatem laicam, vel faciendo detineri huiuſmodi litteras à poteſtate laica. Capientes, aliquam ex perſonis, quę ſunt partes actrices, Agentes partium, Notarij executores, Subexecutores, Percutientes, Vulnerantes, Carcerantes, Retinentes, Eijciētes ex Ciuitatibus, locis, & Regnis Spoliantes bonis, perterre facientes, Concutientes, Cōminantes, Præſumentes prohibere, Præſumentes ſtatuere, Præſumentes mandare. Præſumentes retinere litteras Apoſtolicas apud ſe, vel apud Notarium, vel alias.

Contra

Nequis ad Curiam accedat, vel recurrat, vel ne litteras impetret, vel impetratis vtatur.

Excommunicatio XIV.

AVocantes cauſas ſpirituales, vel ſpiritualibus adnexas ab Auditoribus Curiæ Romanæ; à Commiſſarijs Apoſtolicis, vel ab alijs Iudicibus Eccleſiaſticis.

Impedientes earumdem cauſarū curſum, Audientiam, perſonas, Capitula Conuentus, Collegia, Interponentes ſe tamquam Iudices de cognitione huiuſmodi cauſarum. Compellentes partes actrices, quæ committi fecerunt huiuſmodi cauſas ad reuocandum, vel reuocari faciendum citationes, inhibitiones; Alias litteras decretas in huiuſmodi. Compellentes eaſdem partes ad faciendum eos contra quos emanarunt tales inhibitiones abſolui à cenſuris, & pęnis in illis contentis, vel ad conſentiendum eos abſolui.

Contra

Impedientes executionem litterarum Apoſtolicarum, Executorialium, proceſſum, decretorum quomodolibet.

Acceſſoriè *Contra* Præſtantes fauorem Conſiliū aſſenſum, Mandantes, ſeù facientes per alias actiones principaliter prohibitas auctoritate propria, & de facto.

Excommunicatio XV.

TRadentes trahi facientes, trahi procurantes directè, vel indirectè, ex officio, vel ad inſtantiam partis, vel aliorum, perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conuentus, Collegia, ad ſua Tribunalia, Audientiam, Cancellaria, Cōſilium, Parlamentum.

Contra Facientes, Ordinantes, Publicantes ſtatuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, alia quęvis decreta, quibus tollitur, Leditur, Deprimitur, Reſtringitur, in aliquo, libertas Eccleſiaſtica, directè, vel indirectè; aut iuribus Sedis Apoſtolicæ, vel aliarum Eccleſiarum præiudicatur.

Vtentes ſtatutis, Ordinationibus, cōtra libertatem Eccleſiaſticam.

Excommunicatio XVI.

IMpedientes, Epiſcopos, Prælatos, aut alios Iudices Eccleſiaſticos ordinarios, ne iuriſdictione ſua vtantur contra quoſcunque.

Recurrentes ad Curias ſæculares, eludentes ſententias iudicum Eccleſiaſt.

Contra Procurantes à Curiis ſæcularibus prohibitiones, mandata, contra ſentētias Ordinariorum delegatorum.

Decernentes huiuſmodi prohibitiones, & mandata, eadem exequentes.

Acceſſoriè *Contra* Auxilium, Conſilium, Patrocinium, fauorem, dantes in prædictis.

Excommunicatio XVII.

VSurpantes, Sequeſtrantes ſine legitima facultate iuriſdictionem fructus, reditus, prouentus pertinentes ad Summum Pontificem, ad Sedem Apoſtolicam, ad quaſcunque alias perſonas Eccleſiaſticas. Ratione Eccleſiarum, Monaſterium, aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum.

Contra

Excommunicatio XVIII.

IMponentes Decimas, collectas Taleas Præſtantias, alia onera per ſe, vel per alios directè, vel indirectè Clericis, alijs perſonis Eccleſiaſticis, bonis Eccleſiarum Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum fructibus, Reditibus, Prouentibus prædictorum Recipientes ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus.

Contra

Acceſſoriè *Contra* facientes, prædicta, Executores, Procurantes, Præſtantes, Auxilium, Conſilium, fauorem.

Excommunicatio XIX.

QVoſcunque Magiſtratus, Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, Conſiliarios, Senatores, Præſidentes, Cancellarios, Vice-Cancellarios, alios quouis nomine noncupatos, qui contra perſonas Eccleſiaſticas in cauſis capitalibus quomodolibet ſe interponunt. Proceſſando, Banniendo, Capiendo, Proferendo, exequendo ſententias contra ipſos ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ſpecifica, expreſſa.

Contra

Excommunicatio XX.

INuadentes, Deſtruentes, Occupantes, Detinentes per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè, Ciuitates, Terras, Loca, iura, Eccleſiæ Romanæ mediatè, vel immediatè ſubiecta.

Contra Vſurpantes, Perturbantes, Retinentes, Vexan-

Vexantes supremam iurisdictionem in dictis locis.

Accesso-rie *Contra* Adhærentes, Auxiliantes, Consulentes, facientes, quomodolibet.

Excommunicatio XXI.

Contra ABsoluentes à præfatis excommunicationibus sine debita facultate, licet hæc vi Bullæ non sit reseruata.

Sunt etiam plures aliæ excommunicationes in Clementinis, extrauagantibus, sexto decretalium quarum aliquæ sunt contra priuatas personas, & aliæ contra omnes, tam Clericos, quam Religiosos, contra Magistratus, Iudices, &c. quæ nemini reseruantur. Aliæ sunt excõmunicationes in decreto contra omnes, Papæ reseruatæ. Quę breuitatis causa omittuntur.

Quæ sint excommunicationes reseruatæ Episcopis?

BRACTEA LXXIX.

RESSE subsequentes. Prima, quæ contrahitur ex percussione leui. Secunda, in eos, qui absoluti in articulo mortis ab eo, qui alias non poterat, non se præsentant superiori, postquam conualuerunt. Tertia, in procurantes abortum fętus animati secuto effectu. Quarta, in eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo. Quinta, Eę omnes, quas ferunt Episcopi per propria statuta, & sibi reseruant, quas confessarij videant.

MALLEATIO XXVI.

De Suspensione, quatenus impedit exercitium Ordinis.

Quid sit suspensio?

BRACTEA I.

SCIENDVM hoc nomen suspensionis duo pręcipuè apud Latinos significare. Primò, expectationem animi dubium, aut incertum alicuius euentum. Secundò, dilationem, quæ interponitur in vsu, vel in expeditione rei, quo pacto dicitur sententia, aut officium suspendi. Tertiò, metaphoricè sumitur ad significandum effectum huius censuræ.

Sciendum à tribus modis accipi, hoc tertio modo considerata, Primò, latissimè quatenus significat prohibitionem, cuiuscumque officij etiam sęcularis. Secundò, minus latæ, quatenus significat priuationem vsus officij Ecclesiastici. Tertiò, propriè pro censura Ecclesiastica, pro qua ita, quis prohibetur exercere actus ordinis, vt si contrafaciat, irregularitatem incurrat, secundum quam acceptionem suspensio definitur Ecclesiastica censura, qua persona Ecclesiasticæ suam ob culpã prohibetur vsus officij, vel beneficij Ecclesiastici in totum, vel ex parte in certum, vel in perpetuũ tẽpus exercere, siuè, (vt alij loquuntur) suspensio est censura Ecclesiastica, qua Clericus priuatur vsu officij, aut beneficij Ecclesiastici. Dicitur cẽsura loco generis, dicitur Ecclesiastica, vt distinguatur à prohibitionibus ciuilibus, & vt indicetur, quod causa efficiens suspensionis est persona Ecclesiastica.

Quotuplex sit suspensio?

BRACTEA II.

RSVSPENSIONEM multiplicem esse. Primò, alia est ab officio tantum, siuè officium sit ordinis, siuè iurisdictionis: Alia est à beneficio tantum: alia est à beneficio, & officio simul. Rursus suspensio ab officio subdiuiditur in suspensionem in totum. vel in partem. Item in temporalem, & perpetuam, in à iure, & ab homine, in comminatoriam, vel latæ sententiæ, absolutam, vel conditionalem. Vltimo in pęnalem, & medicinalem. Pęnalem illam esse, quę fertur in pœnam alicuius delicti præteriti, quæ potius est pœna, quam censura medicinalis, est illa, qua intenditur emẽdatio, & bonum delinquentis, & hæc est propriè censura.

Sciendum suspensionem differre à cœteris censuris. Primò, differt ab excommunicatione maiori, quia excommunicatio priuat actionibus, quatenus sunt quædam communicatio: suspensio verò illis priuat, quatenus sũt, quędam functio officij, vel beneficij, differt etiam ab interdicto, quia non inducit priuationem tantarum rerum, sicut inducit interdictũ. Differt etiam ab irregularitate, quod irregularitas priuat susceptione ordinis, vt ordo est, suspensio verò, peccat exercitio ordinis, vel beneficij, seu potestatis Ecclesiæ, vt est quædam functio. Differt vltimo à degradatione, & depositione, quod per degradationem, seu depositionem inducitur priuatio vniuersalis beneficij, & officij, sine spe reconciliationis cũ solemni quadam cęremonia, quod non accidit in suspensione. Ita communiter Doctores.

Quem effectum habeat suspensio simpliciter lata?

BRACTEA III.

RSVSPENSIONEM simpliciter latam suspẽdere absolutè ab officio, & beneficio, nisi ex antecedentibus, aut cõsequentibus verbis, aut ex intentione Iudicis aliqua colligatur restrictio. Ita Siluest. *verbo suspensio quæst. 5.* Auila *de suspens. dub.* 1. Sayr. *lib. 4. cap. 4. num. 3.* Vgolin. *tab. 4. cap. 14.* Tolet. *lib. cap. 43. regul 6.* Filiucius *tract. 17. quæst. 15.* & alij communiter. Ratio est, quia appellatione generis, aut quasi generis veniunt omnes eius species: suspensio aut absolutè sumpta est, quasi genus ad omne genus suspensionis. Ergo, &c. tum etiam, quia verba accipienda sunt, prout sonant, & cum generalia sint, generaliter accipienda sunt. Ita Auctores citati.

Sciendum suspensum simpliciter ab officio, non

non esse pariter à beneficio suspensum. Ita Suarez *disp.26.sect.3.num.4.* Nauarrus *cap.27.num.1660.* Henriquez *cap.32.num.3.* Filliucius *loco citato num.20.* Reginaldus *lib.32.tract.2.num.11.* Secundò, Clericum simpliciter ab officio suspensum intelligi suspensum non modò ab officio ordinis, sed etiam ab officio iurisdictionis, atque ab alio quolibet Clericali. Ita communiter Doctores. Ratio est; quia vsus ordinis, & iurisdictionis competit ratione officij absolutè prolati. Ergo suspensus ab officio intelligitur suspensus ab officio ordinis, & ab officio iurisdictionis. Tertiò. suspensum ab actibus ordinis non esse suspensum ab actibus iurisdictionis, nec contra suspensum ab actibus iurisdictionis, suspensum esse ab actibus ordinis. Ratio est, quia sicut intra latitudinem muneris personæ Ecclesiasticæ suspensio ab officio præscindit à suspensione à beneficio, & contra, sic, & intra latitudinem officij eiusdem personæ, suspensio ab ordine præscindit à suspensione iurisdictionis. Quartò, suspensum à Diuinis non modò prohibetur Diuina officia celebrare, sed etiam illa audire, dum celebrantur, quod tamē intelligendum est de celebratione Diuinorum publica, & solemni. Quintò, suspensum ab ingressu Ecclesiæ in hoc consistere, quod Clericum suspendat à publico in Ecclesia exercitio officij cuiuscumque Diuini, siuè ordinis, vt Sacerdotij, siuè alterius Clericalis officij, vt psallendi in Choro; ita vt huiusmodi suspensione ligatus mortaliter peccet peragendo Diuina Officia in Ecclesia, tum eam ingrediendo; vt oret, dum illa peraguntur tamquam inobediēs in prohibitione directè facta in re graui, licet alio tempore posset ingredi Ecclesiam, & in ea priuatim orare. Sextò, suspensum ab officio inferioris ordinis suspendi simul ab officio superioris ordinis, non contra suspensum ab officio superioris ordinis suspendi ab officio inferiorum, v.g. suspensum ab officio Diaconatus simul suspendi ab officio Præsbyteratus, & suspensum ab ordine Sacerdotij non esse suspensum ab ordine Diaconatus. Et sic de cęteris. Septimò suspēsionem à Pontificalibus esse, qua quis suspenditur ab eo officio, quod proprium est Episcopi; ita vt nequeat conferre primam Tonsuram, vel Ordines, aut Confirmationem, vel consecrare Ecclesias, aliaque similia facere, non tamen intelligitur suspensus ab ijs, quæ pertinent ad iurisdictionem, cuiusmodi sunt excommunicare, conferre beneficia, sicut nec intelligitur suspensus à celebratione Missæ, &c. vt habetur *cap. Transmissam de elect.* Et ita communiter Doctores, quia celebratio non videtur propriè ad Pontificalia pertinere, cum etiā simplex Sacerdos, qui non potest Pontificalia exercere, possit Missam celebrare. Octauò, suspensum à beneficio non suspendi ab ordine, nec iurisdictione, quę ei conuenit alia ratione, quam beneficij, à quo est suspensus. Ita Nauarr. *cap.27.num.160.* & alij.

De suspensione ab Officio?

BRACTEA IV.

R. Primo per suspensionem ab Officio intelligi suspensionem ab vsu omnis potestatis spiritualis ad exercendum aliquem actū, siuè sit ordinis, siuè iurisdictionis, siuè administrationis alicuius rei Ecclesiasticæ. Ita Gloss. *cap. Cum dilectus de consuetud.* Felinus *cap. Apostolicæ de except.nu.16.* & alij communiter, quæ si sit simpliciter lata, priuat absolutè, & simpliciter omni vsu: si verò cum limitatione iuxta restitutionem limitationis.

Sciendum suspensionem ab officio simpliciter latam absque loci determinatione valere pro omni loco. Ratio est, quia Prælatus potest sibi subditum suspendere, ne alicubi celebret, aut confessionem audiat, ergo, &c. & licet Prælatus nequeat obligare extra territorium per statutum, vel legem *ex cap.2.de constitut.in 6.* tamen per præcepta particularia, quæ imponuntur personis, & immediatè eas respiciunt, potest etiam eosdem obligare extra. Ita Filliucius *de censuris in particul.tract.17.cap.2.num.17.*

R. 2. Suspensum ab ordine esse suspensum ab omni vsu ordinis, cum illa particula, ab ordine, generalis sit, & indefinita.

Sciendum, quod si suspensus ab ordine non sit absolutè suspensus, sed solùm ab aliquo actu determinato. V.g. ab Officio celebrandi, seu ab Altari, sic suspensus, alios actus pertinentes ad Sacerdotem exercere potest. Ita Textus *in cap. Significauit de corpore vitiatis.* Vnde Episcopus suspensus à collatione ordinum hanc suspensionem tantùm impedire vnum actū ordinis Episcopalis, & non cęteros actus, id enim tantùm verba illius suspensionis significant.

De suspensione à beneficio?

BRACTEA V.

R. Suspensionem à beneficio simpliciter factam priuationem esse vsus iuris ad recipiendum temporale emolumentum, quod constat ex eo, quia & si duo sint in beneficio. Primùm functio aliqua spiritualis, quæ dicitur officium. Secundum temporale emolumentum, ad quod beneficium confert ius quoddam ex se perpetuum, tamen suspensio à beneficio priuat tantùm vsu iuris ad recipiendum temporale emolumentum, & cum versemur in materia odiosa, suspensio est restringenda ad priuationem vsus iuris percipiendi emolumentum ex beneficio, non autem ad beneficium.

Sciendum suspensionem à beneficio non tollere obligationem, quam secum affert beneficium. Ratio est, quia in pœnam potest priuari emolumento beneficij, & quia non priuatur titulo, remanere obligationem beneficio annexam, & ideò suspensus propriæ culpæ tribui debet, quod priuetur fructibus beneficij, & ideò suspensus à beneficio non satisfacit suo muneri, si aliam substituat ad officium suum, præsertim si Curatum esset, debet enim personaliter seruire, nisi rationabilis adesset causa, & consensus Superioris, vt docet Gloss. *in cap. Cupientes de elect.in 6. verba beneficij.*

Sciendum 2. nomine beneficij non tantùm intelligitur vnum, si vnum tantùm habeat suspēsus, sed etiam plura, si plura habeat. Ratio est, quia numerus indefinitus æquiualet vniuersali, tum quia habet negationem inclusam; & perinde est, ac si diceretur non poterit recipere fructus beneficij vllius, limitatur tamen in casu, quo causa suspensionis pertineat ad Ecclesiam

cleſiam ſpecialem, tunc enim ſuſpenſio à beneficio intelligitur eſſe ab eo, quod quis habet in tali Eccleſia, vel ſi plura obtineat in illa, eſſe ab omnibus illis. Ita Gloſſ. *in Clementina 2. de vita, & honeſt. Clericorum verbo beneficiorum.*

Sciendum 3. nomine fructuum, quibus priuatur ſuſpenſus cōprehenduntur. Primò, redditus omnes temporales, qui percipiuntur ratione beneficij, cuiuſcumque conditionis ſint, ſiuè per modum decimarum, aut oblationum, ſiuè vt prouētus ex fundis, vel penſiones. Secundò, etiam quotidianæ diſtributiones, quæ in ordine ad ſuſpēſionem ſub nomine fructuum comprehenduntur, cum dentur ratione beneficij. Tertiò, nomine fructuum non comprehenduntur diſtributiones aliæ voluntariæ à fidelibus oblatæ propter onera perſonalia; vt ſunt Anniuerſaria, ſtipendia Miſſarum, & ſimilia, cum hæc non proueniant ex titulo beneficij, nec illi ordinariè annexa ſint.

Quandiù duret ſuſpenſio?

BRACTEA VI.

R. TRIBVS modis tolli ſuſpenſionem. Primò, ſi ob delictum præteritum impoſita eſt ad certum tempus, v.g. ad triennium, vel ſub conditione donec reſtituerit, elapſo tempore, vel impleta conditione per ſeipſam ceſſat ſine alia Superioris declaratione. Ita Gloſſ. *recept. in Clement.* 1. Couaruuias *in 4. decretal. par. 2. cap. 6.* Nauar. *cap. 27. nu. 161.* Henriquez *lib. 13. cap. 35. num. 2.* Auila *par. 3 diſput. 6. dub. 1.* Suarez *diſp. 29. ſect. 1. num. 1.* & alij. Secundò, per abſolutionem tollitur ea ſuſpenſio, quæ propriè dicta eſt cenſura propter contumaciam inflicta cum expreſſa, vel tacita lege, vt tunc & non antè abſolutio danda ſit, quam ſi à contumacia, ſeù inobedientia recedatur, ſicuti explicat Suarez *diſp. 29. ſect. 2 num. 1.* atque à tali ſuſpenſione iuris dicendum eſt Epiſcopum, vel alium quaſi Epiſcopali iuriſdictione præditum abſoluere poſſe; ſi Sedi Apoſtolicę ſpecialiter non ſit reſeruata. Couaruuias *par. 2. decret. cap. 6.* Nauar. *cap. 27. num. 162.* Auila *par. 3. diſput. 6.* Suarez *diſput. 29. ſect. 2. num. 6.* & alij. Tertiò, tollitur ſuſpenſio per relaxationem, ſeù diſpenſationem, ſi videlicet lata fuit propter peccatum commiſſum, ſeù præteritum tamquam pura pœna, quod duobus modis fieri poteſt. Primò, ad certum tempus, vt v.g. *qui id fecerit per triennium ab officio, aut beneficijs ſuſpenſus maneat*, ante cuius terminum, ſi pœna ſit relaxanda per diſpenſationem, id fieri debeat Auctore Canonis, aut eius Succeſſore Delegato, &c. Non item ab inferiore, v.g. Epiſcopo, quia ſicut legem Superioris, ita & annexam ei pœnam inferior ſoluere non poteſt. Et ita Couaruuias *in 4. decret. par. 2. cap. 6.* Sanchez *lib. 3. de matrimonio diſput. 51.* & alij. Secundò, ſuſpenſio ob delictum commiſſum, ſeù præteritum, vt pura pęna ferri poteſt in perpetuum ſine ſpe relaxationis ordinariæ, & tunc certum eſt inferiorem in tali Canonis ſuſpēſione diſpenſare non poſſe, niſi in caſibus ſpecialiter conceſſis, ſicut docet S. Antoninus *par. 3. tit. 27. cap. 4. §. ſed quæritur,* Silueſt. *verbo ſuſpenſio quæſt. 8.* Nauar. *cap. 27. num. 162.* Ratio eſt, quia Auctor Canonis, dum talem ſuſpenſionem perpetuam, & irremiſſibilem imponit, eo ipſo ſibi reſeruare cenſetur.

Sciendum iure nouo Tridentini Concilij *ſeſſ. 24. cap. 9. de reformat.* Epiſcopos abſoluere poſſe ab omni ſuſpenſione, etiam Papæ reſeruata, quāuis vt pura pęna, ſeù in perpetuum, ſeù ad certum tempus decreta ſit, dummodo proueniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentioſum. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 35. num. 2.* Auila *loco cit. diſp. 6. dub. 1.* & alij.

De effectibus ſuſpenſionis?

BRACTEA VII.

R. PRÆTER primarios effectus ſupra enarratos tamquam ſecundarios poni ſequētes. Primus eſt, quod exercens aliquod munus, à quo ſuſpenſus eſt, committit peccatum mortale. Ita Nauar. *cap. 27. num. 163.* Secundus effectus eſt, quod quis ſcienter violans ſuſpenſionem celebrando Diuina, deponendus ſit non modò à beneficio, ſed etiam ab officio, iuxta *cap. Vt Clericorum de vita, & honeſt. Cleric. §. ſi quis.* Tertius eſt, quod ſuſpenſus, qui per contemptum, & ſuperbiam ſcienter violat ſuſpenſionem, qua irretitur ſit excommunicandus, iuxta *cap. 2. Apoſtolica de Clerico excommunic.* Quartus eſt, quod quis violans ſuſpenſionem fiat irregularis per exercitium ſolemne maioris ordinis, à quo eſt ſuſpenſus. Ita Nauar. *cap. 27. num. 103.* Toletus *lib. 1. cap. 45.* Filliucius *tract. 17. cap. 11. quæſt. 4.* Reginaldus *lib. 52. tract. 2. num. 36.* Dixi per exercitium ſolemne maioris ordinis, quia exercens actus ordinis non ſolemniter, nec ex officio non incurrit irregularitatem ex communi Doctorum ſententia, ſicuti etiam non incurrit ſolemniter exercendo actus minorum ordinum, vt docet Sayrus *cap. 11. num. 9.* Ratio eſt, quia iſti actus fieri poſſunt etiam à Laicis.

An ſuſpenſus ab inferiore Ordine, quo initiatus eſt, ſi ſuſcipiat maiorem, fiat irregularis?

BRACTEA VIII.

R. NEGATIVE, ſi in ordinatione nullum exerceat actum ordinis, à quo ſi ſuſpenſus eſt, vt v.g. ſuſpenſus à Subdiaconatu in ſuſceptione Diaconatus non cantet Epiſtolam ſolēniter, ſed ſolùm gerat ſe ſub Diacono in habitu Subdiaconi. Ratio eſt, quia id non eſt exercere actum proprium Subdiaconi, ſed ſolùm ferre illius inſignia, ſiuè vti ſolemnitate actus ſeorſim ab eodem actu. Cum igitur ad irregularitatem incurrendam ob violationem ſuſpēſionis requiratur exercitium actus eiuſdem ordinis cum ſolemnitate, fit, vt ſicut exercitium actus eiuſmodi ſine ſolemnitate non ſufficit ad irregularitatem incurrendam: ita nec ſolemnitas ſufficiat ſine exercitio actus, debentque ad id ſimul concurrere actus proprius ordinis, & ſolemnitas ſpectans ad ſubſtantiam eiuſdem actus, ſicuti concurrunt in Subdiacono canente cum Manipulo Epiſtolam, & ideò ſi in ſuſceptione ordinis Diaconatus caneret Epiſtolam, eſſet irregularis. Ita Reginaldus *loco cit. n. 33.*

De

De causa efficiente suspensionis?

BRACTEA IX.

R. Quicumque excommunicationis censuram ferre potest, idem & suspensionis, ac vice versa. Ita ex communi S. Antoninus 3. *part. tit.* 28. *cap.* 4. Silu est. *verbo suspensio quaest.* 2. Couarru. *cap.* 2. *num.* 159. Suarez *disp.* 28. *sect.* 1.

R. 2. Causam subiectiuam suspensionis esse, praeter Papam, omnes Clericos. Ita communiter Summistae, & Canonistae. Ratio est, quia omnis suspensio, vel est ab officio, vel beneficio; at officium, & beneficium est proprium Clerici; ergo, &c.

Sciendum Communitatem posse suspendi. Ratio est, quia est capax culpae, sicut qualibet humana congregatio. Item est capax officij, & beneficij Ecclesiastici, potest enim conferre beneficia, delegare aliquam facultatem, & huiusmodi, quamuis non sit capax exercendi actus ordinis. Quare erit etiam capax priuationis beneficij, & officij, quod fit per suspensionis censuram.

Sciendum 2. dupliciter posse Communitatem suspendi. Primò collectiuè vt ipsum v.g. Corpus Capituli obtinens ius alicuius beneficij iurisdictionis, administrationis ab eo suspendatur. Secundò distributiuè vt singuli è Capitulo, dummodo noxij sint, eandem poenam incurrunt, & vtroque modo potest suspendi. Primo modo, quia Cōmunitas proprias habet actiones, & bona; vnde potest suspendi quantum ad actus collationis beneficiorum, delegationis, &c. Secundo modo potest etiam suspendi, & tunc id fit, quando Communitas non propriè conficit alij corpus.

R. 2. Nemo suspensionis censura ligari potest, nisi ob culpam propriam. Ita Caietanus *verbo suspensio*, Nauarrus *cap.* 27. *num.* 151. Auila *par.* 3. *disput.* 3. *dub.* 2. Suarez *disput.* 28. *sect.* 4. Coninchius *disput.* 15. *dub.* 3. Ratio est, quia suspensio est propriè dicta pęna, pęna autem requirit culpam in eo, qui punitur *cap.* 2. *de constitut.* Ergo, &c.

Sciendum 3. ad incurrendam suspensionis censuram, qualis in Sacris Canonibus decreta est, requiritur culpa mortalis. Ita Henriquez *cap.* 34. *num.* 4. Auila *loco citato dub.* 2. Coninchus *loco citato dub.* 3. & alij. Ratio est, quia pęna debet esse commensurata culpae: suspensiones autem ab officio, à beneficio, &c. sunt pęnae graues; ergo requirunt culpam grauem, seù mortalem.

De forma absolutionis à suspensione?

BRACTEA X.

R. Formam absolutionis à suspensione duplicem esse, vnam necessariam, verba scilicet vsurpari solita in absolutione ab ea, quae in suspensione sunt. *Ego te absoluo à vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem causam, & restituo te executioni tuorum ordinum, vel officiorum, vel beneficiorum, in nomine Patris, &c.* Quae verba non sunt ita necessaria, vt alia quaecumque significantia absolutionem, non sint etiam satis, vt si dicatur, *soluo te, reuoco suspensionem, relaxo;* sufficeret. Secunda forma non ita necessaria, quae pertinet tantùm ad pręceptum, & praesertim in absolutione suspensionis denunciatae, est, vt exigatur in causis grauioribus iuramentum ante absolutionem. *cap. Super eos* 2. & *cap. Venerabili de sententia excommunicationis.*

Quot modis interrumpatur suspensio?

BRACTEA XI.

R. Duobus modis interrumpi, vno modo per appellationem, altero per auctoritatem Superioris.

Sciendum, quod appellatio quaedam est, quae procedit suspensionem, & quaedam sequitur. Atque illa, quae praecedit, non tàm dicitur interrumpere suspēsionem, quàm facere irritam, & nullam, quia cum quis appellauit ad Iudicē superiorem, Iudex inferior non potest amplius procedere in ferēda suspēsione, ita vt illata post appellationē nulla sit. Ita Nauar. *cap.* 27. *n.* 165. *ex c.* 5. *Cui §. fin. de sent. excommunic. in* 6. & *ex cap. Ad haec quoniam de appellat.* quod tamen accipiendum est, cū exceptione casuum, de quibus in iure habetur, vt appellatione postposita possit Iudex procedere, aut etiam in quibus appellatio euidenter est iniusta, aut friuola, nec probabilis, vt docet Siluest. *verbo suspensio num.* 3. Ratio est, quia remedium appellationis introductum est, vt oppressorum leuamen esset, non autem vt malorum patrocinium. *ex cap. Ad nostram de appellat.*

Per appellationem autem, quae sequitur latam suspensionis sententiam, suspēsio ipsa non interrumpitur, quando est merè à spiritualibus, vt ab officio, ab ingressu Ecclesiae, &c. iuxta *cap.* 11. *Cui de sententia excommunicationis in* 6. Quod si suspensio sit mixta, idest partim à spiritualibus, partim à temporalibus ipsa post latam sententiā interrumpitur per appellationē, & ex ea parte, quę est à temporalibus, non autem ex ea parte, quae est à spiritualibus. Ita Reginaldus *lib.* 32. *tract.* 2. *num.* 40.

Secundo modo interrumpitur suspensio per auctoritatem Superioris, à quo lata est, & consequenter à Successore, vel à Superiore ipsius. Ratio est, quia sicut potest illam tollere, multò magis illam interrumpere, pręsertim cùm censurae Ecclesiasticae non habeant vim, nisi ex intentione proferentis illas.

De depositione, & degradatione?

BRACTEA XII.

Sciendum depositionem, & degradationem non poni in numero censurarum, quoniam hae sunt pęnae medicinales, & illae tantùm vendicatiuae, & haec est differentia inter suspensionem, degradationem, & depositionem, quia aliter priuant, quam suspensio, nimirùm absq; restitutionis spe in pristinum statum, vsumque eorumdem bonorum, iuxta *cap. Veritatis de dolo, & contumacia*; quae spes non tollitur per suspensionem, tum etiam quia suspensio à beneficio, priuat tantùm fructibus beneficij, at depositio priuat beneficio eodem, & cum suspensio à iurisdictione priuet tātùm illius vsu, depositio à iurisdictione priuet illius possessione, & quasi dominio idcircò.

R. Depositionem latè sumptam esse remotionem alicuius personae à munere, aut dignitate

ob

ob crimen, senium, aliumvè defectum. Strictè autem sumpta est Ecclesiastica pęna, per quam persona Ecclesiastica ob enorme crimen remouetur ab ordine, iurisdictione, vel beneficio in perpetuum sine spe remissionis.

Sciendum depositionem duplicem esse, vnam absolutam, qualis censetur omnis ea, quæ imponitur à iure, vt *in cap.2. dist.15.* & *in cap.1.§.fin. de homicid. in 6.* Altera quæ via est ad degradationem, & exercenda ab Episcopo tamquam degradationi præmittenda, quæ degradatio verbalis appellatur.

Sciendum 2. multiplicem esse differentiam inter depositionem verbalem, & actualem. Prima est, quia actualis fieri solet cum maiori solemnitate, nam fieri solet Astantibus, Abbatibus infulatis, & Astantibus alijs in dignitate constitutis, & hæc propriè dicitur degradatio. Secunda est verbalis, qua quis deponitur verbis ab aliquo officio, beneficio, &c.

R.2. Degradationem realem esse pęnam Ecclesiasticam, qua persona Ecclesiastica priuatur omni beneficio, officio, & priuilegio Clericali in perpetuum absque vlla spe illius consequendi cum solemnitatibus supradictis.

Sciendum 3. actum, quo quis traditur Curiæ sæculari esse effectum degradationis actualis, qui effectus non tamen semper sequitur degradationem realem, cum non omnis degradatus tradatur brachio sæculari, sed solùm quando degradatur ob delicta enormia, vt ob homicidium sui Episcopi, vel ob homicidium iteratũ, vel ob delictum valdè Reipublicæ perniciosũ, vel ob crimen hæresis, vel ob falsitatem litterarum Papalium, vel ob sodomiam sępiùs exercitam.

Sciendum 4. crimina, per quæ quis meretur degradationem verbalem esse sequentia Adulterium, Concubinatus post monitionem perseuerans, simonia notoria, stuprum, incęstus, furtum, periurium, homicidium, etiamsi patratum solo consilio, delictum, quo quis permittit sua culpa Parochianum decedere sine Baptismo, & præterea alia crimina maxima, & atrocia, quæ inferunt irregularitatem. Crimina verò, quæ realem merentur degradationem, sunt homicidium qualificatum, crimen hæresis, sodomia sæpiùs exercita, & similia, quæ Iudicis arbitrio tali pęna digna sunt.

Sciendum 5. actualiter degradatum non gaudere priuilegio fori, degradatum verò solùm verbaliter gaudere priuilegio fori, & ideò degradatus solùm verbaliter non potest cogi, nec puniri à Iudice sęculari, nisi post depositionem verbalem factus sit incorregibilis. Ita Nauarr. *cap.27. num.81.* Valentia *tom.4. disput.7. quæst.19. par.4.* Henriquez *lib. 13. cap. 55.* Filliucius *tract. 18. cap.8. quæsit.2. num.193.* & alij. Dicitur autem incorrigibilis, quando perseuerat in prioribus criminibus.

Sciendum 6. depositionem, vel degradationem Præsbyteri spectare ad proprium Episcopum, vel eius Vicarium generalem post Tridẽtinum Concilium *sess. 13. cap. 14.* non autem ad alium inferiorem. Ita Auila *disput.5. dub.1.* Filliucius *loco citato num.192.* Coninchus *disput.16. num. 6.* & alij communiter *in cap. Degradatio de pœnis in 6.* Degradationem verò Episcopi spectare ad Papam: Prælatos verò Religiosorum non habere facultatem deponendi, vel suos degradandi subditos, nisi illis cõcessum sit per priuilegium, aut per consuetudinem.

De suspensionibus, quæ imponuntur Clericis ratione ordinis?

BRACTEA XIII.

R. Incvrrere Clericos suspensionem, si recipiant ordines ab eo, qui renunciauit Episcopatui, *cap.1. de ordin. ab Episcopo, qui renunciauit.* Secunda, si recipiat ab alieno Episcopo sine licentia proprij. Tertia, si recipiat à proprio in aliena Diœcesi sine licentia Diœcesani, *cap. Episcopum 9. quæst. 2.* Quarta, si recipiat ab Episcopo excommunicato, vel suspenso; quæ quatuor se tenent ex parte Episcopi. Quinta, se tenet ex parte recipientis ordinem; vt si ipsum recipiat ante legitimam ætatem, *cap. Vel non compos. de temporibus ordin.* Sexta, si recipiat ordines iuxta tempora sine dispensatione. Septima, si non seruatis interstitijs ab Ecclesia præscriptis. Octaua, si ficto titulo quis ordinetur. Nona, si quis sit promotus per saltum. Decima, si post matrimonium contractum, etiam non consummatum quis suscipiat ordines. Vndecima, si excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus ordinetur. Duodecima, si vacante Episcopatu, & non arctatus occasione beneficij recepti, vel recipiendi infra annum cum litteris dimissorijs à Capitulo receptis quis ordinetur in sacris. Trident. *sess.7. cap.10. de reformatione.*

De suspensionibus contra Clericos peccantes in exercitium suorum ordinum?

BRACTEA XIV.

R. Esse quinque præcipuas suspensiones, quæ imponuntur Clericis ratione abusus suorum ordinum, vel aliorum delictorum. Prima est, contra eos, qui præter modum in iure concessum vtuntur ordine in loco interdicto *cap. Is, qui de sententia excommunicationis in 6.* Secunda, contra eosdem, si celebrẽt coram excommunicato, vel interdicto, vel eundem admittant ad diuina, vel ad sepulturam Ecclesiasticam, *cap. Episcoporum de priuileg.* Tertia, contra tradentes sepulturæ publicos vsurarios, *cap. quia in omnibus de vsur.* Quarta, contra Parochum iungentem sponsos alterius Parochiæ sine licentia Parochi illorum, vel eosdem benedicentem, Trident. *sess.24. cap.1. de reformatione matrim.* Quinta, contra Parochos, qui contempserint prohibere matrimonia clandestina, vel contracta contra interdictum Ecclesiæ *cap. cum inhibitio de clandest. despons. impuberum.*

Sciendum etiam alias esse suspensiones, quæ incurruntur propter alios defectus circa munera ad ipsos spectantia. Prima, contrà Clericos abutentes vestibus contra iura statuta, *Clement.2. de vita, & honest. Clericor.* Secunda, contra alienis debitis grauantes Ecclesias sibi commissas, *cap. 2. de solut.* Tertia, contra occupantes bona Prælati defuncti, *cap. quia sæpè de elect. in 6.* Quarta, contra electores Episcoporum, qui infra octo dies non præsentarint electionem factam electo, *cap. capientes in 6.* Quinta, contra compro-

compromissarium eligentem indignum, *cap. si compromissarius*. Sexta contra eligentes indignũ, si Episcopum, vel Curatum, *cap. cum in cunctis de elect.* Septima, contra postulantes in Prælatum Cathedralis eos, qui prohibentur *extrauag. vnic. de postulat. Prælat.* Octaua, contra eum, qui opponit in electum, & postea deficit in probatione *cap. 1. de elect. in 6.* Nona, contra consentientem electioni de se factæ per abusum sæcularis potestatis, *cap. quisquis de elect.* Decima, contra Clericos inferiores Episcopis, qui in visitatione Ecclesiarum non seruant Constitutionem Innocentij IV. *cap. exigit. de censibus in 6.* Vndecima, contra conferentes, beneficia eorum qui seruiunt in Curia. *Extrauag. 3. de priuileg.* Duodecima, contra facientes in iudicio per gratiam, vel sordes aliquid contra conscientiam, & iustitiam in grauamen partis. Decimatertia, contra conseruatores, qui de alijs, quam de manifestis iniurijs se scienter intromiserint. *cap. vlt. de officijs, de elect. in 6.*

De pœnis violantium suspensionem?

BRACTEA XV.

R. PRIMO, suspensum peccare mortaliter exercendo actum, à quo est suspensus. Ita Henriquez *cap. 33. num. 1.* Auila *part. 2. dub. 2.* Filliuc. *tract. 17. cap. 10.* Reginald. *lib. 32. tract. 2. nu. 31.* & alij. Ratione paruitatis materiæ fieri potest vt excusetur à mortali.

Sciendum, suspensum à beneficio, si notabile aliquid capiat ex fructibus beneficij, vel aliquam exerceat actionem pertinentem ad administrationem illius, quæ grauis sit momenti peccare mortaliter: secus vero dicendum est, quando paruitas rei acceptæ excusat à peccato mortali.

R. 2. Communicantem cum suspenso nondum denunciato in actibus iurisdictionis, & officij non peccare mortaliter, & colligitur ex Concil. Constant. in quo concessa est facultas communicandi cum excommunicatis, & suspensis nondum denunciatis: secus vero dicendum est, si suspensus sit denunciatus, quia tunc concurrit ad actionem malam, & prohibitam. Ita Sayrus *cap. 11. num 8.* Suarez *disp. 27. sect. 2. n. 7.* Nauar. *cap 27. num. 163.* & alij.

Sciendum 2. cooperantem solũ peccare mortaliter, quando participat in actibus, à quibus est suspensus, non autem quando participat in alijs actibus.

R. 3. Suspensum ex delicto fieri irregularem violando suspensionem per exercitium solemne maioris ordinis, à quo est suspensus. Ita Nauarr. *cap. 27. num. 103.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæstion. 18. p. 1.* Reginald. *lib. 32. tract. 2. num. 36.* & alij.

An validi sint actus facti à suspenso?

BRACTEA XVI.

R. SI actus sunt ordinis, qui non requirunt iurisdictionem ad sui valorem, validi sũt vt consecrare, confirmareq; siuè sit occultus, siuè publicus, siuè denunciatus. Ratio est, quia Ecclesia nequit impedire valorem eorum, modo debita adsit materia, forma, & intentio: si verò requirant iurisdictionem, inualidi sunt, vt est absolutio sacramentalis, quæ inualidè exercetur à suspenso denunciato quia non solum requirit ordinem, sed etiam iurisdictionẽ. Ita Suarez *disp. 27. sect. 2. num. 2.* Henriq. *lib. 13. cap. 33. num. 1.* Filiuc. *tract. 17. cap. 10. quæst. 3.* & alij.

Sciendum acta suspensi non denunciati, solius iurisdictionis, valida esse. Ratio est, quia sicut suspensus non denunciatus toleratur ab Ecclesia, consequenter illi non adimitur iurisdictio. Vnde alij possunt ab eo petere sacramenta; vt absolutionem sacramentalem, ideoq; neque peccat, si ab ijs requiratur, & alioquin non possit prius absolui à suspensione.

Sciendum 2. violantem suspensionem in actibus iurisdictionis non incurrere irregularitatem. Ratio est, quia talis irregularitas non est in iure expressa. Violantem vero suspensionem, quæ fertur in puram pœnam, incurrere irregularitatem, & patet *ex cap. 1. de sententia, & re iudic. in 6.* item *cap. 1. de sententia excommunic. in 6.* & ex alijs iuribus, tum etiam, quia huiusmodi suspensi, priuat sacro ministerio, sicut priuat suspensio, quę est propriè censura, ergo sicut per violationem illius incurritur irregularitas; ita etiam incurritur per violationem illius. Ita Suarez *disp. 26. sect. 2.* Filiuc. *tract. 17. cap. 10. nu. 193.*

De fine suspensionis, nihil aliud se offert dicendum, quam esse sicut excommunicationis, tum correctionem illius, in quem fertur, tum bonum commune Ecclesiæ, vt scilicet disciplina Ecclesiastica vigeat, suumque robur retineat; tum deinum, vtilitatem partis petentis illam ferri, ad propulsandam à se iniuriam.

MALLEATIO XXVII.

De Interdicto quatenus impedit exercitium ordinis.

Quid, & quotuplex sit interdictum?

BRACTEA I.

R. INTERDICTVM esse Ecclesiasticam censuram, per quam participatio certorũ sacramentorum, omnium diuinorum officiorum & Ecclesiasticę sepulturę prohibetur. Ita sumitur *ex cap. non ex vobis de sponsalibus cap. quod in te de pœnitent. & remiss.* siuè (vt alij loquuntur) est Ecclesiastica censura, qua homo separatur à perceptione quorundam sacramentum a Diuinis officijs, & ab Ecclesiastica sepultura. Ita Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1.* Henriq. *lib. 13. cap. 41. num. 1.* Reginald. *lib. 32. tract. 3. cap. 25.* Auila *5. part. disp. 1.* & alij communiter.

Sciendum interdictum diuidi, primo, in interdictum à iure, & aliud ab homine. Item in aliud ob contumaciam, & aliud in puram pœnam latum. Similiter in aliud, quod priuet omnibus ijs bonis, quæ proposita definitio comprehendit; aliud verò pluribus eorum priuet, aliud paucioribus, & aliud vno tantum, vt Ecclesiastica sepultura, vel celebratione Missæ.

Sciendum 2. quod diuiditur interdictum in locale, & personale. Locale est, quod immediatè

diatè locum afficit prohibendo, nè in eo functiones sacræ fiant. Personale est, quod immediatè afficit personas prohibendo eis participationem illarum sacrarum functionum. Differunt etiam inter se, quod interdicto locali consequenter etiam prohibeatur, tum indigenis, tum alienigenis participatio sacrorum officiorum, non absolutè tamen, sed in loco interdicto: Interdicto autem personali certis personis, aut toti Communitati prohibetur illa participatio absolutè, atque in omni loco.

Interdictum locale subdiuiditur in generale ac particulare. Generale est, quod fertur in locum generalem, vt v.g. in Regnum, Prouinciam, Ciuitatem, &c. iuxtà *cap. cum in his partibus de verbum significat.* Particulare est, quo interdicitur vnus locus sacer, vel plures, v.g. Parochialis Ecclesia. Interdictum personale similiter diuiditur in generale, & particulare. Generale est, quod fertur in Communitatem, vt est corpus Politicum, vt est illud, quo generaliter populus totius Regni interdicitur, vel Prouinciæ, vel Ciuitatis, vel Villæ, vel Castri. Particulare autem est, quod fertur in personã particularem; vnam, vel plures, vel in omnes ac singulos, qui tale facinus patrarunt, vel auxilium attulerunt. Ita Valent. *tom. 4. disput. 7. quest. 8. p. 2.* & alij. Layman. *de interdicto nu. 3.*

Diuiditur etiam interdictum in totale, ac partiale. Totale dicitur, quod omnes interdicti habet effectus. Partiale, quod non omnes, vt supra dictum est.

An interdicto Clero censeantur interdicti Religiosi?

BRACTEA II.

R. Interdicto Clero non censeri interdictos religiosos. Ratio est, quia in odiosis nomen Cleri ad Religiosos non extenditur, licet extendatur in fauorabilibus, tum etiam, quia sicut à contrario, si interdicantur religiosi, non censentur interdicti Clerici, licet lato modo dicantur Religiosi. Ergo à pari, quando interdicuntur Clerici non censentur interdicti Religiosi.

Sciendum dubium esse an interdicto populo censeatur etiam interdictus Clerus, aut è contra, interdicto Clero, censeatur interdictus populus. Ad quod Respondeò negatiuè, quia populus, & Clerus maximè distinguuntur, & in odiosis, & pęnalibus non fit extensio. Ita Suarez *tom. 5. de censur. disp. 32. sect. 2. num. 14.* Auila *dub. 4. concl. 6.* Nauar. *cap. 27. num. 167.* Interdicta tamen familia censetur etiam interdictus Clericus illius familiæ. Ratio est, quia censetur pars illius: sicut etiam interdictis Doctoribus alicuius Ciuitatis, vel Collegij, censentur etiã interdicti Clerici Doctores illius Ciuitatis, vel Vniuersitatis; nomen enim Doctoris, tam conuenit Clericis, quam laicis. Ita Bonacina de *Interdict. num. 14.* & alij.

An interdicto populo Ciuitatis interdicti sint, qui habitant in suburbijs?

BRACTEA III.

R. Cum distinctione, quod si habitantes in suburbijs non sunt de populo Ciuitatis, nec cum ea faciunt vnum corpus politicum, interdicta Ciuitate, ipsos non esse interdictos: secùs verò dicendum, si sint de populo Ciuitatis, & cùm ipsa faciant vnum corpus politicum quia tunc interdicta Ciuitate censentur, & ipsi interdicti. Ita Vgolin. *tab. 5. cap. 20. §. 5.* Sayr. *cap. 4. num. 2.* Auila *dub. 4. conclus. 3.*

Sciendum, quod interdictis Ciuibus alicuius Communitatis censentur etiam interdicti Ciues, qui à Ciuitate absunt, dum fertur interdictum, si recreationis gratia, vel negotij, aliavè de causa absint à Ciuitate. Secus verò dicendum si absint, qui alibi habeant domiciliũ, in quo sint soliti commorari, quia tunc non remanent interdicti, cùm pro eo tempore non remaneant pars illius populi. Quod etiam dicendum est, si alio transferant domicilium, modo ipsi causam non dederint interdicto.

Sciendum 2. interdicto populo alicuius Ciuitatis non censeri interdictos exteros, quamuis ad longum ibi habitent tempus. Ita Henriq. *cap 42. num. 3.* Nauar. *cap. 27. num. 167.* Vgolin. *tab. 5. cap. 20. § 3. num. 3.* Ratio est, quia non sunt pars illius populi, vel Communitatis: interdictum autem personale, & generale cadit tantum supra illos, qui sunt pars illius populi: secus dicendum erit, si aduena haberet domicilium in tali Ciuitate, quia cũ censeretur pars illius populi: ita etiam subiaceret interdicto pro eo tempore, quo habitat in ea Ciuitate.

Sciendum 3. interdicta Communitate non censeri interdictos amentes, & pueros vsum rationis non habentes. Ita Sayr. *cap. 4 num. 23.* Siluest. *verbo Interdictum quæsit. 7.* & alij. Ratio est, quia interdictum non fertur, nisi ob culpam, cum autem amentes, & pueri non habentes vsum rationis sint culpæ incapaces, hinc est, quod non subiaceant interdicto, licèt sint priuandi Ecclesiastica sepultura, cum interdictum locale afficiat locum, & prohibeat, ne in eo etiam sepeliantur.

Sciendum 4. interdicta Ciuitate, intelligi etiam interdicta suburbia ipsius Ciuitatis, patet ex *cap. si Ciuitas de sent. excommun. in 6.* quia in isto casu nomen Ciuitas amplè sumitur. quia alioquin frustraretur sententia interdicti, nam populus in suburbia confluerct, & ibi diuina posset audire officia, etiamsi illa suburbia sint pertinentia ad aliud Regnum, seù Principem, etiamsi sint alterius Diœcesis, & non subdita Iudici Ecclesiastico, à quo latum est interdictũ Ita colligitur *cap. si Ciuitas de sententia excommunicat. in 6.* Ratio constat ex ratione supra allata.

Sciendum 5. per interdictum generale loci, etiam Ecclesias exemptus censeri interdictas, vt sunt Ecclesiæ regularium. Ita colligitur ex Concil. Trident. *sess. 25. de regularibus cap. 12. & 22.* ex quo sequitur religiosos teneri seruare interdictum locale generale. Ita communiter omnes.

Sciendum 6. Interdicta Ecclesia, comprehenduntur omnes Capellę eiusdem Ecclesiæ, & cęmite-

cœmeterium eius contiguum. Quare duo requiruntur. Primò, vt cœmeterium sit Ecclesiæ annexum. Secundò, vt sit contiguum, & vnum sine altero satis non esset: Vndè si duæ Ecclesiæ communicarent in cœmeterio, interdicta vna Ecclesia, solum esset interdicta illa pars cœmeterij, quæ ad ipsam spectat, & non ea, quæ ad aliam pertinet.

An iudex, qui tulit interdictum includatur interdicto?

BRACTEA IV.

R. Non includi in interdicto personali, nō enim potest seipsum interdicere, cum non habeat iurisdictionem coactiuam in seipsum. In locali interdicto includi etiam ipsum Iudicem, quia effectus interdicti sunt instituti à iure communi: in iure autem communi nōn potest inferior Papa dispensare. Hinc sequitur Iudicem; qui aliquem locum interdixit, teneri ab officijs in eo loco persoluendis abstinere, quia hic est effectus interdicti à iure communi, in quo non potest inferior dispensare. Ita Auila *disp.1.dub.5. conclus.2.* Vgolinus *tab.5. cap.6. §.1.* & alij.

De primo effectu interdicti, qui est priuatio Sacramentorum?

BRACTEA V.

Sciendum effectus omnes interdicti referri ad tres, qui sunt priuatio vsus quorundam Sacramentorum, priuatio vsus officiorum diuinorum, ac priuatio vsus sepulturæ Ecclesiasticæ. Ita habetur expressum *cap. Alma mater, cap. si Ciuitas de sentent. excommun. in 6.* & *cap. quod in re de pœnit. & remiss.* verùm eos non esse connexos inter se, itaut ab inuicem nequeant separari, cum fieri possit, vt aliquis interdicatur ab vno effectu, & non interdicatur ab alio.

R. Baptismum nullo interdicto esse prohibitum. Ratio est, quia est sacramentum maximè necessarium ad salutem, nec esse interdictum interdicto locali, nec personali, generali, nec speciali, & ideò potest administrari solita cum solemnitate. Ratio est, quia cum ius concedat hoc Sacramentum administrari, concedit etiam ipsum administrari posse solita cum solemnitate, nec Parochus tenetur, interdicta Ecclesia Parochiali, aliam adire Ecclesiam ad baptizandum, cùm Ecclesia Parochialis non censeatur ad hunc effectum interdicta. Ita Siluest. *verbo interdictum 5. quæsit. 7. nu. 9.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 33. sect. 1.* Henriq. *cap. 45. num. 43.* & alij communiter.

R. 2. Tempore interdicti posse sacramentum Confirmationis administrari eodem modo, quo baptismus. Ratio est, quia confirmatio est veluti complementum baptismi, & ideò conferri potest non solum tempore interdicti localis generalis, sed etiam specialis cū omni sua solemnitate.

Sciendum 2. quod per interdictum personale generale non excluditur quisquam ab hoc sacramento, nisi dedisset causam interdicto, *cap. quanto*, & *cap. Alma*. Excluditur autem per speciale, hoc enim supponit propriam culpam & contumaciam.

An tempore interdicti possit administrari Sacramentum Pœnitentiæ?

BRACTEA VI.

R. Iure antiquo solis ęgrotantibus permissum fuisse ministrari solum sacramentū pœnitentiæ, vt patet *in cap. Quod in re de pœnit. & remiss.* tamen iure nouo *in cap. Alma*, quibuscumque, etiam sanis conceditur propter magnam eius necessitatem, quæ oritur ex facilitate hominum ad peccandum.

Sciendum *in eodem cap. Alma*, duas poni limitationes. Prima, ne tales interdicti sint etiam excommunicati. Secunda, ne sint ex ijs, qui dederunt causam interdicto, quia tunc, nisi prius satisfecerint, vel si id non possint, dederint cautionem iuratoriam, si aliam non possint, admitti nequeunt ad pænitentiam.

Sciendum 2. tempore interdicti omnes posse hoc Sacramentum administrare, exceptis ijs, qui causam dederunt interdicto, vel sunt specialiter interdicti: Confessarius verò specialiter interdictus non potest licitè hoc sacramentum administrare, excepto casu necessitatis, extra hunc casum Confessarius denunciatus interdictus debet abstinere ab administratione huius sacramenti, cum dubitetur vtrum absolutio ab eo data valida sit, eò quod interdictum priuet rebus diuinis, quantum potest. Et ita sentire videtur Filliuc. *cap. 2. de interdicto num. 38.*

An tempore interdicti licitum sit administrare Sacramentum Eucharistiæ?

BRACTEA VII.

R. Tempore interdicti localis licitum esse cum solita solemnitate administrare Eucharistiam per modū viatici solis morientibus. Sic habetur *cap. permittimus de sentent. excommunic. cap. Alma mater*, & *cap. quod in re de pœnit. & remiss.* Ratio est; quia vbicumque in iure pęnitentia morientibus non negatur, etiam viaticum cōprehenditur: at pænitentia morientibus, non negatur tam iure antiquo, quam nouo. Ergo, &c. Extra verò articulum mortis non posse administrari sacramentum Eucharistiæ, quia vsus sacramentorum omnis est interdictus prę-ter eum, qui iure non est exceptus: non est autem exceptus vsus Eucharistiæ, nisi in articulo mortis. Ergo communis remanet prohibitus.

Sciendum, quod Clerici, qui possunt diuinis interesse officijs, quamuis ex communi opinione nequeant suscipere Eucharistiam, tamen ex probabili possunt. Ratio est, quia cui cōceditur facultas assistendi sacrificio Missæ, vt prius etiam videtur concedi facultas participandi Eucharistiam. Ratio est, quia pro tali tempore censetur suspensum pro tali effectu interdictum. Ergo, &c.

Sciendum 3. dubium esse an in Paschate, in quibus

quibus concessum est diuinis interesse, sit etiam concessum laicis recipere Eucharistiam. Prima sententia est negantium. Ratio est, quia interdictum priuat susceptione Eucharistiæ, præterquam in articulo mortis *cap. si sententia, de sententia excommunic.* Ergo non licet sumere Eucharistiam tempore Paschatis. Et ita Vgolinus *tab.* 5. *cap.* 8. § 1. Couar. *cap. Alma mater part.* 2. §. 5. *num.* 5. Siluest. *verbo interdictum* 3. *quæsit.* 2. *num.* 3 & alij. Secunda secunda, cui adhæreo est Coninch. *disp.* 17. *num* 36. *dub.* 2. Filiuc. *de interdict. cap.* 2. *num.* 42. & aliorum affirmantium tempore Paschatis laicos esse obligatos suscipere Eucharistiam. Ratio est, quia tempore Paschatis cōcessum est diuinis interesse, & pro eo tempore quoad hunc effectum prohibitio cessat interdicti. Ergo videtur concessum suscipere Eucharistiam, cum per cessationem interdicti sublatum fuerit impedimentum.

R. 2. Eucharistiam per modum viatici, absq; alia satisfactione posset ministrari infirmo, personaliter interdicto generaliter: modo nō dederit causam interdicto, secus vero dicendum est, si dederit culpabilem causam interdicto, quia tunc ab eo exhibenda est debita satisfactio, si verò non potest, exigenda est cautio. Ita colligitur *ex cap. Alma mater.*

Et quid de Sacramento extremæ Vnctionis?

BRACTEA VIII.

R. Extremam vnctionem absolutè prohibitam esse tempore interdicti. Ita habetur *ex cap. quod in te de pænit. & remiss.* quæ nec etiam in articulo mortis ministrari debet. Ita Nauar. *num.* 179. Sayr. *lib* 5. *cap.* 7. *num.* 22. Filiuc. *tract.* 18. *cap.* 2. *quæst.* 7. Reginald. *lib.* 32. *tract.* 3. *cap.* 27. *num.* 27.

Sciendum in tali prohibitione comprehendi tam Clericos, quam laicos, & tam Religiosos, quam sæculares, cum vniuersalissima sint verba prohibitionis *Omnibus denigetur tam Unctio. &c.* quæ limitare non est liberum, nisi alio ex decreto habeatur talis limitatio, aut ex adiuncta exceptione, qualis *in cap. quod in te* adiuncta est, quoad sepulturam Clericorum, qui seruarunt interdictum.

Sciendum 2. non esse licitum hoc sacramentum recipere tempore interdicti in illis festiuitatibus, in quibus ex priuilegio licitum est audire diuina officia. Ratio est, quia priuilegium non est trahendum ad diuersa, & Sacramentum extremæ vnctionis non continetur sub nomine diuinorum officiorum. Ita Vgolinus *tab.* 5. *cap.* 8. §. 11. Suarez *disp.* 33. *sect.* 1. *num.* 43. Sayr. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 33. & alij. Quod tamen intelligendum est, nisi alicui ex priuilegio concessum sit, vt sunt Religiosi, & patet *ex compend. minorum verbo vnctio*, & aliorum.

An tempore interdicti possit ministrari Sacramentum Ordinis?

BRACTEA IX.

R. Ab interdictis nec recipi, nec conferri potest Sacramentum Ordinis. Ita colligitur *ex cap. non est verbis de sponsalibus*, & *cap. responso de sent. excom.*

Sciendum in loco interdicto eodem modo nec recipi, nec conferri potest. Ita ex iuribus supra allatis. Ratio est, quia interdictum priuat perceptione Sacramentorum, nisi aliqua specialis fiat exceptio in aliquo Sacramento, sed de Sacramento ordinis nulla facta est exceptio. Ergo, &c. tum etiam, quia ordo non potest regulariter conferri, nisi in Missa solemni, quæ in tempore interdicti nullo modo dici potest: Excipitur ab hac doctrina casus necessitatis, vt si non adessent alij Sacerdotes, quia tunc esset licitum conferre ordines in loco interdicto, si non adesset alius locus non interdictus. Ita Angel. *verbo interdictum* 6. *num.* 8. Henriq. *cap.* 45. *num.* 4. & alij.

Sciendum 2. in interdicto generali populi, Clericos posse ad alteriores ordine promoueri, tam in eodem loco, quam alibi. Ratio est, quia nec interdictum generale populi ligat Clericos, nec afficit locum. Similiter posse Clericos alibi ad ordines promoueri in interdicto loci, dummodo non fuerint causa culpabilis interdicti. Ratio est, quia interdictum locale ligat tantummodo per ordinem ad locū interdictum, nisi fortè quis culpabilem interdicto causam dederit, quia hic censetur specialiter interdictus.

An matrimonium tempore interdicti contrahi possit?

BRACTEA X.

R. Primo matrimonium celebratum tempore interdicti validum esse, cum interdictum nihil auferat, quod sit de illius sacramenti veritate.

Sciendum matrimonium tempore interdicti non solum validè, sed etiam licitè contrahi posse. Ita colligitur ex Abbat. *in cap. non est de sponsal. num.* 8 Et ita Siluest. *verbo interdictum* 5. *nu.* 9. Nauar. *cap* 27 *num.* 179. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 45. *n.* 3. Auila *part.* 5. *disp.* 4. Coninch. *disp.* 17. *dub* 2. *nu.* 48. Sanchez *de matrimonio lib.* 7. *num.* 8. Ratio est, quia per interdictum, aut cessationem solum prohibetur ea ministratio Sacramentorum, quæ sunt ex Ecclesiæ dispensatione, seu ministratione: tale autem non est matrimonij Sacramentum, cuius ministri sunt ipsi contrahentes Ergo, &c. & ideò sequitur matrimonium in interdicto penitus non comprehendi, cum matrimonium in sua substantia sit contractus naturalis, humano generi adeò necessarius, & in ratione Sacramenti non dependeat à ministro Ecclesiæ, sed ab ipsis contrahentibus, licet aliter alij sentiant.

De secundo effectu Interdicti, qui est priuatio vsus Diuinorum Officiorum?

BRACTEA XI.

Sciendum nomine Diuinorum Officiorum, quæ prohibentur tempore interdicti, comprehendi in primis sacrificium Missæ, deinde omnis publica, ac solemnis oratio, seu deprecatio

precatio, quæ ab Ecclesia instituta est, vt à Clericis ad Dei laudẽ celebrentur, cuiusmodi sunt omnia sacramentalia, seù benedictiones, quæ nomine, & auctoritate Ecclesiæ à Sacerdotibus fiunt, non item priuata mensæ benedictio, personæ, itineris, &c. Horas quoque Canonicas nomine Diuini Officij comprehendi, cum Canonicæ preces propriè institutæ sint, vt nomine Ecclesiæ à Ministris, seù Clericis peragantur.

Sciendum secundò nomine Ecclesiæ intelligi, vt comprehendat omnia Loca sacra, etiam Hospitalia, & priuata Oratoria, quę ab Episcopo sunt ad Missæ sacrificium deputata, vel alia Officia peragẽda, nam intentio Pontificis erat statuere, vt Diuina Officia tempore generalis Interdicti non peragantur. In istis locis, in quibus authoritate Episcopi possunt celebrari. Quibus positis.

R. Tempore Interdicti localis generalis prohibitum esse Missas, Diuinaq; Officia celebrare in loco interdicto. Et ita communiter omnes Doctores.

Sciendum 3. quod licet publicè tempore Interdicti localis generalis non possint Diuina Officia celebrari, tamen Bonifacium VIII. cõcessisse, vt singulis diebus in Ecclesijs, & Monasterijs Missæ celebrentur, & dicantur alia Diuina Officia, sicut priùs summissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, campanis etiam non pulsatis, & id cõcessum fuisse propter periculum, quod fidelibus imminebat amittẽdi deuotionem ad res sacras, & ad ipsam etiam fidem, si tempore Interdicti nunquam fuissent celebrata Diuina Officia.

Sciendum 4. esse differentiam inter Interdictum locale, & personale, quod tempore Interdicti personalis personæ interdictæ personaliter, particulariter, vel generaliter non possunt celebrare Missas, neque Diuinis interesse Officijs. Ita communiter Doctores *ex cap. Si ciuitas, & ex cap. Si sententia de sententia excommunicat. in 6.* in tẽpore Interdicti localis specialis non est licitum singulis diebus Diuina celebrare Officia, vel Missas, sed solùm licitum est semel in hebdomada celebrare Missam ad renouandam Eucharistiam, sicuti licitum erat iure antiquo. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 44.* Nauarrus *cap. 27. num. 173.* Sayrus *lib. 5. cap. 5. nu. 9.* Reginaldus *loco cit. num. 33.* & alij.

Sciendum 5. dubium esse, an tempore Interdicti generalis licitum sit pulsare campanas. Ad quod respondeo licitum esse ad concomitandam Eucharistiam, quæ ministratur infirmis, vel ad salutationem Angelicam, vel ad indicandum populo dici festi solemnitatem: ad Diuina verò Officia non esse licitum, vel ad conuocandos Sacerdotes ad Missas celebrandas, sicut nec in sacrificio Missæ licitum est vti tintinnabulo. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 173* Sayrus *lib. 5. cap. 7.* Couaruuias *cap. Alma mater par. 2. §. 4.* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. cap. 28. num. 35.* & alij.

Sciendum 6. dari aliquas solemnitates, in quibus licitum est tempore Interdicti localis generalis, non verò specialis celebrare Missas, & Diuina Officia publicè, admissis etiam interdictis, etiamsi causa dederint ipsi, modò longè sint ab Altari, & non admittantur ad oblationes, vel communionem. Ita Reginaldus *loco citato num. 36.* & alij, & expressè habetur *in cap. Alma mater*. Festiuitates autem in quibus hæc permittuntur sunt festiuitas Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, Assumptionis B. M. Virginis, quibus ex concessione Martini V. accessit festum corporis Christi cum octaua, & à Leone X. Conceptio B. M. Virginis cum octaua. Ita Henriquez *cap. 47.* Coninchus *disput. 17. dub. 2. num. 34.* & alij. Circa quas oriuntur duo dubia. Primò, quid intelligatur nomine Paschæ, Pentecostes, & Natalis. Ad quod respondeo intelligi omnes dies Paschatum, Pentecostes, & Natalis. Ratio est, quia *in cap. Alma mater*, dicitur in festiuitatibus, & certum est iuxta communem loquẽdi modum, nomine Paschatis, &c. non modo intelligi primum diem, sed etiam alios subsequentes. Secundum dubium est, quando censeantur tales festiuitates incipere, & desinere. Ad quod respondeo incipere à tempore primarum Vesperarum vniuscuiusque talis festiuitatis, & secundum Completorium eiusdem includere cum alijs. Et Ita Paludanus *in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 2.* Couaruuias *par. 2. §. 5. num. 5.* Angelus *verbo Interdictum §. 18.* Suarez *disput. 34. sect. 3. num. 9.* & alij.

An personæ non interdictæ possint audire Missam Sacerdotis interdicti?

BRACTEA XII.

R. Quod si non sit nominatim interdictus, Laicum non interdictũ posse ipsius Missam audire: si verò sit nominatim interdictus, aliqui negant posse audiri eius Missam, quia esset participare cum eo in Diuinis, & alij affirmant, quia interdictus tantùm prohibetur, ne faciat, vel audiat Diuina, non tamen alij prohibiti sunt, nec cum eo communicent, aut eius actionibus assistant.

R. 2. Cooperationem cum persona interdicta ad rem Diuinam faciẽdam esse prohibitam: at auditio talis personæ absque eo, quod inducatur, non est prohibita, quia nulla est speciale ius id prohibens, & ex vi censuræ id non sequitur, quando quis non cooperatur ipsum inducendo. Ergo, &c.

Quænam personæ possent admitti tempore Interdicti localis generalis ad Diuina Officia. &c.

BRACTEA XIII.

R. Primo admitti posse amentes, & infantes vsu rationis carentes. Ratio est, quia ex defectu libertatis, & iudicij non sunt capaces præcepti, & obligationis, nec possunt moraliter interesse Diuinis, & consequenter possunt absque peccato admitti. Ita Henriquez *cap. 42. num. 4.* Suarez *de legibus disput. 14. sect. 4 num. 128.* Coninchus *disput. 17. dub. 2. num. 27.* & alij. Secundò Clericos non coniugatos, etiam extraneos posse admitti, dummodo non sint specialiter interdicti, nec culpabilem interdicto causam dederint. Toletus *lib. 1. cap. 20.* Sayrus *lib. 5. cap. 5. num. 35.* & alij. Ratio est, quia Bonifacius VIII. *in cap. Alma mater*, tempore Interdicti localis generalis concedit facultatem celebrandi

brandi Diuina Officia, quæ non celebrantur, nisi per Clericos. Ergo ad ipsa possunt admitti: Clerici verò coniugati non designati ministerio alicuius Ecclesiæ, non possunt admitti. Ratio est, quia reputantur vt sæculares, etiamsi habitum ferant, & Tonsuram: secùs verò dicendum erit, si seruituti alicuius Ecclesiæ sint adscripti, ex eo quod illis competat ex officio seruire ministerio altaris. Tertiò, non possunt admitti excommunicati, & interdicti, vt patet *ex cap. alma mater*, vbi conceditur facultas celebrandi Diuina Officia, exclusis excommunicatis, & interdictis. Quartò, Laicos habentes priuilegium, posse Diuinis interesse Officijs *ex cap. ijs, qui de sententia excommunicat.* & *cap. Licet de priuileg. in 6.* quin etiam possunt secum ducere familiares suos, nam etiam ipsi gauderent tali priuilegio *ex cap. Licet* §. 1. quod intelligitur de ijs familiaribus, qui eum de more comitari solent. Ita Vgolinus *cap* 8. §. 4. *num.* 2. Quod si priuilegium factum sit Monasterio, non gaudent illo familiares, nisi in casu, quo necessarius esset ad ministerium; vt si Religiosus non haberet Ministrum ad Missam: qui familiares tales esse debent, vt non dederint causam interdicto, alioquin minimè gauderent priuilegio. Laici verò non habentes priuilegium non possunt admitti ad Diuina Officia, quamuis seruetur moderatio Bonifacij VIII. Ita Henriquez *cap. 46. num.* 3. Reginald. *loco cit. num.* 35. Couar. *in cap. Alma mater* §. 4. & alij.

Sciendum dubium esse, an Laici priuilegiati obligentur diebus festis interesse Sacro. Ad quod respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia cum sint priuilegiati, nullum habent impedimentum, quo nequeant præceptum adimplere. Ergo obligantur, cum præceptum audiendæ Missæ in die festo obliget omnes, nō legitimè impeditos; & per consequens Clerici, & Religiosi tenentur Missam audire diebus festis tempore Interdicti localis generalis. Ratio est, quia *in cap. Alma mater* concessum est illis Officia celebrare, & Diuinis interesse. Ergo tenentur Missam diebus festis audire, vt satisfaciant præcepto Ecclesiæ.

De tertio effectu Interdicti, qui est priuatio sepulturæ?

BRACTEA XIV.

R. Tertium effectum Interdicti Ecclesiastici esse priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ, vt in loco sacro fideles non sepeliantur, *cap. Quod in te de pœnit. & remiss.* quæ prohibitio adeò generalis est, vt etiam defunctorum infantium, & amentium corpora comprehēdat cum ea æquè, vt adultorum corpora huius priuationis capacia esse possint. Quod statutum est ad maiorem Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem, & vt fideles magis interdicto grauati curent maiori diligentia tollere eius causam.

Sciendum 1. per sepulturam Ecclesiasticam intelligi non solùm sepulturam in Ecclesia consecrata, sed etiam non consecrata, dummodo ibi Diuina fiant, intelligitur etiam Cœmeterium per Episcopum benedictum, & consecratum, quod si non esset benedictum, possunt in eo sepeliri fideles tempore interdicti. Ita Gloss. *Clement. 1. de sepultur.* 11. *cæmeterijs*, & alij, ex quibus sequitur tempore interdicti localis non posse Laicos, quamuis non interdictos sepeliri in loco sacro interdicto. Ita Siluester 11. *interdictum* 5. *quæst.* 8. Suarez *disput.* 35. *sect.* 1. Vgolinus *tab.* 5. *cap* 9. §. 3. Henriquez *cap.* 44. *num.* 4. Secundò, à fortiori etiam excommunicatos, & interdictos tempore interdicti localis non esse ad sepulturam admittendos. Tertiò, Laicos, qui non sunt personaliter interdicti, nec culpabilem dederunt Interdicto causam, posse sepeliri in loco non interdicto. Ita Suarez *disput.* 35. *sect.* 3. *num.* 2. Sayrus *cap.* 7. *num.* 10. & alij. Ratio, quia nullum extat impedimētum ex parte personæ, cum non sint interdicti, neq; etiam ex parte loci, imò qui non sunt personaliter interdicti, nec culpabilem interdicto causam dederunt, possunt sepeliri in loco sacro non interdicto. Ita Reginaldus *loco citato num.* 37. & alij. Et similiter possunt transferri, si decesserint in loco interdicto ad alium locum non interdictum. Ita Reginaldus *loco cit.*

Sciendum 2. Clericos, qui seruarunt Interdictum, nec illi causam dederunt culpabilem, posse sepeliri in Ecclesijs de iure antiquo cum silentio. *ex cap. Quod in te*: de iure verò nouo *in cap. Alma*, & de consuetudine etiam cum officio adhibita moderatione in eo præscripta, conceduntur enim Officia, quare & Officium Missæ, & Defunctorum. Quod si cemeterium esset extra Ecclesiam in loco aperto, tunc in Ecclesia posset celebrari Officium, & postea ferri cum silentio in cemeterium.

An tempore Interdicti localis generalis, licitum sit in loco interdicto sepelire Laicos adultos in diebus priuilegiatis, in quibus interesse possunt Diuinis Officijs?

BRACTEA XV.

R. Posse. Et ita Siluester *verbo interdictum* 5. *quæst.* 2. Sayrus *cap.* 8. *num.* 11. Henriquez *cap.* 44. *nu* 5. & alij. Ratio est, quia ijs diebus per priuilegium relaxatur Interdictum, & cui communicamus viuo, possumus etiam mortuo communicare. *cap. Sanè dist.* 24 *quæst.* 2. Ergo possumus communicare mortuo in sepultura, cum ijs diebus (vt dictum est) relaxetur Interdictum, licet plures contrariam sequantur opinionem.

Sciendum dubium esse, an Laicus tempore Interdicti sepultus in Cemeterio non benedicto, eo translato, possit exhumari, & sepeliri in loco sacro. Ad quod respondeo affirmatiuè, dummodo ipse causam non dederit Interdicto. Ita Vgolinus *tab.* 5. *cap.* 9. §. 4. Henriquez *loco citat.* & alij. Ratio est, quia sublata censura, cessat etiam illius effectus.

Sciendum 2. quod si Interdictum personale sit etiam speciale priuare personas interdictas Ecclesiastica sepultura, *Clement.* 1. *de sepult.* Si verò interdictum personale sit generale, prbabile est posse personas eodem modo interdictas sepeliri in loco sacro, & patet *ex cap. Si sententia de sententia excommunicat. in 6.* vbi dicitur personas sic ligatas non posse alicubi audire Diuina, vel recipere Sacramenta. Quare cum duo tantùm effectus exprimantur, & tertius taceatur, videtur

colligi in hoc Interdicto non habere locum, & confirmatur *ex Clement. 1. de sepult.* vbi Gloss. his verbis *aut nominatim interdictus* colligit posse personam non interdictam sepeliri in loco sacro. Ita Sayrus *cap. 8 num. 2.* Suarez *disput. 35. sect. 3. num. 2.* Emanuel Sa *verbo interdictum num. 3.* Filliuc. *de interdicto cap. 4. num. 100.* Reginaldus *loco cit. nu. 38.* & alij.

An Interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit in ea sepeliri?

BRACTEA XVI.

R. Interdictum ab ingressu Ecclesiæ non posse in ea sepeliri, vel in Cœmeterio, vt habetur *cap. Is, cui de sententia excommunicat.* nisi dederit signa contritionis, quia tunc potest sepeliri. Ita Couarruuias *par. 1. §. 1. num. 3.* Filliucius *loco citato num. 101. & 102.* Vgolinus *cap. 16. §. 4.* & alij.

Sciendum interdictum ab ingressu Ecclesiæ priuari actione, seu exercitio ordinis in Ecclesia consequenter non posse celebrare, & Sacramenta ministrare; imò fieri irregularem exercendo actum ordinis in Ecclesia, vt patet *ex cap. Is, cui*: tum etiam quia violat Interdictum per exercitium ordinis sacri: secus verò dicendum erit, si extra Ecclesiam celebrauerit. Ita Auila *disput. 5. cap. 5.* Emanuel Sà *verbo interdictum num. 19.* Sayrus *cap. 8. num. 11.* & alij. Ratio est, quia solùm est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non autem ab ingressu alterius loci, v. g. Oratorij priuati, &c. Cœmeterij, &c. & idcircò non prohiberi quamuis possit ibi celebrare, aut ibi Diuina audire, eo quod Cœmeterium in rigore non veniat nomine Ecclesiæ, licet si moriatur, nō possit in Cœmeterio sepeliri, quia illud prohibetur *in cap. Is, cui, &c.* Secundò huiusmodi Interdictum non posse formaliter audire Diuina Officia, vt patet *ex cap. Is, cui*, & audiendo mortaliter peccare, eo quod faciat contra prohibitionem in re graui: si verò alio fine nimirùm aut transiens per Ecclesiam tempore Diuinorū Officiorum, incidenter aliquid audiat, non peccat mortaliter, quia non dicitur formaliter audire, vel Diuinis interesse Officijs, vt ait Suarez *disput. 3. sect. 4. num. 23.* & alij, sicut nec etiam peccat, si tempore, quo non celebrantur Diuina Officia, ingrediatur Ecclesiam, ibique priuatim oret, etiamsi ibi reconditum, vel repositum sit Eucharistiæ Sacramentum, vt docet Suarez *disp. 34. num. 36.* & alij.

Sciendum Interdictum ab ingressu Ecclesiæ posse recipere Sacramenta, quando in ea non celebrantur Diuina Officia. Ita Sayrus *de suspensione cap. 7.* Henriquez *cap. 3. num. 2.* & alij. Ratio est, quia interdictus ab ingressu Ecclesiæ non est priuatus vsu Sacramentorum, sed tantùm Diuinorum Officiorum, & sepulturæ.

An Clerici possint tempore Interdicti sepeliri in loco sacro?

BRACTEA XVII.

R. Clericos non interdictos, nec illius culpabilem dederunt causam posse tempore Interdicti localis generalis, vel etiam specialis sepeliri in loco etiam specialiter interdicto, idest in Ecclesia, vel Cœmeterio, modo fiat sine solemnitate, & sono campanarum, vt patet *ex cap. Quod in te de pœnitent. & remiss.* Ita Vgolinus *cap. 9. §. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 44.* Sayrus *cap. 8 num. 6.* Auila *par. 5. disput. 4. sect. 3. dub. 2.* imò post *cap. Alma mater* possunt sepeliri cum Diuino Officio, & Missa iuxta moderationem illius capitis. Ita Auctores citati. Quod si Cœmeterium extra Ecclesiam existat, poterunt in Ecclesia, seruata solemnitate *capitis Alma mater*, officia celebrari, deinde cadauer in Cœmeterium cum silentio transferri poterit: nomine verò Clericorum intelliguntur Clerici initiati prima Tonsura, Religiosi, Moniales, etiam Nouitij, &c. nam Religiosi in fauorabilibus veniūt nomine Clericorum, exceptis Clericis coniugatis, qui non gaudent priuilegio Clericorum, seclusio priuilegio Canonis, & fori, nisi deputati sint seruitio alicuius Ecclesiæ, vel hoc illis concessum sit per consuetudinem. Ita Auctores citati.

An Interdictus priuetur vsu iurisdictionis exterioris?

BRACTEA XVIII.

R. Negative. Ita Henriquez *cap. 45.* Vgolinus *tab. 5. cap. 3. §. 2.* Siluest. *verbo interdictum 5. quæsit. 5.* Henriq. *cap. 45.* & alij apud ipsum. Ratio, quia effectus Interdicti sunt tantummodo tres, idest priuatio aliquorum Sacramentorum, Diuinorum Officiorum, & sacræ sepulturæ: actus autem iurisdictionis exterioris ad nullum istorum effectuum reduci potest, ex quo sequitur Interdictum etiam nominatim posse excommunicare, absoluere, &c. cum hæc pertineant ad iurisdictionem.

Quam pœnam incurrant Clerici violantes Interdictum?

BRACTEA XIX.

R. Peccare primùm mortaliter violando Interdictum, siuè locale, siuè personale, siuè generale, siuè speciale fuerit. Ratio est, quia faciunt contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui.

Sciendum Clericos præter peccatum mortale incurrere etiam irregularitatem scienter violantes Interdictum per exercitium alicuius ordinis sacri, vt colligitur *ex cap. Is, cui de sententia excommunicat. in 6.* Præter irregularitatem incurrunt etiam suspensionem ab officio, & consequenter à iurisdictione violando Interdictum locale, vt communiter colligunt Doctores *ex cap. Tanta de excess. Prælatorum*: incurrunt etiam Interdictum ab ingressu Ecclesiæ violantes Interdictum locale, saltem generale. *cap. Episcoporum de priuileg.* Ita Sotus *dist. 22. quæst. 3. art. 1.* Siluester *verbo interdictum 6 quæsit. 3* Caietanus *verbo interdicti violatio.* Vgolinus *tab. 5. cap. 15. §. 1.* Henriq. *cap. 23 nu. 3.* & alij.

Sciendum 2. multis modis à Clerico violari Inter-

Interdictum personale. Primò, si personaliter, ac specialiter interdicti actum proprium sui ordinis exercere præsumant. Secundo, si personaliter, ac specialiter interdicti sacris intersint, vel Sacramenta sibi prohibita accipiant. Tertio, si aliquem personaliter interdictum, post Interdicti denunciationem Diuinis interesse, vel Diuina celebrare permittant, quod intelligitur de ijs, quibus Ecclesiæ regimen est commissum, vt notauit Henriquez *lib 13 cap.46.num.3.* Auila *disput 5.dub 1.* Interdictum verò locale violatur à Clericis, & Religiosis. Primò, si celebrent Diuina Officia non obseruata moderatione *cap. Alma mater*. Secundo, si ij, quibus regimen Ecclesiæ commissum, est alios sine dicta moderatione Diuina Officia in loco interdicto celebrare permittant, vt colligitur *ex cap. Non est vobis de sponsalibus ibi ne celebretis, nec alium celebrare permittatis.*

Quam incurrant Laici pœnam violantes Interdictum?

BRACTEA XX.

R. Primo Laicos peccare mortaliter, si violent Interdictum locale per violentiam se Officijs Diuinis in loco interdicto ingerēdo, vel Clericis iubentibus exire, obtemperare recusent, idemque dicendum, si fraudibus, & mendacijs ingressum impetrent, v. g. fingendo sese Clericos, aut priuilegiatos, nam etiam talis fraus non minus, ac violentia iniuriam erga Ministros Ecclesiæ in re graui continet. Vltimò, si Clericos inducant, vt coram ipsis Diuina celebrent Officia. Ita Nauar. *cap.27.num.187.* Auila *par.5.disp.5.dub.2.* & alij.

R. 2. Si Laicus personaliter non interdictus sine vi, fraude, scandalo Diuinis solùm intersit Officijs, videtur peccare saltem venialiter, quæ est communior sententia. Et ita docet Siluest. *verbo interdictum 6.* Sotus *dist.22.quæst.3.art.1.* Ratio est, quia cum Interdictum locale directè, ac principaliter ad Laicos non tendat, non videtur obligatio tam grauis respectu Laicorum, & per consequens non peccare mortaliter, sed tantùm venialiter.

R. 3. Si Laicus etiam sine vi, & fraude Sacramentum, v. g. Sacræ Eucharistiæ, vel aliud, in loco interdicto administrari prohibitum accipit, videtur peccare mortaliter. Ita Suarez *disp. 35 sect.2. num.6.* & *disput.34. sect. 5. num. 9.* Ratio est, quia inducit, vel cooperatur Clerico ad id, quod ipse sine peccato agere nequit.

Sciendum Laicos nullam pœnam præcisè ob violationem Interdicti incurrere, quia nulla est in iure expressa, præterquam *Clement. 2. de sententia excommunicat.* vbi ligantur excommunicatione Laici cogentes aliquem Diuina celebrare Officia in loco interdicto, aut prohibentes ne interdicti exeant, postquam fuerint à celebrantibus exire admoniti. Ita Nauar. *cap.27. num.104.* Sayrus *lib.5.cap.14 num.14.*

De relaxatione ab Interdicto?

BRACTEA XXI.

Sciendum, quod Interdictum sicut suspensio duobus modis fertur, vel vt pura pœna propter delictum merè præteritum, vel vt propriè dicta censura propter præsentem contumaciam. Quo posito.

R. Interdictum, vt censura latum ad tempus, vel sub conditione, elapso tempore, adimpleta conditione cessare. Ratio est, quia lex, aut sententia non operatur amplius, quam verba ipsius exigant. Ergo quando verba in sententia Interdicti ipsum certa limitant conditione, nōnisi ac posita illa ligat; ita vt ea sublata cesset vinculum, tum quia non ligat vltra intentionem conditoris. Ita Auila *par 5.disput.6.dub.1.* Emanuel Sà *verbo interdictum num. 2.* Reginaldus *lib.32 tract.3.num.53.* & alij. Si verò Interdictum absolutè latum sit, non cessat per lapsum temporis, sed per absolutionem debet cessare, quā dare potest tantùm is, qui illud tulit, aut superior eius, aut alius de eorumdem commissione. *cap. Si Petrus 24. quæst. 1.* Qui solum Interdictum absolutè latum possunt auferre, vel etiam ad libitum suspendere in totum, vel secundum aliquos effectus. Ita Auila *par. 5. disput. 6. dub. 4.* Siluest *11. interdictum 3. quæsit 8.* & alij.

Sciendum 2. Episcopum posse absoluere ab Interdicto locali posito à iure, & patet *ex cap. Nuper de sententia excommunicat.* tum quia Episcopus potest dispensare in his, quæ non sunt reseruata: Interdictum autem locale iuris non est reseruatum; ergo, &c. Ita Henriquez *lib. 3. disput.48 num.3.* Auila *par.5 disput.4.dub.1.* Reginaldus *loco citato num 55.* & alij. Dixi à iure, quia ab Interdicto lato à Papa tamquam ab homine, non videtur Episcopus posse absoluere. Ratio est, quia inferior non habet iurisdictionem in superiorem Ergo Episcopus non potest dispensare in Interdicto lato à Papa tamquam ab homine. Dixi secundò ab Interdicto locali, quia ab interdicto personali non potest Episcopus absoluere, nisi fortè Interdictum personale sit occultum, quia tunc potest absoluere virtute priuilegij concessi in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6.*

MALLEATIO XXVIII.

De Cessatione à Diuinis.

Quid sit Cessatio?

BRACTEA I.

R. Cessationem à Diuinis esse Ecclesiasticam prohibitionem, ob quam Clerici cessare debent in certo aliquo loco à Diuinis Officijs, & Sacramentorum administratione, sepultura Laicorum. Ita Coninchus *disp.17. dub. 7. num.79.* Reginaldus *loco cit. num.70.* & alij.

Sciendum, cessationem à Diuinis differre ab Interdicto. Primo, quod non sit Ecclesiastica censura, id est pœna alicui ob delictum imposita ab Ecclesiastico Iudice, sed si factum quoddam, quo certa de causa suspendatur in aliquo loco Diuina Officia in signum grauissimi mœroris ab Ecclesia cōcepti propter grauissimam iniuriam sibi, aut honori Diuino illatam, vt hac ratione iniuriosus desistere, & Ecclesiæ læsæ satisfacere cogatur, vt colligitur *ex Clement. 1. de sententia excommunicat.* & explicat Suarez *disput.*

 39 sect.

39. sect.1.num.13. Secundò, quod per illius transgressionem non incurritur irregularitas, sicuti incurritur per violationem Interdicti, per ordinis sacri exercitium. Tertiò, quod nunquam imponatur à iure, vt Interdictum etiamsi ab illo permittatur, vt patet ex cap. Si Canonici, & ex cap. quamuis de officio Ordinarij in 6. Quartò, quod qui habent priuilegium audiendi Officia Diuina tempore Interdicti, non ideò possunt audire tempore cessationis à Diuinis, vt docet Nauar. cap.27.num.188. Henriquez lib.13. cap.53.num.2. Auila par.6.disp.1.dub.3. Suarez disp.39.disp.2.num.11. Ratio, quia à diuersis ad diuersa non fit bona illatio, seu extensio.

Sciendum 2. cessationem duplicem esse, vnam generalem, & aliam specialem. Generalis est, qua prohibentur celebrare Diuina Officia in aliquo loco vniuersali, v. g. in aliquo Regno, Vrbe, Oppido, &c. Specialis est, qua prohibentur Diuina in loco particulari, vt in vna, vel pluribus Ecclesijs.

De causis cessationis à diuinis?

BRACTEA II.

R. Quatuor esse causa cessationis à diuinis, nimirum causam efficentem, formalem, materialem, & finalem. Causam efficientem esse Papam, & Episcopum, & Capitulum sede vacante, cum succedat in iurisdictione, nisi impediatur in aliquo casu particulari. Similiter etiam Concilia Prouincialia possunt imponere cessationem. Causam formalem esse verba, quibus fertur cessatio a diuinis, vt v.g. nos talem ob causam, talem Ciuitatē, &c. à diuinis officijs abstinere præcipimus.

Sciendum in ferenda cessatione à diuinis hasce circumstantias esse seruandas. Prima, vt delictum, propter quod fertur cessatio sit manifestum, & notorium. Secunda, vt admoneatur is, ob cuius culpam ferenda est cessatio, vt pareat, quia sicut admonitio requiritur in ferendis censuris: ita & videtur necessaria in ferenda cessatione. Sunt, & aliæ, de quibus videri possunt Auctores. Causam materialem esse delictum, & culpa, quæ valide grauis esse debet. Ratio est, quia quantitas pęnę proportionari debet quantitate delicti causam finalem esse emendationem.

De effectibus cessationis à diuinis?

BRACTEA III.

R. Primum effectum cessationis à diuinis esse priuationem diuinorum officiorum ita vt publicè nequeant recitari diuina officia, vel persoluere horas canonicas, neque celebrare Missas, etiamsi seruetur moderatio capitis *Alma mater*. Et ita communiter omnes. Hinc sequitur tempore cessationis non esse licitum pulsare campanas ad diuina officia, quia cum diuina officia sint prohibita, censetur etiam prohibita campanarum pulsatio, ad concionē, ad orationem Angelicam, & ad alia, quæ non sunt diuina officia, non est prohibitum pulsare Campanas, nisi aliter consuetudo exigat. Secundo, non esse licitum laicis audire diuina officia, quia sicut Clerici prohibentur celebrare, ita etiam prohibentur laici audire.

R. 2. Effectum cessationis esse priuationem sacramentorum, quia tempore cessationis Sacramentum ordinis, aut extremæ vnctionis non confertur laicis, aut Clericis, vt colligitur ex cap. non est vobis de sponsalibus. Sacramenta verò Baptismi, & pœnitentiæ, secundum benignam Doctorum interpretationem licitè administrantur cum solita solemnitate ob necessitatem istorum, & Sacramentum Confirmationis, quod censetur complementum Baptismi: Sacramentum verò Eucharistiæ solum confertur ægrotantibus per modum viatici, seruata pompa necessaria ad illius reuerentiā. Vndè licitum est tempore cessationis celebrare pro communicando infirmo, si nulla est alia hostia consecrata, seruatis cæremonijs ad celebrationem Missæ requisitis. Contrahere verò matrimonium non est licitum tempore cessationis à diuinis. Ita Suarez sect.2.num.27. nisi aliter consuetudo postulet. Ratio, quia hoc Sacramentum, in iure non videtur exceptum.

R. 3. Tertium effectum cessationis à diuinis esse priuare laicos sepultura sacra, saltē quoad diuina officia. Ratio est, quia ita vsu, & praxi receptum videtur. Clerici verò non priuantur sepultura sacra, modo sepeliantur absque diuinis officijs, iuxta multorum Doctorū opinionem apud Auilam disp.1. dub.10.

R.4. Violantes cessationem grauiter peccare, eo quod faciant contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui, non incurrere tamen aliam pęnam. Religiosos verò etiam exemptos incurrere excommunicationem non seruando cessationem generalem, quæ seruatur à Cathedrali, vt colligitur ex Clement. 1. de sententia excommunicat. Ita Henriq. lib.13. cap.54. num.3. Auila disp.3. dub.2. Siluest. verbo cessatio quæst.3. Reginald. loc.cit.num.83. & alij.

MALLEATIO XXIX.

De obligationibus annexis Ordinis.

De prima, & secunda obligatione, seu de habitu, Tonsura, ac Celibatu Clericorum?

BRACTEA I.

R. Clericos in sacris ordinibus constitutis, vel etiam in minoribus obligatos esse habitum ferre, & Tonsuram. Et ita colligitur ex cap. penultimo de vita, & honest. Clericorum, & ex Clement. 1. quoniam, &c. Quis verò sit proprius habitus Clericorum nullibi determinatur, nisi quod nimia breuitas, & longitudo reprobatur in cap. Clerici de vita, & honest. Clericorum. Quare honestas vestium Clericalium labitur ex consuetudine, & vsu vniuscuiusque regionis, vt notauit Gloss. in cap. Si quis virorum 2. dist. Item verbo de auratis in cap. penultimo de vita, & honestate Cleric. Et ita Couar. pract. quæst.3. Farinaccius in praxi criminali quæst.8. num.69. Viualdus in candelabro aureo part.3. in explicatione Bullæ Sixti V. de habitu, & Tonsura num.9. Zerola in praxi Episcopali part.1. 2. Clericus §.14. Belletus disquisit. Clericali part. 1. titulo de disci-

de disciplin. Cleric. §.16. *num.3. & infra* , & alij.

Sciendum 1. vestes Clericales debere esse humiles, honestæ, ac decentes, & ordini Clericali congruentes, *cap. omnis, cap. nullus, cap. Episcopi, cap. fine, & cap. præcipimus.* Et Concil.Tridēt. *sess.23. cap.6. de reformat.* vestes Clericales maioribus ordinibus congruentes censeri talares, dimissas scilicet, vsque ad talos, vt expressit Sixtus V. in sua constitutione *in cap. Cum Sacrosanctū.* Et ita *cap.penult.23. dist.* Et ita etiam declarauit Sacra Cardinalium Congregatio super Concil. Trident. *sess.23.* §. *habitus*, maximè etiam beneficiatum, & pensionarium, quibus habitum Clericalem, vestes, scilicet talares non assumētibus, vel non deferentibus imponitur pœna priuationis, ac vacationis ipso iure, non solum beneficiorum, sed etiam pensionum. Quā Constitutionem idem Sixtus V. eodem anno pridie Calendas Februarij incipiente *pastoralis*, moderatus est modo infra dicendo.

Sciendum 2. quod quamuis habitus non faciat monachum, oportet tamen Clericos vestes proprio ordini cōgruentes semper deferre, vt per decentiam habitus extrinseci, morum intrinsecam honestatem ostendant, vt inquit Trident. *sess.14. cap.6. de reformat.* & colligitur *ex cap penultimo de vita, & honest. Cleric.* Tanti enim fuit semper apud Ecclesiam extrinsecā hæc habitus compositio, vt ferè innumera legantur super his monita, & decreta signanter super Tonsuram; & habitum, & vltimo Concilium Trident. ita statuit *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruet, quā eorum vita, & exemplum, qui se diuino cultui dedicarunt cum eorum à rebus sæculi in altiorem sublati lo:ū conspiciantur, in eos, tamquam in speculum reliqui oculos conyciunt ex ijsque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Dñi vocatos vitam, moresque suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus nil nisi graue, moderatum, ac religione plena præseferant;* leuia etiam delictā, quæ in ipsis maxima essent effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo maiore in Ecclesia Dei, & vtilitate, & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint obseruanda statuit sancta Synodus, vt quæ alias à Summis Pontificibus, & à sacris Concilijs de Clericor. vita, & honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, commessationibus choreis, aleis luxibus, ac quibuscunque criminibus, nec non sæcularibus negotijs fugiendis copiosè, ac salubriter sancita fuerunt eadem in posterum ijsdem pœnis, vel maioribus arbitrio ordinarij imponendis obseruetur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morū correctionem pertinet suspendat, & *sess. 14, cap. 6. Ita statuit.* Propterea omnes Ecclesiasticæ personæ quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates personatus officia, aut beneficia, qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem illorum ordini & dignitati congruentem, & iuxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, & redditibus, & prouentibus ipsorum beneficiorum, necnon si semel correpti, denuò in hoc diliquerint, etiā per priuationem beneficiorum, & officiorum huiusmodi coerceri possint, & debeant Constit. Clem.5. in concilio Viennensi innouando, & ampliando. Ita etiam statuit, & ordinauit Sixtus V. Summ. Pontif. *in Constitutione quæ incipit Sacrosancta, &c.* Ex quibus deducitur, quod Clerici incedere debeant in habitu decenti, ac Tonsura, quodque contrafacientes ab Episcopo corrigi, ac castigari possunt, ac debeant, vt videre est apud Farinac. *in praxi lib. 1. quæst. 8. num.56.* Barb. *Alleg 9. Cuch. instit. maior.lib.3. tit.10.* Viuian. *in praxi Iuris patron. cap vlt. lib vlt.*

Sciendum dubium esse; quando Clericus dicatur incedere in habitu, & Tonsura, ad quod Respondeo, quod, ille qui vestes talares, vel à cōsuetudine regionis approbatas, aut à proprio Episcopo recognitas, coronamque in capite ordini suo congruentem gestat incedit in habitu, & Tonsura. Nam in ista materia Clericalis habitus; iura canonica magis procedunt prohibendo, quam præscribendo in *capite penult. de vit. & honest. Clericor.* prohibentur Clericis vestes rubræ, & viridæ nimis longæ, aut nimis breues, aut cum manicis, vel sotularibus consultitijs, nec non equorum frena sellæ, pectoralia, vel calcaria deaurata; fibulæ item, ac zonæ auro, vel argento ornatæ, nec non annuli, nisi ex dignitate competant *in Clement 2. eodem tit.* prohibentur Clerici præsertim beneficiati, vti caligis diuersi coloris rubeis, aut, &c. nec non veste virgata, vel partita publicè vti, nisi iuxta ratione cogantur, vel excusentur, & quia hæc iura de coloribus non loquuntur taxatiuè, sed exemplificatiuè; idcircò eadem ratio in ceteris coloribus viget. Talis prohibitio non habet locum in Cardinalibus; quibus ex concessione *Innocent. IV. Pauli II.* &c. concessum fuit, vti pileo biretto cappa, cæterisq; rubris indumentis. Nec etiam respectu Episcoporum, quibus viridi colore vti est expressè indultum. Talares autem vestes, quibus iubentur Clerici, vti per Epicheiam iudicantur, quæ iuxta consuetudinem Clericis, sunt decentes, quamuis non sint adeò longæ, vt descendant ad pedes Garz. *de benef. par. 7. cap.2. num 32.*

Contra non deferentes habitum Clericalem disponit Concil. Tridentinum *loc. cit.* quod si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum, & Clericalem illorum ordini, dignitatiq; congruentem, & iuxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, & redditibus, & prouentibus ipsorum beneficiorum, necnon si semel correcti, denuò in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum, ac beneficiorum huiusmodi coercere possint, & debeant (vt dictum est) supra. Verum Clericus pro delatione vestium interiorum non debet puniri, etiamsi non sint secundum iura. Cuch. *in tit. maior. lib.2. cap. 10. num. 15.* Ratio, quia iura loquuntur solum de vestibus exterioribus, non autem de interioribus, vt de thorace, femoralibus, &c. Similiter non sufficere Clerico ferre disiunctiuè habitum; aut tonsuram, sed vtrumque copulatiuè requiri, nisi aliqua iusta causa excusetur ferre tonsuram.

Sciendum 2. (vt dictum est) Sixtum V. suam moderasse constitutionem. Primò, habitum Cleri-

Clericalem non teneri deferre Clericos non recipientes pensionem, fructus, aut prædia, vel bona Ecclesiastica sibi in vna, vel pluribus vicibus reseruata, & concessa, summam, seu valorem annuum sexaginta ducatorum auri de Camera, non excedentia. Secundò, declarat non teneri in habitu, & tonsura Clericali incedere interuenientes Palatio Apostolico in inferioribus ministerijs, qui pensiones, aut fructus, aut bona Ecclesiastica loco pensionum, vsq; ad quamcumque summam, valoremque percipiunt. Tertiò, declarat etiam eos Clericos, aut milites, quibus pensiones, aut fructus bona, aut prædia Ecclesiastica, ad quamcumque summam reseruata, aut reseruari concea sunt, non, aliter ad gerendum militarē habitū teneri volumus, nisi postquam pēsiones, fructus, aut aliá præfata cum effectu exigere, aut percipere cœperint, vel per eos steterit, quominus exigant, aut percipiant: ex necessitate tamen itineris, vel peregrinationis licitum est Clericis vestes habere breuiores, *cap. Episcopi 21. quæst. 4.* Secundò, non procedere in Clericis, qui ratione paupertatis habitum proprio ordini cōgruentem gestare non valuerint, vt decisum refert Aloysius Riccius *in decis. Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ decis.* 129. Vgol. *de potest. Episcopi, cap.* 12. *num.* 3. Decianus *tract. criminal. lib.* 4. *cap.* 9. Tertiò, non habere etiam locum, si non possint propter infirmitatem tonsuram deferre. Ita Vgolin. *loc. cit. cap.* 12. *num.* 3. Viuianus *in praxi iuris patronatus part.* 3. *lib.* 15. & alij. Quartò, posse habitum mutare, ac etiam disponere, si ex delatione habitus Clericalis iuxta esset causa timoris, *cap. Clerici officia.* Quinto, si domi suæ, & per consequens in occulto dimitteret, quia Clement. 2. de deferente publicè alienas vestes loquitur, ergo secus si occultè, tum quia iste talis non dimittit habitum, ne deserit, sed vt paulò post assumat, quo casu non dicitur dimisisse, sicut etiam abesse non dicitur, qui statim est reuersurus, *leg. post liminium*, §. *captiuis.* Quibus positis.

R. Non peccare mortaliter Clericum sæcularem beneficiatum, vel maioribus in ordinibus constitutum, qui aliqua iusta causa Tonsuram, habitumque non defert Clericalem: secus verò, dicendum si ad longum tempus habitum Clericalem non deferat, & admonitus nolit ipsum deferre, quia tunc censetur peccare mortaliter ob contemptum, & contumaciam. Ita Abbas *cap. si quis, num.* 1. *de vita, & honestate Cleric.* Nauar. *cap.* 15. *num.* 10. Caiet. *verbo Cleric.* negat esse peccatum mortale, nisi interueniat temeritas, contumacia, & contemptus. Similiter Vasquez *disp.* 246. *cap.* 3. *num.* 22; Et ita etiam Layman *de Sacram. ordinis cap.* 12. *num.* 2. qui ait esse peccatum mortale, si spectatis personæ circumstantijs, loci diuturnitate temporis, &c. Clericalis Tonsuræ, & habitus neglectus notabiliter repugnet honestati, & bono exemplo Clericorum, cuius gratia talis habitus lege Ecclesiastica præcipitur: sin verò ex iusta causa, vel ad tempus breue, sine honestatis detrimento habitus deponatur, nulla omninò culpa erit. Spectanda etiam est cuiuscumque Diœcesis consuetudo. Ita Layman *loc. cit.*

De Tonsura Clericorum?

BRACTEA II.

R. Clericos debere deferre Tonsuram, & Coronam congruentem in modum sphęræ *cap. prohibete*, & *cap. penult. dist.* 23. *cap. duo sunt* 12. *quæst.* 1. *cap. Clerici officia de vit. & honest. Cleric.* & pręcipuè beneficiatos, & pensionarios sub pœna priuationis, ac vacationis, ipso iure, beneficiorum, seu pensionum ex constitutione Sixti Quinti, quæ incipit *Cum Sacrosancta* sub *Datum Romæ quinta idus Ianuarij anno* 1589. Gonzales *super regulam octauam Cancellariæ*, Gloss. 15. *num.* 56. Auctor praxis Archiepiscopalis Neapolitanæ *cap.* 7. *num.* 8. Quamobrem Tonsura Clericalis, si à pensionario, in quem in articulo mortis fuit translata pensio beneficij post acceptationem pensionis sumatur, inde per veram testiū probationem constet, reddit pensionem nullam, tamquam habitam à non Clerico. Rota *diuers. part.* 3. *lib.* 15. *decis.* 108. *num.* 1. Quod multò magis debet dici de beneficio. Ratio est, quia Laicus est incapax rerum spiritualium, & qui nōdum est Clericus, non potest beneficium Ecclesiasticum obtinere. Debet enim primam saltem habere Tonsuram, ad hoc, vt valida sit collatio, *cap. cum adeo*, & ibi Gloss. *v. Clericus* Nauar, *consil.* 1. *de prebendis*. Neque prodest ei, quamuis sequuta collatione primam statim Tonsuram accipiat, Gloss. *in cap. ex litteris v. Tonsuram.* A delatione nihilominus Censuræ excusandus esset, qui illam deferre non posset, propter infirmitatem, item si esset causa timoris, vt dictum est supra.

Sciendum, quod quamuis imponatur pœna ipso iure, vel ipso facto, ita quod nulla requiratur sententia, debet nihilominus præcedere Iudicis sententia non super pœna, sed super contrauentione, vel non contrauentione, in crimine, pro quo imponitur pena, & debet Iudex declarare talem commisisse delictum. Ita Couar. *in cap. Cum esses in* 6. *de testam. & in reg. peccatum part.* 2. § 8. *num.* 8. Sotus *de iustitia, & iure lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 6. & alii.

De cælibatu annexo ordini sacro?

BRACTEA III.

Sciendum continentiam Sacro ordini cœpisse esse annexam ex Constitutione Summi Pontificis circa Annum 388. *in cap. plurimos dist.* 82. eamque postea confirmauit Innocentius I. anno 408. vt colligitur ex *cap. proposuisti dist.* 82. quam referunt Sotus *de iust. lib.* 7. *quæst.* 6. *art.* 2. Valentia *tom.* 4. *disp.* 9. *quæst.* 5. *p.* 5. §. 2. & alij, & ideò Clericus castitatem, & continentiam ordini per se accepto obseruare debet, cum enim templum, & vas Domini, ac Sacrarium Spiritus Sancti esse debeat, indignum est dici eum cubilibus, & immunditijs seruire, tum etiam quia Sacerdotes Deo, rebusque diuinis perpetuò vacare debent, ab hoc autem studio impediuntur, ac distrahuntur opere, ac fœdere coniugali. Tertiò, quia necesse est honorem, ac reuerentiam seruari sacerdotio: experientia autem constat populum, non tanto in hono-

honore habere eos, quos vident vitæ instituto penè nihil ab ipsis differre. Quartò, oportet Episcopos, aliosque Sacerdotes hospitales esse, & in pauperes misericordiam exercere, quā non poterunt præstare, si vxores, & liberos alere debeant. Vltimo, quia redditus Ecclesiastici, quos fideles ad diuinum offerunt cultum passim ad causas profanas applicarent. Episcopatus Parochiæ, & alia beneficia frequenter quodam veluti hæreditatis iure ad filios Sacerdotum deferrentur, aut saltem Ecclesia ministrorum suorum tamquam benemeritorum relictam prolem magno suo grauamine alere teneretur. Qua ratione prouentus Ecclesiæ distraherentur, nec sufficerent ad tātum ministrorum numerum alendum, qui populo Christiano instruendo, ac pascendo necessarius est, & ideò.

R. Continentiam annexam ordini sacro nō esse ex lege diuina positiua. Et ita D. Thom *secunda secunda quæst.* 88. Caiet. *tom.* 1. *opusc. tract.* 27. Bellarm. *lib.* 1. *de Cleric. cap.* 18. Sed continentiam esse annexam ordini ex præcepto Ecclesiastico. Et ita Sotus *in* 4. *dist.* 37. *quæst.* 1. Paludan. *ibidem*, *quæst.* 1. *art.* 2. Guttier *lib.* 1. *canonic. quæst. cap.* 7. *n.* 45. Et Sanchez *lib.* 7 *de matrim. disp.* 27. *quæst.* 1. Ratio est, quia si quis cum sacrum ordinem suscipit, inuincibiliter ignoret obligationem Continētiæ annexam esse, vel expresè nollit sese obligare per proprium votum, is nihilominus obligatus erit ad seruandam Continentiam, adeò vt matrimonium validè contrahere nequeat: id vero non prouenit ex proprio voto, quippè quod internum animi consensum implicitum, vel explicitum necessario requirit. Ergo prouenit ex sola lege Ecclesiastica, quæ etiam inuitos constringere, & ignorantes ad aliquem actum inhabiles reddere potest: regulariter tamen obligatio Continentiæ oritur ex proprio voto, quod secundum Ecclesiæ legem, ipso facto, seù susceptione sacri ordinis emittere debent: in defectum tamen voti, vt si quis accipiendo ordinē sacrum, nollet se obligare ad castitatem seruandam, tunc obligaretur ratione præcepti Ecclesiæ, quæ etiam, vt dictum est, vel inuitos potest obligare.

Sciendum 2. (vt dictum fuit) legem cælibatus nouæ legis sacerdotibus impositam, antiquam esse, & Apostolicam Constitutionē, quæ semper in Ecclesia, præsertim occidentali obseruata fuit, idque propter rationes superius allatas, & colligitur ex Apostolo *ad Titum c.* 1. ex Clement. Alexandr. *lib.* 1. *stromat.* ex Origene *Homil.* 23. *in lib. numeri*. Ex Basilio *in cap.* 3. *Isaia*, ex Cyrillo Hierosolymit. *Cathechesi* 12. ex Ambros. *lib.* 1. *offic. cap.* 50. ex Hieronym. *lib.* 1. *contra Iouinian.* & ex alijs Patribus, & Concilijs: & ideò Clericus debet esse solutus ab vxore, licet in minoribus constitutus vxorem ducere possit ante Subdiaconatum, *cap. si quis eorum*, *cap. Lectores* Abbas *in cap. Clericus num.* 1. *de vit. & honest. Cleric* qui postea mortua vxore, modo illam non duxerit viduam, aut repudiatam, seù talem, quæ reddidisset illum bigamum, ad ordines sacros poterit promoueri *cap. seriatim*. Abb. *in cap. Clericus*, ordinati verò in ordinibus sacris non possunt contrahere matrimonium ob præceptum Ecclesiæ, seù ob votum, *cap. Cum in præterito, cap. à multis, cap. Verum de ætate & qualitate, cap. erubescant, cap. nemo, cap. placuit dist.* 32.

An vi, aut metu ordinatus, qui inconstantem virum caderet, teneatur voto Continentiæ?

BRACTEA IV.

R Vt dictum est, vi ordinatum, aut metu cadente in constantē virum non obligari ad seruandam Castitatem ratione voti. Ratio est, quia votum est promissio Deo deliberatè facta, qui autem vi suscipit ordinem, voluntariè non promittit continentiam, & idcircò votum metu tali iniecto factum est nullum, obligatur tamen ratione præcepti Ecclesiæ, quia licet continentia non sit de substantia, & de essentia ordinis, sed tantum accidēs tamen Ecclesia vult promotos ad ordines sacros seruare castitatem, sicut etiam obligaretur ad castitatem seruandam, qui accedit ad ordines sacros, sciens illis esse annexum votum castitatis, sed illud positiuè respuit, seù non vult sese ad castitatem obligare, non ratione voti, quia votum non subsistit cum voluntate non vouendi, cum votum, vt dictum est, sit voluntaria, & deliberata promissio, sed tenetur ad castitatem ex statuto Ecclesiæ, quæ præcipit obseruantiam Castitatis illi, qui noluit vouere, illumque inhabilem facit ad matrimonium. Ita Palud. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 14. Sanchez *in summa cap.* 1 *num.* 29. Siluester *verbo matrimonium* 8. *quæsit.* 12. *dub.* 2.

Sciendum duplex esse votum, vnum solemne, & aliud simplex. Votum simplex consistere in nuda promissione. Votum solemne præter simplicem promissionem, includere traditionem proprij corporis, & libertatis; & acceptationem ab eo, qui vices Dei gerit, cum quibusdam cęremonijs exterioribus ab Ecclesia approbatis, & tale est votum religionis, quod emittitur in professione, & votum continentiæ, quod emittitur in susceptione sacrorum ordinum.

Similiter votum duplex esse, expressum, & aliud tacitum, seù explicitum, vel implicitum. Explicitum illud esse, quod verbis illud exprimentibus celebratur, tacitum est, quod non fit verbis illud exprimentibus, sed quatenus aliquid fit, cui est annexum ordini, vt est votum Castitatis, quod emittitur in susceptione sacrorum ordinum, etiamsi suscipiens ordines sacros non intendat explicitè, votum emittere.

Sciendum 2. quod licet ex voto facto absque animo vouendi, seù promittendi in susceptione sacrorum ordinum præcisè ratione voti nō obligatio oriatur, sicut nec etiam oritur obligatio ex voto facto cum animo vouendi, sed cum intentione non se obligandi, etiamsi erit factum cum animo negatiuo, idest absque expressa, aut tacita intentione se obligandi, non obligari sic vouentem ad seruandam castitatem ratione voti, cum censeatur nullum, sed tamen erit obligatus alio titulo ad eam seruandam, nimirum ratione præcepti Ecclesiastici. Vnde qui ignorat votum obligare, vel credit non obligare, non obligabitur ad votum seruandum, quia non habet expressam, vel tacitam sese obligandi intentionem: Votum autem in tantum obligat, in quan-

in quantum vouens intendit se obligare. Ita Lessius *lib.2. cap.40. dub.1. num.13.* Nauarr. *cap.12. nu.1.27.* & alij.

An Papa possit dispensare, vt promoti ad ordines sacros vxorem ducere possint?

BRACTEA V.

R. Papam dispensare posse, vt promoti ad ordines sacros, ex maxima tamen causa, vxorem ducere possint. Ita Abbas *in cap. Cum olim num.5. de Cleric. coniug.* etiam cum Sacerdote, Archidiac. *in cap. Cum in præterito nu.3. dist.83.* Abbas *in cap. Cum ad monasterium num.21.* & ibi Innocent. *de Statu Monachorum.* Quod Papa dispensare possit cum constituto in sacris. Quod matrimonium contrahat. Ita Alexand. *consil.2. num.22. volum.1.* Nauar. *consil.3. num. 6.* Decius *in cap. quæ in Ecclesiarum num.47. de constit.* Rodriquez *quæst. regul. tom.3. quæst.1. art.5.* Potest itidem Papa magna ex causa dispensare cum Religioso professo, & cum moniali super voto castitatis, & continentiæ, vt matrimonium contrahat Hostiens. *in cap. Cum ad monast. num.21.* Abbas *in cap. Cum olim num.5. de Conuers. coniug.* Felinus *cap. si quando num.5.* quod tamen intelligendum est, de filijs Regum, & Principum tantum. Ita Azor. *institut. morali part.1. lib.12. cap.7. quæst.1.2. & 3.* vt de facto Papa dispensauit cum pluribus ob bonũ publicum Christianitatis, & alicuius Regni, seu Principatus, & ideò Papa potest facere de monacho non monachum *cap. quorundam. dist 74.* Innocent. *in cap. Presbyt.* & alij.

MALLEATIO XXX.

De tertia obligatione, quæ est recitare horas canonicas.

Quis teneatur recitare Horas Canonicas?

BRACTEA I.

R. Tria Ecclesiasticorum hominum genera ad horarum canonicarum recitationem teneri communi Ecclesię, siuè præcepto, siuè consuetudine, nempè Clerici sacris, & maioribus ordinibus initiati, Religiosi professi religionem, quæ habet Chorum, & Clerici beneficium Ecclesiasticum obtinentes. Ita Nauarr. *in manual. cap.24. num.97.* Layman *in Theolog. moral. lib.4. tract.1. cap.4.* & alij communiter.

Sciendum, quod Clericus initiatus ordine Subdiaconatus tenetur ad recitãdas horas canonicas eadem die, qua Subdiaconatus ordinem suscepit, vt colligitur *ex cap. dolentes de celebrat. Missar.* & *ex cap. presbyt. dist.91.* tum ex antiqua, & generali consuetudine; cum enim præceptum munus ministerij spiritualis sit orare pro populo, iure optimo sancitum est, vel saltem consuetudine inductum, & receptum, vt Clerici maioribus ordinibus insigniti preces, horasque canonicas persoluant eodem die, & ad eas horas, quæ respondent tempori ex quo talem subijt obligationem, vt videlicet incipiat à Sexta, vel nona, aut à Vespertinis precibus, iuxta horam, in qua est ordinatus. Ita Malderus *de virtutib. tract.19. cap.2. dub.3.* Reginald. *lib.18. num.135.* Carolus Macignus *cap.9,* Azor. *part.1. lib.10. cap.13. quæst.7.* Beia *part.1. casu 54.* Layman *lib.4. Theolog. moral. tract.1. cap.6. nu.3. dub.4.* & alij.

Quid sint Horæ Canonicæ, seu Diuinum Officium?

BRACTEA II.

R. Horas canonicas, seù diuinum officium considerari materialiter, & formaliter. Si materialiter consideretur, horæ canonicæ, seù diuinum officium, nihil aliud sunt quam laudes, & preces ab Ecclesia institutæ ad orandum, & ore laudandum Deum certis, ac definitis horis. Dixi primò, laudes, & preces, quia ijs Deus oratur, & honoratur. Secundò, ab Ecclesia institutæ, quia institutæ sunt ab Ecclesia, & nomine ipsius recitantur. Tertiò, ad Deum ore laudandum, quia ore proferuntur ad differentiam orationis mentalis, quæ in mente concipitur, & in mente versatur. Dixi singulis diebus, & definitis horis, quia est onus singulis diebus, & statutis horis annexum. Secundo, diuinum officium, seu horæ canonicæ formaliter considerate sunt actus Religionis, vel obedientiæ, aut etiam iustitiæ, quo non solum Deus laudatur, verum etiam explicatur desiderium Ecclesię, & à Deo, vel Sanctis petuntur res conuenientes iuxta eiusdem Ecclesiæ præscriptum. Ita ex D.Thom. *2.2. quæst.83. art.1.* ex Valent. *tom.3. disp.6. quæst.2. p.1.* Bellarm. *tom.4. de bon. oper. lib.1. cap.1.* Azor. *par.1. lib.9. cap. 29.* & alijs.

Sciendum, quod oratio diuiditur in priuatã, quam quisque proprio nomine ad Deum fundit, seù pro seipso, seù pro alijs, cuiusmodi oratio, tùm mentalis, tùm vocalis esse potest: alia verò est, oratio publica, quæ nomine totius Ecclesiæ, seù fidelis populi fit a Ministris Ecclesiæ ad id deputatis, & ideò externa, seù vocalis esse debet, vt innotescat populo, vt ait S.Thom. *quæst.83. art.10. in corpore.* Palud. *in 4. dist.15. quæst.5. art.2.* Eiusmodi publicæ orationis sunt Letaniæ, item officium B.Virginis. Officium, quod propriè canonicum, seù horarum canonicarum appellatur, de quo est in præsenti sermo, etsi verò hæ preces ab Ecclesia institutæ recitari vtiliter, ac fructuosè possint à fidelibus quibuscumque sine obligationę, habent tamen tunc rationem, orationis priuatæ: publicæ autem orationis vim sortiuntur quatenus à personis Ecclesiasticis recitantur, cum obligatione, ac deputationę ad eiusmodi orandi officium, & sub hac oratione de officio diuino dicturi sumus.

Quot nam sint Horæ Canonicæ?

BRACTEA III.

R. Horas canonicas esse tantum Septem, videlicet Matutinum, prima, tertia, sexta, nona, vespere Completorium, iuxta illud Psalmi

Psalmi 118. *Septies in die laudem dixi tibi*. Vbi dies pro naturali die vigintiquatuor horarum accipitur, qui noctem etiam includit. Cum autem dicit; *media nocte surgebam ad confitendum tibi*, distinguit ipsas horas in diem artificialem, & noctem. Ratio est, quia Horæ Canonicæ non sunt plures, quam ab Ecclesia institutæ sint: Ecclesia autem instituit tamtummodo septem horas, vt patet *ex cap. de celebrat. Miss.* & *ex Clement. 1. de reliquijs, & venerat. Sanctorum*, & ex Breuiario Romano, vbi Septem horæ nuncupantur, tum quia Horæ Canonicę institutæ sunt ad reuocandam in memoriam Christi passionem, quæ septem præcipuis continetur mysterijs, vt infrascripti versus declarant.

Matutina ligat Christum, qui crimine purgat.
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,
Sexta circumnectit, latus eius Nona bipartit,
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

tum etiam ob septem mysteria numeri septenarij. Significat primò septem dona Spiritus Sancti, septem dies creati mundi, septem ætates, quibus completis, mundus finietur, septem petitiones Orationis Dominicæ, septem Psalmi Pœnitentiales.

Sciendum sententiam esse Nauarri *de orat. cap. 3. num. 27. & 28.* D. Antonin. *3. par. tit. 9. cap. 12. §. 1.* Rodriquez *in summa 1. par. cap. 140. num. 1.* & est aliorũ Horas Diuini Officij nõ esse septẽ, sed octo. Ratio est, quia Horæ Canonicæ sunt institutæ exemplo, & imitatione veteris populi, de quo Esdras *lib. 2. cap. 9.* testatur Iudæos post liberationem à captiuitate Babylonica octies in die laudasse Deum, quater in nocte, & quater in die, tum quia Matutinum à Laudibus distinguitur, & Matutinum, & Laudes duas Horas constituunt, & reliquæ horæ sunt sex, tum quia Dauid in Psalm. 118. non solum ait; *Septies in die laudem dixi tibi*, sed etiam *media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Ergo præter septem diurnas Horas ponitur oratio nocturna, & per consequens Horæ Canonicæ non sunt solùm septem, sed octo. Sed istæ sententiæ possunt inter se conciliari, dicendò ex prima institutione, & antiqua consuetudine fuisse octo, quando Matutinum propriè oratione concludebatur, at nostris his temporibus vsu iam est receptum, vt Matutinũ simul cum Laudibus decantetur, & ideò non constituere duo officia, sed vnum tantùm.

An institutio Horarum Diuinarum sit de iure Diuino?

BRACTEA IV.

R. Horas Canonicas non esse de iure Diuino, sed Ecclesiasticò tantùm. Ratio, quia neque ex scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione, neque ex Sanctorum Patrum constitutionibus colligitur Horas Canonicas iure Diuino institutas esse, tum quia communiter appellantur Horæ Canonicæ, quia per sacros ordines præscriptæ, & ab Ecclesia institutæ sunt ad laudandum Deum. Et ita Siluest. *verbo hora quæst. 8.* Toletus *lib. 2. cap. 4. num. 6.* Valentia *2. 2 disput. 6. quæst. 2. par. 10.* Azorius *lib. 3. cap. 1. quæst. 7.* Filliucius *tom. 2. tract. 23. cap.* . & alij communiter, licet plures teneant esse de iure Diuino, vt D. Antoninus *2. par. tit. 9. cap. 12. §. 1.* Angelus *verbo hora quæst. 6.* Ratio est, quia *in Psalm. 118.* dicitur *Septies in die laudem dixi tibi*, tum quia Horæ Canonicę appellantur Diuinum Officium. Ergo iure Diuino videntur institutæ. Ita Panormitanus *cap. 1. de celebratione Miss.* & Summistæ *verbo Horæ Canonicæ*; sed dicendum non eo, quod Horæ Canonicæ appellentur Diuinum Officium, sequi earum institutionum esse de iure Diuino, quia non dicuntur Diuinum Officium à causa instituente, sed à causa materiali, aut finali, quia Diuinas laudes continent, & ad Deum laudandum diriguntur, & ordinantur.

Sciendum antiquissimam esse consuetudinem dicendi huiusmodi preces, & quatenus important Diuinum Officium absolutè sumptum, & quoad substantiam, originem vsque à temporibus Apostolorum traxisse, cum ex Historijs Ecclesiasticis, & Patribus clarè constet Clericos certis diebus, noctibusq; tẽporibus in Ecclesiã conuenire consueuisse, vt Psalmos, Preces, Hymnosq; Deo decantarent: vnde 3 *Act. Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam*, idemque *ex Clement. 1 lib. 8. cap. 34.* & ex Basilio *epist. 93* ex D. Hieronymo *epist. 22. ad Eustachium*, ex D. Chrysostomo *in homil. 59 ad populum Antiochenũ*, & ex D. Ambrosio *lib. 7 ad Luc.*

An Laici teneantur ad Horas Canonicas?

BRACTEA V.

R. Laicos non teneri ex vi præcepti Ecclesiastici ad Horas Canonicas, licet ab ipsis vtiliter recitari, ac fructuosè possint, teneri tamen postquam rationis vsum adepti sunt iure Diuino, & naturali ad orationem. Quod teneantur iure Diuino. Ratio est, quia frequenter ipsius vsus commendatur in scriptura *Ecclesiastic. 18. ne impediaris orare*, & ex pluribus alijs dictis, & ex Luc. 18. *oportet sẽper orare, & nunquã deficere*, quantũ scilicet humana fert fragilitas, vt explicat Lessius *lib 2 cap 37. dub. 2. n. 30.* vel semper, idest temporibus congruis, & statutis; vt explicant plures Doctores, vel semper oportet orare, idest perseueranter; nam vt oratio sit infallibiliter impetratoria, perseueranter facienda est, donec obtineamus, quod petimus iuxta illud Psalm. 122. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Et ita Filliucius *tract. 23. quæst. 7. n. 55.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. cap. 26.* & alij. Quod verò teneãtur iure naturæ, patet; quia lumine naturæ dictante cognoscimus illud esse petendum, sine quo tentationes non superantur, & sine quo perseuerantia, & auxilia ad salutem non obtinentur, sed hæc petitio est oratio, sine qua non obtinentur auxilia ad salutem, & ad vincendas tentationes. Ergo necessaria est oratio iure naturæ. Quod verò oratione Deus illa conferat, patet ex Matth. 7. *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit, &c.* & Matth. 26. *Vigilate, & orate; vt non intretis in tentationem.* Ita S. Thomas *secunda secundæ quæst. 83 art. 2.* Suarez *tom. 2. de relig. lib. 1. cap. 28. & 29.*

Sciendum dubium esse, quando nam teneamur ex præcepto orationem ad Deum effundere. Ad quod respondeo non esse determinatum tempus ad orandum, sed aliquoties in vita, v. g. singulis mensibus, & in articulo mortis orandum esse. Ratio est, quia non potest cer-

tum

tum assignari tempus, in quo ex præcepto Religionis teneamur Deum colere, & auxilium ab eo per actum orationis implorare: ex præcepto verò aliarum virtutum extat obligatio orandi, quando peccator disponere se debet ad gratiam, & quando tentationibus affligitur cum periculo succumbendi, tunc enim extat obligatio ex præcepto, quo quis ad gratiam se disponere, & ad tentationes vincendas debet muniri, præceptum enim obligans ad finem, obligat etiam ad media necessaria. Ita plures apud Bonacinam *de hor. canon. disput.* 1. *quæst.* 2. *par.* 1. *num.* 12. Quando verò teneamur pro aliquo in particulari orare. Respondeo, quod tunc ex charitate tenemur proximo in necessitate existenti subuenire, dum nostra indiget opera, & auxilio, quia oratio est veluti quædam spiritualis eleemosyna, tale præceptum obligat ad succurrendum indigenti; ergo, &c. Ita Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 2. & alij communiter.

An Clerici in minoribus constituti teneantur recitare Horas Canonicas?

BRACTEA VI.

R. Non obligari recitare Horas Canonicas. Ratio est, quia quamuis Clerici minoribus insigniti ordinibus in sortem Domini sint assumpti, nondum tamen sortiti sunt statum inter Ecclesiæ Ministros; possunt enim, si velint matrimonium contrahere, & ideò Ecclesia non obligat ipsos tamquam Ministros Ecclesiæ ad recitandum Diuinum Officium, & vbi lex non obligat, neque nos obligare debemus. Ita Azor. *lib.* 10. *cap.* 5 Nauar. *de orat. cap.* 7. *num.* 12. Suarez *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 10. Toletus *lib.* 2. *cap* 12. *num.* 1. & alij.

Sciendum, quod Paludanus *in* 4. *dist.* 15 *quæst.* 5. *art.* 2. affirmat, quod licet Clerici in minoribus constituti non obligentur ad Horas Canonicas, obligari tamen ad alias orationes, plus quam Laicos. Ratio est, quia Diuino cultui adscribuntur, & gaudent priuilegio Clericali. Nauar. *de orat. cap.* 7. *num.* 14. cum multis alijs docet Clericos ad id teneri ex vi iuris Diuini. Ratio illius est, quia Diuino cultui sunt specialiter destinati, & ob gratitudinem, quam habēt ad Ecclesiam, quæ eos ad Clericorum gradum, & honorem prouexit, ex quo infert Clericos ordinum minorum innumera peccata committere, quia plerumque non plus laudant Deum, nec amplius orant pro populo, quam si essent Laici: alij verò dicunt eos teneri ad Officium paruum Beatæ Virginis, vel ad Septem Psalmos Pœnitentiales, vel ad Canticum Graduale, vel ad Psalmum *Miserere mei*: communiter tamen docent Doctores, neque iure Diuino, & naturali, neque iure positiuo eos ad aliquam orationem particularem obligari plus, quam Laicos, sed solùm ex decentia, & honestate, quæ ad vllum non obligat peccatum. Ratio est, quia talis obligatio in iure non videtur expressa; ergo, &c. Licet Medina *eodem de oratione*, Ledesma *in* 4. *par.* 2. *quæst.* 18. *art.* 4. Nauar. *loco citato*, & Paludanus *in* 4. *dist.* 15. *quæ* 5 *art.* 1. doceant, quod vbi cōsuetudine Clerici ad preces aliquas quotidie recitandas tenentur, eam ab huiusmodi Clericis seruari debere: nam sicut iure Canonico potest constitui, vt tales precationes persoluere teneantur, sic etiam consuetudine introduci poterit, quæ tamen consuetudo non obligabit ad peccatum mortale, vt docet Nauar. *loco citato*.

An Episcopus possit præcipere Clericis, qui promouentur ad primam Tonsuram, aut Ordines minores, onus recitandi aliquas orationes?

BRACTEA VII.


PRIMA sententia est Soti *lib.* 10. *de institut. quæst.* 5. *ar.* 3. negatiua. Ratio est, quia omnes Ordines descendunt à Summo Pontifice in totam Ecclesiam. Ergo ad illum solùm pertinent disponere de functionibus, & obligationibus, quæ ratione ordinis imponuntur. Et ita etiam Emanuel Sà *verbo ore num.* 5. Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 49. Molphesius *cap.* 2. *num.* 8. Carolus Macignus *cap.* 9. *num.* 23. Filliucius *tract.* 23. *cap.* 5. *num.* 148. & alij. Sed.

R. Posse Episcopum præcipere, & præscribere singulis diebus Clericis aliquid recitandum. Ratio est, tum quia Episcopus per se loquendo potest sua in Diœcesi, quod Summus Pontifex potest in toto terrarum orbe, tum quia Episcopus est legitimus Clerici Superior, & Clerici sunt ipsius subditi, & materia est honesta, tum quia Clerici possunt se suo voto obligare. Ergo etiam obligari possunt authoritate Episcopi. Et ita Nauar. *cap.* 7. *de orat.* & alij.

An Clerici excommunicati, &c. seu aliqua irregularitate affecti, teneantur Diuinum Officium recitare?

BRACTEA VIII.

R. Teneri. Et ratio est, quia tales priuantur honoribus, non autem oneribus: recitatio verò Diuini Officij est onus, & non honor, tum quia sequeretur, quod ex delicto commodum reportarent: verùm Clerici degradati, aut excommunicati non possunt, dum Horas persoluunt dicere *Dominus vobiscum*, quia hæc est quædam communicatio, & functio Ordinis. Ita Nauar. *de orat. cap.* 7. *num.* 17. Couar *lib.* 3. *variar. cap.* 13. *num* 8. Azorius *lib.* 10. *cap.* 15 *quæst.* 6. Suarez *tom.* 5. *de censuris disput.* 12. *sect.* 2. *num.* 16. Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 10. Sayrus *de censuris lib* 5. *cap.* 22. *num.* 50. & alij citati apud Bonacinam *disput.* 1. *quæst.* 2. *par.* 3. *num.* 3. Similiter Clericum in statu peccati mortalis existentem, qui ratione Ordinis sacri, vel beneficij tenetur dicere Officium, teneri Diuinum Officium recitare. Ratio est, quia per peccatum mortale non eximitur ab onere, & obligatione recitandi Diuinum Officium.



An

An Clericus damnatus ad triremes, aut à Turcis captus, teneatur dicere Officium Diuinum?

BRACTEA IX.

LAYMAN *in Theologia morali lib. 4. tract. 1. cap. 4. num. 2.* Gauantus *in commen. ad rubr. Missal. tom. 2. sect. 1. cap. 4. num. 16.* Azorius *par. 1. lib. 10. cap. 5. quæst. 9.* Bonacina *loco citato num. 4.* & alij; affirmãt Clericum obligari dicere Horas Canonicas. Ratio est à simili, vt docet Azorius *loco citato*, quia sicut Clerici suspensi Interdicti, & excommunicati tenentur Diuinum Officium persoluere. Ergo etiam, qui per sententiam Iudicis fuerit ad triremes damnatus, aut à Turcis captus, in triremes coniectus, & remigandi ministerio adductus. Sed

R. Cum Homobono *de exam. Ecclesiast. part. 1. tract. 4. cap. 4. quæst. 32.* Soto *de iustit. lib. 10. quæst. 5. art. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 8. num. 11.* Lessio *lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 45.* non teneri. Ratio tum quia satis habent afflictionis, dum vi in illo supplicio detinentur, tum quia animus rarò talibus, ad obsequendum est paratus, tum quia cederet in dedecus Ordinis Ecclesiastici, si in illa hominum colluuie ostenderent suum statum, quæ omnia non militant in Clericis suspensis.

An Clerici habentes beneficium, teneantur onere Diuini Officij?

BRACTEA X.

R. HABENTEM beneficium cum Cura, vel sine Cura, teneri ad recitationem Officij, etiamsi non sit sacris initiatus. Ita *cap. finali 92. dist. cap. 1.* vbi Abbas *num. 4. & 8. de celebrat. Miss. cap. Quia per ambitiosam de rescript. in 6* Nauar. *in manuali num. 25 cap. 97.* Reginaldus *lib. 30. tract 3 cap 4. sect. 1. num. 33.* Laynian. *lib. 4. tract. 2. cap 5.* Vasquez *in opusc. de benefic. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 2. num 7.* Ratio est, quia omne beneficium datur propter officium: officium autem complectitur Horas Canonicas, tum quia vsu, & consuetudine Ecclesiæ sic habetur ex Concilio Lateranensi à Iulio II. incepto, & à Leone X. continuato *sess. 9. de reformat. §. statuimus.* Vbi Pontifex priuat fructibus beneficiorum eos, qui Diuinum Officium non recitant: constat etiam *ex cap. finali supra citat.* Vbi dicitur omnes Præsbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, & omnes, qui sunt Ecclesiæ deputati, debere Diuinum Officium recitare.

An qui per metum grauem acceptauit beneficium, teneatur Diuinum Officium persoluere?

BRACTEA XI.

R. TENERI recitare Diuinum Officium. Ita Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 13. num. 74.* & alij, etiamsi Clericus non habeat animum perseuerandi in statu Ecclesiastico. Ratio est, quia habet beneficium, cui est annexum onus Diuini Officij, & intendit fructus percipere beneficij, vt suppono, & potest se ab hoc onere eximere resignando beneficium, tum etiam quia qui sentit commodum, par est, vt sentiat incommodum, siue onus annexum commodo.

Sciendum, quod licet omnia beneficia regulariter habeant onus annexum recitandi Diuinum Officium, extare tamen aliqua beneficia, quæ sua ex institutione non obligant ad recitationem Diuini Officij, sed ad alias preces, vt sunt quædam simplices Præposituræ, vel Personatus, vel Prioratus, qui solum ad recitationem Officij Beatissimæ Virginis Mariæ, vel alicuius Psalmi obligant; imò esse aliqua beneficia, quæ non obligant ad aliquid, vt docent Emanuel Sà *verbo hora canon. num 4.* Armilla *ibidem num. 3.* & alij. Vnde qui recipit beneficium ad pulsanda organa, vel ad docendam Theologiam, vel ad aliud Officium nõ Ecclesiasticum peragendum non teneri ad recitandum Diuinum Officium. Ratio est, quia tenetur solummodo ad id, propter quod datur beneficium: at in hoc casu beneficium non datur cum onere recitandi Diuinum Officium, licet hæc propriè non dicantur beneficia, sed fructus, qui dantur per modum stipendij ob aliquod opus temporale: secus si beneficium propriè acceptũ conferatur Clerico cum onere legendi, vel aliquid aliud simile faciendi iuxta *cap 1. de magistr.* hic enim non solùm tenebitur ad legendum, verùm etiam ad dicendum Diuinum Officium, quia verè dicitur habere beneficium. Ita Suarez *tom. 2. de relig. lib 4. cap. 22. num. 2.* Siluester *verbo hora quæsit. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 31. num. 174.* & alij.

An qui habet plura beneficia, teneatur tot Officia dicere, quot habet beneficia?

BRACTEA XII.

PRIMA sententia est Gulielmi Parisien. *in tract. de collatione beneficiorum*, Dionysij Carthusiani *opusc. contra pluralitatem benefic.* & Nauarri *in Miscellan. 60. de orat. num. 2. 3. & 4.* & aliorum affirmantium teneri beneficiatum toties in die Diuinum Officium persoluere, quot beneficia habet. Ratio colligitur *ex cap. fin. de rescript. in 6.* quia beneficium datur propter Officium Diuinum; ergo qui plura habet beneficia, tenetur tot in die recitare Officia, tum etiam quia multiplicatis stipendijs multiplicantur onera, vt patet in Capellano, cui multiplicatæ eleemosynæ conferuntur pro multiplici Missarum celebratione. Sed hoc non obstante.

R. Eum, qui plura beneficia iustè, & cum legitima Superioris auctoritate obtinet non teneri Horas Canon. toties in die recitare quot beneficia habet, sed satisfacere vnica recitatione. Ratio est, quia ita patet consuetudine, tum quia licet Ecclesia præceperit beneficiato recitationem Diuini Officij, non tamen præcipit, vt Officium pluries ab eo recitetur, qui plura habet beneficia, tum etiam quia multiplicatio titulorum non multiplicat obligationes, vt patet in beneficiato ordinato in sacris, qui tenetur solummodo ad vnum Officium. Et Ita Paludanus *in 4. dist. 25. quæst 5.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. num.*

5.*num.6.* Azor. *lib.* 0.*cap.*4 *dist.*25 *quest.* 5. Garzias 3.*par.cap.*1.*num.*115. Philiarchus *lib.*1.*cap.* 8. Suarez *tom.*1.*lib.*4.*cap.*18.*num.* 7. Carolus Macignus *de hor. canon. cap.* 12 Malderus *tract.* 20.*cap.*2.*dub.*3.*quest.* 8. Molphesius *cap.*3 *num.*22.& alij.

Sciendum dubium esse, quod licet habens plura beneficiā, non teneatur recitare plura Officia, an saltem teneatur tot Commemorationes facere, quot sunt beneficia, vel beneficiorum Patroni. Ad quod respondeo beneficiatū illis diebus, quibus in Breuiario Commemorationes fiunt, teneri illius Sancti Commemorationem facere, in cuius honorem beneficium est erectum. Ratio est, quia sic videtur consuetudine receptum, tum etiam quia beneficiatus tenetur Diuinum Officium recitare, iuxta rubricas Breuiarij: in rubricis autem, seu ritu Breuiarij Romani, decernitur Commemorationes Patroni, vel Titularis fieri; ergo, &c. Secundò, quod habens plura beneficia tenetur tot facere Commemorationes, quot sunt beneficia, modò id commodè fieri possit, seruato Ecclesię more. Ratio est, quia par est omnium ratio, nec potest assignari causa, cur beneficiatus vnius Patroni potius, quam alterius Commemorationem facere teneatur: si verò id commodè fieri non possit, vt sit, tot essent beneficia; ita vt Patroni nonnullorum beneficiorum sint Apostoli, nōnullorum sint Martyres, nonnullorum Pontifices, &c. poterit vnica commemoratione complecti Apostolos, alia Martyres, alia Pontifices, &c. expressis in Collecta nominibus Patronorum, si Collecta illa expressionem cōmodè patiatur. Itē si Titularis sit B. Virgo, aut Sanctus Petrus, vel Paulus sufficit Commemoratio consueta, quæ in Breuiario Romano suo loco habetur. Tertiò, quod beneficiatus, qui scienter omittit Commemorationem Patroni, vel Titularis regulariter loquendo non peccat, nisi venialiter Ratio est, quia talis omissio censetur res parua, & paruitas rei excusat à peccato mortali: si verò plures Commemorationes eadem die omittantur, quæ simul sumptæ notabilem efficiant materiam, tūc arbitror omittentem huiusmodi Commemorationes peccare mortaliter. Ratio est, quia illæ Commemorationes simul sumptæ censentur materia notabilis. Quartò, quod beneficiatus, qui scienter omittit Commemorationem Patroni, vel Titularis, non obligatur pro rata ad restitutionē fructuū. Ratio est, quia sicut paruitas rei excusat à peccato mortali; ita excusat ab obligatione restituendi: si verò in vno Officio omittat plures Commemorationes constituentes materiam notabilem, tunc obligatur ad restitutionem pro rata fructuum respondentibus singulis Commemorationibus omissis.

An qui præstimonium habet, obligetur ad recitationem Officij?

BRACTEA XIII.

RTeneri ad persoluendas Horas Canonicas. Et ratio est, quia præstimonium est verè, & propriè beneficium, cum propter Officium detur, ac propria collatione, spiritualique titulo conferatur. Ergo talis Præstimoniarius tenetur ad ea onera, ad quæ tenetur beneficiatus. Et ita colligitur *ex cap. Quoniam de concess. prebend. in 6.* vbi talia præstimonia inter Ecclesiastica beneficia connumerantur, & in Concilio Lateranensi sub Pio V. *in constitutione*, quæ incipit *Ex proximo, &c.* Vbi habetur Præstimoniarios ad Horas Canonicas persoluendas teneri, licet plures sequantur opinionem contrariam, quia censent præstimonium non esse beneficium Ecclesiasticum, sed pensionem, ex qua colligitur Præstimoniarium teneri solùm ad Officium B. Mariæ Virginis iuxta motum Pij V. quia si præstimonium non est propriè beneficium, saltem erit pēsio, & maximè Clericalis, quia nemini datur, nisi vt Clericus, & vt in Clericali proficiat.

An Pensionarius teneatur ad recitationem Diuini Officij?

BRACTEA XIV.

RNon teneri ad recitationem Diuini Officii, quod vulgò dicitur magnum. Ratio est, quia pensio non est beneficium propriè acceptum, teneri tamen ad recitationem Horarum B. Virginis Mariæ sub eadem pœna, sub qua tenentur beneficiati ad recitationem Diuini Officii, nimirū ad restitutionem fructuum perceptorum, quoties Pensionarius illud dicere omiserit. Ita Azorius *cap.* 4. *quæst.* 3. Squillas 1.*par.dub.*9. Reginaldus *lib.* 30.*num.* 41. Suarez *cap.* 22.*num.*6. Malderus *tract.* 10.*cap.*2.*dub.* 3. *quæst.* 5. & alij communiter. Ratio desumitur ex supracitata Bulla Pii V.

Sciendum, quod licet Clericus teneatur ad Officium paruum ob pensionem Clericalem, non teneri tamen ad recitationem ipsius, si pēsionem titulo acceperit sæculari, vt v.g. ob tintinnabula pulsanda, vel ad aperiendas fores Ecclesiæ, quia non percipit pensionem, vt Clericus, hanc quis dicitur pensionem, vt Clericus percipere, quando prima Tonsura, seu status Clericalis requiritur in eo, qui pēsionem percipit, ex quo fit, vt is non teneatur ad recitandum paruum Officium B. Mariæ Virginis, cui confertur pensio absque prænia status Clericalis conditione.

Sciendum 2. hoc præceptum recitandi paruū Officium Beatæ Virginis, non debere ita ad illud limitari, quin Pensionarius si velit, possit magnum Officium recitare, per quod pleniùs suæ satisfaciat obligationi, quam si Officium paruum B. Virginis recitaret, quia intentio Pii V. in illo præcepto nō fuit excludere Officium magnum, sed solummodo non imponere pensionarijs tantum onus. Ita Garzias 3.*part.cap.*5. *num.*19.

Sciendum 3. Clericum, qui cum beneficio habet pensionem suæ satisfacere obligationi, si solùm recitet Officium magnū. Ratio est, quia Pontificis intentio non fuit obligare hunc ad duo Officia. Et ita Philiarchus *lib.*1.*cap.*8. Garzias 3.*par.de benefic.cap.*1.*num.*116. Azorius *loco citato*, & alij. Et si Pensionarius Clericus efficiatur Eques ordinis militaris, cum facultate retinendi pensionem, non tenetur ad preces B. Virginis, sed satis est, si recitet orationes Dominicales, & Angelicas à Religione præscriptas. Ita Nauarrus *lib.*3.*consil.tit.de celebrat.Miss.cons.*18.&21. Rodriquez *in summa* 1.*par.cap.*140 *num.*5. Azorius *lib.*10.*cap.*4.*quæst.*3. Vega 2.*par.cap.*65.*casu* 1. & alij.

An

An qui habet Capellaniam, teneatur Diuinum Officium recitare?

BRACTEA XV.

SCIENDVM duplicem esse Capellaniam, vnam collatiuam, & alteram non collatiuam. Capellaniam collatiuam dici illam, quæ auctoritate Episcopi erecta est, aut quæ ab Episcopo confertur, & est instituta eo fine, vt iure spirituali, & immunitate Ecclesiæ gaudens in ea esset ius percipiendi Ecclesiasticos fructus ex bonis Ecclesiæ. Capellania verò non collatiua, seu prophana est illa, quæ instituta est per solum fundatorem, vel testatorem etiam Laicum absque vlla Ordinarij, aut Papæ auctoritate. Quo posito.

R. Clericum habentem Capellaniam collatiuam teneri ad recitationem Diuini Officii. Ratio est, quia hæc venit nomine beneficij; ac proinde qui eam possidet, tamquam beneficiatus debet per seipsum Diuinum Officium persoluere. Ita Nauar. *de orat. cap. 20. num. 17.* Secundò Clericum habentem Capellaniam non collatiuam, idest non institutam auctoritate Episcopi non obligari ad recitationem Diuini Officij, sed solùm ad explendum Missarum onus annexum ipsi Capellaniæ. Ratio est, quia talis Capellania non est propriè beneficium Ecclesiasticum, & consequenter non obligat ad Diuinum Officium recitandum. Ita Medina *quæst. 7. de orat.* Nauar. *loco citato*, Reginaldus *lib. 30. num. 40.* Arragonius *2. 2. quæst. 83. art. 12.* Azorius *lib. 12. cap. 3. quæsit. 5.* Malderus *tract. 10. cap. 2. dub. 3. quæsit. 3.* Vasquez *de benefic. cap. 4. art. 1. dub. 3. num. 10.* Suarez *cap. 22. num. 12.* Macignus *cap. 10. num. 15.* Molphes. *cap. 3. num. 45.* & alii.

An qui habet beneficium in Commendam, teneatur ad recitationem Diuini Officij?

BRACTEA XVI.

R. HABENTEM beneficium integrè commendatum quoad totam administrationem temporalem, & spiritualem teneri ad recitationem Diuini Officii, etiamsi Commendatio illa non sit in titulum beneficii erecta, neq; in perpetuum conferatur. Ratio est, quia quamuis hic non habebat titulum beneficii, nihilominus veram habet illius administrationem, substituitur in locum habentis beneficium tota cum obligatione. Ita Azorius *lib. 3. cap. . quæst. 6.* Graffius *cap. 50. num. 22.* Garzias *de benefic. 3. par. cap. 1. num. 195.* Macignus *de hor. canon. cap. 10. num. 13.* Vasquez *de benefic. cap. 4. art. 1. dub. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 34. disp. 30.* Nauar. *de orat. cap. 20. num. 16.* Squillas *de obligat. Cleric. par. 1. num. 9.* & alii. Ex quo infertur Equites Hierosolymitanos, aut etiam alios gaudentes Commendis Ecclesiasticis teneri ad recitationem Diuini Officii, quia dicuntur habere beneficia Ecclesiastica. Et ita Molphesius *cap. 2. num. 20.* & alii apud Garziam *1. par. cap. 4. n. 6.*

An coadiutor beneficiati teneatur ad Diuinum Officium recitandum?

BRACTEA XVII.

R. SIMPLICITER ratione coadiutoriæ non teneri. Ratio est, quia coadiutoria non est beneficium Ecclesiasticum, & idcirco non assumitur ad recitandum diuinum officium, tum etiam, quia obligatio recitandi diuinum officium, semper residet apud Proprietarium. Ergo non afficit coadiutorem: alioquin sequeretur duo ex eodem beneficio obligari ad recitandum diuinum officium, tum quia coadiutor non habet titulum, & possessionem beneficij, sed aliquid adiunctum beneficio, tum etiam, quia est cõclusio definita à Paul. V. in suo motu 1606. vbi ad petitionem Ecclesiæ Cathedralis Conimbricensis coadiutores Canonicarum non esse verè Canonicos, viuentibus coadiutis. Ergò, &c.

Sciendum, quod licet coadiutor ratione coadiutoriæ non teneatur ad diuinum officium, teneri tamen ratione sacrorum ordinum, vel ratione alterius beneficij, si quod habet. Ita Nauar. *cap. 20. de Orat. num 18.* Medina *eod. de Orat. quæst. 7.* Et alij communiter. An coadiutor teneatur recitare officium paruum B. Virginis; tamquam Pensionarius iuxta motum Pij V. Respondeo teneri, si recipiat pensionem supra beneficium principalis; si verò solùm recipiat aliquos fructus beneficij per modum stipendij, non tenetur, quia non comprehenditur sub motu Pij V. vnde sequitur eum, qui priuilegium Canonicatus obtinuit, cum futura successione, non teneri ad officium diuinũ recitandum, quia reuerà, vt dictum est, non est Canonicus; licet communiter appelletur Canonicus propter ius, quod habet ad succedendum in Canonicatu, & quia sedem habet in Choro, licet non in loco Proprietarij; sed vltimo loco post proprios Canonicos. Ita Suarez *tom. 2. lib. 4. cap. 19.*

An Beneficiatus, qui habet beneficium perexiguum, & adeò tenue, vt non sufficiat ad sustentationem, obligetur ad recitationem diuini officij?

BRACTEA XVIII.

R. CVM Siluest. 2. *hora quæsit 2.* Nauar. *de Orat. cap. 2. num. 27.* Vgolin. *de officio Episcopi par. 1.* Garz. *de Benefic. cap. 1. num. 30.* Naldo *2. diuinum officium num. 2.* Beia *1. part. casu 54.* Pezantio *2. 2. q. 62. art. 2. disp. 2.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 21.* Valent. *2. 2. disp. 6. quæst. 2. p. 10.* Reginaldo *lib. 30. cap. 4. num. 34.* Azor. *1. part. lib. 10. cap. 3. quæst. 3.* teneri ad recitationem diuini officij. Ratio est, quia beneficiatus sponte sua, acceptans beneficium, acceptat etiam onus illi annexum, tum etiam, quia beneficium perexiguum, quoad substantiã est verè, & propriè beneficium, & vt tale iure reputatur, vt constat *ex cap. is, cui de prabendis in 6.* Ergo, qui illud habet, ad officium diuinum tenetur, tum quia beneficiatus, qui vnum pingue beneficium, aut plura beneficia iustè retinet

tinet non tenetur ad plura officia recitanda. Ergo signum est exiguitatem, vel pinguedinem beneficij impertinentem esse ad obligationem recitationis diuini officij. Ergo, qui exiguum habet beneficium, tenetur ad recitationem diuini officij, tùm etiam, quia qui beneficium habet, quamuis tenue, & exiguum, ceteris beneficiatorum gaudet priuilegijs. Ergo etiam afficitur onere diuini officij tum etiam, quia ratio, ob quam beneficiatus tenetur diuinum officium recitare, non est præcisè, quia integrè sustentatur fructibus beneficij, sed quia beneficium habet aliquos reddens fructus, qui dantur propter officium, licet plures contrariam sequantur opinionem, vt Sotus *lib.10. q.5. art.3.* Rodriq. *part.1. cap.140. num.3.* Vega *1. part. cap.128. casu 13.* Petrus Ledesma *lib.2. cap.34. dub.31.* & alij, nimirum beneficiatum, qui ob tenuitatem beneficij, non habet necessaria ad suam sustentationem, non teneri saltem quotidie recitare diuinum officium. Ratio est, quia qui non viuit de altare, non tenetur seruire altari. *cap. cum secundum de præbend. & dignit.* Ergo beneficiatus, qui ob tenuitatem beneficij ex fructibus eiusdem non viuit, non tenetur horas, saltem quotidie recitare, tùm etiam, quia in iure, parum pro nihilo reputatur, sed qui nullum habet beneficium, ad horas canonicas non tenetur. Ergo, neque tenetur, qui beneficium habet exiguum. Quorum opinionem Arragonius *2. 2. quæst. 83. art. 12.* & Nauar. *de orat. cap. 7. num.27.* & alij, existimant esse probabilem. Malderus *de Virtutibus tract.10. cap.2. dub.3.* putat eum ad canonicas preces non teneri, cuius beneficij fructus non attingunt tertiam partem sustentationis. Sed supradicta sententia, est communior, quia ratio ob quam Beneficiatus tenetur recitare diuinum officium, non est præcisa, quia integrè sustentetur fructibus beneficij, sed (vt dictum est) quia beneficium habet aliquos reddens fructus, qui dantur propter officium.

An Beneficiatus obligetur ad Diuinum officium persoluendum à die collati sibi beneficij, an verò à die possesionis obtentæ?

BRACTEA XIX.

R. Non obligari ad recitationem officij, nisi post possessionem eiusdem. Ratio est, quia beneficium, vt ius sit efficax, cum titulo requirit pacificam eius possessionem, tùm etiã quia in iure nõ censetur quis habere beneficiũ, nisi perfectè illud habeat, nõ autem habet perfectè, nisi eius pacificam habeat possessionem, tum etiam, quia sicut ante captam possessionem non potest iura beneficij exercere, ita neq; tenetur ipsius onera substinere. Hoc autem debet intelligi, dummodo per beneficiatum nõ fiet, quominus possessionem beneficij cõsequatur, quia si sua culpa in possessionem non admittitur, non debet fraus, vel negligentia ei prodesse, nec debet Ecclesia priuari officio, ... ob culpam beneficiati: at verò si moralem adhibeat diligentiam, rationabiliter excusatur ab onere recitandi, donec possessionem accipiat.

Sciendum Beneficiatum, qui capta possessione fructus pro aliquo tempore nõ percipit, spem tamen habet alias recipiendi, teneri ad horas canonicas, quia ipse titulum habet beneficij, nec simpliciter beneficij fructibus caret, cum spes illa pretio æstimabilis sit. Ita Suarez *lib.4. cap.20. num.15.* Reginald. *lib 30. n.39.* Molphesius *cap 3. num.91.* Nauar. *in manual. cap. 25. num.103.*

An qui de certo beneficio litigant, debeant horas canonicas recitare?

BRACTEA XX.

R. Evm, qui habet beneficij possessionem oportere diuinum officium persoluere. Et ratio est, quia ratione possessionis ius habet acquisitum in beneficio. Ita Reginald. *lib. 30. num.38.* Azor. *lib.10. cap.4. quæst.9.* & alij: si verò alter litigantium beneficium possideat, & reuera in eo ius non habeat, cum sit in eo per errorem, dolumque collatum. Respondeo, eum in foro exteriori obligari dicere officium. Ratio est, quia habet titulum, possessionem, & administrationem beneficij. Ita Paulus Squillas, *1. part. dub.10.* Garzias *tom.1. de benefic. 3. part. cap.1. num.86.* Reginald. *lib.30. num 38.* Quod si neuter litigantium adhuc possessionem habeat beneficij, & vterque dubius sit de iure, neutrum teneri ad recitationem diuini officij, quamuis aliquis habeat spem sese victorem fore in causa, seque fructus habiturum. Ratio est, quia neuter ius habet certum in beneficio, cum ius acquiratur per possessionẽ pacificam, & sola spes non tribuat ius.

An Beneficiatus, qui nullus ex beneficio percipit fructus, nec in posterum recepturus est, teneatur ad recitationem diuini officij?

BRACTEA XXI.

R. Beneficiatvm, qui titulum, & possessionem beneficij possidet, tenetur statim diuinum officium persoluere, quamuis fructus beneficij non statim percipiat, si habeat spem moraliter certam obtinendi illos. Ratio est, quia qui titulum, & possessionem habet, censetur compleò habere beneficium, & per consequens tenetur ad recitationem eiusdem, cum ius obliget habentem diuinum officium ad ipsum dicendum: Vndè qui iniustè ob bellum, vel alia iniusta de causa priuatur fructibus beneficij; sed habeat spem illos recuperandi, obligatur ad recitationem diuini officij, quia ad hanc obligationem non est necessaria perceptio fructuum, sed satis est, quod illorum expectatio sit moraliter certa.

R.2. Quod quandò quis iniustè priuatur fructibus beneficij, sine vlla spe eos in posterum recuperandi, non obligatur ad horas canonicas. Ratio est, quia cessat causa obligationis recitandi diuinum officium, cum nullum stipendium pro illo tempore recipiat ab Ecclesia, nec in posterum sit recepturus: Si verò solùm ad tempus priuatur fructibus beneficii, obligatur ad recitationem eiusdem. Ratio est, quia licet pro aliquo tempore non recipiat fructus benefi-

beneficij, tamen beneficium habet fructiferum, quod satis est ad obligandum ad diuinum officium. Vndè si quis casu fortuito, vel sterilitate temporum, aliquibus annis non reciperet fructus, adhuc ad diuinum teneretur officium, qui pro eo tempore licet non gaudeat fructibus beneficij, gaudet tamen honore beneficiati, priuilegijs, alijsque commodis. Ita Suarez tom. 2. lib. 4. cap. 20. num. 6. & alij. Sicut etiam tenetur ad recitationem diuini officij, qui immediatè non recipit fructus eiusdem, sed alius nomine ipsius eos accipit. Ratio est, quia quãuis per se minimè percipiat, per alium tamen percipit, vt si Beneficiati parentes, fratres, propinqui, familiares, vel amici, ipso annuente, percipiant, quia idem iuris est, per se ipsum percipere, ac per alium.

Teneri etiam ad recitationem diuini officii, qui alteri tradit maiorem partem fructuum, & redditūum beneficij ad peragenda, & sustinenda beneficij onera. Ratio est, quia adhuc retinet beneficium cum iure ad fructus, tum quia onus diuini officij est personale, & afficit personam iustum beneficij titulum habentem, quæ licet de presenti fructus non percipiat, ius tamen habet ad ipsos percipiendos: Si verò quis habeat solum titulum beneficij, & alter sibi omnes reseruet fructus pro pensione, simul cū toto seruitio, & administratione beneficii, non tenetur diuinum officium recitare. Ratio est, quia obligatio recitandi in hoc casu manet apud Pensionarium, qui commodum sentit. Ergo non est, cur transferatur in beneficiatum.

An nouus Canonicus teneatur ad recitationem diuini officij, si primo anno fructus non percipiat ex consuetudine Ecclesiæ?

BRACTEA XXII.

R. Obligari ad dicendum diuinum officiū. Ratio est, quia ipse voluntariè se subiecit oneri, tum quia titulum habet, & possessionem beneficii, cui annexa est obligatio recitandi diuinum officium, tum quia huiusmodi consuetudo non est inducta, vt minuatur onus diuini officii, sed vt idem onus imponatur cum minori lucro, itaut futuri fructus, subsequentium annorum acceptentur ex tunc tamquam sufficiens totius temporis stipendium. Et ita Azor. lib. 10. cap. 4. quæst. 4. Garzias 3. part. cap. 1. num. 6. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 31. & alii.

An Clericus, suscepto Subdiaconatu, teneatur statim ad recitationem diuini officij?

BRACTEA XXIII.

R. Statim teneri, ac suscepit ordinem sacrum. Ratio est, quia ad hoc onus obligatur ratione Ordinis sacri. Ergo illo suscepto statim obligatur: licet (vt supradictum est) & die, quo ordinatur, non teneatur ad recitationem totius officii, sed solum ad illas horas recitandas, in quibus promouetur ad Subdiaconatum, vt v.g. si hora nona ordinatur, obligatio officii ab eadem hora incipit: si verò hora vespertina promoueatur ad ordines sacros, ab eadem hora incipit obligatio. Ita Suarez tom. 2. de religione lib. 4. cap. 27. num. 8. Squillas part. 1. de oblig. Cleric. dub. 15. num. 31. & alii.

Sciendum dubium esse an Clericus, qui ante ordinationem ad ordinem Subdiaconatus manè totum recitauit officium, post ordinationem teneatur iterum recitare partem respondentem horæ, in qua ordinem suscepit. Ad quod Respondeo teneri ad partem officii respondentem horæ, in qua sacro ordine est initiatus. Ratio est, quia adimpletio præcepti supponit obligationem; sed qui officium recitauit ante ordinis susceptionem, non habebat obligationem officii recitandi. Ergo suscepto ordine, tenetur iterum recitare pro rata temporis, tum etiam, quia diuinum officium recitatur nomine Ecclesiæ: qui autem diuinum officium ante ordinis susceptionem recitauit, non dicitur illud nomine Ecclesiæ recitasse, cum nondum esset minister ad hoc deputatus. Ergo tenetur eas iterum recitare.

An Religiosus nondum in sacris constitutus, teneatur recitare diuinum officium?

BRACTEA XXIV.

R. Certum esse Religiosos non teneri ad recitationem diuini officii ex vi suæ professionis. Ratio est, quia professio Religiosa non obligat nisi ad tria vota essentialia, nec etiam esse legem Ecclesiasticam, quæ regulariter obliget omnes Religiosos ad recitationem diuini officii, imò nec reperiri vniuersalem consuetudinem obligantē Religiosos ad recitationem diuini officii, cum plures sint, qui hanc obligationem non assumant, vel quia tantum sunt deputati ad opera misericordiæ corporalia, tum quia multi Religiosi Clerici ad bonum litterarum studium, aliasque spirituales actiones extra Chorum deputati, vt sūt doctissimi, & deuoti Patres Societatis Iesu, qui illud peculiare onus non assumunt, quomuisque sacro ordine initientur.

R. 2. Religiosos, qui ex vi sui status, quorum profitentur obligari ad recitationem diuini officii, licet apud Doctores sit in controuersia quo iure obligentur. Palud. in 4. dist. 15. quæst. 5. art. 1. docet Religiosos obligari ex naturali lege iustitiæ, qui cum eleemosynis acceptis alantur, tenentur etiam pro iis, qui benè de ipsis sunt meriti, precari. Arragon. 2. 2. quæst. 82. art. 12. censet eos ad id obligari iure canonico, communis tamen opinio est Doctorum obligati ex vniuersali consuetudine præscripta, quæ inueterata, instar præcepti obligat. Ita Sotus lib. 10. quæst. 5. artic. 3. Nauarr. in manual. cap. 25 num. 96. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 2. Lessius lib. 2. c. 37. dub. 9. num. 49. Azor. lib. 10. cap. 6. quæst. 1.

Sciendum dubium esse an etiam Nouitij obligentur ad recitationem Diuini Officii. Paludanus videtur affirmare ob id, quod ex eleemosynis viuant, & gaudeant priuilegijs Clericorum; Sed communis est omnium opinio eos ab hoc onere esse immunes, & liberos, quoniam reliqui Doctores, solum docent hoc præcepto obligari eos, qui sunt religionē professi, & ad Chorum tantum destinati. Religiosus verò professus, si è Monasterio fugiat,

adhuc censetur obligatus ad recitationem Diuini Officij. Ratio est, quia sponte, vitioque suo è Monasterio recedit, & nihil refert, si à Choro absit, & aliunde, quam ex bonis Monasterijs sustentetur, cùm vtrumque sua culpa contingat. Nauarr. *cap. 7. de orat. num. 19. & 20.* Sicut etiam idem dicendum est de Religioso, qui ob delictum per sententiam è Monasterio ejicitur, obligari etiam ad recitationem Diuini Officii. Ratio, quia licet sit eiectus è Monasterio, adhuc tamen Religiosus remanet, & ipsius vitio factum est, vt è Monasterio ejiceretur. Ita Nauarr. *de orat. cap. 7. num. 20.* Quod tamen intelligendum est de Religioso, qui est ad sacros ordines promotus, quia si promotus non fuerit ad ordines sacros, eiectus è Monasterio non obligabitur amplius ad recitationē Diuini Officii. Ratio est, quia Religiosus est ad Diuinum Officium adstrictus solum, ex cōsuetudine quatenus est ad Chorum deputatus, sed qui per sententiam à Monasterio expellitur amplius non est Choro addictus. Ergo ab hoc onere recitandi est immunis. Quod etiam intelligendum est de Religioso ad triremes damnato, quia si illa damnatio est perpetua, remouetur à statu, in quo consuetudo inualuit persoluendi Diuinum Officium, & transfertur ad statum, in quo huiusmodi consuetudo, & obligatio non requiritur. Si verò solummodò sit damnatus ad tempus, quidam affirmant eum ad id non teneri, alij verò teneri, quod probabilius videtur. Ratio, quia non est absolutè de Monasterio electus, sed verè illius membrū Religionis. Ergo ad Diuinum Officium tenebitur.

An Religiosus, qui auctoritate Pontificis exit de Monasterio, vt contrahat matrimonium, teneatur ad Diuinum Officium?

BRACTEA XXV.

R. Non amplius teneri, quia omninò desinit esse Religiosus. Quod etiam dicendum est de Clerico, qui priuilegio Pontificis vxorem duxit, non amplius ad recitationem Diuini Officij teneri. Et ita Sanchez *lib. 8. de matrim. quæst. 8. num. 11.* & alij.

Sciendum dubium esse an Religiosus Romani Pontificis auctoritate, & beneficio extra Monasterium viuens, teneatur ad Diuinū Officium. Nauarrus affirmat ea conditione, si à tribus Religionis votis solutus non sit. Ratio est, quia nō liberatur ab alijs oneribus Religionis, quæ extra claustra potest implere. Ergò, neque ab Horis Canonicis. Alij distinguunt, aut ad tempus viuere permittitur extra Monasterium, & sub hac ratione non eximitur ab obligatione recitandi Diuinum Officium. Ratio est, quia non est à Choro, & cantu in perpetuum liber, tum etiam, quia per talem dispensationem non desinit esse regularis, aut in perpetuum extra Monasteriū viuere permittitur, & sub hac ratione eximitur ab onere recitādi Diuinū, quæ opinio mihi videtur probabilior, supposito illo fundamento, quod Religiosus non obligetur ad recitationem Diuini Officij, nisi ex consuetudine antiqua præscripta.

An Religiosi conuersi obligentur ad Diuinum Officium?

BRACTEA XXVI.

R. Non obligari. Et ita communiter Theologi, & Canonistæ. Ratio est, quia Religiosi nullo naturali, aut diuino iure tenentur ad recitationem Diuini Officij, sed solum consuetudine antiqua vsu recepta: at huiusmodi consuetudine Religiosi Conuersi nō tenentur. Ergo, &c. tum etiam, quia illorum munus non est vacare exercitijs Ecclesiasticis, sed solum ministrare, & seruire, & solum obligari ad recitationem orationum Dominicalium, &c. quam explere tenentur, & suo modo Horæ Canonicæ dici possunt, imò si Conuersus sine licentia sui Superioris reciperet ordines sacros non obligaretur ad recitationem Diuini Officii, eo modo, quo cæteri Religiosi, Choristæ initiati ordinibus, & sic declarauit Leo X. dicens quod Laici, qui sine licentia suorum Prælatorum accipiunt ordines sacros, priuentur omni honore Clericali, neq; permittantur dicere Diuinum Officium, sed cogantur more solito laborare.

An præceptum recitandi Diuinum Officium obliget sub mortali?

BRACTEA XXVII.

R. Præceptum recitandi Diuinum Officiū obligare sub peccato mortali. Et ita cōmuniter iam Theologi, quam Canonistæ. Ratio est, quia non recitans Diuinum Officium, Primò, facit contrà consuetudinem antiquam præscriptam. Secundò, agit contra peculiare præceptum Concilii Generalis, vbi Ecclesiasticis districtè præcipitur in virtute Sāctæ Obedientiæ, vt Diuinum Officium Nocturnum, pariter, & Diurnum studiosè, & deuotè recitent. Tùm etiam, quia *in capit. Clericus dist. 91.* tale peccatum est dignum excommunicatione, quæ non imponitur nisi ob peccatum mortale. Ergo, &c. tùm etiam, quia tale præceptum est de re graui, ac propterea sine iuxta causa minimè prætermittendum, alioquin culpa lethalis contrahitur ab eo, qui omittit sine iuxta, debitaque causa. Sic Nauar. *de Orat. cap. 7. num. 1.* & alii apud Azorium *instit. moral. lib. 10. cap. 7. num. 1.*

Sciendum enim peccare mortaliter, qui voluntariè sine vlla legitima excusatione omittit Officium vnius diei. Ratio est, quia violat præceptum in re graui, tùm etiam, quia suspendi potest *cap. 1. dolentes de celebrat. Miss.* imò etiam potest excommunicari *Clement. 1. eod. tit.* istæ autem Censuræ supponunt culpam grauem. Ergo, &c.

Sciendum 2. dubium etiam etiam esse, an qui per totum diem omnium septem Canonicarū Horarum Officium absque legitima causa prætermittit septies peccet, an semel tantūmodò,

Ad

Ad quod Respondeo duas esse opiniones. Prima asserentiũ esse septem omissiones, ac proinde septem peccata re distincta, quemadmodum si quis ieiunium quadragesimale negligeret, tot peccata committeret, quod sunt dies ieiunii, sic etiam, quia septies in die orare quis debet, septies peccat septem horas negligens. Sic Tabiena *v. hora quæst.* 18. Secunda opinio, quam sequuntur omnes cõmuni consensu docent hunc vnum tantum peccatum omissionis consumatum committere, grauius tamen, quã si pauciores horæ prætermitterentur. Et ita Nauarr. *de Orát. cap.7. num.6.* Vbi plures citat. & alii. Ratio est, quia præceptum de toto Officio vnius diei, vnicum tantum est, non autem tot, quot horæ, tum etiam, quia singulæ horæ non sunt distincta Officia, sed esse solum distinctas partes eius Officii eodem die persoluendi, & per consequens non esse septem Officia, sed vnum tantum Officium ex sepem partibus cõstans quotidie præstandũ à Clericorũ, & singularum horarum recitatione esse impletionem partialem præcepti, & singularũ omissio non est totius præcepti violatio, sed solum violatio præcepti in partem. Et ita Siluester *v. hora, num.*15. Nauar. *de Orat. cap.7. num.6* Azor. *lib.10. cap.7. quæst.4* Valent. *secunda secundæ disp. 6. quæst.2. p.10.* Reginald. *lib.18. num.*145 Suarez *lib. 4. cap.25. num.*18. Emanuel Sà *in Aphorism. Confess. v. horæ num.*14. & alii communiter.

An qui ex negligentia notabilem partem Officij ommittit, peccet mortaliter?

BRACTEA XXVIII.

R. Peccare mortaliter. Ita Siluest. *v. hora quæst.*12. Molphes. *cap.2. nu.*96. Nauar. *cap.7. de Orat. num.*5. Lessius *lib.2. cap.37. dub.9. nu.*52. Suarez *cap.25. num.*14. & alii. Ratio est, quia qui ex negligentia omittit partem notabilem, facit contra præceptum in materia graui pertinentũ ad virtutem Religionis, & ad colendum Deum tum quia qui notabilem temporis partem seruiliter insumit, aut Missam, vel notabilem illius partem in die festo prætermittit, grauiter peccat: ita etiam grauiter peccat, qui notabilem omittit Officii partem.

Sciendum dubium esse quænam pars Officii censeri debeat, ita notabilis, vt illius omissio ad mortale sufficiat. Moneta *de distributi part.2. quæst.3. num.*33 censet decimam partem alicuius horæ paruæ esse materiã sufficientem ad mortale peccatum. Nauar. *in manual. cap.25. num.*68. Azor. *lib.10. cap.7. quæst.3.* Macignus *cap.26. num.2.* Malderus *tract. 10. dub. 3* & alii, putant partem notabilem horæ paruæ v.g. Primæ, vel Tertiæ esse tertiam partem, quia tertia pars horæ videtur pars notabilis respectu illius horę. Silnest. *v. hora quæst.*12. Tabien. *v. hora, num.* 18. Paulus Squillas *1. part. dub.*33. Naldus *v. Officium Diuinum num.*10. Reginald. *lib.18. num.*143. Rodriquez *1. part. cap.*141. *num.*17. Molphesius *cap.5. num.7.* & alii existimant medietatẽ horę paruæ esse quãtitatem notabilem, non autem tertiam partem. Alii verò censent grauitatem materiæ non esse desumendam ex eo, quod sit tertia, vel quarta pars, sed ex eo, quod sit magna in se considerata eius dignitate, & deformitate respectu totius Officii secundum prudentem existimationem. Vnde in Matutino cum Laudibus vnum Nocturnum est quarta pars tantum, & tamen eius omissio censetur materia grauis: contra in hora Tertia, vel Sexta Hymnus cũ primo Psalmo, est tertia pars, & tamen hi non existimant esse materiam grauem. Aiunt ergo omissionem partis, quæ æquiualet paruæ horæ esse peccatum mortale: Si verò non attingat, esse tantum peccatum veniale. Et ita Silnest. *v. hora quæst.*12. Angelus *num.*8. & alii. Sed.

R. Horam paruam esse materiam grauem, non verò tertiam partem, vel medietatem horæ paruæ. Ratio est, quia pars infra horam paruam secundum se modica videtur, & leuis & consequenter non sufficiẽs ad mortale peccatum. Et ita Lessius *lib.2. cap.37. dub.9. num.* 52. Bonacina *de Offic. Diuin. disp.1. qu.5. p.1. num.2.*

An qui tres, vel quatuor Horas omisit Diuini Officii, satisfaciet dicendo in confessione, commisi vnum peccatum mortale non recitando?

BRACTEA XXIX.

R. Non satisfacere, sed debere explicare, quot horas omisit, quia peccatũ est magis, vel minus graue notabiliter, & licet, vt alibi dictum est, circumstantiæ aggrauantes non sint necessariò exprimendæ in confessione, tamen quando circumstantia aggrauans est pars obiecti, vt quando est qualitas, vel quantitas eiusdem, tunc aperienda est in Confessione, vt Confessarius determinatè possit cognoscere peccatum, quia est circumstantia tenens se ex parte obiecti, & constituens actum, vel omissionem in suo esse indiuiduali.

Sciendum à fortiori exprimendum esse numerum actuum voluntatis moraliter interruptorum, quibus quis decreuit Diuinum Officiũ omittere.

An qui ratione Ordinis Sacri, & beneficii ad Diuinum Officium tenetur, duo peccata specie distincta committat si illud prætermittat?

BRACTEA XXX.

R. Quod qui ratione ordinis sacri, & beneficij Officium tenetur recitare, committere duo peccata, vnum contra obligationem ordini annexam, alterum verò contra obligationem ratione beneficii. Ratio est, quia tot sunt peccata, quot sunt virtutes, quę violantur: hic autem non solum violatur virtus religionis, cuius intuitu sacris initiatus ad Diuinum obligatur Officium; verum etiam læditur iustitia ratione beneficii: Beneficiatus enim tenetur ex Officio, ad Officium persoluendum faciens autem contra proprium Officium, peccat contra iustitiam. Ergo, &c. Ita Sanchez *lib.9. de matrim. disp.15. num 6.* Paulus Squillas *de oblig. Cleric. part.1. dub 34. num 71.*

Sciendum dubium esse, an qui plura beneficia

uinum Officium persoluit non esse necesse, vt cum eo Orationes, Capitula, & Antiphonas recitare debeat, sed satis esse, quod attentè audiat Lectiones, vel Orationes, Capitula, vel Responsoria, dum ab alio dicuntur. Et ita Siluester *verbo hora*, Azorius *loco cit. quæsit.* 8.

An qui ex officio detinetur in pulsandis organis, vel transferendis libris ex vna parte ad aliã, &c. dum Officium persoluitur, teneatur postea priuatim illam partem recitare, quæ ab alijs persoluitur?

BRACTEA XXXV.

R. Non teneri per seipsum illam partem recitare. Ratio est, quia cum tunc temporis detineatur in his, quæ pertinent ad Diuinum Officium, censetur Officio cooperari, & supplere per alios, ita vsu permittente, vt ait Reginaldus *lib.* 19. *num.* 160 Molphesius *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 21. Arragonius 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. Naldus *verbo Diuinum Officium*, & alii.

An eodem tempore possit quis audire Missam, & Horas Canonicas persoluere?

BRACTEA XXXVI.

R. Posse tempore Missæ audiendæ ex præcepto satisfacere etiam præcepto recitationis Diuini Officii. Ratio est, quia attentio, quæ in Missa audienda requiritur, non impedit attentionem, quam Horæ Canonicæ postulat, quoniam vtrique præcepto satisfacimus, si animum ad Deum ipsum, resque Diuinas attendamus, tum quia duo hæc præcepta cum ad eandem virtutem ordinentur, non requirunt attentiones distinctas, tum etiam quia per præceptum audiendæ Missæ solùm sancitur, vt Missæ sacrificio assistamus, non autem vt simul quę à Sacerdote dicuntur, audiamus, cum longe distantes ab Altari præcepto de audienda Missa satisfaciant, neque per solutionem Diuini Officii attentio Missæ debita tollitur. Ita Nauar. *de orat. cap.* 16. *num.* 71. & alii.

An qui Choro interest, auditq́ tantummodo alios recitantes satisfaciat præcepto?

BRACTEA XXXVII.

R. Non satisfacere præcepto, nisi etiam ipse alternatim versiculos recitet. Ratio est, quia præceptum Ecclesię est de recitando Diuino Officio: qui verò alios tantùm audit, non dicitur recitare, tum quia in Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* dicitur; *Omnes compellantur Diuina per se, & non per substitutos obire Officia.*

Sciendum dubium esse, an qui submissa voce recitat suos versiculos, & audit socios suam canentes partem, satisfaciat obligationi Diuini Officii. Ad quod respondeo, quod qui in Choro submissa voce suam recitat partem, & aliam audit, satisfacit muneri recitandi Officium. Ratio est, quia ipse suam recitat partem, & communicat in parte sociorum, communicantium sibi suam partem, quamuis ipse submissè recitando nō communicet suam partem sociis, tum quia sequeretur, quod qui recitat cũ socio non obligato ad Officium, & versus suos submissè dicit non satisfacere obligationi recitandi Diuinum Officium, & hoc videtur falsum. Et ita Petrus Nauar. *de restitut. lib.* 2. *num.* 316. Tabien. *verbo hora quæst.* 37. Suarez *tom* 2 *de relig. lib.* 4. *cap.* 12. *num* 6. Lessius *lib.* 2 *cap.* 39 *dub.* 33 *num* 184. Nauar. *de orat. cap.* 10. *num.* 47. Molphesius *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 24. Filliucius *tract.* 23. *cap.* 6. *quæsit.* 5. *num.* 195. & alij.

R. 2. Quod qui partem suam submissa voce recitat, & aliam alterius Chori attentè audit, non satisfacere debito seruitio Chori, quamuis obligationi recitandi Diuinum Officium satisfaciat. Ratio est, quia redditus Ecclesiastici dantur Canonicis, vt psallẽtes inseruiant Choro, vt habetur *Clement.* 1 *de celebrat. Miss. cap.* 1. *dist.* 92. At si non canunt, sed solùm audiunt alios psallentes, non dicuntur inseruire Choro ad quotidianum psallendi Officium. Ergo debito Chori seruitio non satisfaciunt. Et ita Sotus *lib.* 10. *quæst.* 5 *art.* 4. Nauar. *de orat. cap.* 19 *n.* 81. Azor. *lib.* 10. *cap.* 11. *quæst.* 5. Suarez *lib.* 4. *cap.* 12 *num.* 9. Reginaldus *lib.* 18 *num.* 175 Squillas *par.* 1. *disput.* 29 *num.* 60. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23 *cap.* 6. *quæsit.* 5. *num.* 196. & alij.

Sciendum 2. recitantem submissa voce aliis canentibus non posse distributiones percipere, quæ canentibus in Choro tribuuntur Rodriq. *par.* 1. *cap* 146. *n* 5. Petrus Nauar. Suarez, Squillas, Filliucius *locis citatis*. Ratio est, quia distributiones conferuntur canentibus, & inseruientibus Choro, tum quia, qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, licet Suarez *lib.* 4 *cap.* 12. *num.* 18. Filliucius, & alij probabiliter censeat posse percipere mediam partem distributionũ. Ratio est, quia partem sui muneris adimplet assistendo Choro, & reliquos canentes audiendo, & cum adimpleat partem sui muneris, par non videtur, vt omnes fructus amittat, imò plures arbitrantur Canonicum assistentem, & non canentem, licet nequeat integras capere distributiones, posse nihilominus dimidiam partem recipere, quia distributiones non solùm conferuntur pro cantu, verùm etiam pro assistentia in Choro. Ergo par est, vt assistens Choro distributiones assistentiæ respondentes capiat. Et ita Petrus Nauar. *lib.* 1. *de restitut. cap.* 2. *num.* 221. & alij *locis citatis*; sed oppositum videtur ex Constitutione Pij V. quæ incipit, *Et proximo Lateranensi*, in qua decernitur distributiones nullo modo dari interessentibus solùm, sed non recitantibus Diuinum Officium, quod tamen intelligendum est de beneficiatis, qui per seipsos cantare debent, non verò de iis, qui ex priuilegio, aut fundatione, vel consuetudine legitimè prescripta tenentur solùm assistere Choro, dum adsunt Mansionarij, qui Canonicorum nomine persoluunt: isti enim suo muneri satisfaciunt, & per consequens lucrantur distributiones. Ita Lessius *lib.* 2. *cap.* 34 *dub.* 33. Nauar. *cap.* 22 *de orat. num.* 101. Petrus Nauar. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 114. Molphesius *cap.* 2. *num.* 25. & alij.

An

An necesse sit, vt recitans Diuinum Officium ita verba proferat, vt seipsum audiat?

BRACTEA XXXVIII.

R. QVOD qui solus, & priuatim Horas Canonicas persoluit, satisfacit Ecclesiæ præcepto, si eas ita recitet, vt verè dicatur ore, voceque precari. Ratio est, quia (vt supradictum est) Diuinum Officium, seù Horæ Canonicæ sunt quædam laudes, & preces ab Ecclesia institutæ ad orandum, & ore laudandum Deum singulis diebus certis, ac definitis horis. Secundò, quod quando quis recitat solus, non tenetur ex præcepto ad dicendum tàm altè, vt ab assistentibus percipi possit. Ratio est, quia sine tali perceptione oratio vocalis esse potest, tum etiam ex ipso Ecclesiæ præcepto in Missa, & in ipsis Horis Canonicis quædam pronunciantur secreta voce, quæ sub nomine orationis veniunt.

R. 2. Quod si quis solus Diuinum persoluat Officium, satis est, si sic recitet, ac proferat, vt verè dici possit ore, voceque preces fundere: siuè ab alio, vel à se audiri possit, siuè non, ac proinde si reuera linguam, & labia moueat. Ratio est, quia nullo iure probatur recitantem ad hoc teneri, cùm præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum, tum etiam quia sequeretur, qui seipsum aliquo ex accidente nequit audire, dum Diuinum Officium persoluit non satisfacere præcepto, quod est falsum. Ita Nauar. *cap.20.de orat.num.* 14. Suarez *tom.* 2. *de relig.cap.*28.*num.*17. Malderus *tract.* 10. *cap.*2. *dub.*3. Macignus *cap.*60. *num.* 4. Paulus Squillas *dub.* 23. *num.* 45. Azorius 1. *par. lib.* 10. *cap.* 11. *quæsit.* 4. & alii.

Sciendum hanc esse differentiam inter recitantem Diuinum Officium se solo, & recitantē cum socio adstricto iure Diuini Officij, quod recitans cum socio obligato ad persoluendum Diuinum Officium, ita distinctè verba debet proferre, vt à socio audiatur, alioquin in causa erit, vt socius præcepto non satisfaciat, & teneatur ex præcepto Officium iterum recitare: Recitans autem Officium se solo (vt dictum est) non tenetur ipsum persoluere tàm alta voce, vt à se audiatur, sed satis esse, quod verba ore, & labijs proferat.

An Diuinum Officium sine interruptione sit recitandum?

BRACTEA XXXIX.

R. DIVINVM Officium sine interruptione regulariter esse recitandum, loquor autem non de interruptione, quæ fit inter vnum, & aliud Officium, quam perspicuum est fieri posse, sed loquor de interruptione, quæ fit inter partes vnius, eiusdemque horæ inter vnum Psalmum, & alium, vel inter Psalmos, & Lectiones, aut inter partes vnius Psalmi, vt cùm quis aliquam de precibus Horarijs Canonicis ceptam intermittit animo, & voluntate continuandi reliquam partem, post finem eius, quod interponit, vt docet Nauar. *tract. de orat.cap.*16. *num.*66. Interponuntur verò quandoque facta, quandoque verba, & cum colloquia intermiscentur, & ideò talem interruptionem in quacumque hora esse peccaminosam, si ea sit nimia, & absque iusta causa fiat. Et ratio est, quia id expressè prohibetur *in cap. Dolentes de celebrat. Miss.* Ratio, quia sicut non conuenit, cùm quis Regem alloquitur à sermone desistere, & sine causa interrumpere: ita neque conuenit colloquium cum Deo Rege Regum, & Domino Dominantium, nulla cogente causa interrumpere, nos ad alia inutilia applicantes.

Sciendum, quod si interruptio, quæ fit inter partes Officii non sit nimia, sed breuissima excusari à peccato, etiamsi fiat absque iusta causa. Ratio, quia in moralibus parum pro nihilo reputatur: si verò interruptio nimia sit, & notabilis, si fiat ex iusta causa, excusari potest etiam à veniali culpa, vt si incepto officio vocetur à Superiore, aut opus sit concionem audire, aut verba deuotionis habeat cum socio, aut aliquā meditationem interponat, &c. quia adest iusta pietatis, deuotionisque causa, & hæc non censetur moralis interruptio Diuini Officii, cum hæc omnia ad Deum laudandum dirigantur. Et ita Azor. 1. *par. lib.* 10. *cap.* 9. *quæsit.* 3. Arragonius 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. Nauar. *de orat. cap.* 16. *num.* 88. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 162. Carolus Macignus *cap.* 87. *num.* 16. & alii.

An qui sine iusta causa Diuinum Officium interrumpit, præcepto Ecclesiæ satisfaciat, vel lethalem incurrat culpam?

BRACTEA XL.

PRIMA sententia est Emanuelis Sà *verbo hor.* Nauarri *de orat. cap.* 16. *num.* 75. Medinæ *cod. de orat. quæst.* 16. Azor. *lib.* 10. *cap.* 8 *quæst.* 5. Angles *de orat. quæst.* 5. *difficult.* 5. Macigni *cap.* 87. *num.* 12. & aliorum asserentium lethalem culpam incurrere, & non satisfacere præcepto Ecclesiæ, quando interruptio notabilis est, & sine causa fit. Ratio est, quia in Concilio Toletano 7. vt refertur *in cap. Nihil 7. quæst.* 1. sub pœna excommunicationis cauetur, ne quis Diuina interrumpat Officia: pœna autem excommunicationis mortalem requirit culpam, tum etiam quia quando fit notabilis interruptio inter partem vnius Officii, & aliam partem illud Officium non censetur vnum, cum ob notabileem interruptionem moraliter non continuentur. Sed

R. Cum secunda sententia recitantem Diuinum Officium cum interruptione notabili iusta causa non peccare mortaliter, sed satisfacere præcepto Ecclesiæ quoad substātiam, modò reliquam partem absoluat, etiamsi partem prius dictam non repetat. Ratio, quia de substantia singularum horarum non est, vt preces continuentur, & preces iusta causa interruptæ, efficiunt vnum Officium, sicut multæ confessiones interruptæ integrant vnam confessionem generalem, tum quia verum est dicere hunc, intra eumdem diem totum Diuinum Officium recitasse. Ergo etiam verum erit dicere præcepto Ecclesiæ satisfecisse, cum adimpleuerit opus ab Ecclesia pręscriptum, atq; pręceptū. Et ita Suar. *cap.* 24. *n.* 9. & 10. Arragon. 2. 2. *qu.* 83. *art.* 12. Rodriq. 1. *par. cap.* 141. *n.* 3. Naldus *verbo diuinum officium num.* 4. Fillitic. *tom.* 2. *de hor. canon. tract.* 23. *n.* 9. & alii.

An

An satisfaciat præcepto, qui Officium interrumpit animo repetendi iam recitata, si postea non repetat, sed solùm continuet reliquum, quod superest.

BRACTEA XLI.

REVM suæ satisfacere obligationi, etiamsi nihil repetat, modò quod intermissum est, prosequatur. Ratio est, quia hic facit opus ab Ecclesia præceptum, cum solùm simpliciter præcipiat quotidie recitari Diuinum Officium. Ergo satisfacit præcepto, etiamsi non repetat iam recitata, cum Ecclesia talem non præcipiat repetitionem. Et ita Vasquez *in opusc. de beneficijs cap. 4. §. 1.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 2. par.* 10. Molphesius *tract. 5. cap. 2. num* 40. Paulus Squillas *par 1. dub. 22.* Suarez *lib. 4. cap. 24.* Henriquez *de Miss. cap. 25. num. 6.* Arragonius *2. 2. quæst. 87. art. 13.* & alii. Et ideò satisfacere suæ obligationi, qui tres vigilias nocturnas separatim recitat, quia vt dictū est, interruptio Diuini Officii iusta de causa facta excusari potest à peccato, tum quia sic antiquitus fiebat. An verò Officium nocturnum diuidi possit à Matutinis Laudibus; Respondeo olim diuidi solebat, & nunc etiam Ecclesia diuidit in nocte Natalis Domini, dum illis primā interponit Missam: nunc autem iuxta Breuia- Breuiarium Romanum iure diuidi nequeunt, quia habentur tamquam Officium nocturnum verùm si quis à Matutinis Laudibus seiungeret, non peccaret, nisi venialiter. Ita Nauar. *de orat. cap. 3. num. 28.* Toletus *lib. 2. cap. 13.* Azorius *lib. 10. cap. 8 quæst. 4.* & alii.

Quid requiratur, vt Officium deuotè recitatur?

BRACTEA XLII.

SCIENDVM ex communi Doctorum consensu attentionem duplicem esse, actualem, & virtualem. Attentionem actualem, idest, vt recitans attendat actu ad ea, quæ recitat, non esse necessariam, nam quamuis id, & illa sit vt procurandum, ob humanæ mentis tamen fragilitatem, quæ tantoperè est obnoxia euagationibus, ipsam habere censetur moraliter impossibile: sufficere ergo potest virtualis attentio, siuè vt recitans proponat se velle attendere, neq; postea quantumcumque distrahatur contrarium propositum habeat, prout censetur habere, actuale quidem is, qui non vult attendere, virtuale verò is, qui aduertit se euagari, cogitando res à sua oratione alienas, nec nititur mentem reuocare ad debitam attentionem. Secundò, talem attentionem triplicem esse ex D. Thoma *2. 2. quæst. 83. ar. 13.* Vnam ad verba, nec in eis erretur, siuè male, siuè vnum pro alio pronunciando, siuè aliquia omittendo: Alteram ad sensus verborum, quam habere non possunt, qui sunt ignari idiomatis, in quo pronuntiandum est, & tertiam ad finem orationis, seù ad personas, ad quas illa dirigitur, nimirum ad vnam, aut omnes SS. Trinitatis personas, aut ad Angelos, aliosvè Sanctos, aut etiam ad rem, pro qua assequenda oratio funditur, nempè ad æternam Beatitudinem, & ad gratiam, virtutesq; ad eam consequendam necessarias.

Sciendum 2. ad Diuinum Officium non solùm requiri attentionem, sed etiam intentionem, saltem implicitam, & virtualem. Ratio est, quia oratio, est locutio cum Deo: non loquitur autem cum Deo, qui cum eo loqui non intendit. Quibus positis.

R. 1. Ad dicendum Diuinum Officium requiri saltem intentionem implicitam, & virtualem illius recitandi. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto, requiritur intentio faciendi id opus, quod præceptum iniungit, tùm etiam, quia recitatio Diuini Officij est actus humanus, qui humano modo debet exerceri: non potest autem humano modo exerceri, nisi adsit intentio saltem virtualis orandi, seù recitandi Diuinum Officium.

R. 2. Attentionem actualem non esse necessariam ad horas persoluendas. Ratio est, quia talis attentio non est in hominis potestate, & ideò non censetur absolutè necessaria ad satisfaciendum obligationi Diuini Officij. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 83. art. 13.* Nauar. *de Orat. cap. 13. num. 15.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 3. num. 6.* & alij. Attentionem verò virtualem esse necessariam. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto necessariò requiritur attentio virtualis, sine qua recitatio Officij verà non est oratio: atqui recitatio sine attentione saltem virtuali, vera oratio non est. Ergo attentio virtualis est ad satisfaciendum præcepto orationis necessaria.

Sciendum attentionem virtualem illam esse cum quis ab initio formaliter, aut virtualiter proponit attendere ad horas, nec postea quãuis distractas contrarium habet propositum, vt ille, qui vel non vult attendere, vel aduertens se euagari cogitando res à sua oratione alienas, non studet mentem reuocare ad debitam attentionem, nec inde facit aliquid, vndè sequitur ex natura sua directio.

Sciendum 2. distractionem duplicem esse. Vna est expressè, seù explicitè voluntaria, qua quis scienter mentem ab oratione in alias res diuertit: altera est, qua quis quadam iuris fictione distractus esse dicitur, eo quod alia facit opera, quæ mentem, & animum necessariò distrahunt, vt si quis dum recitat Officium simul sponte sua scribat, pingat, vel legat, &c. nam ad duo huiusmodi opera simul attentus esse non potest. Ergò qui scienter prædicta facit opera sua voluntate, ab horarijs precibus, in quibus debet attendere, animam diuertit. Et tum prima, tum secunda mentis distractio impedit quominùs Officium ritè persoluatur. Ita Bellarmin. *lib. 1. de bon. oper. cap. 18.* Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 2. p. 10.* Azor. *cap. 22. quæsit. 3. part. 1.* & alij.

An attentio, qua orans attendit solum ad verba, sufficiat ad implendum præceptum recitandi Officium?

BRACTEA XLIII.

R. TALEM attentionem sufficere, supposito animo orandi, & satisfaciendi præcepto,

cepto. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto recitandi Diuinum Officium sufficit, vt quis sancta verba præscripta ab Ecclesia recitet animo orandi, laudandique Deum, ea reuerenter ad ipsum dirigendo, atque intendendo singula accipere eo in sensu, quo Ecclesia accipit, & præter eadem, quæ ipsa in illis petit, ac illum ijs laudibus celebrare, quibus ipsa celebrat: tum etiam, quia præceptum Ecclesiæ non obligat, nec forte obligare potest ad certum modum actus interiores, sed solum ad illum, qui necessarius est, vt recitatio, oratio vocalis sit: ad hoc autem sufficit quælibet attentio ex dictis, etiamsi præstantiorem forte excludat. Ita Suarez *tom.2. lib.3. cap.4. nu.8.* Bonacina *de Hor. Canon. disp.1. quæst.3. p.2. num.5.* & alij. Licet melius esset habere secundam, & tertiam attentionem, nimirum ad sensum, siuè ad Deum, vel ad Christi passionem, &c. cum censeantur perfectiores attentiones, quam prima.

An sicut extat præceptum recitandi Diuinum Officium: ita etiam extet præceptum attentionis?

BRACTEA XLIV.

R. Præceptum recitandi Diuinum Officiũ cum attentione non esse duo præcepta formaliter distincta, sed esse solum vnum præceptum, quo Ecclesia præcipit, vt Diuinum Officium persoluatur: attentionem verò non esse præceptum, sed modum, & circumstantiã, qua Diuinum Officium debet persolui. Ratio est, quia cum attentio sit actus internus, non potest Ecclesiastica lege per se, & directè imperari; sed indirectè solummodo, & quatenus potest connexionem habere cum actu externo & per consequens præceptum recitandi Diuinum Officium studiosè, & deuotè non sunt duo præcepta, sed vnum, & per consequens vnum tantum peccatum committitur, siuè sola integritas, siuè sola attentio necessaria, vtraque simul voluntariè omittatur.


Sciendum præceptum Ecclesiasticum in duplici esse differentia. Vnum quod materialiter, & formaliter obligat, siuè secundum substantiam, & secundum modum: aliud verò, quod materialiter obligat, & non formaliter, siuè secundum substantiam, & non secundum modum, vt v.g. præceptum percipiendæ Eucharistiæ Sanctissimæ est præceptum, quod obligat solum modò materialiter, & non formaliter, siuè secundum substantiam, aut rem, & non secundum modum: at præceptum confitendi est præceptum quod obligat materialiter, & formaliter, siuè secundum rem, & substantiam, idest debitò cum dolore, &c. ita, & præceptum recitandi Diuinũ Officium est præceptum, quod materialiter, & formaliter obligat, siuè secundum substantiam, rem, & modum, idest debita cum attentione, & per consequens præceptum recitandi Diuinum Officium cum attentione, non est duplex, vnum recitationis, & aliud attentionis, sed est vnum solum sua cum circumstantia, idest cum suo modo, nimirum attentione.

An ista attentionis modus in recitando Officio possit ab Ecclesia præcipi?

BRACTEA XLV.

Prima sententia est asserentium Ecclesiam non posse præcipere actus mentis interiores. Ergo nec etiam imperare mentis attentionem, sed solum posse præcipere attentionem exteriorem, qua recitans non sese occupet, dum Officium recitat in aliqua actione incompatibili, seù negotio incompossibili cum attentione interiori v. g. loquendo, scribendo, &c. Ratio, quia difficillimum est attentionem habere: non autem est credibile Ecclesiam voluisse ad actum adeò arduum obligare, cum eius iugum suaue sit, sicut, & iugum Christi, tùm etiam, quia *in cap. dolentes*, non simpliciter præcipitur attentio, sed cum illa limitatione *in quantum Deus illi dederit*. Sed

R. (vt supra dictum est) Ecclesiam posse præcipere actum internum, non quidem absolutè, directè, & per se, sed quatenus habere post cõnexionem cum actu externo, & quatenus actus internus potest esse modus, & circumstantia actus externi: Ratio colligitur ex Concil. Lateranen. quod præcipit, vt Diuinum Officium recitetur studiosè, pariter ac deuotè, vt patet *cap. dolentes. de celebrat. Miss.* atqui deuotio consistit in actu interno. Ergo præcipit actum internum indirectè, & quatenus potest cum actu externo habere connexionem: tum etiam, quia Ecclesia potest actus internos præcipere, quando necessarij sunt, vt actus externi sint actus virtutis. Ergo potest internam præcipere attentionem, quatenus modum persoluendi Diuinum Officium, & talis recitatio sit Deo grata, & per consequens indirectè potest præcipere actus internos, quatenus spectant ad complementum, & integritatem actus interni. Ex quibus sequitur recitantem Diuinum Officium sine attentione, neque ad verba, neque ad verborum sensum, neque ad Deum, &c. sed deliberatè ad aliã mentè diuertit sine animo repetendi, & est pars notabilis, peccare mortaliter, quia modũ nõ obseruat, quo præceptum debet obseruari: *cap. dolentes de celebrat. Miss.* Nauarr. *in manuali cap.25. num.106.* Maior. *in 4. dist.24.* Caiet. *2.2. quæst.83. art.13.* Sotus *lib.10. de iustit. qu.5. art.5.* Ledesma *in 4. part.2 quæst.16. num6. dub.3.* Tabien. *v. hora quæst.13.* S.Thom. *in 4. dist.15. quæst.4. art.2.* Azor. *lib.1. cap.12. quæsit 6.* Bonac. *loco citato num.4.* & alij. Quod si dicatur modum non cadere sub præcepto. Respondeo modum generalem non cadere sub præcepto. Modum verò specialem, & proprium cuiusque virtutis cadere sub præcepto. Ratio est, quia virtutis actio, de qua datur præceptum nequit sine tali modo consistere, cum ab eo suam speciem propriam rationem accipiat, vt dictum est cũ de præceptis in genere.



An

An qui animo distracto Horas Canonicas persoluit; Ecclesiæ præcepto satisfaciat, ita vt preces non teneatur repetere?

BRACTEA XLVI.

R. Evmi præcepto Ecclesiæ non satisfacere, quia, vt supradictum est, præceptum recitandi Diuinum Officium obligat secundum rem, & secundum modum, & qui animo distracto persoluit Officium, non satisfacit præcepto Ecclesiæ secundum modum, licet satisfaciat secundum substantiam. Ergo, &c. cum non oret sicut præcipit Ecclesia, secundum rem & secundum modum, nisi forte habeat propositum formale, aut virtuale repetendi, & supplendi defectus, vt si tunc expresse proponat repetere, vel si tunc expresse non proponat repetere, consuetudinem tamen habeat repetendi, quæ sine attentione recitauit, quia tunc virtualiter habere videtur propositum repetendi, consequenter non peccat mortaliter, quando non intendit ea recitatione præcepto satisfacere, & perinde est, ac si tunc temporis non recitaret: præciso vero hoc proposito, recitans cum voluntaria distractione, non solum grauiter peccat, verumetiam nec satisfacit præcepto: Vnde Beneficiatus, qui sponte vlla sine attentione horas canonicas persoluit, peccat primo mortaliter, & suo muneri, & officio non satisfacit, ac proinde tenetur illas repetere: alioquin obligatur ad restitutionem fructuum: non enim satisfacit Ecclesiæ præcepto, quoad modum, qui Officium Diuinum deuote non recitat, & Canonicus, qui sponte, mente distracta, in Choro diuinum persoluit Officium, quotidianas distributiones non lucratur. Ratio est, quia hic non satisfacit suo muneri, & præcepto Ecclesiæ. Nauar. *de orat. cap.13. num.15.* Moneta 2. *part. qu.2. nu.22.* Molphesius *cap.2. quæst.94.*

An qui inter recitandum Diuinum Officium detinetur in re aliqua exteriori, peccet mortaliter, & teneatur Officium repetere?

BRACTEA XLVII.

R. Peccare mortaliter, & teneri Officium repetere, si illa res exterior habeat repugnantiam cum orationis attentione, & sit incompossibilis cum attentione interna, vt v.g. si inter recitandum Officium sponte, scribat, pingat, vel, &c. Ratio est, quia hoc faciens aduertenter, caret attentione debita, & proposito attendendi: Secus dicendum est, si necessitate ductus, vel vrbanitate responderet alicui, vel scriberet, modo haberet animum recitandi Diuinum Officium. Ita Sot. *lib.10. qu.5. art.5.* Nauar. *de orat. cap.13, num.47.* Suarez *lib.3. cap. 26, num.21.* Azor. *lib.10. cap.12. quæst.7.* & alij: Sicut etiam suæ satisfacit obligationi, qui dum recitat Diuinum Officium, inuoluntarie, & inaduertenter detinetur aliqua in re incompossibili. Et ita Valent. *tom.3. disp.6. quæst.2.* Nauarr. *cap.25. num.107.* Reginald. *lib.18. num. 157.* & alij. Ratio est, quia illa distractio dicitur inuoluntaria, & cum distractione inuoluntaria, adesse potest virtualis attentio. Ita etiam dicendum est, satisfacere præcepto, qui dum Diuinum persoluit Officium, detinetur aliqua in re exteriori non incompossibili, nec repugnanti attentioni internæ, v.g. si dum recitat Diuinum Officium se induit, aut spoliat, vel faciem abluit, vel etiam sternit mensam, vel lectum, &c. Ratio est, quia solum illi actus corporales impediunt satisfactionem præcepti recitandi Diuini Officium, qui habent repugnantiam siue sunt incompossibiles cum attentione interna, & quia isti non habent repugnantiam, & non sunt incompossibiles cum attentione interna, idcirco non impediunt adimplementum præcepti. Ita Valent. *loco citato,* Suarez *cap. 26, num.21.* Nauar. *cap 13. de orat. num.47.* Tolet. *lib.2. cap.13.* Caiet. *2.2. quæst.83. art.13.* Paulus Squillas, *1. part. dub.20. num.39.* Azor. *cap.12. quæst. 3.* Graphius *1. part. lib.2. num.15. cap.51.*

An præcepto satisfaciat, qui dum recitat Diuinum Officium deuote, & attente, non vult præcepto satisfacere intendens Officium repetere ad satisfaciendum præcepto?

BRACTEA XLVIII.

Sciendvm quod, vt preceptum adimpleatur requiritur intentio faciendi opus, quod præcipitur, v.g. intentio recitandi Rosarium, vt adimpleatur exempli gratia pœnitentia recitandi Rosarium, & vt quis satisfaciat præcepto recitandi Diuinum Officium, requiritur intentio recitandi Diuinum Officium; seu intentio orandi, & non sufficit intentio legendi, vel ediscendi. Ratio est, quia cum subiectum legum, & præceptorum sit homo capax vsus rationis necesse est, vt opera præstentur humano modo. Ita Vasquez *par.2. quæst.100. art.9.* Azor. *part.1. lib.7. cap.2. quæsit.6.* Suarez *tom.2. de relig. lib.4. cap.26. num.5.* Sanchez *in summa lib.1. cap. 13. num.2.* & alij.

Sciendum 2. ad satisfaciendum præcepto non esse necesse, vt opus præstetur intentione satisfaciendi præcepto, sed sufficit, vt opus præstetur intentione illud præstandi. Ratio est, quia leges licet præcipiant operas fieri, non tamen præcipiunt fieri cum intentione implendi præceptum: Ecclesia enim præcipit auditionem Missæ, non tamen præcipit intentionem satisfaciendi præcepto per auditionem Missæ. Ita Suarez *de Sacrament. disp.7. sect.3.* Vasquez *part.2. quæst.100. art.9. num.5.* Azor. *part.1. li.7. cap.2. quæst.6.* & alij. Quibus positis.

R. Satisfacere præcepto, etiamsi recitando Diuinum Officium habeat intentionem explicitam per illam recitationem non satisfaciendi. Ratio est, quia recitando Diuinum Officium facit omnia requisita ad satisfaciendum præcepto: præceptum autem Ecclesiæ non obligat nisi ad recitationē Diuini Officij studiose, & deuote, vt hic illud recitat, nec obstat, quod ipse habebat propositum non satisfaciendi, cũ sit propositum contrarium facto: Tum etiam, quia per legem solum præcipitur libera, & humana

tum ita externi operis executio, & non vt fiat ex tali intentione: Cum ergo hic verè actu humano, & liberè Diuinum Officium persoluat, quantumuis nolit satisfacere, verè præcepto satisfacit; nec requiri ipsum mutare voluntatem, & elicere actu satisfaciendi, quia cū per illum actum verè satisfaciat præcepto, non videtur necessaria talis mutatio voluntatis.

An ad satisfaciendum præcepto recitandi D. Officium sufficiat intentio, & attentio habitualis?

BRACTEA XLIX.

SCiendvm attentionem, vt supra dictū est, triplicem esse habitualem, virtualem, & actualem. Habitualis attentio contingit dum quis aliquid recitat ex habitu, & vsu nihil ad aliud aduertens, vel nulla præcedente aduertentia. Attentio virtualis dicitur illa, cum qua quis incipit orare, & virtute illius prosequitur orationem, quamuis inter orandum inuoluntariè distrahatur, nam illa prior attentio durat virtualiter in processu orationis, nisi expresse, vel tacitè reuocetur. Attentio actualis est illa, qua quis actualiter attendit ad sensum verborum, vel ad piam passionis Christi meditationem, vel diuinitatis. Quibus positis.

R. Intentionē, & attentionē habitualē nō esse sufficientē ad satisfaciendū præcepto recitandi Diuinum Officium, actualem non esse necessariam, sufficere tamen virtualem. Ita Valēt. *tom.3. disp.6. qu.2. p.*10. Azor. 1. *part. lib.*10. *cap.*12. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 7. Bellarm. *lib.*1. *de bon. oper. cap.*18. & alij communiter. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto, requiritur illa attentio, sine qua oratio non potest subsistere, sed sine intentione virtuali non potest oratio subsistere, etiamsi coniuncta sit cum intentione habituali: Ergo, &c. Ratio est, quia nullus potest satisfacere præcepto, absque intentione præstandi opus præceptum. Sed non potest esse intentio virtualis orandi absque attentione virtuali. Ergo requiritur attentio virtualis. Quod verò non sufficiat habitualis patet; quia hæc non est vera attentio, & cum ea non subsistit oratio. Quod verò non sit necessaria intentio actualis, patet etiam, quia difficillimum est, semper eam habere, nec credibile est, hominem ad opus tam arduum, tamque difficile, vel impossibile obligari.

An recitans Horas Canonicas, ex Breuiario alieno, sed approbato consuetudine 200. Annorum peccet mortaliter, ac si Diuinum Officium non diceret?

BRACTEA L.

R. Primo regulariter omnes, qui ad Horas Canonicas tenentur, teneri illas sub mortali recitare, iuxta Breuiarium Romanum. Ratio est, quia Ecclesia præcipit, & constituit Officium recitari iuxta Breuiarium Romanum vt patet ex Cōstitutione Pij V. edita anno 1568. & ex Bulla Clementis VIII. & cum hæc sit materia grauis, per consequens censetur peccare mortaliter, qui non recitat Diuinum Officium iuxta Breuiarium Romanum.

Sciendum, quod in his Constitutionibus excipiuntur, qui à 200. & eò amplius annis ante editionem Pij V. consuetudinem habebant recitandi Diuinum Officium alia forma, & ideò.

R. Post Constitutionem Pij V. non licere Clerico, alio vti Breuiario, præterquam suæ Diœcesi, vel ordine approbato, & recepto, alioquin suo muneri non satisfacit, vt colligitur *ex cap. de ijs, & cap. placuit dist.* 12. vbi præcipitur, vt vnusquisque Prouinciæ Ciuis, Rectoresque Ecclesiarum, vnumque eundemque in psallendo teneant modum, quem in Metropolitana sede cognouerint institutum, nec aliqua ordinis, vel Officij diuersitate à Metropolitana sede patiantur se disiungi, & in Constitutione Pij V. præcipitur omnibus Clericis, tùm sæcularibus, tùm regularibus, tàm in Choro, quam extra Chorum dicere Horas Canonicas iuxta formulam præscriptam in Breuiario Romano eiusdem Pontificis edito Anno 1568. exceptis ijs, qui morem habent recitandi aliud antiquius 200. annis i enim non modo possunt sed etiam tenentur seruare modum propriæ Diœcesis, nisi Episcopus Vniuersumque Capitulum consentirent in mutationem, & assumerent Breuiarium Romanum, id enim facere permittuntur, vt ex dicta Bulla Confirmationis prædicti Breuiarij Pij V. clarè habetur: in Monasterijs tamen exemptis nō requiritur cōsensus Episcopi, sed sufficit Capituli, & Prælati, & eo acceptato, non possunt amplius ad prius Breuiarium sine Papæ licentia redire, quia per illam acceptationem prius Breuiariū censetur abolitum, vt patet ex illis verbis *Omni itaque alio vsu quibus libet interdicto.*

R. 2. Peccare eum, qui sine sufficienti dispensatione frequenter modum mutat recitandi Horas Canonicas, nempè recitando aliquot diebus ex vno Breuiario, & aliquot ex alio. Interdum verò ex alieno Breuiario recitare Diuinum Officium, non est peccatum mortale, dummodo circa legis contemptum, tamq; rarò fiat, vt viro prudenti, & docto, non videatur notabilis audacia: peccare verò mortaliter Beneficiatum, aut Religiosum, aut Sacro Ordine initiatum sine beneficio, qui omnino omittit, aut multo tempore suum mutat Breuiarium, & regulā sui Episcopatus, vel ordinis sine dispensatione. Et ita Reginald. *lib.* 18. *de hor. canon. cap.* 22. *sect.* 2. *dub.* 2. & alij.

An Religiosi, qui priuilegium habent vtendi Breuiario proprio, possint priuatim vti Romano, relicto proprio Religionis?

BRACTEA LI.

R. Negative iuxta probabiliorem sententiam. Ratio est, tum quia quilibet debet se suæ Ecclesiæ, in qua degit accommodare, & conformare, tum quia in Clement. 1. *de celebr. Miss.* conceditur domesticis comensalibus Cardinalium, & Episcoporum facultas, & dispensatio, vt possint eo modo Horas Canonicas recitare, quo ipsi Cardinales, vel Episcopi

peitum

pensum Canonicarum Horarum persoluunt. Et ita Vasq. *de benefic. cap. 4. dub. 2. art. 2.* Suarez *de religione tom. 2. lib. 4. cap. 11. num. 4.* Bellarmin. *lib. 2. de bon. oper. cap. 18.* Nauar. *de Orat. cap. 19. nu 211.* Azor. *part. 1. lib. 10. quæsit. 1.* & alij, licet probabiliter etiam defendi possit, præciso præcepto in contrarium, posse aliquem priuatim relicta cõsuetudine propriæ Ecclesiæ recitare Diuinum Officium iuxta Breuiarium Romanum: nam recitans Officium iuxta Breuiarium Romanũ conformat se Ecclesiæ Romanæ, quæ Mater est omnium Ecclesiarum. Ita Lessius *lib. 2. cap. 37. dub. 12.* Caiet. *in summa verbo hora*, Emanuel Sà *verbo hora num. 6.* & plerique alij.

Sciendum dubium esse, an qui iuxta decreta suæ Diœcesis, suam Ecclesia Horas recitare ritu quodam particulari, debet, possit, dum aliò diuertit, vti Breuiario Romano, siue alio quod in eo loco adhibetur. Ad quod Respondeo, si hic ad aliam Diœcesim transit animo ibi constituendi domicilium, vel ibi manendi maiore anni parte, tenetur ad Officium iuxta formulam loci, ad quem accedit: Secus si ad illam Diœcesim transeat animo ibi breui commorandi, quia tunc non fit propriè subditus Episcopo illius Diœcesis, quia qui transit animo ibi breui commorandi, non dicitur moraliter esse in eo loco: qui autẽ in eo loco non est, non tenetur legibus illius loci, tum quia non contrahit Parochiam illius loci.

Qua formula vti debeat Clericus in persoluendo Diuinum Officium, qui in duabus Ecclesijs Ecclesiastica beneficia possidet?

BRACTEA LII.

R. PERSOLVENDUM esse Officium iuxta formulam, quam sequitur Diœcesis, vbi beneficiatus habet residentiam, nam sicut extraneus debet se accommodare moribus, legibusque locorum in quibus habitat: ita Beneficiatus debet se accommodare consuetudine recitandi Diuinum Officium, licet etiam sit probabilis opinio asserentium extra Chorum, adhibendum esse Breuiarium, quod adhibetur in ea Ecclesia, in qua quis habet beneficium dignius. Ratio est, quia obligatio Diuini Officij est personalis, & sequitur personam vbicumque sit, & maior dignitas præualet minori. Quod si beneficia æqualis sint dignitatis, & in neutra Ecclesia Clericus resideat legitimè, nimirũ per dispensationem, aut quia neutrum beneficium residentiam requirit, vti debet Breuiario, quo vtitur Ecclesia dignior. Si verò etiam Ecclesiæ sint dignitate pares, liberum est Ecclesiastico adhibere, quod maluerit Breuiarium, quod in alterutra seruatur Ecclesia, & quod ipse maluerit, cum non sit maior ratio cur ad vnum potius Breuiarium, quam ad alterum obligetur, cum Diœcesim in vtraque Ecclesia contraxerit. Ita D. Thom. *quodlibet, 1. art. 13.* Sot. *libro 10. quæst. 5. art. 3.* Reginald. *lib. 18. num. 169.* Molphesius *tract. 5. cap. 2. num. 47.* Macignus *cap. 20. n. 32* Azor. *lib. 1. cap. 20. quæst. 2.* & alij. At iure nouo Pij V. sequi debet formulam Breuiarij noui eiusdem auctoritate promulgatam. Quod etiã dicendum est de Clericis scolaribus, qui in aliqua ciuitate commorantur studiorum causa, posse recitare Diuinum Officium iuxta morem illius Ciuitatis, in qua commorantur, dum beneficium habent alio in loco, in quo Diuinum Officium alio ritu persoluitur.

An sit peccatum sine rationabili causa permutare Officium vnius diei, in officium alterius, v.g. recitando Horas de Sancto, loco Officij de feria?

BRACTEA LIII.

R. EUM, qui loco Officij de feria dicit aliud officium, v.g. de aliquo Sancto, non satisfacere suæ obligationi, sed peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem fructuum beneficij. Ratio est, quia facit contra præceptũ Ecclesiasticum, *cap. de ijs, cap. vlt. dist. 12.* & *cap. conuenit de consecrat. dist. 5.* vbi absolutè præcipitur, vt omnes Clerici in recitatione Horarum, sint vniformes, tum quia mutans officium, non adimplet præceptum, quoad substantiam, cum Ecclesia non solum præceperit recitationem diuini officij in genere, verum etiam, in particulari, v.g. vt tali, & tali die officium tale recitetur: tum quia per extrauagantem Pij V. præcipitur, vt officium persoluatur secundum formulam ab ipso præscriptam: tum etiam, quia illa commutatione sequeretur posse quis recitare officium valde breue, relicto alio multo longiori proprio illius diei, quod non videtur admittendum: tum quia si quis vellet omni tempore dicere officium Paschale, quia breuius, secundum omnium sententiam peccaret mortaliter. Ergo dicere vnum officium pro alio est peccatum mortale ex genere suo. Vnde qui sponte, vel inaduertenter recitauit officium breuius vnius diei loco officio alterius diei multò longiori, debet supplere omissa, modo aduertat ad mutationem, seu errorem, antequam dies sit elapsa. Et iusta causa potest fieri mutatio vnius officii in aliud, vt v.g. si occurrat necessitas repentina studendi, concionandique vel si tunc non esset copia alterius Breuiarij, in quo dicendum est officium de Sancto, & ideo dicit de feria, & postea graue esset repetere ob necessarium studium, vel aliud opus pietatis, licet plures contrariam teneant opinionem, nimirum commutantem officium vnius diei in officium alterius diei peccare solum venialiter, siue in totum mutet siue in partem. Ratio est, quia adimplet præceptum quoad substantiam, licet non adimpleat quoad modum. Et ita Siluest. *verbo hora quæsit. 12.* Caiet. *v. hora, §. 3.* Azor. *lib. 10. cap. 10. quæsit. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 37. num. 77.* Valentia *tom. 3. disp. 6. quæst. 2. p. 10. §. 10. quid sit recitandum.* & alij. Ad quorum fundamentum. Respondeo, non modo peccare mortaliter, qui non recitat officium, quoad substantiam, verum etiã quoad modum, vt supra dictum fuerit, peccare mortaliter, qui non recitat officium debita cum attentione, cum faciat solummodo contra modum præcepti, non autem quoad substantiam. Ratio, quia modus specialis virtutis cadit sub præcepto, & obligat ad peccatum iusta grauitatem, &c.

An Episcopus possit dispensare cum aliquo, vt vel sto proprio Breuiario recitet officium iuxtà formam alterius Breuiarij, vel vt recitet officium alio die præscriptum?

BRACTEA LIV.

R. Olim potuisse Episcopum dispensare suis cum subditis, vt secundum ritum alterius officij persoluerent, vel vt officium vnius diei in officium alterius permutarent, eo quod poterat propriam Episcopatus formulam recitādi immutare, & per consequens in ea dispensare. Suarez *tom. 2. lib. 4. cap. 23. num. 17.* At verò post extrauagantem Pij V. in qua Summus Pōtifex præscripsit, vt quilibet iuxtà Breuiarium Romanum, recitet officium, iuxta formam in eo præscriptam, exceptis iis, qui per Breuiaria ante ducentos annos composita, & approbata recitabant, Episcopum non posse, cum Episcoporum potestas sit suspensa, quia hæc est lex Summi Pontificis, quam inferior tollere, nec potest, nec limitare *ex Clementina; ne Romani de electione.*

An peccet, qui priuatim lingua Hebraica, Græca, vel Italica Horas Canonicas persoluit?

BRACTEA LV.

R. Non peccare, dummodo honesta aliqua causa id faciat, & recitet Officium proprium illius diei. Ratio est, quia adimplet præceptum quoad substantiam, & qui facit ea, quę ad præcepti substantiam spectant, præcepto satisfacit, tum etiam sicut valida est Sacramenti Baptismi collatio facta Hebraico, Græco, aut Italico idiomate: ita erit valida Officij recitatio his verbis facta. Quod si dicatur id, quod supradictum est, peccare mortaliter, qui non adimplet præceptum quoad modum, & istum non adimplere præceptum quoad modum. Respondeo illum peccare mortaliter, qui non adimplet preceptum quoad modum necessarium, non autem quoad modum accidentalem, & istum adimplere præceptum quoad modum necessarium, licet quoad accidentalem non adimpleat, qui in vocibus consistit: si verò absque aliqua iusta causa Officiū sic persoluit peccare, quia facit cōtra visitatum Ecclesiæ morē, tum quia Diuina mysteria aliqua ratione parui pendi videntur; tum quia plebs facilè errare posset non rite percipiens verum, & germanum verborum sensum, qui aliquādo altior est, quàm per verba materialiter acceptus exprimitur; ob id iure optimo vsus Bibliorum vulgari lingua conscriptum interdictus est. Nauar. *consil. 11. de celebrat. Miss.* Suarez *lib. 4. cap. 7.* Filliuc. *tract. 23. cap. 3.* & alij.

Quo tempore Officium sit recitandum?

BRACTEA LVI.

Sciendum diem alium esse naturalem, & alium artificialem, vti obseruauit Nauarr. *cap. de orat. num. 34.* & alij. Dies naturalis in se etiā noctem comprehendens, vigintiquatuor horas toto anno continet æquales, quæ Romano more à noctis medio annumerari incipiuntur dies autem artificialis quatenus à nocte distinguitur, duodecim horas continet ab ortu Solis vsque in occasum numeratas. Quare pro temporum varietate variæ, & inæquales sunt, æstate quidem maiores, hyeme verò minores, in vtroque verò æquinoctio æquales horis nostratibus diei naturalis. De qua die artificiali intelligenda sunt verba Christi apud Ioannem *cap. 11. Duodecim horæ sunt diei*: similiter verò dies artificialis in duodecim horas diuidi solet, quę hyeme quidem maiores sunt, æstate minores vtroque æquinoctio æquales horis nostratibus, siue naturalibus. Quibus positis,

R. Tempus legitimum Diuini Officij recitandi esse totum illud spatium, quod intercedit inter mediam noctem vnius diei, & mediam noctem alterius proximè sequentis. Ratio est, quia (vt dictum est) dies Ecclesiasticus incipit à media nocte antecedentis diei vsque ad mediam noctem subsequentis. Et ita communiter Doctores, licet possit quis recitare Matutinum crastinum cum Laudibus iusta causa hodie sub sero occidente Sole, vt docet Nauar. *de orat. cap. 10. num. 52.* Caietanus *verbo hora cap. 4.* & alij. Tempus verò dicendi Officium Primæ esse circa ortum Solis, vt indicat versus; *Iam lucis orto sidere*: Officium Tertiæ hora tertia à Solis ortu: Sexta in meridie: Nona hora tertia post meridiem: Vespere vltima occasus Solis: Completorium verò post occasum Solis, vel in crepusculo, licet per consuetudinem nunc temporis aliter sit receptum circa tempus dicendi Diuinum Officium.

Sciendum 2. eum satisfacere præcepto, qui Horas Canonicas ante tempus ipsis deputatum intra eumdem diem. Qui verò pridie recitat Officium pro sequenti die, excepta (vt dictum est) recitatione Matutini non satisfacit præcepto, ac subinde tenetur illud repetere. Ratio est, quia non recitat intra tempus ab Ecclesia præscriptum: obligatio enim recitandi Diuinū Officium est annexa diei in honorem, quem tali die Deo debemus exhibere iuxta præscriptū Ecclesiæ: obligatio autem affixa diei non potest ante aduentum illius diei impleri, cum ante illam non adsit obligatio; tum quia qui vno die Officium prætermittit, non tenetur elapso die illud supplere; cum obligatio, quæ est affixa diei, transeat cum ipso die. Ergo nequit diem præuenire; cum par sit vtriusque ratio. Ita Silvester *verbo hora quæsit. 9.* Suarez *lib. 4. cap. 27. num. 4.* Azor *1. par. lib. 10. cap. 10. quæsit. 3.*

An recitantes Officium in Choro extra horas consuetas, peccent mortaliter?

BRACTEA LVII.

R. Recitantes Officium in Choro extra horas præscriptas præciso scandalo satisfacere præcepto quoad substantiam, licet non satisfaciant obligationi quoad circumstātiam horæ. Ratio prioris partis est, quia obligatio recitandi Diuinum Officium sub tali hora pendet à duobus præceptis. Primò, à præcepto dicendi Officium sub tali hora: & qui dicit

Officium

Officium anticipatè, vel tardiùs sub eadem die, satisfacit præcepto quoad substantiam, licet non satisfaciat quoad tempus. Ratio secundæ partis est, quia non facit contra præscriptum, vel consuetudinem Ecclesiæ dicendi Officium sub tali hora.

Sciendum Prælatos ex rationabili, & iusta interueniente causa publica, posse in tali mutatione dispensare, vt ob Processionem solemnē, aut concionem, aut Magnatis aduentum, aut alias similes ob causas. Nauar. *de orat. cap.* 3 *num.* 55. Caietanus *verbo hora cap* 4. Suarez *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 13. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 179. & alij.

An Clericus, qui priuatim recitat officium non obseruando tempus debitum, peccet?

BRACTEA LVIII.

NAVARRVS *de orat. cap.* 3. Toletus *lib.* 2. *cap.* 13. & alij; dicunt hunc peccare venialiter. Ratio est, quia facit contra ius commune, & contra consuetudinem ab Ecclesia præscriptam, nisi id faciat ex iusta causa, vt v. g. necessitas sit itineris faciendi, aut longa occupatio, vel etiam quies, & deuotio. Sed

R. Clericum non peccare, qui iuxta consuetudinem introductam priuatim recitando Diuinum Officium non seruat horas ab Ecclesia præscriptas. Ratio est, quia sicut consuetudo vim habet legis: ita etiam illius auferendæ, aut mitigandæ: secus verò dicendum esset, si id non esset in consuetudine, nimirùm vt Clericus priuatim recitans Diuinum Officium, anticipatè ipsum persoluat, vel differat. Ratio est, quia dilatio, & anticipatio possunt sine scrupulo fieri propter consuetudinem. Ratio secundæ partis est, quia vbi non est talis consuetudo introducta, obediendum est iuri communi, & consuetudini vniuersali Ecclesiæ, quæ iubet Officium debere persolui statutis, determinatisque horis.

Sciendum dubium esse, an melius sit Horas Canonicas anteponendo recitarē ob negotia, &c. quam postponendo. Ad quod respondeo melius esse anteponere, quam postponere. Ratio est, quia cæteris paribus præponere minus habet incommodi, ac periculi, & maiorem indicat diligentiam; tum quia *in cap. Presbyter. de celebratione Miss. dist.* 91 consilium datur, vt Clerici varijs occupati negotijs manè Diuinum Officium vsque ad vespertinum persoluant, & deinde suis rebus incumbant: vnde passim traditur ab omnibus horarias preces postponere, negligentiæ esse, prouidentiæ præponere.

An Matutinum, & Laudes recitari possint in Vesperis præcedentis diei?

BRACTEA LIX.

R. MATVTINVM, & Laudes recitari posse in Vespere antecedentis diei, si iusta, & honesta causa subsit; hoc enim permissum videtur ab Ecclesia reste consuetudine, quæ sicut apta est ad legem inducendam, ita etiam ad abrogãdam, vel restringendam, inde insequitur Clericum Matutinum, & Laudes subsequentis diei recitantem in Vesperis, vt deuotiùs oret, vel quia sequenti manè studijs operam dare debet, vel quia non ita commodè poterit Matutinum recitare excusari ab omni peccato, habet enim iustam causam tunc temporis recitandi. Ita S. Thomas *eod.* 5. *art* 8. Philiarchus 1. *par. lib* 1. *cap.* 5. *conclus.* 5. Suarez *cap.* 27. *num.* 22 Filliucius *cap.* 8. *quæst.* 10. Lessius *lib* 2. *cap.* 37. *num.* 79. Ratio verò, cur Laudes possint etiam dici cum Matutino Vespere antecedentis diei est, quia cum ipso Matutino vnum Officium constituunt, & sic vsu receptum est.

An volens Matutinum recitare in Vesperis præcedentis diei, debeat Solem occidentem expectare, vel illud ante Solis discessum recitare possit?

BRACTEA LX.

R. CERTVM esse de consuetudine ab occasu Solis Matutinum recitari posse, & similiter vna hora ante Solis occasum, quia consuetudo hoc etiam habet; dubium verò est, an ante vnam horam ante discessum Solis illud persolui possit. Ad quod respondeo non teneri Solis occasum expectare ad recitandum Diuinum Officium, sed posse illud recitare post tempus Conipietorij, quod iuxta communem ferè consuetudinem solet esse circa tertiam, aut quartam horam post meridiem; hæc enim videtur communis consuetudo tam in æstate, quàm in hyeme, iuxta quam vsu receptum est, vt completis Vesperis, & Completorio, Matutinum recitetur; hinc sequitur, Matutinum posse aliquando recitari vigesima hora, & aliquando vigesimaprima, aliquando vigesimasecunda pro ratione temporis, seu longitudinis breuitatis diei. Ita D. Thomas *quodlibet art.* 28. Suarez *cap* 27. *num.* 24. Emanuel Sà *verbo hora canonica num.* 17. Filliucius *cap.* 8. *quæst.* 10 *num.* 275. & Bonacina *disp* 1. *quæst.* 3. *pun* 3. Quod si dicatur diem naturalem incipere ab vna media nocte ad alteram mediam noctem proximè sequentem, ergo non licet recitare Matutinum sero præcedentis diei. Respondeo verum id esse in ordine ad ieiunium, & abstinendum se ab operibus seruilibus, &c. non autem quantum ad Horas Canonicas recitandas; nam ea incipit à Vesperis præcedentis diei, & durat vsque ad mediam noctem, quæ proximè datur post sequentem Vesperam, & Completorium.

An liceat inchoare Officium diei sequentis non expleto Officio diei præcedentis?

BRACTEA LXI.

R. NON licere, quia ex recepta Ecclesiæ consuetudine nō inchoatur Officiū diei sequentis, antequam persolutum sit Officium diei præcedentis; qui verò talem ordinem inuertit absque iusta causa, satisfacit præcepto dicendi Officium quoad substantiam, quia non derogat substantiæ orationis, quam Horæ Canonicæ constituunt, peccat tamen venialiter, qui absque iusta causa peruertit ordinem: secus

verò dicendum erit, si iusta, & rationabilis causa intercedere. Ita Nauar. *de oratione cap.3. num.60.* Suarez *lib.4 cap.24. num.3.* Reginaldus *lib.18. num. 180.* Vasquez *de benefic. cap.4* §.1. *art.2. num.66.* Villalobos *in sum. tom.1 tract.24 dub.13.* & alij.

Sciendum dubium esse, an si quis dicendo Officium inuertat ordinem ipsius, peccet mortaliter, ad quod respondeo, qui Primam ante Matutinum, aut Vesperas ante alias Horas recitat peccare solùm venialiter, non tamè mortaliter, nec tenetur repetere. Ratio est, quia hæc inuersio non est contra substantiam præcepti, nec est circumstantia adeò grauis, vt reddat actionem intrinsecè malam; potest ergo ex iusta causa prætermitti sine peccato; imò nec venialiter peccare, dū hoc faciat ex iusta causa, tum quia ordo, & modus censetur à Superiore præscriptus sub hac tacita conditione, nisi aliter postulet iusta causa; hinc qui ab amico, vel Prælato rogatur, vt secum tertiam persoluat, cum ipse nondum recitauerit Primā, potest cū eo Tertiam recitare dicendo postea Primam; habet enim iustam ordinis variandi causam. Siluester *verbo hora quæsit.* 9. Vasquez *art. 2. dub* 4. Suarez *cap.24 num.4.* Filliucius *cap.8 quæsit.8. num. 232.* & alij. Similiter qui post inceptam horam Tertiam recordatur se non recitasse Primam, vel Laudes potest sine peccato Tertiam prosequi intentione recitandi postea Primam, vel Laudes. Item si quis accedit ad Chorum, dū canitur Sexta, sed ipse nondum recitauit Tertiam, tunc potest psallere cum ceteris, & postea dicere Tertiam, vel aliam horam omissam. Ita Nauar. *de tract. cap.22. num.59.* Suarez *lib.4. cap.24. num.4.* Azorius *lib.10. cap.10. quæst.1.* & alij. Item qui ex obliuione dicit Officium de Sancto, quod dicendum erat de Feria satisfacere repetendo omissa, quamuis non repetat illa, in quibus vtrumque Officium conuenit. Ratio est, quia quoad illam partem adimplebit præceptum quoad substantiam, quod non cum tanto rigore obligat ad repetendum Officium, vt seruetur ordo Psalmorum; consequenter iustam nō seruandi ordinis causam habere dicitur, qui Diuinum Officium eo pacto recitauit. Ita Bonacina *de horis canonicis disp. 1. quæst. 3 pun.4. num.6.* & alij.

An peccet mortaliter, qui Missam celebrat nondum recitato Matutino?

BRACTEA LXII.

PRIMA sententia est D. Antonini 3 *par. tit. 3. cap.4.* § 4. Siluest. *verbo Missa 1 quæst.6.* Nauarri *de orat. cap.3. num.78.* & *cap.22. num 30.* Azorij *lib. 10. cap.20 quæst.4.* & *cap.28. quæst.17.* Bellarmini *lib.1. de bonis operibus cap.18.* Reginaldi *lib.28. n. 167.* & aliorum asserentium peccare mortaliter, qui ante recitationem Matutini celebrat Missam. Ratio, quia qui sic agit, contrauenit communi, & peruetustæ consuetudini Ecclesiæ, tum quia Pius V. in Bulla, quæ habetur in principio Missalis in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit Missam dici iuxta ritum Missalis, & in principio rituum seruandorum in Missa dicitur, præuia confessione, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto. Quibus non obstantibus.

R. Non peccare mortaliter. Et ita Sotus *lib. 10. de iustit. quæst.5. art.3.* Valentia *2.2. quæst.2. pun.10.* § *verbo Quo tempore recitandum sit Officium.* Arragonius *2.2. quæst.83. art.12.* Vasquez *in opusculo de beneficijs cap. 3.* §.1. *art.2. num.65.* Lessius *lib.2 cap 37. dub.12. num. 81.* Henriquez *lib.9. cap.24. num.5.* Toletus *lib.2. cap. 1.* Suarez *lib.4. cap.24. num.6.* Molphesius *tract.5. cap.2. num.31.* Carolus Macignus *de horis canonicis cap.46.* & plerique alij. Ratio est, tum quia recitans Primam ante Matutinum non peccat mortaliter; ergo neque celebrans Missam ante Matutinum; cum Matutinum nullam habeat connexionem, & ordinem cum Missa, sed maiorem connexionem habeat Matutinum cum Prima, quam Matutinum cum Missa. Neque obstat consuetudo, quia talis consuetudo non fuit introducta intuitu ordinis necessarij inter Matutinum, & Missam, sed ad inducendam illius obligationem, ex qua recitatio Matutini fieret dispositio requisita per se ad Missæ celebrationē; neque etiam obstat, quod in rubricis Missalis dicatur defectus, dum quis Missam celebrat, nō præmisso saltem Matutino, quia satis est, quod tunc fit defectus venialis, quando sine vlla causa fit, tum etiam rubricas nō esse receptas cum tanta obligatione, & solum admonere quid faciendum sit iuxta doctrinam antiquorum Canonistarum. Neque obstat etiam quod aliquando obtinetur priuilegium ad celebrandū nondum recitato Matutino, nam huiusmodi priuilegium prodest tantum ad vitandum peccatum veniale, tum ad vitandos scrupulos, Nauarrus *de orat. cap.19. num.83.*

An Sacerdos, qui ob infirmam valetudinem est immunis à Matutinis precibus, possit tuta conscientia celebrare?

BRACTEA LXIII.

R. AFFIRMATIVE. Ratio est, quia infirma valetudo est iusta causa excusans ad dicendum Diuinum Officium, & sicut Sacerdos absque sacramentali confessione, cum debito tamen, & iusto peccatorum dolore iuste sacrificat, quia deest copia Confessarij, ita qui ob incommodam valetudinem Horas Canonicas recitare nequit, potest aliūde ritè præparatus ad sacrificandum accedere; tum etiam quia (vt supra dictum est) recitatio Matutini, &c. nullam habet connexionem necessariam cum celebratione Missæ, sed solummodo est quædam dispositio, quæ necessariò non requiritur.

An quælibet ægritudo sit iusta causa non dicendi Diuinum Officium?

BRACTEA LXIV.

R. MINIME, sed eam solùm, quæ valetudinem corporis notabiliter offēdere potest, qualis est grauis febris, vel grauis dolor capitis, vel stomachi. Ratio, est quia cum obligatio recitandi Diuinum Officium strictissima sit, vt constat *ex cap. Dolentes de celebratione Missarum:* idcircò requiritur causa grauis, vt quis à tali obligatione liberari possit, & idcircò non excusari ob quamcumque infirmitatem, sed solùm ob eam

eam, quæ probabiliter, notabiliter offendere potest valetudinem corporis. Ita Sotus *lib.* 10. *quæst.* 5. *art* 3. Nauarr. *de tract. cap.* 11 *num.* 3. Toletus *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 2. Valentia 2. 2. *disput.* 6. *quæst.* 2. *pun.* 10. Suarez *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 11. Arragonius 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12. Azorius *lib.* 10, *cap.* 13. *quæst.* 2. Vasquez *de beneficijs cap.* 4. §. 1. *art.* 1. *dub.* 12. Reginaldus *lib.* 18. *num.* 181. Vnde non excusatur ab onere recitandi Diuinum Officium, cuius morbus talis est, qui probabiliter non potest nocere sanitati. Ratio est, quia tunc non potest dici talis moraliter impotens: huiusmodi esse solet febris leuis, remissus capitis, pectoris, aut stomachi dolor, febris quartana, &c. nisi forsan tanta sit lassitudo in febri quartana, aut tertiana, vt grauiter saluti nocere existimetur attentio necessaria in Officij recitatione.

Sciendum dubium esse, an qui quartana, vel tertiana febri laborat, teneatur intra eamdem diem tempus præuenire dicendi Diuinum Officium, aut postponere, & Officium suum ex toto soluere. Ad quod respondeo non obligari tempus præuenire recitãdi Diuinum Officium, aut postponere. Ratio est, quia pro illa die, quo ipse laborat tali febri, non censetur petens ad recitandum totum Diuinum Officium, sed solummodo ad illius partem, & per consequens quod non sit obligatus ad totum, nulla datur ratio, cur tempus præuenire debeat in recitando Diuinum Officium.

Sciendum 2. dubium etiam esse, quid faciendum, quando dubitatur, an ægritudo sit grauis, aut leuis, & an recitatio Diuini Officij probabiliter nocitura sit sanitati? Respondeo consulẽdo esse Medicum, & illius consilio de ægritudinis grauitate standum, non quia ipse possit tollere, vel minuere obligationem, sed solùm quia ratione Officij ad ipsũ pertinet iudicare de grauitate, & leuitate morbi, an etiam in regulari subdito præter iudicium Medici de grauitate morbi requiratur licentia Superioris? Respondeo negatiuè, sed satis esse iudicium prudentis Medici; si verò consilio, & iudicio Medici res adhuc sit dubia, tunc requiritur licentia Superioris; ratio diuersitatis est, quia in re certa, siuè in iudicio certo non requiritur licentia Superioris, cum ipsa ægritudo sit sufficiens ratio, & licentia non dicendi Diuinum Officium; in iudicio verò dubio requiritur licentia, qua obligatione recitandi eximantur, & hæc ad tollendos scrupulos, &c. & ita sentiunt Nauarr. *de orat. cap.* 31. *num.* 1. Azorius *lib* 10. *cap.* 13. *quæst.* 1. Suarez *lib.* 4. *cap* 28. *num* 20 *&* 2. Bonacina *disput.* 1. *quæst.* 6 *pun.* 2. & alij. Quod si nequiter haberi possit, vtendum erit arbitrio prudẽtis viri; quando verò Medicus dubitat an morbus sit grauis, vel leuis, seu an recitatio nocitura sit, ægrotum tunc non teneri ad recitandum Diuinum Officium; & ratio est, quia aliter se exponeret periculo grauis damni, si verò periculum sit tantummodo leuis damni, tunc ægrotus tenetur recitare Diuinum Officium. Ratio est, quia possessio stat pro præcepto, quod obligat saltem cum leui incommodo.

Sciendum non teneri per aliũ Officium recitare, qui per seipsum persoluere non potest. Ratio est, quia onus recitãdi Diuinum Officium est onus personale, quod per aliũ suppleri non potest, Ita Nauar. *de orat. cap.* 11. *n.* 6. Suarez *lib.* 4. *cap.* 28. *num.* 11. Toletus *lib.* 2. *cap.* 14. & alij.

An grauis occupatio, impotentia excusent à recitatione Diuini Officij?

BRACTEA LXV.

R. Grauem occupationem honestam, & necessariam, quæ in aliud tempus commodè differri non potest excusare à recitatione Diuini Officij. Ratio desumitur ex benigna Ecclesiæ intentione, quæ non præsumitur cum tãto grauamine obligare, & ideo excusantur Concionatores, Confessarij, & alij, qui occupantur ob vtilitatem Ecclesiæ. Ita Toletus *lib* 2. *cap.* 24. Pesantius 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 2. *disput.* 6. Siluest. *verbo hora quæsit. vlt.* Reginald. *lib.* 18. *num.* 187 Molphesius *cap.* 5 *num.* 36.

Sciendum eos, qui graui occupatione detinentur teneri Officium anticipare recitare, si occupatio anticipatam recitationem permittat, ideo qui summo mane præuidet fore, vt toto subsequenti tempore confessionibus audiendis; vel grauibus negotijs detinendus sit, tenetur summo mane Diuinum Officium anticipare recitare, quia tunc temporis viget obligatio præcepti, & potest adimplere Ita Siluest. *verbo hora quæsit. vlt.* Graff 1. *par. lib.* 2. *cap.* 54. Carolus Macignus *cap.* 14. *num.* 3. & *cap.* 15. vbi plures alios Doctores refert Suarez *cap.* 28. *num.* 32. & alij.

R. 2. Impotentiam, qualis est carentia Breuiarij, sine quo Diuinum Officium recitari nõ potest excusare ab obligatione recitationis Diuini Officij. Ratio est, quia impossibilium nulla est obligatio. Ita Suarez *cap.* 28. *num.* 7. Molphesius *cap* 5 *num.* 32. Filliucius *cap.* 9. *quæsit* 3. & alij plures. Vnde sequitur cæcum excusari ad Officium persoluendũ, quia legere non potest. Ita Sanchez *in opere morali lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 7. Nauarr. *de tract. cap.* 11. *num.* 23. Molphesius *in summa tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 26. Azorius *lib.* 10. *cap.* 13. *quæsit.* 4 *&* 5. Lulius *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 54. Suarez *cap.* 8. *num.* 23.

Sciendum 2. dubium esse, an qui non habet Breuiarium, & cæcus, qui non potest legere, & qui memoriter sciunt Diuinum Officium teneantur illud memoriter recitare. Respondeo, si sciunt totum Officium, vel maiorem Officij partem teneri ipsum persoluere. Ratio est, quia licet Canonicas Horas legere non possint, possunt nihilominus eas recitare; secus verò dicendum erit, si illa pars, quam memoriter sciunt, non sit pars notabilis Diuini Officij, aut si sit pars notabilis, sciant solummodo Psalmos, & non Lectiones, vel Orationes, &c. Ratio est, quia id, quod memoriter tenent, non est Diuinum Officium: Ecclesia autem solùm obligat ad recitationem Diuini Officij. Ita Nauar. *de orat. cap.* 11. *num.* 15. Suarez *cap.* 28. *num.* 10. Filliuc. *cap.* 9. *num.* 28. Malderus *cap.* 1. *dub.* 5.

An qui solus nequit Diuinum Officium recitare, sed potest cum socio, teneatur illum adhibere, vt recitet Officium?

BRACTEA LXVI.

R. Beneficiatum teneri socium adhibere, modo commodè possit, & ita Nauarrus

de orat.

de Orat. cap. 11. num. 13. Suarez cap. 28. num. 13. Rodriquez 1. part. cap. 145. Arragon. 2. 2. quest. 83. art. 22. Valentia 2. 2. disp. 6. quest. 2. pun. 10. Azor. lib. 10. cap. 13. quest. 3. Philiarcus cap. 10. concl. 1. Regina d. lib. 18. num. 183. Graff. 1. part. lib. 2. cap. 54. num. 3. Macignus cap. 14. num. 6. & alii. Ratio est, quia qui tenetur ad finē tenetur etiam eligere media proportionata fini. Sed beneficiatus tenetur ad Diuinum Officium persoluendum; ergò etiam tenetur eligere media, sine quibus illud recitare non potest; hoc autem medium in proposito casu est adhibitio socij; ergò si potest commodè ipsum adhibere tenetur adhibere: immò etiam tenetur proprijs expensis conducere socium, cum quo possit persoluere officium, quando Clericus habet beneficium, ex quo fructus sufficientes colligit, & ita Philiarcus, Macignus locis cit. Molphes. cap. 3. num. 27. & alij: qui verò beneficium non habet certu, in est eum ad id non teneri: ratio est, quia iste non tenetur ex iustitia, sed ex Religione, & obedientia ad officium recitandum; ergò non tenetur proprijs sumptibus socium conducere, vt cum eo Diuinum Officium persoluat, cum obedientia, vel Religio, non ita strictè obligent, sicut obligat iustitia propriè accepta. Ita Suarez loco cit. num. 15. Filliucius quest. 4. num. 289. Macignus, & Philiarcus locis citatis. Dixi modo commodè possit, nam Ecclesia non obligat cum graui incommodo, modo etiam non sit surdus, quia surdus non communicat in oratione, quæ ab alio dicitur, cum eum audire nequeat, & per consequens non possit illi respōdere, cum nequeat cognoscere, quando nam socius suos versus perfecerit, nisi fortè semper respiciat ad nutum labiorum. Ita Paulus Squillas part. 1. dub. 13. Filliucius tom. 2. trac. 23. cap. 9. quest. 4. Quod etiam dicendum est, si non sit omninò surdus, sed ita surdaster, vt neq. possit audire sine magna vociferatione; & ratio est, quia Ecclesia non obligat cum tanto grauamine, nec ad extraordinariam diligentiam. Ita Suarez lib. 4. cap. 28. num. 12. Filliucius loco cit. Bonacina disp. 1. quest. 6. pun. 3. & alij.

Sciendum cæcum non excusari ab assistentia in Choro, si aliud impedimentum non habet, & ratio est, quia ad illam tenetur ex vi sui beneficij, & illam potest facilè exhibere recitando cum suo Choro, & attendendo ad ea, quæ ab alio Choro dicuntur. Quod si fortasse non potuerit officium cum suo Choro recitare, vel ob defectum memoriæ, vel quia alios canentes non audit, satisfaciet muneri Chori recitādo partem, quam memoriæ tenet, & quam cū aliis recitare potest; nec tenebitur posteà priuatè recitare, quia per illum non stat, sed facit, quod in se est, neque sunt tanta onera illi imponenda. Nauar. de Orat. cap. 29 num. 81. Suarez lib. 4. cap. 27. num. 15. Macignus cap. 71. num. 59. An cæcus, qui ob defectum memorię nihil dicere potest teneatur audire alium omnia dicētem, & cum eo dicere versus ad se pertinentes, vt onus Diuini Officii impleat? Respondeo, non teneri audire socium omnia dicentem; & ratio est, quia licet hoc fieri possit, & consulēdum sit, tamen cum Ecclesia suo generali pręcepto ad extraordinariam, & valdè difficilem diligentiam adhibendam non obliget: idcirco non obligatur socium audire, & cum eo recitare. Ita Toletus lib. 2. cap. 14. num. 2. Azorius lib. 10. cap. 13. quesito 2. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 27. num 16. Filliucius tract. 23. cap. 9. num. 290.

Sciendum 2. dubium esse, an qui loqui non potest, teneatur mentaliter Diuinum Officium persoluere. Ad quod Respondeo non obligari, & ratio est, quia præceptum Ecclesiæ de dicendis Horis Canonicis est, vt illę vocaliter soluantur, & non sola mente, vt constat ex Concilio Basiliensi sess. 22. vbi expresse iubetur, vt Horæ Canonicę non inter dentes, nec in gutture, nec syncopatè dicantur, sed integrè voce pronuncientur. Et ita Nauar. de Orat. cap. 11. num. 6. Vasquez de beneficijs cap. 4. dub. 12. Bonacina disput. 1. quest. 6. pun. 2. & Suarez lib. 4. cap. 24. num. 11.

An defectus Breuiarij excuset ab onere recitandi Diuinum Officium?

BRACTEA LXVII.

R. Vt supra dictum est, excusare ab onere recitandi Diuinum Officium, quia nemo tenetur ad impossibile ex regula Iuris impossibilium: dicere autem totum Officium, absque Breuiario est moraliter impossibile, ergo, &c. quod etiam dicendum est de eo, qui culpabiliter, vel domi reliquit Breuiarium, vel in itinere perdidit, vel in mare proiecit, peccasse quidem relinquendo, vel in mare proijciendo, sed posteà non peccare non persoluēdo diuinum officium, quia tunc temporis nec Breuiarium habet, nec commodè habere potest.

Sciendum dubium esse, quot peccata committat non recitando D. Officium, qui malitiosè proiecit Breuiarium in mare, vt se impossibilitaret ad officium recitandum: an committat tota peccata, quot omittit obligationes dicendi Diuinum Officium? Ad quod Respondeo, peccare quidem malitiosè proiiciendo Breuiarium in mare, sed posteà non peccare non recitando Diuinum Officium, cum recitatio sit illi facta impossibilis ob carentiā Breuiarij; tenebitur tamen restituere fructus omnium dierum, quibus Diuinum Officium prætermisit ex proiectione Breuiarij; & ratio est, quia fructus beneficij percipiuntur ob Diuinū Officium: cum autem Diuinum Officium non persoluat, non potest fructus percipere, & si percipit, tenetur eos restituere.

An metus mortis iustam Diuini Officii excusationem præbeat?

BRACTEA LXVIII.

R. Probabilem metum mortis, vt v. g. si Clericus transiturus sit per medium Hæreticorum, & si Horas Canonicas recitet, deprehendatur incertum, & euidens vitæ periculum, tunc Clericum excusare ab onere recitandi Diuinum Officium. Ratio est, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore, non excusaretur autem si in tali non recitatione Diuini officii maximum dedecus Deo resultaret, & Ecclesiā, Ratio est, quia fidei cōfessio in tali casū est de præcepto Diuino, non obstan-

obstante periculo mortis; tum quia bonũ Religionis est bonum commune.

Sciendum dubium esse, qui inuitus preces horarias persoluit, an Ecclesiæ præcepto satisfaciat. Ad quod Respondeo, non satisfacere, quia recitatio Diuini Officii inuita, non est voluntaria, & vbi deficit voluntas recitandi horas, nullo modo satisfit obligationi, Suarez *tom.3. in 3. partem quæst.83. art.6. disp.88.* Azor. *lib.7. cap.2. quæst.6. & lib.10. cap.12. quæst.9.* Qui verò inscius, vel in memor præcepti preces Canonicas recitaret præcepto Ecclesiæ satisfecisse vere censeretur, cum non habeat voluntatem cõtrariam non satisfaciendi, aut iterum preces recitandi, nec Ecclesia præcipit, vt scienter Horæ Canonicæ recitentur sed solum voluntariè; Qui verò per errorem, & ignorantiam Diuinum Officium persoluit, est quidem præcepti inscius, & immemor, sed tamen sponte recitat.

An qui tenuissimum beneficium possidet habeat iustam causam non recitandi Diuinum Officium?

BRACTEA LXIX.

PRIMA sententia est Soti *lib.10. de Iustitia qu.5. art.3.* & aliorum negantium tale beneficiũ inducere obligationem recitandi Diuinum officium, si beneficium ita exiguum sit, vt nõ excedat quantitatem octo ducatorum, qua nemo tenetur ad tantum onus, pro tam exiguo stipendio; tùm etiam quia parum pro nihilo reputatur; ergo qui tenue, & modicum beneficium habet, non censetur esse beneficiatus; tùm etiam, quia qui altari seruit ex eo viuere debet; ergo qui ex beneficii redditibus non viuit, non tenetur Diuinum Officium recitare, his non obstantibus.

R. Cum Nauarro *de Orat. cap.7. num.27. & cap.11. num.11.* Suarez *lib.4. cap.21. num.3. & 9.* Valentia *2.2. disp.6. quæst.2. pun.10.* Azor. *lib.10. cap.3. q.3.* Reginald. *lib.30. cap.4. num.34.* & alijs obligari ad recitationem Diuini Officii. Ratio est, quia beneficium perexiguum, quoad substantiam est verè, & propriè beneficium, & qui tale beneficium habet, gaudet priuilegiis beneficiatorum, vt cœteri beneficiati; ergo etiam afficitur onere recitandi Diuinum Officiuñ; tùm etiam quia scienti, & volenti non sit iniuria, ergo qui sponte suã beneficium acceptum, & ratum habet se Ecclesiæ obstringit, ergo tenetur ad Diuinum Officium. Quæ opinio probabilior mihi videtur, quia plurimi, & grauiorum auctorum consensu, & testimonio comprobata, & satis firma ratione fulta est.

An dispensatione Summi Pontificis possit Clericus in sacris constitutus, eximi ab obligatione recitandi D. Officium?

BRACTEA LXX.

R. DISPENSATIONE Summi Pontificis Clericum in sacris constitutum, posse eximi ab obligatione recitandi Diuinum Officium. Ratio est, quia obligatio recitandi diuinum officium non est annexa ordini sacro Iure Diuino, sed Ecclesiastico, at Summus Pontifex potest dispensare in his, quæ sunt de Iure Ecclesiastico; Ergò, &c.

Sciendum validam esse Summi Pontificis dispensationem in non recitando Diuinum Officium, etiamsi concessa fuerit sine causa, quia obligatio recitandi officii, vt dictum est, est de iure positiuo Papa etiã sine causa potest dispẽsare in his, quæ sunt de Iure positiuo. Ita Toletus, *cap.14. num.6.* & alii.

R. 2. Summum Pontificem posse etiam dispẽsare cum Clerico Beneficiato, vt non recitet Diuinum Officium. Ratio est, quia quamuis Clericus beneficium acceperit cum obligatione recitandi diuinum officium, hæc tamen obligatis est iure canonico cõstituta, in qua Romanus Pontifex indulgentiã, & auctoritate dispensare potest, quia habet plenam auctoritatem in his, quæ iure tantum Canonico sunt constituta. Ita Siluest. *verbo hora quæst.8.* Tabiena *ibidem quæst.15.* Auila *num.11.* Nauarr. *de orat. cap.11. num.32.* Arragon. *2.2. quæst.83. art.12.* Tolet. *lib.2. cap.14. num.6.* & alij. Licet Panormitanus *in cap 2. de celebrat. Missarum*, Thurecrem. *in cap. Eleutherius dist.91. qu.5.* teneant opinionem contrariam, quia beneficiatus naturali iure tenetur officium persoluere; nam beneficium propter officium datur, & cum hæc sit lex iustitiæ in ea Pontifex dispensare non potest.

Sciendum 2. dubium esse, an si Romanus Põtifex conferat infanti aliquod beneficium simplex eo ipso censeatur eum ab onere recitandi officium eximere? Ad quod respondeo si Pontifex beneficium conferat ei, quem sit per ætatem non posse Horas Canonicas recitare, vel nescire legere, eo ipso censetur cum eo in recitatione dispensare, donec legitimam ætatem ad recitandum habeat: si vero conferat beneciumei putans illum legitimam habere ætatem ad recitandum officium dispentans cum eo in ætate, non est censendus dispensare in recitatione diuini officii. Ita Azorius *lib.3. cap.13. quæst.12.* Suarez *lib.4. cap.28. num.37.* Molphesius *in summ. tract.5. cap.4. num.13.* Reginald. *lib.18. num.192.* & alij.

An Episcopus possit Clericum eximere ab obligatione recitandi Diuinum Officium?

BRACTEA LXXI.

R. EPISCOPUM non posse dispensare propriè loquendo, neque cum Clerico Beneficiato, neque in sacris. Ratio est, quia Episcopus non potest Clericum eximere ab obligatione Iuris Canonici, nisi in casibus, qui ei, vel iure ipso, vel consuetudine, vel præsumptione permittuntur; ergò propriè loquendo nõ potest Clericum eximere ab obligatione recitandi diuinum officium. Dixi propriè loquendo, quia quando Clericus beneficiatus dubius est, sufficiens ne sit causa, quam habet recitandi diuinum officium, tunc Episcopus potest rationabiliter Ecclesiasticum præceptum interpretando, licentiam ei dare omittendi diuinũ officium; sicuti laborandi in die festo, aut nõ ieiunandi in diebus ieiunij, & similibus: hoc autem potius est per modum interpretationis,

quam

quam dispensationis; hinc si Episcopus propriè & iure ordinario dispenset, vt aliquis ad recitandum Diuinum Officium non teneatur, dispensatio est nulla, & concedens, ac petens peccat mortaliter, illaque vt eos neq; à legis transgressione excusat, ita neq; à peccato. & quod dixi de Episcopo, quoad suos Clericos, intelligitur etiam de Prælato regulari, & de Abbatissa, quoad moniales. Ita Nauar. *de Orat. cap.11. num. 25.* Bonacina *de horis Canonicis disp.1. quæst.6. pun.3. num.1.*

An qui dubitat, an Diuinum Officium, vel aliquam horam integram recitauerit, teneatur illud repetere?

BRACTEA LXXII.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia possessio stat pro præcepto, tùm quia recitatio est quid facti; factum autem non præsumitur, nisi probetur, ex communi Iurisperitorum schola. Nauar. *de Orat. cap.20. num.30.* Medina *in 4. qu.16. num. 6.* Marignus *de horis canonicis cap. 18. num.4.* Quod est verùm, nisi ex probabili coniectura, vel ratione credat, se illud dixisse, quia tunc non tenetur iterum recitare, aut nisi etiam dubium practicè deponatur probabili aliqua ratione, quia tunc liberum cuique est opinionē probabilem sequi, qui tunc non adest dubium sed opinio. Ita Naldus *verbo Diuinum officium,* & alij communiter.

Sciendum dubium esse, an qui diuinum officium persoluit, sed propter mentis euagationem est acceps; an Psalmum aliquem, Antiphonam, vel Hymnum omiserit teneatur illum Psalmum, Hymnum, vel Antiphonam iterum recitare. Ad quod Respondeo, non teneri; & ratio est, quia adest probabilis ratio deponendi dubium. Tum etiam, quia via infinitis scrupulis aperiretur, & semel repetita sæpiùs repeterentur. Ita Nauar. *cap.23. de oratione num.29.* Azorius *lib.10. cap.11.* Filliucius *tract.23. cap.8. quæst.2.* Suarez *cap.26. num.20.* & alij.

Sciendum 2. dubium esse, an qui Diuinum officium persoluit, ac propter scrupulum timet, ac putat se non satisfacere, ideoq; proponit recitatum repetere, teneatur iterum recitare, si postmodum rationabiliter credat se satisfecisse. Ad quod respondeo non teneri, & ratio est, quia illud suppositum denuò recitandi fundabatur in falsa opinione, nec tollebat intentionem virtualem satisfaciendi obligationi.

An Clerici in sacris constituti, aut habentes beneficium teneantur ad aliquam restitutionem si Diuinum Officium prætermittunt, aut in peccato mortali ipsum persoluunt?

BRACTEA LXXIII.

R. Primo Clericos in sacris constitos, & nullum beneficium habentes peccare, quidem mortaliter si Diuinum Officium prætermittunt; sed non obligari ad aliquam restitutionem. Ratio primæ partis est, quia faciunt contrà suam obligationem, & violant præceptum in materia graui. Ratio, secundæ partis est, quia hi nullos fructus percipiunt ob onus recitandi diuinum officium; ergò si illud prætermittunt ad nullam restitutionem tenentur, cum par non sit; vt qui ex recitatione diuini officii nullum sentit commodum, illius omissione sentiat incommodum.

R. 2. Beneficiatum, qui in peccato mortali persoluit diuinum officium non obligari ad restitutionem fructuum, siuè hoc peccatum sit occultum, siuè publicum. Ratio est, quia id nullo iure cauetur; vt fructus amittat beneficiatus, qui turpiter viuit; dummodo officium suum impleat; tum etiam quia hic quamuis sit in peccato mortali, nihilominus implet Ecclesiæ præceptum; & ità Nauar. *cap.7. num.35.* Sotus *lib.10. quæst.5. art.6.* Petrus Nauar. *lib.2. de rest. cap.2. num.105.* Suarez *lib.4. cap.30. num.15.* Em. Sà *verbo horę num* 18. & alij.

R.3. Beneficiatum, qui scienter diuinum officium prætermittit obligari ad restitutionem fructuum Iure Canonico, & non Diuino, & naturali; & ita statuitur in Concilio Lateran. sub Leone X. celebrato *sess.9. cap. 5. §. statuimus,* vbi dicitur beneficiatum quemcumque, qui elapsis sex mensibus à consecutione beneficij omiserit recitare officium non faciat pro rata officii prætermissi fructus suos, sed debere restituere in fabricam ipsius beneficij, vel in eleemosynas pauperum; & in constitutione Pij V. quæ incipit *Ex proximo Lateranensi Consilio* relata à Nauar. *in Manuali cap.25. num.122.* & de *orat. cap.7. num 32.* in qua Romanus Pontifex decretum Concilii Lateranensis non solum commendat vt pium, & salutare, sed etiam illud innouando declarat, vt beneficiatus, qui horas canonicas prætermittit in foro conscientiæ, fructus beneficii præceptos restituat pro rata officij prætermissi.

An Beneficiatus, qui Diuinum Officium scienter omisit in primis sex mensibus accepti beneficij, teneatur ad restitutionem fructuum respondentium illis diebus?

BRACTEA LXXIV.

R. Beneficiatum qui intra primos sex menses ab obtento beneficio, officium diuinum prętermittit non obligari ad aliquam restitutionem. Ratio est, quia præceptum Ecclesiæ ad dicendum diuinum officium, obligat solummodò post sex menses ad restitutionem; ergò, &c. Tùm etiam, quia attento iure communi antiquo non tenetur beneficiatus, non recitans diuinum officium ad restitutionem, quia nullum tale ius adest; ergò tenetur tantū iure nouo Concilij Lateranensis, & Pij Quinti: at hæc tantum obligant post sex menses; ergò, &c, & ita Nauar. *de tract. cap.11. nu.58.* Lessius *lib.2. cap.34. dub.32. num.179* Vasquez *de beneficijs cap.4. §.1. art.1. dub.8.* Toletus *lib.2. cap.10. n.5.* Suarez *lib.4. cap.29. num.12.* Macignus *cap.28. n.16.* & alij.

R. 2. Beneficiatum, qui intra primos sex menses ab impetrato beneficio, absque iusta causa diuinum officium prætermittit mortaliter pecca-

peccare; nam in Constitutione prædicta Pij V. sic habetur. *Ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit; nisi legitimum impedimentum eum excusauerit, graue peccatum se intelligat admisisse*; Et ratio huius est, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; & contra finem, propter quem datur beneficium. Ita Nauar. *in Manual. cap. 25. num. 122.* Arragon. 2. 2. *quæst. 83. art. 13.* Tolet. *lib. 2. cap. 12. num. 4.* Azor. *lib. 10. cap. 14. qu. 4.*

Sciendum beneficiatum non teneri ad restitutionem fructuum, quando per naturalem obliuionem, vel ignorantiã inuincibilem diuinum officium non persoluit; & non solum non obligari, quoad fructus bona fide consumptos, verum etiam simpliciter quoad omnes. Et ratio est, quia in foro conscientiæ non debetur pœna, vbi culpa non est: at qui prætermisit diuinum officiũ per naturalem obliuionem, vel ignorantiam inuincibilem non censetur esse in culpa; ergò, &c.

Sciendum 2. beneficiatum, qui mente distracta diuinum officium recitat obligari ad restitutionem fructuum; & ratio est, quia hic non solum malè orat, sed reuera simpliciter nõ orat quia licet legat, vel verba proferat illa non est oratio, quæ ab Ecclesia præcipitur: cum ergo de substantia Orationis sit attentio, sequitur recitantem sine attentione non satisfacere præcepto, quoad substantiam, consequenter non posse fructus retinere, cum defectus attentionis voluntarie substantiam orationis destruat; & ita Nauar. *de orat. cap. 12. n. 18.* Suarez *lib. 4. cap. 30. num. 14.* Azor. *lib. 10. cap. 12. qu. 6.* Petrus Nauarra *lib. 2. num. 240.* Graff. *lib. 2. cap. 51. num. 7.* Vega *cap. 128.* Rodriquez *part. 1. cap. 143.* & alij.

Sciendum 3. dubium esse, an qui plura beneficia legitime possidet, nec horas canonicas recitat post primos sex menses ab illis obtentis teneatur pro rata officij culpabiliter omissi fructus omnium beneficiorũ restituere. Ad quod Respondeo teneri, & ratio est, quia sicut ratione omnium tenebatur officium recitare, ita etiam fructus omnium pro rata officij dimissi restituere tenetur, vt constat ex constitutione Pij Quinti.

Sciendum 4. Similiter dubium esse, an beneficiatus teneatur persoluere horas canonicas statim, ac beneficij collationem acceptauit. Ad quod affirmatiuè respondit Carolus Macignus *tract. de libris Canonicis cap. 10. num. 25.* Garz. *de beneficiis tom. 1. par. 3. cap. 2. num. 92.* & alij. Sed respondeo tunc beneficiatum debere officium diuinũ persoluere, quando pacificam beneficiis possessionem iam accepit, & non antea, quia antedictam possessionem non potest exercere iura beneficij; ergo consonum est, vt ad onera beneficii non obligetur; nec peccare peccato duplicis malitiæ Clericum, qui ratione Ordinis sacri, & beneficii tenetur persoluere horas canonicas, sed committere formaliter vnum tantum peccatum, quia violat vnam tãtum virtutem, nimirum virtutem Religionis.

An qui vno, vel pluribus diebus Diuinum Officium non recitauit, debeat restituere fructus pro rata omissi Officij?

BRACTEA LXXV.

RESPONDENDUM Clericum beneficiatum iuxta taxam, & distributionem à Pio V. factam his verbis: *Qui vno, vel pluribus diebus totum Officium Canonicum prætermiserit, omnes fructus amittat*, qui illi, vel illis diebus corresponderet, si quotidie diuiderentur, si verò non vno die integrũ Officium omittat pro Matutino cum Laudibus, quę est media Officii pars, vult amitti dimidiam partem fructuum illi diei correspondentium, quia cęteras horas omnes aliam dimidiã partem, & quoniam illæ sunt sex illas reputat æquales, & pro cuiuscumque omissione sextam partem fructuum eiusdem diei amitti declarauit, cum dicitur sextam partem esse restituendam pro singulis horis, id intelligendum est, de sexta parte fructuum dimidii diei naturalis, vel de fructibus diei artificialis; ita vt qui vno die recipit, v.g. duodecim argenteos, si omittat horam, teneatur tantum reddere vnum argenteum, quia illa est sexta pars fructuum diei artificialis, nam alii sex respondent Officio Matutino.

Sciendum dubium esse, an pro omissione minori, quam vnius horæ integræ sit aliquid restituendum. Ad quod respondeo nihil esse restituendum. Et ratio est, quia lex rigorosa potius restringenda est ad terminos suos, quam extendenda, cum ergo lex Canonica definitè taxet quid pro singularum horarum omissione restituendum sit, non est extendenda ad minorem omissionem. Ita Toletus *lib. 2. cap. 12. num. 6.* Petrus Nauar. *lib. 2. cap. 2. dub. 3. num. 202.* & Suarez *lib 9. cap. 30. num. 1.*

An vniuersaliter beneficiati Horas Canonicas non recitantes teneantur, restituere omnes fructus beneficij pro rata temporis, quo horas omittunt?

BRACTEA LXXVI.

PRIMA sententia est asserentium beneficiatum, qui curam animarum gerit, & munus celebrandi, & administrandi Sacramenta obit, & regimine Ecclesiæ fungitur, non recitando Diuinum Officium non teneri restituere totum fructum respondentem obligationi recitandi Horas, sed partem, & aliam posse sibi retinere pro onere ministrãdi Sacramẽta; & aliis adiũctis beneficio; & ideò Parochus, qui in die, pro fructu recipit, tres argenteos, omittens totum Officium tenetur restituere vnum argenteum solum, & alios duos retinere potest pro aliis oneribus adiunctis beneficio. Et ita Toletus *lib. 2. cap. 12. num. 5.* Henriquez *lib. 13. cap. 13. num. 2.* Lopes 2. *par. cap. 95.* Emanuel Sà *verbo beneficium. num. 58.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 32.* Arragonius 2. 2. *quæst. 83 art. 13.* Rodriquez 1. *par. cap. 146. num. 4.* Molphesius *in summa tract. 5. cap. 5 num. 8.* Beya *casu 55. par. 1.* Medina *in institut. in exposit. præceptorum* §. 12. Macignus *cap. 28. num. 7.* Naldus *verbo Diuinum Officium num. 2.*

num.2. Vasquez *in opusc. de beneficijs cap. 4. §.1. art.1. dub.6. num.38.* & alij.

Secunda sententia est asserentium beneficiatum cum cura animarum, &c. non recitando Diuinum Officium debere restituere omnes fructus pro rata respondentes, & non posse sibi retinere aliquam partem pro alijs oneribus adiunctis beneficio. Et ita Suarez *lib.4. cap.30. num.6.* Valentia *2.2. disput.6. quæst.2. pun. vlt.* Azorius *lib.10. cap.13. quæsit.5.* Reginaldus *lib.30. num.46.* Petrus Nauar. *lib.2. cap.2. num.143* Filliucius *tom.2. tract.23. cap.10. quæsit.5.* & alij. Ratio est, quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sed [illegible]

R. Quod licet hæc secunda opinio sit probabilis, tamen prima videtur probabilior, tum ob auctoritatem Doctorum, qui eam sequuntur, tum ob rationem fundatam in æquitate, & iustitia, quę vtpotè in re pęnali est fauorabilior; tum etiam quia licet principaliter beneficium detur propter Officium, tamen etiam secundariò datur ob alia onera adiuncta beneficio; tum ordinata ad cultum Diuinum, tum etiam ad salutem animarum iuxta illud D. Pauli; *Qui altari seruit, de altari viuere debet.* Vnde satis est restituat partem stipendij respondentem omisso Officio: vnde quando in Bulla Pij V. dicitur, omittentem Diuinum Officium debere omnes fructus restituere, sermo est de fructibus respondentibus recitationi Diuini Officij, non verò de fructibus respondentibus alijs oneribus.

R. 2. Simplicem beneficiatum, qui nullam aliam habet obligationem, quam recitandi Diuinum Officium, si scienter absque iusta causa Diuinum Officium omittat vniuersos fructus, quos ex tali beneficio percipiat restituere pro rata temporis tenetur. Ratio est, quia hic beneficiatus non potest alia ratione fructus recipere, quam ratione Officij persoluendi: cum ergo hic non persoluat, Officium nullum habet titulum, cum aliquos fructus percipiat; ergo, &c. Ita Doctores supra citati.

An Pensionarius, qui Officium paruum Beatæ Virginis quotidie non recitat, fructus restituere teneatur?

BRACTEA LXXVII.

R. Teneri ad restitutionem, si illud post primos sex menses prætermisit. Ratio colligitur ex constitutione Pij V. vbi decernit Pensionarium non recitantem Officium paruum Beatę Virginis ad restitutionem fructuum obligari: vnde si Officium vno, vel pluribus diebus prætermisit omnes pensionis fructus, qui illi, vel illis diebus respondent, restituere tenetur; si verò Matutinum tantùm dimidiam partem, si horarum aliquam sextam partem pensionis eiusdem diei amittat, vt colligitur ex eadem constitutione.

Sciendum restitutionem fructuum à Pensionario faciendam esse ante Iudicis sententiam, licet delictum sit occultissimum. Et ratio est, quia Pensionarius non recitans Diuinum Officium non facit fructus suos, vt dicitur in Concilio Lateranensi: sed nullus retinere potest, quod suum non est; ergo omittens Horas Canonicas non potest retinere fructus, sed tenetur illos restituere ante Iudicis sententiã; quod etiam statuitur in extrauaganti Pij V. vbi statuit non recitantem Diuinum Officium non facere fructus suos, sed illos tamquam iniustè perceptos debere restituere; & sic manifestè colligitur, quod non solùm de iure prædicti Concilij, sed etiam Pij V. non potest in consciẽtia retinere fructus, qui Diuinum Officium prætermisit, sed ipsos debere restituere ante sententiam Iudicis. Et ita Suarez *lib. 4. cap. 30. num.2.* Nauar. *de orat. cap.7. num.32.* & *in manuali cap.25. num.122.* Arragonius *2.2. quæst.8. art. 13.* Couar. *lib.3. variar. cap.13.* Petrus Nauarr. *de restitut. cap. 2. num.195.* Vasquez *in opusc. de beneficijs cap. 4. §.1. dub. 7.* Filliucius *cap.10. num.311.* Lessius *lib.2. cap.34. dub.39.* Maignus *cap. 28.* Quaranta *verbo Hora Canonica*, Molphesius *cap. 5. num. 11.* & alij communiter.

Sciendum 2. restitutionem faciendam esse vel in fabricam beneficij, vel in eleemosynam pauperum, sic enim habetur in prædicta constitutione Pij V. illis verbis; *In fabricam huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneantur;* quæ verba, cum disiunctiua sint, ideò liberum est beneficiato restitutionem facere pauperibus, vel fabricæ beneficij; nomine autem pauperum intelligitur non solùm pauperes, sed etiam Monasteria, Xenodochia, & Ecclesiæ ornamentis, luminaribus, & alijs similibus indigentes, aut alia pietatis opera iuxta Medinam *cod. de restitut. quæst.3.* & Rebellum *par.2. de obligationibus quæst.11. sect.1.* Nomine etiam pauperum non solùm intelligi eos, qui ostiatim viuunt, verùm etiam alios, quibus necessaria ad decentem statum desunt, quales sunt multi Nobiles, qui à statu deciderunt, &c. quibus distributio fieri potest absque titulo eleemosynæ ne confundatur. Ita Rebellus *par.2. quæst.11. sect.1.* & alij; nec esse necesse, quod restitutio fiat pauperibus illarum Ecclesiarum, vbi sita sunt beneficia, sed posse etiam fieri pauperibus alterius loci. Ratio est, quia Bulla generaliter loquitur de pauperibus. Ita Suarez *lib.4. cap. 30. num. 20.* Molphesius *cap.5. num.22.* Filliucius *tract.23. cap.10. quæst. 6.* Bonacina *disp.1. quæst.5. pun.4. num.3.* hanc restitutionem posse etiam fieri in celebrando Missis, vel in alijs suffragijs offerendis pro defunctis. Ratio est, quia etiã defuncti sunt indigentes, & pauperes. Ita Nauar. *in summ. cap.25. n.122.* Suarez *lib.4. cap.30. num.18.* Bonacina *loco cit. num.4.*

Sciendũ 3. quod si beneficiatus pauper sit aut eius mater, aut sorores, fratres, &c. si pauperes sint, potest sibi aut eis applicare, quod restituendũ est ratione D. Officij. Ratio est, quia ipse beneficiatus cum sit pauper, non videtur deterioris conditionis alijs pauperibus, & per consequens posse sibi applicare partem fructuum obnoxiam restitutioni: similiter beneficiatum pauperem posse illam applicare patri, matri, fratribus, &c. pauperibus, quia non sunt peioris conditionis, quam sint alij pauperes, tum etiã quia in præcitatis iuribus non excluduntur; & hæc est eleemosyna, quam non tàm ipse sibi vel suis, quàm Summus Pontifex per eum facit, Ita Nauar. *in summa cap.25. num 122.* Toletus *lib.2. cap. 12. num. 5.* Suarez *tom. 2. de relig. cap. 30. num.21.* Quod intelligendum est, modò ex consuetudine, vel ex statuto particulari non sit facienda restitutio alicui certo pio operi, aut alijs Canonicis, vel Clericis illius Ecclesiæ, vt accidit

in distributionibus quotidianis, quia in tali casu beneficiatus pauper non poterit sibi applicare, vel suisfructus restitutioni obnoxios titulo paupertatis. Ita Rodriquez *1. par. cap. 136. num.3.* Naldus *verbo Officium num.13.* Arragon. *2.2. quæst.83.art.13.*

An beneficiatus, qui Diuinum Officium non recitauit, possit retinere sibi fructus, quos titulo donationis accepit à pauperibus?

BRACTEA LXXVIII.

R. Non posse, si remissionem non obtineat ab ijs, quibus fructus non dum tradiderat. Ratio est, quia hic non dicitur restitutionē facere iuxta Pontificis intentionem; tum quia pauperes, quibus fructus non sunt traditi, nullum habent ius ad illos; ergo non possunt illos condonare, cum condonatio fieri debeat ab eo, qui ius verum, & proprium habet: si verò fructus recipiat ab his, quibus ipse tradiderat eos sibi sibi retinere potest, modò is, qui eos titulo donationis dedit beneficiato liberam de illis disponendi facultatem haberet. Ratio est, quia quilibet est rei suæ moderator, & arbiter, tum quia hoc, nullo iure prohibetur, nec vllū inde incommodum alteri sequitur; tum etiam quia sicut distributiones retineri possunt, quoties sine fraude, & dolo traditę fuerunt Canonicis, qui interfuerunt Diuinis Officijs, & ab ipsis postea restituuntur Canonicis, qui non interfuerunt, ita & etiam fructus possunt recipi ab his, quibus beneficiatus tradiderat. Et ita Henriquez *lib.13.cap.36.num.3.* Nauar. *de tract. Miscell.19.num.4.* Suarez *lib.4.cap.30.num.17.* Azorius *2.par.lib.7.quæst.9.* & alij multi.

Sciendum dubium esse, an beneficiatus, qui obligatur ad restitutionem fructuum ob non dictum officium, teneatur restituere fructus fabricę illius Ecclesiæ, vbi situm est beneficium, aut etiam fabricę alterius Ecclesiæ? Ad quod respondeo teneri restituere fabricæ Ecclesiæ, vbi situm est beneficium, vt colligitur ex verbis constitutionis, vbi non habetur illa particula Ecclesiarum, sed Beneficiorum: vnde poterunt huiusmodi fructus experiēdi in vtilitatē fabricæ domus beneficij, in qua beneficiatus habitat, vel alterius domus ipsius beneficij pro fructibus colligendis, & conseruandis, aut etiam in vtilitatem agrorum ipsiusmet beneficij, vt eius fructus in perpetuum augeantur, v.g. in emēdis, aut meliorandis agris, hæc enim sub fabricæ ratione continentur. Ita Vasquez *in opusc. de beneficijs cap. 4.§.1.art.1.dub.9.* Suarez *lib. 4.cap.30. num.19.* Molphesius *cap.5.num.24.* Bonacina *disput.1. quæst.5. pun.4.*

An Pensionarius non recitans Officium paruum Beatæ Virginis, teneatur insumere pensionem in fabricis, vel pauperibus, vel potius non accipere à beneficiato soluente illam?

BRACTEA LXXIX.

R. Pensionarium debere restituere fructus eo modo, quo obligatur beneficiatus, idest pauperibus, vel Ecclesię, &c. Ratio est, quia colligitur *ex extrauaganti* Pij V. vbi statuit absolutè Pensionarium paruū Beatissimę Virginis Officium prætermittente debere restituere fructus pensionis eo modo, quo beneficiatus obligatur. Et ita Garzias *3.par. de beneficijs cap.1. num.37.* Suarez *lib.4.cap.30.num.22.* Bonacina *disp. 1.quæst.5.pun.4.num.5.* Vnde beneficiarium, qui nouit Pensionarium non recitasse diuinum officium non posse pensiones denegare Pensionario, vt sibi retineat fructus pensionis, cum debeantur fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, non verò beneficiato.

Sciendum dubium esse, an paruum Beatæ Virginis officium ad Horas Canonicas pertineat? Ad quod respondeo negatiuè, quia Horæ Canonicæ multò ante huiusmodi officiū fuerunt institutæ, tum etiam quia vt docet Azorius *lib.10.cap.16.quæst.3.& 4.* huiusmodi officium Beatæ Virginis non iure scripto, sed vsu tantùm, & consuetudine vim legis habente recitari, quod expressè colligitur ex verbis constitutionis Pij V.

Sciendum 2. similiter dubium esse, an qui debent Horas Canonicas recitare ordinis, vel beneficij teneantur etiam recitare officium paruum? Ad quod respondeo eos qui iure coguntur Horas Canonicas recitare iuxta Breuiariū Romanum Pij V. non teneri officium paruum Beatæ Virginis persoluere, vt expressè habetur in ipsa Bulla Pij V. si tamen in Ecclesia iam erat consuetudo, vt officiū Beatæ Virginis in Choro diceretur, vult Pontifex hanc consuetudinem in suo vigore permanere, vnde si alicubi talis cōsuetudo erat recepta instar legis, etiam nunc post nouum Breuiarium obligabit, & Canonici, aliique Collegiatarū Clerici, debebunt illi quoque interesse, si maioris officij distributiones lucrifacere volunt.

MALLEATIO XXXI.

De distributionibus quotidianis, quę dantur interessentibus, & recitantibus Diuinum Officium publicè.

Quid nomine distributionum intelligatur?

BRACTEA I.

R. Nomine distributionem intelligi eas prouentum, qui tribui, & diuidi debent per singulas horas inter eos, qui in Choro diuinis officijs intersunt pro rata seruitij præstiti. Et ita Garzias *de beneficijs 3.par cap.2.num.440.* Azorius *2.par.lib.7.cap.7. quæst.1.* & dicuntur distributiones à verbo *distrib.* quia iusta cuiuscūq; merita, & qualitates, quotidianumque laborē in Ecclesia susceptum, aliaq. munera exercenda Clericis tamquam merces, dicuntur autem quotidianæ, quia distribuuntur his, qui quotidiano ministerio in celebrandis officijs diuinis Ecclesiæ inseruiunt.

Sciendum, distributiones esse stipendiū diurnum, quod Ecclesiarum Collegiatarum, vel Cathedralium beneficiatis exhibetur, quatenus verè, vel iuris fictione diuinis officijs in Choro pro sui muneris qualitate inseruientes intersint,

situr, in qua definitioid sex sunt particulæ: prima est, *stipendium* quæ ponitur loco generis, cum distributiones sint veluti quoddam salarium diurnum, quod Canonicis, alijsq; Ecclesiarum Collegiatarum Clericis ratione laboris, & seruitij impensi in Domini vinea circa officium Diuinum debetur, & redditur. Secunda est *Diurnum*, quæ ponitur non solùm, quia distributiones dietim distribuantur, verùm etiam quia ijs conferuntur, qui quotidie singulis horis Ecclesię, & Choro assistunt, non additur *nocturnum*, licet distributiones dentur etiam pro nocturnis horis, siuè quia plures sunt horæ diurnæ, quam nocturnæ, siuè quia denominari potest à die non artificiali, sed naturali, qui noctem quoque comprehendit. Tertia est, *Quod Ecclesiarum Collegiatarum, vel Cathedralium beneficiatis exhibetur*, quæ ponitur ad explicandum genus personarum, quibus distributiones conferuntur. Quarta est, *quatenus diuinis officijs intersunt*, quę ponitur ad ostendendam rationem, & causam formalem, ob quam hæ distributiones Clericis Ecclesiarum, Collegiatarum, vel Cathedraliũ conferuntur: nimirùm vt diuinis officijs in Ecclesia intersint, & ideò non posse beneficiarios distributiones percipere, si in loco, vbi situm est beneficium assiduè resideant, nisi etiam diuinis officijs intersint Ecclesiæ inseruientes. Quinta est *verè, vel iuris fictione*, quæ ponitur ad significandum, quod non solùm dantur distributiones beneficiatis qui verè, & realiter, & personaliter diuinis officijs intersunt, sed etiam ijs, qui iure habentur, ac si interessent, quales sunt infirmi, vel senio confecti, vel absentes ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem, aut propter Ecclesiæ vtilitatem, vt habetur *in cap. vnico de Clericis non residentibus*. Sexta, & vltima particula est *pro sui muneris qualitate inseruientes*, quæ ponitur ad insinuandum: primò, quod in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali maiorem habet dignitatem, maiores quoque debet habere distributiones, vt docet Abbas *in cap. cum olim in 6.* Secundò ad significandum, quod ad lucrandum distributiones non sufficit diuinis interesse, seu Choro personalem corporis pręsentiam exhibere, sed debent etiam in celebrandis diuinis officijs Ecclesiæ inseruire, ac ministerio eorum celebrationi, & altari exhibere.

Quo iure introductæ sunt distributiones?

BRACTEA II.

RPRIMO Distributiones non esse introductas iure naturali, vel diuino. Ratio est, quia ex nullo scripturę loco, vel Ecclesię traditione, vel Patrum testimonio distributionum vsum habemus; ergo distributionum vsus non est de iure diuino, cum Deus ius suum positiuũ aliquo scripturæ testimonio, vel Apostolica, & Ecclesiastica auctoritate, vel Patrum indicare consueuerit; tum etiã quia sequeretur non posse Summum Pontificem dispensare, vt quis distributiones tempore absentię sumere posset, ac proinde si dispensaret, nulla esset dispensatio, cum Romanus Pontifex in iure naturali, & diuino dispensare nequeat. Idcirco.

R. 2. Distributiones iure humano Ecclesiastico introductas esse, vt colligitur *ex cap. licet de præb. cap. fin. de concess. præb. cap. de cætero, cap. vnico de Clericis non residentibus*, & colligitur ex Tridentino *sess. 21. cap. 3.*

Sciendum distributionum vsum introductũ esse ad manutenendum, & augendum cultum Diuinum, vt patet ex Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 3.* his verbis; *Cum beneficia diuinum cultum, atque Ecclesiastica munera obeunda sint instituta, ne in qua parte diminuatur diuinus cultus Sancta Synodus statuit.* Vnde sicut homines amore premij facilius trahuntur ad obsequium aliquod præstandum, ita beneficiati spe lucrandi distributiones ad interessendum diuinis officijs in Ecclesia alliciuntur. Nauarrus *tract. de orat. cap. 18. num. 8.*

An distributiones quotidianæ possint absentibus, & non residentibus dari?

BRACTEA III.

SCIENDVM nomine distributionum, intelligi eas pensiones pecuniarum, quę dantur quotidie beneficiatis, ex eo quod intersint statutis horis officijs diuinis, quę ab aliquibus vocantur portiones quotidianæ, quia pro rata portione conferuntur quotidie inseruientibus diuinis officijs *cap. Dilect. 1. de præb.* aliquando dicũtur vestuaria, aut victualia, quia faciũt ad quotidianum victum, & vestitum eorum, qui diuinis intersunt *cap. vnico, & cap. de Clerico non residente*, dicuntur etiam sportulę, ædiaria, sumpta similitudine à donis, & muneribus, quę quasi dietim Iudicibus occasione sui officii transferuntur, vt colligitur *ex Durando de ritibus lib. 3. cap. 25. num. 4.* aliquando veniunt nomine emolumenti beneficiorum, seù Prębendarum, sunt enim quoddam commodum, seù vtilitas, quę suscipitur ex beneficiis. Ita apud Monetam *de distione 1. par. quæst. 7. num. 14.* veniunt etiam nomine beneficii manualis iuxta probabilem nonnullorum Doctorũ sententiam. *in cap. Olim de verbor. significat. & cap. vnico de Clerico non residente.*

Sciendũ 2. cõditiones aliquas requiri, vt quis possit percipere distributiones; primò requiritur, quod titulum habeat, & possessionem beneficii. Ratio est, quia ius ad distributiones acquiritur ratione beneficii, is autem non dicitur beneficium habere, qui nondum adeptus est titulum, & possessionem ipsius. Ita definiuit *Rota in vna Carthaginensi, fructuum, Aprilis 1612.* Secundò, quod sit talis ætatis, vt intra annum promoueri queat ad ordinem, quem ipsius beneficium postulat. Ratio est, quia non potest quis ad beneficium admitti, nisi eam ætatem habeat, vt intra annum possit ad ordinem illi beneficio adnexum promoueri, alioquin collatio beneficii est inualida; vnde sequitur habentem Canonicatum, cui annexus est ordo Sacerdotalis non posse ad distributiones admitti, nisi vigesimumquartum annum attigerit: similiter si Canonicatui annexus est ordo Diaconatus, iudicari non debet habilis ad distributiones, nisi vigesimumtertium annum inchoauerit, & sic cęteris. Quibus positis.

R. Ius percipiendi distributiones solùm cõpetere illis Clericis, qui diuinis officiis in suis Ecclesiis intersũt, & inseruiũt iuxta sui tituli statuta, seu cõstitutiones, aut Superioris dispẽsationẽ, vel dispositionẽ. Ita *ex cap. vnico de Cler. non residente in 6. & ex cap. Licet de præb. ex Clement. vt ij, qui de*

ætate,& qualitate,ex extrauag.21.quæ incipit.Cum nonnullæ §.Prætrea de preb.& ex Tridentino *sess. 21. cap. 3. & sess. 24. cap. 12.*

Sciendum 3. quod, vt dictum est, vt quis possit percipere distributiones; requiritur, vt intersint diuinis officiis, & sint ad distributiones admissi, & ideò distributiones non acquiri à quolibet Canonico post adeptam beneficii possessionem, nisi ad residentiam sit admissus, & Choro intersit. *ex cap. vnico de Clerico non residente*. Secundò, non sufficere ad percipiendum distributiones nudam, & solam præsentiam, sed opus esse, vt deuotè recitent Officium, & personaliter cantent. Ratio est, quia distributiones non dantur ob meram præsentiam, sed præcipuè propter seruitium, quod est in Ecclesia psallendi. Et ita Layman *cap. 7. de Ecclesiast. beneficijs num. 6. & cum eo plures citati*. Tertio requiri, vt etiam præstent ea munera, quæ vniuscuiusque beneficiũ postulat. Ratio, quia ad percipiendas distributiones non sufficit assistentia, & simplex decantatio diuini officii, sed opus est, vt ea præstentur, quæ beneficium postulat.

R. 2. Ius percipiendi distributiones solùm competere his, qui intersunt verè, ac realiter diuinis officiis, vel saltem fictione iuris; & ideò Canonicum non lucrari distributiones, qui nõ intersit diuinis officiis, vel si intersit, non cantat attentè; vnde Canonicus obligatur ad restitutionem distributionis, qui dum alii canunt diuinum officium, ipse in Choro dormit, vel confabulatur, vel aliud quid simile facit. Ratio, quia distributiones non conferuntur ob solam meram præsentiam, sed ob formalem, & humanam ad diuinum officium; qui autem cõfabulatur, vel dormit, vel, &c. dicitur solùm præsens materialiter, non autem formaliter & humano modo.

Sciendum 4. quod vbi consuetudo viget, vt Canonici substitutos sibi cantores habeant, sufficit eorum præsentia ad lucrandas distributiones, dummodo horas priuatim recitent. Ita Suarez *lib. 4. de horis cap. 12. num.* 11. Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 6.* Petrus Nauar *lib. 2. cap. 2. num.* 117. Lessius *cap. 34. num. 185* Ratio, quia in eiusmodi Ecclesiis distributiones Canonicis dantur, non ob canendum officium, sed ob præsentiam moralem.

An qui habet dignitatem, & Canonicatum in aliqua Collegiata interessendo Diuinis Officijs, acquirat vnam tantum distributionem, vel binas etiam non assistendo vnam, aut binas amittat?

BRACTEA IV.

R. Præcisa dispensatione, vel consuetudine non posse duplices distributiones vnã correspondentem dignitati, & alterã Canonicatui percipere. Ratio est, quia (vt dictũ est) distributiones dãtur, & propter assistentiã, & propter seruitiũ, quod debet impendere in Ecclesia: cũ autem vnico actu quis non possit duplici obligationi satisfacere, nisi legislator aliter intendat, idcircò neque Canonicus potest ob vnam physicam, & moralem residentiam duas distributiones percipere; tum etiam quia distributiones veniunt nomine alimentorum: sed alimenta non iterantur; ergo neque duplices distributiones obtinebit, qui simul est Archidiaconus, & Canonicus, vel qui duos simul habet Canonicatus; tũ etiam quia est conclusio definita à Sacra Congregatione apud Garziam *3. par. de beneficijs cap. 2.* quæ declarauit obtinentem legitimè duas dignitates debere in digniori loco residere, & posse fructus prębẽdę dignitatis percipere, non tamen quotidianas distributiones, quę illi responderent. Dixi præuia dispensatione, vel consuetudine, quia per dispensationem, & consuetudinem posse Canonicum, qui simul est, v. g. Archidiaconus, & Canonicus percipere binas distributiones; quod possit ratione dispensationis, patet, quia Summus Pontifex in hac re dispensare potest, tum etiam quia Superior dispensare potest, quod quis vno, & eodẽ actu pluribus obligationibus satisfaciat. Quod etiam possit fieri per consuetudinem patet etiã; Ratio est, quia quod potest fieri per dispensationẽ, potest etiam per consuetudinem introduci: sed vt dictum est, Canonicus ob dispensationem potest percipere binas distributiones; ergo etiam per consuetudinem potest eas recipere. Ita Cõuar *lib. 3. variar. cap. 13. num. 6.* Quod si dicatur, quantum temporis requiratur ad introducendam talem consuetudinem, quę vim legis habeat.

R. Requiri spatium quadraginta annorum. Ratio est, quia ad præscribendũ cõtra ius commune requiritur spatiũ quadraginta annorum, seu ad introducendam consuetudinem contra ius commune: cum autem talis consuetudo sit contra ius cõmune, idcircò ad eam requiritur spatium quadraginta annorum, vt vim legis habeat.

In quibus casibus Canonicus absens possit percipere distributiones?

BRACTEA V.

R. Primo absentem causa infirmitatis posse percipere distributiones etiã præcisa consuetudine, & etiamsi propria culpa infirmitatẽ contraxerit. Ita colligitur *ex cap. Clericus vidlum 91. dist. ex cap. 2. de Clerico ægroto, cap. Consuetudinem, & ex cap. vnico de Clerico non residente.*

Sciendum non quamlibet infirmitatem excusare ab obligatione interessendi diuinis officijs, vt distributiones lucretur, sed solummodo quando abest ex causa grauis infirmitatis. Ratio est, quia infirmitas excusat, dum infirmus ob morbum interesse non potest, cum autem non quilibet morbus efficiat, vt interesse non possit, sequitur, non quemlibet morbum sufficere ad excusandum absentem, morbum grauem illum appello, non solum qui absolutè grauis est, verùm etiã qui absolutè leuis est, sed accessu ad Chorum grauis efficeretur, similiter illum morbum esse grauem, qui iudicio prudentis Medici excusat à recitatione diuini officij, & in hoc standum est consilio prudentis Medici.

§. 6.

An Canonicus infirmus, qui ante infirmitatem Choro assistere non solebat, possit nunc tempore infirmitatis distributiones lucrari?

BRACTEA VI.

AFFIRMATIVAM sententiam tenet Petrus Nauarra *lib. 2. de restitut. cap. 2. dub. 3.* Ratio ipsius est, quia mutata voluntate poterat interesse, tum quia *in cap. vnico* absolutè excipi videtur casus infirmitatis, & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; tum quia non est addenda afflictio afflicto. His non obstantibus.

R. Negatiuè; & ratio est, quia hic non præsumitur abesse ob infirmitatem, cum iam assueuerit abesse, & infirmitas in isto casu nō potest dici causa per se absentiæ, sed solummodo causa per accidens, cum iam tempore sanitatis in Ecclesia inseruire non solebat. Et ita Siluester *verbo beneficium 5. quæst. 3.* Couar. *lib. 3. variar. cap. 13. num. 8.* Azorius *lib. 3. quæst. 11.* Vasquez *de beneficijs cap. 4. dub. 3.*

An absens à Choro ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem, possit distributiones recipere?

BRACTEA VII.

R. PRIMO absentem à Choro causa acquirendæ sanitatis, vt v. g. quando de consilio Medici Vrbe egreditur ad Balnea, vel vt salubriore aere perfruatur posse percipere distributiones. Ratio est, quia hic dicitur abesse ob corporis necessitatem, cum vt viribus roboretur, vrbe egreditur, & abest Choro. Vnde qui de consilio Medici domo nō egreditur ob valetudinis amittendæ periculum, posse distributiones accipere, quia dicitur abesse ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem; sicut etiam qui domi se continet causa sumendæ medicinæ, aut quia debilis est in cruribus, seu tibijs; ita vt non possit in Ecclesiam conuenire. Similiter qui ob cantum nimirùm defatigatus aliquātis diebus se retrahit à Choro, vt spiritus assumat, seque quantum fert, necessitas recreet. Ita Nauar. *de horis canonicis cap. 69.* & Moneta *par. 2. quæst. 5. num. 50.* Item qui ob graues inimicitias interesse diuinis officijs non valet, modò per ipsum non stet, quominus huiusmodi inimicitiæ è medio tollantur, & qui ita senio confectus est, vt diuinis officijs commodè interesse non possit, quibus aliàs interesse consueuerat, quotidianas distributiones percipere posse, quia dicitur abesse ob rationabilem corporis necessitatem; sicut etiam qui iniustè in exilium mittitur, aut ab hostibus capitur, aut alio modo detinetur, quominus ad Ecclesiam se conferat, nec per ipsum stat, quin redeat. Ita Azorius *lib. 7. cap. 7. quæst. 10.* Graffius *2. par. cap. 15. num. 20.* & plerique alij; & ideo

R. Ex iusta, & rationabili corporis necessitate lucrari potest distributiones, quandiù necessitas durat, præcisa tamen consuetudine in contrarium. Et ita colligitur *ex cap. Vnico de Clerico non residente in 6.*

An Canonicus, qui fuit in carcerem coniectus, possit gaudere distributionibus pro tempore, quo in vinculis detinetur?

BRACTEA VIII.

R. NON posse gaudere distributionibus, si iustè ob crimen patratum sit in carcerem missus. Et ratio est, quia sua culpa abesse dicitur: secus verò si iniustè sit in carcere missus, & aliàs antea Choro adesse solebat, quia tunc iustè potest percipere distributiones. Ratio est, quia per ipsum non stat, quin Choro intersit, sed iniusta detentio carceris fuit causa non assistendi diuinis officijs. Quod intelligendum est etiam, si is iustè fuerit captus, carceratus, & tortus ex parte Iudicis, quia nimirùm ad id habuerit sufficientia indicia; secus dicendum est, si antea diuinis interesse non consueuerat, quia non præsumitur amisisse distributiones ob iniustam in carcere detentionem, sed potiùs præsumitur ob suam culpam.

Sciendum, qui metu pestis contrahendæ ab Ecclesia recedit, posse distributiones percipere, cum absit ob corporis necessitatem, cum pestis sit acerrima contagio, & periculosa omnium labes: secus verò dicendum est, quando probabile periculum non imminet illius contrahendæ, quia tunc non censetur abesse ob iustam, & rationabilem corporis necessitatem.

An irretitus aliqua censura Ecclesiastica possit percipere distributiones?

BRACTEA IX.

R. PRIMO iniustè, seu inualidè excommunicatum, suspensum, vel interdictum non amittere distributiones, si antea diuinis officijs interesse consueuerat. Ratio est, quia dicitur abesse ob rationabilem necessitatem, cum periculum sit, vt grauetur grauioribus pœnis interessendo diuinis officijs; tum quia vbi non est culpa, ibi non debet esse pœna *cap. Sicut dignum de homicidio*; priuatio autem distributionum est pœna; ergo, &c. Ita Henriquez *lib. 13. cap. 13. num. 4.* Rodriquez *1. par. cap. 29.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 13. sect. 2. num. 20.* & alij.

R. 2. Iustè excommunicatum priuari distributionibus, quandiù diuinis officijs cum alijs amisit. Ratio est, quia non dicitur abesse ex iusta, & rationabili causa, sed ob delictum, ob quod excommunicatus, suspensus, vel interdictus est, quod etiam dicendum est, etiamsi absolutionem petat, & denegetur. Ratio, quia denegatio absolutionis non tollit effectum excommunicationis. Ita Gonzalez *ad regul. 8. gloss. 5. §. 9. num. 223.* & alij. Secus dicendum erit, si absolutio iniustè denegetur. Quod idem dicendum erit, si toleretur ab Ecclesia; & ratio est, quia beneficium datur propter officium *cap. fin. de rescriptis in 6.* hic autem officium suum præstat; tū etiam, quia cum toleretur ab Ecclesia eius ministerium, est Ecclesiæ vtile, ac si exhiberetur à Ministro non excommunicato, suspenso, vel interdicto.

An

An Canonici tempore cessationis à Diuinis percipiant distributiones?

BRACTEA X.

R. Si tempore cessationis à Diuinis nequeunt recitare diuina officia non posse etiam distributiones percipere. Ratio est, quia distributiones non dantur, nisi illis, qui diuina officia recitant in Choro, tempore autem cessationis à Diuinis Canonici diuina officia nō cantunt; ergo, &c. Tum quia sic fuit declaratum à Gregorio X. *cap. Si Canonici §. statuer. de officio Ordinary*, & ita Couar. *cap. Alma mater § 4. num. 7* Moneta *quæst. 16. num. 30.* & alij citati à Bonacina *de benefic. canon. disp. 2. quæst. 5. pun. 2. §. 3.*

An Canonici percipiant distributiones eo tempore, quo polluta remanet Ecclesia?

BRACTEA XI.

R. Percipere distributiones, licet Ecclesia, in qua celebrare consueuerunt polluta sit, & violata. Ratio, quia per illos non stat, quominus diuina officia in Ecclesia celebrentur, cum ipsis diuinis officijs assistere consueuerint, sed modò interesse non possint, eo quod in Ecclesia polluta diuina officia celebrari nequeant. Ita Moneta *2 pár. quæst. 16. num. 29* & alij.

Sciendum in sex casibus violari, seu pollui Ecclesiam. Primus est, quando in Ecclesia semē humanum voluntariè effunditur. Secundus est, quando intra eam sanguis humanus iniuriosè effunditur, vel quia intra ipsam datur causa huiusmodi effusionis. Tertius, quando Ecclesia per Episcopum publicè excommunicatum consecratur, aut benedicitur. Quartus, quando in Ecclesia excommunicatus vitandus sepelitur. Quintus, quando in ea sepelitur Paganus, vel Infidelis. Sextus, quando parietes Ecclesię nondum consecratę, sed tantummodo benedictę deijciuntur, & maiori ex parte simul destruuntur (vt alibi dictum est) vbi etiam fuit dictum, quod quando Ecclesia polluitur ratione delicti, non indiget noua reconciliatione, nisi quando delictum est publicum. Ita Nauar. *in manuali cap. 27 num. 256.* Toletus *lib 5. cap. 8. num 11.*

An irregularis, degradatus, vel priuatus beneficio priuetur distributionibus Ecclesiæ?

BRACTEA XII.

R. Irregularem præcisè ob irregularitatem non priuari distributionibus Ecclesię. Ratio est, quia irregularis potest assistere diuinis officiis, ob quę dantur distributiones. Dixi pręcisè, quia ratione alterius circumstantiæ incomitantis ipsam irregularitatem priuari potest distributionibus Ecclesiæ, vt quando per irregularitatem non potest exercere actum ordinis, cuius functioni aliquę distributiones respondeant, & tunc cum non possit exercere actum ordinis, non potest etiam percipere distributiones, quę ob exercitium illius actus ordinis dantur.

R. 2. Degradatum actualiter, seu realiter distributiones percipere non posse. Ita Couaruu. *2. var. cap. 13. num. 8.* Henriquez *lib 13. cap. 55.* Moneta *quæst. 3. num. 27.* & alij. Ratio est, quia actualiter degradatus caret omni beneficio, officio, & priuilegio Clericali in perpetuum absque spe illius consequendi, &c. *cap. Degradat. de pœnis in 6.*

1 Sciendum nō modò actualiter degradatum, sed etiam verbaliter degradatum nō posse percipere distributiones. Ratio est, quia etiam verbaliter degradatus caret beneficio, ratione cuius beneficiatus habet ius ad distributiones. *cap. Dilectus, & cap. Illorum de prębendis*. Verum tam actualiter degradatum, quàm verbaliter alendum esse ex distributionibus quoties ex fructibus beneficii, aut aliunde non habet, quo seipsum sustentare possit, ne cum dedecore status Ecclesiastici stipem mendicando quærere cogatur.

R. 3. Priuatum beneficio non habere ius ad distributiones. Ratio est, quia sublato principali corruit accessorium; titulus autem, & possessio pacifica beneficii est ratio, seu fundamentum, quo quis possit percipere distributiones; ergo, &c.

Sciendum 2. priuationem beneficii aliquando induci à iure ob crimina, quibus annexa est pœna priuationis ipso facto, vel pęna comminatoria priuationis futuræ, & aliquando induci per sententiam Iudicis condemnatoriam, quando pęna priuationis ipso facto contracta est ob delictum, cui annexa est ipso facto priuatio beneficii, licet beneficiatus non teneatur regulariter loquendo beneficium à se abdicare ante sententiam criminis declaratoriam, & famē subsecuta executione, retrotrahitur ad diem patrati delicti, consequenter beneficiatus priuatur fructibus, & distributionibus à die patrati delicti perceptis; ac si ab eo die lata esset sententia, nisi fortè Reus à sententia legitimè appellauerit; quando verò pœna priuationis non est ipso iure lata, sed ferenda, seu quando per Iudicis sententiam inducitur, Reus à die sententię, priuatur iure percipiendi fructus, & distributiones, quę ratione beneficii conferuntur, nisi fortè intra legitimum tempus appellauerit.

An absens in Ecclesiæ suæ vtilitatem, possit distributiones percipere?

BRACTEA XIII.

R. Posse percipere distributiones, dum abest in euidentem vtilitatem suę Ecclesiæ, dummodo alias interesse consueuerit. Ita *ex cap. Vnico de Clerico non residente*. Ratio est, quia qui abest pro seruitio suæ Ecclesiæ censetur residens in Choro; tum quia officium non debet alicui esse damnosum.

Sciendum, quod qui abest in Ecclesiæ suæ vtilitatem, & alias ad Chorum conuenire non solebat, nō potest percipere distributiones, cum absentia in vtilitate m Ecclesiæ non censeatur causa per se omittendis diuinum officium, sed solummodo causa per accidens.

Sciendum 2. idem dicendum esse de eo, qui abest propter euidentem necessitatem suæ Ecclesię,

clesię, vt v.g. tuenda iura Capituli, vel quia deputati sunt fabricæ ipsius Ecclesiæ, vel Sacristiæ posse distributiones percipere. Et ratio est, quia illi dicuntur abesse in vtilitatem propriæ Ecclesiæ; secus verò dicendum est de Canonicis administrantibus Collegia, Hospitalia, aliaque pia loca, quia isti licet rem vtilem Ecclesiæ suæ Ciuitatis facere videantur, tamen id non sufficit ad acquirendam distributionem in absentia; sed requiritur, vt prosequatur vtilitatem illius Ecclesiæ in specie, cui adscripti sunt. Garzias *par. 3. cap. 2. num. 354.*

Sciendum 3. dubium esse, an Canonicus, qui à Capitulo munus accepit ad negotia Ecclesiæ peragenda, quæ extra tempus diuini officij expedire poterat, distributiones lucretur, si ea tempore diuini officij expediat. Respondeo posse percipere distributiones, si ex Capituli mãdato non tenebatur negotia illa extra tempus diuinorum officiorum peragere. Secus verò dicendum, si habuerit mandatum exequendi illa negotia extra tempus diuini officij.

An qui tempore Diuini Officij detinetur in Confessione suorum peccatorum, possit distributiones percipere?

BRACTEA XIV.

R. Non posse. Ratio est, quia dum confitetur sua peccata non dicitur abesse, ob euidentem suæ Ecclesiæ vtilitatem, vel infirmitatem, aut iustam, & rationabilem corporis necessitatem; tum quia non est eo tempore necessitas cum ante, vel post confiteri possit: secùs verò dicendum si deputatus erit à Capitulo tempore officij ad audiendas Confessiones accedentium ad Ecclesiam, vt censetur deputatus Pęnitentiarius, qui ex Tridẽtino *sess. 24. cap. 8.* dum Confessiones in Ecclesia audit, præsens in Choro censetur, & consequenter distributiones percipere potest. Secùs verò dicendum est, si domi audiat, & extra Ecclesiam excipiat Confessiones, aut priuatim officium recitet in Confessionali tempore officij, quia ex Concilij Tridentini decreto eas solum lucratur dum in Ecclesia confessiones audit.

Vtrum absens in seruitio Papæ distributiones lucretur?

BRACTEA XV.

R. Præciso priuilegio non lucrari distributiones. Ratio est, quia non dicitur abesse in vtilitatem propriæ Ecclesiæ, nec vllo iure constat huic distributiones concedi. Ita Panormitanus *in cap. cum Dilectus* Macignus *cap. 17. num. 124.* Garzias *de beneficijs 3. part. cap. 2. n. 385.*

Sciendum, quod qui abest ab officio, in seruitio Cardinalis, nec fructus beneficij, nec quotidianas distributiones lucratur, nisi ex speciali priuilegio, vt Ioannes Andreas Abbas & cæteri in *cap. Cum dilectus* resoluunt; qui verò abest in seruitio Cardinalis legati potest percipere fructus sui beneficij, non autem distributiones quotidianas. Ratio primæ partis est, quia qui inseruit legato inseruit Papæ, & qui inseruit Papæ, potest percipere fructus beneficij, licet non possit percipere distributiones, nisi ex priuilegio. Ratio secundę partis est, quia non dicitur abesse propter vtilitatem Ecclesię, tùm etiam quia sicut, qui inseruit Papæ, non potest percipere distributiones, nisi ex priuilegio, ita neque etiam, qui inseruit Cardinali legato.

Sciendum 2. quod qui abest ab officio diuino in seruitio Principis sæcularis, non potest distributiones percipere. Ratio est, quia non dicitur abesse in vtilitatem Ecclesiæ: immò nec potest percipere fructus beneficij, quia commorando in seruitio Principis, non dicitur residere, & non residens non potest fructus lucrari. Ita Moneta *part. 2. quæst. 9. num. 25.*

R. 2. Canonici, qui absunt ab officio Chori, quia sunt cum Episcopo tempore diuinorum officiorum in vtilitatem propriæ Ecclesiæ possunt percipere distributiones, vt si absint in his casibus, in quibus ex consuetudine, vel ex iure Capitulum aliquos Canonicos eligit, vt comitentur Episcopum in negotijs peragendis, vt ipsi consilia suppeditent, alios verò Canonicos, qui in seruitio Episcopi existunt, & ipsum concomitantur, dum Diœcesim visitat, aut cum Missam extra propriam Ecclesiam auditurus est, non acquirere distributiones, quia non dicuntur abesse in euidentem Ecclesiæ vtilitatem. Et ita colligitur ex *cap. de cętero, & ex cap. ad audientiam de Clerico non residente,* in quibus iuribus absenti in seruitio Episcopi conceduntur fructus, non verò distributiones quotidianæ.

An Canonicus Theologus, & alij Canonici examinatores synodales lucrentur distributiones pro tempore, quo ob Officiorum onera sustinenda absunt?

BRACTEA XVI.

R. Primo Canonicum Theologum obtinẽtem præbendam Theologalem non posse præciso priuilegio percipere distributiones, si absit à Choro pretextu lectionis, aut concionis parandæ. Ratio est, quia non dicitur abesse in vtilitatem Ecclesiæ, nisi solum remotè quatenus parat se ad seruitium Ecclesiæ, & potius inseruire dicitur vtilitati communitatis illius loci, quam propriæ Ecclesiæ. Excipiuntur tamen ab hac regula dies, quibus Theologi in suis Ecclesijs legunt, quia illis diebus tamquam assistentes diuino officio censentur, vt declarauit Gregorius XIII. An verò censeatur præsens pro toto die, an solum pro aliqua prius parte, seù pro aliquibus officijs. Respondeo, censeri præsentem, quoad distributiones pro toto die iuxta declarationem Sacrę Congregationis, licet alibi extent priuilegia Theologis concessa circà receptionem distributionum.

R. 2. Canonicos examinatores non posse percipere distributiones pro eo tempore, quo absunt à diuinis officijs examinandi causa. Ratio est, quia immediatè non dicuntur abesse in vtilitatem Ecclesiæ, sed solummodo mediatè, & remotè, nisi alibi ex priuilegio aliter concessum sit.

An

An qui simul est Canonicus, & Vicarius Episcopi possit distributiones percipere, dum tempore diuinorum officiorum Vicarij munere fungitur?

BRACTEA XVII.

R. Posse quidem recipere fructus sui beneficij, sed non posse percipere distributiones. Ratio est, quia non dicitur abesse ob vtilitatem suæ Ecclesiæ, sed illius tantum, cuius est Vicarius.

Sciendum idem etiam dicendum esse de Canonico, qui simul est Capellanus, qui celebrat in Ecclesia collegiata, dum officia diuina celebrantur non posse percipere distributiones: quia non dicitur abesse ab officio in euidentem suæ Ecclesiæ vtilitatem, sed in vtilitatem propriam. Secùs verò dicendum est, si iussu Superioris celebret, dum officia diuina peraguntur, & ita declarauit Sacra Congregatio in hunc modum, *Canonici, qui extrà Chorum celebrantes, licet etiam ex causa deuotionis celebrent in eadem Ecclesia non censentur præsentes, si autem celebrent ex iussu Superioris habentur pro præsentibus.* Quod etiam dicendum est, de Canonico curato, qui dum officia diuina peraguntur, abest, vt inseruiat curæ animarum. Ratio est, quia non inseruit Ecclesiæ, & ita definitum est à Pio V. *in Constit. 64. quæ incipit Cupientes*: quod tamen intelligendum est, modo non adsit priuilegium Summi Pontificis, vel legitima consuetudo in contrarium. Ita Moneta *part. 2. qu. 11. num. 71.*

Vtrum qui abest causa studij, possit percipere distributionem?

BRACTEA XVIII.

R. Canonicum absentem causa studij ab Horis Canonicis non posse percipere distributiones. Ratio est, quia non dicitur abesse in euidentem suæ Ecclesiæ vtilitatem, cum non constet, an beneficio sit inseruiturus ob mortis periculum, vel ob beneficij resignationem, vel permutationem: & sic colligitur ex *cap. licet de præb. & ex declarationibus Sac. Congregat. ad sess. 21 cap. 1.* Quod tamen limitatur modo beneficium habeat fructus distinctos à distributionibus, quia si distributiones non sunt distinctæ à fructibus, poterit absens causa studij percipere distributiones. Ratio est, quia distributiones succedunt in locum fructuum, cum beneficium nullos alios fructus habeat præter distributiones, & dum etiam non adsit consuetudo in contrarium.

Sciendum dubium esse, an qui abest causa studij teneatur Vicarium in sui locum tempore absentiæ subrogare, vt oneri beneficij satisfaciat. Ad quod respondeo cum distinctione, vel absens causa studiorum curam animarum, aut iurisdictionis exercitium habet, vel solum habet beneficium simplex sine cura animarum, aut alia iurisdictione, quod si habet beneficium cum cura animarum, aut alio onere, quod per alium adimpleri possit debet Vicarium in sui locum substituere, quia par non est, vt cum damno aliorum beneficij fructibus fruatur: Si verò habeat solum simplex beneficium, solum habens Chori obligationem non tenetur subrogare alium. Ratio est, quia ex nullo iure colligitur huiusmodi obligatio in habente beneficium simplex.

An priuilegio, & consuetudine induci possit, vt absentes perfruantur distributionibus?

BRACTEA XIX.

R. Primo, ex priuilegio Summi Pontificis potest absens distributiones lucrari. Ratio est, quia sicut ex priuilegio Concilii Tridentini possunt Canonici abesse per tres menses, absque iactura fructuum; ergo possunt etiam ex priuilegio abesse, & distributiones percipere; tum etiam, quia Summus Pontifex potest dispensare in iure humano, sed distributiones iure humano introductæ sunt; ergò, &c.

R. 2. consuetudine introduci posse, vt distributiones absentibus dentur. Ratio est, quia sicut consuetudine induci potest, vt quis in absentia fructus sui beneficii acquirat, ita etiã induci potest, vt quis in absentia distributiones percipiat; tum etiam quia per consuetudinem induci potest illud, quod ex priuilegio potest induci; cum autem dictum sit ex priuilegio potest quis acquirere distributiones, id etiam dici potest de consuetudine, quod scilicet possit inducere ius ad percipiendas distributiones, quod intelligendum est de consuetudine ex rationabili causa inducta, aut cum consensu saltem tacito Summi Pontificis. Ita Garzias *3. part. cap. 2. num. 197.* Couar. *3. variar. cap. 13. num. 2.* Cardinalis Tuscus *tom. 2.* Macignus *cap. 71. num. 18.*

An distributiones, quas Canonici amittunt ob absentiam à diuinis Officijs, præsentibus accrescant?

BRACTEA XX.

R. Quod distributiones quotidianæ propriè sumptæ, quæ constituuntur ex communibus beneficiorum fructibus debentur aliis Canonicis, qui Diuinis Officijs intersunt, dummodo aliter per consuetudinem non sit receptum. Ita colligitur *ex cap. vnico de Clerico non residente, & ex Concilio Trident. sess. 21. cap. 3.* in quo dicitur distributiones inter ipsos interessentes diuidendas esse; ergo distributiones absentium accrescunt interessentibus, & ita Couar. *3. var. cap. 13. num. 7.* Gutier. *lib. 1. Canon. quæst. num. 106.*

Sciendum distributiones esse in duplici differentia, ordinarias, & extraordinarias: ordinarias, vt dictum est diuidendas esse assistentibus diuino officio: extraordinarias verò applicandas esse fabricæ Ecclesiæ, & non alijs canonicis, vel etiam in alios vsus pios. Ita Philiarcus *tom. 1. cap. 14.* Naldus *verbo D. officium nu. 13.* & alij. Ratio est, quia hæc videtur rationabilis, & præsumpta Domini voluntas conducens ad debitum Ecclesiæ cultum, cum enim Ecclesia debito cultu fraudata sit, par est, vt portio non interessentium in eiusdem Ecclesiæ vtilitatem

tem applicetur; dum alijs interessentibus non debeat iure accrescendi; vel non accrescendi Ita Conar. loco cit. Gutier. lib. 1. Canon. quaest. cap. 12 num. 117. Moneta de distributionibus 3. part. qu. 6. n. 361 Rebuffus §. distribut. & alij. Dixi etiam si aliter per consuetudinem non sit receptum; quia non implicat per consuetudinem induci, vt distributiones absentium quae interessentibus accrescerent tribui debeat Ecclesiae, vt docent plures apud Macignum cap. 71. num. 148.

Sciendum 2. dubium esse, an distributiones absentium non modo cedant actu interessentibus, sed etiam alij, qui iurisdictione censentur interessentes, vt sunt, qui absunt ex causa infirmitatis, vel ob Ecclesiae vtilitatem, &c. Ad quod respondeo deberi solummodo actu interessentibus, vt constat ex cap. vnico §. statuimus Ratio est, tum quia Sacra Congregatio declarauit distributiones absentium applicandas esse deseruientibus, vt refert Garzias 3. par. de benefic. cap. 2. num. 165. ac qui ob infirmitatem, vel ob Ecclesiae suae vtilitatem, &c. abest Choro, non deseruit, licet iurisdictione interesse censeatur; ergo, &c. Tum quia priuilegium absenti concessum praeiudicet cultui Diuino, consequenter stricte explicatur, & non extenditur ad distributiones aliorum Canonicorum, sed ad Missam pro rata sibi debita, si interesset alijs non interessentibus.

An vetita sit distributionum remissio?

BRACTEA XXI.

SCIENDVM esse differentiam inter remissionem, donationem, & collusionem, nam remissio est simplex donatio eorum, quae nobis debentur, sed non sunt in potestate, & dominio nostro, sed potius sunt penes debitorem; donatio est spontanea, & voluntaria datio eorum, quae possidemus; collusio verò est conuentio inter duos importans mutuam condonationem, seu remissionem mulctae. Quibus positis.

R. Non esse licitam remissionem factam absenti ab alijs, quibus ob assistentiam in Choro distributiones accrescunt. Ratio est, quia per eam derogatur cultui Diuino, & legi Canonicae, cum huiusmodi remissio vetatur, vt constat ex textu cap. vnic. de Clerico non residente, & ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12.

Sciendum 2. quod si huiusmodi remissio fiat, non modo est illicita, verum etiam inualida. Ratio est, quia Concilium Tridentinum loco cit. absolute excludit quamlibet remissionem, & distributionibus priuat quoscunque non interessentes, & ideo si quis accipit tales distributiones eas in foro conscientiae non potest retinere, sed obligatur ad restitutionem. Ratio est, quia nullus retinere potest id, ad quod acquirendum incapax, & inhabilis effectus est: absens autem videtur incapax effectus ex Concilio Tridentino cit. ad acquirendas distributiones; ergo, &c. Quod etiam intelligendum est, non modo quando remissio est rei praesentis, verùm etiam quando est de praeterito.

R. 2. Non esse inualidam donationem factam ab eo, qui distributiones iam accepit pro se, & postea liberè sine dolo, metu, & alia coactione ex charitate, & beneficio reddit eas restituenti. Ratio est, quia Concilium Tridentinum solùm prohibet remissionem, non autem donationẽ; & licet lato modo remittere, & donare videantur paria, tamen propriè differunt; quia remittere est condonare illud, quod speramus, sed nondum habemus, at donare est spontaneè, & voluntariè dare illud, quod possidemus. Tum etiam quia Beneficiatus est Dominus distributionum, & eas in vsus pios expendere potest.

R. 3. Collusionem circa distributiones non esse licitam, neque validam. Ratio est, quia Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reformat. expressè eam prohibet.

An Canonicus absens absque legitima causa, teneatur distributiones restituere ante Iudicis sententiam?

BRACTEA XXII.

R. AFFIRMATIVE; & constat ex cap. vnico de Clerico non residente, & ex Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. Ratio est, quia poena ipso iure lata, quae ad sui executionem nullam hominis actionem requirit, subeunda est ante sententiam Iudicis, sed poena amissionis distributionum non acquisitarum non requirit hominis actionem, cum distributiones non reperiantur apud Canonicum, qui Diuinis non interfuit, tum quia datum ob causam non potest retineri causa non subsecuta, ita dictante lumine naturae, sed distributiones dantur propter interessentiam diuinis officijs; ergo non subsecuta interessentia retineri non possunt, & per consequens ante Iudicis sententiam sunt restituenda.

MALLEATIO XXXII.

De priuilegijs Clericorum.

Quot sint priuilegia Clericorum, & de priuilegio Canonis?

BRACTEA I.

R. PLVRIMA esse, quae omnia Concilium Tridentinum in sess. vlt. cap. 20. de reformatione innouat; reuocantur verò ad duo genera; nam quaedam sunt spiritualia, quae cum spectet ad ius Canonicum, dici solent priuilegia Canonis; quaedam verò temporalia nempè immunitates, & exemptiones à iudicijs muneribus, & oneribus ciuilibus, quae ex eo, quod spectent ad forum ciuile, dicuntur priuilegia fori: prioris generis quaedam ad bonorum acquisitionẽ spectant, vt quod soli Clerici possint beneficia Ecclesiastica habere cap. Cum adeo de de rescriptis, & ex cap. Litteris de transact. & ex cap. 2. institut. Item quod soli possint habere officium Ecclesiasticum, vel iurisdictionem, seu potestatẽ aliquid statuendi in Ecclesia. ex cap. in noua act. & ex cap. Non placuit 17. quaest. 7. & ex cap. Decernimus de iudicijs: quaedam autem spectant ad malorum depulsionem, vt illud, quo in cap. Si quis suadente Diabolo 17. quaest. 4. subijcitur is excommunicationi, qui in Clericum violentas manus iniecerit.

Poste-

Posterioris verò generis sunt illa, quibus eidem censuræ, alijsque pœnis subijciuntur, qui derogant Clericorum priuilegijs, & immunitatibus.

Sciendum non esse liberum Clericis renunciando talibus priuilegijs se subijcere Laico Iudici. *ex cap. Si diligenti de foro competenti*, vbi ratio tangitur, quod ea indulta sunt nō quidē personis priuatim cōcessa, sed cōmuniter toti ordini Clericali, neque priuatorum pacto derogatur iuri communi: vnde fit, vt talis renunciatio illicita sit, & inualida, etiamsi firmata sit iuramēto, quod non obligat, quoniam illa sine peccato seruari nequit *ex cap. Si diligenti*. Secundo proposita priuilegia nulla lege, vel consuetudine posse tolli sine Papæ auctoritate. Ita habetur *ex cap. Clerici de iudic.* Ratio est, quia tam lex, quā consuetudo irrationabilis nullā habet vim, & talis lex, vel cōsuetudo irrationabilis censenda erit ex eo, quod nequeat seruari sine peccato mortali, eoque tam graui, vt pro illo excommunicatio incurrenda sit imposita per caput *Nouerit de sententia excommunicat. & per Canonem 15. Bulla Cęnę Domini*; neque opponi potest legitima præscriptio, ex qua consuetudo iam acceperit, quia talis nequit hic locum habere. Ratio, quia primò debet in ea *ex cap. fin. de præscript.* esse bona fides, quam certum est abesse in casu proposito, in quo ageretur, & contra ius tam ciuile, quam Canonicum, & contra communem Ecclesiæ sententiam; debet præterea esse iustus titulus *ex cap. Si diligenti de præscriptionibus*, quem Laicus aduersus priuilegia Clericorum habere nō potest vsurpatione bonæ fidei, & longissimi tēporis, quoniam talis communi iuri repugnat, iniustaque est notoriè, ac proinde iustum titulum dare nequit; sunt autem plures casus, in quibus Clerici criminosi in iure Canonico illis priuantur, de quibus infra dicetur.

Quid intelligatur nomine Clericorum, Monacorum, aut per manus violentas in priuilegio Canonis, si quis suadente?

BRACTEA II.

R. Nomine Clerici intelligi initiatum prima Tonsura, aut aliquo ordine, etiamsi coniugatus sit; modò gerat aliquem habitum Clericalem, & Tonsuram, & non sit bigamus, bigamus enim priuatur priuilegio Clericali. *cap. Clericos dist. 21. & cap. Cum contingat de ætate, & qualitate. & cap. vnico de Clerico coniugato in 6.* hoc priuilegio non priuatur Clericus coniugatus, qui contraxit matrimonium cum virgine, quamuis deseruerit habitum, & Tonsuram, quæ postea reassumpsit; pœnitentia enim illi prodesse debet. Ita Siluest. *verbo excommunicatio 6. num. 4.* Nauar. *cap. 27. num. 79.* Coninchus *disp. 30. dub. 15. n. 175.* & alij.

Sciendum Clericos priuatos Clericali priuilegio esse. Primò, Clericus degradatus realiter. Secundò, Clericus incorrigibilis. Tertiò, Clericus, qui se ioculatorem, & c. faceret, si per annum exerceat huiusmodi munus, caput vnicum *de vita, & honest. Cleric. in 6.* Quartò, item Clericus, qui prætermissis diuinis officijs negotijs sæcularibus insistit, & ter monitus non resipiscit. Similiter Clericus, qui publicè, & personaliter exercet officium Macellarij, aut Tabernarij, si post trinam monitionem non destiterit, & si quidem coniugatus sit, omninò priuatur, siuè habitū ferat, & tonsuram siuè nō, si verò nō est coiugatus, tūc si nō defert habitū priuatur tātùm priuilegio in rebus, non in persona, ideoq; qui hunc percuteret, incurreret in hunc Canonem.

Sciendum 2. eum affici excommunicatione, qui percutit Clericum degradatum verbaliter tantum. Ratio est, quia talis adhuc gaudet priuilegio Canonis: similiter qui percutit Clericū irregularem, aut excommunicatum toleratum, aut vitandum, vel alia censura irretitum, quia non censetur amisisse priuilegium Canonis. Ita Molina *tom. 4. disput. 56. num. 12.* Nauarrus *cap. 27. num. 79.* Reginaldus *lib. 1. num. 212.* & alij. Item esse excommunicatum, qui percutit Clericum, qui post susceptionem Sacrorum Ordinum contraxit matrimonium. Ratio est, quia Clericus per contractum matrimonij non amisit priuilegium Canonis.

Sciendum 3. nomine Monachorum intelligi Religiosos professos, siuè non professos: item intelligi omnes Moniales. *cap. de Monialibus de sententia excommunicat.* tām professas, quām conuersas, etiamsi propriam professionem non emittant, & nouitias dummodo non viuant domi propriæ more Laicorum. *cap. Cum illorum de sententia excommunicat.* eodem etiam priuilegio gaudent Equites S. Ioannis, quia verè sunt Religiosi, & in communi viuunt, & votum solemne castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittunt. Ita Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 50. num. 5.* Sanchez *in summa lib. 4. cap. 16.* & alij. Reliqui verò milites commendatarij, qui non viuunt in congregatione, nec vota paupertatis, obedientiæ & castitatis emittunt non gaudent hoc priuilegio, quia verè non sunt Religiosi. Tertiarios Sancti Francisci, vel Dominici, qui domi viuunt extra Congregationem non gaudere tali priuilegio, etiamsi obseruent regulam Sanctorum Francisci, & Dominici, quia non sunt Religiosi: secus verò dicendum si se manciparint obsequijs alicuius approbatæ Religionis sub obedientia Superioris illius Religionis, quia tunc gaudent priuilegio canonis, quamdiu viuunt talis vita; quia pro illo tempore cēsentur Religiosi, & personæ Ecclesiasticæ, sicuti censentur nouitij: vnde illos homines, qui assumpto habitu religioso adhibentur ad seruitia, & obsequia monialium, & ad petendam pro ipsis eleemosynam gaudere hoc priuilegio, quod etiam extenditur ad Eremitas, qui in communitate viuunt, vel in aliqua cōgregatione gaudente hoc priuilegio, & etiam ad eos, qui viuunt in communi sub aliquo Prælato ex tacita, vel expressa Summi Pontificis licentia, quāuis in ea Religione non fiat possessio, qua censentur Religiosi. Ita Nauar. *cap. 27. num. 70* Molina *loco cit. disp. 50. num. 4.* Reginald. *lib. 1. nu. 214.* Coninch. *disp. 14. dub. 15. num. 164.* & alij. Quæ diximus de Eremita extendenda sunt ad reclusum sponte sua, vt totaliter vacet Deo, nam priuilegio præfato frui dicendum erit. Siluest. *v. excomm. § 3.* Angelus *eod verbo § 26.*

Sciendum 4. per manus violentas intelligi actionem iniuriosam contra Ecclesiastica personam immediatè consistentem in facto, & operibus, siuè actio fiat manibus, siuè pedibus.

Verum

Verum ad incurrendam excommunicationem per manus violentas oportet esse circumscriptam tribus subsequentibus conditionibus. Prima est, vt sit effectus violentus, & iniuriosus personæ Clerici, vel Monachi, seu quouis cōtra ius, quod vnusquisque habet in corpus suũ infertur tali personę in detrimentum grauis reuerentiæ, & honoris ei debiti, cuiusmodi effectum appellari manuum iniectionem, non quod manibus ipsum perfici necesse sit ad incurrendam excommunicationem, sed quia manus est potissimum membrum, quo tanquam instrumento in exteriori executione vtimur, à præcipuo modo, quo potest idem effectus perfici, nempè ministerio manuum, appellatur iniectio manuum violentarum in Clericũ, vel Monachum; cùm igitur non ille solus, qui manibus perficitur, sed etiam quilibet alius effectus illius generis causa sit sufficiens incurrendæ excommunicationis, idcircò eos hic inserimus.

Primò non tantum eum, qui Clericum manu, pugno, pede, ense, baculo, saxo, alioque corporis membro, vel instrumento externo percutit, sed etiam qui puluere, aqua saliua, aut alia huiusmodi re iniuriosè conspergit. Secundò, illum esse excommunicatum, qui rem aliquam violenter eripit è manibus Clerici, aut violentiam facit rebus adhærentibus Clerico, v.g. violenter iniiciendo manus in frænum equi, cui Clericus insidet, aut lacerando vestem Clerici, aut feriendo, aut frangendo frenum equi dum Clericus eo vtitur, aut ita insequendo Clericum, vt cogatur se præcipitem dare in fluuium ad sese eripiendum è manibus insequentis. Tertiò, illum incurrere excommunicationem Canonis, qui occidit Clericum per cibum, vel potum veneno infectum. Ratio est, quia huiusmodi actio, ita est violenta, vt dissoluat compositum, & ordinetur ad mortem: secus dicendum videtur de moniali grauida, quæ sibi propinat potionem mortiferam fœtus; nam ista actio censetur violenta fetui, non ipsi Moniali, nec videtur iniuriosa statui Ecclesiastico. Ita Auila *2. part. cap. 5. disput. 3. dub. 12.* Sayrus *lib. 3. cap. 23.* Quartò, subiici excommunicationi Canonis, qui illicitè Clericum detinet in carcere, vel in custodia publica siuè priuata, aut qui ponit custodes ad domum, qui Clericum exeuntem capiant, ita vt Clericus non possit liberè exire, nam hoc modo censetur violentiam in Clericum inferre per se, vel per alium, qui autem violentiam Clerico infert per se, vel per alium incurrit excommunicationem Canonis. Ita Nauarr. *cap. 27 num. 77.* Sayrus *lib. 3. cap 26. num. 13.* Suarez *disput. 22. sect. 1. nu. 29.* Qui verò verbis, aut etiam factis infert iniuriam Clerico, absque violenta manuum iniectione non subiicitur excommunicationi Canonis, sicut nec etiam qui Clerico dormienti, aut alias non sentienti surripit zonam qua cingitur, aut pallium, vel plenum quo tegitur, aut pecuniam, quam habet in marsupio, vel marsupium ipsum præcindat. Ratio est, quia in istis casibus non datur violentia redundans in personam Clerici, sed solum dolus, sicuti non subiicitur excommunicationi, qui per metum absque vlla vi, vel tactu cogit Clericum exire, nõ enim dicitur manus violentas in Clericum iniicere, cum solis verbis illum terreat.

Secunda conditio actionis est, vt fiat animo iniuriam inferendi Clerico, vel Monacho, vt patet ex verbis *Suadente Diabolo,* vt notat Panormitanus ad *caput. 1. & ad caput Si verò 2. de sententia excommun.* vnde percutiens Clericum iocosè, & non ex odio, vel inimicitia, siuè indignatione non incurrit excommunicationem, & quia ex *cap. Nemo Episcopor. 11. qu. 3.* oportet peccatum, ob quod excommunicatio maior incurritur mortale esse, dubitatur an ad incurrendam hanc excommunicationem sufficiat animus ille, seu affectu interior, cuius impulsu violetæ manus, iniiciuntur in Clericum, neque referat quid actu exteriori modica tantum violentia inferatur, vt vsuuenit cum quis ex odio mortali proiicit saxum in Clericum, & hunc leuiter tantum contingit, cui dubitationi respondeo, cum animus iniiciendi manus, ita peruersus est, vt mortale peccatum constituat iniectionem ipsam externam, etiamsi leuiter tantum contingat Clericum sufficientem esse posse ad eum, qui tali animo fuit, subiiciendum huic excommunicationi, si ea sic fiat, vt secundum moralem existimationem sufficiat ad grauem iniuriam contra honorem, & reuerentiam debitam tali personæ; neque ad incurrendam excommunicationem requiritur, vt corporis læsio notabilis, sic reipsa, quia vt dictum est conspuendo, aut puluerem iaciendo in Clericum (affectu scilicet, ita illicito, vt peccatum sit mortale) hanc censuram incurri, cum tamen Clericus ex illis externis actibus non accipiat notabilem corporis lęsionem. Ratio est, quia per actum externum, absque notabili læsione notabilis iniuria inferri potest statui Ecclesiastico, quod si iniectio ipsa manuum, absque notabili læsione, & absque notabili ignominia, quantumuis fiat animo mortali, locus datur excusationi. Ratio est, quia excommunicatione punitur tantum peccatum externum illudque mortale, ad quod constituendum leuis iniuria non sufficit.

Tertia conditio est, vt is circa quem proposita iniectio manuum exerceatur, idest patiens sit Clericus, vel Monachus, & quid intelligatur nomine Clerici, vel Monachi dictum est suprà, & non modo percutiens Clericum viuum incurrit excommunicationem, sed etiam qui percutit mortuum. Vnde qui violentas manus excipiunt in eorum cadauera eadem maiori excommunicatione Papæ reseruata ligantur Tolet. *cap. 32. num. 15.*

An possit assignari regula, ex qua regulariter cognoscere possimus, quando nam percussit Clerici, seù actio iniuriosè in Clericum, sit sufficiens ad excommunicationem?

BRACTEA III.

Illam iniectionem manuum, seu actionem iniuriosam in Clericum esse sufficientem ad incurrendam excommunicat. quæ iudicio prudẽtis seclusa excõmunicatione esset sufficiens ad peccatum mortale, & per consequens eandem esse sufficientem ad incurrendã excommunicationem positam ob violentam manuum

manuum iniectionem in Clericum, hæc enim supponit peccatum mortale. Ita Molina *disp.*51. *num.*8. Coninch. *disput.*14. *dub.*15. & alij.

Sciendum iuxtà Caietanum *de excommun. c.*10. & alios assignari hanc regulam, quoties actio est tam parua, & leuis, vt illata laico non videatur esse peccatum mortale, non sufficit ad incurrendam excommunicationem, quam regulam. Suarez *disp.*22. *sect.*1. *num.*27. ait non esse regulariter veram, quia potest dari casus, vt actio, quæ leuis est respectu Laici censeatur grauis, & valdè iniuriosa respectu Clerici, cõsequenter iudicio prudentis viri standum est in iudicanda grauitate actionis iniuriosæ.

An percutiens Clericum consentientem sit excommunicatus?

BRACTEA IV.

R. Quod quamuis Clericus consentiat in percussione sui ipsius percutiens incurrit excommunicationem, quoties percussit est iniuriosa. *Cap. contingit, & ibi* Abbas *num.*1. *&* 5. *de sententia excommunication.* Abbas *in cap. tua num.*1. Sayrus *lib.*3. *cap.*26. *num.*18. Caietanus *verbo excommunicatio cap.*10. Coninch. 24. *dub.*5. *num.* 178. Reginald. *lib.*1. *num.*209. & alij. Ratio est, quia Clericus in hoc casu consentire nequit cũ iniuria fiat toti ordini Clericali; tùm etiam quoniam non est eam lata in fauorem Clerici, quàm ordinis, & status Clericalis, vnde vt locum habeat, sufficit percussionem iniuriosam esse eidẽ Clericali statui, licet alicui Clerico voluntaria sit, & non violenta, quæ ratio datur *in c. contingit* 1. *de sententia excommunicationis*.

Sciendum dubium esse an Clericus consentiens in sui percussionem sit ipso facto excommunicatus. Ad quod respondeo negatiuè, sed ipsum esse excommunicandum, vt patet ex *cap. contingit*, vbi habetur verbum *Excommunicetur*, quod est verbum futuri temporis indicans censuram ferendam, non verò ipse iure latam. Ita Nauar. *cap.*27. *num.*77. Reginald. *lib.*1. *nu.* 222. & alij.

An Clericus iniuriosè seipsum percutiens incurrat excommunicationem?

BRACTEA V.

R. Clericum seipsum iniuriosè percutientem ex communi sententia Doctorum esse excommunicatum. Ita *Cap. contingit*, & ibi Abbas *num.*6. & Fellinus *num.*1. Farinaccius *de homicid. quæst.*108. *num.*25. Nauar. *in manuali cap.* 18. *num.*11. Riccius *in praxi resolut. part.*2. *resolut.*471. *n.*7 *&* 8. Ratio est, quia hoc priuilegium concessum est fauore Ordinis Clericalis, & qui se iniustè percutit, facit iniuriam Ordini Clericorum, in cuius fauorem lata est excommunicatio; tùm etiam, quia nemo est dominus suorum membrorum. *Cap. si non licet, &c.* & ideò qui se ipsum ferit, plus delinquit in percutiendo se ipsum, quam percutiendo alium, *cap. si non licet. leg. si quis ff. de bonis eorum, qui sibi mortem consciuerunt*, *Alexander de neuo consil.*59. & ideò, qui seipsum ferit, aut ferire, seu occidere tentat est grauiter puniendus, *cap. si non licet* 23. *quæst.* 5. & Fellinus *in cap. contingit num.*2. Quod intelligendum est, modo Clericus percutiat se ex ira, & percussio attingat grauitatem læthalis culpæ, nam excommunicatio maior supponit grauem culpam; qui verò percutit se deuotionis zelo, excusabitur ab incurrenda censura. Ita Nauar. *cap.* 15. *num.*11. vt si coram Deo in amaritudine animæ peccata sua recogitans pugno tundat pectus, aut palma faciem, vel ad domandam carnem se flagris cædat, aut etiam vellat sibi capillos, vel alapas impingat ob mortem parentum, vel amicorum. Ita Nauar. *loco cit.*

In quibus casibus percutiens Clericum excusetur ab excommunicatione?

BRACTEA VI.

R. Primum casum esse si percutiatur Clericus non ex odio, & ira, sed ex ioco, vt supra dictum est. Secundum, esse ignorantiam vt cum quis percutit Clericum ignorans ipsum esse Clericum. Ita *cap. si verò* 2. *& ibi gloss* 17. Hostiensis *nu.*1. Abbas *num.*1. Innocentius *de sentent. excommun.* Couar. *in cap. Alma mater part.* 1. §. 10. *cap.*15. *de senten. excommunic.* Siluest. *verbo excommun.* 6. Riciulus *de iure personali lib.*7. *cap.*6. *nu.*10. etiam si percutiens det operam rei illicitæ, adeòque peccet. Ita Nauarr. *cap.*27. *num.*80. & ratio est, quod talis pęna non sit imposita, pro quauis mortali culpa, sed tantum quo ea, quæ admixtum habet voluntariũ sacrilegium in personam Clerici, quod non contingit in eo, qui ignorantia inuincibili ignorat Clericum esse illum, quem percutit: vnde probabiliter putans se percutere Petrum laicum, si percutiat Paulum Clericum, non incurrit, modo sufficientem diligentiam adhibeat, & non imputetur ei talis error: è contra verò putans occidere Paulum Clericum, si occidat Petrum Laicum, neque incurret, quia reuera non occidit Clericum: denique si intendens percutere Petrum Clericum ex errore percutiat Paulum etiam Clericum, ita vt moralem diligentiam adhibuerit, ne Paulum percuteret, tunc quia esset inuoluntaria actio exterior, & merè casualis, nec etiam incideret: secus si non adhibuit sufficientem diligentiam: Ignorantia verò vincibilis non sufficit ad istiusmodi excommunicationem, eo quod reportaretur alioqui fructus de peccato negligentiæ, quod absurdum est: Tertium ratione modi, & ita Caiet. *verbo excommun. cap.*10. *notab.*6. *casu* 3. D. Antonin. 3. *part. tit.*24. *cap.*1. §. 2. docent cum manus violenta imperfecta est, ex defectu deliberationis, vt si quis absque deliberatione subito quodam animi impetu, siuè vt loquitur Graff. *lib.*2. *dec. aureor. cap.*42. *num.*33. cum tanta animi surreptione, vt nec se vindicare, neq; iniuriam inferre intendens manus in Clericum iniiciat, deinde aduertens ad id, quod facit statim abstineat, non est excommunicatus: sicut etiam non incurrit excommunicationem, quando ipsa manuum iniectio violenta in Clericum est imperfecta, ex defectu actus externi, nimirum cum adeo leuis est, vt habenda sit pro nulla. Ita Nauar. *cap.*27. *num.*85. Ratio est, quia excommunicatio hæc imponitur ob violentam, & iniurio-

sam

ſam manuum iniectionem in Clericum, quæ peccatum ſit mortale completum; peccatum vero mortale incompletum non eſt ſufficiens cauſa excommunicationis maioris, vt eſt manifeſtum ex *cap. Nemo Epiſcopor. 11. qu. 3.* Quartum caſum, ratione vrgentis neceſſitatis, vt cum quis fugiens perſequentes obuiam fit Clerico, & eum ex equo cui inſidet deſcendere cogit, vt illum aſcendens euadere poſſit, aut enſem, aliamvè rem ad defenſionem ſuam neceſſariā ei aufert, tunc enim non incurrit in hanc excōmunicationem iuxta D. Antoninum 3. *part. tit.* 24. *cap.* 1. §. Caietanum *loco cit. notab.* 6. & Nauarrum *cap.* 27. *num.* 83. Ratio eſt, quia non facit id animo inferendi iniuriam Clerico, ſed ſubueniendi præſenti ſuę neceſſitati. Quod tamen intelligitur debere fieri cum inſtat aduerſarij violentia, ſiue vt Pontifex loquitur in incontinenti, non autem cum iam periculum ceſſauit, vt melius infrà explicabitur. Quintū caſū cum quis percutit Clericum incontinenti vim vi referendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum ſeipſum, vel rem ſuam, vel proprium honorem. *cap. ex tenore*, & *cap. ſi verò de ſentent. excommun.* Ratio eſt, quia huiuſmodi percuſſio non cenſetur vis, aut vltio, ſed defenſio, quæ cuique iure naturæ licita eſt; modo non excedatur modus inculpatæ tutelę, etiamſi percutiens potuiſſet fugere, ſed ea fuga fuiſſet illi ignominioſa. Ita Suarez *tom* 5. *diſput.* 22. *ſect.* 1. *num.* 55. Sayrus *cap.* 27. *num.* 20. Angelus *verbo excommunicatio num.* 13. Em. Sà *de excommunicat. Papa reſeruatis num.* 2. Filliucius *tract.* 15. *cap.* 1. *quæſt.* 6. *nu.* 22. & alij; qui etiam hanc doctrinam extendunt ad defenſionem Parentum, amicorum, filiorum, aut etiam extraneorum, modo hæc percuſſio fiat ad puram innocentis defenſionem. Dixi in *incontinenti*, quia ſi non fiat in ipſo caſu aggreſſionis, vel inuaſionis ſaltem moraliter inceptæ, ſed ante, vel poſt incurrit excommunicationem: illum ſimiliter excuſari ab excommunicatione incurrenda, qui licitè percutit inuaſorem ad defenſionem honoris, famæ, pudicitiæ, vel aliorum bonorum ſui, vel proximi, ſicuti etiam nec incurrit excommunicationem ea fœmina, quæ ſe defendendò percutit Clericum, quam Clericus non ſolum verbis, ſed facto aggreſſus eſt, vt eam violaret; hæc enim cenſetur iuſta defenſio caſtitatis & honoris; ſicuti nec incurrit excommunicationem, qui Clericum debitorem fugientem, vel fugam parantem detinet, vt eum Superiori præſentet, ſuumque creditum acquirat. Idē dicendum de inſequente incontinenti Clericū furatum, qui eius bona aufert, & aſportat; nam huiuſmodi inſecutio licita eſt, cum fiat ad res ſuas recuperandas, & defendendas. Sextum, cum quis percutit Clericum diſciplinæ, & correctionis gratia, dummodo correctio ſit moderata, alias decus. *cap. Præsbyterum*, & *ibi gloſſ.* Ita Paludanus *in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 5. *art.* 1. Ricardus *eadem diſt. art.* 11. *quæſt.* 5. D. Antoninus 3. *part. tit.* 24. *cap.* 1. §. 2. & alij, & patet etiam ex *cap. cum volunt. de ſent. excommun.* & ideò Pater verberans filium gratia correctionis, & emendationis non afficitur excommunicatione, etiamſi ſit promotus ad Ordines Sacros. Ita Ioannes Andreas in *cap. Cum volunt.* Siluoſter *verbo excommun.* 6. *num.* 6. Azorius *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 22. Quod etiam dicendum eſt, quando Clericus percutitur à propinquo, ad quem pertinet cura corrigendi Clericum delinquentem, aut à Prælato, aut à magiſtro percutiente ſuum diſcipulum, modò non excedat modum notabiliter cum mortale peccato. Ita Tabiena *verbo excommun. num.* 8. Reginaldus *lib.* 1. *num.* 231. & alij. Ratio eſt, quia filius non videtur retrahi à diſciplina Patris per ſuſceptionem Ordinum maiorum ſi in percutiendo excederet modum liber, non eſſet ab excommunicatione, niſi id abſque propoſito, & per inaduertentiam ei accideret, quia tunc imprudentia illum excuſaret, etiamſi imprudentia ob non adhibitam diligentiam culpabilis eſſet, quia ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur dolus, vt indicant verba, & is qui ex imprudentia, ſeu ignorantia, agit, non agit ex dolo, niſi craſſa eſſet, aut affectata. Secundò, ſub magiſtrum percutientem Clericum correctionis gratia, non incurrere excommunicationem, etiamſi à Magiſtro ſit illi vetitum, quemquam percutere. Ratio eſt, quia prohibitio Magiſtri non aufert ius commune, iure autem communi conceditur Superiori, vt poſſit corrigere diſcipulos, illoſque cauſa correctionis, & diſciplinæ percutere. Tertiò, Clerici quoque ſeniores ex officio, quod habent in Eccleſia, poſſunt cum moderamine corrigere Clericos in minoribus conſtitutos in Eccleſia officium turbantes, & illos verberare, & expellere ſine periculo excommunicationis. *cap. Cum volunt.* & ibi *gloſſ. verbo In minoribus ordinibus*, & Hoſtienſis *num.* 7. & 8. Innocent. *de ſententia excommunicationis*, Molina *diſp.* 58. *num.* 8. & alij communiter *in cap. veniens de ſententia excommunicationis*. Septimū caſum, ſi inuentus fuerit Clericus turpiter agens cum vxore, filia ſorore, vel matre, ſi is Clericum percutiat, non incurrit in excommunicationem, modo percutiat incontinenti, & non ex interuallo. *cap. ſi verò de ſententia excommunicationis*: quamuis enim percutiens in his caſibus grauiter peccet, percutiendo priuata auctoritate nihilominus eximitur ob excommunicationē, & quod Eccleſia non reputet eiuſmodi percuſſionem factam eſſe ſuadente Diabolo, ſed vehementi paſſione, cum ſit difficillimum in huiuſmodi caſu iuſtum temperare dolorem. Ita Molina *tom.* 4. *de iuſtit. tract.* 3. *diſp.* 7. *num.* 3. Nauar. *cap.* 27. *num.* 84. Em. Sà *de excommun. Papa reſeruatis num.* 2. Filliuc. *tract.* 15. *cap.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 22. & alij communiter, etiamſi occidat. Et ita Molina *diſt.* 78 ob rationem ſupradictam.

Sciendum, quòd ſi Clericus non inueniatur in actu turpi cum prædictis perſonis, ſed in oſculis, tactibus, amplexibus, & huiuſmodi, in loco ſuſpecto excuſatur ab excommunicatione ſi illum percutiat, & maximè vbi Clericus iam fuiſſet monitus. Ita Hoſtienſ. *cap. cum voluntas num.* 8. & *gloſſ. in cap. conſuluerit verbo Gratiam fecerit*, & *verbo Odit lucem de officio delegati*; Angelus, *verbo excommunic.* 5. §. 18. quia ea ſunt antecedentia copulæ: ſecus autem ſi inueniretur Clericus ſolus cum ſola ſedens, non turpiter conuerſans, niſi forſan fuiſſet ter monitus, ne ille ingrederetur ad illas mulieres: item ſi deoſcularetur eaſdem mulieres in publico ſecundum conſuetudinem patriæ, quia tunc percutiens non excuſaretur ab excommunicatione, & quia pœnæ non ſunt extendendæ vltrà id, quod verba legis ſonant in propria ſua ſignificatione

nomina

nomina matris, vxoris, & filiæ sunt hic accipienda sine extensione, ità vt nomine vxoris non intelligatur sponsa de futuro, sed de præsenti, idest eam cum qua celebratum est matrimonium, neque nomine Matris intelligendæ sunt omnes mulieres ascendentes, neq; nomine filiæ omnes descendentes, nec nomine sororis omnes collaterales. Ita *Cap. si verò 1. §. fin. & ibi glossa verbo matre*, & Hostiensis *nu.* 8. Abbas, *num.* 9. Innocentius, & Ioannes Andreas *de sent. excommun.* Ratio, quia percutiens Clericum in tali facinore deprehensum nō excusatur ab excommunicatione, nisi ex indulgentia *capitis si verò*, quod non facit talem extensionem, & ideò restringitur solummodo ad Clericum inuentū, cum matre, vxore, filia, & vxore. Nonum casum excusari ab excommunicatione, quando quis percutit Clericum, qui ab Episcopo, vel eius iure gerente, vel ab alio Iurisdictionem quasi Episcopalem habente ter fuit monitus, vt tonsuram, & habitum Clericalem deferret, & ipse non fuit correctus, quia talis sic incedens amittit priuilegium istiusmodi, nec enim ipse de priuilegio Clericorum debet subsidium aliquod habere tanquam effectus illius immunitatis extortis, quæ pro Clericorum tutela, & Laicorum violentia coercenda dignoscitur instituta, prout statuitur in *cap. contingit 2. de sent. excommun.* & ita Ricardus *in 4. dist. 18. quæst. 5. art. 11.* & D. Antoninus *3. part. tit. 24. c. 1. §. 2.* & alij. Decimum casum, quando percutitur Clericus, qui sese implicat negotijs sæcularibus mercaturæ, vel procurationibus, & administrationibus personarū sæcularium, & ter monitus non vult desistere. Vndecimum casum, quando quis percutit Clericum, qui dimissi habitu Clericali gestat arma militaria, nec se correxit ter monitus, nam cum talis priuetur Clericorum priuilegio per *caput in audientia de sent. excommun.* qui percutit ipsum, nō incurrit in hanc excommunicationem, aut qui percutit Clericum, qui dimisso habitu se immiscet enormitatibus, vt grassando, &c. nam per huiusmodi delicta amittit priuilegium Canonis. Duodecimum, quando quis percutit Clericū, qui post trinam admonitionem non desistit à ferendis armis, aut qui se ioculatorem, seù mimum, aut scurram facit per annum, talis enim caret omni Clericali priuilegio, vt & quando fecit quidem breuiori tempore, sed ter monitus non resipuit. Angelus in *verbo Clericus 9. nu. 10.* Siluester *eodem verbo 3. quæst.* 8. & alij. Decimum tertium, quando quis percutit Clericum coniugatum, qui publicè, & personaliter exercet officium Cautionis, vel macellarij, &c. & ter monitus nominatim à diœcesam loci non desistit, aut postquam destitit iterum illud assumpsit; talis enim amittit priuilegium clericale. Ita Angelus *verbo Clericus 9. num. 7.* Siluester *eodem verbo 3. quæst. 5.* & Nauar. *cap. 27. num.* 80. & alij, estque textus expressus in Clementina 1. *de vita, & honest. Clericorum*: Secùs si non sit coniugatus, & gerat habitum, & tonsuram. Clement. 1. *de vita, & honest. Clericorum.* Molina *disp. 54. num. 7.* & alij. Decimumquartum, quando quis percutit bigamum; bigamus enim amittit omnia priuilegia Clericalia. *Cap. vnico de Cleric. coniug. lib. 6. & cap. vnic. de bigamis in 6.* vbi textus est de bigamis initiatis Ordinibus minoribus, non verò de constitutis in sacris, quia percutiens bigamum in sacris constitutum, incurrit excōmunicationem, sicuti incurrit percutiens Clericum coniugatum non bigamum gestantem habitum, & tonsuram, nam huiusmodi Clericus non amittit priuilegium Clericale. Decimumquintum, quando Hostiarius, aut alius officialis Principum turbam arcendo, simul accet Clericum, *cap. si verò 2. de sent. excommunic.* Ratio est, quia huiusmodi violentia respectu Clerici, censetur casualis, cum officialis non intendat violentiam Clerico inferre. Secùs si hoc faciat animo inferendi iniuriam Clerico. Vltimum casum, quando sæcularis capit Clericum, illumque tradit in carcerem de mandato sui Superioris. Ratio est, quia concessum est Prælatis, per Laicos capere Clericos, quando subest causa, propter quam Clericus conijci potest in carcerem.

De distinctione iniuriæ Clerico illatæ, in grauem, mediocrem, & leuem?

BRACTEA VII.

R. Percussionem leuem regulariter esse illam, qua quis percutit Clericum palma, pugno, pede, baculo, vel lapide, aliavè huiusmodi re, & ex percussione non relinquitur signum, aut liuor in carne, nec per ipsam fiat membri alicuius mutilatio, vel dentium fractio, aut multorum capillorum euulsio; vel demum multi sanguinis effusio, nisi fortè ex naribus, aut ex aliqua alia parte, ex qua sanguis facilè erumpere solet, vt patet *ex extrau. Ioannis 21.* quam refert Nauarr. *cap. 22. num. 92.* & ita Molina *disput. 57. num. 1.* Filliucius *tract. 15 cap. 1. quæst. 8.* Reginald. *lib. 1. num. 242.*

Sciendum, quod in eadem extrauaganti tangitur iniurias, quæ ex se leues sunt spectatâ sola circumstantia facti aliquando graues esse spectatis alijs circumstantijs personæ scilicet læsæ, aut lędentis, loci, vel temporis, vt si quis baculo percutiat Patrem, etiam si nullum ex percussione signum relinquatur cēsebitur percussio enormis, ex circumstantia personæ. Similiter si fiat in loco publico, vel in Ecclesia tempore, quo celebratur sacrum, &c.

R. 2. Percussionem mediocrem illam dici, quæ media est inter leuem, & enormem, qualis est illa, qua dens extrahitur, vel capillorū copia euellitur, aut sugillatio carnis relinquitur, aut sanguinis copia effunditur absq; graui læsione, vel absque graui iniuria.

R. 3. Percussionem grauem, siuè enormem illam dici, quæ est cum graui læsione, vel graui iniuria, exempli gratia cum membri mutilatione, aut cum magna sanguinis effusione, quæ non proueniat è naribus sed aliunde, aut cum magno vulnere, aut ictu quamuis parum sanguinis exeat, qualis etiam est illa, quæ fit in suum Superiorem, vel in alium Prælatum in dignitate constitutum, nisi fortè percussio, seù violentia sit tam parua, vt moraliter non censeatur enormis. Similiter censetur grauis, & enormis percussio, quando ex ea percussione oritur magnum scandalum, vt quando quis percutit Clericum in publico, vel in claustro, coram sæcularibus, vel

vel coram Prælato, aut in Ecclesia, aut coram alia persona in dignitate constituta, aut quando percutitur Sacerdos sacris vestibus indutus aut quando Clericus diu iniustè detinetur in deterrimo carcere, aut quando percussio est valdè ignominiosa attentis qualitatibus personarum, & alijs circumstantijs, vt quando personæ in dignitate cõstitutæ impingitur alapa in facie.

Ad quas alias actiones extendatur prædicta excommunicatio?

BRACTEA VIII.

R. Extendi primo ad mandantem, siuè consulentem percussionem Clerici iuxtà *cap. Quantæ, & cap. Mulieres §. illa verò de sententia excommunicationis, cap. peruenit de sent. excommun. cap. cum quis eod. tit.* Tolet. *cap.32. num.19.* & alij. Secundò, ad auxiliantes, aut præbentes fauorem, dummodo tamen tamquam moralis causa in percussionem Clerici, siuè iniectionem manuum influant; quod tamen non habet locum, si mandans reuocauerit mandatum, & reuocatio mandati fuerit deducta ad notitiam mandatarij re integra, *gloss. in cap. Tibi Domino verbo Iurare, & cap. Cum quis verbo mandato, & in cap. mulieres verbo auctorit.* vbi Innocentius, & Hostiensis *num 5.* Tertiò si mandans moriatur ante percussionem, vel ante manuum iniectionem, tũc non erit excommunicatus, quamuis deinceps post eius mortem mandatarius Clericum percusserit. *gloss. in cap. Mulieres verbo auctorit.* & ibi Innocentius, & Hostiensis *num.* 8. Ratio, quia mandatum morte extinguitur, & Ecclesia non ligat sub terra, quod tamen intelligendum est, si constiterit eum ante mortem pęnituisse.

Sciendum, quod quando mandans reuocauit mandatum, quæ reuocatio non fuit manifestata mãdatario, si post talem reuocationem sequatur percussio, vel iniectio manuum in Clericum incurrit mandans excommunicationem, quia reuera censetur causa efficax notabilis damni secuti in Clericum, & consequenter obligatur ad restitutionem omnium damnorum. Ita Lessius *lib.2. de iustit. cap.13. dub.3. nu.17.* Reginald. *lib.1. num.116.*

R. 2. Ratam habentem percussionem Clerici suo nomine factam incurrere excommunicationem. Ita *cap. Cum quis, & ibi gloss. verbo suo nomine de sententia excommunicationis in 6.* Fellinus *in cap. mulieres num. 4.* quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur. *cap. ratihabit. de regul. iuris*; etiamsi non dederit mandatum ratum habens. Ita Molina *disput. 52. nu.4. & tom 4 tract 3 disput.33.* non erit tamen excommunicatus qui ratam habet percussionem Clerici non suo nomine factam: *cap. Cum quis*: quando autem per exteriora signa apparere non potest, quod ratam habuerit huiusmodi percussionem sine suo mandato, nomine tamen suo factam, sed illam habet ratam tantum in corde, tunc talis est ligatus, quoad eum, non tamen quoad Ecclesiam militantem: *gloss. in cap. Quis verbo Tuo nomine*, & Hostiens. *in cap. Mulieres num. 7.* Ratio, quia Ecclesia non iudicat de occultis: *cap. sicut tuis de simonia, & cap. à nobis*.

Sciendum 2. ad incurrendam excommunicationem per ratihabitionem, primò requiri, vt qui ratam habet percussionem Clerici potuerit eam mandare. Secundò, requiritur vt ratam habeat percussionem per aliquod signũ externum, v.g. per verba, aut per nutus. Tertiò, vt percussio facta sit nomine ipsius, sciatque illam suo nomine factam esse; quare si de illa gaudeat nesciens factam esse suo nomine non incurrit excommunicationem. Ratio, quia ratum non potest quis habere, quod suo nomine gestum non est. *Cap. ratum de regul. iur. in 6.*

Quis possit absoluere ab excommunicatione lata ob percussionem Clerici?

BRACTEA IX.

R. Summum Pontificem posse absoluere ab ista excommunicatione cõtracta per percussionem, & violentam manuum iniectionem in Clericum. Ita *cap. si quis suadente 12. quæst. 4. cap. cum illorum de sententia excommunicat.* sub nomine Papæ comprehenditur etiam eius legatus à latere, ex *cap. ad eminentiam de sententia excommunicat.* alij legati non à latere non possunt, nisi iuxtà tenorem capitis penultimi de *officio legati* nã qui legatus est à Papa missus, absoluit solum in propria Prouincia eos qui tale delictum commiserunt; legati autem nati nullam habent facultatem, nisi specialiter concedatur. Denique à medioeri, & enormi percussione solus Papa absoluit, & qui eius vices gerit; à leui etiam, Episcopus potest absoluere per caput *peruenit de sententia excommunicat.* non modo per se, sed etiam per alium. Ratio cur per se ipsum possit patet ex facultate Episcopis concessa in *cap. peruenit.* Ratio verò cur Episcopus possit absoluere per alium est, quia facultas absoluendi in percussione leui est facultas ordinaria, quæ competit Episcopo ratione dignitatis; qui autem habet facultatem ordinariam, potest illam delegare communi Doctorum sentẽtia; cęteri vero Prelati non gaudent hoc priuilegio, nisi speciale priuilegium obtinuerint à Summo Pontifice, & hoc verum est, etiamsi Prælati habeant iurisdictionem quasi Episcopalem. Ratio est, quia *in cap. Peruenit* dicitur *Tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum*: nullus autem inferior Episcopo appellatur frater Summi Pontificis, sed filius; Vicarius tamen generalis videtur per se ipsum posse absoluere, & dare alijs facultatem absoluendi, nam ipse est Iudex ordinarius, & facit vnum Tribunal cum Episcopo. Ita Molina *tom. 4. tract. 3. disput.59. num.2.* Reginaldus *lib. 1. num.238.* Sanchez *lib.3. de matrim. disput.7. num. 11.* & alij; & quod Vicarius generalis facit, dicitur ipse Episcopus facere: hinc sequitur Abbatem, Priorem, Guardianum, seu Præpositum Monasterij, seu aliũ quocumque modo sit supremus Monasterij Superior posse à dicta excõmunicatione suos subditos absoluere. *cap. Cũ illorũ, & c. Canonici de sententia excommunicat.* non solum per se ipsos, verùm etiam per alios, supremus enim Monasterii superior est in hac re Iudex ordinarius. *cap. vlt. de officio Iudicum ordinariorum.* Ita Siluester *verbo Absolutio 4. num.3.* Molina *disput. 59. & 60.* Reginaldus *lib.1. num.258.* & alij.

An

Religiosus, qui percutit Religiosum alterius Monasterij, à quo debeat absolui?

BRACTEA X.

REx *cap. Cum illorum de sententia excommunicationis* absoluendum esse ab vtroque, idest per Abbatem vtriusque Monasterij. *cap. Cum illorum §. Si verò Claustralis*; & nihil refert, quod vterque Religiosus sit eiusdem ordinis, nisi quod habentes communem Prælatũ, vel Prouincialem, vel Generalem, criminosus possit ab illo absolui, tamquam habentes iurisdictionem superiorem iurisdictiones vtriusq; Prælati immediati.

Sciendum, quod si Religiosus regularis Clericum sæcularem percutiat, ab vtroque debet absolui nimirùm à Prælato regulari, & à Prælato Clerici sæcularis. *cap. Religiosi. de sententia excõmunicat. in 6.* nisi excessus enormis fuerit, vt si ad mutilationem membri, vel effusionem sãguinis fuerit processum, aut in Episcopum, vel in Abbatem violẽta manus fuerit iniecta, cum excessus tales, & similes nequeant sine scandalo præteriri. *cap. Religioso §. Qui si claustrales*, & *cap. Canonica*; si verò Religiosus percutiat suum Abbatem debet absolui à Papa, quia est enormis, *cap. Cum illorum*; si alium Abbatẽ, tunc si est enormis Papę reseruata est; quod si Abbas percutiat suum subditum excedendo, potest absolui, vel à suo Superiore regulari, vel ab Episcopo, modò non sit enormis, si alium non subditum, tũc eodem modo debet absolui à Superiore iniuriam passi; quę dicta sunt, iuxta ius commune: item si Monialis Monialẽ, vel Conuersam, aut Clericũ percusserit per Episcopũ, in cuius Dięcesi Monasteria fuerint, absolui possũt, *c. de Monialibus, vbi gloss. & DD.* dicũt Episcopũ posse absoluere tàm exemptas, quã nõ exẽptas. Idem dicit Siluest. *in verbo Absolutio 4. num. 3.* Item Laicus percutiens regularem absoluendus erit à proprio Ordinario eiusdem Laici. Riccius *in par. resolut. quæst. 1. resol. 429.* poterit etiam absolui ab Episcopo Clericus percutiens Clericũ, dummodo (vt dictum est) percussio non sit grauis. *cap. Religioso de sententia excommunicat.* Abbas *in cap. Cum illorum num. 6.* & *in cap. Quoniam num. 1. & 3.* vbi etiam Innocentius *de vita, & honestate Clericorum*, Magister quoque, & fratres Hierosolymitani, si sunt Sacerdotes possunt suos subditos ab hac excommunicatione absoluere *cap. Canonica* Silu. *verbo Absolutio 4. num. 3.*

Sciendum 2. dubium esse, an Episcopus possit absoluere regulares exemptos in Canone *si quis suadente*. Prima sententia est *Federici consil. 14 & Ioannis de Lignana in Clementina ne in agro de statu regularium*, tenentium posse, & est textus *in cap. Religiosi de sententia excommunicat.* alij autem contrarium sentiunt dicentes posse quidem per Episcopum loci absolui, sed in defectum proprij Abbatis. Ita Ioannes Andreas *in reg. scienti de reg. iur. in 6.* Abbas *in cap. Monachi num. 1. & 2.* & *in cap. Significasti num. 10 & 11. de foro competenti*, quorum tamen opiniones reconciliantur per Siluestrum *in verbo Absolutio 5. num. 2. & 3.* vt prior opinio procedat de æquitate, secunda de rigore iuris, neque Episcopus potest absoluere regulares exemptos, siue cum eis dispensare vigore Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 6. de reformat.* quia non sunt subditi, nec possunt se subijcere Episcopo, vt ab eo absoluantur, vel cum eis dispensare.

An dentur aliqui casus, in quibus Episcopus absoluere possit, etiamsi percussio sit mediocris, vel enormis?

BRACTEA XI.

RPlures esse. Primus casus est de Clericis collegialiter, seù communiter viuẽtibus, qui sese mediocri, & non enormi percussione affecerunt. *cap. Quoniam de vita, & honestate Clericorũ*, & *cap. Peruenit de sentent. excommunicat.* Ita Siluester *verbo Absolutio 4. nu. 3.* Reginaldus *lib. 1. num. 251.* Secundus casus est de filijs impuberibus, qui infra, seù post puberes, annos sese ad inuicem percusserint, aut vnus alterum percusserit, quia ætas eos excusat. *cap. Quamuis*, Siluester *verbo Absolutio 4. num. 3.* etiamsi petant absolutionem, postquam facti, sunt puberes. *cap. vlt. de sententia excommunicat.* Immò multi Doctores extendunt ad iuuentutem, quam esse causam sufficienter excusantem excommunicatum ne Romã adeat, asserunt, & consequenter iuuenem quamuis puberem posse ab Episcopo absolui. Et ita plures apud Molinam *disput. 62.* & Reginaldus *loco citato*, & alij. Tertius casus est de Ianitore, aut de Officiali Principis, qui turbam arcendo non ex deliberatione, sed fortuitò Clericum vulnerat mediocriter. *cap. Si verò de sententia excommunicat.* Nauar. *cap. 27 num. 92.* Filliucius *tract. 15. cap. 1. num. 39* Reginaldus *lib. 1. num. 250.* & alij communiter: secus autem dicendum si mala intentione ex odio, aut malitia Clericum percutiat, quia tunc non censetur excusabilis, immò dignius pœna, & per consequens incurrere excommunicationem. Quartus est de habente legitimum impedimentum, propter quod excommunicatus non potest Summum Pontificem adire sine periculo vitæ, vt qui propter inimicitiam, vel priuatam, vel communem nõ possunt Romam adire, potest ab Episcopo absolui, etiamsi inimicitias cõtraxerit ex sua culpa, quia non est credibile Summum Põtificem velle absolutionem excommunicationis sibi reseruare cum tanto incommodo, & periculo; sublato verò periculo quanto citiùs opportunitatem habuerit Sedem Apostolicam, siuè habentem facultatem adire debebit mandatum Apostolicũ suscepturus. *cap. de cætero*, & ibi Abbas *num. 1. cap. Eos, qui*, Siluester *verbo Absolutio 4. num. 7.* alioquin nouam contrahit excommunicationem. Quintus casus est, quando imminet periculum mortis. *cap. Si quis suadente 17. quæst. 4. cap. Non dubium, cap. Quod de ijs, cap. Quamuis de sent. excommunicat. cap. Pastoralis*, vt quando excommunicatus graui laborat infirmitate, tunc enim potest à quolibet Sacerdote absolui, non solùm ab excommunicatione contracta ob percussionem, siuè manuum iniectionem in Clericum, sed etiam à quacunque alia censura tàm iuris, quàm hominis. D. Thomas *in 4. dist. 18. & dist. 21.* Siluester *verbo Absolutio 1. num. 8.* & alij. Sextus casus est de mulieribus cuiuscumque ætatis, & conditionis sint, quæ possunt absolui ab Ordinarijs locorum. *cap. Mulieres, cap. Ea noscitur, & cap. Quamuis de sentent. excommunicationis*, etiamsi mulieres sint diuites, & sui iuris. Ratio est, quia ius loquitur de mulieribus indistinctè, & non distinguendo. Et ita communiter Doctores. Septimus casus est de existente in potestate alterius

rius, vt vxor serui *cap. Mulieres, & cap. Relatum*, & filiusfamilias, modo dominus graue damnum inde patiatur absque sua culpa ex serui absentia. Vltimus casus de alijs quibuscumque impotentibus ad iter conficiendum, quales sunt non solùm, qui habent inimicitias (vt supra dictum est) sed etiam delitiosus, idest qui ita est delicatus; vt laborem accedendi ad Sedem Apostolicam sustinere nequeat, is enim pro absolutione non est ad Sedem Apostolicam mittẽdus. *Cap. Mulieres;* nec item per Episcopum statim absoluendus, sed prius personæ status, & negotij veritas intimanda est Papę, & secundum eius consilium erit delitiosus de commisso scelere corrigendus. *Cap. Mulieres*. Secundò inops excusatur, idest tanta paupertate grauatus, vt Romam accedere non possit, nisi stipem ostiatim quærat, quã antea quęrere nõ consueuerat, isti enim possunt ab Episcopo absolui, etiã propter grauem percussionem; quod etiam dicendum est de iis, qui Romam non possunt adire, nisi familiam relinquãt in magna necessitate. Tertiò excusatur etiã senex, idest cũ quis est ętate ita prouecta, vt Sedem Apostolicam, eumque à quo ex illius commissione potest absolui, adire nequeat; talis enim potest ab excõmunicatione absolui per Episcopum suum. *ex cap. Ea noscitur, quod de ijs*, & *cap. Quamuis de sententia excommunicat.* etiamsi fuerit enormis, cum iura absque distinctione loquantur. Quartò, æger etiam excusatur, idest cum quis ita detinetur infirmitate, vt non possit subire laborem adeundi Sedem Apostolicam, aut eum qui ex illius commissione possit illum absoluere, vt v.g. qui laborat infirmitate incurabili, vel periculosa, vel morbo longo licet temporali, vel podagra, siue febri quartana. Innocentius *in cap. de ijs*, Siluester *verbo Absolutio*, quia tales possunt absolui ab Episcopo, etiamsi iniuria enormis fuerit, iuxta *cap. Ea noscitur*, & *cap. Quamuis de sentent. excommunicat.* Vltimò, debilis potest etiam absolui ab Episcopo, cum quis membri alicuius vsu destitutus, nequit adire Sedem Apostolicam, vel alium priuilegio illius munitum; vt cæcus, seù claudus. *cap. Ea noscitur*, & ibi Abbas *n. 2.* Et ratio est, quia cum impedimentum huiusmodi sit perpetuum, & ideò possunt ab Episcopo absolui.

Sciendum, vt ob impedimentum temporaneũ possit quis absolui ab Episcopo sufficere, vt ipsum sit tanti temporis, quantum necessarium est in peragendo itinere, quo ille distat à Papa, aut ab alio, à quo Papæ auctoritate absoluendus est. Secundò, eum non gaudere priuilegio, quo possit per Episcopum absolui ab hac excõmunicatione, qui licet ad Sedem Apostolicam ire nequeat, potest tamẽ Legatũ eius adire: vnde sequitur, quod sicut Episcopus absoluere nõ debet, quando ad Papam adiri potest, ita nec debere, cum adiri possit ad legatum ipsius munitum absoluendi potestate: non tamen teneri, qui per iustum impedimentum non potest adire Papam, vel ipsius Legatum munitum absoluendi potestate alium mittere ad ipsos. Ratio est, quia ius non obligat illum ad mittendum, sed solùm ad eundum si possit, alioqui absoluatur per suum Episcopum.

Sciendum habentes perpetuum impedimentum, propter quod Summum Pontificem adire non possunt absolutè, posse ab Episcopo absolui, non solùm ab excommunicatione contracta ob percussionem mediocrem absque obligatione se præsentandi Apostolicæ Sedi, vt senes, mulieres, &c. qui vero absoluti sunt ab Episcopo ob impedimentum temporale teneri sublato impedimẽto præsentare se Summo Pontifici; excipiuntur tamen Clerici collegialiter viuentes, filij impuberes, Religiosi, & Officiales Principum, quibus non est iniungendum præceptum se præsentandi Sedi Apostolicæ. Secundò, cui fuit iniunctum præceptum se præsentandi reincidere in excommunicationem, si oblata commoditate non se præsentauerit, sicuti etiam reincidunt, qui absoluti sunt à Papa, vel à Legato cum obligatione sese præsentandi alicui, vel satisfaciendi iniuriæ, & postea non se præsentant, nec satisfaciunt. *cap. Eos, qui de sententia excommunicat.*

An Episcopus possit subditos absoluere ab excommunicatione, etiam propter enormem percussionem, quando delictum est occultum?

BRACTEA XII.

RPosse, modò delictum sit occultum, nec sit deductum ad forum contẽtiosum. Ita Molina *disput. 64. num. 8.* ita etiam sentire videtur Reginaldus *lib. 30. num. 91.* Suarez *de censuris disp. 44. sect. 2. num. 4.* & alij. Ratio desumitur ex priuilegio Tridentini *sess. 24. cap. 6.* vbi conceditur Episcopis absoluendi potestas à quibuscumque censuris occultis non deductis ad forum contentiosum, quam potestatem potest etiam Episcopus alteri delegare, non solùm in casu particulari, vt voluit Henriquez *lib. 14. cap. 19.* sed etiam generaliter. Ratio est, quia hæc facultas competit Episcopis iure ordinario, facultas autem, quæ competit alicui iure ordinario, potest alteri delegari, vt est communis Doctorum sententia, ergo, &c.

An habens priuilegium absoluendi satisfacta parte, cui facienda sit à Pœnitente satisfactio?

BRACTEA XIII.

RFaciendam esse primò Clerico percusso, vel percussionis habere condonationem, quæ condonatio pręsumitur adesse, quando Clericus, qui aliàs magno tenebatur amicitiæ vinculo, cum percutiente recipit percutiẽtem ad pristinam familiaritatem. Secundò necesse est etiam satisfacere Ecclesię, & statui Ecclesiastico, quam satisfactionem delinquens regulariter exhibebit, si absoluenti seipsum humiliter subijciat ostendendo se paratum ad acceptandam pœnitentiam, nec amplius in futurum percutere Clericum, & obedire Ecclesiæ confirmando dictum iuramento, licet Auila *2. par. cap. 7. disput. 3. dub. 11.* citans Nauarrum *in manuali cap. 18. num. 56.* & *cap. inter verba* affirmet, posse absolui penitentem, qui solùm satisfecit Clerico percusso. Ratio, quia præstita satisfactione personæ, quæ passa est iniuriam, aut obtenta

ab ea remissione censetur satisfactum parti læsæ, consequenter pœnitens, qui præstitit satisfactionem Clerico percusso, vel obtinuit ab eo remissionem iniuriæ, potest absolui; quę opinio videtur etiam probabilis.

MALLEATIO XXXIII.

De priuilegio fori personale.

An Clerici sint exempti à statutis sæcularium?

BRACTEA I.

RClericos esse exemptos à statutis, legibus, & edictis sæcularium, ita vt iisdem non ligentur quantumcumque indeterminatis, & generaliter loquentibus. Ita *cap. Benè quidem cap. Quæ in Ecclesiarum, cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ*. Azorius *Institutionum moral. part. 2. cap. 12. quæst. 3. lib. 5.* & alij. Ratio est, quia legislator sæcularis non potest obligare non subditos, sed solummodo subditos: Clericus autem censetur, non subditus, sed exemptus, tum etiam quia lex Principis sæcularis alioquin iusta, & honesta valet, quatenus non repugnat iuri Canonico, *cap. 2.* in hoc autem casu apertissimè videntur statuta repugnare Iuri Canonico, si velit Princeps comprehendere Clericos.

Sciendum duplici potissimum ratione statutis Laicorum Clericos non ligari. Prima, quia Clerici, vt infrà dicetur, exempti sunt à iurisdictione sæcularium. Couaruu. *cap. 31.* & paria sunt foro ligari, & statutis subijci. *cap. 2. de constitut. in 6.* Decius *consil. 283.* Surdus *consil. 301. n. 16.* & alij; cum igitur Laicis desit iurisdictio suprà Clericos defuit, quoque statuendi prætextus, quia vbi est eadem ratio, idem esse debet ius. Secunda ratio, quia huiusmodi statuta sunt contra libertatem Ecclesiasticam, & proinde Clericos arctare nequeunt defectu potestatis condentis. *cap. Clericis de Iudicijs, cap. si diligenti de foro competenti*. Felinus *in Cap. Eccles. Sanct. Mariæ num. 40.* Azorius *Institut. Moral. par. 1. lib. 5. cap. 12. §. 3.* Statuta verò contra libertatem Ecclesiasticam dicuntur, quando directè, siuè indirectè sunt contrà priuilegia, aut prærogatiuas concessas Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis, & piæ causæ à Papa, vel à Principe sæculari. Innocent. in *Cap. Nouerit. lib. 1.* Decius *in cap. Ecclesia S. Marię num. 6.* Salicetus *codice de Sacros. Ecclesijs* Toletus *in Institut. Sacerdotum lib. 1. cap. 37.* Thuscus *tom. 5. practicar. Conclus. Iur. verbo libertas Ecclesiastica conclus. 342. nu. 12.* Secundò dicuntur statuta contra libertatem Ecclesiæ, quando his Clerici efficiuntur timidiores, & laici audaciores. Decius *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ nu. 11.* Tertiò, quando Clerici, siuè aliæ personæ eorumdem Clericorum intuitu opprimuntur. Dec. in *cap. Eccles. S. Mariæ num. 179.* vbi etiam Felinus *num. 94.* Thesaurus *decis. 16. num. 9.* & alij. Quartò, quando Clerici fiunt deterioris conditionis, quam sint Laici. *cap. Quanto de priuilegijs, cap. fin. de immunitate Ecclesiar. in 6.* Quintò, quando sunt contrà libertatem vnius Ecclesię particularis, quia faciens iniuriam vni Ecclesiæ, vniuersam Dei Ecclesiam offendit. Decius *in cap. Ecclesia S. Mariæ n. 12.* Caiet. *in summ. verbo excommun. cap. 30.* Ratio est, quia vna est Ecclesia vniuersalis, & vnus thalamus Christi, ita vt dum offenditur vnum membrum, tota offendatur Ecclesia. *cap. Quamuis*, & ibi Thurecremata *disp. 21. cap. loquitur & cap. Rogemus 24. quæst. 1. cap. signific. de elect.* Postremò illa statuta dicuntur contrà libertatem Ecclesiasticam, quando Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis tolluntur, siuè illæ prohibentur, aut impediuntur, vti rebus, & facultatibus, & alijs rebus sibi concessis de iure communi canonico, vel ciuili. *cap. Quanto de priuilegijs, cap. Eccles. S. Marię*, Decius *in cap. Eccles. S. Mariæ*, Felinus *in dicto cap. num. 68.* Thuscus *practicar. conclus. Iuris verbo libertas Eccles. conclus. 342.* Caietanus *in summ. verbo excommun. cap. 30.* & alij. Quod intelligendum est, siuè directè, siue indirectè Clericis auferatur quod illis de Iure communi reperitur concessum. *Cardinalis in cap. Perpendimus num. 13.* Ratio, quia neque directè, neque indirectè, lędi potest libertas Ecclesiastica statutis Laicorum, neque in toto, neque in parte, neque in modico; quia nō potest dici, quod modica fiat læsio, quando læditur Ecclesia in sua iurisdictione, & libertate, nam quando læsio inducit contemptum, modica læsio consideratur, ac si esset magna, & qui condunt talia statuta, ordinationes, &c. sunt eo ipso excommunicati. *cap. Grauem, cap. Nouerit*, Nauar. *in manuali cap. 7. num. 118.* Abbas *in cap. Ecclesia S. Mariæ, num. 30.* vbi etiam Felinus *num. 96.* & incidunt in excommunicationem Bullæ Cenæ Domini *n. 15.* à qua non possunt absolui, nisi prius statuta, ordinationes, & publicè reuocauerint, ac Summum Pontificem de reuocatione huiusmodi certiorem fecerint.

Sciendum 2. quod licet statutum Principis non cogat Clericos ad ipsius obseruantiam, tamen Clerici obligantur seruare legem Principis iustam ciuilem ordinatam in bonum publicum, & non repugnantem libertati Ecclesię non ex vi coactiua, sed ex vi directiua, quod Ecclesiastici non teneantur directè vi coactiua statutis Principum, etiam iustis, & ordinatis ad bonum publicum dictum est suprà; tum etiam, quia nullus est directè subditus legibus illius, qui non habet iurisdictionem in ipsum. *leg. fin. de iurisdict. omnium iudicium:* Princeps autem Laicus non habet, vt dictum est iurisdictionem in Clericos, seù in Ecclesiasticos. *cap. Decernimus de re iudicata, cap. Ecclesia S. Mariæ. & cap. sæculari de foro competenti. &c.* Quod verò Ecclesiastici legibus ciuilibus respicientibus bonum publicum; & non repugnantibus libertati Ecclesiæ, teneantur ex vi directiua docet Nauarrus in *Manuali cap. 23. num. 88.* Valentia *tom. 4. disput. 9. quæst. 5. punct. 4.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 12.* Molina *tract. 2. de Iustitia disp. 31.* Bellarminus *lib. 1. de Clericis cap. 25.* Vasquez *part. 2 disp. 167. cap. 4.* Rodriquez *tom. 1. quæst. regular. quæst. 6. art. 14.* Em. Sà *verbo lex num. 11.* & alij. Ratio desumitur *ex capite si in adiutorium dist. 10.* vbi habetur seruādas esse leges ciuiles in his, quæ non sunt contrà Canones, nec præiudicant Clericis, & exemptioni Ecclesiasticæ, &c. & ideò Clericum teneri edicto Principis præscribentis valorem monetarum, & etiam alijs legibus ciuilibus ob commune bonum latis, ex vi directiua, non vero ex vi coactiua; quia non sunt subditi potestati Laici, quoad

ci; quoad forum, & iudicia, gaudentque immunitate fori, & ideo peccare contra iustitiam Clericum, qui vltrà taxam à Principe præscriptam pecuniam expendit, vel triticum vendit, nam iure naturæ tenemur vendere iusto pretio, & valore, iustum autem pretium est illud, quod lege decernitur, & quamuis Clerici directè non teneantur legi ciuili, directè, tamen tenentur legi naturali iustitiæ: lex autem naturalis communis iustitiæ prohibet triticum vendi, aut aliquid aliud alienari vltrà taxam, seù pretium, quod communiter iustum æstimatur. Ita Molina *loco cit.* Clauis Regia *lib. 4. cap. 4. num. 36.* & alij.

Sciendum 3. quod Clerici non tenentur seruare vi coactiua, aut directiua decretum Principis disponens, quod quis non possit vti, nec emere alium salem, seù quid aliud, quam a se præscriptum, sed possunt vbique pro vsu domus emere siue de dictis rebus sibi prouidere. Ratio est, quia tale edictum repugnat libertati Ecclesiasticæ, & per consequens ad illud Clerici nō tenentur, nec vi coactiua, neque etiam directiua, neque si fieret statutum, quod de contractu soluatur gabella Principi, vel communitati tenentur Clerici vendendo vinum, vel frumentū, quod colligunt ex beneficijs soluere gabellam, quia Clerici possunt vendere suum ad grossum, vel minutum sine solutione gabellæ, vel vendi facere; quod tamen procedit vbi Clerici non negotiarentur, quia secus si negotiationem exercerent DD. in *Clem. de sensibus* Fœdericus *consil. 207.* Abbas *consil. 6. dub. 2.* non dicuntur autem negotiari Clerici vbi vendunt vinum, frumentum, &c. collectum ex rebus suis, quoniam illi dicuntur negotiari propriè, qui emunt rem, vt eam integram lucri causa vendant, non illi qui emunt rem, vt eam reducant ad aliquam formam, vel si vendant vinum siuè triticum, &c. de rebus suis collectum, *cap. ejciens dist. 88.* Fœdericus *consil. 121.* Neque ligat Ecclesias, siuè Ecclesiasticas personas statutū, quo cauetur quod extrahens triticum, & introducens vinum soluat aliquid, nec etiam onerari possunt Clerici gabella, quæ imponitur in carnibus, vel vino, quia charius emerent, vel cogerentur alibi emere, si minoris emere voluerint. Ita Azorius *par. 2. lib. 9. cap. 11.* & sic de alijs casibus dicendum est, qui si repugnant libertati Ecclesiasticę Clerici non tenentur eos seruare; si autem non repugnant, tenentur ex æquitate.

An Clerici sint exempti à iurisdictione sæcularium Principum?

BRACTEA II.

R. Clericos esse exemptos à Principis potestate, non solum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus. Ratio primæ partis est, quia cum alia sit potestas spiritualis, & alia temporalis: potestas spiritualis solis Ecclesiasticis concessa fuit, & non alijs; Christus enim solos Apostolos, & eorum successores, non verò Reges, aliosvè sæculares perfecit Ecclesiæ, vt constat ex pluribus Concilijs, & ex *cap. Ecclesia S. Marię; cap. decernim. de iudicijs, cap. placuit 16. quest. 7.* & ita communiter omnes Doctores.

Ratio secundæ partis est, quia Clerici non subijciuntur iurisdictioni sæcularium, quia iurisdictio non potest exerceri in non subditum. *cap. per venerab. qui filij sint legitimi*; & ideò certum est, quod neque Imperator neque Principes sęculares habent potestatem super Ecclesias, seù super Ecclesiasticas personas; nec obstat quod etiam in historijs sacris recenseantur Sacerdotes à Principibus, & Regibus depositis ab officio Sacerdotali, nam Salomon iussit Abyathar, ne esset Sacerdos Dominis, & posuit Sacerdotem Sadoch pro Abyathar *3. Regum cap. 2.* Saulque Rex imperauit trucidari Sacerdotes Domini *1. Reg. 22.* Respondetur primò, quod licet Iure Diuino antiquo in veteri testamento non fuerint omninò liberi à potestate Principum sæcularium, iure tamen Diuino nouo, & Euangelico, vt infrà dicetur, sunt exempti; quod ex pluribus locis scripturæ probatur, & 1. Matthæi 17. illis verbis, *Ergo liberi sunt filij*, vbi Origenes, D. Hieronymus, Eutichius, & Theophilus, D. Aug. *lib. 1. quæst. Euangelicarum cap. 23.* D. Thom. *in 2. dist. 44. quæst. 2.* D. Bonauentura *ead. dist. art. 3.* exponunt non solum de Christo, sed de alijs etiam Ecclesiasticis, & ex Ioan. 18. vbi Christus celeberrimo miraculo Apostolū suum è satellitum manibus eripuit, iussitque immunes abire, illis verbis *Sinite eos abire, &c.* & ex pluribus alijs locis scripturæ, tum etiam quia Sacerdotes nouæ legis maiori prærogatiua gaudent, quam Sacerdotes legis antiquę, quia Sacerdotium antiquum ad tempus tantummodo erat, Sacerdotium verò Christi sempiternum est, ex Dei iuramemento; *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, &c.* quā rationem adducit Hugo de S. Victore in Epistola 1. Petri 2. super illis verbis *Regale Sacerdotium*.

R. 2. In veteri testamento non fuisse distinctam potestatem Ecclesiasticam à sæculari; sed directè Summos etiam Sacerdotes Regibus, & Principibus sæcularibus fuisse subiectos Tostatus *in 3. Reg. 2. quæst. 30. & 31.* D. Thom. *opusc. 20. cap. 24.* licet alij aliter sentiant.

R. 3. Quod vtraque potestas Sacerdotalis, & Regalis Ecclesiastica, & sæcularis enumerantur inter prærogatiuas primogenitorum, qui enim erat primogenitus, erat Princeps, & Pōtifex; ideò Iacob benedicens filio suo primogenito Rubem dixit prior in donis maior in Imperio, *Genesis 49.* vbi Tostatus, & præsertim D. Hieronymus exponit. *Tu Sacerdotium, & Regnum iure hereditario accepturus eras*; Melchisedech fuit etiam Rex, & Sacerdos Domini, Iob fuit quoque Princeps, & Sacerdos ex D. Hieronymo in *lib. Iob*: hanc fuisse generalem omnium gentium consuetudinem Reges simul, & Sacerdotes fuisse; patet apud Persas, ex Herodoto *lib. 7. cap. partos* ex Iustino *lib. 11. cap. 41.* apud Macedones, ex Diodoro *lib. 16.* ex T. Liuio *lib. 40.* apud Lacedemones ex Plutarcho *in Agesilao*, apud Gothos ex Ioanne Magno *suę Historia lib. 16. c. 17.* apud Aegyptios ex Elyodoro *lib. 1. & 7.* apud Polonos ex Gromerio *lib. 2.* & apud Romanos ex T. Liuio *lib. 1.* Quod autem Salomon eiecerit Abyathar, nę esset Sacerdos Domini, & pro Abyathar apposuerit Sacerdotem Sadoch, *3. Reg. 2.* id fecit tamquam instrumentum D. Iustitiæ, vt ibidem apparet illis verbis *vt impleretur Sermo Domini*, & testantur Theodoretus, & Proco-

Procopius in 3. *Reg. quæst.* 9. Thurrecremata *lib.* 1. *summ. de Eccles. cap.* 96. Pineda, *lib.* 7. *cap.* 16. *de rebus Salomonis*, ad exemplum Saul, qui imperauit trucidari Sacerdotes, colligitur responsio ex dicto 1. *Reg. cap.* 22. vbi constat non de iure, sed de facto id commisisse, nam nullus Hebræus ex seruis Regis voluit Regi obtemperare.

Quo iure Clerici sint exempti à laica potestate?

BRACTEA III.

PRIMA sententia est aliquorum dicentium Clericos esse exemptos Iure Ciuili, & Canonico, non verò Iure Diuino, quod sint exēpti iure ciuili patet, tum ex Autentica, vt Clerici proprios Iudices conueniant: tum ex facto Constantini Magni, qui afferentibus libellos contrà Clericos accusationem continentes respondisse fertur ad se de huiusmodi causis iudicium non pertinere, vos enim inquit Constantinus à nemine iudicari potestis, sed ad solius Dei iudicium reseruamini, vt habetur *cap. Continua* 11. *quæst.* 1. *& cap. futuram* 12. *quæst.* 1. quod Clerici si sit exempti Iure Canonico in ciuilibus, & temporalibus perspicuè constat ex Cōcilio Constanſiensi *sess.* 8. ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 20. *ex cap. Non minus de immunit. Eccl. cap. si Imperator dist.* 99. Quod verò non sint exempti Iure Diuino patet, quia ex sacris litteris, aut Ecclesiæ traditione; vel ex testimonio Patrum non colligitur Clericos Iure Diuino exemptos esse à laica potestate in ciuilibus, & temporalibus: ergo non sunt exempti Iure Diuino; tum etiam quia ex pluribus locis scripturæ colligitur Clericos esse subiectos Principibus Laicis ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &* Actorum *cap.* 25. *dicitur sub tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari*; tùm quia Ioan. 19. *Christus dixit Pilato. Non haberes potestatem aduersum me vllam nisi tibi datum esset desuper*: si ego Pilato concessa erat potestas aduersus Christum, à fortiori dicendum videtur Laicis Iudicibus competere facultatē, iudicium in Clericos, exercendi.

3 Secunda sententia est asserentium, non esse exemptos Iure Diuino, sed Iure Ciuili, & Canonico valdè consono Iuri Diuino. Ita Salas *de legibus quæst.* 96. *tract.* 14. *disput.* 14. *sect.* 11. *num.* 220. Molina *de iustitia tom.* 1. *tract.* 2. *disput.* 31. *num.* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 2. *art.* 2. Arragonius 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. Salonius *ibidem quæst.* 67. *art.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 33. *dub.* 4. *num.* 30. Henriq. *lib.* 10. *cap.* 15. *num.* 1. Ledesma *in* 4. *part.* 2. *quæst.* 20. *art.* 4. & alij.

Tertia sententia est Clericos non solum iure Ciuili, & Canonico: verum etiam Iure Diuino exemptos esse, & ita Azorius *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 12. *quæst.* 1. Duardus *in Bulla Cenæ lib.* 2. Homobonus *de examine Ecclesiasticorum part.* 2. *tract.* 11. *c.* 4. *quæst.* 4. Peregrinus *de immunit. Ecclesiastica cap.* 16. *num.* 37. Layman *in Theolog. Moral. tract.* 9. *cap.* 8. *n.* 1. & alij. Ratio colligitur *ex Psalm.* 124. *Nolite tangere Christos meos*, quæ verba intelligenda sunt de Clericis, & Sacerdotibus, qui sunt diuino cultui mancipati, & interpretes ad populum transmissi; tum quia præcisa dispositione iuris Canonici verum est, Ecclesiasticos esse Patres, & pastores sæcularium, sed non decet, vt Pastor iudicetur ab ouibus; ergo non decet Clericos iudicari a Laica potestate, ergo præcisa prohibitione Iuris Ciuilis, & Canonici dicendum aliam prohibitionem extare, qua cauetur, ne Clerici potestati Laici subijciantur. Ita Siluest. *verbo immunitas* 1. *quæsito* 4. Clauis Regia *lib.* 22. *cap.* 8. *num.* 6. Azorius 1. *part. lib.* 5. *c.* 12. *quæsito* 1. Ambrosius *de immunit. cap.* 26. *num.* 4. Angelus *verbo immunitas num.* 33. & alij, & quia hanc sententiam tamquam probabilem amplector: idcirco.

R. Priuilegium exemptionis Clericorum esse de Iure Diuino, & postea Canonica auctoritate stabilitum. Ita *gloss. in cap. Si Imperator dist.* 96 *gloss. in cap. Quamquam de censibus, in* 6. Innocentius *in cap.* 2. *de maiorit. & obedientia*, Abbas *in Ecclesia S. Mariæ num.* 6. *de restit.* Nauarrus *in cap. Nouit.* 6. & alij Canonistæ, quos refert, ac sequitur Marta *de iurisdict. part.* 2. *cap.* 6. Clarus §. *Practica criminalis quæst.* 36. & alij.

In quo consistat priuilegium personale Clerici?

BRACTEA IV.

R. In eo præcipuè consistere priuilegiū personale, quod nullus Princeps, vel Iudex sæcularis Clericum, quouis modo iudicare potest. *Autent. statuimus cod. de Episcop. & Clericis*, vbi Doctores, & præcipuè Baldus dicunt omnia iura ciuilia, quæ dicebant Laicos habere aliquam iurisdictionem in Clericos esse correcta per eandem Autenticam *statuimus*, & per Authent. *vt Clericus apud proprium Episcopum*, *cap. Consulend. cap. Denique dist.* 96. Couar. *practicar. quæst. cap.* 30. *num.* 3. & alij: & adeò verum hoc est, vt nequeat Princeps, seù Iudex sæcularis iudicare Clericos deprehensos in quibuscumq; criminibus quantumlibet atrocissimis. *Cap. cum non ab homine de iudicijs*, Couar. *practicar. quæst. c.* 32. *num.* 2. neque Clericos bannire, nec etiam contrà corpus Clerici mortui potest Laicus procedere propter characterem Clerici. Rebuff. *in concordat. rubrica de potest.* Bosius *de iure status, seu de iure diuino de immunit. Ecclesiastica lib.* 2. nec etiam si efficeretur reus criminis lesæ maiestatis contrà suum Principem temporalem non potest per eundem Principem, neque per alium Iudicem sæcularem iudicari. *Cap. in memoriam* §. *Si verò dist.* 19. Marta *de iurisdict. part.* 4. *casu* 133. *n.* 27. Bosius *in titulo de crimine lesæ Maiest. num* 86. Bocrius *in tract. de seditiosis*, Follerius *in practica criminalis part.* 1. 2. *partis num.* 95. Decianus *in tract. crim. lib.* 7. *in tit. qui mittit crimen lesæ Maiest. cap.* 8. Farinac. *in praxi criminali tom.* 1. *quæst.* 8. *num.* 28. & alij, & ideò Clerici sunt de Iure Diuino immediatè subditi potestati Ecclesiasticę, quæ potestas nullo modo dependet à Principe, seù Republica, sed est immediatè a Deo. *Cap. in nono distinct.* 21. *cap. Legimus dist.* 93. *cap. Sacrosancta* §. *hec verò dist.* 22. Nauar. *de spolijs Clericor.* §. 2. *nu.* 1. Couar. *practicar. quæst. cap.* 1. *num.* 2. *& in regula peccatum part.* 2. §. 9. *num.* 6. *de regul. iuris in* 6. & alij; quoniam immediatè fuit translatum à Deo Sacerdotium de Aaron in Christum, & de Christo in Petrum. Abbas *in cap. Translatum num.* 1. Ioannes *à Capistrano tract.* 2. *part.* 2. *num.* 68. Petrus à *monte de potest. Pontificis num.* 1. eamque Petrus eiusque successores habent immediatè a Deo, Couar. *in regula peccatum part.* 2. §. 9. *num.* 6. Nauar. *in cap. nouit. num.* 3. Potestas verò Episcoporum est immedia-

mediatè à Petro, & à successoribus eius, & mediatè à Deo. Thurecrem. *de Ecclesiis lib. 2. cap. 54.* Iacobatus *de Consiliis lib. 10. art. 7. num.* 81.

Sciendum, quod non solum insigniti Ordinibus Sacris, v.g. Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes sunt exempti à iurisdictione sæcularium, sed etiam Clerici constituti in minoribus ordinibus, & in prima tonsura, *leg. Presbyteros cod. de Episcopis, & Clericis cap. 2. de foro competenti* Abbas *in cap. Clerici num. 5. Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. de reformat.* Alexander *de nouo consil. 66. num. 1.* Barbatius *consil. 45. num. 4. volum. 2.* Crauetta *consil. 616. num. 13. volum. 4.* Marsilius *consil. 67. nu. 59.* Couar. *practicar. quæst. cap. 31. num. 5.* Decianus *in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 21.* modo tamen seruentur ea, quæ in Tridentino *sess. 23. cap. 6.* præscribuntur videlicet, vt vel beneficiū Ecclesiasticum obtineant, vel Clericalem habitū, & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ, ex mādato sui Episcopi deseruiant, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua scola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur. Comprehenduntur etiam quacūque Religio, siuè viri, siuè mulieres regulam aliquam à Summo Pontifice approbatam profitentes, *cap. fin. de religios. domibus. cap. vnico de relig. domibus,* Abbas *cap. 2. nu 5. de foro competenti,* Baldus *in Autent. ingressi, num. 24. cod. de Sacros. Eccles.* nouitij quoque Religionum gaudent priuilegio fori, qui sunt intrà Religionem, suntq; eius pars, Nauar. *part. 1. Consil. lib. 2. de foro compet. consil. 6.* Farinaccius *in practica crimin. quæst. 8. num. 46.* Azorius *part. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 11.* Idem dicitur de Clericis coniugatis, si cum virgine contraxerunt, & habitum Clericalem, & tonsuram deferant, sed vbi non incedant in habitu, & tonsura, eo casu nulla ante monitio requiritur ad hoc, vt sint priuati priuilegio fori, *cap. 1. de Cler. coniug. in 6.* Decius *in cap. At si Clerici num. 249. de iudicijs;* Couar. *pract. quæst. cap. 31. num. 9.* Zechius *de Repub. Ecclesiast. tract. de Cler. nu. 5.* Quod etiam dicendum est, de Equitibus Hierosolymitanis S. Ioannis, qui connumerantur inter personas Ecclesiasticas. *Cap. Quisquis* Decianus *tract. Crim. lib. 4. cap. 9. num. 36. tom. 1.* & alij; quamuis adhuc sint nouitij, & nōdum professi, quamuis conuersi noncupentur. Ratio est, tùm quia nouitij dicuntur personæ Ecclesiasticæ, tùm quia gaudent priuilegijs Religiosorum. Ita Ambrosius, *Cap. 22. n. 11.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 3. quæsito 2.* Rodriquez *quæst. regular. qu. 51. art. 12. tom. 3.*

An Clerici iudicari possint à laica potestate, vel priuilegio Summi Pontificis, vel consensu ipsorum Clericorum?

BRACTEA V.

R. Consvetvdo, quamuis immemorabilis si sola sit, & nullo titulo, seù priuilegio Pontificis adiuuetur non potest Ecclesiasticæ exemptioni quidquam derogare. Ita DD. in *Cap. Clerici,* vbi Abbas *num. 5. & 6. de iudicijs;* Baldus *in rubr. autent. C. de Sacrosanctis Ecclesijs* Ioannes Lupus *de libert. Ecclesiast. part. 1. quæst. 6.* Marcus Antonius Gabrielius *lib. 5. de prescript. concl. 1. n. 9.* Marta *de iurisdict. part. 4. casu 63. & 64.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 13. quæst. 8.* Suarez *lib. 4. defensionis fide Cathol. cap. 34. num. 10.* Adamus Tannes *lib. 2. defens. Ecclesiast. libert. cap. 16.* Ratio est, quia Clerici sūt Iure Diuino exempti à laica potestate, sed nō potest introduci consuetudo contrà ius Diuinum; ergo, &c. *Cap. fin. de consuet. cap. Clerici,* vbi Abbas *nu. 5. & 6.* Dec. *num. 35. iudicijs,* Innocent. *in cap. Postulastis de foro competenti,* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 13. quæst. 2.* & si introducatur consuetudo contra ius Diuinum, præsumitur iniqua, & irrationabilis vi, atque metu paulatim introducta.

R. 2. Laicam potestatem posse iudicare, & punire Clericos de consensu, & potestate Summi Pontificis. Ratio est, quia Papa dispensare potest in his, quæ pertinent ex publica causa in his, quæ pertinent ad vniuersalem statum Ecclesiæ. *Cap. Quanto de consuetudine;* tum etiam quia hæc potestas delegabilis est, & idcircò Laico etiam delegari potest, verùm quando Laici cognoscunt causas Clericorum, non cognoscunt iure proprio, sed auctoritate delegātis in cuius persona fundatur iurisdictio. Fellinus *in cap. 2. de maiorit. & obedientia.*

Sciendum Episcopum Clericorum causas criminales delegare non posse. *Cap. decernimus,* Clarus *in §. finali quæst. 41.* causas nihilominus ciuiles Clericorum Episcopum Laico delegare posse, citra tamen potestatem imponendi censuram. Decius *in cap. 2. num. 25.* Scatia *cap. 11. num. 41.* Farinaccius *in praxi criminali tom. 1. tit. de inquis. quæst. 8. num. 4.* & hoc debet procedere, vbi non reperitur Clericus idoneus, & ita in subsidium Laicus deputatur. Decius *in cap. 2. num. 38. Cap. Relatum ne Clerici, vel Monaci:* verumtamen licet hoc sit æquum, non tamen est necessarium, vt de communi recentium opinione dicit Abbas *cap. 2. num. 2. de iudicijs.*

R. 3. Princeps, siuè Iudex Laicus non potest iudicare, vel punire Clericum, etiamsi Clerici consentiant, seque potestati Laicæ iudicandos subijciant. Ratio est, quia sic decernitur *in cap. diligenti de foro competente;* tunc quia priuilegium exemptionis à Laica potestate non est concessum singularibus personis, sed statui Clericorum. *Cap. si diligenti de foro competenti;* & ita communiter omnes Doctores, etiamsi hoc faciat de consensu Episcopi, cum Episcopus non possit iuri communi derogare, sequitur Clericum nō posse in Laicum Iudicem consentire, etiamsi consentiat de consensu Episcopi. Ita Farinaccius *de inquisit. quæst. 8. num. 13.* Scatia *de iudicijs causarum criminalium cap. 11. num. 38.* Ambrosinus *de immunit. cap. 16. num. 11.* & alij.

An Princeps, vel Summus Pontifex possint reuocare priuilegium Ecclesiasticæ immunitatis?

BRACTEA VI.

R. Primo Principes non posse reuocare priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ. Ita Molina *de iust. tom. 1. tract. 2. disput. 31.* Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 4. num. 35.* & alij. Ratio est, quia cum dictum sit immunitatem esse de iure diuino, Principes non posse reuocare priuilegium, quod est de iure Diuino. Secundò etiam secundum sententiam asserentium exemptionem esse de iure humano Principem non posse illam reuocare.

Ratio

Ratio est, quia quod semel concessum est, non potest amplius repeti, tum etiam quia populi, a quibus Principes habent auctoritatem, consenserunt in hanc immunitatem: vnde non est in eorum potestate illam reuocare.

R.2. Summos Pontifices non posse in vniuersum huic iuri immunitatis renunciare, quia ipse non est supremus Dominus bonorum Ecclesiasticorum, & iurium suæ Sedis, sed Christus; & ideò non personæ, sed sedi data sunt, & sic solùm est dispensator fidelis, & prudens: vnde non potest pro suo arbitrio illa donare, vel alienare. Ita Diana *tract. 2. de immunit. Ecclesiastica resolut. 4.*

An Clerici possint talem exemptionem renunciare?

BRACTEA VII.

R. Negative, cum sit illis omninò interdictum tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus. Ita Canon. *Placuit extra de foro competent.* & ita communiter Doctores docent. Fernandes *in exam. Theologię moralis par. 2 cap. 6. §. 1.* Salonius *2. 2. quæst. 67. art. 1.* Pesantius *tract. de immunit. Ecclesiastica disput. 2.* & alij. Ratio est, quia priuilegium exemptionis à Laica potestate non est (vt dictum fuit) concessum singularibus personis, sed statui Clericorum: sed nullus potest cedere priuilegio immunitati concesso, vt patet *ex cap. si diligenti de foro competent*; ergo, &c.

An sit contra libertatem Ecclesiasticam condere statutum, vt immobilia non alienentur in extraneos, prohibendo expressè, ne alienentur in personas Ecclesiasticas?

BRACTEA VIII.

R. Tale statutum esse contra libertatem Ecclesiasticam. Et ita Duardus *in Bulla Cenæ lib. 2. can. 15. quæst. 9. num. 83.* Reginaldus *in praxi tom. 1 lib. 9. cap. 23. num. 359.* Filliucius *tom. 2. tract. 16. cap. 10.* Belletus *disquisit. Clericali par. 1. tit. 4. §. 4. num. 1.* & plures Doctores ab ipso citati. Ratio est, quia tale statutum prohibet Ecclesiasticis, quod nec naturali, & Diuino iure prohibitum est; tum quia aufertur Ecclesiæ, quod illi concessum est à Summis Pontificibus, & Imperatoribus acquirendum. *leg. Habeat Cod. de Sacrosanct. Eccles.* & alij citati apud Belletum *loco citato*; vt patet etiam ex leg. *generali*, & *l. iubemus de sacrosanct. Eccles.* vbi conceditur, vt Ecclesiastici liberè legari, & donari possint à Laicis tàm inter viuos, quàm inter mortuos, tum etiam quia nulla dispositio generalis comprehendit casus, vel personas priuilegiatas. Decius *in l. si certis cod. de pactis*, & *in cap. Sedes num. 13. de rescriptis*, licet plures teneant opinionem contrariam, vt Molina *de iustit. tom. 1. tract. 2. disput. 140. num. 18.* & alij existimantes tale statutum non esse contra immunitatem Ecclesiasticam; & Coriolanus *in exposit. Bullę Cenæ excommunicat. 15.* licet asserat statutum, quod non alienentur bona immobilia in extraneos non sit contra libertatem Ecclesiæ, tamen docet in tali casu posse cogere Episcopos ita statuentes, vt declarent illud non extendi ad Clericos; quę opinio videtur probabilis.

Similiter dicendum, esse statutum contra immunitatem Ecclesiasticam, si princeps condat decretum, ne suis priuilegijs potiantur ij, qui sibi subditi non sunt, intelligendo per non subditos Clericos. Ratio est, quia statutum, per quod aufertur alicui Clerico ea, quæ de iure communi ei competunt, est contra immunitatem Ecclesiasticam, & in isto casu denegatur Clericis priuilegium, quod de iure communi illis competit; ergo, &c. & patet, quia de iure communi Clerici possunt gaudere, & vti beneficio statutorum, & priuilegiorum alicui vniuersitati, vel certo generi personarum concessorum.

An Principes statuentes, ne de nouo ædificentur Monasteria in suo statu, faciant contra libertatem Ecclesiasticam?

BRACTEA IX.

R. Tale statutum esse contra libertatem Ecclesiasticam. Ratio est, quia tale statutum restringit priuilegia concessa Ecclesiæ à Deo, & Papa, & Imperatore, & per consequens censetur contra libertatem Ecclesiasticam. Ita plures citati apud Dianam *tract. 2. de immunit. Ecclesiastica resolut. 62.* Ratio est, quia ædificatio Ecclesiarum libera esse debet, & tali statuto imminueretur cultus Diuinus, cum per sanctissimas Ecclesias sustineatur imperium, & communes res clementissimi Dei gratia muniũtur, & omnium animæ seruantur. *Cap. sunt quidam q. 1. cap. Futurum 12. quæst. 1. cap. Ecclesias, cap. Pracipimus 16. quæst. 1. leg. Quoniam de sacrosanct. Eccles. &c.* etiamsi non impediretur absolutè ædificatio Ecclesiarum, sed cum conditione, v.g. si statueretur, ne Ecclesiæ construerentur absque licentia sæcularium, cum non ad sæculares, sed ad Episcopos spectet huiusmodi licentiæ concessio. *Cap. Audientiam de Ecclesijs ædificandis, cap. præcepta, cap. Basilicas, cap. Ecclesia, & cap. nemò de consecrat. dist. 1.* Ratio, quia vt dicit D. Ambrosius *in epist. 13. ad Marcellinam sororẽ* ad, Imperatorem palatia pertinent, Ecclesiæ verò ad Sacerdotem.

Sciendum duobus modis statuta Ecclesiasticæ libertati contraria esse posse. Primò si directè edita sint de rebus, vel personis Ecclesiæ, ideòque cum expressa derogatione iuris Ecclesiastici, vel vsurpatione iurisdictionis super Ecclesiasticis personis, aut rebus, quod prohibetur *in cap. Ecclesia de cõstitut. cap. 2. de Iudicijs.* Secundò si statutum verbis quidem disponat de personis laicis; re ipsa autem tendat, atque ordinetur ad Clericorum vel Ecclesiarum læsionem, adeoque indirectè, aut implicitè Ecclesiasticæ immunitati repugnet; exemplum cuius est casus immediatè suprà allatus, vt quando statuitur, ne Ecclesiæ construantur absque licentia sæcularium.



An

An Iudex Laicus ex consuetudine possit iudicare Clericos in minoribus constitutos?

BRACTEA X.

PEreyra de manu Regia *par.2.* affirmatiuè respondet *cap.50.num.41.* vbi sic ait, *Cum agitur de iurisdictione Ecclesiastica in casu aliquo particulari tribuenda Iudici Laico ex vsu, & consuetudine acquiri potest.* Sed

R. Cum Bonacina *tom.3. disput.1. quæst.20.pun.3 num.*10. Castropalao *in opere morali tom.2.disput. vnica par.2.* negatiuè. Ratio, quia nunquam consuetudo potest præscribere contra Clericos, etiãsi eorum exemptio non esset de iure Diuino, sed solùm humano. Ita etiam Pesantius *in 2.2.* D. Thomæ *quæst.62.art.2.disput.6.* Petrus Binsfeldius *in comment. de iniurijs, & damno dato cap.7. conclus.12. dub.3.* tum etiam quia talis consuetudo nihil valet, aut operatur, quia singulis annis per Bullam Cœnæ reprobatur. Ita Marta *de iurisdict.par. 4.centuria 1.casu 7.num.12.* Philiarcus *de officio Sacerdotis tom.1.par.1.lib.3.cap.9.* ex qua præsumitur non esse tacitum consensum Papæ, cum quotannis in eadem Bulla abroget omnes contrarias consuetudines immunitati derogantes, & licet vt ait Pater Suarez conta Regem Angliæ *lib.4. cap.32.num.11.* Pontifices non ignorent multa per consuetudinem fieri contra libertatem Ecclesiæ, quæ non punit, sed quodammodo tolerat, non ideò est, quod consentiat, sed quia sine periculo maioris mali non potest efficaciùs resistere, & ideò non dicitur consentire, sed permittere, licet plures excusent aliquas consuetudines aduersus libertatem Ecclesiasticam ex tacito consensu Pontificis, quia iustè tolerat, vt Lessius *lib.2.cap.33.dub.5.n.29.* Molina *de iustitia tom.3.par.2.disput.270.num.5.* Turianus *in 2.2. tom.2. disput.14.dub.4.num.12.* Salas *de legibus quæst.96. tract. 14.sect.11.num.120.* ergo non est verum dicere absolutè; quod per publicationem Bullæ tollitur omnis consensus Pontificis, sed dicendum est, vt supra aliud esse consentire, aliud permittere, & quod Summus Pontifex plura permittit, in quibus non consentit.

An Iudex sæcularis possit extrahere Reum ab Ecclesia sine licentia Episcopi, si notoriè constat eum non gaudere immunitate?

BRACTEA XI.

RIuxta Bullam Gregorij XIV. nullo modo licere absq; incursu cẽsuræ extrahere Reũ ab Ecclesia, etiamsi notoriè constet eum non gaudere immunitate. Et ita Filliucius *tom.1.tract. 15.cap.6.num.154.* & Duardus *in Bulla Cœnæ lib.1. cap. 15.quæst.16.num.31.* & si hoc facerent, incurrerent in excommunicationem, & contra immunitatem facerent, cum in extrahendo aliquem ab Ecclesia sit semper seruanda forma à Gregorio citato tradita; quod asserunt plures Doctores citati à Diana *tract.2.de immunit.resolut.14.*

An Iudex sæcularis de consensu Pontificis possit punire Clericum?

BRACTEA XII.

R. Posse; Ratio, quia hæc potestas delegabilis est, vnde Iudici sæculari à Sede Apostolica potest delegari. Ita Salas *de legibus disput. 14.sess.9.* Vasqu.*1.2.disp.167.* Lessius *lib.2.c.33.dub.5. n.39.* Ambrosius *de immun.cap.18.n.8.* Iulius Clarus *lib.5.sentent.* & alij. Secundo, Clericum à Iudice sæculari non posse iudicari de cõsensu Episcopi. Ratio est, quia Episcopus non potest dispensare in his, quæ sunt de iure communi, vt est priuilegium Clericorum, licet contrariam sententiam doceant. Clauis Regia *lib.2.cap.17.* Farinacius *de inquisit. quæst.8. num.4.* Decianus *in tract. criminali lib.4.num.70.*

Sciendum nec posse Clericum, qui tamquam hæres in bonis Laici successit ratione illorum bonorum à Iudice sæculari iudicari, etiamsi lis inchoata fuisset contra laicum coram Iudice laico. Ratio quia Clericus est exemptus, tum etiam quia sententia prolata à Iudice laico esset frustra, quia nõ posset executioni mandari. Ita Fellinus, Abbas, Imola cit. ab Ambrosino de *immu.ecclesiast.cap.20.num.45.* contrà Reginaldum *lib 9.cap.13.* Farinacium *de inquisit.quæst.8. num.45.* & alios asserentes Clericum subijci foro Laico quoad lites inchoatas contra hæredem, cui succedit, sed à prima sententia non est recedendum.

Sciendum 2. Clericum, qui in iudicio sæculari depositum recepit, non posse pro restitutione depositi coram Iudice Laico conueniri, vel cogi ad restituendum depositum. Ita Surdus *lib.3 consil.396.num.3.* Ambrosin *de immunit. Ecclesiast. cap.20.num.53.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib.2.can.15.quæ. 11.num.36.* Ratio, quia Clericus exemptus est à laica potestate.

An Iudex sæcularis possit cogere Clericos, vt triticum vendant tempore necessitatis.

BRACTEA XIII.

QVidam Iurisconsulti affirmatiuè respondent, & ex Theologis Salas *in tract. de emptione, & venditione,* Ortiz *in summa cap.4. num.9.* Sed

R. Negatiuè, & in casu necessitatis, siuè in obsidione alicuius Ciuitatis recurrendum esse ad Iudices Ecclesiasticos, nisi talis sit necessitas, quod periculum sit in mora, aut per epicheiam censeatur concessum, & tunc in tali casu poterit triticum sequestrare, & ab horreis Clericorum extrahere, & vendere non vi iurisdictionis, sed ob instans periculum, & de facto iuris, quia Iudices sæculares non habent auctoritatem in Clericos, neque publica necessitas, seu vtilitas iurisdictionem illis præbet: vnde per Iudicem Ecclesiasticum sunt cogendi ad vendendum; sicuti etiam non ligat statutum Principis prohibens annonam, v.g. vinum, frumentum, & huiusmodi extra territorium deferri ad hoc, vt conseruetur abundantia in Ciuitate, Clericos quominus extrahere possint illa, quæ colligunt ex prædijs Ecclesiasticis. Na-

uarrus

uarrus *conf.3.de constit.* Couar.*in reg.possess.2.par.§.4. num.8.de regulis iuris in 6.*& alij; minus ligare si iubeat eandem annonam deferri, & conduci ad Ciuitatem. Ratio, quia per huiusmodi edictum nunquam derogatur priuilegio exemptorum, nisi constet, quod non possit aliũde euitari necessitas, & penuria. Ita Nata *consil.275. num. 4. vol. 2.* Decianus *consil.51.num.31.volum.3.* & alij. Neque arctat Clericos huiusmodi edictum, si prohibeat intromissionem frumenti, vel vini collecti extra territorium Principis, siue alterius particularis personæ. Boerius *decis. 125. num. 2.* Couaruu.*in cap. Possessor par.2 §. 4. num.8.de reg.iur. in 6.*

Sciendum, quod etsi tale edictum disponeret, quod omnes deberent accedere ad dictum molendinum, siue quod volentes accedere ad molendinum Communis non cogerentur soluere mensuram, quæ soluebatur per accedentes ad molendinum Clericorum, si Clerici habeant pariter molendinum, ad quod quilibet accedere potest, quia tunc indirectè afferret damnum Clericis, & ita edictum debet tolli. Abbas *cap. Ecclesia S.Mariæ num.31.* vbi etiam Felinus *qu.18.num.104* & alij. Ratio, quia Clericorum vtilitas non debet minui per statuta Laicorum, v. g. si accipiebant vtilitatem ab accessu Laicorum ad sua molendina, vel ad coquendũ ad suos furnos. Multò minus arctaret Clericos tale statutum, si prohiberet, ne Ciues accederent ad furnos, seù ad molendina Clericorum, vel Ecclesiarum. Ita Couar. *in cap. possessor par.2.§.4.num.8.& 9.*

An Iudex Laicus possit punire Apostatas?

BRACTEA XIV.

R. Negative. Et ita docet Bannes *in 2.2. quæst.12.art.1.* Castrus *lib.1.de iustit.hæreticorum punit. cap. 7.* Valentia *tom. 3. disput. 1. quæst.11.pun.1.* Caietanus *in 2.2.quæst.10.art.1.* Becan. *ibidem disput. 17.dub.1.* Azorius *tom.1.lib.8.cap.21.quæst.3.* Reginaldus *in direct. inquisit. par.2.comment. 74.* Ratio, quia non est peccatum distinctum specie ab hæresi, vt docent supra citati, & Iudex Laicus non potest se ingerere ad cognoscendum de hæresi, etiamsi agatur de quæstione facti, ergo neque de quæstione facti Apostasiæ.

An Iudex Laicus possit capere Clericum in flagranti crimine, & ipsum ducere ad suum Superiorem?

BRACTEA XV.

R. Affirmative. Ita Bonacina *de legibus disput.10.quæst.2.pun.1.§.1.num.22.* Nauarr. *in manuali cap.17 num. 83.* Grafhius *in decis. par. 1. lib.4. cap.18.num.152.* Duardus *in Bullà Cœnæ lib.2.canon. 29. quæst.7.num.2.* Ortiz *in summa cap. 4. num.9.* Gomez *variar.tom.3.cap.4. num.3.* Belletus *in disquisit. Clericali par.1.tit.3.§.11.nu.1.* Salgado *de potest. regia tom.2. cap.4 n.13.* Ratio huiusce exeptionis est, quia nihil videtur fieri contra immunitatem Ecclesię. Ita Menochius *de arbitr.cas.18.* Iulius Clarus *lib.5. quæst.28.num.6.* Ambrosin.*cap.18.num. 31.* Reginaldus *lib.19.num.70.* Diana *tract.2. de immunitate Ecclesia resolut.11.* & ita colligitur ex lege *raptoris cod. de Episcopis, & Clericis, leg.capite ff. de adulteris*, Felinus *in cap. si verò 2. de sentent. excommunicat.* & *in cap. Cum non ab homine num.3.* & alij licet Megala *in 3.par.lib. 3.cap.11.num.7.* Marta *de iurisdict. par. 4. centur.1 casu 42.num.17.* & alij talem exceptionem non admittant sequendo contrariam opinionem. Ratio, quia non est textus in iure Canonico, qui declaret posse Laicum Iudicem in hoc casu Clericum comprehendere etiam, vt ad Prælatum suum ducat, nisi de Prælati ipsius licentia.

Sciendum dari etiam alios casus, in quibus potest Clericus à Iudice sæculari capi, seu carcerari. Primus est, quando capitur propter delictum commissum ad effectum illum remittendi ad Iudicem Ecclesiasticũ, quia in tali casu, si de fuga sit suspectus licitè capi potest, & carcerari Gloss. *in cap. Cum non ab homine.* vbi Abbas *num.12.* Felinus *num.3.* Bartolus *in l.si quis in seruitute ff.de furtis*, Baldus *in l.si quã per calum, Cod.de Episcop. & Clericis*, Menochius *de arbitrar. casu 180 num. 3.* Secundus casus, quando agitur de delicto committendo, & tunc vt obuietur delicto futuro potest pariter Clericus per Laicum capi, & carcerari. Abbas *in cap. Cum non ab homine num. 12.* Felinus *num.1* Decius *num.36.* & alij. Tertius casus, quando capitur per familiam sæcularem de mandato Iudicis Ecclesiastici. *Cap. vt famæ §. fin.* Decius *in cap.Cum non ab homine num.46.* Felinus *n 2.* Quartus casus est, quod licitè potest Iudex sæcularis capere Clericum debitorem ex causa ciuili, si de fuga sit suspectus. Felinus *in cap. Cum non ab homine num. 1.* Abbas *in cap. Vt famæ num. 6. de sententia excommunicationis* Baldus *in cap. Dilectis num.9.de appellat.* si autem Clericus offerret cautionem idoneam, tunc Laicus debet illam acceptare, & non illum capere. Baldus *in cap.Cum ab homine num.7* Quintò, familia Iudicis sęcularis potest etiam capere Clericum incedentem diu, seù noctu cum armis prohibitis, & illum ducere ad Iudicem ipsius Clerici, vt puniatur. Abbas *in cap.Cum non ab homine num.15.* Couar.*pract.qu. cap. 37. num. 7.* Menoch.*de arbitr.casu 393.num. 3.* de quo casu infra dicetur.

Sciendum, quod Laicus in casibus, in quibus potest capere Clericum, non potest ipsum in carceribus retinere vltra viginti horas. Abbas *in cap. Cum ab homine num. 11.* & de communi testatur Farinacius *quæst.8.num.118.*

An Iudex Laicus possit punire eum, qui deliquit dum habebat beneficium Ecclesiasticum, & posteà matrimonium contraxit?

BRACTEA XVI.

R. Non posse puniri à Iudice Laico, sed debere puniri à Iudice Ecclesiastico. Ratio, quia ad cognoscendum cui foro, quis subijcitur inspiciendum est delicti tempus, & status, in quo tempore delicti reperiebatur, ex Baldo in *leg. Affinitatis C. de success.* sed hic tempore delicti erat Clericus, & consequenter immunis à laica potestate sicut nouitius, qui tempore nouitiatus delictum commisit non potest relicto habitu ob delictum in nouitiatu commissum à Laico puniri. Et ita docet Berardus in addit. ad Iulium Clarum *qu. 36. num 46.* Nec

sequitur

ſequitur delictum remanere impunitum, quia poteſt à Prelato, vel à Summo Pontifice, qui omnium Religioſorum caput eſt puniri?

Sciendum dubium eſſe, an coram Iudice ſeculari laicus conuentus, qui poſteà factus eſt Clericus mutet forum, ita vt quæſtio incepta per Iudicem ſecularem ſit terminanda coram Iudice Eccleſiaſtico. Ad quod reſpondeo cum diſtinctione, aut talis delinquens ſuſcepit Clericatum in fraudem, vt ſe eximeret à iuriſdictione ſeculari, aut delinquens Clericatum aſſumpſit, abſque fraude: ſi aſſumpſit delinquens habitum priori modo, vt ſcilicet ſe eximeret à iuriſdictione ſeculari, tunc non liberatur à iudice ſeculari; dicitur autem Clericatus in fraudem aſſumi poſt delictum, ſi poſt diſamationem, vel poſt accuſationem, ſeù inquiſitionem aut citationem, vel contumaciam ſiuè condẽnationem aſſumatur *leg. finali ff. de bonis eorum, qui ſibi mortem conſciuerunt leg. fin. ff. de re militari*, Rodriquez *quæſt. regul. tom. 2. quæſt. 2. art. 3.* Duardus *in comment. Bullę Cęnæ Domini lib. 2. cap. 15. qu. 11. n. 6.* Ricius *in praxi reſolut. part. 2. reſolut. 59.* Si verò delinquens habitum Clericalem aſſumpſit poſteriori modo eximitur à iuriſdictione Iudicis Laici, & relinqui debet Iudici Eccleſiaſtico puniendus. Bald. in *leg. affinis. cod. cum de ſucceſſ.* Ratio, quia ſtatus Eccleſiaſticus liberat à iuriſdictione Iudicis ſæcularis, Oldradus *conſil. 4.* Marta *de iuriſdict. part. 4. caſu 121. num. 11.*

An Iudex Laicus poſſit cognoſcere in caſu hæreſis ſi agatur de quæſtione facti?

BRACTEA XVII.

R. Iudicem Laicum in crimine hæreſis non poſſe iudicare etiam inter ſæculares, nã in eo ſolus Clericus eſt Iudex *cap. ad abſoluendam* vbi Abbas *num. 7. & 12. cap. Excommun. de heret. cap. vt inquiſitionis §. Prohibemus de heret. in 6.* Abbas *in cap. Cum ſit num. 19.* Azorius *inſtitut. moral part. 1. li. 8. titulo de ſacra Apoſtolica inquiſit. cap. 18. quæſt. 2.* Fellinus *in cap. Cum ſit num. 1 de foro competenti*, Dec. *in cap. 2. num 24. de Iudicijs*; quòd adeo verum eſt, vt neque etiam ſæcularis poſſit eſſe Iudex poſtquam ei aliquis eſt traditus, de hæreſi *condemnatus ſuper ipſo crimine* aliquo modo cognoſcere, neque pęnam impoſitam commutare.

R. 2. Iudicem Laicum non poſſe cognoſcere de ſortilegio, quando hæreſim continet, ſed eius cognitio ad ſolum Iudicem Eccleſiaſticum ſpectat. *Cap. Accuſatus § ſanè cum negotium de hereticis in 6.* Farinacius *de hereſi quæſt. 18.* & alij.

Sciendum tunc ſortilegium ſapere hæreſim, quando inuocantur, aut conſuluntur Dœmones ad futura noſcenda, & expectantur eorum reſponſa, & fiunt eis preces, & ſacrificia, & quando fit cum hoſtia conſecrata, ſeù rebaptizando aliquem, aut admiſcentur Sacramenta, ſiuè ſacramentalia: ſecus autem vbi non fiunt iſta, vel huiuſmodi, nam licet inuocarẽtur Demones ad teſtandam pudicitiam mulieris, ſiuè viri, vel huiuſmodi, non ſapit hæreſim, licet in ſe grauiſſimum ſit peccatum, quia proprium Dęmonis eſt tentare creaturam, & ita Abbas *in cap. 1. num. 4. de ſortilegio*, Alphonſus de Caſtro *lib. 2. de iuſta hereticorum punit. cap. 15.* Farinacius *in praxi crimin. tom. 1. part. 1. quæſt. 20. n. 79.*

An Iudex Laicus poſſit cognoſcere crimen vſuræ, ſiuè de facto ſiuè de iure quæratur?

BRACTEA XVIII.

R. Crimen vſuræ eſſe delictum mixti fori, ita vt ſit locus præuentioni, poſſeq; huius delicti reum, vbi non vertitur in dubium, illum commiſiſſe vſuram, tam ex mandato Iudicis Eccleſiaſtici, quam ſæcularis compelli ad reſtitutionem vſurarum, ſi quas acceperit, & reſpectu illius delicti puniri, vbi res verò dubia fuerit vtrumque pertinet ad Eccleſiaſticum Iudicem, an contractus ille in iudicium Eccleſiæ tanquam ſuſpectus de vſura vocatus vſurarius ſit, & reum ſi in labem iniquitatis vſurariæ inciderit ad reſtitutionem compellere, & punire. Ita Salonius *in 2. 2. tom. 2. quæſt. 78. art. 3.* Layman *in Theolog. morali lib. 4. tracti. . cap. 2. num. 8.* Mich. de Palatio *lib. 4. contractum cap. vlt.* Cardinalis Thuſcus *tom 8. §. vſura concl. 367. n. 19.* Reginald. *in praxi tom. 2. lib. 33. cap. 9. ſect. 1. num. 93.* & ideò dicendum, quod quando eſt quæſtio facti pertinet, tàm ad Laicum, quàm ad Eccleſiaſticum Iudicem; quando verò eſt quæſtio Iuris propriè pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum de ea cognoſcere. Ita Marta *de iuriſdict. par. 2. cap. 7. num. 11.* Silueſter *verbo vſura 9.* Scacia *tract. de commer. §. 7. gloſſ. 5. num. 81.* & alii.

Sciendum idem, etiam dicendum de adulterio, quia crimen adulterij eſt mixti fori, quo ad omnes pęnas excepta pęna sãguinis, & ideò datur locus præuentioni; tùm etiam quia per adulterium peccatur contrà matrimoniũ, quod eſt vnum de ſacramentis Eccleſiæ, & ſic aliquo modo peccatur contrà Eccleſiam, & ita ſentiunt omnes Canoniſtæ *in cap. gaudemus de diuort.* Couar. *part. 2. cap. 7. §. 7.* Abbas *in cap. Tua num. 6. & in cap. cum ſit de foro compet. num. 24.* Layman *in Theolog. moral. lib. 4. tract. 9. cap. 2. num. 55.* Bellet. *diſquiſ. Clerical. part. 1. tit. de fauore Cleric. reali § 5. n. 63.*

Negatiuam ſententiam tenet Pereyra *de manu regia p. 2. c. 56.* & alij docent crimẽ adulterij eſſe ſæculare ratione materię, & perſonæ, & per conſequens ſpectare ſolum ad Iudicem Laicũ eum punire, ſed hæc opinio cenſetur contrà communem opinionem omnium Doctorum, vt ſuprà dictum eſt. Secundò poſſe Epiſcopum punires ſponſos, qui ſimul cohabitant, ſeù alio, qui inter eos intercedit, ſeù interceſſit copula prius quam matrimonium per verba de pręſenti fuerit celebratum, vt declarauit ſacra Congregatio Cardinalium ſuper Conciliũ Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. de reformat. matrimonij in §. ſponſus, qui ſponſam §. qui promiſerint*, atque punire poterit Epiſcopus contrahentes matrimonium clandeſtinum. Couar. *in 4. decretal. part. 2. cap. 6. num. 11.* Similiter Epiſcopum poſſe punire Laicos concubinarios, vt conſtat ex Concil. Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 8.* cum concubinatus ſit crimen mixti fori. Ita Azorius *cap. 53. quæſt. 2.* & alij. Aduertendum tamen eſt, quod ſi Epiſcopus contrà eos vult ferre ſententiam excommunicationis, neceſſe eſt, quod præcedant tres monitiones concubinarijs, non verò ſi pœnis pęcuniarijs, vel alijs punire velit, quia in tali caſu non requiritur ſolemnitas, de qua loquitur Concilium in *cap. 8.* & ita Pereyra *tract. de manu regia par. 1. cap. 7. num. 24.*

Scien-

Sciendum 2. quod casus mixti fori dicuntur delicta, quæ lege Canonica, & imperiali sunt prohibita. Abbas in *cap. cum sit*, Decianus *in tract. crimin. tit. 4. cap. 26. num. 63.* & ideò vterque Iudex, tàm Ecclesiasticus, quàm Laicus procedere potest. Secundò, ad hoc, vt delictum dici possit mixtum necesse est, quod detur concursus legis prohibentis adeò, vt vnaquæque lex omnes contrauenientes complectatur, & omnes generaliter liget, nam si vni denegaretur, & alteri permitteretur Iudices ad imparia iudicarent, non esset delictum mixti fori: Surdus *consil. 304. num. 9. & 10. volum. 3.*

Sciendum 3. quod primus casus mixti fori est casus sacrilegij, *leg. si quis in hoc genus*, & ibi Baldus *C. de Episcopis, & Clericis*, Abbas *in cap. Si Clericus Laicum num. 2.* Bartolus *in leg. Si cui §. Cum sacrilegium num. 3.* Couar. *variar. resolut. lib. 2. cap. 20. num. 18.* Farinacius *in praxi criminali tom. 1. part. 1. quæst. 8. num. 132.* Menochius *de arbitrarijs casu 389.* Sacrilegium autem committitur pluribus modis. Primum cum sacrum de sacro, vel sacrũ de non sacro, vel non sacrum de sacro aufertur. *Cap. si quis contumax*, & *cap. Quisquis*. Secundò, vulnerando, seù percutiendo Clericum, vel Monachum, seù aliam personam Ecclesiasticam. Tertiò per copulam cum Moniali. *cap. Impudicas 24. quæst. 1.* Felinus *in cap. Cum sit num. 12. de foro compet.* Item propter fornicationem commissam in Ecclesia, etiam occultè committitur sacrilegium. Suarez *lib. 3. de Relig. cap. 7. n. 4.* Similiter etiam sacrilegium committitur si fiat in Ecclesia actus impudici, & in partibus inhonestis. Quartò, facultates Ecclesiarum inuadendo, vastando, rapiendo, siuè aliter occupando, vel alienando, siuè alienationi consentiendo. *Cap. Nulli, & cap. Prædia 12. quæst. 2. cap. sunt qui opes, cap. sacrilegium, cap. omnes, cap. sicut, & cap. attendendum*, siuè hæc sint bona patrimonialia Clericorum, vel etiam Ecclesias vastando, destruendo, siuè aliter violando. *Cap. sicut, & cap. super eo*, violando etiam Ecclesiæ immunitatem committitur sacrilegium, vt in illa riuas, siuè strepitum excitando, pugnando, aliquem vulnerando, siuè sanguine violenter polluendo. *cap. sicut cap. si quis in atrio, cap. Quisquis, §. sacrilegium, cap. si quis suadente 17. quæst. 48.* Item qui ab Ecclesia extrahit ad illam confugientem, *cap. eos, qui 86. cap. misso, cap. frater, cap. si quis contumax, cap. Quisquis, & cap. definiuit*, quia fugientes ad Ecclesiam, vel ibi residentes nullus potest inde abstrahere, aut eisdem aliquid nocumenti, vel damni inferre. *cap. definiuit*, Boetius *decis. 209.* quia Ecclesia gaudet priuilegio immunitatis; similiter cœmeteria ipsi Ecclesiæ contigua, Ecclesia etiam interdicta, *Hostiensis in summ. de immunit. Ecclesiæ §. in quantum*, Archidiaconus *in cap. frater num. 5.* Suarez *lib. 3. cap. 9. n. 6.* vbi hoc extẽdit etiam ad Ecclesiam pollutam, item etiamsi Ecclesia nondum sit consecrata, sed tantum benedicta, quia est Diuinis obsequijs dedicata. *Cap. fin. de consecrat. Ecclesiæ*, vbi *gloss. in verbo consecrata*, Archidiaconus *in cap. fraternitatis num. 5.* Hostiensis *in cap. Inter alia*: huiusmodi autem Ecclesiæ si fuerint Cathedrales, habent etiam priuilegium immunitatis per circuitum quadraginta passuum; si verò fuerint minores Ecclesiæ triginta, nisi habeant circumcircà domos Laicorum contiguas. *Cap. sicut antiquitus, cap. Quisquis* Archidiaconus *in cap. definiuit*, Abbas *in cap. Ecclesiæ num. 10.* Couar. *variar. resolut. lib. 2. cap. 20. num. 5.* Suarez *lib. 3. de Relig. cap. 13. num. 3.* & alij; Porticus item, siuè claustra Ecclesijs adhærentia, *Cap. si quis contumax*, Decianus *in tract. crim. tom. 2. lib. 6. cap. 25. num. 17.* Domus Canonicalis, siuè personalis existens iuxtà dictos quadraginta, seu triginta passus eodem priuilegio gaudet, nisi habeat circum circà domus laicorum; Palatium item Episcopi, etiam sit extrà illos quadraginta passus: hospitalia itidem, & Monasteria, & loca religiosa, domus piæ, vt seminarium, & huiusmodi, si auctoritate Apostolica, siuè ordinaria fuerint erecta, Archidiaconus *in cap. definiuit num. 1.* Farinacius *de immunit. Ecclesiast. cap. 16. num. 32.* Riccius *in praxi resolut. par. 3. resol. 412.*

Secundus casus mixti fori est concubinatus, de quo dictum est suprà, *Cap. Is, qui 34. Cap. Cum sit num. 25.* Azorius *par. 2. lib. 3. cap. 53.* Farinacius *praxi tom. 1. par. 1. qu. 8. nu. 131.* Concilium Tridenti. *sess. 24. cap. 8. de reformat. matrimonij.*

Tertius casus est adulterij, nam cùm hoc delictum sit violatio Sacramenti matrimonij merito eius vindicta pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum, & sæcularem. *Cap. Tua de procur. cap. de benedicto, cap. Consuluit de appellat.* & alia iura.

Quartus casus mixti fori est stupri cum virgine. *Leg. inter stuprum § virginem ff. de verbor. signif. cap. Nemo verbo stuprum 32. quæst. 4.* Hostiensis *in cap. ex par. num. 1. de sepulturis*; & stuprans virginem vi, vel seductione etiam acquiescentem tenetur eam dotare, vel in vxorem ducere; & ad hoc potest per Episcopum compelli, vel si non vult illam in vxorem ducere, debet illa dotare, siuè spontè, siuè illa passa fuerit se deflorari, siuè seducta, siuè decepta. *Cap. Tria 36. quæst. 2. cap. 2. de adulterijs*, Nauarr. *consil. 1. de sponsalibus*, Mascardus *de probat. lib. 3. conclus. 1338.* in dubiis, an fuerit virgo viro negante fuisse virginem, quando illam primò carnaliter cognouit, præsumitur fuisse virginem, nisi stuprator contrarium probauerit. Abbas *in cap. 1. num. 5.*

Quintus casus mixti fori est vitium sodomiæ. *Cap. Clerici*, vbi Abbas *num. 2. de excessibus Prælatorum*, Abbas *in cap. Quod super num. 14.* Felinus *in cap. Cum sit num. 28.* Incestus pariter est mixti fori, licet sit cum commatre. Ratio, quia fit iniuria Sacramento, quo mediante oritur impedimẽtum cognationis spiritualis; tunc etiam quia impedimentum cognationis spiritualis fuit adinuentum à iure Canonico, concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 2. de reformat.*

Sextus casus est sortilegij, de quo suprà dictum est.

Septimus casus est obseruationis iuramenti in contractu appositi de obseruando contractu. *Cap. licet de iureiurando in 6.* Felinus *in cap. Cum sit num. 6.* Seraphin. *in tract. de priuileg. iuramenti priuileg. 3.* secus tamen vbi ageretur, quod iuramẽtum non obseruaretur, & sic de distractu, quia non valet argumentum aliquis sortitur forum alicuius Iudicis, v. g. Ecclesiastici ratione contractus iurati; ergo pariter idem forum sortitur, si agatur de distractu. Couar. *in epitome de sponsal. par. 2. cap. 4. num. 8.* Item secus in hærede iurantis, quia licet iuramenti vices quoad obseruationem contractus per defunctum celebrati transeant etiam in heredem, nihilominus quia iuramẽtum quoad vinculum spiritualitatis est personale ad hæredes quoad reatum periurij

non transit; ideò hæres iurantis ad obseruationem iuramenti, per defunctum præstiti coram Iudice Ecclesiastico conueniri non potest. Abbas *cap fin.num.*4. & alij.

Octauus casus est vsurarum, de quo dictum est supra.

Nonus casus sunt blasphemiæ. *Cap.* 2. & ibi Abbas *num.*9. Felinus *in cap. Cum sit num.*18. Clarus *in §. Blasphemia num.* 4. Couar. *variar. resolut.lib.*2. *cap.*10.*num.*7. Blasphemiæ verò hæreticæ lis solus Ecclesiasticus est Iudex. *Cap. Vt inquisit. §. Prohibemus de hæreticis in 6.*

Decimus casus est decimarum, de quo infra dicetur.

Vndecimus casus sunt, imagines verberantium, vel deturpantium. Marsilius *in praxi criminali §. & quia num.* 25. Simancas *de catholica institut. tit* 35.

Duodecimus casus, contra ludentes aleis in publicis, vel priuatis domibus, vel locis, siuè inspicientes potest Iudex sæcularis inquirere, & prouidere. *Leg. Alearum Cod. de alear. Inscribus*, Menochius *de arbitr. casu* 399.

Decimustertius casus est falsificatio litterarum Apostolicarum. *Cap. Ad falsarium.*

Decimusquartus casus est, quando quis contrahit secũdum matrimonium viuente priore Couaruuias *numer.* 4. *decret. par.* 2. *cap.*17. §. 3. *num.*6.

Decimusquintus casus est lenocinium cum propria vxore. *leg. §. si pub.* Abbas *in cap. Tua de procuratione, leg. si canones Cod. de Episcop.* nam Iudex, qui de adulterio cognoscit, etiam de lenocinio cognoscere poterit; quod etiam dicendum est de lenocinio eius, qui mediator fuit, vt virgo defloraretur, qui cum hoc casu, crimen lenocinij sit annexum cum crimine stupri media persona lenonis commissi *de connexis idem iudicium cap. Translato.*

Decimussextus casus est fornicatio simplex, quæ licet de iure Diuino non sit punibilis, tamẽ de iure Canonico, & Clarus *in §. Fornic.* quia est prohibita iure Diuino. Exodi 20. Deutoronom. 5. Genesis 38. *num.* ad Thessalonicẽses 4. ad Ephesios 5. & ad Corinthios 5 *&* 6.

Sciendum dubium esse, an in casibus mixti fori possit Iudex Ecclesiasticus sine auxilio brachij sæcularis in carcerem detrudere. Ad quod respondeo posse contra plures apud Barbosam *de potestate Episcopi par.* 3. *allegat.* 107. qui asserunt Episcopos non posse procedere contra Laicos alijs pœnis, quam censuris Ecclesiasticis, sed hæc opinio optimè refellitur à Barbosa *loco citato*, & ab Azorio *par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 13. *quæst.*3.

An Iudex Ecclesiasticus teneatur in causis Ecclesiasticis, aut mixti fori præbere processus Iudicibus sæcularibus, à quibus auxilium petit?

BRACTEA XIX.

R. Negatiue. Et ita Moneta *de iudicibus cap.*8.*num.*261. Segura *in direct. Iudicum Ecclesiasticorum par.*2.*cap.*13. *num.* 33. Anguianus *in tract. de legibus lib.*3.*controu.*31.*num.* 7. vbi probat sæcularem Iudicem requisitum per Ordinarium, vel Delegatum Ecclesiasticum, petere non posse se instrui velle ex actis coram tali Ecclesiastico requirenti factis, nũnc ritè, & rectè processum fuerit, sed statim teneri impertire brachium secum, etiamsi processus sibi non ostendatur, cuius copiam petere non potest, neque differre executionem brachij petiti, nec directè, neque indirectè se intromittere, vtpotè ad quẽ nuda, & pura dũtaxat spectat executio: & hæc opinio tenenda est, non solùm quando Iudex Ecclesiasticus procedit in causis Ecclesiasticis, sed etiam mixti fori. Ita Doctores citati contra plures alios relatos à Diana *tract.*2.*de immunit. resolut.*109. tenentes affirmatiuam sententiam.

An Iudex Laicus possit iudicare in causa decimarum?

BRACTEA XX.

R. Quæstionem iuris circa decimas, vt v.g. si ad certam Ecclesiam pertineat ius decimarum, & sit ne aliquis priuilegiatus quo titulo percipiantur. item de modo decimandi, de tempore, pertinere ad solum Iudicem Ecclesiasticum. Si autem quæstio sit facti Iudex Laicus competens erit, & est mixti fori, vt si v.g. talis percepit, vel soluit, seù etiam percipiat, vel soluat decimas, ad effectum quoque, vt is, de quo non dubitat, an iure soluere debeat decimas, eas soluere Ecclesiæ, cuique fateri cogatur, vel quia agatur contra tertium detentorem fructuum decimandorum; item si agatur de restitutione illarum, quando furto auferuntur, aut venduntur, aut in alios vsus temporales conuertuntur. Et ita tenet Facundes *præcepto* 5. *lib.* 3. *cap.*5.*num.*1. *&* 2. & alij apud ipsum, licet contrariæ opinionis sit Homobonus *de examine Ecclesiarum par.*2.*tract.*8.*c.*8.*qu.*14. Azorius *par.*1.*lib.*7.*cap.* 36.*quæst.*5. vbi docent etiam, quando quæstio est facti solùm Ecclesiasticum esse Iudicem competentem circa decimas. Ratio, quia causa decimarum est Ecclesiastica; causa autem Ecclesiastica, & spiritualis coram Iudice Ecclesiasticò agenda est. *Cap. Parochianos de decimis*; tum quia sic decernitur *Cap. ad hæc de decimis.*

An Laicus conductor decimarum sit conueniendus coram Iudice Laico?

BRACTEA XXI.

R. Coram vtroque Iudice Ecclesiastico, & Laico posse conueniri, & per consequens esse mixti fori, & locum dari præuentioni. Ita Germonius *de Sacror. immunit. lib.*3.*cap.* 19.*num.*97. licet Azorius *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 36. *quæst.* 6. doceat spectare solùm ad Iudicem Ecclesiasticum, cũ ortum habeat ex iure decimarum, quod ius Ecclesiasticum, ac spirituale est, non autem ciuile, & prophanum. Couar. *practicar. quæst. cap.* 35. & Gutier. etiam *practicar. quæst. lib.* 3. *quæst.*26.*num.*10. affirmant coram Iudice Laico debere conueniri; quæ opinio non censetur probabilis, cæteræ verò opiniones probabiles, & possunt amplecti.

Sciendum dubium esse, an quando decimæ sunt sæcularibus in feudum datæ, cognitio pertineat

tineat ad Iudicem sęcularem Ad quod respondeo negatiuè. Et ita Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 26. quest. 3.* Fagundes *precepto 5. lib. 3. cap. 5. num. 11. & 12.* & alij. Ratio est, quia feudum ipsum adhuc ex iure decimarum oritur, quod est Ecclesiasticū, neque priuilegium percipiendi decimas extendi debet ad cognitionem causę, nisi id exprimatur.

An Iudex sęcularis possit cogere Laicos ad condonandam obligationem iuramenti metu, aut iniuria extorti?

BRACTEA XXII.

Affirmatiuè respondet Molina *de iustitia tom. 2. tract. 2. disput. 249.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 9. quest. 6.* Afflictus *decis. Neapolit. 263.* Gutier. *Autentica Puberum num. 160. Cod. Si aduersus venditores*, Auendana *in cap. Prater par 2. cap. 27. num. 15.* Verùm hęc opinio limitatur à Diana *tract. 2. de immunit. Ecclesiar. resolut. 116.* Primò, quando constat de recipientis turpitudine, tenetur ipsum relaxare, si verò dubium adest, solus Iudex Ecclesiasticus erit competens, non autem Laicus. Ita Tabiena *verbo iurare quest. 20. num. 21.* Afflict. 16; & Molina *locis citatis*, Abbas *in cap. 2. de iureiur nu 3* & ibidem Alexander de Neuo *n 3.* cum alijs; Et quando res, circa quam prǽsertim est iuramentum spectat ad forum sęculare: secus autem nō potest Iudex Laicus de tali iuramento cognoscere. Super absolutione autem à iuramēto ad effectum agendi, siuè excipiendi, seu super validitate, aut inualiditate iuramenti, siuè an fuerit licitum, vel non Ecclesia solà cognoscit. *Cap. Cum quidam § fin. de iureiurando. cap. Licet. cap. Venerabilem § idem.* Couar. *in cap. Quam quis par. 1. § 3. num. 8.* Ricciùs *in praxi resolut. par. 1. resolut. 295.* & Iudex Ecclesiasticus coram quo pendet causa absolutionis à iuramento, potest inhibere Iudici sęculari, coram quo petitur executio contractus. Federicus *consil. 88.* Purpuratus *consil. 155. volum. 1.*

An Iudex Laicus consuetudinem inducens, vel ex ea introducta vtens contra libertatem Ecclesiasticam, incidat in excommunicationem Bullę Cœnę?

BRACTEA XXIII.

Suarez *de censuris disput. 21. sect. 2. num. 86.* Duardus *in Bulla Cœnę canon. 15. quest. 13.* Reginaldus *tom. 1. lib. 9 cap. 23. num. 361.* Filliucius *tom. 1. tract. 16. cap. 10. num 268.* & alij negatiuam tenent sententiam. Ratio, quia Bulla loquitur de statutis, & decretis, non autem de consuetudinibus. Sed solùm in censuram latam in *cap. Nouerit de sentent. excommun.*

Sayrus *de sensibus lib. 3. cap. 19. num. 10.* Sousa *cap. 16. disput. 81. num. 6.* affirmant incidere in excommunicationem Bullę, quę opinio mihi videtur probabilis, & sequenda; vnde videant Ministri Laicalis iurisdictionis quid faciant. An verò incurratur etiam censura ab his, qui sciunt seruari statutum contra libertatem Ecclesiasticā, & non impediunt: opiniones sunt diuersę, licet plures affirment, quia censura lata ob positiuam actionem, incurritur ob omissionem.

An Iudex sęcularis possit iudicare causas Clericorum, qui hęredes sunt alicuius sęcularis?

BRACTEA XXIV.

Non posse Clericum, qui tamquam hęres in bona Laici successit ratione illorū bonorū à Iudice sęculari iudicari, etiamsi lis inchoata fuisset cōtra Laicum corā Iudice Laico. Ratio est, quia Clericus est exemptus; tum etiam quia sententia prolata à Iudice esset frustra, quia non potest executioni mandari. Ita Felinus, Abbas, Imola citati ab Ambrosino *de immun. Eccles. cap. 20. num. 25.*

An Iudex sęcularis possit punire Clericum, qui sine habitu, & tonsura immiscet se in delictis grauissimis?

BRACTEA XXV.

Ad hoc, vt Clericus se in enormitatibus immiscens à Iudice sęculari puniri possit, & sic amittat priuilegium fori, plura requiruntur. Primò, vt precesserit trina admonitio. *Cap. fin. de vita, & honest. Clericorum*, quod principaliter requiritur in Clerico in minoribus solum constituto, quia de Clerico in sacris constituto non desunt Auctores, qui teneant talem Clericum in enormitatibus se immiscentem absq; alio, & non pręuia trina admonitione posse puniri à Iudice Laico. Ita apud Bellettum *in disquisit. Clericali par. 1. tit. de fauore Clericorum personali § 7. n. 1. & 2.* Secūdò requiritur, quod non incedat in habitu. Tertiò, quod se immisceat enormitatibus. Quartò, quod in illis frequētauerit. Quintò, q in illis sit deprehensus. Sextò, quod post monitionem fuerit incorrigibilis; & ita etiam docet Rodriquez *tom. 2. quast. 2. art. 5.* Bonacina *de legibus disput. 10. quast. 2. pun. 1. § 1. num. 5.* Angelus *in verbo Clericus 10. num. 1.* Tabiena *verbo excommun. 5. num. 25.* & ratio colligitur *in cap. Ad audientiam, & in cap. Contingit de sentent. excommun.* vbi Summus Pontifex determinat, quod non pręcedente trina admonitione Clericus non amittit priuilegium fori; quę decisio, est ita vera, vt Clericus etiam incorrigibilis non amittat priuilegium fori, nisi prius fuerit ter monitus, huiusmodi autem trina monitio fieri debet à Iudice Ecclesiastico, non à sęculari. *Cap. in audientia, & cap. Contingit*, & non solùm debet esse trina, sed specialis nominatim, & in personam facta; neq; sufficit generalis vnica. Ita Couar. *practicar. quast. cap. 32. num. 1.* Alexander de Neuo *consil. 60. num. 7.* nisi fortè fuisset huiusmodi monitio facta in Synodo sub expressa cominatione, & pœna, quia tunc illa vnica sufficit pro trina monitione, neque est necessarium, quod fiat monitio specialis, sed nominatim. *Cap. 1. de constit. in 6.* quādo autem tractatur de incurrenda pęna imposita à iure post trinam monitionem, tunc monitio debet esse specialis in personam. Imola, & alij *de vita, & honest. Clericorum.*

An Iudex Laicus possit cognoscere de Clericatu, & de habitu?

BRACTEA XXVI.

R. Primo non spectare ad Iudicem laicum, sed ad Iudicem Ecclesiasticum, quando vertitur controuersia super vestibus, & habitu Clericali. Ratio quia habitus est, quid accessorium ad spirituale. Ita Belletus *disquisit. Clericalium par. 1. tit. de fauore Clericor. personali § 14. num. 4.* & alij plures ab eo citati. Secundò Iudicem laicum non posse cognoscere, an Clericus vestitus sit veste Clericali, vt gaudeat priuilegio fori, sed talem cognitionem spectare ad Iudicem Ecclesiasticum. Ita Belletus *loc. cit.* Pereyra *de manu regia par. 2. cap. 44.* putat per *caput si Iudex de sent. excommun.* non esse licitū Laicis cognoscere quæstionem iuris circa Clericos: secus quæ ad quæstionem facti, vt est cognitio de habitu Clericali, sed vt supradictum est, contrarium tenendum est, quam sententiam cum Diana plures ab eo citati defendunt *tract. 1. de immunit. Ecclesiast. resolut. 1.* nimirùm spectare ad Iudicem Ecclesiasticum decidere de habitu Clericali, quæ sententia fuit terminata à Sacra Eminentissimorum Cardinalium Congregatione die vndecima Iulij anno 1595. dum autem pendet cognitio coram Iudice Ecclesiastico, super his controuersijs debet Iudex sæcularis suspendere à progressu, in causa delicti. *Cap. Si Iudex Laicus.* Ratio est, quia interim nescit se esse Iudicem, potest tamen Clericus ostendere Iudici sæculari instrumentum sui Clericatus, vt eum instruat, interim potest à Iudice sęculari custodiri in carceribus, si ante deprehensionem publicè captus se gerebat pro Laico, ac pro tali communiter habebatur, quamuis deprehensionis tempore fuerit etiam in habitu Clericali, secus autem si fuit captus in habitu Clericali, siuè etiam laicali, & fama erat publica, & notoria, quod ille esset Clericus, & pro Laico publicè non se gerebat, quia tunc est remittendus ad Iudicem Ecclesiasticum incontinenti etiam ante cognitionem Clericatus. *Cap. Si Iudex Laicus;* Iudex autem sæcularis non potest interim Clericum ita detentum examinare, & si hoc faceret, & Clericus etiam coram eo delictum confiteretur talis confessio, & huiusmodi processus coram eodem Iudice sęculari factus; tamquam à Iudice incompetenti factus non valeret.

An Iudex Laicus possit punire Clericum delinquentem in suo officio sæculari?

BRACTEA XXVII.

R. Negatiuè contra Pereyram *de manu regia par. 2. cap. 48.* vbi asserit, quod Clericus potest puniri à Principe si in officio dato delinquat. Ratio est, quia Bulla vniuersaliter loquitur, & solum excipit casus, in iure expressos, exceptio autem firmat regulam in casibus non exceptis, & licet Ecclesiasticus exerceat officia sæcularia ex licentia sui Superioris, v. g. officium Tutoris, vel Curatoris, vel administrationis bonorum, nihilominus priuilegium Clericale retinet, & ideò non potest in iudicium à Laico ad reddendam rationem vocari. Ita Bonacina *in Bulla Cœnæ disput. 5. num. 17.* Paulus Squilas *de priuilegio Clericor. cap. 7. dub. 3. num. 83.* Similiter Iudicem Ecclesiasticum posse iudicare pro re emphiteotica Ecclesiastica, quā Laicus tenet; & ita decisum fuit in sacra Rota Romana die 28. Martij 1631. coram Illustrissimo Domino Merlino, in qua citantur plures decisiones pro immunitate Ecclesiastica ex Sacris Canonibus, & Doctoribus. Primò licet Iuspatronatus Laicorum non sit propriè spirituale, attamen, quia est annexum spirituali, ideò super illo iudicat solus Iudex Ecclesiasticus.

Secundò, possessio rei spiritualis licet sit merè temporalis, & laicalis; attamen etiam solum de possessione cognoscit Iudex Ecclesiasticus, quemadmodum de ipsa proprietate, non autem laicus, cum qualitas spiritualitatis, qualitatem temporalitatis absorbeat.

Tertiò, causa decimarum, licèt in feudum datarum sæcularibus, discutienda est corā Iudice Ecclesiastico, licèt enim dominium huiusmodi decimarum scilicet fructuum illorum omninò spectet ad Laicos, & feudum censeatur sæculare, tamen quia oritur, & dependet à Iure spirituali, & Ecclesiastico non potest Iudex Laicus de illis cognoscere.

Quartò, possessorium matrimonij, quamuis agatur inter personas merè Laicas, tamen quia habet admixtam causam, & titulum spiritualitatis definiendum est à Iudice Ecclesiastico.

Quintò, ratione connexionis dominij vtilis cum, directo emphiteota Ecclesiæ non teneri ad collectas, & onera realia statuto Laicorum super rebus, & bonis imposita.

An Iudex sæcularis possit cognoscere, vtrum reus gaudeat immunitate?

BRACTEA XXVIII.

R. Iuxta Bullam Gregorij XIII. non esse dubitandum solum expectare ad Iudicem Ecclesiasticum, non autem ad Iudicem Laicū cognitionem, an reus debeat gaudere priuilegio immunitatis, & ita sentit Loterius *de Beneficijs tom. 1. lib. 1. qu. 13. num. 96.* Bonacina *in Decalog. disp. 3. quæst. 7. pun. 10.* Ratio est, quia causa immunitatis, cum sit Ecclesiastica à Iudicibus Ecclesiasticis videri debet, & examinari, neque in fauorem laici valet aliqua consuetudo in contrarium, cum per dictam Constitutionē Gregorij XIV. omnes fuerint ablatæ; vndè non sunt audiendi Doctores dicentes, quod licet assistat Ius Canonicum pro immunitate, contrarium de consuetudine seruari testantur, & nunc in casibus contingentibus non ad consuetudinem, sed ad Bullam Gregorij XIV. recurrere debent, alioquin censuras minimè fugiēt.

Ità etiam cognitionem loci, an sit sacer, aut prophanus spectare ad Iudice Ecclesiasticum, & non ad Laicum, & ità sentiunt Bonacina in *Decalog. disp. 3. qu. 7. pun. 3. num. 16.* Marta *de iurisd. part. 2. cap. 50. num. 4.* Marius Iurba *consil. 10. num. 7.* & plures alij.

An

An Iudex Laicus, siuè eius minister inueniens Ecclesiasticos exportantes frumentum, &c. à Prouincia contrà legem possit talia auferre, sine fractione libertatis Ecclesiasticæ, & timore excommunicationis?

BRACTEA XXIX.


R. Nullo modo posse, & si auferat frangere libertatem Ecclesiasticam, & incidere in excommunicationem; & ratio est, quia Clerici vi coactiua non possunt comprehendi sub tali statuto; & ità Megala *in 3. part. lib 3. cap. 11. num. 36.* Alterius *de censuris tom. 1. disp. 16. lib. 5.* Bartholomæus à S. Fausto *in speculo Confessarior. disp. 33. quest. 20.* Valerius *in differentijs vtriusque fori versu Clericus differ. 3. num. 4.* & Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 19. qu. 13.* citati à Diana *tract. 2. de immunit. Ecclesiast. resol. 16.*

Sciendum, quod licet statutum cōtrà exportantes frumentum extrà Prouinciam respiciat bonum commune, tàm Laicorum, quā Clericorum, non tamen ex æquo respicit Clericos, & Laicos, & ideò exempti sunt Clerici, nec sub tali statuto possunt comprehendi, nec etiā à Iudicibus Ecclesiasticis Clericos contrauenientes puniendos esse pęna legibus ciuilibus constituta, etiamsi non contrarietur eorum statui, quia lex ciuilis pęnam ordinariam assignans, non potuit Clericos ad eam obligare, quia Laici nō habent potestatem saltem coercitiuam, & punitiuam in ordine ad Clericos, & licet Clerici teneantur vi directiua obedire statutis Principum iustis, & in bonum commune ordinatis, non tamen possunt puniri ex trangressione à Iudice Laico, neque ad pęnam vllam ex vi talium statutorum tenentur.

An Clericus negotiator statim ante trinam monitionem teneatur soluere gabellas?

BRACTEA XXX.

R. Teneri soluere gabellas pro rebus, de quibus negotiatur ante trinam monitionem: & ità Malderus *in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 9.* Thurianus *tom. 2. in 2. 2. disp. 44. dub. 4. nu. 12.* Portela *in dubijs regularium verbo tribut. num. 5.* & alij. Ratio est, quia ex rebus quas negotiationis gratia aduehit, tenetur soluere vectigalia, etiā ante trinam admonitionem, vt habetur in *cap. Quamquam in 6.* & tunc Clericus dicitur negotiari, quando v. g. rem emit, vt eam charius vendat ad lucrum comparandum: secùs si eam emat ad propriam sui, vel familiæ sustentationem, eāque intentione iterum vendendi, sed posteà cognoscit eam sibi non esse necessariam, aut se posse ea vendita maiori pretio; alias similes emere viliori pretio, nam lex non respexit, quod rarò, & per accidens sit. Ita Molina *disp. 339.* & alij.



An Iudex sæcularis possit exercere iurisdictionem circà Clericos coniugatos?

BRACTEA XXXI.

R. Posse exercere iurisdictionem in ciuilibus, & ita Couar. *practicar. quæst. cap. 31. n. 7.* Gutier. *practicar. quæst. lib. 1. quæst. 5. num. 3.* Coriolanus *in Bulla Cenæ excomm. 16.* Layman *in Theolog. moral. lib. 3. tract. 9. cap. 8. num. 5.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 46. num. 22.* Megala *in 3. part. lib. 3. cap. 10. num. 40.* Ratio colligitur ex *cap. vnico de Clericis coniug. in 6.* vbi solum conceditur Clericis coniugatis priuilegium canonis, & fori in cœteris autem minimè.

An Iudex Laicus possit compellere Clericum ad restituendum depositum, quoties se obligauit restituere in tribunali Iudicis sæcularis?

BRACTEA XXXII.

R. Negative; & ità Surdus *lib. 3. consil. 396. num. 33.* Ambrosinus *de immunit. Ecclesiastic. cap. 20. num. 53.* Duardus *in Bulla Cenæ lib. 2. Canon. 25. quæst. 11. num. 36.* vbi docet, Clericos deputatos depositarios non posse per Iudices Laicos compelli ad restitutionem depositi, vel sequestri; sicut etiam non potest Iudex Laicus cogere Clericum ad restituendam pecuniam illi liberatam, cum cautione de restituendo, dum creditor apparuerit, cum in tali casu non posset esse Iudex competens, cum Clericus sit exemptus à laica potestate, & iurisdictione, & cogere sit exercere actum iurisdictionis, sed adeundum esse Iudicem Ecclesiasticum, qui ipsum ad id faciendum cogat.

An Iudex Laicus possit capere animalia Clericorum inferentia damnum, & damnum factum exigere?

BRACTEA XXXIII.

R. Negative. Ratio, quia Iudex sæcularis neque potest procedere contrà personā Clerici, neque contrà res ipsius, quia bona accessoria sunt personæ; & per consequens per suum Iudicem Ecclesiasticum sunt damnādi, quando eorum animalia damnificant. Ita Sanchez *in opusc. tom. 2. lib. 3. cap. vnico dub. 31.* & alij.

An Iudex Laicus possit cogere Clericum, qui spoliauit Laicum sua possessione ad illam restituendam?

BRACTEA XXXIV.

R. Non posse, quia Clericus qui spoliauit, si est à possessione eijciendus, debet expelli auctoritate Iudicis, & esse tamquam reus, debetque hoc fieri per Iudicem Ecclesiasticum, qui est competens ipsius Clerici, & non per Iudi-

Iudicem Laicum. Ita Paulus Squillant. *de privileg. Cleric. cap 7. dub.1. num.73.* Matthæus *de afflict. decis* 85. Carolus *de gratijs, de effectibus Clericor. eff.1. num.*1035.

An Iudex Laicus possit in aliquibus casibus capere Clericum, & detinere in carcere vltrà viginti horas?

BRACTEA XXXV.

R. In casibus permissis non posse Iudicem Laicum detinere Clericum in suis carceribus vltrà viginti horas, & si breuiori tempore potest Iudici Ecclesiastico illum remittere, non posse illum tot horas detinere. Ita Castrus Pallaus *in opere moral. tom.2. disp. vnica. quæst. 6. num.*14. Belletus *disquisit. Clerical. part. 2. lib. 3. §.11. num 2* Naldus *in summa verbo Bulla Cenæ n.* 58. Guazinus *de defens. rerum tom.1. lib.1. defens.1. num.2. cap* 5. vnde Carolus *de gratijs de effectibus Clericor. effecti 1. num.*554. & Scacia *de iudicijs tom 1. lib.1. cap* 39. *n.*14. docent, quod in casibus concessis si Laicus officialis capiens Clericum non præsentet statim suo Iudici si commodè potest, incidit in excommunicationem, quod etiam asserunt Campanil. *in diuersor. iuris canonici rubr.* 4. *num. 26.* & Barbosa *in collect. tom 2. lib 7. tit.39. cap.35. nu. 5.* vndè à ministris Laicis cum maxima prudentia agendum est, cum sit valdè periculosum.

An Iudex Laicus possit priuare bonis temporalibus Clericos vsurpantes iurisdictionem sæcularem?

BRACTEA XXXVI.

R. Iudicem sæcularem non solum non posse procedere contrà personam Clerici, sed neque contrà res Clerici, quia eius bona sunt illi accessoria, & cum Laici non habeant auctoritatem in personas Clericorum, neq; illam in eorum bonis habere possunt: vndè Iudices Laici qui fructus, vel alia bona Clericorum sequestrant sinè legitima facultate, excommunicationem incurrunt, etiamsi faciant, vt Ecclesiastici desistant ab vsurpatione rei sæcularis vsurpatæ. Ratio est, quia Summus Pontifex bona Ecclesiasticorum, quauis occasione, vel causa, sine debita licentia sequestrari prohibet, neque iurisdictio sæcularis ab Ecclesiasticis vsurpata cōfert ius laicis vsurpandi bona Ecclesiasticorum ad seruandā æqualitatem in iudicijs, quia sæculares incapaces sunt Ecclesiasticæ iurisdictionis. Marta *de iurisd. par.4. casu 11. num.25.* & alij apud ipsum.

An Iudex Laicus possit punire Clericum in defectum iustitiæ Ecclesiasticæ?

BRACTEA XXXVII.


R. Negatiue, & nunquam posse Laicum supplere defectum Iudicis Ecclesiastici, cum Ecclesiasticus sit superior Laico, & consequenter non potest Laicus supplere eius defectum cum ius ciuile non possit dare auctoritatem laico suprà Clericum cum Clerici sint exempti à laica potestate. Ita *in cap. qualiter & quando de iudicijs cap.51. quæst. Clericum, cap. Placuit cap. Christianus, cap. licet ex suscepto, & cap. Clericum, 11. quæst.1.* decernitur, & prohibetur, nè Clerici defectu iustitiæ trahantur ad iudicium sæculare: è contra verò posse Iudicem Ecclesiasticum supplere defectum sæcularis; & procedere contrà Laicos. Ratio, quia Iudex Ecclesiasticus potestatem habet saltem indirectè exercendi iudicia ciuilia, & politica per ordinē ad salutem animarum, tùm quia Iudex Ecclesiasticus est superior Laico, & consequenter ipsius negligentia suppleri potest per Iudicem Ecclesiasticum: immo Ecclesiasticus Iudex poterit per censuras compellere Iudicem sæcularem, vt suo munere fungatur; nam ad commune bonum spectat, & ad pacem fidelium, vt ad Iudicem Ecclesiasticum possit habere recursus saltē eo titulo, vt peccata publica corrigantur. Neque obstat *caput 16. qu.7.* vbi dicitur, quod si Prælatus sit negligens, implorari potest Rex, quod solum ibi statuitur, vt Episcopo negligente, vel renuente adiri possit ad Regem, non tamquam ad Iudicem, sed tamquam ad defensorem, & protectorem, & vt moneat Prælatum, & interim bona tueatur, donec Summus Pontifex consuli possit. Suarez *lib.4. de immunit. cap.14. num.21* Bonacina *in Bulla Cenæ disp.1. quæst.15. pun.4. §.4. num.10.* & citati ab ipso.

An Iudex Laicus possit eijcere Clericum turbantem Rempublicam?

BRACTEA XXXVIII.

Affirmatiuam sententiam tenent aliqui citati à Calisto, Ramirez *tract. de leg. regia §.27. num.15. in gloss. & à* Mario Giurba *consilior. criminal.48. num.16.* Antonio de Balijs *in tract. variar. lib.5. pragmatic. 1. tit.10. num.* 44. Sed

R. Negatiuè. Ratio, quia Clerici sunt exempti à potestate Laica: vndè si aliquid accidat, recurrendum est ad proprium Iudicem Ecclesiasticum, & ab illo sunt eijciendi, non quidem simpliciter, sed causa cognita, quia aliter iniustitiam committeret condemnando aliqua pęna reum non auditum: vndè excusandi non sunt illi Prælati, qui ad instantiam Principum sæcularium ore tenus, & causa non cognita præciperent alicui Ecclesiastico, aut illum cogerent, vt è finibus suæ Diœcesis discederet, quia talis sit voluntas Principis, nam cum huiusmodi præceptum, seù preces fiant ad instantiam Principis sunt quodammodo exequutores, maximè quia tunc hoc non faciunt tamquam Prælati, sed vt priuati: vndè, & ipsi excommunicationem incurrunt, vt tenet Marta *de iurisdict. part.4. centur.2. cas.140.* & Megala *in 3. part. lib.3. cap.11.* & si hoc aliquando iusta causa contingat, prudenter agendum est.



An

An Iudex sæcularis teneatur restituere reum Ecclesiæ auctoritate Episcopi extractum, si constet illum non commisisse delictum in Bulla Gregorij XIV. exceptum?

BRACTEA XXXIX.

R Affirmative; Ratio, quia tali delinquenti verè debebatur immunitas, & per errorem ab ea exclusus fuit, & traditus Curiæ sęculari, & ex altera parte constat iniustam fuisse Episcopi sententiam, & re integra immunitas illi seruari potest. Ita Antonius de *maximis resolutionibus tom.1. cap.135.* vbi multas adducit rationes pro hac sententia: vndè talis restituendus est Ecclesiæ; & idem dicendum est, quando extractio fieret cùm licentia Episcopi æstimantis reum ob qualitatem delicti extrahendum esse; nam si posteà apparuerit qualitatem illam nō esse veram, restituendus erit reus Ecclesiæ.

An Iudex Laicus posit expoliare Clericum armis prohibitis?

BRACTEA XL.

R Iudicem Laicum non posse spoliare Clericum armis prohibitis, etiamsi armorum vsus tamquā Reipublicæ perniciosus, ita prohibitus sit, vt neque domi retineri possint. Ratio, quia expoliatio armorum infert aliquam violentiam, quam Iudex Laicus propria auctoritate in Clericos exercere non potest. Ita Suarez *de defens. fidei lib.4. qu.34. num.14.* Secundò non posse Iudicem Laicum spoliare Clericum exercentem venationem, aut piscationem auibus, vel canibus, vel alijs instrumentis, cum sit inferre vim, quod Clericis prohibetur fieri; tum etiam, quia habet rationem pęnæ, cui Clerici non subiiciuntur.

An Iudex Laicus auocans ad se causas Ecclesiasticas, excusetur ab excommunicatione ex tolerantia Summi Pontificis?

BRACTEA XLI.

R Negative. Ratio, quia simplex tolerantia saltem, dum superior commodè obstare non potest priuilegium non inducit. *Cap. Cum iam dudum de præb.* tùm quia nulla adest tolerantia cum Summi Pontifices excludant omnes prætextus. Ita Carolus *de gratijs eff.1. nu. 383.* Caiet. *verbo excommun. cap. 30.* Duardus *in Bulla Cęna can.15. quæst.13. num.22* Alterius *lib.5. disput. 25. cap.2.* Hugolin. *in Bulla Cęna verbo exequutionem,* Filiucius *tract.16. cap. 10. quæsito 4. num. 256.* & alij apud præcitatos; contra Coriolanum in *explicatione Bullæ*, Gregorium, Lopes *in leg. 13. tit.13. part.2.* Auendanum.

An Iudex Laicus posit dirimere controuersias ortas inter Confraternitates?

BRACTEA XLII.

R Posse si agatur de possessorio Iudicio: secùs autem non; sed potius dicēdum ad Iudicem Ecclesiasticum pertinere controuersias inter ipsas ortas dirimere, vt v.g. si sint circa modum procedendi in processionibus, vel circà habitum, vel aliud simile. Ita Barbosa de *potest. Episcopi part.2. allegat.78. num.42.*

An Iudex Laicus qui cognoscit causas Ecclesiastici aggrauati, peccet contrà libertatem Ecclesiæ?

BRACTEA XLIII.

A Ffirmativam sententiam tuentur multi iurisperiti Salcado in *tract. de potest. Regia, tom.1. part.1. cap.1.* Calistus *in tract. de leg. Regia*, §. 20. *num.83.* Seledus *in quæst. canon. quæst.45.* Grassius *de effectibus Clericorum, eff.1. num.30c.* Auendanus *in cap. Prætor. part.1. cap.1. num 13.* & alij, & ex Theologis Rodriquez *in summ. tom.1. cap.155. num. 8.* Liamas *in instit. Confessor. part.1. cap.7.* §. 19. Anguianus *tract. de legibus tom.1. lib.2. contron. 17. n.95.* & alij. Ratio colligitur ex *cap. Regum 23. quæst. 5.* vbi habetur, quod regium est per vim oppressos à manibus violentorum, & calumniantiū liberare, ac iniurias repetere, & *cap. filijs, vel nepotibus 17. quæst.7.* Indices verò hanc vim repellentes asserunt, id non efficere per viam iurisdictionis, sed per viam iustę defensionis, quæ opinio auctoritate citatorum, & aliorum probabilis est; Sed

R. Ob defectum iustitiæ, siuè negligentiam ordinariorum Clericos ad sæculare tribunal recurrere non posse. Ratio est, quia laici non habent potestatem in Clericos; tum etiam, quia hoc naturale est, vt maior minoris, & non minor subeat negligentiam, seū defectum maioris: Ecclesiasticus autem Magistratus maior est sæculari, sicut spiritualia potiora sunt temporalibus. *Cap. Denique, cap. Duo sunt dist.69.* ergò Iudex sæcularis non potest supplere negligentiam Iudicis Ecclesiastici; sed potius viceuersa, vti habetur in *cap. ex transmissa, cap. licet.1. cap. ex tenore de foro competenti*; tùm etiam, quia sæculares non sunt capaces iurisdictionis exercendæ in Clericos, præterquam ex commissione Prælatorum Ecclesiasticorum; & ideò Laicos non posse ad Iudicem Laicum recurrere, dum ab Ecclesiastico Iudice censuris opprimuntur, ne vis illis inferatur. Ita Layman in *Theol. moral. lib.4. tract.9. cap.4. num.4.* Azorius *part.1. lib.5. cap.12. & 14.* Duardus *in Bulla Cęna lib.2. can.14. q.9.* Bonacina *de legibus disp.20. quæst.2. pun.1. §.1. nu.10.* Coriolanus *in Bulla excommun. 14* & alij. Ratio est, quia Clericus coram Episcopo, & Episcopus coram Archiepiscopo conueniri debet *Cap. Sacro de sentent. excommun. & cap. ad reprimendum de officio ordinarij*, Archiepiscopus conuenitur coram Primate. *Cap. Antiqua de priuilegijs*; Primas coram Romano Pontifice, vel coram Legato Summi Pontificis ad eam Prouinciam misso: quamobrē oppressus à Prælato inferiore Sūmo Ponti-

Pontifice potest rem ad Superiorem Prælatum deferre, vel ad Summum Pontificem, si cęteri Prælati delinquant, non vero adire debet laicale tribunal.

Sciendum, quod quamuis hæc sententia sit verissima, quod non sit recurrendum ad Laicum, sed ad Summum Pontificem, quando non patet aditus ad vllum Superiorem, aut quando ipsi Superiores delinquunt vim inferunt, innocentes opprimunt, tunc non videtur spernenda obseruatio illorum, qui dicũt aliquem, cui violentia infertur posse adire Iudicem Laicum, quando ad talem vim reprimendam Iudex Ecclesiasticus non adesset, seù si adesset, nollet reprimere, seù si non adesset difficiliter pateret recursus, & ita Portela *in addit. ad dubia regalia in fine operis verbo appellare num.3.* vbi sic asserit. Religiosus si per appellationem, vel alia intra ordinem potest vitare, vim sibi iniustè illatam, incurret censuras, si ad Iudices sæculares recurrat, si verò neque sit locus appellationi, vel illa non recipiatur, & superior ad quem posset recurrere longè distat, vt non possit illum adire instante grauamine, vel etiã cępto, & sic iniustè illato arbitrio boni viri, tum credo posse Religiosum, vel Clericum recurrere ad Principem sæcularem, non tamquã appellantem ad Iudicem competentem, sed solum, vt sibi succurrat in illo grauamine, iniusto tollendo, vim sibi factam, modo quo licitè potest imperando scilicet, vel suadendo Prælato, vt vel abstineat à vi iniusta, vel det locum appellationi, vel Iudices nouos assignet & per hoc Religiosus recurrens ad Principem sæcularem cum prædictis circumstantijs nullam censuram Bullæ Cęnæ, vel alterius Bullæ incurret. Ita Portela, & Sousa *in Bulla Cenæ, cap.15.disp.78. num.2.* Malderus in *part. 2. quæst. 76. art.4.* & alij.

An Iudex, & minister Regius possint cognoscere causam, cum agitur, vt vnus Clericus reciperet Ecclesiæ possessionem, à qua est eiectus per vim, vel retineat beneficij possessionem, in qua ab alio turbatur?

BRACTEA XLIV.

AFFIRMATIVAM sententiam tuentur multi apud Cottar. *practicar. quæst. cap.35.nu.1.* quod in causa possessionis rei spiritualis, vel quasi spiritualis per Laicum Iudicem examinari potest, auctor. *gloss. in cap. litteras*, si dummodo nihil proprietatis mixtum habeat: vndè quoties tractabitur de causa possessionis decimarum, Iurispatronatus, Iuris præsentandi, Iuris eligendi, quia in hisce casibus non extat possessorium Ius, necessaria proprietatis examinatio, Iudex sęcularis erit competens, & coram eo poterit causa expediri, quia temporalis censetur; sed in isto casu.

R. Iudicem, seu ministrum Regium nõ posse cognoscere causam, cum agitur, vt v.g. Petrus Clericus recuperet Ecclesię possessionem, à qua est eiectus per vim, vel retineat beneficij possessionem. Ita Bezantius *in tract. de immunit. Ecclesiastica disp.15.* Duardus *in Bulla Cenę lib.2. canon.15 quæst.19. num.47.* Azorius *part.1. lib.5. cap. 14. qu. 1.* & alij; & ratio desumitur ex auctoritate *Clementina prima de causa possessionis, & Clement.1. de sequestro possessionis*, vbi causa de beneficio, siuè iure petitorio, siuè possessorio spiritualis censetur, neque ob receptam consuetudinem hanc causam ad Iudices Laicos pertinere posse, quia per consuetudinem Iudex Laicus non potest sibi vendicare ea, quæ sunt Ecclesiastici iuris.

An Clericus, qui falsa mensura triticum, &c. vendit, vel falsum testimonium dicit coram Iudice Laico ab eo puniri possit?

BRACTEA XLV.

R. PRIMO Clericum vendentem falsa mensurat triticum, &c. non posse à Laico Iudice puniri. Ratio est, quia Clerici legũ ciuiliũ violatores minimè puniri possunt à politico Magistratu. Ita Vasquez *in par. 2.tom.2.disp.167. cap.num.29.* Salas *de legibus disp.14.sect.2. num. 106.* & alij, & licet teneantur vi directiua obedire legibus ciuilibus in his rebus, quæ spectant ad regimen Ciuitatis, & sacris Canonibus, ac Officio Clericali non repugnent, tamen ad hoc tenentur non directè, sed indirectè, non vi coactiua, sed directiua, & ex æquitate, & ideò non possunt à Iudice sæculari, si illas transgrediuntur aliquo pacto puniri, sed ad Iudicem Ecclesiasticum recurrendum est. Secundò, nec Clericũ falsum testimonium dicentem coram Iudice Laico ab eo puniri posse. Ratio est, quia Iudex Laicus, neque in persona, neque in bonis Clericorum iurisdictionem habet. Et ita Gutier. *practicar. quæst. lib.1. quæst.24.* Duardus *in commentarijs Bullæ Cenę lib.2.canon.15.quæst. 11.* & ita colligitur *ex cap. Si diligenti de foro competenti cap.1. de Clericis coniug.* ex Authentica *statuimus Cod. de Episc. & Clericis*, quia Iudex Laicus non potest contra Clericos instituere causam Ecclesiasticam non solùm ordinariam cognitionem exercendo, sed neque summariè. Et ratio est, quia quotiescumque Iudex aliquis prohibitus est, vel incõpetens in negotio ordinario, seù plenario, pariter etiam prohibitus censeri debet in summaria cognitione. Et ita apud Dianam *tract.2. de immunit. Ecclesiar. resolut.111.*

An Clericus habens beneficium, sed deferens habitum, & Tonsuram, nec alicui Ecclesiæ deseruiens gaudeat priuilegio.

BRACTEA XLVI.

R. GAVDERE priuilegio fori, cum verè, & realiter sit Clericus, licet habitum, & Tõsuram non deferat, nec alicui Ecclesiæ deseruiat. Et ita Rodriquez *in summa tom.1. cap. 55.* Gutier. *practicar. quæst. lib.1. quæst.7.* Bobadila *in politica tom.1. lib.2. cap.18. num.102.* Bonacina *de legibus disput. 10. quæst.2. pun.1. §.4. num. 10.* etiamsi Clericus habeat tantum titulum beneficij, & collationem, non autem possessionem eiusdem. Ratio est, quia per solam collationem, & titulum beneficij, etiam sine eius possessione quis dicitur beneficium habere. Quod etiam dicendum est de Cleri-

Clerico, quo habet tantùm pensionem super aliquod beneficium. Et ita Suarez contra Regem Angliæ *lib.4.cap.26.num.9.* Rodriquez *in summa tom.1.cap.155.num.11.* & alij; licet plures sequantur opinionem contrariam, vt videre est apud Dianam *loco citato resolut.31.*

An Clerici inseruientes, & astricti alicui Ecclesiæ, gaudeant priuilegio fori, licet primam Tonsuram non habeant?

BRACTEA XLVII.

NEGATIVAM sententiam tuetur Bonacina *in Bulla Cœna tom.3.disput.1.quæst.16 pun.3. num.7.* Ratio est, quia alijs Clericus non gaudet priuilegio Canonis, ergo neque priuilegio fori. Sed

R. Gaudere priuilegio fori, dummodo inseruiant Ecclesiæ, & illi sint verè astricti, & deputati, vt fiant postea Clerici, nam quamuis non sint in aliquo ordine Ecclesiastico, tamen tamquam de Ecclesiasticis quoad iurisdictionem est iudicandum Ita Gloss.2. *in cap.2.* vbi Abbas *num.5.* & Barbatius *nu.29.de foro competenti*, Decianus *in cap.9.num.24.* quia immo comprehenduntur etiam Religiosi vtriusque sexus profitentes aliquem regulam approbatam à Summo Pontifice. *Cap fin.de Religios.domibus*, Decianus *in cap.9. num.24.* vbi idem dicit de conuersis, siuè professionem emiserint, siuè non, dummodo sint Deo dicati, nouitij quoque Religiosorum gaudent eodem priuilegio, idem dicitur de Clericis cõiugatis, sicum virgine contraxerint, & habitũ Clericalem, Tonsuramque deferant; similiter de Equitibus Hierosolymitanis S. Ioannis, qui connumerantur inter personas Ecclesiasticas.

An Iudex sæcularis processans occultè Ecclesiasticum, faciat contra libertatem Ecclesiasticam, & incidat excommunicationem Bullæ Cœnæ, si habeat intentionem præsentandi processum Prælato?

BRACTEA XLVIII.

R. FACERE contra libertatem Ecclesiasticam, & incidere in excommunicationem Bullæ, etiamsi secretò id faciat, & animo præsentandi processum Summo Pontifici, vel ali Prælato. Et ita Filliucius *tom.2.tract.10.cap.11.num.312.* Sousa *in Bulla Cœna cap.20.disput.95. conclus.2.* licet limitet hoc, quod quando id faciat, si non est aditus ad Prælatum, qui iuridicè se informare possit de facto criminali, & est periculum in mora, tunc potest Iudex sæcularis secretò processum facere animo præsentandi, vt supra; secus vero in alijs casibus, quod valdè notandum est à Iudicibus Laicis.



Quænam, & quot sint actiones, quibus libertas Ecclesiasticarum personarum offenditur?

BRACTEA XLIX.

R. TRES esse; prima est, ex prætenso officio, vel ad instantiam aliorum directè, vel indirectè trahere personas Ecclesiasticas, &c. secunda est trahi facere prędictas personas: tertia est procurare, vt trahantur.

Sciendum illam dici trahere ex prætenso officio, qui nemine petente, quasi hoc ei ex officio competat aliquem ad suum iudicium quasi nolentem adducit; trahere enim actionem moraliter violentem, siuè aliquam coactionem importat, vt obseruat, Suarez *disp.21.sect.2.num.76.* & alij cum eo. Secundò ille dicitur aliquem trahere ad instantiam partis, seù aliorum, qui alio petente, seu instante aliquem ad suum iudicium, quasi per coactionem trahit. An ad incurrendam excommunicationem opus sit, vt præfatæ actiones auctoritate iudiciaria fiant. Respondeo opus esse, quia in Textu dicitur; *Qui ex prætenso officio, vel ad instantiam partis* trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, vbi notanda est illa particula *ex officio, vel ad instantiam partis*; hæc enim loquendi forma actionem auctoritatiuè factam importat. Tum quia in Textu dicitur *Ad suum Tribunal, audientiam, &c.* qui autem aliquid priuata auctoritate agit, non dicitur ad suum tribunal trahere. Ita Sayrus *lib.3. cap.19.num.6.* Reginaldus *lib. 9. num.356.* vnde Iudex, qui non auctoritatiuè, sed amicabiliter ad sedandas lites alicui Clerico suadet, vt ad suum tribunal accedat in foro conscientiæ non ligatur excõmunicatione, quia non dicitur trahere, saltem auctoritatiuè: secus si auctoritatiuè faciat minis, suasionibus, vel alio quouis modo. Ita Duardus *in Bulla Cœna quæst. 20. num. 1.* Sayrus, & Reginaldus *locis citatis*. Et hoc intelligendum est, siuè directè fiat, siuè indirectè, quia in Bulla dicitur: *Trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè quouis quæsito colore.*

An Laicus inferens iniuriam Clerico, puniri debeat ab Ecclesiastico, an à Laico Iudice?

BRACTEA L.

R. CORAM vtroque Iudice iudicari, & puniri posse, non obstante absolutione, vel cõdemnatione facta in altero foro. Ratio est, quia vtrique foro illata fuit iniuria, cum inferens iniuriam Clerico non solùm deliquerit contra ius Canonicum, verùm etiam contra ius ciuile; ergo ab vtroque iudicari debet; tum etiã quia cũ alia sit iurisdictio fori Laicalis, & alia fori Ecclesiastici, sententia in vno foro lata non parit exceptionem in alio foro; tum quia fieri potest, & delictum secundum vnam rationem subijciatur foro Laico, & secũdum aliam foro Ecclesiastico. Ita Molina *tom.4 tract.3.disput.49.* Couar.*2.variar.cap.10.num.6.* Grathius *1. par. lib. 4.cap.28.num. 140.* Marta *de iurisdict. par. 3. casu 119.* Duardus *in Bulla Cœna canon.26.quæst.5.num.2.* Neque ex hoc sequitur imponi duplicem pœnam pro eodem delicto, nec bis iudicari in eodem foro, sed vnam pœnam delicto condignam imponi.

Gome-

Gomesius 3. *variar. cap. 1. num. 4.* Graffis, Marta, & Molina *locis citatis*, Farinacius *lib. 1. Dubitar. q. 4.*

An dentur casus, in quibus Clericus possit iudicari à Laica potestate?

BRACTEA LI.

R. Plvres assignari casus, in quibus Iudici Laico concessum est personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal trahere. Primus est, cum Clericus fuerit degradatus realiter; tunc enim traditur brachio sæculari iudicandus, & puniendus. *Cap. Degradatio de pœnis in 6.* quia per realem degradationem omnia Clericorum priuilegia amittit. Ita Ambrosinus *de immunitate cap 17. num. 7.* Farinaccius *de inquisit. quæst. 8. num. 71.* Alterius *lib. 5. disput. 20. cap. 1. quæsit. 3.* & alij.

Secundus casus est, cum Clericus est bigamus, quando scilicet dixit viduam, aut quando mortua prima, quam virginem duxerat, duxit aliam, Clericus enim bigamus bigamia vera, vel interpretatiua omnia Clericorum priuilegia amittit. *Cap. vnico de bigam. in 6.*

Tertius casus est, cum Clericus Clericalem habitum suscepit in fraudem, vt sæculare iudicium effugeret, de quo supra dictum est.

Quartus casus est in causa feudi, nam Vasallus quamuis Clericus in his, quæ pertinent ad feudum, subijcitur Domino feudi, quamuis sæculari. *Cap. Verum. de foro competenti*, & *cap. Cæterum de iudicijs*, siue agatur petitorio de proprietate ipsius feudi, siue possessorio de sola possessione feudi, nam in causa feudi non subijcitur Domino feudi, tamquam persona Ecclesiastica, sed tamquam Vasallus. Ita Suarez *de immunit. lib. 12. cap. 14. num. 12.* Clauis regia *lib. 12. cap. 8. num 9.* Marta *de iurisdict. par. 4. casu 89. num. 5.* Farinacius *de inquisit. quæst. 8. num. 22.* & alij.

Quintus casus est in causa reconuentionis, nam si Clericus in ciuilibus conueniat Laicum coram Iudice Laico, poterit Laicus conuentus reconuenire Clericum in materia ciuili coram eodem Iudice. Ita Decianus *tract. criminali lib. 4. cap. 9. num. 17.* Ambrosinus *cap. 20. num. 35.* Reginaldus *lib 9. num. 359.* Surdus *lib. 3 consil. 396. num. 6.* Graffiis *lib. 4. decis. cap. 18. num. 114.*

Sextus casus est, cum Clericus enormitatibus se immiscet, modò tamen quo supra dictum est.

Septimus casus est, dum Clericus effectus est incorrigibilis: ille autem censetur incorrigibilis, qui postquam condemnatus est, in similia, vel peiora delicta labitur, & Superioris correctionem refugit; licet ad hoc vt non gaudeat priuilegio fori, requiratur sententia declaratoria criminis.

Octauus casus habetur in Tridentino *sess. 23. cap. 6. de reformat.* vbi decernitur Clericum prima Tonsura, aut etiam minoribus ordinibus initiatum priuilegio fori non gaudere, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalē habitum, & Tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat, aut sit in aliqua Schola, vel Vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur.

Sciendum Clericum Tonsura initiatum non gaudere priuilegio fori, si bis, vel ter tantummodo inseruierit Ecclesiæ, & postea destiterit, quia Concilium Tridentinum videtur requirere perseuerantiam, & frequentiam seruitij his verbis: *Nisi Clericalem habitum, & Tonsuram deferens Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat*; vbi verbum *inseruiat*, non videtur importare seruitium, vt plurimum intermissum, sed potius importat moralem perseuerantiam, saltem pro maiori parte. Ita Cenedo *lib. 1 practicar. quæst. quæst. 4. num. 25.* Riccius *in sua praxi decis. 388.* & alij.

An Clericus in minoribus constitutus, si alteri Ecclesiæ inseruiat, quam illi, cui Episcopus inseruire præcepit, gaudeat priuilegio fori?

BRACTEA LII.

R. Negative, quia Summus Pontifex præscribit Clerico volenti priuilegio fori gaudere, vt inseruiat illi Ecclesiæ, quam ipse designauit, nec satis est, vt inseruiat in temporalibus, sed in spiritualibus inseruire debet, de huius enim seruitij genere loqui censetur Concilium Tridentinum. Ita Couar. *2. variar. cap. 1. num. 9.* & alij.

Sciendum Clericum, qui Tonsuram non defert, vel non inseruit Ecclesiæ de mandato Episcopi, aut qui in alia re deficit, quam Tridentinum præscribit, non solum subijci foro Laicali, sed etiam Ecclesiastico. Ratio est, quia Ecclesia non abdicauit à se ius cognoscendi de criminibus Clericorum, tum quia sic censuit Sacra Congregatio, vt refert Riccius *in praxi Clericorum decis. 607. num. 3.* Scacia *par. 1. de iudicijs cap. 11. num. 202.*

An contractus à Clericis celebrati sine solemnitate à iure ciuili præscripta sint irriti?

BRACTEA LIII.

R. Irritos esse non quatenus irritantur à Laica potestate, sed quatenus ius Canonicum huiusmodi leges acceptat quoad vim directiuam, consequenter huiusmodi irritatio fundatur potius in iurisdictione Ecclesiastica, quam in ciuili, modo ius Canonicum alia via non sustineat actum, vel in fauorem Clerici vel in fauorem actus; tunc enim ius Canonicum seruatur: quamobrem testamentum Clerici factum sine solemnitate iure ciuili præscripta sustinetur, quia ius Canonicum minori solemnitate contentum est. *Cap. Cum esses de testamento.*

An impediens Prælatum, quem dubitat iurisdictione iustè, vti faciat contra libertatem Ecclesiasticam?

BRACTEA LIV.

R. Exponere se periculo agendi contra libertatem Ecclesiasticā, & per consequens incurrendi excommunicationem, quia fieri potest, vt Prælatus sua iurisdictione licitè vtatur, & in

& in dubio censendus est licitè vti, quia in facto superioris non præsumitur delictum, & sicut impediens in foro externo iudicatur excommunicatus, ita etiam in foro conscientiæ iudicari debet, nisi adhibitas diligentia compererit se Prælatum impediuisse, dum iurisdictionem non exerceret iuxta Canones, & Ecclesiasticas constitutiones. Ita Bonacina *de censuris disp. 1. quæst. 17 pun. 1. num. 6.*

Sciendum ad introducendam excommunicationem non satis esse impedire Prælatum vti sua iurisdictione priuata auctoritate, sed auctoritate publica debet impediri. Ratio est, quia Canon prohibens sub excommunicatione impedientes, &c. videtur continuari cum antecedenti, in antecedenti autem sermo est de personis publicam auctoritatem Laicam exercentibus. Ita Graffius *par. 1. lib. 4. cap. 19 num. 139.* Nauarrus *in manuali cap. 27. num. 69. & 70.* Suarez *disput. 21. num. 75.* Filliucius *tract. 16. cap. 19. quæsit. 10. num. 277.* & alij. Quod intelligendum est de impedientibus vsum, aut iurisdictionis ordinariæ, aut delegatæ. Ratio est, quia Summus Pontifex loquitur de impedientibus Prælatos ordinarios, ne iurisdictione sua Ecclesiastica vtantur.

MALLEATIO XXXIV.

De priuilegio fori reale Clericorum.

An Clerici sint immunes à vectigalibus, tributis, &c.

BRACTEA I.

R. Clericos esse immunes à vectigalibus, tributis, & oneribus publicis, quæ imponuntur pro bonis, &c. idcirco ipsorum bonis, & rebus, taxæ, munera, siuè collectæ, seu gabellæ à Laicis imponi non possunt, tam Iuris Diuini, quàm humani sanctionibus. Ita *cap. Quamquam de censibus in 6.* Abbas *consil. 13. nu. 1.* Albanus *in tract. de immun. Ecclesiastica,* Speculator *in tit. de immunit. Eccles. num. 1 & 2.* Quod iure Diuino exempti sint est communis omnium Catholicorum opinio, & patet ex Matth. 17. vbi Christus cum S. Petro hoc modo loquitur *Reges terræ, quibus accipiunt tributum, vel censum à filijs suis, an ab alienis*, deindè subdit, ergo liberi sunt filij; nomine autem filiorum hoc in loco non intelligitur tantummodo Christus, sed intelligendi sunt Ecclesiastici, vt constat ex pluribus citatis apud Suarez *lib 4. de immunit. cap. 8. num. 16.* tùm ex *cap. Quamquam de censibus*; vbi sic legitur: *Cum igitur Ecclesia Ecclesiasticaque personæ, ac res ipsarum non solum iure humano, quinimò, & Diuino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes.* Quod constat etiam ex pluribus locis veteris scripturæ, & hanc amplectuntur Theologi communiter Sotus *in 4. dist. 25. num. 2. quæst. 2. conclus. 5.* Bañes *2. 2. qu. 67. num. 1.* Molina *de Iustit. disp. 670. n. 2.* Suarez contra Regem Angliæ *lib. 4. cap. 9.* Layman *in Theologia moral. lib. 4. tract. 9. cap. 8. num. 1.* Azorius *part. 1 lib. 5. cap. 10.* Sayrus *de censuris lib. 3. cap. 22. num. 9.* Bezantius *tract. de immunit. Eccles. disp. vnica num. 5.* Bonacina *de censuris in Bulla Cœnæ, contentis disp. 1. qu. 19. pun. 3. §. 2. num. 3.* Reginaldus *lib. 9. num. 380.* Comitolus *respons. moral. lib. 2. qu. 94. num. 3.* & plures alij.

Quod verò etiam iure ciuili Clerici sint exempti ab oneribus, &c. constat ex Autentica *Nulla communitas cod. de Episcop. & Clericis*, vbi collectas ab Ecclesiasticis exigi vetatur, *x leg. placet, C. de Sacrosanct. Ecclesiis, leg. Presbyteros & leg. Omnes, §. priuileg. C. de Episcopis, & Clericis.* Constat etiam de iure Canonico *ex cap. non minus, & cap. Aduersus de immunit. Ecclesiast. ex cap. Generaliter 16. quæst. 1. cap. Conuenior, cap. tributum, cap. in qualibet, cap. Secundum, & cap. Sanctimus 23,* & ex pluribus alijs iuribus, & Decretis Summorũ Pontificum. Immunitas autem bonis Ecclesiasticis, siuè Ecclesiæ concessa est realis, non autem personalis; & ideò priuilegium concessum personis Ecclesiasticis intelligitur concessum fauore Ecclesiarum, non autem personæ. *Cap. Generaliter §. placet.*

Quid intelligatur nomine onerum, talearum, &c quæ prohibentur imponi rebus Ecclesiasticis?

BRACTEA II.

R. Intelligi quælibet onera super bonis, aut personis Ecclesiasticis imposita, siuè nuncupentur collectæ, siuè Decimæ, siuè Taleæ, siuè Præstantiæ, siuè alio quouis nomine vocentur; imponentes autem huiusmodi onera Clericis, absque Summi Pontificis licentia sũt ipso facto excommunicati. *Cap. Clericis*, & incidunt pariter in sententiam excommunicationis Bullæ Cœnæ, vt colligitur ex Azorio *lib. 5. institut. moral. part. 1. cap. 12. § ego sanè ex Thesauro fori Ecclesiast. cap. 28. num. 113.* quia læditur libertas Ecclesiastica, vel deprimitur, aut alios quouis modo restringitur; præterea fit iniuria toti Clero, & vniuersali Ecclesiæ, cum vt supradictum est eius libertas lædatur, ac restringatur.

Sciendum non modo facere contra libertatem Ecclesiasticam, qui aggrauant bona Clericorum tributis, & oneribus, sed etiam, qui talia onera imposita exigunt, & per consequẽs incurrunt etiam in excommunicationem Bullæ, vt patet ex Bulla his verbis *imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt*, cum in ipsa prohibeatur, onera imponi, & exigi; qui verò exigunt aliquid ab Ecclesiasticis non impositum Ecclesiasticis, vel eorum bonis, & fructibus non incurrunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, in qua Summus Pontifex excommunicat recipientes tributa imposita Ecclesiasticis, &c. sed incurrunt in excommunicationem, *cap. Quamquam* de censibus, vndè Custodes Portæ Ciuitatis, aut fluminis, pontis, vel portus extorquentes pedagium, gabellam, seu tributum ab Ecclesiasticis non impositum à Principe, seu à Republica non incurrunt in excommunicationem, Bullæ Cœnæ, sed in excommunicationem *Cap. Quamquam*: vt suprà dictum est, quæ excommunicatio cum non sit reseruata ab eo auferri potest, qui ab excommunicationibus Papæ non reseruatis absoluendi facultatẽ habet, iuxtà *cap. Nuper de sentent. excomm.* facta tamen prius restitutione, vt in *cap. Quamquam* decer-

decernitur. Ita Sayrus *lib.22. num.10.* Quaranta *verbo vectigal. verſ. ut autem exigentes*, Duardus *in Bulla Cœnæ can.18. quæſt.15. num.1.* Suarez *diſp.23. ſect.4. num.22.* Toletus *lib.1. cap.71.* Reginald. *lib 9. num.176.* Filliucius *tract.14. cap.4. quæſito 10. num.62.* & alij.

An exigens aliquid ab Eccleſiaſticis, non tamquam onus, ſed tamquam pretium ſui laboris faciat contrà priuilegium fori, & incurrit in excommunicationem?

BRACTEA III.

R. Non facere contra priuilegium fori, nec contrà immunitatem Eccleſiaſticã, nec incidere in excommunicationem accipientem aliquid à Clerico, non tamquam onus impoſitum, ſed tamquam pretium ſui laboris. Ratio eſt, quia Summus Pontifex ſolùm prohibet ab Eccleſiaſticis exigi taleas, collectas, & alia onera, quatenus ſcilicet onera ſunt, non autem quatenus ſunt pretiũ iuſti laboris, & operis: vndè ſequitur, quod qui accipit aliquid à Clerico, vt ipſum nauigio transferat in aliũ locum, non facit contrà libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam, cum id non recipiat tãquam tributum, ſed tamquam ſtipendium ſui laboris; ſecùs dicendum eſt, ſi aliquid exigat tamquam tributum, vt ſi ratione tranſitus exigat pedagium. Ita Alterius *diſp.19. cap.3.* Suarez *diſp.23. ſect.4. num.2.* Filliucius *tract.16. cap.11. quæſito 2.* Duardus *quæſt.25. num.2.* Aduertendum tamen eſt Clericos coniugatos non gaudere huiuſmodi priuilegio, Abbas in *cap. ex litteris, num.8. de vita. & honeſt. Clericor.*

Sciendum dubium eſſe, an ſi quis ratione tributi accipiat aliquid à Clerico ſponte dante faciat contrà immunitatem Eccleſiaſticam, & incidat in excommunicationem; pro quo notandum eſt voluntarium duplex eſſe, alterum eſt omninò voluntarium, quod fit abſque prævia coactione, aut metu, aut ignorantia, & dicitur voluntarium ſimpliciter, & abſolutè, alterum dicitur voluntarium mixtum, quia ſcilicet partim videtur voluntarium, & partim inuoluntarium, & dicitur voluntarium ſecundum quid, quo poſito reſpondeo recipientem aliquid à Clerico propria ſponte, & voluntate omninò libera dante, non facere contrà immunitatem Eccleſiaſticam, nec affici excommunicatione. Ratio eſt, quia quilibet rerum ſuarum eſt arbiter, & moderator, & volenti non fit iniuria; tùm quia Summus Pontifex prohibet imponi tributum taleæ, &c. pro rebus Eccleſiaſticis, aut Eccleſiaſticis perſonis, non tamen prohibet, quin aliquid poſſit accipi à Clerico ſponte dante. Secus verò dicendum, ſi id accipiat tamquam ſibi debitum ob impoſitionem onerum, etiamſi recipiat, abſque coactione, vel prævia petitione, quia id non cenſetur recipere à ſponte dante ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Ita Suarez *de Cenſuris diſp.20. ſect.2. num.99.* Quaranta *verbo vectigal verſu, vt autem*, Sayrus *lib.3. cap.22. num.10.* Carolus de Gratijs *eff. Clericorum eff.3. num.98.*

An conſilium præſtantes, ſuadentes, & hortantes ad imponenda, & recipienda tributa, &c. pro rebus Eccleſiaſticis, vel ab Eccleſiaſticis perſonis, faciant contrà immunitatem Eccleſiæ, & incidant in excommunicationem?

BRACTEA IV.

R. Facere contra immunitatem Eccleſiæ, & incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vt patet ex verbis Bullæ Summi Pontificis. *Non qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem, præſtare non verentur, &c.* vndè ſequitur procurantes, cõſulentes, & hortantes ad tale tributum imponendum auctoritate publica, vel priuata incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

Sciendum dubium eſſe, an Prælati Eccleſiaſtici imponentes per ſe, vel per alios onera Eccleſiaſticis perſonis faciant contra immunitatem Eccleſiæ, & incidant in excommunicationem. Prima ſententia diſtinguit hoc pacto, aut Eccleſiaſtici tributa imponunt auctoritate Eccleſiaſtica, aut Laica: ſi priori modo non offendunt immunitatem Eccleſiaſticam, cùm immunitas Eccleſiaſtica non offendatur ob actiones ab Eccleſiaſticis auctoritate Eccleſiaſtica factas, & per conſequens non incidunt in excommunicationem: ſi ſecundò modo, vt quia dignitati adnexa eſt iuriſdictio temporalis, vel quia imponens vices Regis, aut Principis in aliquo territorio gerit, facit contrà immunitatem Eccleſiaſticam, & incidit in excommunicationem, vt patet ex verbis Bullæ aut quauis etiam Põtificali dignitate inſigniti. Secunda ſententia, quæ mihi probabilior videtur, affirmat incurrere quauis auctoritate Eccleſiaſtici onera Eccleſiaſticis, vel eorum bonis imponant, exigant, vel impoſita recipiant. Ratio eſt, tùm quia Prælatus Eccleſiaſticus, ſi tamquam Prælatus Eccleſiaſticus conſilium, vel auxilium præſtet Principi ſæculari ad imponenda vectigalia, vt ſi excommunicationem, aut alias Eccleſiaſticas pœnas minetur Clericis non ſoluentibus tale tributum à Principe Eccleſiaſt. impoſitũ excommunic. incurrit, Eccleſiaſtici metu iſtarũ penarũ onera ſoluant. Duardus in Bulla Cœnæ *can.18. q.18. n.1.* Alterius *diſp.9. cap.4.* citati à Bonacina *de cenſuris diſp.1. qu.19. pun.2. num.8.* Ratio eſt, quia impoſitio collectæ, tributi, & eſt iuriſdictionis, quę iuriſdictio ex parte Principis non extenditur ad non ſubditos, & Prælatus non habet facultatem imponendi tributum Clericis, niſi de mandato Summi Pontificis, neque debet attendi quęlibet conſuetudo contraria, quia tamquam contra libertatem, & vtilitatem Eccleſiæ non valet. *Cap. Quamquam*, & ibi *gloſſ. verbo. Conſuetud. de cenſib. in 6.* Nec ſuffragatur poſſeſſio longi temporis, ſeu præſcriptio, cùm laicorum poteſtas in Clerico ſit penitus interdicta, & ideò ſæculares non poſſunt grauare libertatem Eccleſiaſticam. *Cap. Noni de ſentent. excomm.* & tanto minus cum iſta immunitas ſit à Iure Diuino, & contra ius diuinum nemo ſtatuere poſſit.

Cap.

*Cap. Non licet Imperatori, cap. leg. Imperator, cap. constitut. & cap. Imperat. dist.*108.

Sciendum 2. huiusmodi priuilegium Clericus concessum esse, vt Clerici in Summi Dei cultu sint frequentiores; tùm etiam quia æquitas suadet, quod Clerici sint immunes à subiectione tributorum, nam Clerici Diuinis vacātes laborem Principum compensant, qui Reipublicæ administrationi insudant. D. Thom. super *caput* 13. *ad Romanos*: orationibus enim, & Religionibus magis, quam officijs, & labore corporis, vel sudore, imperialis dignitas continetur. *Cap. Qualibet* 23. *qu.* 8. Belarminus de *exempt. Cleric. in cap. fin. &c.*

An Clericus solum initiatus prima tonsura, & minoribus gaudeat priuilegio fori?

BRACTEA V.

R. Non solum Clericos maioribus ordinibus insignitos, verum etiam minoribus, aut Prima tonsura, saltem si incedant cum habitu, & tonsura Clericali, & inseruiant Diuinis, aut habeant beneficium Ecclesiasticum iuxtà Tridentini decretum *sess.*23. immunes esse ab obligatione vectigalium, tributorū, & aliorū onerum, vt habetur *Cap. Quamquam de censibus in* 6. *& leg. Presbyt. C. de Episcop. & Clericis*, & ex *Bulla Cenæ, excommunic.*28. Ita Couar. *cap.* 31. *practicarum quæst. num.*9. Reginald. *lib.*11. *de absolutione excommunicationis num.*376. Lessius *lib.*2. *cap.*33. *dub.*5. *num.*27. & alij.

Sciendum quod, & si Clericus aliquando dimittat habitum, & tonsuram, non tamen amittit priuilegium fori, quia vt ipsum amittat opus est tanta perseuerantia in dimissione habitus, vt publicè æstimetur laicus. Ita Layman *in Theolog. moral. lib.*4. *tract.*9. *cap.*6. *num.*2. Quarāta *verbo Habitus Clericalis*, Suarez *de censur. disp.* 22. *sess.*1. *num.*11. & alij, & iure communi gaudent priuilegio exemptionis. Molina *tom.*3. *tractat.*2. *disp.*170. *num.*5. & alij, & esse immunes ab onere hospitandi milites, & ab alijs oneribus, quæ à subditis soluūtur Principibus pro capite, quia Ecclesiasticis imponi nequeunt à Laicis, absque speciali Summi Pontificis licentia, & etiam de alijs oneribus personalibus, quæ à Clericis exigebantur antequam ad statum Ecclesiasticum assumerentur, quia hęc onera imposita sunt rebus intuitu personarum, vel imposita personis subiectis intuitu bonorum; personæ autem Ecclesiasticæ non sunt laicis subiectæ.

An Princeps sæcularis possit exigere gabellas à Clericis non habentibus requisita Concilij Tridentini sess. 23. cap. 6.

BRACTEA VI.

Prima sententia est asserentium Principem posse imponere, & exigere gabellas, seu tributa Clericis in minoribus constitutis non habentibus requisita Concilij Tridentini sessione, vt supra, & ità Layman *in Theolog. Moral. lib.*4. *tract.* 9. *cap.*6. *num.*3. Suarez *contrà Regem Angliæ li* 4. *cap.*27. *num.*14. Reginald. *tom.*1. *lib.*9. *cap.*25. *n.*376. Azorius *part.*3 *lib.*5. *cap.*19. *quæst.*6. & secundum hanc opinionem, vt Clericus sit exemptus à gabellis, requiritur, vt incedat non solum in habitu, & tonsura, sed etiam deseruiat alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi, quia has conditiones requirit Concilium Tridentinum.

Secunda sententia negat, Principem posse imponere, & exigere gabellas à Clerico, etiamsi non habeat requisita Concilij Trident. Ratio est, quia de Iure communi Clerici sunt exempti à solutione gabellarum, & Ius nouum Concilij Tridentini non obstat, nam loquitur tantum de priuilegio fori: immunitas verò à tributis potest habere rationem omninò diuersam, & hanc sententiam docet Lessius *cap.*2. *lib.*33. *dub.*5. *num* 38. Molina *tom.*3. *tract.*2. *disp.*270. *num.* 5 Garzias *de benefic. tom.*1. *cap.*3. *part.*2. *num.*5. & alij; & licet prior sententia videtur probabilis, hæc secunda videtur probabilior, quia ita declarasse Sacram Congregationem Cardinalium apparet apud Comitolum in *respons. moral. lib.* 6. *quæst.*20. ad Comitolum directa.

An Princeps possit imponere gabellas super bona Nouitiorum?

BRACTEA VII.

R. Negative; & ita Molina *tom.*1. *disp.* 671. *num.*2. Malderus *in* 2.2. *tract.*1. *cap.*6. *dub.* 8. Thurianus *in* 2.2. *tom.*2. *disp.*44. *dub.*4. *nu.*12. Bartholomæus à S. Fausto *in Speculo Confessarior. disp.*33. *quæst.*14. Sanchez *in summ. thom.*2. *lib.*6. *cap.*10. *n.*16. Ratio est, quia nouitij gaudent priuilegio Canonis, & fori; ergò etiam eorum bona debēt gaudere priuilegio exemptionis, quia nouitij verè sunt de familia Monasterij, & pars communitatis istius Religionis, quæ exempta est; tùm etiam quia sicut bona in Ordinibus minoribus constituti habentis, præscripta à Concilio Tridentino cit. gaudent priuilegio exemptionis, ità etiam bona nouitiorum à simili debent gaudere priuilegio exemptionis; vndè sufficit ad hoc, vt tali priuilegio gaudeant, vt nouitius in Religione sit admissus, estque is nouitius in via, vt perfectè, & indissolubiliter vniatur eidem communitati, ac proinde eo ipso reputatur persona Ecclesiastica, & gaudet priuilegio Canonis, & fori, & exemptione gabellarum.

An Clerici teneantur ad gabellam, seù tributum quod ponitur pro reparatione viarum, pontium, portarum, & murorum Ciuitatis?

BRACTEA VIII.

Prima sententia est Iuristarum tenentium teneri Clericos ad supradictam gabellam: & ita Baldus *in* §. *ad hæc sancim. num.* 1. Felinus *in cap. Ecclesia S. Mariæ num.* 106. *de constitut.* Vasquez *de success. lib.*3. *limit.* 7. *num.*180. Salgado *de potestate Regia part.* 3. *cap.* 5. *num.* 9. Viualdus *in Candelabro aureo super Bullam Cęnæ casu* 18. *num.*3. Henriquez *in summ. lib.* 10. *cap.*15. *num.*5. Ratio est, quia vbicunque tractatur de communi vtilitate Clericorum,

rum, & Laicorum mixtim videntur Clerici nō esse immunes.

Secunda sententia est, negantium Clericos teneri soluere tale tributum, & ita Hostiensis *in summ. tit. de immunit. Ecclesia*, §. *Quibus*, Layman *in Theolog. moral. lib.4. tract.9. cap.6.num.6.* Belletus *disquis. Clericor. part.1. tit.5. §.2. num. 1.* Ratio est, quia id bonum non æquè principaliter primariò, ac directè respicit Clericos, sed Laicos, & ideò Clerici non tenentur ad contributionem supradictam. Ratio est, quia quando bonum commune, & publicum non tangit principaliter Clericos, sed secundariò, vt est in casu supradicto nēpè in reparatione viarum, murorum Ciuitatis, &c. Clerici non tenentur contribuere.

Neque tenentur Clerici ad collectam impositam per reparatione murorum Ciuitatis, seù munitione aduersus hostes, siuè pro alijs similibus oneribus, nisi spontè illa subire velint, approbante tamen Episcopo, & Clero, consultoque Romano Pontifice, & vbi Laicorum non suppetunt facultates. Ita Belletus *disquisit. Clerical. part. de exempt. Clericor. & eorum bonorum, &c.*

Ratio, cur onera imponenda sint consentiente toto Clero est, quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet. *Cap. cum omnes de constitut.* Neque teneri ad onera Belli, & ad excubias menium ciuitatis, & ad similia onera, si tamen necessitas immineat, & bursa Principis sit exhausta, & Laicorum facultates non suppetant, & agatur de defensione necessaria Patriæ, vt si Bellum fieret pro defensione Coronæ Principis, vel pro custodia Ciuitatis, tunc ipsi, quando Laici non sufficiunt, obligantur; & quod dicitur de necessitate publica intelligi debet de necessitate priuata, cui aliter nec prouideri, nec occurri valeat. Ratio est, quia in tali necessitate nullus, cuiuscunque ordinis sit, vel dignitatis, vel Sacrosancta Ecclesia excusationem habet. Abbas *in cap. Peruenit num.3. 5. 6. & 7. de immunit. Ecclesia, cap. ex multa §. fin. de voto*, vbi quæritur an Clerici teneantur custodire ciuitatem, seù oppidum, vbi morantur, & tunc si magna necessitas non subest excusantur; quia non debent auocari à Diuinis officijs. *cap 23. quæst.8.* si verò magna imminet necessitas, ità vt sine his non possit ciuitas ab oppressione, vel inuasione custodiri tunc tenentur. Ita Ioānes Andreas *in cap. Peruenit*, Butrius *de immunitate Ecclesiæ*, Abbas *consil.3.* Nata *consil.157. num. 7. volum. 1.*

Sciendum, quod quando Clerici obligantur iusta causa soluere tributum ob commune bonum ipsis, & Laicis Principes sæculares non posse per se eos compellere ad hæc tributa, vt docet Molina *disp. 672.* nisi accedat auctoritas superioris Ecclesiastici. Ratio est, quia cum non habeat vim coactiuam suprà Clericos non possunt ad id eos cogere, quamuis possint in bonis, quibus est adnexum onus soluendi tributum exequutionem facere, cum huiusmodi bona non sint in ea parte exempta. Molinā *disput. 670. vsque 674.* Lessius *lib.2. cap.33. dub.4. & 5.* Hugolin. *de censuris Papæ reseruatis cap.18. §.3.* Siluester *verbo immun. 1. num.19.* Lopes *2. part. cap.40.* Quaranta *verbo vectigal.* Rodriquez *2. part. cap.73. nu.1.* & alij, & quandò supradicta subsidia porriguntur per Clericos debent, tunc Laici ea humiliter, & deuotè, & cum gratiarū actione recipere debēt. *Cap. non minus, & c. aduersus*, Hostiēs. *in summ. intit. de immun. Ecclesiæ, §. Quibus muneribus colum.3.* ex quibus colligitur, quod ad hoc, vt Clerici ad aliquod onus compelli possint requiruntur plura. Primum, quod adsit magna necessitas: Secundum communis vtilitas, vel saltem pietas; Tertium, quod sit tale onus, ad quod sustinendum non sufficiant laici: Quartum, quod ad huiusmodi onus imponendum vocetur totus Clerus, vt consentiat: Quintum quod onus imponatur consulto Papa: Sextum quod ad tale onus soluendum Clerici compellantur ab Episcopo, & a suo Superiore Ecclesiastico. *Cap. Non minus.*

An Clerici teneantur ad solutionem oneris certi, & inuariabilis annexi rei?

BRACTEA IX.

Plures Doctores loquuntur cum tali distinctione, quod quando res cui est annexum, & affixum certum, & inuariabile, ac perpetuū onus deuenit ad Clericos non efficitur libera à solutione illius oneris, sed Clerici ad huiusmodi onus tenentur. Ita *Cap. si tributum, & cap. Magnum*, Abbas *in cap. Quod Clericis num. 41. de foro compet.* Felinus *in cap. Ecclesia S. Maria nu. 75.* Gutier. *practicar. quæst. lib.1. quæst.3. num. 15.* Azorius *part.1. lib.5. cap.13. quæst. 1.* Germonius de *Sacrosi. immunit. lib.3. cap.13. num.78.* Ratio est, quia onus rei annexum, transit cum sua causa, & cum onere suo. *C. ex litteris de pignoribus*; siquidem certum est, eum qui venditione, donatione, legato, &c. rem quempiam in Ecclesiam transfert præiudicare non posse iuri alterius, quod in re illa habet, nam suæ quisque rei moderator, atque arbiter est, & non alienæ, *leg. in re mandata, C. mandat.* Abbas *in cap. ceterum num.1. & 5. de iudicijs*, Molina *tract.2. tom.3. disp. 661. num.2. & disput. 672.* Gutier. *lib.1. practicar. qu. quæst 3. num.15.* Si verò huiusmodi onus non esset ordinarium, neque adnexum, nec perpetuum, sed incertum, & variabile prout sunt descriptiones, quæ fiunt hodie, quia æstimantur bona cuiuscunque, vt pro illis soluatur plus, & minus secundum impositionem collectæ, vt v.g. pro hospitio dando militibus, &c. nunc ad ista onera non tenentur Clerici, sed corruit huiusmodi onus, vbi bona perueniunt ad Ecclesiasticos. Ita *Cap. nouerint 10. quæst.1. cap. 1. §. volentes*, & plures citati apud Bellerum *tit. de exēpt. Clericor. & eorum bonorum à muneribus publicis §.3. nu.3.* Ratio est, quia tunc mutatione personæ mutatur onus. Abbas *in cap. ex litteris, num. 22.* Ratio est, quia tale onus soluendi eiusmodi tributa non est merè reale, sed conuenit rebus propter personas, quæ sub Principis iurisdictione existentes, lege tributi obligari possunt, si verò postea ad alios possessores, ac Dominos à Principis potestate omninò exemptos deueniant onere illo, seù obligatione pariter eximi oportet iuxtà regulam Abbatis. *Si persona exēpta est consequenter etiam res eius*, item *mutata persona mutatur etiam conditio rei*; tùm etiam, quia allibratio non afficit prædium, nisi postquam imposita est collecta, neque possunt dici bona hypotecata pro solutione onerum antequam collecta imponatur, quia obligationi incertæ hypoteca non accedit.

An

An pro bonis Patrimonialibus Clerici teneantur soluere collectas?

BRACTEA X.

PLURES Doctores affirmant teneri soluere onera certa, & inuariabilia. Ratio illorũ est, quia onus rei tran sit cum sua causa. Ita inter alios plures citati apud Belletum *disquisit. Clerical. part. 1. tit. de exempt. Clericor. & eorum bonis* §. 3. *num. 1. & 2.* alij verò negant eos teneri soluere, ita plures citati apud Bonacinam *de censur. disp. 1. qu. 19. pun. 3.* §. 1. *num. 2.* Ad onera verò personalia, & alia incerta, & variabilia non teneri etiamsi sint ordinata ad bonum publicum, nisi speciatim illud bonum respiciat Ecclesiasticos, & non generaliter. Ita Siluester *verbo immunitas 1. num. 20.* & consulto Summo Pontifice, & dependenter à Superiore Ecclesiastico: onus autem illud dicitur certum, & inuariabile, quando illius est causa certa, & inuariabilis, ex qua oritur obligatio certa, & inuariabilis in subdito illud soluendi. Quod verò bona Patrimonialia immunia sint ab oneribus personalibus variabilibus, & incertis; Ratio colligitur Bulla, in qua dicitur: *Ac eorum, & Ecclesiasticorum bonis*: vbi illa particula *eorum* refertur ad bona patrimonialia Ecclesiasticorum, cum de alijs bonis Ecclesiasticis sermo sit in subsequẽtibus verbis: tùm quia Bullæ dispositio conformis videtur dispositioni iuris antiqui: iure autem antiquo *in cap. Quamquam de censibus*, bona Ecclesiasticorum patrimonialia exempta sunt ab oneribus personalibus, idest quæ imponuntur rebus ratione personæ, cum personæ Ecclesiasticæ gaudeant immunitate, nec potestati Laici subijciantur, & per consequens non possunt ipsis bonis Patrimonialibus onera imponi. Ita *Cap. Ecclesiar. 12. quæst. 2. cap. similiter, & cap. Clericis*, §. *nos igitur* Decius *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ num. 98.* Felinus *num. 7. de constitut.* Speculator *in tit. de immunit. Ecclesiæ num. 2.* Syluanus *consil. 30.* Nata *consil 280.* Bellarminus *controuers. tom. 2. lib. 1. de Clericis cap. 28.* Ratio est, quia res Clericorum eodem priuilegio gaudent, quo res Ecclesiarum, *gloss. in cap. S. Mariæ verb. Ecclesiasticis in cap. Episcop. verbo subsidium de præbendis*.

Sciendum, quod si Clericus succedit Patri, non tenetur ad collectas, licet Pater teneretur, & bona sint catastrata. Ratio est, quia talia bona tunc spectant ad Ecclesiasticum ob successionem, & consequenter ipsius priuilegijs gaudent: vnde si persona est exempta, bona etiam exempta dicunt, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. *Cap. Accessor. de regulis iuris in 6.* tùm etiam, quia in collectis imponendis mutata persona mutatur status rei, & consideratur qualitas noui possessoris, ideò cũ Clericus sit persona priuilegiata, & exempta erunt etiam res ipsius exemptæ, quia eius persona inspicitur, sicut à contrario si miles exemptus à collectis alienet prædia in rusticum tenebitur talis acquisitor ad collectas, & emens bona Ecclesiastica, seu Clerici non eximitur à collectis: vndè ex supradictis deducitur, quod patrimonium ad cuius titulum fuit promotus Clericus gaudet priuilegio, quo gaudent res Ecclesiæ, quoad immunitatem Ecclesiasticam. *gloss in cap. Episcopus de præb.* Felinus *in cap. Ecclesiæ S. Mariæ*, Nauar. *consil. 10. num. 1. de censibus, & consil. 5. num. 1. de immunit.* Marta *de iurisdict. par. 4. centur. 1. cas. 12. num. 45.* & alij, ità vt sint immunia à collectis, vt res Ecclesiæ. An verò bona ab Ecclesiasticis empta, vel alio titulo acquisita à tributis, & oneribus Principum sæcularium sint exempta. Respondeò esse exẽpta ab oneribus futuris. Ratio est, quia onera, quæ imponũtur rebus ratione personę mutari debẽt mutatione personæ Ecclesiasticæ, in quã transeũt, tum quia in *cap. 1. de immunit. Ecclesiar. in 6.* habetur bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticarũ personarum acquisita immunia esse à tributis: ab oneribus verò præteritis, pro quibus ipsa bona sunt hypothecata teneri Clericos ea soluere, quia res transit cum suo onere, ex Felino, & alij apud Alterium *disp. 16. cap. 5. volum. 11. dub. 6. & ita etiam* Oldradus *consil. 169.* Carolus *de gratijs, de effectibus Clericor. eff. 3. num. 235.* & alij.

An bona in Ecclesiasticos translata, teneantur soluere tributum, quoties Dominus illorum bonorum promisit pro se, & suis hæredibus se soluturum tributum, & collectas? &c.

BRACTEA XI.

R. HUIUSMODI bona oneri tributum subijci. Ratio est, quia posita huiusmodi promissione, contracta est obligatio realis, non solum afficiens personas ipsas laicas, verum etiam bona: onus autem reale bonorum transit ad ipsum possessorem; tùm etiam, quia quis potest sua bona Ecclesiasticis legare hac conditione, vt onera, & tributa à Principibus imponenda soluant. Ratio est, quia cum quilibet sit rei suæ moderator, & arbiter, potest rem suam alteri donare conditionibus sibi beneuisis; ergò etiam potest quis se, & sua bona obligare ad soluendum tributum pro tempore imponendum. Ita Reginald. *lib. 9. num* 380 contra plures, quorum opinio etiam videtur probabilis.

An Princeps possit imponere gabellas sine consensu Cleri, ex aliqua publica necessitate super eius bona?

BRACTEA XII.

R. NEGATIVE. Ratio est, qa necessitas totius Populi non sufficit ad obligandum Clerum sine ipsius consensu. Et ita Rodriquez *in summ. tom. 2. cap. 185. nu. 13.* Petrus Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 7. cap. 2. conclus. 27.* Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 19. quæst 11.* Salon. *tom. 2. in 2. 2. quæst. 78. art. 5. controu. 1.* & alij, qui asserunt, quod quando necessitas publica respicit directè, & principaliter æquè vtilitatem Ecclesiasticorum, & Laicorum; & in tali casu non posset sine periculo recursus haberi ad Papam vocandus esset totus Clerus, vt deliberet quid agendum, quia quod omnes tangit particulariter ab omnibus approbari debet, & si in tali casu Clerus sine legitima causa nollet consentire possent laici implorare auxilium Superioris Ecclesiastici, vt

compelleret Clericos, non tamen esset recurrendum ad Iudicem sæcularem, etiamsi esset consuetudo talis, quia dicta consuetudo est corruptela, & reprobata pro canones.

An Princeps possit imponere gabellas super bona Clericorum, qui fraude sine intentione clericandi assumpserunt habitum Clericalem?

BRACTEA XIII.

R. Nullo modo posse. Ratio est, quia Clerici incedentes cum habitu, & tonsura, & Diuinis inseruientes, etiamsi assumpserint habitum in fraudem gabellarum gaudent dicta exemptione. Ratio est, quia isti reuera de presenti, hic, & nunc sunt verè Clerici, etiamsi non habeant animum permanendi in Clericatu, & per consequens gaudent priuilegio exemptionis, licet plures teneant opinionem contrariam, nimirum ipsum obligari soluere gabellas, & tributa, vt ex *leg. Qui sub praetextu C. de sacrosanct. Ecclesijs colligit*. Quaranta *verbo vectigalia*, & Coriolanus *in expositione Bullæ Cœnæ excom.* 18. & Principem non incurrere excommunicationem imponendo, & exigendo tale tributum. Ratio est, quia fraus nemini patrocinatur.

An Emphyteutæ, qui bona Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum in emphyteusi acceperunt teneantur ad collectas, & onera?

BRACTEA XIV.

R. Dum onera imponentur solum pro dominio vtili, vel pro fructibus teneri Emphyteutam soluere onera, & collectas, quę imponuntur. Ratio est, quia priuilegium immunitatis concessum est Ecclesiasticis, & ipsorum bonis, & fructibus: bona autem emphyteutica non sunt Ecclesiasticorum, quoad dominium vtile, quia per contractum emphyteuticum dominium vtile, quod est separatum à dominio directo in emphyteutam translatum est, consequenter ad ipsum pertinent vsufructus, & ideo tam fructus, quam dominium vtile subiectum est iurisdictioni Principis sæcularis, tum quia collectæ principaliter imponuntur personis, & secundariò rebus. *leg. rescripto, & leg. fieri ff. de municipibus, & honoribus*, sed emphyteutæ sunt personę laicę Principibus subiectæ, & ad ipsas præfati fructus pertinent; ergo imponens ipsis collectas, non facit contra immunitatem Ecclesiasticam, cum collectæ non imponantur pro dominio directo, sed vtili, & fructibus. Ita Alter. *disp. 19. cap. 6. dub. 6.* Surdus *consil. 338 num. 13.* Caualcanus *decis. 44 num. 100.* Carolus de Grat. *off. 3. num. 77.* Menochius *de arbitrarijs casu* 180. & alij, licet plures sequantur opinionem contrariam, vt videre est apud Belletum *tit. de exempt. Clericor. & eor. bonorum, &c.* §. 8. *n* 5. Quod tamen intelligendum modo id fiat sine damno Domini directi, qui bona in emphyteusim concessit, alioquin ipse Dominus directus indirectè grauaretur, vt si prædia ob huiusmodi onus minori pretio in emphyteusim concedere cogeretur. Ita Oddo *consil. 60. num. 6.* Nata *consil.* 114. & alij.

An Clerici teneantur ad solutionem pedagiorum, seu vectigalium pro rebus, quæ vehuntur in vsum eorundem Clericorum, & eorum familiæ?

BRACTEA XV.

R. Clericos non teneri soluere pedagia, seu vectigalia pro rebus, quæ in eorumdem Clericorum, & eorum familiæ vsum vehuntur *leg. vniuersi cod. de vectigal.* Boerius *decis. 213. num.* 8. Surdus *consil. 41. num. 1.* Neque in isto casu valere consuetudinem in contrarium, & qui à Clericis exigunt talem gabellam sunt excommunicati, & ad restitutionem rei acceptæ tenentur, *cap. quamquam de censib. in 6.*

Sciendum nomine familiæ, pro qua Clerici non tenentur soluere pedagium, intelligi matrem, sororem, pauperes, & alios coniunctos, quos alere Clericus conuenerit, & teneretur, & ista familia gaudet immunitate. Riccius *in praxi resolut. part. 2. resolut.* 329. Clericos coniugatos non gaudere huiusmodi priuilegio. Abbas *in cap. ex litteris num. 8. de vita, & honest. Clericorum.*

Quædam Communitas imposuit tributum soluendum super animalibus pro rata, & quia ipsis exigunt à colonis Ecclesiasticorum, quæsitum fuit, an incurrerint aliquam pœnam imponentes, & exigentes?

BRACTEA XVI.

R. Incurrisse in excommunicationem 19. Bullæ Cœnæ Domini, cum impositio talis tributi, & exactio sit in damnum Ecclesiasticorum, & rerum Ecclesiasticarum, & per consequens obligari ad restitutionem acceptorum, cum iniustè fuerint accepta; nec obstare rationem, quæ pro parte Communitatis à quibusdam affertur, quod sicut animalia Colonorum Ecclesiasticorum pascuntur in alienis, & publicis pabulis, ita posse Communitatem imponere tale onus; non inquam valet, quia ex eo, quod Ecclesiastici habeāt Rura in aliquo loco animalia ipsorum Colonorum habent ius pascendi in publicis pabulis, vt cętera animalia, cū nō sint deterioris conditionis, imò melioris.

Sciendum, quod si Colonus Ecclesiasticus habeat bona nomine proprio allibrata, & pro cultura illorum sint necessaria animalia pro ipsis obligari ad ratam soluere tributum sicut de oneribus realibus obligatur soluere tributū de fundo nomine proprio allibrato.

Sciendum 2. animalium Clericorum custodes, qui cum animalibus dant damnum in alienis agris posse accusari, & puniri à laicis pęna imposita ab ipsis laicis, quia hoc non respicit personas Clericorum, sed Laicorum custodum, qui sunt causa damni, & ita puniuntur ex facto,

facto, & delicto proprio. Ita apud Bellet. *loco citato* §. 6. *num.* 5.

An Coloni Ecclesiæ, seu Ecclesiasticorum gaudeant immunitate à collectis, tributis, alijsque oneribus?

BRACTEA XVII.

Resp. quadruplicem sententiam circa solutionem huius casus. Prima sententia est asserentium teneri ad solutionem onerum, tributorum, &c. Ratio est, quia Coloni subditi sunt Principibus laicis; ergo tenentur soluere collectas, & tributa, quæ illis imponuntur. Ita Osaleus *in decis. Pedemon. decis.* 83. & alij. Secunda negat teneri huiusmodi Colonos ad solutionem tributorum, onerum, &c. tam realium, quam personalium. *Cap. Ecclesiarum, & ibi gloss. verbo Clericor.* 12. *quæst.* 2. & plures citati apud Belletum *loco cit.* §. 7. *num.* 1. Ratio est, quia huiusmodi onera, quę indicũtur pro possessionibus, Dominis tantũ, & possessoribus rerũ indicuntur: Colonus autem non est Dominus, neq; possessor prædij grauari, ideò non potest. Natã *consil.* 409. *num.* 3. Tertia sententia distinguit, aut onus imponitur Colonis simpliciter pro fructibus, qui ex fundis Ecclesiasticis percipiuntur, aut solum pro parte colonica: si priori modo coloni non tenentur ad huiusmodi onera, sed immunitate gaudent, quia huiusmodi onerum impositio in damnum Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum vergit, consequenter huiusmodi onus censetur Ecclesiasticis impositum; si vero secundo modo non sunt immunes, quia fructus à solo separati non dicuntur Ecclesię, neque in eius dominio, sed ipsorum Colonorum priuatorum, & laicalium personarum propter quod de illis, ac de rebus prophanis solent exigi vectigalia. Ita Surdus *consil.* 301. *num.* 85. Bursatus *consil.* 25. *num.* 3. Carol. de Grat. *de effectibus Clericatus eff.* 3. *num.* 56. Alterius *disp.* 19. *cap.* 6. *dub.* 5. & alij quam plures. Ratio est, quia separatorum est separata ratio. Quarta sententia est asserentium, collectas imponi posse Colonis pro parte colonica, modo ex impositione huiusmodi onerum nullum Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis damnum sequatur, alioquin Ecclesiastici indirectè grauarentur contra Sacrorum Canonum dispositionem. Sed

R. iuxta tertiam sententiam, quam tuentur citati Doctores, & propter rationes allatas.

An Iudex Laicus possit exigere gabellas, & tributa à Colonis partiarijs Ecclesiasticorum?

BRACTEA XVIII.

R. Iuxta Abbatem *lib.* 1. *consilior.* 9. *num.* 2. & alios relatos à Bellet. *disquis. Clerical. tit. de exemp. Cleric.* §. 7. *num.* 1. Iudicem laicum non posse exigere onera, & tributa, tam realia, quam personalia à Colonis Ecclesiasticorum. Ita Filliucius *tract.* 16. *cap.* 11. *quæsit.* 4. *num.* 362. Ratio, quia iuxta gloss. *in leg. si penes in verbo recepta C. de agricolis, & censit. lib.* 10. huiusmodi coloni videntur immunes à muneribus realibus, & personalibus, quod sint immunes à muneribus realibus, quæ pro possessionibus imponũtur, patet, quia cum Colonus non sit Dominus prædij grauari non potest, tum etiam quia exemptio competẽs bonis Ecclesiasticis, cum sit realis comprehendit etiam colonos Gloss. *in Clementina* 1. *verbo excolendas*, & ibi Abbas *num.* 10. & alij. Et ideò nec etiam tenentur ad onera, quæ personis componuntur pro rebus cuiusmodi sunt Angariæ, onus hospitandi, aut alendi milites, &c. Abbas *consil.* 9. Bellet. *loco citato* Federicus *de senis consil.* 3. *num.* 10. & alij.

R. 2. Colonos Ecclesiasticorum teneri soluere onera, & tributa pro bonis, quæ habent eorum nomine allibratis. Rebuf. *in l.* 2. *num.* 2. & 3. Bartol. *num.* 1. *C. de agricolis, & censit. lib.* 11. sicut etiam tenentur soluere pro portione fructuum ad eos spectante, quod intelligendum est de fructibus separatis à solo. Ratio est, quia fructus separati à solo non sunt amplius sub dominio Ecclesiæ, sed ad colonos spectant, & consequenter laicæ potestati subijciuntur, propter quod de illis, ac de rebus solent exigi vectigalia, Ita plures apud Bonacinam de censuris in Bulla Cenæ *disp.* 1. *quæst.* 19. *punct.* 3. §. 1. *num.* 7. Ratio est, quia separatorum est separata ratio, & cum fructus sint separati à solo Ecclesiastico, non gaudent amplius priuilegio Ecclesiæ. Verum si ob talem impositionem per indirectum Ecclesia pateretur, quia non inuenirent Clerici colonos, aut difficilè, tunc pro parte colonica tributis non possint grauari. Ita apud Belletum *loco cit. num.* 5. Ratio, quia quæ directè prohibentur, etiam indirectè sunt prohibita, Ecclesiastici prohibentur directè grauari, per consequens etiam indirectè.

An conductores bonorum Clericorum gaudeant priuilegijs eorumdem Clericorum, quoad immunitatem à gabellis, &c.

BRACTEA XIX.

R. Conductores, seu fictuarios bonorum Clericorum non gaudere priuilegijs Ecclesiæ, & Clericorum quoad immunitatem à gabellis, collectis, &c. pro fructibus perceptis ex dictis bonis. Ita gloss. *in Clementina præsenti* Felinus *in cap. Ecclesia S. Mariæ num* 99. *de constitut.* Decius *in cap. Sanè num.* 7. & 8. *de priuilegijs*, & alij plures. Ratio est, quia vectigal, seu tributum, aut collecta soluitur ratione fructuum, fructus autem ipsi percepti sunt proprij conductorum, aliamque sumunt naturam, ac cum essent solo coniuncti, tum quia & Ecclesia ipsa non vtitur hoc priuilegio, si negotietur. *Cap. Quamquam, & ibi gloss. verbo Negotiandi*; neque igitur hi, qui cõducunt tantùm gratia negotiandi, & frui debent, nisi conuentum esset inter Clericum, & conductorem, quod Clericus proprijs sumptibus teneretur dare fructus coductos ad domũ ipsiusmet conductoris, siuè quando esset consuetudo in contrarium, siuè quando collecta, aut gabella esset ita excessiua, vt magna cum difficultate, & magno cum detrimento Clerici inuenirent conductores, & cogerentur minoris locare, quam alij sæculares; tunc enim conductores gaudebunt priuilegio Clericorum. Felinus *in cap. Ecclesia S. Mariæ num.* 99. quia per

Laicos, neque per indirectum Ecclesia grauari potest.

Sciendum, quod licet Clerici sint exempti, tamen non est immunis à solutione gabellarum, qui à Clericis emit frumentum. Ratio est, quia vbi persona est causa priuilegij mutata persona extinguitur priuilegium, nisi quando emptio facta fuisset cum pacto, quod sumptibus Clerici venditoris deferatur res empta ad talem locum: Gratius *de effect. Clericali effect. 3. num. 91.* vbi plures citat.

An Ecclesiastici teneantur soluere gabellas, ob primum aduentum Principis in Ciuitatem?

BRACTEA XX.

Negative. Et ita Azorius *par. 3. lib. 5. cap. 19. quæst. 11.* Carolus de Gratijs *de effect. Clericali effect. 3. num. 264.* & alij. Ratio est, quia licet talis gabella sit imposita propter publicam necessitatem, tamen æquè principaliter non tangit Clericos, ac Laicos, sed solùm indirectè, ac remotè ad Clericos pertinet, in quo casu ipsi non tenentur ad contributiones; & ita Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 3. num 24. & 25.* & Diana *tract. 2. de immun. Ecclesiast. resolut. 11.*

In quibus casibus licitum sit collectas, & onera Ecclesiasticis imponere?

BRACTEA XXI.

Primo, quando Clericus assumit habitum Clericalem in fraudem vectigalium eo modo, quo dictum est supra. Ratio est, quia fraus patrocinari non debet, fraudem committenti; tum quia immunitas concessa est Ecclesiasticis, & ipsorum bonis: hic autem non est Ecclesiasticus cum habitu fingat se Clericum, & re ipsa non sit; si verò re ipsa sit Clericus prima tonsura initiatus, nec Clericalem habitum dimiserit, gaudet immunitate collectarum, & onerum, quia est persona Ecclesiastica, consequenter priuilegijs Ecclesiasticorum gaudet; etiamsi Clericalem statum assumpserit hoc animo, vt liber fieret ab oneribus tributorum, & onerum; tum quia vtitur iure suo Clericalem statum assumendo; & ista intentio non tollit statum Clericalem; consequenter neque immunitatem ratione status Ecclesiastici concessam.

Secundus casus est, quando Clericus est coniugatus, Clericus enim Latinus coniugatus caret omnibus priuilegijs Ecclesiasticis, exceptò priuilegio Canonis, & fori. *Cap. Clerici de Clericis coniugatis in 6.* modò seruet ea, quæ in Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 6.* præscripta sunt.

Tertius casus est de Clericis feudatarijs, quia Clericus in his, quę ad feudum pertinent, subijcitur Domino feudi, licet sæculari.

Quartus casus, quando Clericus exercet negotiationem, nam ex rebus, quas negotiationis gratia aduehit, tenetur soluere vectigalia, vt habetur in cap. *Quamquam in 6.* secus verò dicendum, si vendat vinum, frumentum, &c. quæ percipit ex proprijs bonis, quia tunc non tenetur soluere gabellam, quia non dicitur negotiari vendendo res collectas tàm ex bonis Ecclesiasticis, quàm patrimonialibus, vt notat Toletus *lib. 1. cap. 38.* & alij; tunc Clericus dicitur negotiari, quando rem emit, vt eam chariùs vendat ad lucrum comparandum; secus si eam emat ad propriam sui, vel familiæ sustentationem absq; intentione iterum vendendi, sed postea cognoscit eam sibi non esse necessariam; aut se posse ea vendita maiori pretio, alias similes emere viliori pretio, quia lex non respexit, quod rarò, & per accidens fit.

Quintus casus, quando Clericus acquirit bona, seu possessiones affectas aliquo certo, & ordinario onere, vt onere soluendi censum Principi, aut reparandi vias publicas, vicinas, &c. tunc enim Clerici tenentur ad vectigalia soluenda, cum tunc locum habeat illud, res transit cum onere; iuxta *caput Pastoralis*, & *Caput Cum non sit de decimis, &c.* non verò tenetur ad nouum, quod de nouo imponitur, vel ad extraordinarium. Panormitanus *cap. Ex litteris de vita, & honestate Clericorum*, & alij; & ideò Clericos non posse cogi ad hospitandos milites, vel ad alia onera soluenda, quę in fauorem militiæ imponuntur, cum tale onus censeatur extraordinarium; similiter non posse cogi ad soluendum vectigal illius rei, quam, sua industria effecit meliorem, hoc enim dicitur potius artificiũ, & industria, quam negotiatio, præsertim si fiat ad consulendum necessitatibus; item non posse cogi ad soluendum vectigal, quando emit pullum, vt eum grandiorem effectum vendat, hæc enim non videtur negotiatio Clericis prohibita, nec arguit indecentiam, sed potius est industria, & artificium.

Sextus casus, in quo licitum est collectas, & onera Ecclesiasticis imponere est, dum id fit de consensu, & expressa Summi Pontificis licentia. Ratio, quia, quod Laici tunc temporis agunt, censetur agere ex facultate sibi à Papa delegata, & concessa.

An consuetudo tribuat ius Laicis imponendi collectas, & onera Ecclesiasticis?

BRACTEA XXII.

Consvetvdinem non tribuere laicis ius imponendi collectas, &c. Ratio est, quia vt dictum est Ecclesiastici iure Diuino immunes sũt ab oneribus, & tributis Laicorum, nulla autem consuetudo potest iuri Diuino derogare; tum quia huiusmodi consuetudo esset contra libertatem Ecclesiæ; tum etiam quia Bulla Cœnæ Domini, non obstante quauis consuetudine, excommunicat eos, qui collectas, & onera Ecclesiasticis imponunt sine specialis Summi Pontificis facultate. Ita exprèsse habetur *in cap. Quamquam de censibus*, & ita Filliucius *tract. 26 cap. 11. quæsit. 2. num. 293.* Suarez *lib. 4. de immunit. cap. 32.* Reginaldus *lib. 9. num. 381.* Duardus *in Bulla Cœnę quæst. 20. num. 5.* & alij.

An

MALLEATIO XXXV.

De priuilegio immunitatis loci Ecclesiastici, nimirùm Ecclesiæ, &c.

Quibus locis competat immunitas Ecclesiastica?

BRACTEA I.

R. Immvnitatem Ecclesiasticam competere primò Ecclesiæ auctoritate Episcopi fundatæ,& consecratæ, aut etiam solummodo benedictæ, etiamsi nondum in ea celebrata fuerint Diuina Officia. Ratio est, tum quia hæc propriè loquendo dicitur Ecclesia, & est locus sacer, Deo perpetuò dicatus; tum quia versamur in materia immunitatis Ecclesiæ, quæ fauorabilis est,& cōsequenter extendenda,& huiusmodi Ecclesias gaudere tali priuilegio, etiãsi pollutæ sint; aut interdictæ, quia pollutio, aut interdictio non tollit immunitatem Ecclesiæ, etiamsi directa sit, quia non desinit esse locus sacer, nec ob id amittit sua priuilegia, modò non sit directa auctoritate Episcopi sine spe ipsam reædificandi, quia tunc amitteret immunitatem, quia priuilegium est veluti accidens morale, accidens autem destruitur destructo principali.

Sciendum nomine Ecclesiæ non solùm venire interius corpus Ecclesiæ, verùm etiam totam Ecclesiæ fabricam, vt tectum, partes parietum exteriores, Campanile, Sacristiam Ecclesię coniunctam,& similia. Ratio est, quia versamur in materia fauorabili consequenter extendenda, immò hæc immunitas iure communi extenditur ad fines, seu confinia Ecclesiæ vsque ad quadraginta passus, si Ecclesia fuerit maior, seu Basilica; si verò fuerit minor, protenditur vsque ad triginta passus. *Cap. Sicut antiquitus* 17. *quæst.* 4. præcisa tamen consuetudine in contrarium, & exceptis Ecclesiæ in Ciuitate constitutis, in quibus ob locorum angustiam hoc seruari non potest.

Secundò, gaudent hoc priuilegio Monasteria, domus regulares, & sæculares, locique sacri, aut Religiosi, vt dicitur in constitutione Gregorij XIV. ideò hæc immunitas extenditur ad totum Claustrum, seu habitationem Religiosorum etiam ad viridarium, quia totus ille locus est sacer,& Religiosus, extenditur etiam ad Hospitale fundatum auctoritate Episcopi, quia in iure censetur locus sacer. *Cap. Sed hec de religiosis domibus*: Ita Couar. *2. variar. cap. 20. num.* 4. Sayrus *lib.* 3. *de censuris cap.* 19. *num.* 18. extenditur etiam ad Seminarium, quia Seminarius est locus pius, & Religiosus. Ita Praxis Neapolitana *cap.* 17. *num.* 10.

Tertiò, gaudere Palatium, seù domum Episcopi. *Cap. Id constituimus* 17. *quæst.* 4. modò Palatium Episcopi sit constitutum intra quadraginta passus Ecclesiæ suæ. Ratio est, quia immunitas conceditur Palatio Episcopi ratione loci sacri, non est autem locus sacer, si ab Ecclesia distet vltra quadraginta passus, nisi forte in Palatio Episcopi cōstructum sit Oratorium, in quo Diuina celebrentur, quia tunc censetur locus sacer, & immunitate gaudere. Ita Bonacina *disp. 3. par. 2. num.* 8. sed absolutè dico gaudere, vt infra ostendam.

Quartò, Oratoriū auctoritate Episcopi constructum, & perpetuò dicatum cultui Diuino gaudet immunitate Ecclesiastica, quia censetur locus sacer, & religiosus, nec in vsus prophanos transferri potest; secus dicendum erit, si Oratorium priuata auctoritate constructum sit, cum immutabiliter non sit dicatus cultui Diuino. Ita Panormitanus *cap. vlt. de censibus num.* 4. Iulius Clarus *lib. 5. quæst. 30. num.* 7. Armilla *verbo immunitas num.* 19. & Siluester *eodem verbo*, & alij.

Quo iure introducta sit immunitas Ecclesiastica?

BRACTEA II.

R. Immvnitatem Ecclesiasticam iure humano concessam fuisse Ecclesijs, alijsque locis religiosis, de quibus supra dictum est. Ita colligitur *ex cap. Miror, cap. Definierit. cap. Nullus* 17. *quæst. 4. cap. Inter alia de immunit. Ecclesiar.* & ex constitutione Gregorij XIV. quæ incipit; *Cum alias nonnulli Prædecessores nostri, &c.* & ipsam non esse introductam iure naturali, vel Diuino; Quod nō sit introducta iure naturæ patet, tum quia non est intrinsecè malum extrahere delinquentem ab Ecclesijs, nec fit irreuerentia loco sacro extrahendo, si ius naturæ præcisè spectemus, cum actio extrahendi per se iniusta non sit, neque fiat in contemptum loci sacri, alioquin in nullo casu liceret extrahere delinquentes, etiam Summo Pontifice permittente, cum Summus Pontifex regulariter non possit dispensare in iure naturali, & Diuino, quoties in ipso humana actio non includitur, sicuti includitur in iuramento, voto, & matrimonio rato, & ob id in ipsis dispensare potest: Quod verò non sit introducta iure Diuino, patet etiam, quia si spectemus ius Diuinum nouum nullus scripturæ locus afferri potest ad ostendendam hanc immunitatem; si spectemus ius Diuinum antiquū dicendum est, inde non colligi immunitatem nostrarum Ecclesiarum. Ratio, quia dato quod priuilegium immunitatis iure antiquo esset cōcessum templo, tamen illud priuilegium non extenditur ad nostras Ecclesias, cum priuilegiū vni concessum non transferatur ad alia; tum quia priuilegium illud antiquum pertinebit ad ceremonialia antiquæ legis, ceremonialia autem in Christi morte cessarunt. Et ita Suarez *tom. 4. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 8. nu* 9. Filliucius *tract.* 15. *cap.* 6. *quæst.* 8. *num.* 149. Ambrosinus *de immunit. cap. 1. num.* 3. & alij.

Quos effectus pariat immunitas?

BRACTEA III.

R. Plvres effectus parere immunitatem. Primus effectus est, vt delinquēs nequeat capi in Ecclesia à Laica potestate, vt constat ex ipsa Gregorij Bulla, immò Iudici sæculari volenti Reum è Loco sacro extrahere potest Ecclesia medijs licitis resistere, vt deterrendo censuris, vel claudendo ianuas. Ratio est, quia licitum est medijs licitis, & honestis vim vi repellere, & Ecclesiasticam immunitatē defendere. Ita Suarez *lib. 3. de relig. cap. 13. num.* 4. Secundus effectus est, vt non apponatur impedimentum, propter

propter quod existenti in loco sacro non deferantur alimenta, vestitus, aut alia, quæ ad vitã necessaria sunt. *leg. Præsenti Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, vbi habetur, nullum in Ecclesijs ita detineri, aut constringi posse, vt ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies. Tertius effectus est, vt existenti in loco sacro nulla vis, aut damnum inferatur. *ex cap. Definiuit 17. quæst. 4.* & ideo confugientem ad Ecclesiam non posse ibi proprijs vestibus, vel armis, vel alijs bonis in Ecclesia spoliari à seculari Iudice, bonis verò, quæ iniustè possidet, potest ab Ecclesiasticis Ministris spoliari, vt si ad Ecclesiam confugiat cum veste furto sublata, vel cum armis prohibitis. Ita Ambrosinus *cap. 11. num. 7.* Peregrinus *cap. 23. num. 2.* Decianus *cap. 27. num. 6.* Suarez *de relig. lib. 3. cap. 13. num. 2.* & alij. Quartus effectus est, vt dum Reus in Ecclesia existit damnari nequeat ad mortem, vel ad pœnam saltem corporalem. *Cap. inter alia de immunit. Ecclesiar.* idcircò non posse damnari ad exilium, vel ad triremes, vel ad perpetuam seruitutem, dum in Ecclesia existit. Ratio, quia istæ sunt pœnæ corporales; Reus autem dum in Ecclesia existit, non potest à Laica potestate ad pœnam corporalem damnari. Quintus effectus est, vt delinquens per vim extractus ab Ecclesia restituatur Ecclesiæ. Ratio est, quia Iudex tenetur iniuriam Ecclesiæ illatam resarcire, eam autem non resarcit, nisi iniustè extractum restituat. tum quia sequeretur Iudicem ex sua iniquitate commodum reportare, si delinquentem per vim ab Ecclesia extractum retinere posset; tum quia sic habetur *cap. Sicut antiquitus 17. quæst. 4.* & *cap. Miror*, vbi habetur extrahentem, compellendum esse per excommunicationem ad restitutionem. Ita Decianus *tract. criminali lib. 2. cap. 28. num. 7.* Azorius *2. par. cap. 9. quæsit. 15* Farinacius *in Append. cap. 2. num. 48.* & alij.

In quibus casibus suffragetur immunitas?

BRACTEA IV.

R. Suffragari in omnibus casibus, tam ciuilibus, quàm criminalibus, exceptis casibus in iure expressis. Ratio est, quia iura indistinctè, & indefinitè loquuntur, & solum excipiuntur aliqui casus, & exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.

Sciendum debitores in loco sacro existentes gaudere priuilegio immunitatis. Ratio est, quia Ecclesia tuetur ad ipsam confugientes in criminalibus; ergo à fortiori tueri debet debitorē ex causa ciuili; tū quia hic casus nō est in iure exceptus. Ita Decianus *cap. 28 num. 34* Suarez *cap. 11. num. 3.* Couar. *lib. 2. variar. cap. 20. num. 14.* Ambrosinus *cap. 13. num. 1.* etiamsi debitores obstricti sint debito publico, aut suspecti sint de fuga, aut decoxerint cum magno Reipublicæ detrimento, adhuc enim gaudent immunitate ob allatas rationes; Blasphemos gaudere etiam immunitate Ecclesiæ, ita vt capi nequeant à laica potestate, isti enim in iure non sunt excepti & regula firmat contrarium in casibus non exceptis: Tertiò, Adulterum in loco sacro existentē capi nō posse à Iudice seculari, quia in iure nō priuatur immunitate; & quāuis adulteriū grauius sit latrocinio secundum se spectato, tamen in hac materia non est facienda extensio ab vno ad alium casum. Quartò, simoniacos gaudere priuilegio immunitatis. Ita Peregrinus *cap. 11. dub. 17. num. 17.* Quod tamen intelligendum est, modo non habeat adiunctam hæresim. Quintò, periurum, aut sacrilegum gaudere immunitate. Ita Dec. *tom. 2. lib. 6. cap. 28. nu. 20.* Peregrinus *cap. 12. num. 5.* & alij communiter. Sextò, homicidam gaudere immunitate modo non occiderit proditoriè, vel in Ecclesia, etiã si occiderit Clericum, aut alium Ecclesiasticum; nam hoc delictum non est exceptum. Farinacius *in Appen. cap. 7. num. 119.* Bouerius *decis. 109 num. 7.* Septimò, Reos nefarij, & sodomitici criminis, immunitatis priuilegio nō priuari, cum non excipiatur in Bulla Gregorij. Octauò, Bannitos, seu exules priuilegio immunitatis gaudere, modo non commiserint delictum immunitate priuans. Ita plures apud Farinacium *in Append. cap. 1. num. 32.*

An Latrones, grassatores viarum, & depopulatores agrorum immunitate priuentur?

BRACTEA V.

R. Publicos Latrones non gaudere priuilegio immunitatis, & ita colligitur *ex cap. inter alia de immunit. & ex constit. Gregorij Decimiquarti*, quæ incipit Cum alias nonnulli. Latro appellatur is, qui violenter aliquem aggreditur, & deprædatur, publicus verò latro dicitur is, qui in vijs publicis deprædatur, & ob frequentata latrocinia pro latrone communiter habetur, seu qui publicè palam furatur, seu qui publicè transeuntes in vijs, inuadit, & spoliat, vel in mari palam prædas agit. Et ita Farinacius *tom. 2. de carcere quæst. 8. num. 5.* Decian. *tract. criminal. lib. 6. cap. 28 num. 2.* Ambrosin. *de immunit. Ecclesiast. cap. 2. num. 4.* & alij. Ex quibus sequitur fures occultos, seu furantes in vijs priuatis non priuari immunitate, quia non dicuntur obsedisse vias frequentatas.

Secundò, grassatores viarum Ecclesiastica immunitate priuantur. Ratio est, quia tale delictum excipitur in Bulla Gregorij, & etiam in *cap. inter alia de immunit.* tum quia grassatores viarum nomine latronum comprehenduntur, licet in hoc differant, quod latro dicitur, qui vias extra vrbem obsidet, grassator verò in vrbe. *Leg. Capital. §. Grassatores ff. de pœnis*; Grassator igitur dicitur, qui vias in vrbe obsidet, & sæpius hoc crimen commisit: grassator publicus nuncupatur, qui ob frequentata delicta in vijs publicis fama publica talis existimatur.

Tertiò, depopulatores agrorum non gaudere priuilegio immunitatis per *Caput inter alia de immunit. & per constitutionem Gregorij Decimiquarti*, vbi excipitur talis casus; nomine *depopulatoris agrorum*: intelligitur ille, qui diripit alienos agros, idest qui segetes, seu fructus surripit, & agros, seu vineas vastat.

An

An occidentes, vel mutilantes in Ecclesia immunitate gaudeant?

BRACTEA VI.

R. Committentes homicidia, vel mutilationes in Ecclesijs, aut earum cemiterijs non gaudere priuilegio immunitatis. Ita ex *cap. fin. de immunit. Ecclesiastica*; cui etiam inhærere videtur Gregorius Decimusquartus in sua cõstitutione. Ratio est, quia par non est, vt immunitate fruatur ille, qui in Ecclesia deliquit, iuxta *caput frustra de vsuris*, vbi dicitur *frustrà legis auxilium implorat, qui in legem deliquit*, & *cap. fin. dicitur in eo, in quo quis deliquit puniri debet*; cum ergo committentes homicidia, vel mutilationes in Ecclesijs dicantur delinquere in Ecclesijs puniri debent in Ecclesia pœna priuationis immunitatis. Ita Farinacius *consil. 76. n. 7.*

An qui existens in Ecclesia ex fenestra lapidem iecit in alium extrà Ecclesiam existentem & illum occidit, gaudeat immunitate?

BRACTEA VII.

Prima sententia est Gambacurtæ *lib. 5. cap. 24. num. 21.* Graffij *tom. 1. lib. 3 consil. vnico num. 10. de immunit. Ecclesiast.* Portellæ *in dubijs regularium verb. Ecclesia immunitas num. 12.* Farinacij *tract. de immunit. cap. 16. num 223.* Ambrosini *tract. de immunit cap. 5. num. 8.* & aliorum, qui affirmant, talem non gaudere priuilegio immunitatis; & ratio est, quia tale homicidium videtur commissum in Ecclesia, cum in illa initium habuerit. Sed.

R. Cum Bonacina *disput. 3. quest. 7. §. 4.* gaudere immunitate Ecclesiastica præcisa consuetudine in contrarium. Ratio est, quia priuatio immunitatis non incurritur, nisi in casibus in iure expressis, in iure autem non est expressum, priuationem immunitatis incurri ob actionem homicidij, vel mutilationis membrorum incohatam solum in Ecclesia, sed ob homicidia, & mutilationem membrorum in Ecclesijs, quæ connotant actum completum, & perfectum in Ecclesia; tum quia versamur in materia pœnali, & odiosa sunt restringenda in naturali significatione verborum, & non sunt extendenda ad actum homicidij, vel mutilationis incohatum in Ecclesia; sicut etiam non priuatur immunitate, qui occidit aliquem extra Ecclesiam, quem violenter ab Ecclesia extraxit, quia in Bulla excipitur homicidium, & mutilatio in Ecclesia, & iste propriè non occiditur, aut mutilatur in Ecclesia, sed extrà; qui verò aliquem læthaliter vulnerauit in Ecclesia, sed vulneratus extra Ecclesiam mortuus est, priuatur priuilegio immunitatis. Ratio est, quia delictum homicidij censetur commissum in Ecclesia, cum in ipsa causa ipsius fuerit data.



An existens in Ecclesia, mandans homicidium extrà illam committi gaudeat immunitate?

BRACTEA VIII.

R. Non carere immunitate, siue existens in Ecclesia mandet committi homicidium extra Ecclesiam, siue existens extra Ecclesiam, mandet homicidium, vel mutilationem fieri in Ecclesia. Ratio est, quia tales non dicuntur verè, & propriè loquendo occidere, sed mandare occisionem, & cum simus in pœnalibus, & in materia odiosa verba Bullæ contra occidentem, non sunt extendenda ad mandantem homicidium, vel mutilationem; licet plures sequantur opinionem contrariam.

An qui commisit alia grauia delicta extra homicidium, & mutilationem membrorum in Ecclesijs, seu cæmiterijs immunitate gaudeat?

BRACTEA IX.

R. Committentes alia delicta extra homicidium, & mutilationem membrorum gaudere priuilegio immunitatis. Ratio est, quia priuatio immunitatis non est trahenda ad casus in Bulla non expressos, sed in dicta Bulla excipitur tantum homicidium; ergo non est trahenda ad alia licet enormia delicta. Ita Peregrinus *in tract. de immunit. Eccles. cap. 6. num. 23.* Bonacina *de legib. disput. 3. quest. 7. §. 4. num. 12.* Megala *in 3. part. lib. 4. cap. 2. quest. 1. nu. 15.* & alij. Licet Nauar. *cap. 25. num. 20.* Couar. *lib. 2. variar. cap. 20. n. 15.* Suarez *cap. 11. num. 6.* & alij, qui scripserunt ante cõstitutionem Gregorij Decimiquarti opinionem contrariam teneant. Ratio, quia indigni sunt, quod defendantur ab Ecclesia, tum quia in eo, quis puniri debet, in quo deliquit. *Cap. fin. de immunit.* sed isti deliquerunt in Ecclesia; ergo puniri debent, itaut priuentur immunitate Ecclesiastica.

An qui deliquit propè Ecclesiam spe confugiendi ad ipsam, gaudeat priuilegio immunitatis?

BRACTEA X.

R. Delinquentem propè Ecclesiam spe confugiendi ad Ecclesiam immunitatis priuilegio gaudere. Ita Peregrinus *de immunit. cap. 6. num. 30.* Facundes *de preceptis Ecclesiasticis tract. 2. lib. 4. cap. 8. nu. 45.* Ioannes Dellacruc. *in directori conscientia precepto 8. quest. 3. art. 2. dub. 1.* Ratio est, tum quia qui tempore Iubilæi spe absolutionis virtute Iubilæi obtinendæ committit delicta reseruata, vel adnexam excommunicationem habentia, potest absolui, quamdiù priuilegium absoluendi perseuerat; ergo etiam qui committit delictum propè Ecclesiam spe cõfugiendi ad ipsam, gaudet priuilegio immunitatis; tum etiam, quia sic colligitur ex verbis Bullæ,

quæ excludit solum ab immunitate homicidia, & mutilationes factas in Ecclesijs,& cœmiterijs; ergo ad ea solum sunt restringenda, & non ad homicidia, & mutilationes factas extra Ecclesiam spe ad ipsam confugiendi. Ita Suarez *cap. 11. num. 9.* Filliucius *tract. 15. cap. 6. num. 132.* Peregrinus *cap. 6. num. 31.* Tabiena *verbo immunitas num. 10.* Siluester, & Angelus *eodem verbo*, & alij.

An proditoriè aliquem occidens in Ecclesia gaudeat priuilegio immunitatis?

BRACTEA XI.

R. Proditoriè occidentem proximum suũ non gaudere priuilegio immunitatis quouis modo illum occiderit, & ita colligitur in constitutione Gregori Decimiquarti.

Sciendum illum dici proditorem, seù proditoriè aliquem occidere, qui aliquem occidit id non præuidentem, seù qui aliquem occidit, cum quo amicitiam simulabat, seù qui dolosè aliquem occidit: vnde qui alterum, cui se tanquam socium, & amicum in via adiũxerat nulla rixę causa interueniente occidit, hic enim est proditor; qui verò occidit inimicum non dicitur proditor, quamuis illum occidat à tergo, aut dormientem, aut per insidias. Ratio, quia occisus necem præuidere poterat, & illius præcauendæ occasionem habebat. Ita Gomez *variar. resolut. §. de homicidio cap. 3. num. 5.* & alij. Ratio est, quia est differentia inter homicidium proditoriè commissum, & non proditoriè, sed Bulla ex immunitate solum excipit homicidium proditorium; ergo non excludit non proditorium.

An attentans aliquem proditoriè occidere priuetur immunitate Ecclesiastica, ob solam attentationem non secuto effectu?

BRACTEA XII.

R. Negative. Ratio est, quia in Bulla expressè Pontifex loquitur de occidēte proditoriè, & cum in materia pęnali odiosa explicanda sint iuxta propriam verborum significationem requirunt actum consumatum cum effectu subsequuto, ad hoc vt immunitatē amittat. Et ita Peregrinus *de immunit. Ecclesiast. cap. 7. num. 13.* Bonacin. *de legib. disput. 3. quæst. 7. §. 5 num. 16.* & alij. An procurans abortum fętus animati priuilegio immunitatis priuetur secuto abortu dubium est. Farinacius *de immunit. in Append. n. 138.* Peregrinus *de immunit. cap. 7. num. 8.* & alij dicunt priuari immunitate. Ratio est, quia occiditur is, qui nullo pacto præuidit, vel præcauere potuit huiusmodi mortis genus; sed respondeo immunitate non priuari, quia huiusmodi delinquens iuxta communem loquendi formam non dicitur proditoriè occidere, cum per insidias non occidat, cum nullius rationis capax sit, qui occiditur, nec dolus in ipsum cōmittatur, dolus enim est fraus ad aliquem decipiendum adhibita, infans autem decipi non videtur, cum deceptio erga illum adhibeatur, qui dolum cognoscere, & pręcauere aliqua ratione possit. Leo *in thes. fori Eccles. p. 1. cap. 13. num. 25.* & alij.

An reus Assassinij priuetur immunitate Ecclesiastica?

BRACTEA XIII.

R. Reos assassinij Ecclesiastica immunitate priuatos esse. Ratio est, quia in constitutione Gregorij Decimiquarti excipiuntur.

Sciendum nomen assassinij tripliciter accipi. Primò pro quodam infidelium Saracenorum genere, qui hoc proprio, & communi vocabulo vocabantur. Secundò accipitur pro illis, qui homines in vijs publicis obsident, & deprędantur, & hos immunitate Ecclesiastica priuari. Tertiò pro illis, qui pecunia, aut alio pretio accepto, vel promisso conducti occidunt homines incautos, seu nihil tale ab eis præcogitantes. Ita Imola *in cap. 1. de homicidio in 6.* Ambrosin. *cap. 7. num. 3.* Mascardus *tom. 1. conclus. 138. num. 1.* Couar. *2. variar. cap. 20.* & alij; vnde patet illum non dici assassinum, qui sine pretio, aut sine præuia pretij promissione aliquem interficit, vt alteri rem gratam faciat, quia non dicitur aliquem incautum occidere accepto, vel promisso pretio. Mascardus *de probationibus tom. 1. conclus. 138.* Item non censeri assassinum, qui alterum occidit pręuijs solum verbis vrbanitatis, sicut qui nullo accepto, vel promisso pretio alterum occidit spe alicuius præmij à mandatore obtinendi. Similiter qui aliquem occidit spe succedendi in bona occisi, aut vincendæ litis non dici assassinum, quia occidit absq; præuia pecunia, vel promissione, vel absque alterius mandato.

Sciendum 2. assassinum propriè committi solum dum mandatum datur ad occidendum. *Cap. Pro humani de homicidio in 6.* Decianus *lib. 9. cap. num. 41.* non verò quando datur mandatum ad vulnerandum accedente etiam pretio, vel promissione pretii. Secundò non solum priuari immunitate, qui pecunia conducti occidunt incautum, verum etiam alij cooperatores huiusmodi criminis. Ratio est, quia Gregorius Decimusquartus in sua constitutione generaliter loquitur de reis assassinij; & ita Farinacius *in Append. cap. 8. num. 124.* Gutier *lib. 3. practicar. quæst. quæst. 3. num. 53.* & alij.

An qui occidit inimicum ex premeditata animi deliberatione, non proditoriè, seù per insidias, gaudeat immunitatem?

BRACTEA XIV.

R. Gaudere immunitate. Ratio est, quia Gregorius Decimusquartus in sua constitutione excipit tantum homicidium proditorium, vbi nullus pręcedebat rancor, sed potius simulabatur amicitia; ergo non est dicta exceptio extendenda ad homicidium non proditorium, dato quod deliberatè, & ex industria sit commissum, quia dicta Bulla non sustinet extensiones ad alios casus ibi non expressos, cum reducat omnia ad vnam formam, & excipiēdo aliquos casus firmat regulam in casibus non exce-

exceptis, sicut etiam non priuatur immunitate, qui ex proposito, & sub specie amicitiæ alicui nobili alapam inferret. Ratio est, quia cum in Bulla excipiatur solum homicidium proditorum, non est extendenda hæc exceptio ad alapas, vel etiam fustes proditoriè alicui inflictos. Ratio est, quia Summus Pontifex, vt excludat omnes alios casus in dicta constitutione apposuit dictionem taxatiuam *Tantum*, quæ dictio de sui natura impedit extensionē ad alios casus non expressos. Sicut etiam non priuatur immunitate, qui occidit inimicum reconciliatum. Ratio est, quia Bulla excipit tantum homicidium proditorum, & tunc dicitur quis proditoriè aliquem occidere quādo inter illum, & occisum nullus præcedebat rancor, sed potiùs simulabatur amicitia. Et ideo decisum fuit in Curia Archiepiscopali Neapolitana, vt testatur Riccius *part.1.decis.*168. occidentem inimicum reconciliatum minimè potuisse dici proditorem. Ratio, quia inimicus reconciliatus æquipollet inimico.

An reus hæresis priuetur immunitate Ecclesiastica?

BRACTEA XV.

Reos criminis hæresis priuari immunitate Ecclesiastica, & patet ex constitutione Gregorij Decimiquarti.

Sciendum reos hæresis, non solum eos dici, qui cum pertinacia sentiunt contra fidem, verum etiam eos, qui auxilium, aut refugium præbent hæreticis. Ratio est, quia ob criminis atrocitatem indigni sunt, immunitate; & sicut proditores hominum hoc fauore digni non sunt, ita neque digni sunt hæretici, qui proditores Dei, & Ecclesiæ iure optimo nuncupari possunt.

Sciendum 2. dubium esse, an hereticus non solum ob hæresim, verum etiam ob alia delicta distincta ab heresi priuetur immunitate. Couar. 2. *variar. resolut. cap.*20. *num.*11. tenet carere priuilegio immunitatis, etiam ob alia delicta. Ratio est, quia hæretici nullo Ecclesiæ fauore digni sunt, eosque Ecclesia tanquam pertinaces aduersarios omninò reijcit, & repelli curat in detestationem hæresis. Ad quod respondeo non carere priuilegio immunitatis. Ratio est, quia solum in Bulla excipitur crimen hæresis consequenter excipitur hæreticus tantum ratione hæresis, & non alia ratione.

An reus criminis læsæ maiestatis gaudeat priuilegio immunitatis?

BRACTEA XVI.

Reum criminis læsæ maiestatis in personam Principis priuari priuilegio immunitatis; & colligitur ex verbis constitutionis Gregori Decimiquarti, ibi *Læsæ maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei*.

Sciendum ad incurrendum hoc crimen læsæ maiestatis duo requiri. Primò, quod ipsamet persona Principis offendatur, ideòque occidens Fiscalem Regis, vel Præsidem iustitiæ gauderet immunitate. Ratio est, quia in Bulla excipitur tantum crimen lęsę maiestatis in personā Principis, sed dicitur criminosus commisit quidem crimen lęsę maiestatis, sed nō in personam Principis, ergo gaudebit Ecclesiæ immunitate. Et ita Bonacina *de legibus disp.*3.*quæst.*7.*pun.*4.*num.*22. & alij. Secundò, requiritur, vt Princeps lædatur à suo subdito; *Clem. Pastoralis de re iudicata*, ideò si extraneus Principem occidat, non videtur reus istius criminis: quamobrem delinquens in aliquo territorio licet efficiatur subditus ratione delicti, non tamen dicitur committere crimen læsæ maiestatis, nisi ratione domicilij, vel originis sit subditus Principi, in cuius personam delictum commisit. Ita expressè colligitur ex Clement. *Pastoralis de appellationibus*.

An qui in Ecclesia committit homicidium ad defensionem sui, gaudeat immunitate?

BRACTEA XVII.

Gaudere immunitate. Et ita Farinacius *tract. de immunit. Eccles cap.*16. *num.*240. Ratio est, quia in isto casu occidens, vel mutilans nō videtur habere animum occidendi, vel mutilandi per se, & per consequens nec offendendi, & violandi ipsam Ecclesiam, sed solummodo per accidens, & in quantum tale homicidium, seu mutilatio ordinata est ad defensionem proprię vitę, & in Bulla excipitur solum casus homicidij voluntarij, non autem inuoluntarij, & facti ad defensionem propriæ vitæ, &c. Sicut etiam gaudet immunitate, qui iam vicinus Ecclesiæ, cum ipso satellite per vim intrat in Ecclesiam, vt se se illius manibus liberet, vulnerat illum cum magna sanguinis effusione. Ratio est, quia in Bulla excipitur solummodo casus homicidij, vel mutilationis non autem casus vulnerationis, etiam cum magna effusione sanguinis; licet plures teneant opinionem contrariam; sicut etiam censentur gaudere priuilegio immunitatis violando Ecclesias, frangendo fores, vel comburendo eas. Ratio est, quia Summus Pontifex cum dictione taxatiua *Tantum*, excipit solum aliquos casus, quæ dictio tollit extensionem ad non expressos casus, & Bulla excipit tantum violantes Ecclesiam per homicidium, & mutilationem membrorum; ergo, &c.

An reus amittat immunitatem, qui deceptus fuit verbis, & fallacijs ad egrediendum ab Ecclesia?

BRACTEA XVIII.

Amittere priuilegium immunitatis, & à Iudice puniri posse, si blanditijs, aut deceptione, aut promissionibus sine coactione extrahatur à loco sacro, & capiatur. Ratio, quia capitur extra locum sacrum, nec reo fit violentia in loco sacro: immunitas autem violatur per violentam extractionem, quæ tollit voluntarium, *Cap. inter alia*, non autem per extractionem, quæ fit blanditijs, aut deceptione, cum hæc non tollat voluntarium, licet plures

apud

apud Dianam *tract.1.de immun.Ecclesiast. resolut.26.* sequantur opinionem contrariam; sicuti nec violatur loci immunitas, dum capitur reus seipsum voluntariò offerens, nolensque sacri loci immunitate frui, quia non dicitur violenter extrahi, sed voluntariè, & scienti, & volenti non fit iniuria; similiter nec violari immunitatem Ecclesię, dum reus extrà locum sacrum comprehensus deducitur ad carceres per cæmiterium, aut Ecclesiam, etiamsi per vim extrahatur; & inde recuset exire, hic enim non dicitur capi in loco sacro, cum liber ad Ecclesiam, vel ad cæmiterium non confugerit: Ecclesia autem tuetur eos, qui ad Ecclesiam confugiunt.

An fugiens à Ministris iustitiæ, si parietem Ecclesiæ partis exterioris tangat, vel fuerit amplexus, gaudeat immunitate?

BRACTEA XIX.

R. Gavdere immunitate. Ratio est, quia hic censetur existere in loco sacro, & intra centrum Ecclesiæ, vel saltem intra confinia Ecclesiæ ob priuilegium concessum Ecclesiæ & triginta passibus in circuitu eius, vbi vsu receptum est, vt triginta passus prò cœmiterio concedantur, & in isto casu multo magis dicendum est de tangente parietem Ecclesiæ, cum quę religiosis adhærent, religiosa censeatur, & quæ adhærent loco sacro, consequenter gaudere immunitate loci sacri, & per consequens istum gaudere immunitate loci sacri; & ita Riccius *in praxi tom.3.resolut.62.num.8* Bonacina *de legibus disput.6 quæst.7.§. 2. num. 10.* & idem censendum est de eo, qui supra tectum Ecclesiæ existit. Ratio est, quia dicitur ille esse in loco sacro, cum in eo loco quis dicatur esse, in quo habet pedes; tum quia hic non minus dicitur esse in Ecclesia, quam qui existit in superiori cubiculo, sed existens in superiori cubiculo gaudet hoc priuilegio; ergo eodem gaudet existens supra tectum; ex quo patet satellites capientes Reum super tecto existentem, aut adhęrentem valuis, aut ferræ Ecclesiæ peccare contra immunitatem, cum Reus censeatur existere in loco immuni, & frui priuilegio immunitatis; & si extrahatur restituendum esse Ecclesiæ, etiamsi delinquens capiatur per eam palij partem, quæ extra tectum, vel valuas, aut extra alium locum immunem prominet, aut si extrahatur per aliquam corporis partem, quam delinquens extra locum sacrum habebat, quia diceretur extrahi è loco sacro. Ita Bonacina *loco cit.num.10.*

An domus Parochorum, Canonicorum, &c. existentes intra spatium triginta passuum, gaudeant immunitate Ecclesiastica?

BRACTEA XX.

R. Domvm Parochorum, Canonicorum, &c. gaudere priuilegio immunitatis, dūmodo sint existentes propè Ecclesias intra præcitata confinia, & propriè sint Parochorum, & Canonicorum. Ratio est, quia hæc loca propriè censentur loca pia, & per consequens gaudēt priuilegio immunitatis, nec obstare quamuis eas inhabitent Laici, quia immunitas est veluti accidens morale loco affixa, & non personis. Et ita Bonacina *tom.3.disp.3.quæst.7.§.2. num. 9.* Decian.*cap.25.num.16.*

An Reus confugiens ad Palatium Episcopi, quod non sit intra quadraginta passus, gaudeat immunitate?

BRACTEA XXI.

Aliqvi DD. affirmāt, vt supra dictū est, Palatiū Episcopi non gaudere priuilegio immunitatis, si vltra quadraginta passus distet ab Ecclesia, cum non censeatur locus sacer; si verò in Palatio Episcopi cōstructum sit Oratorium, in quo Diuina celebrentur, tunc censetur locus sacer, & immunitate gaudet, saltem intra Oratorij ambitum. Quo posito.

R. Palatium Episcopi, etiamsi non sit intra confines, & quadraginta passus, sed longè ab Ecclesia distet gaudere priuilegio immunitatis. Et ita Peregrinus *tract. de immunit. cap. 4. num. 69.* Leo *in thesaur. fori Ecclesiastici par. 1. cap. 13. num. 14.* Germonius *de immunit. sacri Templi lib.3.cap.13.num. 45.* Et ratio est, quia hæc immunitas concessa est ratione dignitatis personæ Episcopalis propter sanctitatem muneris, & dignitatis; & ideò dicendum absolutè Palatium Episcopi, siuè cum Capella, siuè sine Capella, siuè intra quadraginta passus, siuè extra quadraginta passus gaudere ea immunitate, qua gaudet eius Ecclesia sponsa.

Vtrum Sacerdos deferens Eucharistiam gaudeat priuilegio immunitatis, ita vt Reus amplexans huiusmodi Sacerdotem capi nequeat?

BRACTEA XXII.

R. Capi non posse ob reuerentiam iure Diuino debitam tali Sacramento, quamquā si capiatur, non violetur immunitas Ecclesiastica, nec Reus captus videtur restituendus. Ratio, quia priuilegium immunitatis non extenditur ad Sacerdotem deferentem Sacramētum Eucharistiæ, & quamuis multa priuilegia concedantur locis sacris intuitu Eucharistiæ, nullibi tamen priuilegium immunitatis concessum reperitur Eucharistiæ extra Ecclesias. Ita Gloss. *in cap. Quæsitum 13. quæst.3.* Couar. *variar. cap.20. num.6.* licet plures teneant opinionem contrariam, vt videre est apud Bonacinam *de excommunicationibus extra Bullam Cenæ disput. 2. quæst.3. pun.16.§.4. num. 26.* Quod tamen intelligendum est præcisa consuetudine in contrarium, cum enim hæc consuetudo immunitati Ecclesiasticæ non præiudicet, nihil obstat, quo minus introduci potuerit, quæ suffragetur amplexantibus Sacerdotem Eucharistiæ Sacramentum deferentem, aut existentibus in loco, vbi Augustissimum Sacramentum reperitur.

An Iudæus, Saracenus, & Apostata gaudeant immunitate?

BRACTEA XXIII.

R. Primo Iudæos, Paganos, &c. gaudere priuilegio immunitatis Ecclesiæ. Ratio est, quia tale priuilegium non conceditur à Summo Pontifice intuitu personarum, sed loci, & priuilegia locis concessa ad quaslibet personas ibi stantes extenduntur; ergo dum infideles tali priuilegio frui volunt, non est illis denegandum. Et ita Riccius *de iure personali lib. 2. cap. 12.* Barbosa *in collectan. tom. 1. lib. 5. tit. 49. cap. 6. num. 50.* D. Antoninus *3. par. tit. 22. §. 1.* Siluester *in summ. verbo immunitas 3. n. 2.* & Azor. *par. 2. lib. 9. cap. 9. qu. 9.* licet Suarez *de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 10. n. 11.* distinguat, si enim infidelis confugiens ad Ecclesiam animo non suscipiendi Baptismum, non gaudet priuilegio immunitatis; secus verò si petat Baptismum non simulando, quia tunc asserit gaudere.

R. 2. Apostatam gaudere immunitate non in Ecclesijs, & Monasterijs eiusdem Religionis, sed in alijs; & ita Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 16. nu. 15.* & Farinacius *de immunitate cap. 13. num. 169.*

An Clerici, & Religiosi gaudeant immunitate Ecclesiastica, ita vt ad Ecclesiam confugientes, pro criminibus non exceptis ab eorundem Iudicibus extrahi non possint ab ea?

BRACTEA XXIV.

Prima sententia est negantium, Clericos, & Religiosos posse extrahi è loco sacro in illis casibus, in quibus Laicus extrahi non potest. Ratio est, quia non sunt deterioris conditionis, quam Laici, & iura absolutè, & indistinctè loquuntur, consequenter intelligenda sunt de quibuscumque fidelibus baptizatis. Et ita plures citati apud Dianam *tract. 1. de immunitate Ecclesiar. resolut. 14* & apud Bonacinam *disp. 3. quæst. 7. p. 3. num. 7* Sed.

R. Clericos, & Religiosos confugientes ad Ecclesiam pro criminibus non exceptis in Bulla non gaudere priuilegio, & per consequens ab eorum Iudicibus extrahi posse etiam inuitis ipsis. Et ita plures citati apud Dianam *loco citato.* Ratio est, quia immunitas Ecclesiæ non præiudicat potestati Ecclesiæ; tum quia maior est immunitas personalis cōcessa Clericis ob statum Ecclesiasticum, quam concessa fidelibus ratione loci sacri: sed immunitas personalis nō obstat, quominus Clericus capi possit ab Ecclesiastico Iudice; ergo neque obstat immunitas, quę fidelibus concessa est ratione loci sacri; tum etiam quia cum immunitas non sit de iure Diuino, sed de iure Canonico, & positiuo, ideò nō ligat Iudices Ecclesiasticos, vt patet ex praxi, & consuetudine; tum etiā quia sequeretur raro Clericos, & Religiosos capi posse, cum ferè semper degant in locis exemptis; tum quia in iure nulla fit mentio Clericorum, sed tantummodo Laicorum, vt patet ex constitutione Gregorij Decimiquarti.

An Iudex Laicus possit punire Clericum assassinum notorium?

BRACTEA XXV.

R. Clericum assassinij Reum, non posse puniri à Iudice Laico sæculari, nisi post sententiam criminis declaratoriam, quam ferre debet Ecclesiasticus Iudex, & Iudicem sęcularem aliter facientem in excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrere. Quod etiam militat in Clerico incorrigibili, & in Clerico sodomita notorio, quem Iudex non potest punire, nisi præcedat declaratio Iudicis, qui illum tradat brachio sæculari. Ita habetur *in cap. Cum non ab homine de iudicijs*, Suarez *de censuris disput. 22. sect. 1. nu. 9.* Sairus *de censibus lib. 3 cap. 19. num. 5* Coninch. *de Sacram. disp. 14. dub. 15. num. 19.* & alij.

An conspirans, seù machinans contra statum, &c. priuetur priuilegio immunitatis?

BRACTEA XXVI.

R. Non priuari; ratio, quia hic non dicitur coniurare in personam Principis; nec facere actionē in offensam personæ, sed dignitatis, quæ tali personæ competit. Ita Farinacius *consil. 76. num. 13.* Peregrinus *cap. 10. num. 7.* nec etiā offendentes statuam Principis priuari immunitate, aut cudentem monetam falsam, aut veram, nec offendentem Oratores, aliosvè Ministros Principum priuari immunitate. Ratio est, quia non dicitur committere crimen læsæ Maiestatis in personam ipsius Principis, vt in Bulla Gregorij dicitur, cum in istis casibus offendat eum, qui superiorem agnoscit.

Sciendum dubium esse, quando nam crimen læsæ Maiestatis dicatur committi in personam Principis. Ad quod respondeo tunc committi, quando exercetur actio in damnum, & offensam personæ Principis, vt occidendo, vulnerando, &c. aut fauorem præstando; isti enim omnes cuiusuis læsæ Maiestatis in personam Principis rei sunt; secus dicendum de ratumhabentibus, aut defendentibus delinquentem post factum, aut de scientibus delictum patrandum, sed non reuelantibus. Ratio est, quia licet isti vt plurimum censeantur Rei criminis lęsę Maiestatis, non tamen dicuntur Rei criminis læsæ Maiestatis in personam Principis, cum actio terminata in personam indicet actionem positiuam; ratihabitio autem, & omissio reuelandi non importat huiusmodi actionem, & influxum positiuum.

Sciendum 2. priuilegium immunitatis amitti ab eo, qui commisit crimen læsæ Maiestatis in personam Principis etiam effectu non secuto. Ratio est, quia adhuc verùm est dicere hunc esse Reum criminis lęsę Maiestatis in personam Principis, vt dicitur in constitutione Gregorij XIV secus dicendum de ratūhabente, nam ratihabitio est posterior facto, & in crimen nō influit. Item de sciente, & non reuelante, hic enim non est Reus huiusmodi criminis in personam, vt supra dictum est.

Quæ forma seruanda sit, dum aliquis ab Ecclesia extrahendus est?

BRACTEA XXVII.

SCIENDVM, quod Prælati locorum gaudentium immunitate tenentur delinquentes ad locum immunem confugiẽtes consignare Curiæ sęculari eos requirenti, si cognouerint aliquod delictum ab eis commissum fuisse, propter quod immunitatis priuilegio gaudere non debent. Ita colligitur ex constitutione Gregorij XIV.

R. Antequam delinquens, qui ad locum sacrum confugit, Curiæ sęculari tradatur, hęc forma seruanda est. Primò, vt obtineatur ab Episcopo, vel eius Officiali facultas expressa capiendi, & extrahendi delinquentem. Ratio est, quia nemo in alieno territorio iurisdictionem exercere potest; nomine verò Episcopi intelligitur verus Episcopus, & non alius Episcopo inferior, etiamsi Ordinarius sit, aut nullius Diœcesis; immò si casus accidat, vt delinquens se recipiat in locum exemptum, & nullius Diœcesis facultas obtinenda est ab Episcopo viciniori, vt patet ex Bulla Gregorij XIV tempore autem Sedis vacãtis adiri posse Vicarium Capituli, quia hic succedit in iurisdictionem Episcopi, & dum Gregorius requirit licentiam viciinioris Episcopi, vel eius Officialis intelligendus videtur solùm respectu loci nullius Diœcesis, non verò respectu loci alicuius Diœcesis, licet Episcopalis sedes vacet; Licentiam verò debere esse expressam, quia hæc in Bulla Gregorij præscribitur ibi sine expressa licentia.

Secundò requiritur, vt intersit persona Ecclesiastica facultatem habens ab Episcopo, vel ab ipsius Vicario, dum aliquis è loco sacro extrahitur, quod necessariò requiritur.

Tertiò, vt delinquens non statim, ac captus est, tradatur Laicæ potestati, sed in carcerem Episcopi conijciatur, & detineatur, donec ab Episcopo, vel ab eius Deputato cognitum fuerit, an Reus sit delicti, cui priuatio immunitatis imposita est, vt patet ex verbis Bullæ; ex quibus sequitur delinquentem non esse tradendum Curiæ sęculari, donec Episcopo constet de patrato delicto, etiamsi delictum alioquin notorium sit. Secundò, Episcopum debere de delicto certè, & euidenter constare, antequam delinquentem foro sęculari tradat; illa verò dicuntur sciri, aut verò constare, quæ proprijs oculis inspicimus, vel aliàs indubitanter nouimus. *Cap. Cum causam de iuramento calum.* nec Episcopum debere stare processui facto à Laica potestate, etiamsi per ipsum cõstet delinquentẽ esse Reũ criminis priuatis immunitate, sed debere nouas probationes recipere. Ratio est, quia processus Laicę potestatis aliquam redolet suspicionem, cum exhibeatur in propria causa ipsius Iudicis sæcularis de sua iurisdictione contendentis, nisi forsan talis processus à Iudice sęculari confectus esset, antequam delinquens se reciperet in Ecclesiam, quia tunc non leuem veritatis fidem facit, cum tunc de iurisdictione sæculari non controuerteretur. Debere tamen Episcopum seruare solemnitatem iuris, dum cognouit, an Reus confugiens ad Ecclesiam, priuetur immunitate, & Curiæ sęculari tradendus sit. Ratio, quia cum iudicialiter agat formam iuris seruare debet.

Sciendum 2. dubium etiam esse, an dari possit appellatio à sententia Episcopi declarantis Reum ad Ecclesiã confugientẽ gaudere, vel nõ gaudere immunitate. Ad quod respõdeo distinguendo, vel sententia lata fuit in fauorẽ sęcularis fori iudicando Reũ immunitate nõ gaudere, vel lata fuit in fauorẽ Rei iudicando ipsũ immunitate gaudere: si lata fuit in fauorẽ sęcularis fori nõ admittitur appellatio, quia Greg. XIV. eam expressis verbis includit ibi *per Iudicem Ecclesiasticum Curiæ sæculari quacumque appellatione postposita consignentur*: Si verò sententia lata fuit in fauorem Rei, controuersia est inter Doctores, an sæculari foro competat appellatio. Peregrinus *de immunit. cap. 16. num. 33.* existimat non competere, Farinacius *in Append. cap. 22. num. 372.* Gambacurta *de immunit. lib. 6. cap. 17 nu. 3.* existimant competere: Ratio est, quia iure communi datur appellatio ab inferiori ad superiorem, nisi aliud in iure exprimatur, in Bulla autem Gregorij exprimitur tantum primus casus, non autem secundus.

Quam culpam, & pœnam incurrant violantes immunitatem?

BRACTEA XXVIII.

R. VIOLATOREM immunitatis per extractionem delinquentis à loco sacro peccare. Primò, peccato sacrilegij, quia grauem iniuriam facit loco sacro, in cuius reuerentiã concessum est immunitatis priuilegium. Secundò, peccare peccato iniustitiæ. Ratio est, tum quia delinquẽs, dum in loco sacro existit, potest Iudici per vim extrahẽti resistere, ne extrahatur; ergo signum est extrahentem non habere ius extrahendi, sed facere iniuriam delinquenti habenti ius resistendi, & si ipsum extrahat peccare contra iustitiam, & obligari ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde passus est delinquens. Ratio est, quia ex peccato contra ius alterius, consurgit obligatio restituendi. Ita Ambrosinus *cap. 15. num. 7.* Peregr. *cap. 15. num. 27.* & alij.

R. 2. Violatorem immunitatis Ecclesiasticæ varias pœnas incurrere. Primò, de iure ciuili incidit in crimen læsæ Maiestatis. *leg. 2. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*; de iure verò Canonico. *Cap. Quisquis 17. quæst. 4.* contra violantem immunitatem Ecclesiæ iniungitur pœna nonaginta solidorum, præter pœnitentiam publicã iudicio Episcopi iniungendam, incurrere etiam ex iure Canonico pęnam excommunicationis. *Cap. Definiuit, cap. Frater, cap. Minor, cap. Quisquis, cap. Si quis contumax 17. quæst. 4.* in quibus iuribus non videtur imposita excommunicatio ipso facto, sed cominatione. Verùm in constitutione Gregorij XIV. extat excommunicatio ipso facto his verbis; *Qui contra nostræ constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto censuras, & pœnas.* Et ita Farinacius *in Append. quæst. 20. num. 313.* & alij communiter post Gregorij constitutionem apertè constat ex Decreto Sacræ Congregationis edito de mandato Clementis VIII. quod incipit *Sacra Congregat.* vbi absolutio istius excommunicationis Papæ reseruatur, non obstantibus quibuscumque priuilegijs.

An

An dentur aliquæ causæ excusantes violatores immunitatis ab excommunicatione imposita?

BRACTEA XXIX.

R. Primo ignorantiam excusare ab excommunicatione in foro conscientiæ, quia Gregorius in sua constitutione vtitur verbo *Presumpserit*: presumptio autem supponit dolum, & scientiam, consequenter excludit ignorantiam inculpabilem sit, in foro vero externo cum maxima difficultate ista excusatio admittitur, cum enim præsumptio stet pro lege, quam constat publicatam fuisse, sequitur ignorantiam præfatæ constitutionis in foro externo allegari non posse. Ita Farinacius *in Append. cap. 20. num. 326.* Consuetudinem verò nõ posse excusare ab excommunicatione incurrẽda. Ratio, quia vt supra dictum est, immunitas est de iure Diuino, vel naturali; nulla autem consuetudo potest derogare iuri Diuino, aut naturali. Tertiò, constitutionem istam, etiam obligare, vbi non est vsu recepta. Ratio, quia Pontifex independenter ab hac acceptatione obligare intendit, tum quia irritum reddit, quidquid secus factum fuerit; contra constitutionem autem, in qua ponitur clausula irritãs, allegari non potest non vsus. An Ministri fori sæcularis excusentur non seruando Gregorij constitutionem, saltem in his locis, in quibus consuetudo ante præfatam constitutionem inualuerat extrahendi delinquentes absque debita facultate, & adhuc post editam præfatam constitutionem eadem cõsuetudo semper perseuerauit. Quidam Doctores tenent affirmatiuam partem existimantes Iudices Laicos in his locis, in quibus ante constitutionem Gregorij XIV. extabat consuetudo extrahendi Laicos à loco sacro, non seruata debita forma, posse etiã nunc extrahere; tum quia præfata constitutio non est vsu recepta; tum quia in hac constitutione nulla fit mentio consuetudinis, nec reuocatur consuetudo contraria, sed tãtummodo priuilegia: consuetudo autem particularis reuocata non censetur in lege vniuersali, nisi eius mentio fiat in lege consuetudini contraria. Ita Gambacurta *de immunit. lib. 5. cap. 8. num. 4.* & alij apud Farinacium *de carceribus 28. num. 71.* & apud Peregrinum *de immunit. cap. 2. quæsito 5.* & alios; sed oppositum cum Bonacina de excommunicationibus in particulari extra Bullam Cœnæ *disp. 2. q. 3. pun. 16. §. 15. n. 4.* dicẽdũ Ratio est, quia opus non fuit renouare id, quod introduci non potest, consuetudo autem contra immunitatem introduci non potest, cum nulla cõsuetudo iuri naturali, vel Diuino contraria introduci possit; tum quia Summus Pontifex expressè non reuocat consuetudinem, tamen tacitè reuocat, quatenus modum extrahendi è loco sacro, intendit ad vnicam formam reducere per dictionem *Tantum*, quæ taxatiua est, & excludit omnem aliam formam per consuetudinem, vel corruptelam introductam; tum etiã quia vt dictum est contra constitutionem, in qua ponitur clausula irritans, non solùm allegari non potest non vsus, verùm neque contrarius vsus, vt constat apud Farinacium *in Append. de immun. cap. 2. num. 15.* vnde licet inferre consuetudinem extrahendi aliquos ab Ecclesia, prẽterquam in casibus exceptis non prodesse; tum quia introduci non potuit, tum quia supposito, quod huiusmodi priuilegium per contrariam consuetudinem amitti possit, nondum tamen potuit contraria consuetudine abrogari, quia ad abrogandam legem Ecclesiasticam per consuetudinem, præsertim dum agitur de priuatione iuris Ecclesiæ spatium temporis immemorabilis requiritur *cap. 1. de præscrip. in 6.* cum titulo, & bona fide; quod non reperitur in præsenti casu.

MALLEATIO XXXVI.

De dignitatibus annexis statui Clericali.

De prima dignitate, idest de dignitate Pontificia?

BRACTEA I.

R. Primum locum in Ecclesiastica Hyerarchia Romanum Pontificem obtinere. Et ita Bellarminus *tom. 1. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 9. & 10.* cuius institutio fuit ad salutem comparandam necessaria, finis enim cur à Deo hic sit institutus est bonum Ecclesiæ, salus animarum, fidelium gubernatio, vt Christi oues pascerentur, errores arcerentur, & lupis resisteretur, &c.

Dicitur autem Pontifex, quia est supremus, & super omnes dignitates. Alexander *consil. 72.* Dicitur etiam Papa quo pariter amoris signum ostenderetur; Papa enim Greca vox est, & quasi balbutientis pueri, qui Patrem Papam appellant; vel dicitur Papa, quia est Pater Patrum, vt adnotarunt Gloss. *verbo Papa in prœmio Clem.* Azorius *institut. moral. part. 2. lib 4. cap. 4 quæst. 1.* Denique secundum aliquos dicitur Papa, quia omnibus est maior, & in administratione, & auctoritate maior est omnibus Sanctis. Vocatur etiam Episcopus, *vt in c. Dilectissimis 12 quæst. 1.* Germonius *de indultis Cardinal. verbo Episcop.* Duardus *in comment. ad Bullam Cœnæ Domini lib. 1. cap. 5. quæst. 2. num. 3.* Dicitur Episcopus vniuersalis Ecclesiæ, & totius orbis, & ideò dicitur habere pro propria Diœcesi totum orbem. Fellinus *in cap. Gratia num. 2.* Ludouicus Gomus *in cap. 1. lib. 34. de constit. lib. 6.* Gomez *ad regulam 8. Cancellariæ §. 1. proem. num. 8.* & alij, pluribus etiam alijs nominibus vocatur, vt v. g. Episcopus Episcoporum, Ordinarius Ordinariorum, Vicarius Christi, Pater Patrum, Pastor ouilis Domini, Rector Domus Dei, Custos vineæ Dei, Sponsus Ecclesiæ, Præsul Apostolicæ Sedis, &c.

Sciendum plures conditiones debere inesse Summo Pontifici. Prima conditio, qua Summus Pontifex ornatus esse debet, est Charitas, idest pius affectus erga Deum, & proximos, quia est Ecclesiastici Præsuli finis oues suas veros Christi seruos, & amicos efficere, & ad æternam fœlicitatem dirigere, quod assequi non valebit, nisi illius ipse sit studiosus, & Dei amicus, suoq; exemplo alios ad virtutem alliciens. Secunda conditio, qua Pontifex fulgere debet, est scientia tam Theorica, quam Practica, ideò Gregorius Decimustertius dicere solebat nullum

lum magis decere plura scire, quam Romanum Pontificem, Pius etiam secundus illud frequēs in ore habuit, in plebeio homine scientia argento, in nobili auro, in Rege, vel in Papa gēmis comparatur, nec scientia tantum, sed rerum agibilium notitia, & prudentia lucere debet, *cap. Qui Episcopus dist.23.* Fellinus *in cap. inter cetera*, qua ratione præstat, vt futurus Pontifex matura eligatur ætate. *Cap. sit Rector dist.43.* non quod capillari senectute sit confectus, sed in tali ætate sit constitutus, quæ ad labores sustinendos sit apta, quæ à Galeno virilis, vel media senectus nuncupatur. Tertia cōditio in Sūmo Pōtifice desideratur, est iustitia, qua bonos prę-mio, malos autē pęnis afficiat, iustitia autē est cōstans, atq; perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens. *Leg. iustitia ff. de iustit. & iure,* ad hanc iustitiam pertinet, vt Pontifex corde, ore, & opere sit fidelis. Quarta Pontificis conditio est animi humilitas, vt se tanta dignitate indignum existimet, omniumque ouium infimum seruum, vt scripto profert; meminerit momentaneam esse humanam fœlicitatem, quod stuppę combustione dum ipse consecratur palam ostenditur.

An Papa possit errare, & in hæresim labi?

BRACTEA II.

R. Papam considerari posse, vel tanquam supremum Iudicem, & vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, vel tanquam priuatam personam: si primo modo consideratur certum est in definiendis his, quæ sunt fidei habere infallibilem auctoritatem, itaut in publico fidei iudicio minimè errare possit. Et ita S. Thomas 2.2. *quæst.1. art.10.* Caiet. *in apolog. de potest. Papæ part.2. cap.13.* Thurrecremata *lib. 2. cap. 19.* Cardinalis Bellarmin. *lib 4 de Rom. Pont. cap. 3.* Ratio colligitur ex verbis Christi *Lucæ 22* vbi ad Petrū inquit. *Ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua,* quē locū licet aliqui intelligant de tota Ecclesia, tñ illa verba ostendunt aliquod speciale pro ipso Petro Christum Dominum impetrasse; tum etiam colligitur ex illis verbis *Matth. 16. Tu es Petrus, &c.* quibus verbis colligitur, Dominum pro Petro aliquid speciale impetrasse, & pro omnibus eius successoribus, & per consequens Pontificem nullo modo posse errare tanquam vniuersalem Ecclesiæ Pastorem. & in hæresim labi, & ideò falsam esse eorum sententiam, qui docent in his, quæ sine consilio vniuersali Papa decernit errare posse, cū Dñus pro Petro singulariter orauerit ne eius fides deficeret cū Petrus sit fūdamētū, super, quod Ecclesia fundatur, quæ oīa cōcludūt certitudinē, & infallibilitatē in illam in Petro, Romanisque Pontificibus eius successoribus, & non in alijs, in alijs verò quatenus homo facilè errare potest, cum humanis infirmitatibus subiectus sit, sicuti alij omnes homines, docente Paulo ad Hæbreos *cap.7.* dum inquit *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus,* & ideò in alia vitia, v. g. auaritiæ, vel similia potest incidere, non tamen errare in decretis; quæ tāquam Pontifex edit, quia scilicet pro hoc orauit Christus, non ita pro illis. Secundò in decretis morum, quæ ad statum totius Ecclesiæ spectant errare minimè potest. Ratio, quia licet Summus Pontifex, quatenus homo est, & intrà limites humanarum virium sit ignorantiæ, alijsque humanis infirmitatibus subiectus, in his tamen, quæ vt Summus Pastor decernit, & necessaria sunt ad spiritualem suarum ouium salutem infallibili Spiritus Sancti assistentia gubernari in his decretis, quæ ad mores totius Ecclesiæ pertinent; tum etiam quia si Summus Pontifex in his erraret, talis error totius Ecclesiæ error esset, & in damnum Ecclesiæ redundaret.

In decretis verò, quæ non totius Ecclesiæ statum, sed certas personas, vel certam Ecclesiam respiciunt dubium est inter Doctores, an Papa possit errare. Quidam affirmant; & illorum ratio est, quia huiusmodi decreta respectu particularis Ecclesiæ, vel certæ personæ non nituntur certis principijs, sed probationibus, quæ incertę sunt, & proinde falli potest Pontifex, vt in iudiciis, & sententiis particularibus manifestum est, & in excommunicatione. Et ita *in cap. A nobis 28. de sentent. excommunic.* Cardinalis Bellarminus *lib. 4. cap. 2.* Bannes *2.2. art 10 dub. 6.* vbi sic distinguit: vel agimus de iudicio rerum gestarum, quando scilicet Pontifex definit quæstionem aliquam sententialiter inter duas Ecclesias, & tunc verū est, errare posse, quia iudiciū nititur pbationibus, quę incertæ sunt, vel agimus de decretis Pontificis circa mores alicuius Prouinciæ, vel Ecclesiæ, condendo scilicet legem, & præscribendo præcepta, quibus subditi regantur, & viuant, & sic etiam errare non potest. Ratio, quia nulla potest assignari congrua ratio differentiæ inter decreta pro Ecclesia vniuersali, vel particulari. Cum autem non possit errare circa decreta pro Ecclesia vniuersali, nec etiam potest errare circa decreta pro Ecclesia particulari.

Sciendum, quod vt supra dictum est, licet Pontifex possit errare circa quæstiones facti, quæ ex probationibus dependent, non tamen potest errare in canonizatione alicuius Sancti, licet dependeat ex probationibus miraculorum, ex multis alijs, quæ in facto consistunt. Ratio est, quia talis canonizatio cum sit quædam quasi professio, & protestatio fidei, ac pertineat ad vniuersalem totius Ecclesię Christianæ Religionem potius referenda est ad Spiritum Sanctum, quem Christus Dominus Ecclesiæ suæ promisit, & eidem Ecclesiæ non defuturum in re grauissima, quam ad contractus humanos. Et ita Couar. *lib.1. variar. resolut. cap.1. num.13.* Caiet. *de indulgent. cap.8.* Arragonius *2.2 quæst 1. art.10.* Mascardus *de probationibus conclus 251. num. 56.* Viuald. *in candelabro aureo part. 3. cap.17. num.15.* Cardinalis Bellarminus *tom.1. controuer. 7. lib.1. cap.9.* Valentia *2.2. quæst.1. a.10.* & alij. Similiter nec etiam posse errare in approbandis vel confirmandis Religionibus, licet huiusmodi approbatio fiat præcedentibus probationibus circa virtutes, merita approbatoris, & profitentium, & in isto casu non potest errare in confirmanda Religione in his, quæ pertinēt ad veritatem doctrinæ, & instituti, aut legum, & constitutionū, iuxta quę Religiosi eam profitentes viuere debent, licet aliquando possit errare ex falsis informationibus in approbando plures Religiones, quàm expediebat Populo Christiano, ex quibus, v. g. constitit populum sufficientem esse, vt maiorem alere possit Religiosorum numerum, quam potest in rei verita-

te,

te, quatenus verò homo, & tanquam particularis Doctor respondendo potest errare. Ratio est, quia Papa, vt homo est, naturaliter erroris, & ignorantiæ, alijsque humanis infirmitatibus est subiectus, neque à Deo, nisi quatenus Pastor Supremus, & Ecclesiæ caput in publicis morum, & fidei decretis præseruatus est; & idcirco non videtur inconueniens fateri, posse errare, vt priuatam personam, quando scilicet doctrinam aliquam tradit, quàm nō vult, vt vniuersale decretum apud omnes censeri, obligando omnes fideles ad id recipiendū, aut credendum, sed tanquam particularis Doctor docet, aut scribit, vt fecerunt plures Pontifices. Et ita Thurecrem. *lib. 2. cap. 116. num. 2.* Couar. *lib. 1 variar. resolut. cap. 10. num. 12.* Caiet. *de auctor. Papę cap. 9.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2 art 2.* Corduba *lib. 4. quæst. 3.* Canus *lib. 6. cap. 8. num. 11.* & alij plures.

An Papa possit aliquid statuere contra Concilium?

BRACTEA III.

R. Quod licet Gloss. *verbò concilium in cap. Anastas 19 dist.* pessimè tenuerit Concilium maius esse Papa, & idem existimauerit Abbas *in cap. significasti num. 3. de elect.* contraria tamen opinio verissima est, eamque expræssè tuentur Gloss. *in verbo Concilium in cap. Vbi pericul. de elect. lib. 6.* S. Antoninus *part. 3. tit. 22. cap. 10. §. 4. suæ histor.* Caiet. *in tract. de comparat. Papæ, & concilij cap 7.* Pelagius *de planctu Ecclesię lib. 1. art. 6.* Thurecremata *in summ. de Ecclesia libert. cap. 93.* Sayrus in Claui regia *lib. 3. cap. 10. num. 6.* Bellarminus *lib. 2. de consilij auctorit. cap. 14.* Thuscus *practicar. conclus. tom. 2. litter. B. conclus. 552.* Cordubensis *lib. 4 suarum quæst. in tract. de potest. Papæ quæst. 4 in 3. opin.* nimirum Papam pro tempore existētem tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, aut dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, & per consequens Concilium generale Romani Pontificis auctoritate conuocandum esse, & generale Concilium non habere suam auctoritatem à Deo immediatè, sed per Romanum Pontificem proximè deriuatam, quia Romanus Pontifex est Summus Christi Vicarius; item totius Ecclesiæ caput, sed à capite in corpus omnis influxus, & motus deriuatur, & manat, & per consequens à Romano Pontifice ad concilium appellandū non esse, cum Summus Pontifex censeatur Superior ad Concilium; nec Concilium generale obligationem inducere, nisi Romani Pontificis auctoritate sit confirmatum. Ratio ipsa naturalis posita Christi Domini institutione suadet, nam Petri est fratres confirmare, & capitis est corporis vitam, actionem, & motum dare, non è contrario. Ita Caiet. *in Apologia part. 2. cap. 21.* Thurecremata *lib 3 cap. 32. &c.* Bellarminus *lib. 2. de Conciliorum auctorit. cap. 11.* & alij.

An Summus Pontifex habeat potestatem suprà omnes alios Antistites Ecclesiæ?

BRACTEA IV.

Sciendum Græcos concedere quinque esse totius Ecclesiæ primarios, & præcipuos Patriarchas, Romanum, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, Hyerosolimitanum, & inter hos Romanum ordinis quidem, & dignitatis, sed non potestatis Primatum habere, itaut in Concilijs, & conuentibus eucumenicis primum locum in sedendo, sententiam dicendo, suffragium ferendo, & subscribendo tenere debeat, sic tamen vt nihil iuris, & potestatis in alios quatuor Patriarchas, præsertim Constātinopolitanum habeat, id ex Concilij Niceni *Canone 6.* deducunt, vbi statuitur, vt Alexandrinus Patriarcha in Ecclesijs sibi subiectis eandem habeat auctoritatem, quam Romanus in occidentis Ecclesijs, & vt cuiq; Ecclesię sui veteres mores seruentur, tum etiam, quia Concilia generalia Constantinopolitano Episcopo primatum in oriente tribuerunt. Quibus non obstantibus.

R. A Christo in Beato Petro Pontifice Romano supremam in alios Episcopos potestatem datam esse. Ratio colligitur ex verbis dictis Petro *Pasce oues meas*, & *Tu es Petrus, & super hanc petram ędificabo Ecclesiam meam*, & ex illis verbis *Et tu aliquando conuersus confirma fratres meos*; ex quibus dicendum est, Romanum Pontificem non modo habere primatum, sed etiam facultatem suprà omnes Episcopos, licet ab eo plures defecerint, vt Græci, &c. ob propriam leuitatem, tunc etiam Constantinopolitani Prelulis inuidia, & ambitione, & Imperatorū Oriētaliū hæresibus adhærētiū superbia, & ob alias causas.

An Romani Pontifices in ea, quæ sunt, vel ab Apostolis, vel à Domino constituta potestatem habeant?

BRACTEA V.

R. Communem Theologorum sententiam *in 3. dist. 37.* vt testatur Couar. *de matrim. part. 2. cap 6. §. 9. num 4.* quam habet etiam S. Tho. *1. 2. quæst. 100. art. 8.* nihil eorum, quæ sunt iuris Diuini posse Romanum Pontificem, vel ex toto, vel ex parte abrogare, & mutare, quamuis iusta causa possit hanc, vel illū à iuris Diuini rigore eximere; nec enim idem est ius Diuinum ex toto, vel ex parte tollere, quod iuris Diuini rigore ex iusta causa relaxare, hoc est aliquem à iuris Diuini rigore soluere, Canonistæ iuris interpretes, vt Abbas, & alij *in cap. vlt. de consuetud.* vt testatur Couar. *de matrim. part. 2. cap. 6. §. 9. nu. 2.* communiter docent posse Romanum Pontificem ius Diuinum declarare, interpretari restringere, remittere, amplificare, augere, & mutare, licet Theologi, cum Canonistis facilè consiliari possint, quia tunc declarari, vel interpretari ius, cum quod in eo obscurum, vel ambiguum continetur, explicatur, & Romanus Pontifex auctoritatem habet declarandi, quæ sunt obscura, vel ambigua, cum in Ecclesia potestas sit declarandi, quæ sunt obscura, vel ambigua in ipsis sacris litteris, vel regulis fidei; tum etiam, quia ius Diuinum la-

tiùs accipitur à Canonistis, quam à Theologis, apud illos nāq; ius Diuinū appellatur quidquid in vetere testam. imperat, aut prohibetur; imò quidquid in eo scriptum continetur, quidquid similiter in nouo testamento decernitur, ac traditur, &c. Theologi verò pressiùs, & strictiùs ius Diuinum accipiunt, videlicet id, quod Deus, siuè Christus Dominus fieri iussit, aut prohibuit, propterea docent id à Romano Pōtifice mutari non posse, quia inferior in superiorem potestatem non habet, quo fit, vt cum Pontifex aliquid etiam sub nomine dispensationis concedit prima facie Diuinis Præceptis videatur aduersari, prout est in residentia Prçlatorum, in pluralitate beneficiorum curatorum, in matrimonio rato, in voto tam simplici, quam solemni, in iuramento, & alijs similibus, debemus intelligere dari ibi veram, & propriam solummodo declarationem, quam licet non faciat expressis verbis, facto tamen concessionis declarat generale præceptum legis Diuinæ in eo casu non habere locum, quamuis non desint, qui teneāt Papā verè, & propriè dispēsare in voto, & iuramento ex quorū numero sunt Suarez *de Relig. tom. 2. tract. de voto lib. 6 c. 9 n. 15.* Lessius *de instit. lib. 2. cap. 46. dub 12. num. 98.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 6. num. 1.* & alij.

An Summus Pontifex quidquam possit abrogare, vel mutare eorum, quæ iure naturali præcipiuntur?

BRACTEA VI.

R. Cvm S.Thom. *quidquā 2 qu. 94. art. 5.* minimè Summum Pontificem posse abrogare, vel mutare eorum, quæ iure naturali præcipiuntur, vel prohibentur. Ratio est quoniam ea, quæ sunt, vel per se bona vel mala abrogare, vel mutare nequit, namque eiusmodi sunt, vt quæ iure naturali imperantur, aut vetantur, nisi natura eorum variata, & mutata non possint. An verò Papa possit dispensare in his, quæ sunt de iure positiuo. Respondeo ita distinguendo aut ea sunt per se bona, vel mala, & in his nihil potest abrogare, vel mutare, aut sunt bona, vel mala, ea tantum ratione, qua iure ciuili imperantur, vel prohibentur, & hæc, vel omninò, vel ex parte à iure canonico dissentiunt, vel aliqua ratione iure naturali, ac Diuino aduersantur, vel nihil iuri Diuino, naturali, vel canonico repugnant, si nihil repugnant non solet, nec potest absque iusta causa Romanus Pontifex tollere, abrogare, mutare, aut contra quidquam statuere: si vero pugnant ea iura relaxare, mutare, & abolere Romanus Pontifex potest; circà verò ius positiuum canonicum indistinctè ex causa Papa dispensare potest, *cap. Proposuit*, vbi gloss. & Doctores *de concess. Præbendarum*, ibi supra ius dispensare, Couar. *lib. 3. variar. resolut. cap. 6 nu. 1.* Clauis regia *lib. 3. cap. 10. n. 6.* Flaminius Parisiensis *de confidentia quæst. 3. num. 25.* Ratio est, quia Papa super ius canonicum plenam potestatem habet: & ideò non solum potest tollere, quæ prædecessores statuerunt, sed etiam constitutiones conciliares de fide non disponentes. Gloss. *verbo Concil. in cap. vbi periculum de elect. lib. 6.* quia Papa non censetur tantū concessisse, quin maiorē auctoritatē sibi, & successoribus reseruauerit. *Cap. Dudum, cap. Quamuis, &c.*

An Papa possit suprà mortuos potestatem exercere?

BRACTEA VII.

R. Ex communi omnium Catholicorum sensu, quem explicat Siluester *in verbo Papa quæst. 6.* secutus Beatum Antoninum *part. 3. cap. 5. §. 6.* posse eas peccatorum condonationes, quç Indulgentiç vocantur mortuis concedere, quibus à penis Purgatorij soluantur, vt alibi dictū est, licet non eodem modo prosint defunctis, ac viuis. Ratio est, quia Pontifex viuos tanquam Iudex directè absoluit à pęnis culpæ debitis, mortuos verò, quia extrà Pontificis ditionem, ad forum Dei sunt deducti indirectè absoluit, quatenus ex bonis ipsius Ecclesiæ aliquid impertit tanquam eleemosynç subsidium, quod pro pęnis debitis soluant, ac proinde eos redimit, quemadmodum si Princeps aliquid soluerit pro reo in alterius Principis potestate constituto, quo ipsius rei debitum redimeret, atque hoc est, quod passim ab omnibus dici solet Indulgentia prodesse mortuis ad modum suffragij, viuis vero ad absolutionem.

Sciendum Papam directè in mortuos nullam habere potestatem, quia mortuus est extrà iurisdictionem Ecclesiæ, & eius morte persona desijt esse; nec obstat, quod Ecclesiæ legitur, at tributa potestas ligandi, atque soluendi homines super terram, quia ex his deducitur non posse soluere, & ligare sub terra sepultos, & ideò Summum Pontificem, seù Ecclesiam non posse mortuum excommunicare. Et ita Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* Siluester *verbo excommunic. 1. §. 7.* Nauarrus *in manuali cap. 27. num. 271.* Couar. *in cap. Alma mater de sentent. excommunic.* & alij. Ratio est, quia crimina morte extinguūtur, *cap. Quorumdam dist. 23. & cap. accusatus §. si verò leg. 1. & 2. cap. si reus, vel accusatus mortuus fuerit*; licet post mortem possit quis excommunicatus declarari, & per consequens sicuti non potest mortuus excommunicari, ita nec etiam post mortem propriè ab excommunicatione absolui potest. Ratio est, quia absoluere, sicut, & ligare est actus iurisdictionis, atqui Ecclesia in mortuos iurisdictionem non habet: sicuti etiam potest declarare post mortem aliquem coram Deo esse absolutum, vt ei Ecclesiastica sepultura concedatur, & viui suffragijs suis, ipsum adiuuent.

An Romani Pontifices habeant iurisdictionem in rebus temporalibus?

BRACTEA VIII.

SCiendvm, quod Caluinistç, & alij Hçretici omnino negāt esse in Romano Pontifice potestatem in temporalibus; ita Marsilius quidam Patauinus docebat in mundo duas esse potestates supremas à se inuicem distinctas, Pontificiam, & Imperatoriam, quarum neutra penderet ab altera, Imperatoriam quidem esse à Deo per populi electionem constitutā ad tēporalia omnia gubernanda: Pontificiam verò potestatem esse à Christo Domino ipsi Petro, & suis successoribus traditam ad spiritualia tā-

tum

tum per totum terrarum orbem administranda. Quibus non obstantibus.

R. Romanum Pontificem habere vtramque potestatem spiritualem, & temporalem, spiritualem quidē per se, ac per cęteros Ecclesiarū Antistites, ac Præfectos administrandam, temporalem verò non quidem proximè per se, aut per aliarū Ecclesiarū Pręsules exercendam, sed ministerio, & opera Imperatorum, & aliorum Principum, nisi in certis causis infra dicendis; sic enim Innocentius III. *in cap. Per venerabilem qui filij sint legitimi* ait, *tàm ex vetere, quàm ex nouo Testamento trahentes, quod non solùm in Ecclesia patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verùm etiam in alijs Regionibus certis causis inspectis temporalem iurisdictionem causaliter exercemus.*

Sciendum 2. causas, ex quibus Romanus Pōtifex temporalia proximè per se administrare potest etiam extra loca Romanæ Ecclesiæ ditionis subiecta enumerare glossam communi consensu receptam *in cap. Per venerabilem in verbo certis causis.* Prima est, cum Iudex, & Magistratus ciuilis non est, tunc enim causa ad Iudicem Ecclesiasticum defertur. *Cap. Licet ex suscepto de foro competenti*, & prætereà cum Imperium vacuum est Romanus Pontifex suo iure succedit. Secunda, cum Iudex ciuilis iuxta leges, & iura suo munere, & officio non fungitur, aut quia non vult, aut quia non potest, tunc causa ad Ecclesiasticum Iudicem defertur. *Cap. Licet ex suscepto.* Tertia, cum quidpiam fuerit ambiguum, & obscurum in ipsis causis, in quibus ciuiles Iudices versantur, ac proptereà oriturę videantur inter Christianos Principes dissentiones, & lites, tunc Ecclesia Iudex est de causa ambigua, & obscura, vt colligitur *ex cap. Per venerabilem.* Quarta est, cum causa est de criminibus, quæ ad forum Ecclesiasticum pertinent, cuiusmodi sunt vsura, & simonia, hæresis, impietas, sacrilegium, violati voti, vel iurisiurandi flagitium. Quinta, cum per denunciationem criminis ad Ecclesiam causa deuoluitur. *Cap. Nouiter de iudicijs.*

Sciendum 3. quod licet Canonistæ dicant Pontificem habere vtramque potestatem spiritualem, & temporalem, spiritualem directè, temporalem verò indirectè, quatenus necesse est temporali gladio, & potestatę vti ad spiritualem ipsam tuendam, & conseruandam, tamen Theologi absolutè aiunt simpliciter habere potestatem in gubernatione spiritualium, in temporalium verò administratione simpliciter non habere, sed solùm ex conditione, videlicet quatenus opus est ad bonum spiritualium administrationum. Ratio, quia spiritualia sine temporalibus consistere, & conseruari nequeūt; sic Victoria *de potestate Ecclesię quæst. 5.* Sotus *lib. 4. de instit. quæst. 4. art. 1.* & alij. Nec obstat dicere, si Papa habet potestatem temporalem in omnes Principes, erunt igitur ipsius Vicarij, si quidem potestatem ab eo delegatam, atque demandatam habebunt: nam respondeo, quod Vicarius dupliciter dici solet. Primò dicitur his, qui vice fungitur alterius, ad cuius nutum reuocari potest. Secundò is, qui potestatem habet, alterius tamen iuri, & auctoritati certis ex causis subiectam, siuè ab eo, siuè ab alio Superiore traditam acceperit, Christiani igitur Principes non sunt ita Romani Pontificis Vicarij, vt ad nutum ipsius reuocari queant, nec item vt ab eo delegatam, & demandatam auctoritatem habeant, sed habent eam ordinariam, & quidem à Deo non proximè, sed ministerio populorum eligentium, & vacantium, habitu quidem dependente à Romano Pontifice.

An Christus Dominus habuerit dominium, vt homo, & ius temporale in vniuersum mundum?

BRACTEA IX.

R. Christvm Dominum fuisse, & esse, quatenus homo, supremum Dominum totius mundi, & ius temporale habuisse in ipso. Et ita Gloss. communi consensu inter Canonici iuris interprætes recepta, & S. Thomas *lib. 1. de Regis Princip. cap. 12.* S. Antonin. *par. 3. tit. 3. cap. 2.* Thurecremata *in summa lib. 2. cap. 116.* Nauarrus *in cap. Nouit. de iudicijs num. 8.* & alij, qui apertè fatentur Christum Dominum, vt hominem totius mundi fuisse Regem, Principem, &c. Ratio est, quia non est Christo denegandum, quod eius dignitati, & auctoritati conuenit, ac maximè hoc eius dignitatem decebat, vt esset supremus Dominus, vt enim Deus ipse, quia mundum ex nihilo finxit, & condidit, supremum habet in mūdum vniuersum dominatum, sic etiam quia Christus lapsum mundum erexit, refecit, ac captiuum redemit est mundi Dominus: quare hoc dominium non iure aliquo hæreditario, non iure belli, non iure electionis humanæ, sed eo ipso quod est mundi Redemptor effectus accepit, & idcircò Paulus *ad Hebræos 2.* docet *Christo esse omnia subiecta*, & ipse Christus Matthæi vltimo *Data est, inquit, mihi omnis potestas in Cęlo, & in terra*, & Ioannes *Apocalypsi 1.* dixit de Christo, *Qui est Princeps Regum terra*, & ex pluribus alijs locis Scripturæ.

An Papa possit eligere sibi Successorem?

BRACTEA X.

Prima sententia est, Summum Pontificem vrgenti, & aperta necessitate Ecclesiæ posse sibi eligere Successorem. Et ita Martinus Ledesma *disput. 24. quæst. 5. art. 4.* Brixiensis *in suo indicio verbo Papa*, Vasquez *tom. 3. in 3. par. disput. 244. cap. 3.* quod probant potissimum ex tribus rationibus; & primò, quia hoc tantum iure Canonico prohibetur, super quo possunt Romani Pontifices dispensare, nam quod Romanus Pontifex ab isto, vel ab illo eligatur iuris humani, & non Diuini, videmus enim à tempore nascentis Ecclesiæ electionem Pontificis ad diuersos pertinere, ex qua variatione clarè colligitur personas electorum nulla lege fuisse designatas, sed humanis constitutionibus; si igitur potestas, & forma eligendi Pontificem legibus humanis definitur, si Collegio Cardinalium per Pontifices commissa est, quare ipse Pontifex, dum viuit futurum Successorem designare non potest. Secundò, quia Papa potest facere constitutionem super electionem sui Successoris ex Flaminio Parisiensi *de resignatione beneficij lib. 2. quæst. 1. num. 13.* Azorius *institut. moral. lib. 4. cap. 5. quæst. 2.* Tertiò, quia potest alteri concedere facultatem,

tem, vt in ipsius locum possit Successorem eligere, vt de facto fecerunt plures Pontifices. His non obstantibus.

Secunda sententia est Summum Pontificem in vita non posse sibi eligere Successorem. Et ita Gloss. *verbo Beatus in cap. Apostolica §. his omnibus 8. quæst. 1.* & *in cap. Si transitus dist. 39.* Thurrecremata *de auctoritate Papæ, & Concilij tract. 1. cap. 13. & tract. 2. cap. 21.* & Caietanus *eodem tract. cap. 22.* Azorius *par. 2. lib. 4. cap. 5. quæst. 3.* & alij. Ratio est, quia Papa, & Episcopus se habent ad Ecclesiam, sicut vir ad suam vxorem. *Cap. sicut vir 8. quæst. 1.* sed vir licet sit caput vxoris non potest vxori suæ aliũ virum relinquere, quia eo mortuo ab illius lege est soluta. Secundo, quia si id liceret, aliud non esset, quam vniuersalem statum Ecclesię immutare, esset enim contra antiquissimam, & inueteratam consuetudinem, secundum quam à Christi euentu ad hæc vsque tempora semper Pontifex creatus per electionem, siuè Cleri, & Populi, siuè Cardinalium; tum etiã quia si successio Summi Pontificis in libero Papæ viuentis esset arbitrio iure sanguinis, non ratione morum, vitæ successor eligeretur, ex quo multa in Ecclesia incommoda, & mala nascerentur, quia cederet in maximam Ecclesiæ perniciem, & ideò dicendum est Papam non posse sibi eligere successorem, quia ipso iure naturali videtur esse cautum, ne id vlla ratione fiat, nam eo ipso quo Christus Petrum suum Vicarium creauit, & voluit in eadem potestate Romanum Pontificem succedere, liberum Ecclesiæ reliquit, vt hoc aut alio modo Pontifex eligeretur, hic tamen libera potestate à Christo relicta consequitur, vt ipsa naturalis ratio præcipiat, ne Romanus Pontifex Successorem eligat, cum illa dictet innumera penè malia in Ecclesiam oritura, si Papa id fecerit: quare etiamsi aliquis Romanus Pontifex sibi Successorem creasset, nihil sanè fecisset, nam post eius obitum nequaquam Ecclesia permisisset, generalis enim totius Reipublicæ Christianæ pax, & tranquillitas perturbaretur, ac proinde aliũ inde mortui Pontificis locum Ecclesia subrogaret. Et ita Azorius *par. 2. lib. 4. cap. 5. quæsit. 3.*

An Romanus Pontifex eligi debeat ex Collegio Cardinalium?

BRACTEA XI.

SOTVS *lib. 4. de iustit. quæst. 6. art. 5.* ad Quintum ait, iure constitutum non esse, vt ex Collegio Cardinalium Pontifex creetur, immo potius iura oppositum sanxerunt, nam *in cap. in nomine dist. 23.* sic habetur, *Eligatur autem de ipsius Ecclesię gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non inuenitur, ex alia sumatur;* ex quo inquit Sotus, vt Pontifex possit creari, qui in numerum, & Collegiũ Cardinalium adscriptus non sit, ius enim Canonicum id fieri non prohibet, atque ita aliqui sunt interdum ad Pontificatum electi, qui non erant Cardinales. Sed.

R. Ex Collegio Cardinalium Pontificem meritò eligi debere. Ratio est, quia in Cardinaliũ numerum non adsciscuntur, & coaptantur, nisi viri morum, & vitæ integritate, & doctrinæ splendore clarissimi, ideoq; ex illis electio debet fieri in Pontificem, & contra Sotum facit, quod habetur *in cap. Oportet dist. 79.* ex Stephano III. in Concilio habito in Basilica Constantiniana, vbi dicitur; *Oportebat, vt hac Sacrosancta Domina nostra Romana Ecclesia, iuxta quod à Beato Petro, & eius Successoribus institutum est, ritè ordinaretur, & in Apostolatus culmen vnus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis consecraretur,* & in cap. *Nullus vnquam eadem dist.* ex eodem Stephano dicitur, *Nullus vnquam Laicorum, neque ex alio ordine presumat, nisi per distinctos gradus ascendens Diaconus, aut Presbyter Cardinalis factus fuerit ad Sacri Pontificatus honorem promoueri;* immò etiam contra Sotum fauet, quod refertur *in cap. In nomine dist. 23.* ibi enim etiam dicitur, *Eligatur autem de ipsius Ecclesię gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non inuenitur, ex alia sumatur;* nullus igitur extra numerum Cardinalium est in Pontificem eligendus, nisi cum in ipso Cardinalium Sacro Collegio nemo reperitur idoneus.

Ad quem spectabit electio Pontificis, si omnes Cardinales mortui sint, & nullam extaret?

BRACTEA XII.

R. VARIAS esse Sententias; quidam tenent electionem hoc casu spectare ad Canonicos Lateranenses; quorum Ecclesia est propria Sedes Pontificis super omnes orbis, & verbis Ecclesias. Ita S. Antoninus *par. 3. sum. tit. 22. §. 2. num. 4.* Decius *in cap. Licet de elect. sub num. 52. in verbo Altera opinio,* Dionysius Paulus *de vera quatuor Patriarcarum Sedium effect. cap. 16. num. 13.* & alij. Alij verò affirmant spectare ad Concilium generale, quia Pontifex non solùm vrbis Romæ, sed totius Ecclesiæ vniuersalis est Pastor. Ita Hostiensis *in cap. Licet,* Augustinus Ancona *in summ. quæst. 3. art. 3.* & alij; nonnulli tamen aiunt tunc temporis electionem pertinere ad Patriarchas, vt per Baldum *in l. vbi absunt ff. de tutor. & curator.* Conradus *in templo omnium Iudicum lib. 2. cap. 2. §. 2. num. 6.* sed opiniones priores censetur probabiliores, nimirùm vel penès Clerum Romanum Ecclesię Lateranensis, vel penès Concilium generale potestatem rendere.

Sciendum dubium esse, qua ratione Cardinales eligentes Summum Pontificem, cum potestatem, & iurisdictionem Pontificiam non habeant, electum à duorum ipsorum partibus transferant, cum sit regula legibus confirmata, nimirùm plus iuris in alium transferre posse, quam ipse habeat. Ad quod respondeo Cardinales potestatem Pontificiam non dare Pontifici à se delecto, sed Pontificem nominare tantum, designare, & deligere; nominatus verò designatus, & delectus ab ipsis Pontifex, à Christo Domino potestatem accipit, Christus enim eo ipso, quo Petrum, & Successorem eius suum Vicarium in terra constituit, promittit se daturum potestatem ei, quem ipsa Ecclesia, vel aliqui ipsius Ecclesiæ nomine in Pontificem delegissent.



An

An Cardinalibus liceat viuente Pontifice de Successore eligendo tractare, absque vllo ipsius Pontificis consensu?

BRACTEA XIII.

R. Committere delictum læsę Maiestatis, qui absq; Principis consensu de eius Successore eligendo tractat. Baldus *in l. Quonia liberi Cod. de testib.* vbi Innocentiũ citat, eo quod inde nascitur occasio optandæ, & captandę mortis, quam omnes leges, & iura detestantur, & damnant, præsertim cum inter Præsulem, & Ecclesiam spirituale coniugium contrahatur, pœnæque grauissimæ sint in coniuges constitutæ, qui matrimonio adhuc constante de alio ineũdo coniugio tractant; tũ etiã quia extat constitutio Pauli IV. quæ incipit; *Cum secundũ Apostolum* contra eos, qui viuente Romano Pontifice, & eo inscio de aliquo Pontifice agunt eligendo, vbi Pontifex sic ait; *Omnes, & singuli tàm Clerici, quàm Laici, seu viri, seu fœminæ, qui per se, vel per alios nobis viuentibus & inconsultis verbis, vel scriptis eum aliquo de futuro Pontifice eligendo, &c.* ipso iure, & absque vlla ferenda sententia sint excommunicati, à qua excommunicatione per alium, quam per Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo absolui non possint, & incurrant priuationem cuiusuis dignitatis Ecclesiasticæ, &c.

An Pontifex Romanus in hæresim lapsus, iure potestatem Pontificiam amittat?

BRACTEA XIV.

Prima sententia est Paludani *tract. de potestate Papæ*, vt refert Siluester *in verbo Papa quæst. 4.* Thurecrematæ *in summa lib. 2. cap. 102.* Augustini Anconit. *in summa de potestate Ecclesiæ quæst. 5. art. 5.* Arragonij *2.2. quæst. 1. a. 10. in tract. de Ecclesia* Rosella *de auctoritate Imper. par. 3.* Bannes *2.2. quæst. 1. art. 10. dub. 2.* Iacobat. *de concilijs lib. 4. art. 1.* Alphonsi de Castro *lib. 2. de iusta hæreticor. punit. cap. 23. & 24.* Armillæ *in verbo Papa nu. 12.* qui affirmant Summum Põtificem lapsum in hæresim esse ipso iure. Diuino priuatum Pontificia dignitate; & ratio colligitur ex verbis Christi Domini, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, hoc est, super te talem fidem habentem, vel super hanc fidem quam confessus est; tum etiam quia Ecclesia est fidelium Congregatio, *cap. Eccles. de consecrat. dist. 1.* ergo Hæreticus est extra Ecclesiã, & Christi membrum dici non potest, quomodo igitur caput Ecclesiæ esse potest, qui membrum Ecclesiæ non est; & aliqui dicant esse priuatum, etiamsi hæresis sit solùm mentalis. Alij verò dicunt, quod non satis est, si sit mentalis, sed requiri, quod sit externa, quia hæresis interna est omninò occulta, & sua natura hominum iudicium latet. Ita Sot. *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 2.* Alij aiunt per hæresim internam, aut externam tantum Papam non esse ipso iure priuatum dignitate Pontificia, sed solùm per hæresim, quæ esset manifesta, & notoria, aut ex facti euidentia, aut ex propria ipsius Papæ confessione, aut sententia Iudicis, qui crimen ipsum declarasset, alioqui si hęresis manifesta nõ est, vno ex his tribus modis Papa non est ipso iure Pontificia auctoritate spoliatus. Alij insuper sentiunt non sufficere hæresim manifestam, & notoriam, nisi Papa recuset resipiscere, & corrigi; si enim resipiscere velit, non est Pontificatu priuatus, immò tunc nec accusari potest. *Cap. Aperte 24. quæst. 1. cap. Ait, cap. Hęc est fides*, Siluester, Armilla *verbo Papa*, Hugo, & Gloss. *in cap. Si Papa dist. 40. & cap. Nunc. dist. 21.*

Secunda opinio negat Papam factum hæreticum esse Diuino iure sua potestate, & dignitate iurisdictionis amotum, sed amouendum; & ita Caietanus *tom. 1. opusc. tract. 1. à cap. 19. vsque ad cap. 27.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2.* Cordub a *lib. 4. locis Theologicis cap. vlt.* Ratio est, quia cęteri Episcopi non censentur ipso iure à Pontificio munere, & iurisdictione deiecti, donec sententia legitimè condemnati sint, aut saltem eorum crimen declaretur; interim enim valent, quæ agunt ratione publici officij, quo funguntur; ergo nec Romanus Pontifex, tum etiam quia Papa per hæresim non amittit potestatem Ordinis, nec Iurisdictionis; ergo non est ipso iure à Pontificatu deiectus, sed deijciendus, si criminis condemnetur, & tum etiam quia licet hæreticus desinat esse membrum Ecclesiæ, non tamen eo ipso munus publicum, quo ante in Ecclesia fungebatur amittere, donec ei Ecclesia illud abroget, & idcircò donec Ecclesia Papæ hæretico Pontificatum adimat ritè, & legitimè eo fungitur; & ideò

R. Probabiliorem mihi videri sententiam asserentium, Romanum Pontificem ob crimen hæresis etiam manifestum non esse iurisdictionis potestate deiectum, donec criminis Reus declaretur, sed deijciendum.

Sciendum dubium esse, cuius auctoritate Papa pertinax, hæreticus à Pontificio munere sit amouendus. Respondeo Ecclesiæ, siuè Generalis Concilij auctoritate posse, & debere ab officio deijci, potest quidem, quia per hæresim se ab Ecclesia diuisit, atque seiunxit, debet verò, ne alios inficiat, atque corrumpat, Ecclesiam autem id posse constat ex *cap. Si Papa dist. 40* & ex *Epistola Adriani tertij*, quæ publicè recitata est in Synodo Octauo generali, vbi Pontifex ait, *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Pręsulibus iudicasse legimus, de eo verò quemquam iudicasse non legimus*, licet enim Honorio ab Orientalibus, Anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solùm est licitum minoribus maiorum suorum moribus resistere, & ex sermone Innocentij III. in consecratione Romani Pontificis, qui incipit, *Quis putat fidelis*, & altero sermone, qui incipit, *Qui habet sponsam*; sic Thurecremata *1. sum. lib. 2. cap. 93.* Archidiaconus, Ioannes Andræas Geminianus, & alij *in cap. inoff. fidei de hæreticis in 6.* & Cardinalis Alexander *in cap. si Papa dist. 49.*

An Papa ob vllum aliud crimen Pontificatu expoliari possit auctoritate Ecclesiæ?

BRACTEA XV.

Prima sententia fuit asserentium posse ob simoniacam labem notoriam, qua Pontifex sacra, & Diuina venderet, Ecclesiæ bona dissiparet, & ob alia crimina, quibus Rempublicam Christianam grauiter, & euidenter offenderet.

Ratio

Ratio est, quia Pontificatus est Petro, & successoribus datus ob communem tantum Ecclesiæ salutem, & pacem; ergo si eo Romanus Pontifex vteretur in perniciem, & exitium Ecclesiæ, meritò sanè eo posset iure priuari, & ita plures Canonistæ; Sed

R. Negatiuè; sed solum ob hæresis causam posse ab officio Romanum Pontificem amoueri. Et ita Thurecremata *in summa lib.2. cap.93.* Aluarus Pelagius *de planctu Ecclesiæ lib.1. cap 4.* Paludanus *de potest. Papę* S. Antoninus *part.3.tit. 23. cap 5.* Caiet. *de auctorit. Papæ, & Concily cap.26. & 27.* & alij, Ratio est, quia hæresis ab Ecclesia aliquem subtrahit, & separat, & per consequens decet, vt ei qui sponte se ab Ecclesia subtraxit, Pontificatus abrogetur, cętera verò delicta auctorem suum ab Ecclesia non separant; tum etiam quia hæresis doctrinæ, & fidei aduersantur, alia verò crimina solum vitæ, ac moribus aduersantur, & Papa datur Ecclesiæ, vt Doctor, & Magister fidei, & veritatis.

An Papa possit se alterius potestati subijcere?

BRACTEA XVI.

R. Papam se alterius iurisdictioni iure subijcere non posse, & ita communiter Doctores iuris Pontificij, ac Theologi; & ita Ioannes Andreas, & Abbas *in Ecclesia S. Mariæ de constitutionibus, & in cap. significasti de foro compet.* Archidiaconus *in cap. si quis super his 7. quæst.11.* Thurecremata *lib.2. sum. cap.104* S. Thom. *in 4. dist.19. quæst.1 art.1.* & alij. Ratio est, quia magnum incommodum, & detrimentum acciperet Pontificia dignitas diuinitus constituta, tum etiam quia Vicarius Episcopi, aut Prætor à Rege, vel Imperatore creatus absque ipsius Episcopi, vel Imperatoris assensu se alterius iurisdictioni submittere iure non potest; ergo multò minus Romanus Pontifex, qui est Summus Christi Vicarius absq; eiusdem Domini consensu alijs subijcere se non potest.

An duo esse possint Summi Ecclesiæ Pontifices?

BRACTEA XVII.

R. Nullo modo simul, & eodem tempore esse posse duos Summos Pontifices Ecclesiæ. Et ita Almaijnus *de potest. Ecclesię cap.5.* & alij plures.

Sciendum tribus modis fingi posse duos esse Summos Pontifices. Primò, vt summa potestas in duos diuideretur, quorum vnus in Oriẽte summa Ecclesiæ administratione potiretur, alter verò in occidente, vt olim erant Imperatores, Orientalis nempè, & Occidentalis: Secundo, vt ex æquo singuli summam in Ecclesia potestatem haberent, ita vt vterque in solidum præesset, sic enim aliquando fuerunt duo Imperatores Augusti. Tertiò, vt ambo simul primatum tenerent, itaut neuter, siue alter quidquam posset, sed omnia simul ambo pręstarent, & obirent, at nullo ex prædictis modis possunt esse duo Summi Pontifices, nam quacumque ratione essent duo, cum Christi institutione id manifestò pugnaret, quippè, qui vnum tantum instituit, deindè necessariò fieret, vt summa Pontificis potestas ex parte minueretur, nam si duo primo modo crearentur esset eorum potestas diuisa, ac proinde neuter ius haberet in alterum, neuter in totum terrarum orbem, vnus omnia præstare non posset: Si verò secundo modo toti Ecclesię duo Summi Pontifices præficerentur etiam vtriusque potestas minueretur ex parte, nam vterque esset Christi ouis, & tamen vnus non alteri præesset, ac proinde neuter in vniuersas Christi oues potestatem haberet.

An Summus Pontifex possit Imperatorem, & alios Principes hæreticos, ac Xismaticos deponere, & subditos ab eorum obedientia liberare?

BRACTEA XVIII.

R. Affirmatiue. Ita *cap. excommunicauimus,* & ibi Abbas *num.2. de hæreticis cap. Ad Apostolica* vbi Ioannes Andreas *de sentent. & re iudicata in 6.* D. Thom. *2.2.q.10.ar.6. & art.10.* D. Raimund. *in summa tit. de hæreticis §.7.* Hostiensis *in sum. tit. eodem §. sub qua pęna puniatur num.11.* Thurecrem. *in summ. de Eccles. cap.114.* D. Bonauent. *de hyerarchia Ecclesiæ par.2. cap.1.* D. Antoninus *in sum part.3. tit. 22. cap.3. §.7. & cap.5. §.7.* Sotus *in 4. dist.25. quæst.2. art.1.* Simancas *de Catholica institut. tit. de Papa n.25.* Alfonzus de Castro *de iusta hæreticorum punit. lib.2. cap.7.* si propter eorum grauissimas culpas turbaretur vniuersalis status Ecclesiæ, & propter aliud crimen intolerabile, ac etiam propter insufficientiam, & quando vtile est, & necessarium ad Ecclesiæ Catholicæ regimen, & spiritualis potestatis vsum. *Cap. ad Apostolica, Cap. Alius, & Cap. Nos Sanctorum 15. quæst.6.* Couar. *in regula peccatum par.2. §.9 num.7.* Nauar. *in cap. Nouit. notabili 3. num. 41. de iudicijs,* Hostiensis *in sum. de elect. in §. item sciendum* Thurecrem. *in sum. de Ecclesia lib.2. cap.113. propos.4.* D. Raymund. *in sum. tit. de Hæreticis §.7.* Siluester *in sum. verbo Papa num. 10.* Astensis *in summa part.1. lib.2. tit.64. art.4.* Molina *de iustit. tract.2. disp.29.* Vasquez *lib.1. controuer. cap. 21.* Paludanus *in tract. de causis immediatè Ecclesię potestati a.4.* Azorius *par.2. lib.10. c.9.* item Nauar. *in cap. Nouit. notab.3. num.5.* & alij.

Cuius ætatis debeat esse Papa cum eligitur?

BRACTEA XIX.

R. Cum Barbosa *iure vniuersi Ecclesiastici,* & cæ alijs ab eo citatis. Debere esse saltem triginta annorum. Ratio est, quia Papa est Episcopus totius Ecclesiæ, & cum Episcopus esse debeat, qui iam trigesimum expleuerit annum sequitur non de necessitate, sed de congruentia debere esse triginta annorum. Dixi non de necessitate, quia si minor eligatur dummodo vsum habeat rationis eius electio erit valida, quia in eo requiritur maturitas ætatis, cum sit pater patrum, Vicarius Christi, cui traditæ sunt claues regni cęlestis. Vnde Campanilius *in diuersor. rubr.7. cap.6. nu.60.* Studeant æquidem Eminentissimi D. D. Cardinales, ad tantum munus eligere seniorem, & Spiritus Sanctus huius electionis verus motor, & arbiter non permisit adhuc ętate iuniorem eligi, neque vt spe-

speramus permittet in futurum; sed si, occulto Dei iudicio, aliquando contingeret liberè quidem possent electores, frequenterque tacti dolore cordis intrinsecus, pœnitentiam agere, electionem tamen propterea rescindere non valerent, Campanilius *loco citato*.

An gesta per fœminam per errorem assumptam ad Papatum sint valida?

BRACTEA XX.

SCIENDVM Gesta per habentem impedimentum iuris Diuini, vel naturalis, inualida esse, quamuis concurrat titulus putatiuus, & error communis. Vnde si non Sacerdos sacramentaliter absoluat, irrita est absolutio, quãuis communiter existimetur Sacerdos, & verus Parochus. Sic Abbas *cap. 2. de presbit. non baptis.* Caiet. *in sum. verb. confess. iteratio,* Vgolin. *de censuris tab. 2. cap. 13* §. 4. & alij. Ratio est, quia licet ius ciuile, & positiuum possit supplere defectum iuris ciuilis, nõ tamẽ potest supplere defectum iuris naturalis, & Diuini cum inferior non habeat potestatem in Superiorem. Quo posito.

R. Non valere gesta per Pontificem, qui cõmuni errore putatur masculus cum sit fœmina. Ratio, quia fœmina iure diuino est incapax Pontificatus, quod etiam dicendum est de Pontifice masculo, qui communi errore putatur baptizatus, cum non sit, propter eandem rationem. Ita Merolla *tom. 1 disput. 7. de iurisdictione cap. 3. difficul. 2.*

An Papa possit cogere Religiosos ad arctiorem vitæ regulam seruandam, quam prima, & antiqua sui instituti norma postulat?

BRACTEA XXI.

PRIMA sententia est asserentium Papam id posse facere, vnde dicunt posse cogere Monachos ad clausuram seruandam instar Monialium. Ita Ioann. Andr. *cap. Ioannes num.* 18. Felin. *cap. ad nostram num. 6. de appellat.* & alij. Sed

R. Id Papam non posse facere. Ratio, quia in Religiosis speciale obedientiæ debitum Romano Pontifici vltrà alios fideles, & Ecclesiasticos seculares, ex solo obedientiæ voto oritur, cum autem talis obedientia non se extendat vltra regulam, per consequens non potest Papa obligare Religiosos ad austeriorem vitã, Et ita Merolla *tom. 2. disp. 4. de legibus, &c. difficul. 9. num. 67.* & alij ab eo citati.

An Papa possit dissoluere matrimonium infidelium ad fidem conuersorum?

BRACTEA XXII.

PRIMA sententia est Sanchez *lib. 2. disp. 17. n. 2.* & aliorum asserentium posse à Pontifice dissolui. Ratio est, quia matrimonium infidelium, & si consumatum habet solummodo rationem contractus, & non sacramenti, & per consequens non habet eandem indissolubilitatem, ac matrimonium ratum fidelium, vt matrimonium ratum iusta causa solui potest auctoritate Põtificis, ergo etiam poterit solui matrimonium infidelium, etiam consumatum. Sed

R. Negatiuè. Et ita Coninchus *disp. 26. dub. 5. num. 66.* Poncius *lib. 9. cap. 4. num. 15.* & alij. Ratio est, quia matrimonium solui non potest, nisi in casibus à iure expressis. At nullibi est expressum matrimonium cõsumatum fidelium solui posse, ergo sequitur matrimonium infidelium cõuersorum post conuersionem solui non posse, cum iam sit matrimonium fidelium consumatum. P. Diana *part. 9. tract. 7. Miscel. resol. 46.* vtranque opinionem putat probabilem, secundam verò probabiliorem.

An Papa possit dispensare, vt quis contrahat matrimonium in primo gradu affinitatis, v. g. viri cum vxore fratris sui, vel vt fœmina nubat viro suæ sororis?

BRACTEA XXIII.

SCIENDVM vt dictum fuit, cum de impedimentis matrimonij, & docet Sanchez *lib. 7. disp. 66. num. 7.* affinitatem ex matrimonio ortam in nullo gradu lineę rectę, vel transuersalis, ita prohibere iure naturę matrimonium, vt illud irritum reddat, ac proinde secluso iure Ecclesiastico in quocunque validum esse, quod probat varijs exemplis; similiter Diana *part. 8. tract. 1. de potestate Pontificis resol. 68.* & ideò.

R. Posita iusta causa Papam posse dispensare in primo gradu affinitatis, nimirum, vt vir accipiat vxorem fratris sui, & è contrariò, quod fœmina nubat viro suę sororis. Ita Sanchez *loco citato*, & cum eo plures apud Dian. *loco citato*. Ratio colligitur ex supradictis, quia impedimentum affinitatis non est de iure naturę, sed Ecclesiastico, at Papa possit dispensare in his, quę sunt de iure Ecclesiastico, ergo, &c. & per consequens de facto, cum pluribus dispensauit. Tum etiam, quia in talibus matrimonijs nulla datur violatio iustitię requisitę in matrimonio, cum ordinetur ad sobolis propagationem & mutuum coniugum obsequium in rebus domesticis, nec in eo violatur debitus coniunctionis ordo iure naturę requisitus.

An Papa possit dispensare, vt matrimonium contrahatur inter auum, & nepotem, vel è contra, aut vt fratres, & sorores contrahant inter se matrimonium?

BRACTEA XXIV.

SCIENDVM, vt dictum fuit, cum de impedimentis matrimonij, & docet Sanchez *lib. 7. disp. 51. num. 19.* matrimonium contractum intra gradus prohibitum esse iure Ecclesiastico inualidum. Iure naturę esse solum inualidum si contrahatur in primo gradu lineæ rectę, vel etiam transuersalis. Ratio est, quia actus matrimonialis repugnat reuerentię debitę, quę debetur suo principio propter turpitudinem, & irre-

& irreuerentiam, quam habet coniunctam alterius ad alterum oppositam reuerentiæ, quæ debetur parentibus. Quibus positis.

R. Papam posse dispensare, vt matrimonium ineatur inter auum, & nepotem. Ratio, quia tale matrimonium censetur solùm prohibitum iure Ecclesiastico, non autem iure naturæ, cum autem Pontifex possit dispensare in his, quæ solùm sunt prohibita iure Ecclesiastico; sequitur in tali matrimonio posse dispensare. Quod verò tale matrimonium non sit prohibitum iure naturæ, patet. Ratio, quia actus matrimonialis in isto, non repugnat reuerentię debitę. Quia auus respectu nepotis non habet rationem genitoris, sed solum rationem causę, repugnantia reuerentię, est solummodo ratione genitoris, qui habet rationem principij, non autem respectu aui, & proinde reuerentia, quę debetur à nepotibus auis nō debetur necessariò, sed solū per accidēs, qa solū per accidēs fundatur in ratione principij.

R. Matrimonium inter fratres, & sorores iure naturę inualidum esse regulariter. Ratio est, quia inter eos est pudor naturalis cui, aduersatur actus coniugalis antiquitus posita iusta causa conseruandę prolis fuisse validum matrimonium inter fratres, & sorores; & de facto fuerunt matrimonia, vt inter Abraham, & Saram, quæ soror erat Abraham. *Verè soror mea est filia patris mei*. Tum etiam, quia Thamar, cum a fratre suo Amon opprimeretur, dixit *Noli frater mi, noli opprimere me, noli facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi*, ex quibus deduco matrimonium inter fratres, & sorores fuisse aliquando licitum.

R. 3. Papam posita iusta causa posse dispensare, vt matrimonium contrahatur inter fratres, & sorores. Ratio, quia posita iusta causa potest dispensare in ijs, quę sunt de iure naturę præcipuè in his, quæ nō sunt intrin secè mala, sed quod frater ducat sororem, non est semper intrinsecè malum, ergo posita iusta causa potest Papa in eo dispensare. Et ità Diana, & cum eo plures citati *loco citato resol. 70*.

An Papa possit dispensare in primo gradu consanguinitatis, nimirùm vt pater sumat in vxorem filiam suam, &c.

BRACTEA XXV.

R. Primo regulariter matrimonium contractum in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ nempè inter parentes, & filios esse iure naturæ irritum, & ita communiter omnes. Ratio est, quia tale matrimonium continet talem indecentiam notabilem, vt omnes gentes aliquo modo benè institutæ illud semper abominatæ sint; ergo iure naturæ censetur irritum; tum etiam quia bruta instinctu quodā naturali ducta concubitum cum parentibus refugiunt, vt testatur Aristoteles *lib. 9. de historia animal. cap. 47.* & Plinius *lib. 8. naturalis historiæ cap. 42.* tum etiam quia maxima reuerentia debetur principio per se, cui reuerentiæ repugnat actus matrimonialis, quia habet coniunctam quandam turpitudinem, & irreuerentiam alterius ad alterum oppositam reuerentiæ parentibus debitæ, iuxtà illud Leuitici 18. *Turpitudinem patris tui, vel matris tuæ ne discooperias mater, enim tua est*, Vltimò quia tali matrimonio deesset finis ipsius, qui est; *Erunt duo in carne vna*, Genes. 2. cum ia filij sint pars parentum, non ergo possunt matrimonio iungi; quia cum sint vna caro per cōiunctionem naturalem, non sunt naturaliter habiles, vt ex eis denuò fiat vna caro, ad quod tendit coniugium, & per consequens tale matrimonium est iure naturæ irritum. Et ita plures apud Sanchez *lib. 7. disp. 51 num. 7.* Diana *tract. 1. de potest. Pontificis resol. 71*.

R. 2. In casu extremæ indigentiæ propagandi genus humanum Pontificem posse dispensare in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, nempè vt pater possit ducere in vxorem suam filiam, aut matrem suum filium, vt v. g. si in mundo superessent tantum Pontifex: pater, & filia tunc temporis non modò posse dispensare, vt pater accipiat suam filiam, verùm id iubere posse. Ratio, quia in isto casu irreuerentia, & turpitudo, quæ in actu matrimoniali inuenitur, cohonestatur fine bono, nimirùm ob bonum publicum, & per consequens supposito tali fine irreuerentia desinit intrinsecè esse mala; tum etiam quia malum ordinis inferioris cohonestatur propter bonum ordinis superioris, & per consequens irreuerentiam, seù turpitudinem actus honestari bono publico, & hac ratione Chrisostomus *hom. 44. in Genesim*, D. Ambrosius *lib. 1. de Abraham cap. 6.* excusant filias Loth à culpa, dum cum patre concubuerunt, existimabant enim nullum virum superesse, qui generationi deseruire posset Genes. 19. Et ita Sanchez *loco citato*, & cum eo plures Diana *loco cit.* & cum eo plures citati.

An Papa possit dispensare cum initiato ordinibus sacris, vel cum Religioso, vt vxorem ducant?

BRACTEA XXVI.

Sciendum obligationem seruandi castitatem in Clerico sacris ordinibus insignito, & illius inhabilitatem ad matrimonium subsequens non esse de iure Diuino, quia nullum est principium, ex quo tale Diuinum ius colligi possit in scriptura, sed oriri non tantum ratione voti solemnis castitatis, sed etiā ratione iuris Ecclesiastici annexi voto castitatis, & etiam ratione iuris Ecclesiastici prohibentis initiatos ordinibus sacris contrahere matrimonia, sed eos vitam cęlibem debere ducere, vt dictum fuit supra, cum de obligationibus annexis ordini, &c. Quibus positis.

R. Papam posse dispensare cum initiato ordine sacro, vt vxorem ducat; & ita Diana *tract. 1. de potest. Pontificis resol. 71.* & cum eo plures citati. Ratio, quia obligatio seruandi castitatē nō est de iure Diuino, sed Papa potest dispēsare in his, quæ non sunt de iure Diuino; ergo, &c. tum etiam quia Papa de facto dispensauit, ergo signum est posse dispensare. Et ita Sanchez *lib. 7. disp. 27.* Beccanus *de matrim. cap. 20. qu. 10.* Sotus *de iustit. lib. 3. qu. 4. art. 2.* Perez *de matrim. disp. 27. sect. 1. &c.*

R. 2. Posse Pontificem in voto solemnis castitatis religiosę dispensare ex iusta causā. Ratio, quia (vt supra dictum est) potest dispensare in voto castitatis per ordinum susceptionē; ergo potest etiam dispensare in voto castitatis,

tis, quod habetur per votum religionis. Ratio patet à simili, quia sunt eodem modo solemnia; ergo sicut in vno potest dispensare, ita etiã in altero; tum etiam quia vbi est eadem ratio, ibidem ius esse debet. Leg. *illud ff. ad leg. Aquiliam*, eadem ratio est, quoad obligationem est in voto simplici, ac in voto solemni; ergo sicut Papa potest dispensare in voto simplicis castitatis; ita etiam in voto solemnis castitatis. Ita Caietanus *in 2. 2. quæst. 88. art. 11.* Duardus *in 4. dist. 28. quæst. 2.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 9. quæst. 7.* Nauarrus *cap. 12. num. 71.* Coninchus *de sacramentis. disput. 31. num. 6.* Sanchez *lib. 7. disput. 2.* Diana *tract. 1. de potest. Pontificis resol. 74.* & alij.

An Papa possit dispensare, vt fœmina initietur prima Tonsura?

BRACTEA XXVII.

R. Negative. Ratio, quia prima Tonsura accipitur, vt sit dispositio, & via ad ordines; cum autem mulier sit incapax ordinis, sequitur etiam esse incapacem primæ Tonsuræ, quæ ad ordines est via. Quod mulier sit incapax ordinis, communiter docent Doctores; tum quia in fœmina non potest esse finis, per quem ordo institutus est; tum etiam quia non potest præsentare personam Christi, vt rappræsentat ordinatus; & ideò Papam non posse dispensare, vt fęmina initietur prima Tonsura. Ratio colligitur ex supradictis, quia est incapax ad ordines, & Tonsura, nihil aliud est, quam via, dispositio, seu determinatio personæ, quæ debet assumi ad ordines; cum autem fęmina sit incapax ascendendi ad ordines, sequitur Papã non posse dispensare, vt per Tonsuram assumetur Diana *loco citato resolut. 39.* & in eo plures alij.

MALLEATIO XXXVII.

De secunda dignitate annexa statui Clericali, nimirùm de Cardinalibus Sanctę Ecclesię Romanę.

Vnde nam, & à quo tempore sit nomen Cardinalis acceptum?

BRACTEA I.

Sciendum Romanum Pontificem, sicut ipse Christus Apostolos, Petrus verò Coapostolos fratres habuit, ita ipsum habere fratres, & Consiliarios assidentes ei, & coadiuuantes in regimine Ecclesiæ, qui Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ nuncupantur, & ideò

R. Nomẽ Cardinalis à Cardine esse dictũ, Cardo ferramentũ est, circa quod fores vertuntur: vnde Cardines dicuntur duæ Cęli partes immobiles sibi mutuò oppositæ, quarum vna est ad Septentrionem, & altera ad Austrum sita, & dicuntur Poli, & vertices Mundi: item Cardinalis dicitur etiam quasi principalis: sic quatuor virtutes Cardinales dicuntur apud Ambrosium *lib. 5. in Lucam:* quatuor item venti Cardinales, & quatuor Mundi partes Cardinales apud Seruium. Sunt, qui sentiant Sancti Gregorij primi, tempore, Cardinalem Præsbyterum, vel Episcopum eum dici, qui ad certam Ecclesiam promotus fuerat, aut qui erat primarius, & principalis, & hoc etiam dupliciter, vel quia Ecclesia, cui erant addicti, & adstricti, erat principalis, vel quia ipsi Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, vel Diaconi inter cęteros eiusdem ordinis eminebant.

R. 2. Ordinem Cardinalium quoad suam primam originem, & adumbrationem iuris esse Diuini; & ita Thurecremata *in summa lib. 1. cap. 80. & 83.* Augustinus Triumphus *in tract. de potestate Ecclesiastica quæst. 102.* D. Antoninus *3. par. tit. 21. cap. 1. & 2.* & alij plures, qui hanc opinionem colligunt *ex cap. Per venerabilem, qui filij sint §. Rationibus,* vbi Pontifex ait suos fratres, quos ita vocat ipsos Cardinales in Leuitici generis Sacerdotes fuisse adumbratos; & deducitur etiam *ex cap. Fundamenta de elect. in 6. §. Decet;* deinde quia Cardinales videntur septuagintiduo Christi Domini discipuli successisse, qui fuere duodecim Apostolorum adiutores, sicut Cardinales sunt Romano Pontifici à Concilijs; licet Sotus *in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 4.* neget eos iuris esse Diuini, atque nititur ratione, quod Romanus Pontifex Cardinales creauit, vt eorum consilijs iuuaretur, eorumque opera in Ecclesiæ gubernatione vteretur, neque legimus vllos esse à Christo Domino Cardinales institutos, nec vsquam Sacræ Litterę Cardinalium meminerunt, & Hierarchia Ecclesiastica Diuina ordinatione instituta constat Episcopis, Præsbyteris, & Ministris; & hæc opinio quibusdam probabilior videtur.

Quanta sit Cardinalium antiquitas?

BRACTEA II.

R. Cardinales figuraliter videntur habere originem à Sacerdotibus Leuitici generis, exemplariter verò ab Apostolis Christi, à Cleto verò, vel Marcello Pontifice, quoad titulos Ecclesiarum, à B. autem Siluestro, quoad nomen dignitatis; sed quoad ornamenta, & alia Cardinalatus insignia etiam ante tempora Innocentij Quarti originem videntur habere: Et ita Azorius *part. 2. lib. 4. cap. 1.*

Sciendum triplicem esse gradum Cardinalium; alij enim sunt Episcopi Cardinales, alij Præsbyteri, alij Diaconi, sicut enim Collegia Canonicorum ex Præsbyteris, Diaconis, Subdiaconis, alijs inferioribus Clericis constant, sic etiam Sacrum Collegium Cardinalium habet Episcopos, Præsbyteros, & Diaconos, nec quisquam Cardinalium sine Diaconi, saltem titulo creari solet, nec inter Cardinales in comitijs suffragium fert, præsertim cum de eligendo Pontifice tractatur, qui Diaconus non sit.

Sciendum 2. ex Sixti Quinti constitutione Cardinalitiam dignitatem omninò prohibentur obtinere: Primò filius vtriusq; sexus etiã ex legitimo matrimonio, vel ex eo nepotem habentes in Cardinales promoueri nequeunt: Secundò, frater ex vno parente germanus, vel patruelis consobrinus, aut amitinus alicuius Cardinalis viuentis, prout in eadem constitutione Sixti Quinti *statuitur §. 17.* Tertiò, patruus, aut auunculus nepotis ex fratre, vel sorore Car-

Cardinalis viuentis prohibetur assumi ad Cardinalatum, & è conuerso talis nepos patrui, & auunculi, sicut habetur in præcitata constitutione Sixti Quinti §. 18.

An Episcopi creari valeant Cardinales, aut Cardinalibus Cathedrales Ecclesiæ conferri valeant?

BRACTEA III.

SCIENDVM hanc quæstionem tractasse Panormitanum *in cap. Eccles. vestra 2. de elect. nu. 15.* vbi proponit duas sententias: Prima Hostiensis, qui sensit non posse eligi, sed solum postulari, eo quod sicut Episcopus est Ecclesiæ suæ astrictus, ita Cardinales vero Romano Pontifici tenentur assistere, & Cardinalis non potest sine consensu Papæ à Curia Romana abesse: quare olim vsq; ad tempora Clementis Quinti Pontificis, nullum Episcopum fuisse in Cardinalem assumptum, cum videantur hæc duo incompatibilia propter diuersitatem muneris, & officij, vt resoluunt Doctores *in cap. Bona memoria*; exceptis his, seu Episcopis vrbi vicinis, quibus annexus est Cardinalatus, & ideò Cardinalis ad Episcopatũ non eligitur; at Panormitanus secutus Abbatem antiquum, & Ægidium cẽset Cardinalem Præsbiterum, vel Diaconum posse eligi in Episcopum, non solum postulari. Sic Ioannes Andreas *in cap. Eccles. vestr.* Panormitanus id probat, quia *in cap. vestra 2. de Eccles.* dicitur de quibusdam Canonicis eos eligisse in Prælatum, Presbiterum, Cardinalem, Canonicum; deinde quia aliud est de Episcopo, aliud de Cardinali, quoniam inter Episcopum, & suam Ecclesiam est, contractum matrimonium spirituale, & ideò Episcopus postulari quidem potest ad aliam Ecclesiam, eligi tamen non potest, sed Cardinalis Ecclesię sponsus non est; nec obstat, quod à Curia Romana sine facultate Papę recedere nequeat, quia etiã Abbas è Monasterio exire non potest, tamen potest eligi in Episcopum; nec itidem impedit, quod Cardinalis sit Episcopo maior officio, & dignitate, quia Episcopus ideò nequit eligi ad aliam Ecclesiam, quoniam est suæ Ecclesię sponsus, Cardinalis non item.

Sciendum 2. quod licet Cardinalis in Curia assistere Pontifici debeant, vt colligitur *ex cap. Bona memoria de postulat. Prælator.* & *in cap. 2. de Clericis non residẽtibus*, & docet Anastasius Germonius *de Indultis Cardinalium §. Tibi, quoad vixeris, num. 18.* Sanctarellus *var. resolut. quæst 2. num. 6.* Flaminius Parisiensis *de resignat. beneficij lib. 1. quæst. 10. num 9.* Gonzales *ad reg. 8. Cancellariæ*, potest tamen Romanus Pontifex eorum opera in alijs quoque Ciuitatibus, aut Prouincijs secundum personarum qualitatem, & locorũ indigẽtiam, vti vnde nisi Cardinalis aliquis magis esset Ecclesiæ proficuus si Papæ assisteret, posset alteri Ecclesiæ dari Episcopus, vt Innocentius tertius videtur innuere in *Cap. Bonę memorię de postulat. Prælator.* An autem Cardinalatus cum alijs beneficijs Ecclesiasticis incompatibilis habeatur non est in iure dispositum, sed seruat Ecclesia, vt beneficia illa, quæ residentiam requirunt tanquam incompatibilia à Cardinalibus non retineantur, in quibus idem seruatur, quod de Episcopis est constitutum, vt scilicet per assumptionem alicuius ad Cathedralem Ecclesiam huiusmodi beneficia vacare intelligantur; quãuis in more iam positũ sit, vt Cardinales, Præsbyteri, vel Diaconi priora beneficia retineant, quoniam generali Ecclesiæ deseruiunt, & iustam absentiæ habent excusationem, ac proinde tacita Romani Pontificis indulgentia priuilegio donati censentur, ne priora, quæ habebant beneficia amittant. Ita Albanus *de Cardinalibus quæst. 42. priuilegio 20.* Martinus Laudensis *in eodem tract. quæst. 41.* Azorius *institut. moral. part. 2. lib. 4. cap. 3. quæst. 5.* quorum tamen resolutionem intelligit in beneficiis inferioribus non curatis, nec habentibus dignitatem.

An Cardinalium dignitas sit maior, quam Episcoporum?

BRACTEA IV.

SCIENDVM dubium esse an Cardinales dicantur dignitatem habere iure communi, an verò solum simplex munus, & officium. Sunt qui putent Cardinalis nomen, sicut non est nomen Ordinis à cæteris Ecclesiasticis Ordinibus distinctũ, sic non esse iure communi dignitatis nomen, sed tantum muneris, & officij, vt scilicet Romanum Pontificem suo consilio, opera, studio, & industria iuuent: sed dubitandũ non est, esse nomen dignitatis, vel iure, vel consuetudine, nam Cardinales cęteris honore, & dignitate præstant, deinde ius habent, & potestatem Romanũ Pontificem eligendi, quod est honoris, & dignitatis, item iurisdictionem Episcopalem habent in Ecclesijs, quibus præsunt. *Cap. is, qui de maiorit. & obed.* Quo posito.

R. Cardinales cęteris Ecclesiarum Pręsulibus honoris dignitate præstare, more, & consuetudine Curiæ, & Ecclesiæ Romanæ, sed iure Episcopum potestate Ordinis esse Præsbytero Cardinali maiorem, item Præsbyterum eadem potestate esse Diacono Cardinali superiorem; quoniã Episcopus in sacramentis multa potest, q̃ Diaconus Cardinalis nõ potest, & Presbyter potest sacrosanctum Christi Corpus consecrare, rem Diuinam facere, & offerre pro viuis, & defunctis, & alia Sacramenta ministrare, quæ non potest Diaconus Cardinalis, certum etiam est administrationis auctoritate, & dignitate honoris Cardinales Episcopis longè præstare, nam Cardinalium est Romanum Pontificem eligere, ei à consilijs esse, ardua vna cum eo totius Ecclesiæ negotia tractare, & agere, præterea Cardinales Romanus Pontifex fratres appellãt, quorum consilio dicit se hoc, aut illud decernere, Cardinales item in publicis comitijs, & conuentionibus, in publicis supplicationibus, & alijs quibuslibet rebus primi à Romano Pontifice sedent, primi suffragium, & sententiam ferunt, subscribũnt, stant, incedũt, denique sicut Episcopi sua habent Canonicorum Collegia, sic etiam in ipsa Romana Ecclesia, tanquam Pontificorum, quorundam Canonicorum Collegium est purpuratus, & sacer Cardinalium conuentus, qui vna cum ipso Pontifice, vnum veluti corpus efficit, cuius caput est Papa, & membra sunt ipsimet Cardinales. An verò Cardinales semper fuerint administratio-

ministratione, & honoris dignitate Episcopis superiores dubium est. Ad quod respondeo antiquitùs Episcopos fuisse Ordine dignitatis superiores Cardinalibus. Et ita testatur Onufrius *in opusculo de Cardinalibus*, ex quo ius, & potestas eligendi Romanū Pontificem ad sola Cardinalium suffragia redacta est, cœperunt Cardinales paulatim honoris dignitate, cæteris etiam Archiepiscopis, & Patriarchis anteponi at non statim summum honoris gradum obtinuerunt; & ideò Petrus Damianus, qui ante Bonifacij Octaui ætatem floruit, scripsit, Cardinales in eligendo Pontifice, & quibusdam prærogatiuis esse Episcopis, & Patriarchis superiores.

An Cardinales in Generalibus Concilijs ius habeant suffragium ferendi in definiendis rebus fidei, & morum, & ius in decretis Concilij subscribendi?

BRACTEA V.

R. Plures esse opiniones; quidam dicunt Cardinales auctoritatem habere definiendi, & subscribendi, non quidem ordinario iure, sed facultate commissa, ac demandata, & ideò docent Episcopos iure suo in Concilijs fidei dogmata definire, & in decretis se subscribere, Cardinales verò definire, non ordinario iure, sed commisso, & demandato. Quibus non obstantibus.

R. 2. Cardinales definire, & subscribere non solum demandato, sed iure ordinario. Ita docet Thurecremata *in summ. lib 3. cap. 14.* Ratio est, quia ius definiendi in Concilijs, & subscribendi non est potestatis Ordinis, sed iurisdictionum; ergo non solum est Episcoporum; tum etiam, quia legimus in antiquis Concilijs, non solum Episcopos definiuisse, sed etiam Monachorum Abbates; item Generales Religiosorum Ordinum in Cōcilijs definiunt, & subscribunt; ergo à fortiori Cardinales possunt se subscribere, & definire iure ordinario tanquam habentes iurisdictionem.

An Cardinales nondum adepti insignia Cardinalitia, quæ Pontifex dare consueuit, habeat ius suffragij ferendi in creatione Romani Pontificis?

BRACTEA VI.

Prima sententia est negantium, eò quod suffragium non sit proprietatis, sed possessionis fructus; ergo Cardinalis nondum possessionem assequutus in comitijs suffragium non habet, & proinde Cardinalis dignitatem, quidem per electionem adeptus, nondum tamen insignia, & idcircò possessionem nactus suffragium habere non potest. Alij tamen affirmant, quia eo ipso, quod est à Romano Pontifice electus, & creatus omnem potestatem administrandi Ecclesiam nanciscitur, si aliud iuris impedimentum non obstet. Ratio patet à simili, nam Abbas etiamsi sacratus non sit, & nomen Abbatis habet, & Ecclesiam administrat, & baculo Pastorali, annulo, mytra, & alijs Pontificijs insignibus vtitur; sic Cardinalis Albanensis *quæst. 17.*

An Generale Concilium Pontifice gradu dignitatis remoto possit absque Cardinalibus Papam eligere?

BRACTEA VII.

Sciendum hanc quæstionem in Concilio Constantiensi diu multumq; agitatam fuisse, & discussam, & tandem, vt omnis discordia tolleretur in eo conuenerunt omnes, vt Cardinales tam propria auctoritate, quam ipsius Concilij potestate Summum Pontificem eligerent: ita tamen vt cum ipsis Cardinalibus quęlibet natio, seu viros idoneos, & Religiosos designaret, qui tunc solum Romani Pontificis electioni interessent, & vna cum ipsis Cardinalibus, qui ad Concilium venerunt in conclaue ingrederentur, cum auctoritate Romanum Pontificem eligendi, & is, qui à duabus partibus Cardinalium, & huiusmodi hominum designatorum electus esset verus, & legitimus Pontifex haberetur: vnde

R. Regulariter apud Cardinales esse ius, & potestatem eligēdi vbi Ecclesia obitu Romani Pontificis, vel ipsius renunciatione vacua sit, aut si viduata fuerit, vel quia Romanus Pontifex est è gradu potestatis expulsus, vel quia eius electio irrita, & inanis declarata sit, & non pertinere ad Concilium generale, nisi consentiente Summo Pontifice; & ita Cardinalis Albanus *de Cardinalibus quæst. 35.* & alij.

An Cardinales habeant potestatem Ordinis in Ecclesijs, quarum titulos habent?

BRACTEA VIII.

R. Cardinales in Ecclesijs, quarum titulos habent non habere potestatem Ordinis, sed habere iurisdictionem Episcopalem forensem. Ita Abbas, Felinus, & Burrius *cap. ijs, quæ de maioris. & obedientia*, Imola in Clement. *Romani de elect.* & alij; ex quo fit, vt conferre queant omnia beneficia Canonicatus, Pręben- das, siue quælibet alia officia curam animarum habentia, siue non habentia, nam Sixtus Quartus amplissimum illis priuilegium concessit, vt testatur Felinus *in cap. ijs, quæ de maiorit. & obed.* ita, vt conferre possint omnia beneficia sita in Ecclesijs, quas vel iure, tituli, vel commendationis, vel administrationis habēt, nō obstantibus expectatiuis, vel reseruationibus, nisi vacent in Curia, & Summus Pontifex dictas Ecclesias, nisi expresso Cardinalis Ordinarij, vel Commendatarij consensu conferre non debeat.

Sciendum dubium esse, an Cardinales in Ecclesijs, suorum titulorum commorari, & residere debeant. Ad quod respondeo debere, quia vt habetur *in cap. ex gestis de Clericis non residentibus*, Leo Quartus Anastasium Præsbyterum Cardinalem S. Marsilij ab officio, & dignitate amouit, eo quod per annos quinque Ecclesiam suā deseruisset cōtra Canonum instituta. An verò

Cardinales commorari debeant in Ecclesijs, quarum sunt Episcopi, ante Concilium Tridentinum duę extant sententiæ; prima erat negantium ob id, quod Cardinales apud Romanum Pontificem assidere debeant, vt sint illi adiutores, consiliarij, &c. & ob alias rationes; secunda sententia affirmabat eos in proprijs Episcopatibus residere debere; & ita Panormitanus *in cap. bona memoriæ de postulat & cap. ex gestis de Clericis non residentibus, & cap. Ecclesia vestra 2. num. 15. de elect.* & ita declaratum fuit per Consil. Tridentin. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* his verbis, *Declarat Sancta Synodus omnes Patriarchalibus, Primatialibus Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesijs, quibuscunque, quocunque nomine, & titulo præfectos, etiamsi Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint obligari ad personalem in sua Ecclesia residentiam, vbi iniuncto sibi officio defungi teneantur, neque abesse possint, nisi ex causis, &c.* vnde post Concilium Tridentinum prima sententia, quamuis multorum auctorum iudicio confirmata, defendi non potest.

An Cardinales sint subiecti legibus, quibus cautum est, ne quis duo, aut plura beneficia simul habeat?

BRACTEA IX.

PRIMA sententia est eos non subijcere tali legi; & ita Hostiensis *in cap. Ecclesia vestra de elect.* Andreas Siculus *in cap. bona memoria 1. de postulat.* Ratio est, quia ex eo, quod Cardinales generali Ecclesiæ deseruiunt, cuilibet etiam Ecclesiæ interuire intelliguntur, ac proinde in illis non extat ratio, quominus possint duo beneficia possidere. Secunda sententia eos hisce legibus subiacere, sicut, & alij. Sic Abbas *in cap. Bona memoria 1. de postulat. cap. ex gestis de Clericis non residentibus, cap. Ecclesia vestra 2. de elect.* quæ opinio videtur probabilior, nisi à Summo Pontifice iusta de causa habuerint priuilegiū possidendi, & obtinendi plura beneficia, quia vt habetur *in extrauag. execrabilis de præb.* Cardinalibus conceditur, vt plura beneficia simul habeant; iusta autem causa ad plura beneficia possidenda est, si quis sit doctrina, fama, industria, & prudentia clarus, cuius opera, & diligentia maximè vtilis esse credatur, Ecclesia enim talibus viribus indigere videtur, & ob id eis multa posse concedi constat, quæ cęteris meritò denegantur. Ita apud Azorium *part. 2. lib. 4. cap. 3. quæsito 4.* An vacent beneficia illius, qui ad Cardinalitiam dignitatem extollitur secundum communem opinionem respondeo non carere. Et ita Hostiensis, & alij plures *in Ecclesia vestra 2. de elect.* Cardinalis Albanus *quæst. 42. de Cardinalibus in priuilegio 20.* licet Abbas *in cap. Eccles. vestra,* & alij censeant vacare ea beneficia, quæ requirunt residentiam, sed consuetudo est in contrarium; quoniam Cardinales, siue Præsbyteri, siue Diaconi generali Ecclesiæ deseruiunt, & iustam absentiæ habent excusationem, ac proinde tacita Pontificis Romani indulgentia priuilegio donari censentur ne priora, quæ habent beneficia amittant. Ita Azorius *loco cit.*

An Cardinales habeant facultatem testandi?

BRACTEA X.

R. CVM distinctione, aut Cardinalis est Religiosus professus, vel non, si Cardinalis est Religiosus professus iure non potest testari, poterit tamen de Romano Pontificis consensu: si verò non sit professus alicuius Religionis, sed solutus potest testari de bonis, quę sui patrimonij iure possidet, aut de bonis propria pecunia partis, aut suo labore, opera, & industria acquisitis, aut causa legationis, vel cuiuslibet alterius muneris, & officij; quod alioqui sæculares obire consueuerunt, aut de illis, quę quatenus est Clericus suo tamen labore comparauit. Et ita colligitur *ex cap. Relatum 2. de testamentis, cap. Placuit 12. quæst. 2. cap. Cum esses de testamentis;* non autem testari potest de his bonis, quæ ratione dignitatis, vel Ecclesiæ, cuius est Cardinalis Episcopus, Præsbyter, vel Diaconus, aut beneficiatus lucri fecit. Et ita communiter omnes; quare necessarius est Romani Pontificis assensus, vt testamentum de hisce bonis sit ratum, & firmum, & vt licitè fiat, quãdo verò testantur de licentia Summi Pontificis non est necesse quod adsint solemnitates requisitæ à iure ciuili, sed satis est, quod sint solemnitates, quæ iure canonico, præscribuntur; & quia ius canonicum, vt patet ex *cap. cum esses, & cap. Relatum de testam.* solum requirit duos, aut tres testes: ideò testamentum à Cardinali factum coram duobus, vel tribus testibus validum censetur.

Quæ qualitates requirantur in eo, qui assumitur ad dignitatem Cardinalitiam?

BRACTEA XI.

R. EA omnia, & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cœteris qualitatibus sunt constituta per Concilium Tridentinum *sess. 24. de reformat.* etiam in creatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Diaconorum esse exigenda.

Sciendum quod circà ætatem, natalitia, sciẽtiam, vitam, moresque requisita in eo, qui est Cardinalitia dignitate decorandus extat constitutio quinquagesima Sixti Quinti, quæ incipit, *Postquam verus, sub datum tertiò nonas Decembris 1595.*

An Cardinales possint sibi eligere Confessarium?

BRACTEA XII.

R. CARDINALES Episcopos posse sibi eligere Confessarium iuxtà id, quod habetur in capitulo *Ne pro dilatione de pænit. & remissione,* quia Episcopi sunt, Cardinales itidem causa legationis absentes, possunt etiam eligere Confessarium idoneum, iuxta caput *ne pro dilatione,* quia Prælati sunt, & exempti, Cardinales non Episcopi de iure non possunt sibi eligere, sed consuetudine posse, docet Caiet. *in summ. verbo absolutio à peccatis 2.* vt possint eligere Prælati exempti, qui Summum Pontificem tanquam immediatum superiorem agnoscunt, eique immediatè subijciuntur.


Scien-

Sciendum dubium esse, an Cardinales Episcopi, qui legationis causa ab vrbe absentes sūt, possint eligere sibi Confessarium eum, qui ab Episcopis proprijs approbatus non sit. Azorius *part. 2. lib. 4. cap. 3. quæsito 16.* respondet non posse, quia Concilium Tridentinum *sess. 23 cap. 15. de reformat.* statuit nullum, &c. posse confessiones sæcularium audire, etiam Sacerdotem, nec idoneum reputari, nisi aut beneficium parochiale habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur; ergo post Concilium nullus reputatur idoneus Confessarius, nisi fuerit ab Episcopo approbatus; ergo, &c. tamen respondeó ex consuetudine posse, vt docet Caiet. vt suprà.

Quot priuilegijs gaudeant Cardinales?

BRACTEA XIII.

R. PLVRA esse, sed insigniora, & vsu recepta esse subsequentia. Primum est, si dānatus ad Patibulum duceretur, & Cardinali obuiam factus ab eo veste, aut pileo tegeretur, liber euaderet; quod priuilegium ex consuetudine introductum est; secundum Cardinales in testamento condendo militum priuilegium habent, non enim tenentur legibus ciuilibus, quibus in testamentis solemnibus, quadam formula iuris requiritur, vt supra dictum est: tertium à sententia toto Cardinalium conuentu lata minimè appellatur: quartū, quia q̄ Cardinales offendunt, puniuntur tanquam læsæ maiestatis Rei, eo quod sint ipsius Romani Pontificis, veluti partes, & membra: quintum Cardinali asserenti se Romani Pontificis legatum esse extra Curiam ire non solēant: sextum Cardinali sibi aliquid vnæ vocis oraculo demandatum creditur: similiter in causis commissis, ac demandatis eius dicto fides habetur: septimum, Cardinales, Episcopos, Romanus Pontifex fratres appellat, Diaconos verò Cardinales filios vocat, quia non sunt Coepiscopi: octauum, quamuis Romani Pontificis Vicarius in vrbe plena iurisdictione fungatur, attamen qui sunt Cardinalibus subiecti à suis Vicarijs iudicantur: nonum Cardinalibus indigentibus debet Summus Pontifex subuenire, caput enim suis membris indigentibus succurrit: decimum soli Cardinales legati à latere noncupantur extra Curiam missi: vndecimum, is qui ad Cardinalis dignitatem euehitur eo ipso, ab omni patria potestate liberatur: duodecimum Cardinales sententia suspensionis, vel interdicti in diplomate Pontificio, vel motu proprio mandato, vel constitutione generaliter promulgata minimè afficiuntur, nisi specialis eorum mētio fiat: decimumtertium, Cardinales dicuntur Ecclesiæ Senatores, ac proinde Illustres personæ censentur, Episcopi enim, ac cœteri Clarissimi vocantur, vt videre est apud Cardinalem Albanum *quæst. 42.* & Azorium *part. 2. lib. 4. cap. 3. quæsito 20.*



MALLEATIO XXXVII.

De tertia dignitate annexa Ordini Clericali, nimirum de Patriarchis, seu Primatibus.

Patriarcha, & Primas quis dicatur?

BRACTEA I.

R. POST Sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinales primum locum obtinet dignitas Episcopalis, quia Episcopi locum tenent Apostolorum, qui per diuersas Mundi partes diuisi, & constituti fuerunt Episcopi. *Cap. in nouo. dist. 21. cap. fin. dist. 63. cap. legimus dist. 93.* inter quos primum locum tenent Patriarchæ, & Primates. Et ita communiter omnes.

Sciendum Patriarchas esse Archiepiscopis iurisdictione superiores. Ratio, quia sicut Episcopus vni tantum Ciuitati, Archiepiscopus verò vni Prouinciæ, quæ multas Ciuitates, quarum singulis sunt Episcopi, complectitur, præsidet: Sic Patriarcha multis Prouincijs preficitur, ac proinde non solum in Episcopos, sed etiam in Archiepiscopos pō estatem habet; licet iure canonico Patriarcha differat ab Archiepiscopo, iure tamen Diuino non differt, quoniam in omni Ordinis potestate cum eo conuenit, nec est eo superior, nisi auctoritate iurisdictionis tantum modo.

Sciendum 2. quod licet Patriarcha, & Primas differant in nomine, idem sunt, & nulla inter eos datur differentia. Ita colligitur *in cap. Cleros dist. 21. & in cap. vrbes dist. 80. & cap. Prouinciæ dist. 99.* Ad quod melius intelligendum, notandum, quod duplex hodie videtur Patriarcharum diuisio; quidam enim propriè, & præcipuè Patriarchæ dicuntur: alij verò la è sumpti pro vocabulo Patriarchæ Primates etiam appellantur. Patriarchæ, prioris generis sunt solummodo quatuor, nimirum Alexandrinus, Antiochenus, Hyerosolimitanus, & Constantinopolitanus. *Cap. antiqua de priuilegijs, cap. sacrosancta, cap. renouantes, cap. D. finimus dist. 22.* Patriarchæ secundi generis Primates etiam dicuntur, aut minores Patriarchæ.

Quænam ad Patriarchæ creationem sint necessaria?

BRACTEA II.

R. CVM distinctione: aut is qui eligitur Patriarcha antea erat Episcopus consecratus, vel non: si primum, nulla consecratio est necessaria, sed tantum nominatio, designatio, postulatio, electio, & confirmatio, vel sola collatio, vt vocatur, à Romano Pontifice facta: Si secundum necessaria est præter electionem, & confirmationem consecratio, quia Patriarcha duplici est præditus potestate, vid. licet iurisdictionis, & Ordinis, hęc datur, & accipitur per consecrationem, illa extra consecrationem confertur ex S. Thoma 2. 2. *quæst. 39. ar. 3.*

Sciendum Pallium esse etiā insigne Patriar-

charum, quia sicut Archiepiscopis datur, ita etiam Patriarchis, & Primatibus.

De priuilegijs Patriarcharum?

BRACTEA III.

R. Privilegia Patriarcharum plura esse: Primum est, vt sedere, & incedere possit immediate post Papam ante Cardinales. Abbas *in cap. Antiqua num.6.* & alij; licet hoc priuilegium amplius non sit in vsu, quia hodie Cardinales de consuetudine, & iuris ratione eis præsunt ratione officij, cum sint vnum corpus cum Romano Pontifice: Secundùm, vt Metropolitanos, & Suffraganeos eorum ex causa deponere possint. *Cap. mos antiquus*, licet hoc temporis hoc priuilegium non sit amplius in vsu, cum solus Papa possit deponere Episcopos, vt est in Concilio Tridentino *sess.13. de reformat. cap.8. & in sess.24. de reformat. cap.5.* Tertium est, vt eis Romani Pontificis insignijs, & ornamentis vti fas sit: Quartū est, vt illi Regibus, alijsque Principibus superiorem non habentibus æquiparentur; Quintum, vt vbique crucem elatam præferre liberè possint, & pallio vtantur; præterquam in vrbe Romæ, aut vbicunque Summus Pontifex præsens fuerit, vel eius Legatus vtens insignij Apostolicæ dignitatis, *cap. Antiqua*: Sextum est, vt ipsi Pallium Archiepiscopi Suffraganeis suis tradere possint, postquam ipsi à Romano Pontifice illud acceperint, præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento: Septimum est, vt habeant ordinariam iurisdictionem super omnes Episcopos, & Metropolitanos totius Prouinciæ, & Regionis, vbi eorum extenditur iurisdictio: Octauum est, vt in Prouincijs omnibus eorundem iurisdictioni subiectis appelletur ad eos, cum opus fuerit, etiam omissis medijs saluis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.

MALLEATIO XXXVIII.

De quarta dignitate annexa Ordini Clericali: nimirum de dignitate Archiepiscopali.

Quis dicatur Archiepiscopus?

BRACTEA I.

R. Archiepiscopum illū dici, qui est Princeps, seu Primarius Episcoporum, & qui omnibus suæ Prouinciæ Episcopis præest. Et ita Isidorus *lib.7. etymologiar. cap.12.* Homobonus *de bonis vitæ humanæ statibus part.1. cap.16.* Layman *de Prælat. Ecclesiasticor. elect. cap. 14. quæst. 151.* quibus præcipere potest, quæ ad officium eorum spectant, atque ad exequutionem compellere etiā per censuram; in subditos tamen Coepiscoporum Prouincialium iurisdictionem nullā exercet, præterquam in casibus iure expressis, alio nomine Metropolitanus vocatur à mensura, aut numero Ciuitatum, quibus præest, quia decem, aut vndecim Ciuitates, & totidem Episcopos sub se continere solet, licet aliquando paucioribus præsit, & nonnulli sunt Archiepiscopi, qui subiectos Episcopos non habent, sed secundum alios Metropolitanus dicitur, quia Archiepiscopus in Ciuitate Metropoli, idest præcipua, ac veluti matre aliarum in Prouincia Ecclesiæ suæ sedem habeat; nec est verū quod Archiepiscopus debeat sub se habere decem, aut vndecim Ciuitates, quia *constitutio capitis scitote*, hoc probantis non fuit perpetua, sed nutu Principum, annorumque curriculo numerus Episcoporum fuit constitutus in vnaquaque Prouincia, prout singulis magis expedire videbatur.

Archiepiscopus igitur, & Metropolitanus idem sunt: nec obstat, quod Isidorus *in cap. Cleros*, videtur asserere Archiepiscopum, & Metropolitanū differre, quia sumpsit ipse Archiepiscopi nomen pro Patriarcha, vel Primate, Metropolitanum verò pro Archiepiscopo.

An Archiepiscopus ab Episcopo differat?

BRACTEA II.

R. Archiepiscopum differre ab Episcopo in potestate iurisdictionis. Ratio est, quia est maior, & amplius Archiepiscopi iurisdictio, Episcopus enimpræest Ciuitati, & Ciuibus ei subiectis; at Archiepiscopus vni Ciuitati, quæ est aliarum Ciuitatum Episcopos habentium mater, & caput, cui sunt subiectæ aliæ Ciuitates; porrò Episcopi Archiepiscopis subiecti dicuntur in iure Canonico *suffraganei cap.1. de foro competenti in 6. & cap. Suffraganeis de elect. cap. Antiqua de priuilegijs*: in ordinis verò potestate Archiepiscopum ab Episcopo minimè differre, cū Archiepiscopus nihil amplius potestatis ordinis habeat circa Sacramenta, &c. quam Episcopus.

Sciendum, quod Archiepiscoporum auctoritas consideratur, aut circa suos subditos, & in sua tantum Diœcesi, aut circa Episcopos sibi subditos, qui eorum Suffraganei dicuntur, aut circa ipsorum Suffraganeorum subditos, item in Synodo Prouinciali, & in Episcopali Sede vacante Suffraganei sui, quoad primum quod in sua Diœcesi Archiepiscopi habent omnia iura, potestatem, & obligationes, quas cæteri Episcopi in suis Diœcesibus obtinent, & sunt veluti quilibet alij Episcopi, solùmque in duobus ab illis discriminantur. Primò in consecratione, quia Metropolitanus à tribus Suffraganeis Episcopis consecrari debet. Secundò, quia Metropolitanus licet rectè consecratus sit, non potest antequam Pallium à legitimo Superiore suscipiat se Archiepiscopum nominare, nec ea munera obire, quæ sunt potestatis ordinis, vel iurisdictionis, ac proinde nec conuocare Concilium, nec Crisma conficere, nec dedicare Basilicas, nec ordinare Clericos, & Episcopos consecrate. *Cap. nisi specialis de auctorit. & cum Pally*, Quaranta *in summa Bullary verbo Archiepiscopi auctoritas*, Azorius *lib.3. cap.34.* Auctoritas, & potestas Archiepiscopi circa Suffraganeos suos consistit: primò, in confirmando electos in Episcopos: secundo, in consecrando huiusmodi electos: tertiò, in vocatione Suffraganeorum pro consecratione alterius Suffraganei; quartò, in iniun-

iniungendo illis, vt seruari faciant, quod seruatur in Metropolitana: quintò, in cõuocãdo eos singulos saltem triennijs ad Synodum Prouincialem: sexto, in curãdo vt apud Ecclesias suas resideant: septimò, in compellendos eos iustitiã subditis ministrare, & ad faciendum id, quod debent: octauò, in suspendendo, interdicendo, & excommunicando: nono, in supplendo eorũ negligentiã circa id, quod facere debent: decimò, in cognoscendo eorum causas, cum videlicet ab aliquo ciuiliter, vel criminaliter conueniuntur, quia Archiepiscopus est Iudex ordinarius Suffraganeorum: vndecimò, in corrigendis, & confirmandis eorum sentẽtijs in subditos suos latis, quia ab Episcopo, aut eius Officiali ad Archiepiscopum appellatur: duodecimo, in visitandis eorũ Diœcesibus; Auctoritas verò Archiepiscopi circa subditos Suffraganeorũ suorũ similiter consistit in pluribus, quę videlicet ei à iure communi specialiter demãdatur, aut per appellationem deuoluuntur ad ipsum, aut ei dum visitat competere dignoscũtur, extra quos casus nullam in subditos Suffraganeorum potestatem habent. Auctoritas Archiepiscopi circa Synodum Prouincialem celebrandam consistit in pluribus: primò, quia Archiepiscopus vocat Episcopos Suffraganeos ad Concilium Prouinciale, vt supra dictum est: secundo, si Clericus cum Episcopo suo criminalem, aut ciuilem causam habeat, Metropolitanus in Synodo Prouinciali cognoscit: tertiò si dubius aliquis, aut difficilis abusus extirpandus, vel grauis quęstio exoriatur circa imagines, reliquias, aut miracula, & similia Metropolitanus cum Synodo Prouinciali dijudicat, salua tamen Sedis Apostolicæ auctoritate circa quædam noua, & inusitata decernenda, vt in Concilio Tridentino decretum est *sess. 25. de inuocat. & venerat. Sanctor.* quartò, in eadem Synodo iudicat de licentia absentiæ Suffraganeorum suorum, vt statuit Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 1. de reformat.* Alia etiam plura ex eodem Concilio Tridentino Metropolitanis cum iudicio Suffraganeorum demandantur in Prouinciali Synodo, vt videre est apud Barbosam *iuris Ecclesiastici vniuersi lib. 1. cap. 7. num. 97.* vltimò Archiepiscopi auctoritas cõsideratur Episcopali sede vacante Suffraganei sui, quia licet mortuo Episcopo, siuè excommunicato, &c. ad ministratio ad Capitulum Canonicorũ pertineat. *Cap. Non liceat alicui 12. quest. 1. cap. 1.* In duobus tamen casibus potest Metropolitanus, & debet auctoritate ordinaria administrationi Ecclesiæ incumbere; primus est, vbi Ecclesia idoneos Ministros non habere probatur. *Cap. Non liceat alicui*; secundus, vbi qui existunt, fuerint negligentes, nam poterit eo casu Archiepiscopus visitatorem, seu administratorem, aut Œconomum instituere, prout opportunum videbitur, nisi à Romano Pontifice extra predictos casus valeat deputari.



An Archiepiscopus, postea quam electus est, & confirmatus, exercere possit ea, quæ sunt iurisdictionis Archiepiscopalis?

BRACTEA III.

R. Actus iurisdictionis maioris, qui ipsi vt Archiepiscopo proprij sunt, vt v. g. Concilium Prouinciale conuocare, aut Prouinciã visitare, exercere non potest, nisi post consecrationem suam; & Pallium à Sede Apostolica acceperit, neque Archiepiscopum se appellare potest ante acceptum Pallium; alios verò actus iurisdictionis Archiepiscopus cum primùm à Sede Apostolica confirmatus est, exercere non prohibetur, cuiusmodi sunt causas audire, delegare, Iudices creare, ordinandi, vel consecrandi licentiam dare, & licet Archiepiscopus sacros ordines conferre, aut vasa sacra benedicere non possit, potest tamen accepta Confirmatione facultatem hanc alteri delegare. An verò Archiepiscopus actus ordinis exercere possit, antequam à Sede Apostolica Pallium Archiepiscopale acceperit? Respondeo, quę ab Episcopo inter Missarum solemnia, vel saltem cum Episcopalibus ornamentis peraguntur, vti sunt Clericos ordinare, Crisma conficere, Ecclesias consecrare, &c. ea exercere non potest ante acceptum Pallium. Ratio est, quia talia non vt Episcopus, sed vt Archiepiscopus in Ecclesia sua facere videtur, cum tamen ante acceptum Pallium, quo plenitudo Archiepiscopalis officij designatur pro Episcopo se gerere non debet: actus verò ordinis, quos Archiepiscopus stola tantum indutus exercet, vt si sacra vasa, corporalia, aut Cœmiteria benedicat eos peragere, in Ecclesia sua non prohibetur, antequam Pallium à Romano Pontifice acceperit, extra verò Prouinciam suam inuitatus ab alio Episcopo omnia Pontificalia exercere potest Archiepiscopus confirmatus, & cõsecratus, tametsi Pallium non acceperit, quia etiamsi Pallium accepisset, eo extra Prouinciã suam vti non posset.

Quænam sint propria insignia Archiepiscopalia?

BRACTEA IV.

R. Proprium insigne potestatis, & dignitatis Archiepiscopalis esse Pallium, de quo in iure Canonico extat titulus *de auctoritate, & vsu Pallij*.

Sciendum Pallium esse vestem candidam ex lana alba contextam habentem circulum humeros constringentem, & duas lineas ab anteriori, & posteriori parte pendentes, & quatuor crucis signis purpureis distinctam, quorum vnũ habet in pectore, alterum in humero sinistro, tertium in dextro, quartum in scapulis. Dicitur autem Pallium à pellibus, quia prius super indumenta pellicea vestes induebantur quasi pellea.

Sciendum 2. originem Pallij antiquissimam esse in Archiepiscopis, & ita auctor vetus rituũ Ecclesiasticorum S. Romanæ Ecclesiæ *lib. 1. tit. 10. cap. 5.* qui Auctor addit Pallium peti hac verborum formula. *Ego, &c. electus Ecclesiæ, &c. instanter, instantius, instantissimè peto mihi tradi, & assignari Pallium*

de

de corpore S. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officij: vnde in *Cap. Significasti de elect.* dicitur Pallium à corpore Beati Petri assumi; itaut cum id Romanus Pontifex alicui Archiepiscopo tradit, & conficit, dicatur mittere, siuè cōferre, ex corpore B. Petri assumptum, nō ideo dicitur assumi de corpore Beati Petri, quod super altare Beati Petri benedicendum sit, sed quia significat veluti particulam Ecclesiasticæ potestatis deriuatam ex plenitudine potestatis Pontificiæ, quæ in Beato Petro, & Successoribus eius rendet: formula autem quâ Pallium Archiepiscopo confertur, hæc est, *Ad honorem Dei omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & D. Papæ, &c. Papę Ecclesiæ Rom. Ecclesię &c. tibi commissæ tradimus tibi, &c. Pallium de corpore Beati Petri sumptum in plenitudinem Pontificalis dignitatis*, vt vtaris eo infra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegijs Ecclesiæ tuæ concessis à Romano Pontifice.

An Archiepiscopus per priuilegium Apostolicum, vel consuetudinem immemorabilem possit obtinere, vt Pallium extra Ecclesiam, vel in Ecclesijs alienæ Prouinciæ gestet?

BRACTEA V.

R. Per priuilegium Sedis Apostolicę id obtinere posse, dummodo Ordinarius, ad quem Ecclesia pertinet, consensum præbeat, quia priuilegium alicui cōcessum ita interpretari conuenit, vt alijs pręiudicium non generetur, cederet autem in pręiudicium Metropolitanę, si alienus Archiepiscopus in eius Ecclesia Pallio vteretur, quippè quod ex propria institutione datum est pro propriæ Prouincię Ecclesijs. Secundò, non valere consuetudinem quantumuis immemorabilem, absque titulo, seu fama accepti Apostolici priuilegij, vt Archiepiscopus extra Ecclesias, vel in Ecclesijs extra Prouinciam suam Pallio vtatur, quia consuetudo pręualere non potest, si sit contra substantiam, seu formam substantialem rei, atqui institutio, & forma traditi Pallij est, *vt eo intra Ecclesias tuę Prouincię vtaris*; ergo non potest eius vsus extendi, nisi per aliam priuilegij concessionem, seu veram, seu cum bona fide, & temporis diuturnitate præsumptam.

An Archiepiscopus possit suum Pallium alteri commodare?

BRACTEA VI.

R. Non posse, quia Pallium personę conceditur tanquā priuilegium eius, cum qua etiam sepeliri debet. *Cap. de auctoritate, & vsu Pallij*; conceditur enim personæ cum ordine ad Ecclesias propriæ Prouincię. Quod si dicatur Pallium, debetur dignitati Archiepiscopali, saltem ex gratia generali; ergo potius inter realia priuilegia, quam personalia numerari debet, & ideò respondeo distinguendum esse inter ius Pallii petendi, ipsumque Pallium, & eius vsum: ius Pallij à Sede Apostolica petendi secundum Canones adhæret dignitati Archiepiscopali, ideoque inter priuilegia realia rectè numeratur, quia ad Successorem quemlibet transit; at verò concessio Pallij fit personæ, ita vt eius vsus alteri communicari nequeat, sed cum persona extinguatur; interim tamen persona, cui Pallium conceditur ratione dignitatis suę attendere debet ad priuilegia Ecclesię suę, vt Pallio vtatur, sicut alij Antecessores sui.

Sciendum, quod si Archiepiscopus Summi Pontificis auctoritate ad alium transferatur Archiepiscopatum, & alius in locum ipsius substituatur, vterque nouum Pallium petere debet, quia Pallium cum personæ datum sit nō trāsit ad Successorem, & cū personę datū sit cū ordine ad Ecclesias certæ Dięcesis, seu Prouinciæ, ideo Archiepiscopo ad aliam Ecclesiam Metropolitanam translato inseruire nequit; interim Archiepiscopus trāslatus Pallium suum defert, non vt eo vtatur, sed vt cum eo sepeliatur.

An Archiepiscopus possit absoluere excommunicatos à subditis Suffraganeorum?

BRACTEA VII.

R. Archiepiscopum non posse absoluere excommunicatos ab Archidiaconis, vel alijs subditis Suffraganeorum suorum, cum nec excommunicantium, nec excommunicatorum sit Iudex, posse tamen absoluere excommunicatos ab ipsis Suffraganeis, vel eorum Officialibus, cum à litigantibus ad eum fuerit appellatum; & ita colligitur in *cap. Venerabilibus de sententia excommunicationis*, vbi etiam dicitur, quod Archiepiscopus, vel eius Officialis excommunicatos à Suffraganeis semper antequam audire causam incipiant in casibus, in quibus eis iurisdictio competit iuxta Ecclesiæ formam, debet, vel petente parte litigante, vel ex officio suo absoluere, vtpotè si post definitiuam sententiam fuerit excommunicatio promulgata, & ad eos fuerit appellatum, nisi dicatur excōmunicatus ob manifestam offensam, vel contumaciam etiam præsumptam, videlicet, quia citatus pręfixo die non comparuit, tunc enim non absoluitur, nisi exhibita satisfactione. Tertio dicitur, si fuerit appellatum ex legitima, vel probabili causa ad Archiepiscopum, vel eius Officialem, & post huiusmodi appellationem fuerit quis excommunicatus à Suffraganeo, nō statim Archiepiscopus pronunciare debet excommunicationem fuisse irritam, sed ad cautelam relaxare potest, incipiat causam audire. Quartò dicitur, si certò constiterit excommunicationis sententiam esse iustam, tunc Archiepiscopus, vel eius Officialis excommunicatum, nisi periculum sit in mora ad excommunicantem remittere debet, nec potest eum absoluere, nisi excommunicator admonitus, absolutionis beneficium illi impendere recuset malitiosè; si verò constet excommunicationis sententiam esse iniustam, tunc excommunicatus non est remittendus ad excommunicantem, sed sine vlla difficultate potest absolui; si verò dubitetur vtrum iusta sit, an iniusta excommunicatio; tūc Archiepiscopus, vel eius Officialis potest relaxare, quamuis honestius aget, si remiserit ad

excom-

excommunicantem, valet tamen relaxatio, vel absolutio, quando Archiepiscopus est Iudex, etiamsi non remiserit. Ita in *cap. Venerabilibus de sententia excommunicationis in 6.*

Qualis, & quanta sit iurisdictio, ac auctoritas Archiepiscopi in suam Prouinciam?

BRACTEA VIII.

SCIENDVM duplicem iurisdictionem considerari posse in Archiepiscopo. Vna est respectu suæ propriæ Diœcesis, altera respectu totius Prouinciæ, hoc est respectu suorum Suffraganeorum, & eorum subditorum, nos loquimur hic de iurisdictione secundo modo accepta. Quibus positis.

R. Iurisdictionem, seu auctoritatem, quam habet Archiepiscopus in Episcopos Suffraganeos, eorumque subditos multiplicem esse, & de aliquibus breuiter dictum fuit supra; prima auctoritas est, quod antiquitus, quando Episcopi creabantur per electionem factam à Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, Archiepiscopus electum confirmabat, vt habetur *in cap. 1. dist. 64. cap. Innotuit, & cap. Cum dilectus de electione,* etsi electio non fiebat intra tres menses, electio deuoluebatur ad Archiepiscopum. *Cap. Ne pro defectu de elect. & cap. Quamquam eodem tit.*

Secunda auctoritas est, quod confirmato electo in Episcopum, Archiepiscopus in eius consecratione interuenire debebat, vel eam committere, nec alij Episcopi sine mandato ipsius consecrare debebat, vt ita *cap. Suffraganeis de elect. & cap. si Archiepiscopus de temp. ordin.* hodie verò Archiepiscopi hac auctoritate non vtuntur.

Tertia auctoritas est, quod ad consecrationem Metropolitani debent omnes Episcopi Suffraganei conuenire. *cap. Qui in aliquo, cap. si Archiepiscopus.*

Quarta auctoritas est, quod Episcopus, qui in Metropolitana Ciuitate non fuit ordinatus intra duos, vel tres menses tenetur accedere ad Metropolitanum, vel impeditus ei scribere, vt ab eo monitis Ecclesiasticis instructus, pleniùs quæ obseruare debeat, recognoscat *cap. Cum longè 63. dist. Cap. Si quis 65. dist.*

Quinta auctoritas est, quod Archiepiscopus potest iniungere suis Suffraganeis, vt seruare faciant, quod seruatur in Metropolitana. *cap. Dilectus 2. de simon.* Item potest eos vocare ad Cõcilium Prouinciale. Rursus Archiepiscopus potest applicare fructus Episcopatus Episcoporum Suffraganeorum fabricæ Ecclesiæ, & absque legitima causa non residentium.

Sexta auctoritas est, quod Archiepiscopus potest compellere Episcopos Suffraganeos ad faciendum id, quod debent, vt docet Panormitanus *in cap. Si quis contra Clericum num. 4. de foro competenti,* & alij. Vnde poterit eos compellere ad faciendam Synodum quot annis, *cap. Sicut,* vt constituat Æconomum; *cap. In noua 16. quæst. 7. & cap. Cum simus 9. quæst. 3.* & Archipræsbyterum ruralem, Ad erigendum Seminarium.

Septima auctoritas est, quod Archiepiscopus in casibus, in quibus Episcopi Suffraganei tenentur ei obedire, potest illos suspendere, interdicere, & excommunicare. *Cap. 1. §. fin. de offic. ordin. in 6. & cap. Venerabilis,* & etiam potest excommunicare Vicarium Episcopi Suffraganei subsistente causa rationabili. *Cap. 1. vbi Gloss. verbo rationabili de offic. Vicar. lib. 6.* Archidiaconus *in cap. 1. in verbo iurisdictione de offic. ordin.*

Octaua auctoritas est, quod per negligẽtiam Episcopi Suffraganei circa id, quod facere debet, deuoluitur iurisdictio ad Archiepiscopũ, *Cap. Cum simus 9. quæst. 3.* & Archiepiscopus potest facere, quæ Episcopus tenetur facere, & negligentia non facit.

Nona auctoritas, quod Archiepiscopus est Iudex ordinarius omnium Episcoporum suæ Prouinciæ. *Cap. Pastoralis de officio ordin.* quod intelligendum est de ciuilibus tantum causis. Abbas *in cap. Pastoralis,* & alij.

Decima auctoritas, quod licet regulariter Archiepiscopus non sit Iudex ordinarius subditorum Episcopi, nisi in causa appellationis, nihilominus potest exercere iurisdictionem in subditos Episcopi Suffraganei in tollendo prauam consuetudinem, & punire poterit deuiantes à consuetudine Metropolitanæ, & quando crimina subditorum Suffraganei sunt notoria in tota Prouincia, & in aliquibus alijs casibus.

Vndecima auctoritas est, quod Archiepiscopus, vel eius Vicarius potest mittere quæstores eleemosynarum per totam Prouinciam pro fabrica Ecclesiæ Metropolitanæ.

Duodecima auctoritas est, quod Archiepiscopus in tota sua Prouincia potest ante se deferre Crucem, etiam in locis exemptis intra Prouinciam, vt habetur in *Clement. Archiepiscopo de priuilegijs.*

Decimatertia auctoritas est, quod Archiepiscopus intra quamlibet Ecclesiam Prouinciæ suæ potest vti Pallio. *Cap. 1. de auct. & vsu Pallij,* vt supra dictum est.

Decimaquarta auctoritas est, quod Archiepiscopus potest benedicere populo per totam Prouinciam, etiam in loco exempto, vt habetur in Clementina *Archiepiscopo,* & ibi Diuina in pontificalibus celebrare. Item potest collocare sedem pro celebratione in pontificalibus.

Decimaquarta auctoritas est, quod Archiepiscopus potest concedere Indulgentias per totam Prouinciam. *Cap. Nostro de pœnitent. & remiss.* etiam non sit in actu visitationis.

Decimasexta auctoritas est, quod Archiepiscopus potest visitare Prouinciam, & procurationem à subditis Suffraganeorum exigere. *Cap. Cum Apostolus, & cap. Super eo de censibus,* quod tamen intelligendum est iuxta limitationem factam à Concilio Trident. *sess. 4. cap. 3. de reformat.*

Decimaseptima auctoritas est, quod Archiepiscopus potest confirmare electum confirmatum ab Episcopo Suffraganeo, si Ecclesia suffraganea vacat, si tamen est consuetudo. *Cap. Sicut tuis.* Item si Ecclesia suffraganea non habet Capitulum actu, aut quando Canonicus est in sacris, potest Archiepiscopus exercere iurisdictionem in ea, & vacante Sede Metropolitanâ Capitulum ipsius Metropolitanæ. Ita Pauin. *de potest. Capit. Sede vacante par. 1. quæst. 10.* & alij.

Decimaoctaua est, quod Archiepiscopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus potest compellere Abbates, & alios præfatos regulares constringere, vt prædicatio fiat in Ecclesijs Parochialibus subiectis Monasterijs in nulla

Diœcesi

Diœcesi existentibus, in cuius Prouincia Diœcesi. ipsę sitæ sunt iuxta Decretum Concil. Trident. *sess.5.cap.2.de reform.*

Decimanona auctoritas est, quod Archiepiscopus potest deputare Vicarium in Ecclesia suffraganea, si infra octo dies post mortem Episcopi Capitulum non prouiderit Concil. Trid. *sess.24.cap.16.de reform.*

Vigesima auctoritas est, quod Archiepiscopus cognoscit in causa appellationis inter subditos Suffraganeorum, ita vt sententia lata ab Episcopo appelletur ad Archiepiscopum. *Cap. Pastoralis de officio ordin.cap. Cum causam Cap.Solicitudinem,cap.Dilectus de appellat.cap.1.de foro competenti lib.6.* & *cap.Romana de appellat.*

MALLEATIO XXXIX.

De Episcopis.

Quis dicatur Episcopus?

R. Nomen Episcopi antiquissimum esse, nam Dauid iam illud agnouerat quandoquidem Psalmo 108. dicit, *Fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter*, quod nomen est Græcum, quo vsi sunt etiam Æthnici pro certo Magistratu, cuius cura erat panis, & cęterarum rerum ad cibum, & victum pertinentium curam habere, nunc vero vocabulum istud factū est quodammodo proprium Christianæ Religionis veteri penè sensu obseruato trāslatum, vel à præsidentia, & præfectura, quam in veteri lege significabat, vel à prophano illo ciuili Magistratu ad sacros Ecclesię Præsules, & Antistites, & quod illorum præcipuum munus sit gregis sibi commissi, mores, & vitam explorare, & inspicere, quia Episcopi super eos, quorum animæ sunt eis demandatæ, & super Diuinum cultum, ac Religionem intendunt, rectè superintendentes nominantur, & speculatores latinè dici possunt, quia Episcopus quasi speculator in Ecclesia præpositus est, cum mores, & populorum vitam, qui sibi subijciuntur, speculetur, & prospiciat. *Cap. Cleros dist.21.cap.Qui Episcopatum 8. quæst.1.* Concil. Trident. *sess.6.de reformat.cap.1.* vnde D. Thomas *super caput 21.* Ioannis *lectione 3.* exponens illud Matthæi *cap.16. Tu es Petrus*, Petrus inquit, interprætatur agnoscens; meritò ergo cum illum Ecclesiæ Pastorem annunciat Petrum, hoc est, agnoscentem oues vocat; nam cum Summus Pontifex, cui à Domino totius sui gregis cura commissa fuit, sollicitudinem huiusmodi oneris solus sustinere perdifficilem posset, in partem sollicitudinis fuerunt electi, & ordinati Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, vt iuxta Domini præceptum Dei populus ministerio verbi Diuini, ac sacrorum Sacramentorum dispensatione sanctis legibus imbutus cęlestem gloriam consequeretur; & ideò in Ecclesia Episcopi nomē antiquissimum esse cōprobant S. Augustinus de Ciuitate Dei *lib.18. cap.19.* Vasquez *de ordin.disp.236.cap.1.n.112.* antiquitus variis nominibus Episcopus appellabatur, nimirum Summus Sacerdos Sanctissimus Papa Pontifex, Antistes, Præsul, Pastor, Legatus, Angelus, Columna Ecclesiæ, Preco Dei, Thronus Dei, Diœcesanus ordinarius, Sal terræ, Lucerna super candelabrum, Ciuitas supra montem, animarum Medicus, Vicarius Christi particularis, Pater pauperum, Procurator illorum generalis, Iudex corporum, & animarum Minister Dei, Pater spiritualis, Reuerendissimus, Religiosissimus, tot sunt Episcoporum nomina. Vt cognoscant se totidem officia obtinere.

An Episcopatus sit ordo à cæteris septem Ordinibus Ecclesiasticis distinctus?

BRACTEA II.

R. Duas esse sententias; prima est asserentium Episcopatum esse Ordinem à cęteris septem Ordinibus distinctum; & ita Almainus *in 4.dist.quest.1.* Palatius *ibidem dispu.2.* Medina *de continentia sacrorum hominum cap.16.* Sotus *de institut.Sacerdotis tract.de ordin.lect.2.&* 4. Nauarrus *in manuali cap.22.num.18.* vbi dicit esse opinionem omnium Pontificij iuris interpretum.

Secunda sententia est negantium, & hanc tuentur S. Thomas, Bonauentura, Ricardus, Scotus, Durandus, Paludanus *in 4.dist.24.* Summistæ, Angelus, Rosella, Siluester, Tabiensis, Armilla, & alij. Ad quod respondeo Ordo, aut nomen est officij, gradus, dignitatis, administrationis, & potestatis in cōferendo Sacramēto, aut est nomen potestatis in Eucharistia cōsecranda, & offerenda: si primo modo sumatur Episcopus alium Ordinem habet, quam Sacerdos, cum in superiori, & eminentiori gradus sit dignitate, officio, & potestate constitutus, aliqua enim Sacramenta potest Episcopus administrare, & conferre, quæ Præsbyter non potest: at si posteriore modo accipiatur, veriùs est, quod veteres Theologi, ac plerique iuniores senserunt. Sotus *in 4.dist.24.quest.2.&* 3. Ledesma *in 4.2.par.quest.36.* Episcopum non habere Ordinem distinctum, etenim cum consecratur Episcopus, datur ei altior, & superior dignitas, facultas, & potestas Ordinis, quę duo Sacramēta, scilicet Confirmationis, & Ordinis tāquam legitimus, & ordinarius Minister confert, sed non datur ei superior potestas in Eucharistia præparanda, administranda, consecranda, & offerenda pro viuis, & mortuis, Theologi Ordinem vocant, vt est nomen potestatis in Eucharistia Iuris Canonici Doctores Ordinem latiùs accipiunt, vt est nomen potestatis in Sacramentis conferendis.

An in Episcopo per consecrationem imprimatur Character à Charactere Præsbyteratus distinctus?

BRACTEA III.

S. Ciendum in Episcopis aliam esse potestatem Ordinis, & aliam iurisdictionis, potestas Ordinis ea est, vt sciat, & possit omnia Sacramenta conferre, Crisma consecrare, prędicationis munus exercere, alios ordinare, &c. iurisdictionis potestas ad misticum fidelium corpus spectat, quibus toto orbe terrarum diffusis oportuit pro locorum amplitudine, Regnorumque frequentia illis assignare Antistites, & Præfectos, quorum alij maiorem, alij minorem iuris-

iurisdictionis potestatem ad leges condendas haberent, prout necessitas, aut vtilitas postulare videbatur; nã hæc iurisdictio in generali fuit instituta à Christo Domino ad effectum, vt Petrus, & Successores Ecclesiam eius per Episcopos gubernarent, licet hæc iurisdictio non sit necessariò coniuncta, vt naturalis proprietas cum consecratione Episcopali, vt videre est in Episcopo titulari, qui in illius Diœcesi est ordinarius Pastor, & in Episcopis, qui cum licentia Papę renunciarunt dignitati, aut ob crimen priuati sunt Episcopatu, quia benè potest Romanus Pontifex Episcopalis iurisdictionis plenitudinem ex ordinatione Diuina apud se radicatam habens, & à se tamquam capite in aliquem pro aliquo loco deriuatam coarctare, vel illi nullam demandare. Quo posito.

R. Quod licet aliqui dixerunt, Characterem Episcopatus esse distinctum à Charactere Sacerdotali, tamen Characterem Episcopatus nõ esse distinctum à Charactere Sacerdotij, nec in Episcopo imprimi nouum Characterem iuxta D. Thomã *in 3. dist. 24.* Ratio est, quia vt simplex Præsbyter duas habet potestates: Sanctissimum videlicet Christi Domini nostri Corpus consecrandi; & illud pro viuis, & mortuis offerendi, & auditis pęnitentium confessionis eos à peccatis absoluendi. Ita, & Episcopus.

An quosnam electio Episcoporum secundum Canones spectet?

BRACTEA IV.

R. Ad Clerum, seu Collegium Clericorum, iure antiquo spectabat electio Episcoporum, quæ lex, & consuetudo diù in Ecclesia durauit, quæ posteà lex Romanorum Pontificum auctoritate est abrogata, & ius nominãdi, designandi, offerendi, & præsentandi Episcopos dandum est Regibus, Imperatoribus, atque Principibus eorundem Romanorũ Pontificùm nutu, & assensu, quod quidem ius eligendi, &c. Episcopos extat apud plures Principes Christianos, qui habẽt ius præsẽtandi, & nominandi ad Archiepiscopatus, & Episcopatus illius Regni, Electus in Episcopum priusquam consecretur, non est propriè Episcopus, vt regulariter veniat sub nomine ipsius, sed tãtum potest dici electus in Episcopum.

An Episcopus possit sibi eligere successorem?

BRACTEA V.

R. Primo esse iure canonico decretum ne Episcopus successorem instituat, vt constat *ex cap. Episcopo 1. & 2. & cap. plerique, cap. Mores cap. Apostolica 8. quæst. 1.* Ratio est, quia noluit Ecclesia, vt dignitates Ecclesiasticæ in morem ciuilium, & successione transmitterentur, quoniam partim sunt à Christo Domino institutæ, & partim ab Ecclesia, ac proinde non nisi Ecclesiæ auctoritate conferuntur. An verò iure Diuino sit prohibitum ne Episcopus eligat sibi successorem? Respondeo nihil de hac re esse constitutum, immò historiæ prodiderunt, Petrum Apostolum sibi Clementem Romanum in successorem delegisse. *Cap. si Petrus 8. quæst. 1.* & Valerius Episcopus Hiponensis Augustinum successorem suum nominauit *epist. 110.* apud eundem Augustinum. An verò cum iure naturali pugnet, vt Episcopus eligat sibi successorem. Respondeo ex quadam parte pugnare, alioqui enim multa inde incommoda, & mala pullularent, vt ipsa per se docet experientia, licet auctoritate Romani Pontificis, Episcopus possit sibi eligere successorem, quia id tunc tẽporis propria auctoritate non facit, vt constat *ex cap. petisti quæst. 1.* & id concessit Zaccarias Bonifacio Episcopo Mogontino.

Quæ conditiones requirantur in eo, qui eligitur ad Episcopatum?

BRACTEA VI.

R. Primo, requiritur integritas vitæ, quæ charitate, fide, & spe continetur: Secundò requiritur scientia, & rerum peritia, quia Præconis officium suscipit, qui ad Prælaturam accedit. *Cap. sic rector dist 43 cap. inter cętera*, Toletus *lib 5. cap. 4.* Tertia Episcopi virtus, est fortitudo, atq; animi magnitudo, & constantia, quę quàm sit ei necessaria ex eo patet, quod oportet, cum potentibus resistere, & improbos etiam viribus pollentes castigare.

Sciendũ, ꝙ duplex est fortitudo, quæ in Episcopis requiritur; Prima, vt nec precibus, nec timore animũ à recta sui muneris exequutione deflectat, quãuis vitæ discrimen immineat: Altera in despicientia rerum humanarum versatur, itaut nihil aliud, quam Deum ipsum respiciat, ac etiam in tollerantia tribulationum, & aduersitatum, à quibus Dei serui impetuntur, itaut ad instar adamantini sigilli semper constans, & immobilis permaneat. Quarta virtus, qua Episcopus insignitus esse debet est Prudentia, de cuius necessitate non est opus dicere, cum illam ad Episcopi officium maximè requiri constet, & ideo D. Grisostomus *lib. 2. de Sacerdotibus, multa*, inquit, *opus est Pastori prudentia*, vnde D. Augustinus *epist. 148.* in Ecclesiæ regimine prudens esse debet, vt discretè zelum D. honoris compassione humanę infirmitatis temperet omnibus omnia factus, vt omnes lucri faciat.

Sciendum 2. quod sicut docet D. Paulus in Epistola priori ad Thimoteum, *cap. 3.* oportet Episcopum irrepræhensibilem esse vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non violentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum. Primum, quod ex officio incumbit Episcopo est studiosum esse Christianę perfectionis, ac contemptus rerum mundanarum, & pomparum, mortificationisque omnium humanorum affectuum; Secundum est suam Ecclesiam amare non secus, ac sponsus solet suam vnicam sponsam, non transferendo in aliam suum affectum; Tertium est regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, ratione cuius prudens esse debet, vt discretè, & prudenter zelum Diuini honoris temperet cõpassione humanę infirmitatis omnibus omnia factus, vt omnes saluos faciat; Quartum est, studere ædificationi populi, iuxta illud ad Corinthios, *cap. 2. Christi bonus odor sumus Deo, & ijs, qui*

salui fiunt, & ijs qui pereunt; quintum, est hospitalē esse, seu in domo suo excipere hospitio, non tantum familiares, sed etiam peregrinos, & aduenas, atque pauperes; sextum est administrare verbum Dei; vnde Doctor esse debet, vt docet Apostolus ad *Titum* 1. septimum, est imbecilles fouere tanquam si nutrix foueat filios suos; octauum, est cōmissum sibi populum tanquam Christi gregem pauere illius, tum spiritualibus, tum etiam temporalibus necessitatibus paterna cura subueniendo.

An Episcopus cum Ecclesia sua contrahat vinculum matrimonij spiritualis per electionem, confirmationem, & consecrationem?

BRACTEA VII.


R. Qvod sicut matrimoniū carnale aliud est inchoatum, vnde licet sponsalia de futuro, aliud ratum, vt est matrimonium de præsenti, aliud consumatum, videlicet matrimonium, cui legitimè contracto copula accessit, ita etiam matrimonium spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam aliud censeri potest inchoatum per electionē ab electo acceptatam, aliud verò ratum per confirmationem, aliud deniq; consumatum, seu perfectum per consecrationem, quamobrem Episcopus confirmatus verus Ecclesiæ suæ Pastor est, & ea omnia exercere potest, quæ solius iurisdictionis sunt, videlicet iudicare, punire, censuras ferre, &c. at verò plenitudinem Episcopalis officij per consecrationem assequitur, vt etiam, ea exercere possit, quę iure Diuino, aut Ecclesiastico Ordini Episcopali annexa sunt, videlicet Clericos ordinare, baptizatos confirmare, &c.

An Episcopus à sua Ecclesia ad aliam transferre possit?

BRACTEA VIII.

R. Episcopvm confirmatum, licet nondum consecratum, ad aliam Ecclesiam transferri non posse, nisi de mandato Summi Pontificis, per quem talis translatio fieri potest, atq; hæc causa est, cur inter inferiores Prelatos, & Ecclesias suas matrimonium spirituale, non ita contrahi censeatur, sicut inter Episcopum, & Ecclesiam, quia sacri canones non prohibent illos ab Ecclesijs suis, cum immediati superioris licentia transferri.

Sciendum esse legem, ac traditionem Ecclesiasticam, cuius initium cum ignoremus Apostolicam fateri cogimur, excepta tamen plenitudine potestatis Papalis, cum ad bonum Ecclesiæ vniuersalis, quandoque necessarium sit tales sedium mutationes instituere.



An Episcopus postquam confirmatus est Episcopatui possint renunciare?

BRACTEA IX.

R. Propria auctoritate, & absque Apostolicę Sedis scientia renunciare, aut Ecclesiam suam, cui spirituali indissolubili vinculo astrictus est, deserere non potest; quam licentiam, non nisi è certis causis Summus Potifex solet concedere, quæ sex numerantur, videlicet crimen, corporis debilitas, scientię defectus, plebis malitia, graue populi scandalum, personę irregularitas. An sit sufficiens causa Episcopatum resignandi, vt quis saluti proprię melius vacare possit Religione suscepta, respōdeo negatiuè; nam Episcopo, qui se Episcopatus susceptione obligauit ad suam, & subditorū salutem procurandam, melius est, vt in eo statu perseueret, quamdiù Ecclesiæ vtilis esse potest; sin autem vtilis esse desinat, tum melius ipsi est, vt relicta, & alteri tradita subditorum cura totum se proprię saluti promouendę impendat, vnde aliqui inferunt, irritam esse Religionis professionem factam ab Episcopo nulla alia causa cogente, nisi vt priuatæ quieti vacet in Religione. Valentia *tom.3.disp.10. qu.3. pun.4.* licet id verum non existimetur, quia licet malefaciat Pontifex in tali casu sessionem concedendo, ea tamen valida iudicari debet, Suarez *tom.3.de Religione lib.1. cap.20. nu.7.* Hostiensis *titulo de voto* §. *Quis vouere possit*, Ricardus *in 4.dist.95.ar.4. quæst.2.* Tabiena *verbo votum 5 quæst.1. num.2.* & alij, sin autem Episcopus Episcopatu absque licentia Papę deserto Religionem profiteatur, irritam censemus esse professionem, quia Deus eam non acceptat, si Ecclesia repugnet; atqui Ecclesia repugnat, vt Episcopus deserat gregem suum cui se obligauit, nisi à Sede Apostolica libertatem impetrauerit, ergo, &c. An valeat votum ab Episcopo editum de Religione ingredienda, & profitenda, aliqui absolutè negant; *alij* vero putant, votum non esse omninò *irritum*, quia obligat Episcopum ad petendam licentiam à Summo Pontifice, qua denegata liberatus est. Ita auctores citati; sed.

R. Si Episcopus, q Ecclesiæ suę adhuc vtilis est Religionis ingressum, vel professionem voueat, vt proprię saluti melius vacare possit, omninò irritum esse votum; primò, quia votum esse debet de meliori bono, seu quod Deo gratius est: sed Religionis susceptio est opus minus bonū, quam sit officium Episcopale in eo, qui suscepto Episcopatu Ecclesiæ se obligauit quamdiù obligationi satisfacere, seu Ecclesiæ vtilis esse potest; secundò, quia frustra licentiam sedendi in hoc casu peteret Episcopus, quam Pontifex non concederet, imò secundum canones concedere non posset.

Sciendum si ob morbum, vel infirmitatem, quam Episcopus contraxit parua ex ipso vtilitas in Ecclesiam redundet, voluntaria eius sessio admitti potest, vt quandoque propter Ecclesiæ vtilitatem admitti debet assignata illi ad vitam suam congrua portione ex reditibus Episcopalibus. *Capite Quamuis 14. causa 7. quæst.1.* Sotus *lib.10.de iustit.quæst.2. art.4.* Valentia *tom.3 disp.quæst.3.pun.4.* Secundò, tametsi morbus grauis, & incurabilis sit, non potest cogi Episcopus ad

ad renunciandum. *Cap. ex part. 5. de Clerico ægrotante, &c.* sed Vicarius, seu coadiutor ei adiungendus, qui ex Episcopalibus prouentibus portionem aliquam habeat.

Quid intelligatur nomine criminis, quod Innocentius Tertius ait, iustam esse causam concedendi cessionem Episcopo?

BRACTEA X.

R. Talia crimina esse ea, quæ titulum Episcopatus inualidum reddiderunt, vt v. g. si simoniacè electus, aut institutus fuit Episcopus, & tunc etiam distinguendum est: vel crimen, seu defectus tituli notorius est, tunc cedere potest etiam non requisita licentia Papæ, vel occultus defectus, tunc ad vitandum scandalum renunciare debet in manibus Papæ, vel tituli reualidationem ab eodem impetrare, cæterum si aliquis in excommunicatione, suspensione, vel irregularitate occulta institutus sit, sublato impedimento per eum, qui potestate absoluendi, aut dispensandi præditus est, eo ipso titulum validari non improbabiliter aliqui sentiunt apud Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 7. num. 12.* An vero Episcopus ob malitiam, seu inobedientiam plebis, aut Populi scandalum, Episcopatui cedere debeat? Respondeo non ob quamlibet culpam, aut inobedientiam plebis, Pastor etiam deserere debet. *Cap. nisi quidam §. propter malitiam de renunciat.* sed si ita pertinaciter se opponat, & à Pastore abhorreat, vel ad maius malum vitandum, tali casu ipsis quandoque ad tempus cedendum est, & cum superioris licentia Pastor amouendus.

An Episcopus, qui Episcopatui renunciauit, possit iterum eligi ad aliam Ecclesiam Cathedralem?

BRACTEA XI.

R. Posse, eligi ad aliam similem Cathedralem Ecclesiam, dummodo aliud Canonicum impedimentum non habeat, immò tametsi Episcopus resignato Episcopatu Religiosus factus fuerit iterum ad Episcopatum, seu eundem, quem deseruit, seu alium promoueri potest. *Cap. Quod translationem 11. de renunciat.* Secundò, qui Episcopatui, aut Archiepiscopatui renunciauit, is potest deinde aliud minoris dignitatis beneficium consequi, multò verò magis si Religiosus factus fuit in Abbatem, assumi potest.

Sciendum dubium esse, si Episcopus Episcopatui in manibus Papę renunciauit, an censeatur tantum loco, & regimini renunciasse, an etiam Ordini, ac dignitati. Ad quod respondeo prę sumendum esse, quod regimini tantum, non etiam dignitati renunciauit, quandoquidem Summus Pontifex, ita plerumque renunciationem acceptat, vt tamen Ordinis Episcopalis executionem relinquat, cum Catholici alicuius Episcopi licentia erga subditos eius exercendam; excipitur tamen, nisi quis ob crimen renunciauerit, quia tunc præsūptio est Ordinis executionem, seu dignitatem Episcopalem ipsi ablatam esse. Porrò si quis spontè renunciauit, non tantum regimini, sed etiam ordini Episcopali, nihilominus primam tõsuram, & ordines minores conferre potest, eandemq; ratione, etiam corporalia, & vasa sacra conseruare, quandoquidem tales actus Episcopales interdum à non Episcopis, v. g. Abbatibus si Sacerdotes sint, exerceri solent.

An fieri possit, vt Episcopus sine vllo certæ Ecclesiæ titulo instituatur?

BRACTEA XII.

R. Id nunquam factum esse, siquidem ij etiam Episcopi vulgò titulares dicti constitui non solent sine certis Ecclesiarum titulis, earum, nimirum quibus olim Episcopi pręfuerunt tum etiam, quia constat ex *capite inter corporalia de traslatione,* inter Ecclesiam, & Episcopum coniugium spirituale contrahitur; tum etiam, quia in Episcopo est iurisdictionis potestas, & ordinis, ac iurisdictio esse non potest, nisi in aliquos nostræ potestati subiectos, sed Hostiensis, & Abbas *in cap. inter corporalia* sentiunt id fieri posse, quamuis factum nunquam sit ea ratione permoti, sicuti Episcopus simpliciter Ecclesiam, cuius est Pastor Romani Pontificis auctoritate dimittens verè, & propriè Episcopus est, & tamen sine certa Ecclesia manet, sic etiam potest initio Episcopus sine certę Ecclesiæ titulo creari; tum etiam, quia in Episcopo sunt duæ potestates, Ordinis, & Iurisdictionis, nec aliquid impedit, quòminus vna seiungatur ab altera, nam Episcopus, qui est electus, & confirmatus, habet potestatem Iurisdictionis, non Ordinis, igitur nihil impedit, quòminus ordinetur, & consecretur Episcopus accepta tantum Ordinis potestate, non iurisdictionis, sicut is, qui Ecclesiæ suæ iuri cedit, manet cum sola potestas Ordinis sine iurisdictione. *Cap. inter corporal. de translat.*

An Episcopus confirmatus ante consecrationem, possit concedere Indulgentias?

BRACTEA XIII.

R. Cum D. Thoma *in 4. dist. 20. quæst. 3. art. 3.* quem etiam Panormitanus *in cap. Suffraganeis num. 3. de elect.* & Calderinus *in cap. accedentibus de excessibus Prælatorum,* sequitur posse, quoniā hæc potestas non est Ordinis, & Iurisdictionis, nam per huiusmodi Indulgentias non confertur Sacramentum, sed ex Ecclesiæ thesauro, qui Christi Domini, & Sanctorum meritis constat bona impertiuntur nobis, quibus pœnæ peccatorum remittuntur.

Sciendum dubium esse, an Episcopus confirmatus possit iure communi plenè obire, & exequi ea, quæ sunt iurisdictionis, antequam sit possessionem adeptus. Innocentius, Hostiensis, & Ioannes Andreas, quos Panormitanus *in cap. Transmissam de elect. num. 3.* refert, affirmant eo quod *in cap. nostri, & cap. qualiter, cap. nihil est, & cap. Transmissam de elect.* iura post electionem, & confirmationem nihil aliud in Episcopo requirit ad plenam administrandi potestatem; ergo non

non est necesse, vt Episcopus sit possessionem adeptus, nisi alicubi fuerit consuetudine receptum, ne Episcopus administret, donec fuerit possessionem assequutus. Secundam sententiam sequuntur Archidiaconus, Dinus, & Petrus Anacharanus, quos etiam refert Abbas, & alij, qui negant posse Episcopum exequi, quæ sunt iurisdictionis, nisi possessionem sit consecutum: Sed prior sententia videtur probabilior, nam iure communi, antiquo non requirebatur possessio, satis enim erat electio, & confirmatio, vt illi tradiderunt, nisi vbi aliud vsu receptum erat: at verò iure nouo, quod habetur *in extrauaganti iniunctæ de elect. inter extrauagantes cõmunes* opus est, vt Episcopus si vellit ea, quę sũt iurisdictionis exercere obtineat litteras Apostolicas, sine quibus nec admitti, & recipi tanquam Episcopus, nec possessionem Ecclesiæ sibi collatæ consequi potest.

Intrà quod tempus Episcopus electus, & confirmatus, consecrari debeat?

BRACTEA XIV.

R. Debere intrà tres menses à die electionis; & ita colligitur ex Concilio Calcedonensi *cap. Quoniam quidam dist. 75.* & ex Pelagio Papa *cap. quoniam quidam dist. 110* nisi legitimum subsit impedimentum; alioqui si ij, ad quos, ea res pertinet negligentes fuerint pęnis Ecclesiasticis puniuntur; & si intra tres alios menses id non compleuerit Ecclesia, & Episcopatu ipso iure priuatur, vt olim fuerat constitutum in Concilio Calcedonensi, vt habetur *in cap. quoniam 75. dist.* & statuit Concilium Tridentinum *sess. 7. de reformat. cap. 9.* & docet Nauarrus in manuali *cap. 25. num. 118.* Bertachinus *de Episcopis tract. 2. lib. 3 quæst. 1.* Graffius *in aureis decis. part. 1. lib. 2. cap. 97.* Reginaldus *lib. 32. tract. 2. num. 58.* Campanilius *in diuers. iuris canonici rub. 6. cap. 6 num. 9.* Molphesius *in sum. Theologia moralis tract. 6. cap. 7. nu 47.* Filliucius *tract. 41. de beneficijs cap. 5. num. 23.* Hugolinus *de officio Episcopi cap. 2. num. 2.* Barbosa *de officio, & potest. Episcopi part. 2. leg. 1. num. 39.*

Sciendum consecrationem fieri debere de iure à Metropolitano electi, cuius electus ipse futurus est Suffraganeus, *cap. Episcopi dist. 24.* & præsentibus alijs eiusdem Prouinciæ Suffraganeis, *cap. ordinat. 2. dist. 64.* qui ad hoc per Metropolitanum vocati tenentur accedere. Quaranta *in sum. bullary verbo Archiepiscopi auctoritas nu. 4.* sed si Metropolitanus fuerit impeditus id alteri Episcopo committere potest, *cap. quod sedem de officio Ordinary*, licet consecratus, sic absente Metropolitano, debeat eum intrà duos menses visitare, nam si inconsulto Metropolitano consecratio Episcoporum Suffraganeorum fiat, ipsi non reciperent exequutionem. *Cap. Placet dist. 65.* & ideò Episcopus non est ordinandus sine concilio, & præsentia Metropolitani, & Comprouincialium etiam Episcoporum, qui si adesse non possent consensum suum saltem litteris exprimere debent; & ita Azorius *part. 2. lib. 3 cap. 30. quæst. 3.* Paulus Comitolus *resp. moral. lib. 1. quæst. 48. num. 13.* Barbosa *de officio, & potest. Episcopi part. 1. tit. 1 cap. 5. num. 5.*

Sciendum 2. consecrationi Episcoporum iure, & canones constituisse peculiare tempus, scilicet diem Dominicum, *cap. qui in aliquo dist. 51. cap. ordinationes cap. quod die Dominico dist. 75.* Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 9. cap. 8. num. 3.* licet etiam die festiuo fieri possit si Summus Pontifex dispensauerit, semper tamen fit præuio ieiunio, decet enim consecratorem, & electum pridie ieiunare, fieri autem debet cuiuslibet Episcopi consecratio in missa, in qua inter epistolam, & Euangelium consecratur Episcopus. *Cap. Quod sicut §. et de elect.* quæ tamen missa, in qua consecratur Episcopus non est de essentia consecrationis Episcopalis, sed solum ad solemnitatem, & reuerentiam fecit instituta. Et ita Henriquez *in sum. lib. 10. cap. 34. part. 3.* & alij. An ad rationem cõsecrationis Episcopi pertineat, vt fiat à tribus Episcopis controuersia est. Paludanus *lib. de potest. Papa*, sentit ternarium Episcoporum numerum ad substantiam consecrationis non pertinere; & Gloss. *in cap. nec Episcopi*, de temporibus ordinationis sentit, nihil addi si Episcopus à paucioribus Episcopis, q̃ à tribus consecretur, quod probat, quia hæc est formula inquit, ab Apostolis tradita, *cap. porrò dist. 76.* sine forma res non subsistit; sed

R. Auctoritate Summi Pontificis, siue Generalis concilij, siue Ecclesiæ concedi potest, vt vnus Episcopus iustis de causis Episcopum consecret, eo quod non Christus Dominus, sed Apostoli constituerunt, vt Episcopus à tribus Episcopis consecretur: At Apostolorum decretum, quando iuris Diuini non est, potest Ecclesia mutare, cum iusta subest causa; si verò vnus Episcopus sua priuata auctoritate alterũ Episcopum consecraret, aliqui dicunt, ipsum Ordinis potestatem nõ accepturum, quia consecratus non esset. At Paludanus dicit illum esse consecratum Episcopum, & Ordinis potestatem recepisse, quia putauit ad substantiam consecrationis non pertinere, vt sit à tribus Episcopis, vel à duobus, sed ab Episcopo, quia hęc facit Episcopus potestate Ordinis, qui ab eo nunquam deletur, nec deleri potest, cum sit per consecrationem accepta.

An is, qui in die Sabbati Sacerdotium accepit mane in Episcopum sequenti Dominica consecrari possit?

BRACTEA XV.

R. Posse; Et ita Gloss. 1. *in cap. Quod à Patribus dist. 75.* Innocentius *in cap. litteras*, Siluester *in sum. verbo Ordo*, Angelus *eodem verbo 6. nu. 2.* Henriquez *in sum. lib. 10. cap. 12. §. 2.* Layman *in Thelog. moral. lib 5. tract. 9. cap. 8. num. 6.* Ratio est, quia hoc nullibi prohibitum reperitur, etenim Episcopatus quouis de Dominio conferri potest, consequenter etiam eo, qui est post Sabbatum ordinationis generalis, neque canones, cum aliquod dierum interstitium requirunt inter ordines sacros eidem conferendos, de Episcopatu nõ loquuntur, sed de his ordinibus tantum, qui in ordinaria generali ordinatione conferri solent, quia vt alibi dictum est, idem est character Episcopi, & Sacerdotis, & ex vtroque fit vnus ordo, nec nouus imprimitur character, sed impressus per Sacerdotalem ordinem perfectione, quadam addita extenditur. Quæ autem sint, quæ spectant ad potestatem

ordinis:

ordinis, & iurisdictionis Episcoporum locuti sumus supra Malleatione de Ministratione Sacramenti Pęnitentiæ, qui immediatè à Christo, recipit potestatem.

An Episcopus peccet mortaliter si consecretur in peccato mortali?

BRACTEA XVI.

R. Quosdam affirmare peccare mortaliter; & ratio, quia per consecrationem potestatem ordinis suscipit, quæ est facultas quædam sacramenta conferendi, & eo ipso, quod cum lethali peccato accipit consecrationem, facit contra sanctitatem Sacramento debitam, quia indignè suscipit potestatem spiritualem Sacramenta ministrandi, alij verò negant peccare mortaliter; Ratio, quia nullum Sacramentum, nullumq; Characterem suscipit, quamuis quandam potestatem ordinis consequatur. Prima opinio videtur valdè probabilis, nam quamuis per consecrationem Episcopi character non imprimatur, datur tamen Ordinis potestas, qua Episcopus fit aptus, & idoneus, & proinde dignus minister ad quædam Sacramenta ministranda. Ita Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 30. quæsito 12.*

An Episcopi sint iure Diuino instituti?

BRACTEA XVII.

R. Primam sententiam esse, Episcopalem dignitatem, & potestatem esse Iuris Diuini. Sic Barbatia *in tract. de præstantia Cardinal. qu. 1.* Gigas *de pens. quæst. 2. nu. 3.* Ioannes Selua *in tract. de beneficijs quæst. 4. num. 17.* Maior. *in 2. dist. 17. quæst. 7.* Henricus *quodlib 9. qu. 52.* Ratio est, quia Christus, & non Ecclesia instituit Episcopos, alioquin si Ecclesiarum Antistites Iuris Diuini non essent, posset Romanus Pontifex omnes Episcopos auferre, quod nequit facere Papa, vt nulli sint Episcopi in Ecclesia, aut Sacerdotes. Bannes *2. 2. quæst. 1. art. 10.* dicit, præter Romanum Pōtificem institutio aliorum Episcoporum esse de Iure Diuino, hoc est, quod sint Episcopi in Ecclesia Dei, non est de iure humano, sed Diuino; non solùm quantum ad potestatem Ordinis, sed etiam quantum ad potestatem gubernatiuam Ecclesiarum.

Sciendum, quod proinde est quærere, an iurisdictio Episcoporum sit immediatè à Christo, an verò à Romano Pontifice. Auctores supra citati, & Henricus *quodlib. 9. qu. 22.* Maior. *in 4. dist. 24. quæst. 3.* Castrus *lib. 3. de iusta hæreticorum punit. cap. 34.* Petrus Sotus *de institut. Sacerdot. lect. 1. de necessitate, & minist. confess.* Henricus ait sic, si consideremus iurisdictionis acceptionē illam à Christo in Apostolis prædecessoribus suis acceperunt Episcopi, & non alio medio, nisi Sacramēto consecrationis, & confirmationis suæ electionis, quemadmodum Papa suam in Petro accepit immediatè à Christo, & non alio medio quam Sacramento consecrationis, aut electionis, vt infra; & licet Episcopi habeant potestatem non à Papa, sed immediatè à Christo tam ea quæ est Ordinis, quàm ea quæ est iurisdictionis in ordinando Ecclesias secundum instituta Diuinæ legis, tamen iurisdictionem in ordinando Ecclesiam secundum Decreta à Papa instituta, habent à Papa, & à Deo mediante Papa; Castrus ait in hunc modum, *quoniam & si ritus consecrationis Episcopi sit ab Ecclesia institutus, potestas tamen iurisdictionis Episcopalis, non ab homine, sed à Deo est illis concessa.*

Victoria tres propositiones constituit: prima est, quilibet aliorum Apostolorum à Petro potuit relinquere Successorem in quacumque Prouincia, in qua esset verus illius Prouinciæ Episcopus: secunda est, nō solùm Apostoli hoc potuerunt, sed quilibet successorum simpliciter potuit sibi relinquere Successorem: tertia est quilibet Episcopus in sua Prouincia potuit condere legem, vt Presbyteri eligerent sibi Episcopum etiā inconsulta Sede Petri: vnde Petrus Sotus sic ait, *non est negandum, quin à Christo ipso, & Diuino Iure habeant potestatem in suos subditos omnes Episcopi, & omnes Parochi.*

Secunda sententia dicit omnem iurisdictionē Episcoporum esse immediatè à Romano Pontifice, à Deo verò per Romanum Pontificem deriuare. Sic Thurecremata *in summa lib. 2. cap. 54.* Abbas, & Felinus *in cap. Translato de constitut.* Augustinus Triumphus *de potestate Ecclesiæ quæst. 1. art. 1.* Caietanus *in opusculis tom. 1. tract. 1. de potestate Papæ,* Vasquez *in opusculo de iurisdictione Episcoporum proposit. 4.* Quæ opinio verissima est.

Sciendum tamen in hac controuersia esse quædam ambigua, quæ prius oportet distinguere, quam definire, nam si quæstio est de potestate Ordinis, hæc potestas non solùm est à Christo Domino instituta, sed etiam accepta per consecrationem, qua Episcopus consecratur; ita vt immediatè accipiatur à Christo Domino, qui eam dat per sacram ordinationem; est enim facultas ad Sacramenta quædam conferenda, quæ Præsbyter ministrare non potest; Ecclesia verò sicut nec Sacramenta instituit, sic nec materiam, nec formam, nec Ministros ordinarios eorum, ac proinde nec potestatem ea conferendi, quamuis ministerio Ecclesię Sacramentorum Ministri ordinentur, & consecrentur, in his enim consecrandis Christus est principalis Auctor, Ecclesia verò administra Christi; si verò quæstio sit de potestate iurisdictionis, Episcopis datur à Romano Pontifice Christi Vicario, & Petri Successore, & ideò tota iurisdictio, quæ est penes Ecclesiarum Antistites, & aliarum Ecclesiarum Præfectos à Romano Pontifice emanat, & pendet; hoc enim inter ipsum, & inter cęteros Episcopos est discrimen, quod iurisdictio Romani Pontificis in totam Ecclesiam est Iuris Diuini à Christo Domino instituta, & accepta; cęterorum verò Episcoporum iurisdictio est à Romano Pontifice tamquam Christi Vicario, & Summo, ac primo totius Ecclesię Pastore suscepta.

Sciendum duplicem esse in foro conscientiæ iurisdictionem, vnam ordinariam, & alteram delegatam. Ordinariam duplicem esse, vnam habitualem, & alteram actualem. Habitualem esse potestatem Ordinis ad absoluendū. Actualem verò esse, qua actu vtitur, dum absoluit. Secundò iurisdictionem duplicem esse, vna immediatè à Christo independenter ab alijs, sicut est iurisdictio Episcopalis, cum Episcopus possit in sua Diœcesi, quidquid possit Pontifex in

vniuersa Ecclesia; altera verò iurisdictio est, quæ non est immediatè à Christo, sed mediatè solummodo, vt est Parochialis, quæ ratione officij dependet ab Episcopo, & delegata, quæ etiam dependet ab ipso. Agemus primò de Episcopo.

Quodnam sit officium Episcopi?

BRACTEA XVIII.

R. In duobus præcipuè consistere Episcoporum officium; primum in cultu Diuino in augenda Christiana religione, & conseruanda; secundo in pascendis, ac regendis ouibus sibi commissis, & eas in æternæ salutis vias perducendis.

In quibus consistat officium Episcoporum circa cultum Diuinum?

BRACTEA XIX.

R. Potissimum in quatuor consistere officium Episcoporum circa cultum Diuinum. Primò ad ea, quæ sedem, & venerationem Dei concernunt. Secundò, ad Diuinorum Officiorum celebrationem. Tertiò, ad Sacramentorum administrationem. Quartò ad ea, quæ ad harum rerum Ministros, & loca Ecclesiastica pertinent.

R. 2. Officium Episcopi circa fidem, & venerationem Dei esse. Primò curare, vt omnes sibi subiecti suscipiant fidem catholicam, & curare, vt omnes rudimenta fidei sciant, & ea ritè doceantur, atque explicentur. Secundò, vt verbum Dei populo prædicetur. Tertiò, ne verba, & sententiæ sacræ scripturæ ad superstitiones, & sortilegia adhibeantur. Quartò, Diuinos omnes, & sortilogos, & Magicam artem docentes, aut exercentes, & superstitionibus operam dantes è Diœcesibus suis penitùs eradicare, hæreticos, & hæreses extirpare. Quintò, noua miracula, reliquias, atque imagines approbare. Sextò, vt conuertes vota sua Domino suo reddant, & cum impotentibus dispensare, aut commutare in quantum eius facultas extenditur. Septimò, vt festa in Dei, & Sanctorum venerationem ritè, ac debitè celebrentur, vt in illis diebus fideles Diuinis intersint, atq; à seruilibus operibus, & alijs illicitis abstineant. Octauò, ne Prædicatores prædicent fabulas, aut falsas reuelationes. Ita Barbosa *iuris vniuersi Ecclesiastici lib. 1. cap. 11. à num. 2. vsque ad 23.*

R. 3. Circa ea, quæ spectant ad Diuinorum Officiorum celebrationem curare debent Episcopi, vt Officia, & Missæ suis horis celebrentur. Secundò, ne extra Ecclesiam, & locum sacrum Missa celebretur. Tertiò, ne vagis Missis celebrare permittant sine litteris commendatitijs sui Ordinarij. Quartò curent, vt Parochi diebus Dominicis, & festiuis celebrent, & sermonẽ ad populũ habeant diebus determinatis.

R. 4. Officium esse Episcopi ministrare Sacramentum Confirmationis, & Ordinis: secundò, debet vti diligentia, vt reliqua Sacramenta à Ministris deputatis cum honore ministrentur, & ne aliquid indebitè accipiatur pro illis ministrandis, & vt eorum vis, virtus, & effectus à Parochis suis populis exponantur, & declarentur.

R. 5. Debere Episcopos attendere, vt Clerici habitu Clericali, & Tonsura incedant, eosque delinquentes corrigere iuxta sacrorum Canonum dispositionem. Secundò, non suscipere in sua Diœcesi Clericos alterius Diœcesis sine litteris testimonialibus sui Ordinarij. Tertiò vacare, vt Sanctimoniales saltem semel in mense confessionem peccatorum faciãt, & Sacrosanctam Eucharistiam accipiant iuxta Concilium Trident. *sess. 25. de regularibus.*

R. 6. Officium Episcopi in pascendis ouibus consistere in prædicatione verbi Dei, & subditis docendis, eisque monitis salutis tradendis, & incorrigendis delinquentibus in prouidendo bonos, ac idoneos Rectores Ecclesiarum, & vt cunctis Sacramenta diligenter, promptè, ac liberaliter ministrentur præcipuè morientibus.

Quæ spectant ad potestatem Episcoporum?

BRACTEA XX.

R. Posse ad tria capita reuocari. Primò, quædam competere Episcopo, ratione Ordinis, seù consecrationis Episcopalis, quędã verò competere ei ratione iurisdictionis, & quædam alia ratione dignitatis. Quæ spectant ad Episcopum ratione Ordinis sũt primò Crisma conficere, & Baptizatorum fontes Crismate signare, Secundò Basilicas consecrare, & altaria in Ecclesia consecrata erigere, & consecrare, & hæc eadem consecrata conciliare, si violata fuerint, vel polluta. Tertiò, Ordines Clericis conferre, & Episcopos consecrare, & solemniter etiam degradare.

R. 2. Quod quamuis potestas hæc faciendi, & consecrandi supradicta Sacramentalia, Episcopis ratione Ordinis competat, tamen quia Sacramenta ista sunt de iure Ecclesiastico instituta; & ita subsunt potestati Ecclesię, potest in primis ipsa Ecclesia eos Episcopos priuare hac potestate, qui in hæresim labitur, ita vt *Episcopus* hæreticus, vel præcisus ab Ecclesia *nullo* modo illa validè conficiat. Ita Couar. *lib. 1. variar. cap. 10 num.* 8. Henriquez *lib. 10. cap. 31. §. 4.* Barbosa *iuris vniuersi Ecclesiastici lib. 1. cap. 11. num. 107.*

R. 3. Episcopum habere iurisdictionem ordinariam in tota sua Diœcesi, & in multis casibus delegatam. Ordinaria consistit in subiectione personarum, & locorum cuiuscumque sint gradus, & qualitatis in foro conscientiæ, & in foro etiam fori quoad causas, & delicta Ecclesiastica, & pęnas, ac censuras Ecclesiasticas tantum in Laicis, in Ecclesiasticis verò personis etiam quoad ciuiles causas, vt infra ostẽdetur. Secunda pars iurisdictionis consistit in dispensatione, & absolutione, & quia in hac re variæ videntur Canonum dispositiones, propterea etiam variæ apparent Doctorum sententiæ; quare in hac re breuiter dicemus, quibus in casibus Episcopi dispensare possint, vel non; cadit autem dispensatio Episcoporum primò, in irregularitate; secundò, in habilitate ad beneficia, & officia consequenda; tertiò, in facultate contrahendi matrimonia contra impedimenta Canonica, in alijs materijs non videtur propriè dispensatio Episcoporum, sed potius absolutio, vel commutatio, vt in voto, & iuramento.

An

An Episcopus possit ferre irregularitatem?

BRACTEA XXI.

R. Negativè, quia ad ipsos non pertinet ius commune ferre; irregularitas autem nulla est, nisi sit in iure expressa, Summus autem Pontifex potest irregularitatem ferre, cum possit derogare iuri communi. Ita Bonacina *de censuris disp.7.quæst.1.par.2.1.proposit.num.2.*

An Episcopus in sua Diœcesi habeat merum, & mixtum imperium?

BRACTEA XXII.

R. Cum communi opinione affirmatiuè. Ratio est, quia Episcopus suis subditis minoribus potest concedere veniam ætatis, eisque dare restitutionem in integrum. Item potest remittere pœnam delicti, quando non est læsa pars, quæ accuset. Item concedere potest, vt iterum cognoscatur de causa, quæ omnia ad mixtum imperium pertinent, rursus potest non solùm in causis ciuilibus, verùm etiam in criminalibus ius dicere. Vnde & Clericos in carcerem trudere, ac delinquentes punire potest, etiamsi exteri sint, quia ob delictum in Diœcesi Episcopi non sui perpetratum quis sortitur forum illius.

R. 2. Quod licet directè Episcopus nō habeat in Laicos iurisdictionem, indirectè tamen in ordine scilicet ad finem spiritualem, & in concernentibus pietatem, & officium charitatis habet Episcopus iurisdictionem *can. 1. & 2. dist. 87. cap. Super quibusdam,* Aufredus *in tract. de potestate Ecclesiastica,* & alij. Vnde Episcopus potest censuris cogere Laicos ad vendēda victualia tempore penuriæ. Surdus *consil. 301. num. 47.* & sunt etiam plures casus, in quibus Episcopus potest cogere Laicos, de quibus infra, & iuxta communem opinionem pertinet ad Episcopum, vt legata etiāsi nō sint ad pias causas curare, vt illa executioni mandentur; & ita Panormitanus *in cap. Cum esses,* Hostiensis *in cap. Ioannes,* Couar. *in cap. Si heredes,* & alij. Ratio, quia Episcopus debet subuenire omnibus oppressis, & miserabilibus personis destitutis omni auxilio, sed testator, qui fecit legata, post eius mortem est miserabilissima persona; ergo meritò Episcopus eius legata curare debet, vt exequantur.

An Episcopus possit ferre Censuras contra suos subditos delinquentes extra territorium?

BRACTEA XXIII.

R. Non posse Episcopum ferre censuras per statutū cōtra suos subditos existentes in alieno territorio. Ratio est, quia extra territorium ius dicendi non paretur impunè, idest nulla pęna imponitur non obediendo proprio Superiori extra ipsius iurisdictionem. Ita Filliucius *tract. 11. cap. 5.* Reginaldus *lib. 9. num. 146.* & alij communiter etiamsi Episcopus intenderet per statutum ligare subditos existentes in alieno territorio. Ratio, quia ad obligandum non sufficit intentio, sed requiritur iurisdictio, Episcopus autem non habet iurisdictionem ligandi per statutum suos subditos in alieno territorio existentes.

R. 2. Posse Episcopum per sententiam ligare suos subditos existentes in alieno territorio. Ratio diuersitatis est, quia statutum respicit territorium, seù personas subditas existentes in territorio Superioris, sententia verò respicit personam, vt illius contumacia coerceatur, & puniatur.

An possit Episcopus excommunicare transgredientem suum statutum in Parochijs exemptis suæ Diœcesis?

BRACTEA XXIV.

R. Transgredientes statutum Episcopi in Parochijs exemptis non incurrere excommunicationem latam per statutum. Ratio, quia huiusmodi locus censetur extra iurisdictionem Episcopi, ac proinde est, ac si existerēt extra illius Diœcesim; vnde dicitur esse in illius Diœcesi, solummodo materialiter, sed non formaliter, cum non pertineat ad illius Diœcesim quoad iurisdictionem. Ita Paludanus *in 4. dist. 18. quæst. 2.* Tabiena *verbo excommunic. 4. num. 4.* & alij apud Salas *de legibus disp. 14. sess. 6. num. 83.*

An possit Episcopus suspendere effectum censurarum?

BRACTEA XXV.

R. Non posse Episcopos per se suspendere effectum censurarum, cum ipsi non possint dispensare in iure communi, nisi speciale priuilegium habeant, vel nisi consuetudo hoc eis permittat, quare cum iure communi inualida sit collatio beneficij facta excommunicato, sequitur, Episcopum non posse in eo dispensare, nec posse validè conferre beneficium ante absolutionem. Ita Suarez *disput. 6. sect. 4. num. 7. & 9.* Tabiena *cap. 10. §. 6.* Filliucius *tract. 11. cap. 7. quæsit. 10. num. 214.* & alij.

R. 2. Solum Pontificem posse suspendere effectum censurarum. Ratio, quia iure humano instituta est censura, & Pontifex est supra ius humanum.

An Episcopus possit absoluere à censuris Papæ reseruatis?

BRACTEA XXVI.

R. Affirmatiuè, non modò per se, sed etiam per suum Vicarium ad id specialiter deputatum. Ita ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6.* & non modo Episcopus Sede vacante, sed etiā Capitulum, & alij habentes propriam Diœcesim cum iurisdictione quasi Episcopali. Ita Sanchez *in summa lib. 2. cap. 11. num. 8. & 5.* Suarez *de censuris disp. 41. sect. 2.* Clauis regia *lib. 6. cap. 11. num. 83.* Auila *par. 7. disp. 10. dub. 6.* Henriquez *lib. 6. cap. 16.* & alij.

R. 2. Posse solùm Episcopum absolutè à censuris Papæ reseruatis in foro conscientiæ, vt

colligitur ex Concilio Tridentino, & in propria Diœcesi, vt ex Concilio patet. Ita Henriquez *lib.*14.*cap.*20. Auila *par.*9.*disp.*10.*dub.*6. Rodriquez *in summa* 2.*par.cap.*68.*num.*2. & alij plures. An verò Episcopus existens in propria Diœcesi possit absoluere suum subditum in aliena existentem? Respondeo affirmatiuè. Ratio, quia Tridentinum Concilium non requirit absolutionem sacramentalem, quæ impendenda est præsenti, tum quia absolutio ab excommunicatione conferri potest absenti, nec Tridentinum Concilium requirit, vt subditus sit in Diœcesi, vt ait Sanchez *loco cit. de censuris nu.* 17. & Coninch. *disp.*14. *num* 159.

R.3. Delicta habentia annexam censurā Papæ reseruatā debere esse occulta, vt ab Episcopo absoluantur, & non publica, notoria, aut famosa, alioquin Episcopus non poterit ea absoluere, nec deducta ad forum contentiosum, etiamsi vno tantum teste probentur; quia si erunt deducta, Episcopus non poterit ea absoluere, vt patet ex *loco citato* Tridentini. Ita Henriquez *lib* 4.*cap.*7. Sanchez *lib.*8. *de matrim.disp.*34.*nu.* 11. Auila 2.*par.cap.*21.*disp.*1.*dub.*11.

Sed quid si delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed Reus fuit purgatus, & falsis testibus se defendit?

BRACTEA XXVII.

R. Posse absolui, modò à Iudice fuerit absolutus. Ratio, quia perinde est, ac si non fuisset deductum, & censetur occultum, cū non fuerit probatum. Ita Henriq. *lib.*24.*cap.*7. Molina *tract.*3.*disp.*79. Sanchez *lib.*2. *de matr.disp.*27.*n.*12.

An Episcopus possit absoluere eum, qui in loco, in quo morabatur, commisit delictum Papæ reseruatum, & postea mutauit domicilium in locum, vbi delictum est occultum?

BRACTEA XXVIII.

R. Posse ipsum absoluere; quia reuera in illa Diœcesi, in qua mutauit domicilium delictum est occultum, Episcopus potest absoluere à delictis Papæ reseruatis; quando sunt occulta. Ita Sanchez *lib.*2. *de matrim.disp.*27.*nu.*12. Auila *par.*2.*disp.*2.*num.*7.

An Episcopus possit ab excommunicatione publica absoluere habentem impedimentum legitimum, propter quod non potest Papam adire?

BRACTEA XXIX.

R. Affirmatiue, vt quando excommunicatus laborat longa infirmitate, aut senectute etiam non periculosa, aut paupertate, vel si persona excommunicata sit fœmina, vel impubes, aut si laborat alio simili impedimento, quod iudicio prudentum legitimum existimetur, quamuis postea cessante impedimento teneatur Papam adire. Ratio desumitur ex benigna Summi Pontificis voluntate, qui non præsumitur voluisse absolutionem reseruare cum tanto incommodo. Ita Henriquez *lib.* 6. *cap.*4.*num.*7. Nauarrus *cap.*27.*num.*90. Reginaldus *lib.*9.*num.*2. Auila 2.*par.cap.*7.*disp.*1.*dub.* 6. An verò teneatur recurrere ad Legatum, si possit saltem per Epistolam?

R. Negatiuè. Ita Henriquez, & Auila *locis citatis*, sicut etiam non tenetur laborans impedimēto, ob quod Papam non potest adire mittere Procuratorem, vel Epistolam, quia vbi lex non aggrauat, nec nos aggrauare debemus, etiāsi in sentētia excōmunicationis dicatur, neminē ab ea posse absoluere, nisi in mortis articulo, Episcopus stante impedimento potest absoluere. Ita Henriquez *lib.*6.*cap.*16.*num.*1. Guttieres *de matrimon.cap.*19.*num.*8. Auila, & Nauarrus *locis citatis*, Reginaldus *lib.*1.*num.*135.

An Episcopus possit absoluere excommunicatum per nutus, & signa?

BRACTEA XXX.

R. Negative. Ratio, quia huiusmodi signa sunt valdè incerta; tum quia Episcopi nō possunt variare formam iuris communis, sed illam seruare tenētur; forma autem iuris communis est, vt detur absolutio per verba, vel scripturam. Ita Sanchez *de matrim lib.*8.*quæst.* 4.*nu.* 24. Suarez *disput.*7.*sect.*9.*num.* 13. Filliucius *cap.* 11. *quæst.*8.

R. 2. Summum Pontificem posse absoluere solo nutu, & signis, si declaret se ita velle. Ratio, quia verba non sunt de essentia absolutionis censurarum; tum etiam quia Summus Pontifex habet supremam auctoritatem, & facultatem absoluendi, non seruata forma iuris communis. Ita Suarez *disp.*7.*sess.*9.*num.*14. Filliucius *loco citato*, & alij.

An Episcopus excommunicatus validè conferat facultatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ?

BRACTEA XXXI.

R. Episcopum excommunicatum toleratum validè concedere facultatē administrandi Sacramentum Pœnitentiæ; secus autem dicendum est, si sit excommunicatus vitandus. Ratio, quia facultas administrandi Sacramentum Pœnitentiæ est actus iurisdictionis, quo non priuatur excommunicatus toleratus, sed vitandus; ideò Episcopus excommunicatus vitandus non potest concedere facultatem administrandi Sacramentum Pœnitentiæ. Ita plures apud Bonacinam *de censuris disput.*2.*quæst.* *pun.*5.*num.*5.



An

An Episcopus excommunicatus possit conferre beneficium?

BRACTEA XXXII.

R. Cum eadem distinctione, sisit excommunicatus vitandus, nullo modo potest conferre beneficium; secus autem si sit toleratus. Ita Bonacina *loco citato*, & alij.

An possit Episcopus absoluere ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici?

BRACTEA XXXIII.

R. Posse, quando percussio est leuis, non solùm per se ipsum, sed etiam per alium. Ita *cap. Peruenit de sententia excommunicationis*, & ex facultate. Ratio verò, quia possit, per alium est, quia facultas absoluendi in percussione leui est ordinaria: potestas autem ordinaria potest delegari. Ita communiter omnes.

R. 2. Posse Episcopum in pluribus casibus absoluere excommunicatum ob percussionem mediocrem, vel enormem. Primus est de Clericis collegialiter viuentibus, qui se mediocri, vel enormi percussione affecerunt. *Cap. Quoniam de vita, & honestate Clericorum*, & *cap. Peruenit de sententia excommunicationis*. Ita Siluester *verbo Absolutio*, Filliucius *tract.25.cap.1.quæsit.8.num.39*. Reginaldus *lib.2.num.251*. Sayrus *cap.28*. Molina *disp.62*. & alij. Secundus casus est de ianitore, aut de Officiali Principis, qui causa sui officij, vel arcendæ turbæ enormi, aut mediocri percussione percussit Clericum. *Cap Si verò de sententia excommunicationis*, Nauarrus *cap. 27. num. 91*. Filliucius, & Reginaldus *locis citatis*, & alij. Tertius casus potest absoluere habentem legitimum impedimẽtum, propter quod non potest adire Summum Pontificem absque periculo vitæ, &c. *Cap. citato de sententia excommunicationis*, quod autem sit legitimum impedimentum standum est arbitrio prudentis consideratis circumstantijs personæ, &c. Similiter illum habere legitimum impedimentum, qui personaliter nõ potest adire Summũ Pontificem, licet possit alium mittere. Ratio, quia ius non cogit admittendum alium, sed ad eundum per se ipsum. Ita Nauarrus *loco citato num. 90*. Reginaldus *loco citato cap. 1 num. 56*. Sayrus *loco citato num. 8*. & alij. Quartus casus est, quando imminet periculum mortis, quia tunc excommunicatus potest à quocumque absolui. Quintus casus: filij impuberes possunt absolui ab Episcopo, non solùm ob percussionem leuem, sed etiam mediocrem, & enormem cõtractam tempore impubertatis. Sextus casus, mulieres cuiuscũq; gradus, & ætatis absolui possũt. *Cap. Mulieres de sententia excommunicationis*. Sextus casus: existens sub potestate alterius, qualis est seruus, & filiusfamilias, modò Dominus graue damnũ inde patiatur absque sua culpa ex serui absentia. Octauus casus impotens ad iter conficiendum, vt sunt, qui habent capitales inimicitias, senes, & pauperes, cæci, &c. & qui non possunt adire, nisi familiam relinquant in magna necessitate.

Sciendum 1. habentes perpetuum impedimẽtum, propter quod nõ possunt adire Summum Pontificem posse ab Episcopo absolui à quacumque excommunicatione contracta ob percussionem Clerici absolutè sine obligatione se præsentandi Summo Pontifici; qui verò habent impedimentum temporale, cum obligatione se præsentandi, debent absolui, & absolutus obligatur eo sublato se Summo Pontifici præsentare, Clerici collegialiter viuentes, impuberes, & Officiales Principum, qui arcendo turbam, percutiunt Clericum absque obligatione se præsentandi possunt absolui, quia gaudent speciali priuilegio.

R. 3. Posse Episcopum absoluere quemcumque sibi subditum etiam propter enormem percussionem Clerici, modò delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum. Ratio deducitur ex Concilio Tridentino *sess.24.cap.6*. & ita etiam Reginaldus *lib.3 num.90*. Suarez *de censuris disp.44 sess.2. num. 4*. Coninchus *tom.2.disp.8.dub.8*. & alij.

An Episcopus possit absoluere ab Excommunicatione contracta ob duellum?

BRACTEA XXXIV.

R. Affirmatiue quando delictum est occultum. Et ita colligitur ex Concilio Tridentino *sess 24. cap.6*. quod à Clemente octauo non videtur abrogatum, cum in eo nulla sit mentio Episcoporum facultatis, aut illius concilij, quæ mentio necessaria est, vt illud Decretum censeatur reuocatum. Ita plures apud Bonacinam *de censuris disp.2.quæst.6.part.2.num 15*.

R. 2. non modò posse Episcopum absoluere excommunicatũ ob duellum, quando delictũ est occultum, sed etiam quando Pœnitens iusto detinetur impedimento, ob quod non potest adire Papam. Ratio, quia non maior est ratio, cur potius Episcopus non possit absoluere Pœnitentem in hoc casu interueniente iusto impedimento, quam in alijs casibus supra commemoratis. Sanchez *de matrimonio lib.2.disp.4.num.2*. & alij.

An Episcopus suspensus à Pontificalibus sit etiam suspensus à iurisdictione?

BRACTEA XXXV.

R. Episcopum suspensum tantum à Pontificalibus, vel ab ordine Pontificale intelligi solum suspensum ab ijs, quæ concernunt vsum ordinis Episcopatus, qualia sunt confirmare, ordines conferre, consecrare Ecclesias, &c. non verò esse suspensum ab ijs, quæ pertinent ad iurisdictionem, cuiusmodi sunt excommunicare, conferre beneficia, &c. sicut neque intelligitur suspensus à celebratione Missæ. Ita communiter Doctores, cum celebratio Missæ non sit actus ordinis Pontificalis, sed Sacerdotalis.

R. 2. Episcopum suspensum, excommunicatum, hæreticum, &c. si ordinet validè ordinare. Ratio, quia supradicta non tollunt characterem Episcopalem, ratione cuius potest validè ordines conferre, & de hæretico, patet ex praxi Ecclesiæ, quæ non curat iterato ordinare ordi-

ordinatos ab hæreticis, Diana *part.8.tract.2.resol.* 2. sunt tamen ordinati suspensi ab executione ordinum receptorum.

An Episcopus, qui in alieno territorio sine licentia illius Ordinarij ordinat sit, suspensus?

BRACTEA XXXVI.

R. Esse suspensum à Pontificalibus: ex Concilio Tridentino *sess.12.cap.2. & sess.23.cap.8.* Similiter si ordinet ad primam tonsuram, vel ordines extraneum absque licentia sui Episcopi: ex Concilio Tridentino *sess.6. & sess.23. cap.8.* Similiter etiam ordinans coniugatum exceptis casibus per Canones concessis. Ita Toletus *lib.1.cap.17.* & alij citati apud Bonacinam *disp.3. part.1.§.2.num.5.*

Et quid si in propria Diœcesi ordinaret indignum, illiteratum, &c.

BRACTEA XXXVII.

R. Ordinantem Sacerdotem indignum suspensum esse à collatione ordinis Sacerdotalis. *Cap si quis Episcopus 1.quæst.1.* Ita Sayrus *lib.4.cap.12.num.17.* Suarez *disp.31.sect.5. num.2.* licet plures cum Suarez *tom.5.disp.4.sect.8.* dicant hanc suspensionem non esse à iure.

R. 2. Episcopum conferentem tonsuram illiterato suspensum esse per annum à collatione tonsuræ. *Cap.fin.de tempore ordinat.lib.6.* Ita Sayrus *loco cit.n.18.* Henriquez *lib.13.cap.38.n.3* licet plures iudicent, hanc suspensionem non esse in vsu, & ita Em. Sà *verbo suspensio*, Bonacin. *loco cit. nu.11.* illiteratus in ordine ad primam tonsuram dicitur ille, qui nescit scribere, & legere.


R. 3. Episcopum ligari eadem suspensione, qui confert primam tonsuram puero, qui nundum expleuit septenium, *ex c.fin.* & Suarez *disp.31.sect.5.* Sayrus *lib.4. cap.12.* Filliucius *cap.8.quæst.2. num.14.*

R. 4. Episcopum conferentem duos ordines sacros eodem die, vel duobus diebus immediatis suspendi à collatione vtriusque ordinis, *cap. litteras de temporum ordinat.&c.*

An Episcopus conferens Primam tonsuram, vel Ordines simoniacè suspensione ligetur?

BRACTEA XXXVIII.

R. Suspendi non solum à collatione ordinum, & Primæ tonsuræ per triennium *cap. penult.de simonia:* verum etiam à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ ex Bulla Sixti quinti, quæ in hac parte non fuit reuocata à Clemente Octauo, vt ait Sayrus *lib.4. cap.12. num.32.* Suarez *disp.31.sect.4. num.25.* Filliucius *tract.17. cap. 8.quæst.4.num.146.*



An Episcopus, qui tantum loco, & non dignitati renuntiauit, possit conferre ordines?

BRACTEA XXXIX.

R. Posse conferre si rogetur ab alio Episcopo. Ratio, quia licet renunciauerit loco tamen reuera est Episcopus, cum non renunciauerit dignitati. Dixi si rogetur ab alio Episcopo, quia cum non habeat subditos non potest ordinare alienos, nisi de consensu illius, cuius sunt subditi. Ita Magister Candidus *tom. 4. disquis.4.art.3.dub.5.*

R. 2. Episcopum, qui renuntiauit loco, & dignitati non posse maiores ordines conferre, etiamsi rogetur ob alio Episcopo. Ratio, quia talis Episcopus non habet exequutionem sui officij, & nemo dat, quod non habet. Dixi maiores ordines, quia minores potest conferre. Ita Candidus *loco cit.*

Quibus Episcopus possit conferre Ordinem?

BRACTEA XXXX.

R. Solum suis subditis. Ratio colligitur ex Concilio Tridentino *sess.23. can.8.* & ita communiter omnes.

Sciendum; quod quis tripliciter potest esse subditus alicuius Episcopi. Primò ratione originis, quia in eius Diœcesi natus est. Secundò, ratione domicilij, quia in eius Diœcesi habet animo ibi semper manendi. Tertio, ratione beneficij, quod in eius Diœcesi obtinet; vnde qui aliquo horum modorum est subditus Episcopi, potest ab eodem ordinari.

Sciendum 2. quod vt aliquis sit subditus Episcopi ratione originis non satis esse, quod sit natus in Diœcesi fortuitò, vt possit ordinari, sed requiri, quod sit natus ex parentibus, qui habeant domiciliũ in eo loco, vbi ipse filius natus est, quia si natus erit ibi peregrinantibus, & alibi pergentibus non contrahit subiectionem, itaut possit ordinari. Ita Felin. *cap. Rodulphus*, Ias. *cons.77.lib.31.* Similiter, qui nascitur ex parentibus, qui versantur in certo loco negotijs causa habentes alibi domicilium non contrahit subiectionem originis, itaut ab eo Episcopo possit ordinari. Panorm. *in cap. Rodulphus de rescriptis* Sanchez *de matrim. lib.3. disp.23. num.3.* & alij.

Sciendum 3. subiectionem domicilij, vt possit ab Episcopo illius loci ordinari præsumi. Primò, cum quis in locum aliquem maiorem partem bonorum transfert, quia ex hac translatione præsumitur velle semper ibi manere, sola domus emptio, vel alicuius partis bonorum non facit domicilium *l. libertas §. sola* Armilla *verbo domicilium*. Secundò presumi contrahere domicilium eum, qui in aliquem locum accedit intentione semper ibi manendi, licet bona non acquirat, quam exprimit signo aliquo externo, vt si protestetur se velle semper ibi manere: Si verò intentionem non exprimat, ex decem annorũ habitatione præsumetur assumptum domicilium. Accursius *in leg.hæres absens §. proinde*, Bursat. *concil.36.vol.1.* nisi adsit aliquod indicium ex quo appareret illum non habere intentionem permanendi. Bartol. *in leg. quæsitum ff. de leg.3.*

Vnde

Vnde feudatarij, & eorum filij possunt ordinari ab eo Episcopo in cuius Diœcesi obtinent feudum, etiamsi non habitent, & alibi domicilium retineant. Scholares verò non posse ad ordines promoueri, etiamsi per decennium commorentur in vna Diœcesi, si retineant animum redeundi in patriam.

Sciendum 4. quod quando aliquis ordinatur simpliciter ad titulum beneficij illud debere esse perpetuum. Acugna *de sacram. ordinis*. Dixi simpliciter, quia si ordinetur ob alium titulum tunc beneficium manuale, & ad tempus est sufficiens. Quando quis ordinatur ad titulum beneficij nō requiritur, quod habeat annexā curam, sed satis est simplex, etiamsi sit tenue, & non requirat residentiam. Ita apud Dianam *part.8.tract.2.resol.20. & 21.* Quod intelligendum est de actuali possessione beneficij, cum simplex titulus non sufficiat. Garzias *de beneficijs tom.1. part.2.cap.4.num.17* licet Diana aliter sentiat. Ratio Garziæ est, quia possessio dat iurisdictionem Episcopo in beneficiarium non, verò titulus.

An Episcopus possit ordinare, qui habet pensionem?

BRACTEA XXXXI.

R. Negative. Ratio, quia pensio non est beneficium, & ita Diana, cum pluribus citatis *loco cit.*

Sciendum, quod licet Episcopus non possit ordinare habentem pensionem, tamē posse ordinare familiarem, qui per triennium fuerit cum ipso commoratum, vt colligitur ex Concilio Tridentino *sess.23.cap.9.de reformat.* dummodo beneficium illi statim conferat, & triennium seruitutis fuerit completum, & continuatum, etiam si inceptum sit antequam esset Episcopus, & completum sit, dum erat Episcopus. Ratio est, quia lex non distinguit de seruitio ante, vel post Episcopatum, ergo absolutè intelligēdum est. Quod tamen intelligendum est, dummodo familiaris non seruierit Episcopo in regione longinqua. Ratio, quia in tali casu Episcopus eius mores cognoscere non potest, & per consequens non potest illum ordinare: licet possit ordinare eum, qui seruit, ei in Ciuitate, sed extra domum. Ratio, quia Episcopus optimè potest cognoscere eius mores, quando per triennium in eius seruitio, assistit, licet in alia domo habitet. Diana *loco citato resol.31.& 32.*

An Episcopus admittens resignationem contra præscriptum Bullæ Pij Quinti suspensione ligetur?

BRACTEA XXXXII.

R. Affirmative donec à Summo Pontifice absoluatur. Ita Filliucius *loco citato nu.151.* Sayrus *lib.4.cap.12.num.55.* qui tenorem Bullæ refert, vt videre est apud ipsum.

R.2. Episcopum eorum dumtaxat resignationem recipere, aut admittere posse, qui aut senio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti, vel vitiati, vel crimini obnoxi censuris Ecclesiæ irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ inseruire, seu qui vnum aliud, vel plura beneficia Ecclesiastica obtinuerit, vel qui ad aliud contigerit promoueri, Religionē quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim posteà id re ipsa exequantur. Deniq; eum qui ex alijs casibus acciderit, qui constitutione felicis recordationis Innocentij Tertij de dimittendis cathedralibus Ecclesijs, edita continentur, qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficij residere securi, sed nec horum vllus sacro ordini mācipatus, nisi Religionem ingressurus valeat vllo modo beneficium, vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commodè sustentari, vt videre est apud Sayrum *loco citato*, Bonacin. *de censuris disp.3. par.5. §.2. num.19.*

An Episcopus alienans bona Ecclesiæ incurrat suspensionem?

BRACTEA XXXXIII.

R. Episcopum alienantem bona suę Ecclesiæ, vel alterius loci pij absque licentia Summi Pontificis, incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, quod si elapsis sex mensibus non resipuerit suspēditur ab administratione temporali, & spirituali suę Ecclesiæ.

An incurrat aliquam censuram si monasteria Monialium ingrediatur absque necessitate?

BRACTEA XXXXIV.

R. Prima vice incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, secunda vice suspenditur à Diuinis, & tertia vice si ingrediatur, ligatur excōmunicatione ex constitutione Gregorij Decimitertij.

Et quid si determinato tempore limina Apostolorum non visitet?

BRACTEA XXXXV.

R. Si singulis tribus annis per se, aut per alium, dum ipse detinetur impedimento non visitat limina Apostolorum incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiæ perceptione fructuum, & administratione temporalium, & spiritualium, Episcopis Italis, & vicinis conceditur spatium trium annorum, Germanis, Gallis, Hispanis, & cæteris Europæ Episcopis conceduntur induciæ 4. annorū, alijs verò longiùs distantibus longius tempus cōceditur ex Sisto Quinto in Bulla de visitandis liminibus Apostolorum, quam refert Sayrus *lib.4.cap.12.n.33.*



An

An Episcopus possit cohibere peccata Saecularium poenis temporalibus?

BRACTEA XXXXVI.

R. Episcopum non modo posse cohibere peccata Saecularium censuris, sed etiam poenis exterioribus, pecuniarijs, & exilij, atque alijs, modo tamen id non faciant ex auaritia, & ad quaestum, sed ex necessitate, & ad commodum rerum spiritualium, pessimè facere Principes, vel Magistratus temporales, qui Episcopos in hac parte impediunt. Ratio est, quia potestas ad temporalia, quatenus spiritualia exigunt non solum residet in Summo Pontifice comparatione omnium, qui sunt de Ecclesia, sed etiam in Episcopo comparatione suorum subditorum. Molina *de iustitia tract. 2. disput. 29.*

An Episcopus posit dispensare irregularem circa susceptionem ordinum?

BRACTEA XXXXVII.

R. Probabile esse, Episcopum posse dispensare cum irregulari circa susceptionem ordinum quando delictum est occultum. Ratio, quia in Tridentino *sess. 24. cap. 6.* de Reformatione generaliter concessum est Episcopis priuilegium dispensandi in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus: Neque in Bulla Coenae videtur restrictum hoc priuilegium, cum in eo solum fiat mentio de reuocatione facultatis absoluendi, quae cadit supra censuras.

An posit dispensare in irregularitate ex furtiua ordinum susceptione?

BRACTEA XXXXVIII.

R. Iuxta Concilium Tridentinum *loco citato*, si delictum erit occultum posse dispensare, etiamsi delictum materialiter publicè fiat. Sed

R. 2. Episcopū habere facultatem dispensandi in tali irregularitate modo non denunciauerit excommunicationem incurrendam ab his, qui furtiuè ordines suscipiunt; verum, quia hoc tempore Episcopi communiter consueuerunt imponere his, qui se ordinationi furtiuè ingerunt excommunicationem consequenter ista irregularitas est Papae reseruata, vt colligitur *ex cap. veniens*.

An Episcopus posit dispensare in irregularitate contracta ab eo, qui suscepit duos ordines sacros, vel Accolitatum, cum Subdiaconatu?

BRACTEA XXXXIX.

R. Posse quando delictum est occultum, & ita Concilium Tridentinum *sess. 24. de Reformatione cap. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 6. §. 5.* Auila *de censuris part. 7. disput. 7. sect. 1. dub. 4.* Sayrus *lib. 7. cap. 10. num. 36.* Hugolinus *de irregularitate cap. 39. §. 1.*

R. 2. Quando delictum est publicum dispensationem spectare ad Summum Pontificem. Ratio, quia solus Papa dispensare potest in iure communi, & Episcopus non potest dispensare, nisi ex speciali priuilegio Sedis Apostolicae, vel nisi ordinatus ingrediatur Religionem iusta caput innotuit de eo, qui furtiuè ordinem suscepit.

An Episcopus possit dispensare in irregularitate prouenieute ob administrationem in Ordinibus malè susceptis?

BRACTEA L.

R. Posse si irregularitas sit occulta. Ita ex Concilio citato, & Maiolus *de irregularit. lib. 1. cap. 30. num. 9.* & alij apud Barbosam iuris vniuersi Ecclesiastici *lib. 1. de officio, & potest.* Episcopi attestantes, verum esse si Episcopus non fuerit, etiam scienter particeps eiusdem culpę.

An Episcopus possit dispensare in irregularitate quam quis contraxit exercendo Ordines, quos non habebat?

BRACTEA LI.

R. Posse cum irregulari dispensare, vt Ordines susceptos exerceat, & alios suscipiat modo delictum sit occultum, ex Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformat.* Bonacina *de censuris disp. 7. q. 3. pun. 6. num. 10.* Barbosa *loco cit. num. 139.*

R. 2. Si delictum sit publicum solum Summū Pontificem posse dispensare, vt accedat ad vlteriores ordines, cum ipse solus possit dispensare in iure communi. Ita Siluester *verbo irregularitas quest. 8.* Hugolin. *de irregularit. cap. 37. num. 14.* & alij apud Bonacinam *loco cit. num. 10.*

An posit dispensare in irregularitate contracta ab eo, qui Ordinis minores suscepit ab Episcopo, qui renunciauit dignitati?

BRACTEA LII.

R. Posse, modo delictum sit occultum. Ita colligitur ex Concilio Tridentino citato. Ratio est, quia Episcopus, qui renunciauit dignitati, non habet executionem ordinis, & per consequens, nec alteri potest ordinem conferre. Tunc dicitur renunciare dignitati, quando renunciat iurisdictioni, & executioni ordinis Episcopalis. Ita Toletus *lib. 1. cap. 66.* Filliuc. *tract. 20. c. 7. n. 190.* Reginald. *lib. 30. tract. 2. num. 190.* & alij. Quod etiam intelligendum est de eo, qui ordines suscepit ab Episcopo censura irretito, Scismatico, Haeretico, & degradato.

An

An Episcopus possit à suspensione lata à Summo Pontifice absoluere?

BRACTEA LIII.

R. Posse Episcopum absoluere suum subditum à suspensione perpetua, etiam lata à Summo Pontifice, & non deducta ad forum contensiosum. Ita colligitur ex Concilio Tridentino *sess.24.cap.6 de reformat.* & ita plures citati apud Bonacin. *de censuris disp.1.q.3 part.2.*& alij.

An possit absoluere ab interdicto lato à iure?

BRACTEA LIV.

R. Posse absoluere ab interdicto locali; & patet *ex cap. Nuper de sententia excommunicationis*, tum quia Episcopus potest dispensare in his, quæ non sunt reseruata; Interdictum autẽ locale iuris non est reseruatum. Ita Auila *par. 5. disp.4.dub.1. conclus.*8. Reginald. *loco citato num.*55. Henriquez *lib.13.disp.*88.*num.*3. Filliucius *tract.*20. *cap.7.num.*111.

R. 2. Ab interdicto personali non posse Episcoptum absoluere, nisi fortè sit occultum, quia tunc ex priuilegio Concilij Tridentini potest absoluere, sicut etiam in interdicto personali publico posito à iure, quando non est Papæ reseruatum, *cap.Nuper cit.* Suarez *disp.*38. *sess* 2. Filliucius *loco citato num.*125. quia si à Papa positum erit, non videtur Episcopus posse absoluere. Ratio, quia inferior non habet iurisdictionem in superiorem; Papa autem est superior, & Episcopus inferior.

An Episcopus possit dispensare cum illegitimo, vt ordines suscipiat?

BRACTEA LV.

R. Posse dispensare ad minores ordines, & ad beneficium simplex non requirens ordinem sacrum, non autem ad maiores, & ad beneficium curatum, *cap.tali coniugio 1. quæst.7.cap. 1. de filijs Presbyterorum in 6.* & Hugolinus *cap.*44. §.2. & alij. An Episcopus possit dispensare in tali irregularitate proueniente ex delicto occulto? Respondeo aliqui posse iuxtà citatum Concilium Tridentinum.

R. 2. In hac irregularitate non posse Episcopum dispensare; Primò, quia hæc irregularitas communiter à Doctoribus connumeratur inter irregularitates ex defectu; tum etiam, quia licet delictum sit parentum, tamen defectus illegitimationis se tenet ex parte filiorum, & per consequens Episcopus non potest in ea dispensare.

An possit dispensare in corpore vitiatis, vt suscipiant Ordines?

BRACTEA LVI.

R. Episcopum posse dispensare in corpore vitiatis, si vitium sit leue, cum causæ cognitione; secus autem non; sed pertinet ad Papam. Ita Seraphin. *decis.* 125. *num.*5. Riccius *in praxi resolut.part.2.resolut.*271.

R. 2. Posse dispensare in habentibus membrum occultum non sua culpa abscisum, aut etiam manifestum, dummodo non reddat ipsum impotentem ad celebrandum. Ita Miranda *in manuali Prælatorum tom.2.quæst.*8.*art.*31. & alij.

R. 3. Ad Episcopum pertinere iudicare in defectibus, vel debilitationibus, qui nam dicatur leue, & modicum vitium, & quæ notabilis deformitas, vt patet *ex cap.20. de corpore vitiatis.*

An Episcopus possit dispensare in irregularitate contracta ab excommunicato, celebrando?

BRACTEA LVII.

R. Posse quando excommunicatio est occulta, licet celebratio sit manifesta. Ita ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.6. de reformat.* Nauarrus *Concilio* 2. Ludouicus Miranda *in Manuali Prælatorum tom.2. quæst.8. art.* 14. *consl.*2. Homobonus *de bonis de examine Ecclesiastico tract.* 12. *cap.*3. *quæst.*13.*resol.*3.

R. 2. Posse Episcopũ dispensare, etiamsi actus sit materialiter publicus, non verò formaliter in quantum delictum, quia tunc occultum dicitur. Em. Sà *verbo Episcop.num.*35. Sayrus *de censuris lib.7.cap.13.num.13. tract.71. quodlibeto* 14. *cap.*20. §. 4. Sanchez *de matrim.lib.*8.*disp.*34.*num.*56. Margarita *casuum conscientiæ verbo delictum*, Hugolin. *de censuris cap.13. §.7.* & alij. Quia tunc delictum censetur occultum, quando delictum excommunicationis nescitur, etiamsi publicè exerceat ordines.

R. 3. Quando delictum violationis censuræ, est publicum solus Papa dispensat. Ita *ex cap. 1. de sententia excommunicationis.*

An Episcopus possit dispensare in irregularitate contracta ob hæresim?

BRACTEA LVIII.

R. In foro conscientiæ posse Episcopum dispensare in irregularitate contracta, per seipsum, modo delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum. Ita ex Concilio Tridentino *loco citato*, & hanc auctoritatem non fuisse reuocatam per Bullam Cœnæ Domini. Ita Barbosa cum pluribus citatis iuris vniuersi Ecclesiastici *lib. 1. cap. 11. §. 7.num.*208. cum in ea solum fiat mentio de reuocatione facultatis absoluendi, quæ cadit supra censuras, non verò de dispensatione, quæ circa irregularitates exercetur. Ita Suar. *disp.43.sect. 1.num.7.* Sanchez *in opere moral. l.2.cap.25. num.16.*

R. 2. In irregularitate contracta ob hæresim, siue delictum sit publicum, siue occultum in foro fori spectare ad Sũmum Põtificem dispẽsare; & sic ĩtelligẽdũ est statutũ Bullę Cęnę Domini, ita apud Bonacin. *de censur.disp.*7*q.*3*.p.7.nu*12.



Et

Et quid de irregularitate contracta causa belli?

BRACTEA LIX.

R. Non posse in irregularitate contracta causa belli, idest ob homicidium causa belli factum. Ratio, quia Concilium Tridentinum *sess.24.cap.6.de reform.* tribuit Episcopis auctoritatem dispensandi in irregularitate, quæ contrahitur ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidij voluntarij. Irregularitas, quæ contrahitur, ob homicidium causa belli factum, vel ex delicto, vt quando bellum est iniustum, & tunc homicidium censetur voluntarium, aut publicum, vel non est ex delicto, sed ex defectu lenitatis, Episcopus non potest dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio commisso in bello, quia non potest dispensare in homicidio voluntario, aut publico. Ita Suarez *disp.47.sect.6.num.12.* Sayrus *lib.6.cap.19.* Filliucius *tract.10.num.281.* & alij, nec potest dispensare in irregularitate, quæ prouenit ex defectu, ergo, &c.

An possit dispensare in irregularitate contracta ob homicidium casuale?

BRACTEA LX.

R. Affirmatiue, modo delictum sit occultum: vnde in homicidio contracto ex rixa repente orta, vel ex inimicitia ob contumeliosa verba subito contracta potest dispensare, quia tale homicidium censetur casuale, & non voluntarium, quia factum ad defensionem propriæ vitæ honoris, &c. nisi fortè tale homicidium mutata voluntate non sit factum ad defensionem propriæ vitæ, sed directè per se volitum, & intentum in ordine ad vindictam, quia tunc cum sit volitum in se, & in causa non erit casuale, sed voluntarium, & per consequens Episcopus non poterit in eo dispensare. Ratio, cur potest dispensare in homicidio casuali est; quia Concilium Tridentinum concessit illis talem facultatem, nimirum dispensandi in quolibet delicto excepto homicidio voluntario, homicidium casuale non est voluntarium. Ratio secundæ partis est, quia in homicidio voluntario non potest dispensare.

An possit dispensare in irregularitate, quæ contrahitur ex mutilatione membri?

BRACTEA LXI.

R. Affirmatiue, etiamsi sit voluntaria, dummodo sit occulta. Ratio, quia ista irregularitas consurgit ex delicto occulto, & Concilium Tridentinũ tribuit facultatem Episcopis dispensandi in irregularitate, quæ consurgit ex delicto occulto. Tum quia Concilium Tridentinum excipit solum irregularitatem prouenientem ex homicidio voluntario; mutilatio autem non est homicidium, cum autem exceptio firmet regulam in casibus non exceptis sequitur posse Episcopum dispensare in irregularitate insurgente ex mutilatione, etiam voluntaria, modo delictum sit occultum. Ita Nauar. *cap.27.num.194.* Molina *disp.70.num.19.* Em. Sà *verbo irregularitas,* Henriquez *in summa lib.13.cap.77.§.1.* Tolet. *lib.1.cap.49.* Rodriquez *tom.4. quæst. regularium quæst.24. art.10.* Suarez *disp.44.sess.4. num.35.* Auila *de censuris part.7. disp.6. tract.5. dub.4. num.14.* Armandar. *de censuris lib.3. de irregularit. nu.14.* Garzias *de beneficijs part.7.cap.11.num.30.* Coninchus *de sacramentis disp.18.dub.8.* Bonacina *de censuris disp.7. quæst.4.pun.vlt.num.11.*

An in irregularitate, quam Iudex contraxit causam sanguinis exercendo possit dispensare?

BRACTEA LXII.

R. Non posse. Ratio, quia prædicta irregularitas non prouenit ex delicto, sed ex homicidio voluntario iusto, & per consequens Episcopus non potest in ea dispensare, cum ex priuilegio Concilij Tridentini citati possit solum dispensare in irregularitate, quę consurgit ex delicto.

An Episcopus possit dispensare cum eo, qui mandauit seruo, vt aliquem fustibus percuteret, sed ipsum occidit?

BRACTEA LXIII.

R. Affirmatiuè, dummodo Dominus, qui fuste aliquem percutere mandauit, mandasset etiam ne mutilaret, vel occideret. Ratio quia tunc homicidium inde sequens non est propriè volutarium respectu mandantis, sed est culpabile casuale. Ita Molina *tom.4.tract.3. disput.3.num.7.* & alij.

An possit dispensare in irregularitate proueniente ex delicto?

BRACTEA LXIV.

R. Episcopum in sua Diœcesi posse dispensare cum suis subditis in delictis occultis, excepta irregularitate proueniente ex delicto homicidij, aut ex delicto deducto ad forum contentiosum. Ita Sanchez *in summa lib.2.cap.11. num.2.* Filliucius *tract.20.cap. quæsito 6.* Reginaldus *lib.30.tract.2.num.26.* Suarez *disput.45.sect.2.num.3.* & alij.

R. 2. Non posse Episcopum cum extraneis dispensare, sicut neque Archiepiscopus non potest cum extraneis dispensare, vel cum subditis Episcoporum Suffraganeorum, nisi in casu visitationis, & appellationis. Ita plures citati apud Bonacinam *disp.7.quæst.5.num.3.*

R. 3. Non posse Episcopum in delicto deducto ad forum contentiosum dispensare, vt accidit, quando delinquens accusatus fuit de aliquo delicto, & nundum se purgauit in iudicio, nec definitiuè fuit absolutus; quando verò delinquens se purgauit veris, aut falsis testibus, aut quando fuit absolutus defectu probationis, tunc Episcopus potest cum eo dispensare. Ratio, quia tunc cessat ratio deductionis ad forum contẽtiosum, cum reducatur ad priorem statum

statum; tunc etiam quia quando Concilium Tridentinum excipit crimen deductum ad forum contentiosum intelligendum est, cum effectu, idest modò deductio ad forum sortita sit suum effectum. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 20.* Sairus *lib. 4. cap. 17. num. 27.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 37. num. 12.* Molina *tom. 4. tract. 3. disput. 79. num. 8.* Emanuel Sà *verbo Episc. num. 34.* Fillucius *tract. 20. cap. 10. num. 169.* Rodriquez *1. par. cap. 167.* Auila *par. 7. disp. 10.* Suarez *disp. 42. cap. 10. num. 169.* & alij.

An finito iudicio possit dispensare in irregularitate proueniente ex delicto deducto ad forum contentiosum, postquam delinquens fuit punitus?

BRACTEA LXV.

R. Negatiue. Ratio, quia Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6. de reformat.* concessit facultatem Episcopis dispensandi in irregularitate proueniēte ex delicto occulto nō deducto ad forū contentiosū, & quia delictū suppositū deductū fuit ad forum contentiosum, & factum publicum: idcircò Episcopus non potest in eo dispensare. Ita Guttieres *lib. 1. quæst. canon. cap. 3.* Suarez *disp. 31. sess. 2. num. 5.* Rodriquez *2. par. cap. 108.* & alij.

An Episcopus, qui irregulari concedit dimissorias, sentiatur cum eo dispensare in irregularitate?

BRACTEA LXVI.

R. Dispensare, modò sciat talem esse irregularem; vt ipse habeat intentionem dispensandi. Ratio est, quia non præsumitur Episcopus velle delinquere concedendo facultatem irregulari, vt promoueatur. Ita plures citati apud Bonacinam *disp. 7. de censuris quæst. 7. par. 1. num. 9.*

An in irregularitate, quæ oritur ex infamia, possit dispensare?

BRACTEA LXVII.

R. Affirmatiue, idest posse dispensare in irregularirate, quæ oritur ex infamia facti, quæ scilicet nascitur ex crimine aliquo notorio. Ita Nauarrus *in manuali cap. 27. nu. 204.* & alij. Item potest dispensare in ea, quæ procedit ex delicto, in quo habet potestatem dispensandi. Ita Hugolinus *de potestate Episcopi cap. 60. §. 5. nu. 3.* Auila *de censuris par. 4. disp. 4. dub 6.* & alij.

R. 2. Infamiam non impedire exercitium susceptorum ordinum, nisi crimen tale sit, vt impediat exercitium susceptorum, & inducat peculiarem irregularitatem, quale est homicidium, &c. Azorius *3. par. lib. 6. cap. 7. qu. 3.* Toletus *lib. 1. cap. 69.* & alij.

An in irregularitate contracta ob bigamiam possit dispensare?

BRACTEA LXVIII.

R. Pro maiori intelligentia sciendum bigamiam triplicem esse, veram, similitudinariam, & interpretatiuam.

Vera bigamia est, quandò quis duas vxores duxit legitimè, & eas carnaliter cognoscit, & hæc facit irregularitatem, siuè duxerit eas ante Baptismum, siuè post. *Cap. Si quis.* Ita Rebellus *lib. 3. de matrimonio quæst. 2. num. 4.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 64. num. 4.* Toletus *lib. 1. cap. 60.* Sairus *lib. 6. cap. 3. num. 23.* Maiolus *lib. 1. cap. 33.* Sanchez *lib. 7. disp. 83. num. 8.* & alij.

Interpretatiua est, quando quis reuera non contraxit cum duabus, sed iuxta interpretationem iuris censetur cum duabus contraxisse.

Primò, vt quando quis coniugatum de nouo contrahit cum alia, & cum ea copulam habet, vel quando vnam vxorem legitimam habuit, & postea aliam inualidè duxit cum impedimento dirimente, & tunc si cum ea copulam consumet, fit bigamus non realiter, sed interpretatiuè, quia præsumitur bis contraxisse matrimonium ob affectum, & intentionem contrahendi cum duabus copula subsecuta animo maritali. *Cap. Nuper de bigamis.*

Sciendum tamen, quod si vnum matrimoniū contraheret ficto consensu, vt extorqueat copulam, non dicitur bigamus, quia non habet maritalem affectum, qui requiritur ad bigamiā in *dicto cap. Nuper.*

Similiter esse bigamum, qui duo matrimonia inualidè contraxit bigamia interpretatiua. Ratio, quia quoad effectum init duo matrimonia, consequenter deficit significatio non propter verum Sacramentum, sed propter affectū cum subsecuta copula, illum etiam esse bigamum, qui cum fœmina corrupta contraxit, & consumauit matrimonium inualidum ob aliquod impedimentum. Ita Rota *decis. 1. de bigamis,* & alij.

Secundo modo contingit bigamia interpretatiua, quando quis contraxit, vel cum vidua, quæ consumauerat matrimonium cum priori viro, vel cum alia, quæ fuerat carnaliter cognita. *Cap. Maritū. dist. 32.* & *cap. Curand. dist. 24.* Si verò vidua non fuerat cognita à priori viro, non erit bigamus; sicut neque est bigamus ducens fœminam, quę ab alio non fuit carnaliter cognita, licet fuerit ab ipso cognita ante matrimonium, quia tunc caro nō separatur eo, ꝙ matrimoniū non retrotrahatur, & reputatur quasi factum cum illa, ante primam copulam, atque censeatur contractum cum virgine. Ita plures citati apud Bonacinam *de censuris disput. 7. quæst. 2. pun. 5.*

Tertio modo contingit bigamia interpretatiua, quando quis contraxit cum virgine, eāq; cognoscit, postquam adulterata est cum alio, siuè volens, siue vi, aut metu. *Cap. Si cuius, cap. Si Laici dist. 34.* Ratio, quia huic matrimonio deficit significatio, cum non significet vnionem Christi cum Ecclesia, quæ est vna, & non multiplex.

Bigamia Similitudinaria contingit, quando quis post votum solemne castitatis emissum in pro-

professione Religionis, vel in susceptione sacrorum ordinum matrimonium cõtrahit cum aliqua virgine, vel corrupta; eamque carnaliter cognoscit. *Cap. Quotquot 27. quæst. 1.* & *cap. Nuper de bigamia*. Ratio, quia adstrictus voto solemni censetur spirituali quodam matrimonio coniunctus cum Christo, & Ecclesia, & si velit celebrare cum altera matrimonium, & carnaliter coniungi censetur celebrare duo matrimonia, non quidem vera, sed similitudinaria. His positis.

R. Regulariter non posse Episcopum dispensare in bigamia vera, vel interpretatiua in ordine ad suscipiendos ordines sacros, vel ad vsũ susceptorum. *Cap super eo de bigamis*; immò videtur non posse dispensare in ordine ad minores, vel ad primam Tonsuram, vel ad beneficium simplex ex Concilio Tridentino *sess. 23 cap. 17.* & ita docuit Sacra Congregatio apud Garziam *3. par. cap. 6. num. 5.*

R. 2. In bigamia vera, vel interpretatiua posse Episcopum dispensare, vbi necessitas vrgeret, nec esset aditus ad Pontificem ob loci distantiam. Ita Henriquez *lib. 12. de matrimonio cap. 6. v. 11.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp 86. num. 14.*

R. 3 Posse Episcopum in bigamia similitudinaria dispensare cum eo, qui contraxit cum virgine iuxta Textus *in cap. Sacerdotes de Clericis coniugatis*, & *in cap. 1. Qui Clerici*, Sanchez *loco citato disput. 86. num. 20.* Riccius *in praxi aurea resolut. 220.* Miranda *in manuali Prelatorum tom. 2. quæst. 8. art. 2.* Scipio de Rubeis *in Aphorismo Episcoporum verbo Bigamus num. 3* & alij.

An Episcopus possit dispensare in irregularitate cum Religiosis?

BRACTEA LXIX.

R. Affirmative, dummodo se illi subijciant, & de consensu suorum Superiorũ. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 20.* Reginaldus *lib. 30. nu. 29.* Filliucius *tract. 10. cap. 10.* & alij.

R. 2 Sine licentia suorum Superiorum talem dispensationem non esse impendendam. Ratio, quia tunc religio non videtur consentire, nisi forte Superior iniustè denegat licentiam, aut ita sit absens, vt ipsam non possit concedere, aut alius sit, qui loco Superioris non possit cõcedere, quia tunc per Epichciam censetur Summus Pontifex Episcopis cõcedere facultatem; sic verò patet aditus ad Superiorem maiorem, v c. Prouincialem maiori superiori adeundum est, quia religio non censetur consentire, vt Religiosus præsentet se Episcopo, cum dispensationem à suo Superiore obtinere possit. Ita Molina *disp 61. num. 3.* Suarez *de censuris disp 41. sect. 2. num. 12* Auila *de censuris 2. par. cap. 7. disp. 1. dub. 6.* Sanchez *lib. 4. cap. 9. num. 3.* & alij plures.

In quibus casibus possit Episcopus circa habilitatem ad beneficia dispensare?

BRACTEA LXX.

R. Primo dispensare posse cum illegitimis in beneficijs simplicibus tantum, non autem Curatis, nec in dignitatibus Ecclesiasticis. Secundò cum eo, qui recipit beneficium de manu Laici, vt valeat illud retinere secundum Innocentium *in cap. Quisquis de Elect. cap. Nuper de sententia excommunicationis*. Tertiò, vt quis obtinens vnum simplex beneficium, quod non sufficiat ad eius sustentationem possit aliud simile tantum obtinere, vel vnum Curatum, & aliud simplex beneficium. Quartò cum eo, qui propter beneficium, quod obtinet, tenetur infra annum ordinari, si abesse velit causa studij. *Cap. Cum ex eo de elect. lib. 6.* Rebuffus *de priuilegijs scholar. priuileg. 36.* Moneta *de distribut. quotidianis par. 2 quæst. 10. num. 4.* licet cum per Concilium Tridentinum non admittantur ad beneficia iurata, nisi qui per concursum magis idonei fuerint iudicati Parochis non esse dandam licentiam causa studiorum, referunt decisum à Sacra Congregatione plures citati apud Barbosam iuris Ecclesiastici *lib. 1. cap. 11. §. 5. num. 156.* Quintò, in ætate quoad dignitates non curatas, & beneficia simplicia. *Cap. 1. de ætate, & qualitate lib. 6.* quod hodie non est recipiendum, cum à Concilio Tridentino ætas sit determinata. Sextò beneficiatus non resideat ad tempus cum legitima causa. *Cap. Licet can. de elect. lib. 6.*

An possit dispensare cum promoto per saltum, quando legitimè prætermissum ordinem suscipit, vt ministret in susceptis, & ad Superiores ascendat?

BRACTEA LXXI.

R. Espondit Alter. *tom. 2. de censuris disp. 10. cap. 5.* Episcopum posse dispensare in hoc impedimento, quia Concilium Tridentinum solum excipit, quando sic ordinatus ministrauit; ergo cessante hac conditione semper poterit Episcopus dispensare, cum suscipere ordinem prætermissum non sit ministrare, sed licet in eo non obster Decretum Concilij Tridentini, quia cessat conditio ab eo requisita, tamen cum per illam ordinationem incurratur nouum genus suspensionis, quia suscipitur ordo cum censura, ideò

R. In hac suspensione non posse Episcopum dispensare cum excommunicato, vel alia censura inodato scienter ordines recipientes, quia nullus preter Papam dispensat, etiamsi excommunicatio eiusmodi sit, vt ab ea Episcopus absoluere valeat. *Cap. 1. De ordinatis ab Episcopo*, Marc. Alter *cap. cit. disp. 10.*

An dispensatus ad Sacerdotium sit dispensatus ad beneficium curatum?

BRACTEA LXXII.

R. Dispensatum ad Sacerdotium non esse dispensatum ad beneficium curatum, & ad dignitates. Et ita tenent Sairus *de censuris lib. 6. cap. 11. num. 27. & 29.* Nicolaus Garzias *de beneficijs par. 1. cap. 6. num. 3.* Campanil. *in diuersor. iuris Canon. Rubr. 11. cap. 13. num. 101.* & alij.

R. 2. Dispensatum ad beneficium curatum nõ esse dispensatam ad dignitates obtinendas; & ita resoluunt Petrus Gregorius *syntagm. lib. 17. cap. 6. n. 36.* Azor *morali par. 2. lib. 6. cap. 3. quæst. 7.*

An

An Episcopus possit dispensare cum illegitimis ad maiores ordines?

BRACTEA LXXIII.

R. Episcopum non modò posse dispensare cũ illegitimis ad ordines minores, sed et ad beneficium simplex. Ita plures apud Barbosam *par. 2. de officio Episcopi allegat. 45. num. 14.*

R. 2. Posse dispensare cum illegitimis in Canonicatibus Ecclesiarum Collegiatarum. Ita Barbosa *loco citato*. An possit dispensare cum illegitimis ad obtinendum Canonicatum in Cathedrali? Respondeo quosdam tenere negatiuam, alios affirmatiuam sententiam apud Barbosam *loco citato*. Sed

R. 3. De iure nouo Concilij Tridentini non posse *sess. 14. de reformat. cap. 12.* cum requiratur ordo sacer, ad quem non potest Episcopus dispensare; ergo nec etiam ad Canonicatum. Barbosa *loco cit.*

An Episcopus possit dispensare in matrimonio contrahendo?

BRACTEA LXXIV.

R. Primò in impedimentis dirimentibus matrimonium iure naturali, nec etiam Summum Pontificem posse dispensare. Ratio, quia si hęc facultas esset in Ecclesia, nulla sequerentur pericula fornicationis, vt inter fratres, & sorores spe obtinendæ dispensationis ad obtinendum matrimonium, quæ pericula cum preponderent cuique bono, quod in aliquo casu sequi possit dispensatione obtenta in impedimentis dirimentibus iure naturę dicendum est, Summum Pontificem non habere talem auctoritatem regulariter.

R. 2. Summum Pontificem habere facultatem dispensandi in impedimentis dirimentibus iure humano. Ratio, quia cum ipse sit supra quodlibet ius, sequitur in ipso posse dispensare.

R. 3. Episcopum post contractum matrimonium posse dispensare in impedimento dirimẽti, quando impedimentum est occultum, & matrimonium publicum, nec coniuges possunt separari absq; scandalo, nec ad Summũ Põtificẽ patet recursus ob paupertatem, vel locorum distãtiam, vel ob alia legitima impedimẽta. Ita Valentia *tom. 4. disput. 10.* Coninchus *de sacrament. disput. 33. dub. 3. num. 32.* Siluester *verbo dispensatio quæst. 9. §. 15* Fernandes *in exam. Theolog. par. 3. cap. 16. §. 8. n. 1.* Rebellus *lib. 3. quæst. 18. num. 128.* Armilla *verbo dispens. num. 10.* Riccius *decis. 261.* Henriquez *lib. 22. cap. 3. num. 2.* Rodriquez *in summa tom. 3. cap. 35. num. 1.* & alij. Ratio, quia non est credibile Summum Pontificem velle sibi reseruare dispensationem in casu tantæ necessitatis, vnde per Epicheiam præsumitur Episcopus concessam esse facultatem dispensandi in foro conscientiæ, dummodo fuerit contractum bona fide; si verò mala fide, præsumitur Pontifex sibi reseruasse dispẽsationem, & nolle fauere iniquitati contrahentium.

R. 4. Posse Episcopum ante matrimonium contractum ex vrgentissima causa, & necessitate dispensare in impedimentis dirimentibus nõ per se solùm, sed etiam per Delegatum in foro conscientiæ, quando non dispensando erit periculum alicuius infamiæ, vel scandali. Ratio, quia impedimẽtũ, vt supponitur, est de iure humano Episcopus posita iusta causa in lege humana Superioris potest dispensare. Et ita docet Sanchez *lib. 8. disput. 12. num. 7. & lib. 2. disput. 40.* Villabos *in summa tom. 1. tract. 14. difficult. 15.* Bonacina *tract. de matrim. quæst. 3. pun. 5. num. 6.* & alij apud Dianam *tract. 16. Miscel. resolut. 17.*

R. 5. Posse Episcopum dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem. Ita Sanchez *lib. 8. disp. 12. num. 16.* Henriquez *lib. 11. cap. 15.* & alij.

An Episcopus possit dare licentiam, vt nupta ingrediatur Monasterium?

BRACTEA LXXV.

R. Negatiuè; quoniam sic habetur in quadam declaratione cardinalium facta Episcopo Salmantino, quæ sic habet, non licet Episcopis, vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, vt ex causa litium matrimonialium, adulterorum, ac dissentionum inter viros, ac mulieres apud Monasteria Monialiũ securitatis gratia, immò ingredientes incidere in excommunicationem à Cõcilio impositam, & hanc opinionem tuetur Portella *verbo clausura num. 2.* licet Azorius *tom. 1. lib. 3. cap. 8 & 9.* contrarium teneat, quæ opinio licet auctoritati tanti viri sit probabilis, tamen probabilior est, quam diximus, cũ Monasteria sint instituta, vt seruiatur Deo, vel etiã vt filiæ in pietate Christiana educantur, non autem vt mulieribus sint Asylum.

An possit prohibere, ne matrimonia domi contrahatur?

BRACTEA LXXVI.

R. Posita iusta, & rationabili causa non posse Episcopum prohibere, ne matrimonia domi contrahatur. Ita Rebellus *par. 2. lib. 2. quæst. 7. nu. 11.* vbi refert declarationem Cardinalium, his verbis, Ordinarius non potest prohibere; quin matrimonia domi celebrentur, seruata Concilij forma, sed cum maximè deceat, vt in Ecclesia celebrantur, id hortari debet, sed non præcipere. Ratio est, quia ad validitatem matrimonij satis est, quod celebretur in facie Ecclesiæ, & nullum adsit impedimentum, & nomine Ecclesię nõ intelligitur materialis, sed formalis, nimirùm multitudo fidelium, qui repræsentantur in Parocho, & in testibus.

An possit cencedere licentiam, vt matrimonium celebretur ante pubertatem?

BRACTEA LXXVII.

R. Affirmatiuè: ex vrgentissima causa, & in casu necessitatis. Ratio, quia ius præsumitur concedere Episcopo facultatem dispẽsandi

sandi in huiusmodi casu. Ita Henriquez *lib.11. cap.13.num.12.*& alij.

An possit dispensare, vt denunciationes matrimonij omittantur?

BRACTEA LXXVIII.

R. Posse Episcopum dare facultatem, vt denunciationes matrimonij omittantur. Ita ex Concil. Tridentino propter causas, quas iustas existimabit; quia Concilium hoc negotium remisit prudentiæ Episcopi, vt benè aduertit Henriquez *cap.5.n.5.* Riccius *dec.258.*& alij.

An Episcopus alterius contrahentis possit cum vtroque dispensare in denunciationibus, quando sunt diuersæ Diœcesis?

BRACTEA LXXIX.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia sicut alteruter Episcopus potest vtrumque coniungere in matrimoniū, ita & etiam potest cum vtroq; dispensare. Ita Sanchez *lib.5. de matrimon. disput.7. num.7.* Gutieres *de matrimon.cap.46.num.10* Reginaldus *lib.31.num 232.* Coninch. *de matrim.disput.27. dub.6.num.54* & alij. Quod tamen restringēdum est ad Episcopum, in cuius Diœcesi celebrandū est matrimonium, quia cū habeat iurisdictionem directam in sibi subditū, indirectā censetur habere circa alium, qui in sua Diœcesi, & cum suo subdito vult contrahere matrimonium, Episcopus verò in cuius Diœcesi non est celebrandum matrimonium, potest solùm dispensare cum suo subdito, & non cum alio.

An debeat habere iustam causam dispensandi in denunciationibus?

BRACTEA LXXX.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia omnis dispensatio requirit causam, tum etiā quia hoc negotium relictum est prudentiæ, & iudicio Ordinariorum in Tridentino *sess.4. cap.1.* Ordinarij autem non prudenter agerent remittendo denunciationes absque iusta causa. Ita Henriquez *lib.11.* Sanchez *lib 3.disput.8 num. 1.* Coninchus *disp.27.dub.6.nu.55.* Rodriquez *1. par.cap.217.* Gutieres *cap.37.*& alij.

R.2. Iustas causas remittendi denunciationes esse. Primò, quando creditur matrimonium impediendum iniustè, vt per maleficia, aut parentum, vel aliorum fraudes. Secundò, quando denunciationes non possunt fieri absque damno priuatorum, aut notabili incommodo. Tertiò, quando tempus, quo nuptiæ prohibentur instat, ita vt omnes denunciationes non possint præmitti. Quartò, est notabilis sponsorum commoditas, modo non timeatur periculum alicuius impedimenti. Quintò, quando Magnates cōtracturi sunt matrimonium, quia eorum matrimonia sunt valdè publica, & si esset aliquod impedimentum detegeretur omissis, etiā denunciationibus. Ita Sanchez *lib.3.disp.9.* Reginaldus *lib.31.num.235.* Henriquez *lib.11.cap.25.* Riccius *decis.258.* Gutier. *cap.37.num 3. 4. & 5.* Coninchus *disput.27.num.75.* Menochius *consil. 3. num. 7.* & alij.

An Episcopus possit facultatem dispensandi alijs delegare?

BRACTEA LXXXI.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia potestas ordinaria potest alteri delegari: facultas dispensandi est ordinaria, & per consequens potest alteri delegari. Ita Sanchez *lib.3 disput. 7. nu. 20.* Reginaldus. *lib.31.num.235.* Gutieres *cap. 55.nu. 13.* Coninch. *disp.27.dub.6.num.55.*

An possit dispensare in impedimentis non dirimentibus?

BRACTEA LXXXII.

R. Posse dispensare. Ratio, quia consuetudine receptum est, vt dispēsatio istorum impedimentorum non obtineatur à Papa, excepto voto religionis, & castitatis. Ita Henriquez *in summa lib.12.cap.2. §.2.* Sanchez *de matrimonio lib. 3. disp.17 num.15.* Vgolinus *de potest.Episcopi cap.20.§.4.* Bonacina *de matrim.quæst.3.pun.15.num.3.*

An possint dispensare, ne matrimonium contrahatur coram Parocho?

BRACTEA LXXXIII.

R. Negatiuè, etiam in casu magnæ necessitatis, & quando ad Summum Pontificem non patet recursus. Ratio, quia quamuis Episcopus possit dispensare in lege Pontificis, aut Concilij in casu magnæ necessitatis, tamen in isto casu non potest, quia Concilium constituit formam substantialem in matrimonijs, & ponit decretum irritans; tunc etiam quia Concilium reddit inhabiles contrahentes ad ita contrahendum. Ita Sanchez *de matrimonio lib.3.disp.17.nu. 6.*& alij.

An quando matrimonium est contractum mala fide, & impedimentum est occultum, possit Episcopus dispensare?

BRACTEA LXXXIV.

R. Negatiuè. Ratio, quia stante mala fide præsumitur Papam sibi soli reseruare facultatem, & nulli eam concedere, ne videatur fauere iniquitati, & peruersæ contrahentiū audaciæ, & vt illa sit facilioris dispēsationis occasio, ne quotidiè hac spe celebrarētur matrimonia contemptis impedimentis dirimentibus; & idcircò Concilium Tridentinum hos mala fide contrahentes spe dispensationis consequēdæ perpetuò carere debere, statuat Episcopos nullo modo posse dispensare. Sanchez *lib. 2.de matrim.disp 40.num 4.*& alij.

R.2. Illum mala fide dici contrahere matrimonium,

monium, qui non modò speculatiuam, sed practicam habet cognitionem contrahendi matrimonium cum impedimento dirimenti. Quod si ex ignorantia etiam crassa contraherent, nō excluderetur bona fides, nisi forsan adeò esset crassa, vt esset ingens temeritas, quia tūc ęquipararetur dolo. Sanchez *loco cit.* & alij cum eo.

An possit dispensare in impedimento cognationis ortæ ex baptismo non solemniter collato?

BRACTEA LXXXIV.

R. Posse, dummodo sit collatus Baptismus tempore neceessitatis, & in casu vrgenti, sicut in cęteris alijs impedimentis. Ita Sanchez *de matrimonio lib.8.disp.6.num.17.* & alij.

An possit dispensare, vt duo viri, siue duæ fæminæ simul suscipiant infantem de baptismo?

BRACTEA LXXXV.

R. Negatiuè, quia inferior non potest dispēsare in lege Superioris regulariter, sed Episcopus est inferior Summo Pontifici, seu Concilio Trid. in quo lata est lex circa Patrinos; ergo non potest dispensare, vt duo viri, vel duæ fœminæ simul suscipiant infantem de Baptismo. Ita etiam declarauit Congregatio Cardinalium, vt refert Sanchez *disp.57.num.7.* Reginald. *lib.31.num.154.*

An Episcopus possit in sua Diœcesi impedimenta matrimonij statuere?

BRACTEA LXXXVI.

R. Affirmatiuè si solum iuris Diuinum, aut humanum spectemus. Ratio est, quia sicut integrum est Pontifici in vniuersa Ecclesia impedimenta matrimonij statuere, ita Episcopo in sua Diœcesi. Ratio est, quia quidquid potest Pontifex in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi Pontifex aliquid sibi reseruet, & quia Papa sibi reseruauit statuere impedimenta, hinc est, quod Episcopus nunc non possit. Et ita Sanchez *lib.7. de matrim. disp.1. n.9.* cum Victorio P. Ledesma locis ab ipso citatis, licet potius dicendum sit, esse Papę reseruatum ex communi consuetudine Ecclesię, quam ex textu particulari. Ita Sanchez *loco cit.*

An possit ferre leges pro sua Diœcesi?


BRACTEA LXXXVII.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia habet auctoritatem publicam, iurisdictionem, & vim cogendi. Ita communiter omnes Canonistæ, & Summistę, vt refert Suarez *de leg. lib.4. cap.4 n.2.* quod tamen limitandum est. Primò, ne in causis grauioribus aliquid statuant inconsulto Pōtifex, quatenus causæ grauiores per regulam generalem Summo Pontifici reseruatę sunt. *cap. maiores de baptismo, & cap.1. de translat. Episcoporum,* quia licet Episcopi habeant potestatem sanciendi ea, quæ ad ordinariam Ecclesiæ suæ gubernationem, & ad commune animarum suarum regimen spectant, vt docet Suarez *tom. 4. disp.7. sect.4. num.5.* Salas *de legibus disp.8. sect 5 n.37.* & alij communiter; in grauioribus, vt dictum est debet consulere Pontificem in signum potestatis. Secundò, limitandum est in legibus, vel statutis contra ius commune, quia Episcopus non potest condere legem contra ius commune, cum inferior non habeat potestatem in Superiorem. Panormitanus *cap. Cum dilectus num.10. & cap. fin. num.5. de officio legati,* Suarez *lib 4. cap.5. nu. 2.* Nauar. *tit. de regularibus lib.3. cons.26. num.8.* & plures. Sicut etiam non potest condere leges contra statuta suorum prædecessorum à Papa confirmata ipso inconsulto. In aliquo casu particulari posse Episcopum, dum Papa adiri, & consuli non potest, interueniente causa decernere aliquid contra Ius commune. Ratio, quia interueniente iusta causa licet aliquid facere contra expressum Domini mandatum ob præsumptam Domini voluntatem, *l si hominum, ff. madati.* Tum etiam, quia hic casus censetur per epicheiam exceptus.

An possit dispensare in lege Pontificis, siue in iure communi?

BRACTEA LXXXVIII.

R. Regulariter non posse Episcopum in lege Pontificis, siue Concilij, aut iuris communis. Ratio, quia inferior non habet potestatem supra superiorem. Dixi regulariter, quia aliquando potest dispensare in lege Pontificis. Primo, quando in lege ipsius Pontificis hoc exprimitur. Secundò, quando vir prudens interpręratur, hanc esse Pontificis voluntatem, vt Episcopus in aliquo casu dispenset, licitum est opinionem prudentis sequi, quę intentio Pontificis colligi potest. Primò, quando res leuis est, quia tunc cum præceptum non obliget sub mortali possumus præsumere, Pontificem noluisse onus subditis imponere adeundi ipsum in re leui. Secundò quando præcipiuntur ea, quæ sępè eueniunt, & quæ frequenter indigent dispensatione. Ratio est, quia nō est credibile, Papam velle sibi dispensationem reseruare, in his, quæ frequenter accidunt. Tertiò, quando grauis aliqua necessitas aduenit, vel vtilitas; ita vt Sedis Apostolicæ commodè adiri nequeat, præsumitur tacitè concessio Papæ, qui rigorosam obligationem accedendi ad ipsum non presumitur imposuisse, nisi aliter constet. Em. Sà *verbo dispensatio* Sanchez *lib 8. de matrim. disp. 5. num.37.* Azorius *tom.1. lib.5. cap.15.* Siluester *verbo dispensatio num.7.* Salas *de legib. disp.20. sect.3. num.23.* Nauar. *cap.21. num.21.* Clauis regia *lib.3. cap.10. num.9.* & alij.



An quando Episcopus dispensat in lege Papæ requiratur causa?

BRACTEA LXXXIX.

R. In dispensatione cum legitima auctoritate concurrere rationabilem causam. Ita Reginald. *lib.13. cap.19. num.* 194. & alij. Ratio, quia inferior in lege superioris non potest dispensare absque legitima causa. Conciliū Tridentinum *sess 25.de reformat.cap.*18.Gutier.Canon. *lib.1.cap 17.num* 5. Sanchez *de matrim. lib.3. disp.8.nu.* 3. *& lib.*8.*disp.17.num* 10. Fernandez *in exam. Theol. moral. part.1.cap.6.* §.10.*num.1.* Menochius *cons.15.n.* 15. D. Petrus à S.Ioseph *lib.1.Idea Theolog.moral.c.* 11. & alij; Non requiritur, vt habeat causæ cognitionem iuridicam, sed sufficit si prudenter,ac bona fide iudicauerit causam esse iustam, quæ aliàs talis non erat, Sanchez *lib.8. disp.17. n.* 8. Azorius *part.1.lib 7 cap.29 quest.9.* Diana *part.1. tract. de legib. resolut.33.* Barbosa *iuris Ecclesiast. lib.1. cap.11.§.6 num.*198.

An quando dubitat de iustitia causæ possit dispensare?

BRACTEA XC.

R. Licitè dispensare, etiamsi dubitet, vtrum causa dispensationis sit iusta,quia ad clementiorem partem declinandum est; id namq; petit bonum, & suaue Ecclesiæ regimen, quia via multis scrupulis aperiretur, si in dispensatione semper certa causa requireretur, & vix auderent superiores dispensare. Ita Sanchez *in summa tom.1. lib.4. cap.45. num.10.* Siluester *verbo dispensatio num.20.* Diana *part.1. tract. de legibus resol.* 31. & alij.

An quando bona fide credebat causam esse iustam & sufficientem ad dispensandum, sed reuera non erat sufficiens, sit valida dispensatio?

BRACTEA XCI.

R. Validam esse. Ratio, quia non est credibile Summum Pontificem aliam habere intentionem circa suas leges, in quibus permittitur inferiori dispensare. Et ita Azorius *part. 1. lib.7. cap 29.quest.9.* & alij. vnde sufficit,vt secundum regulas prudentiæ causa iudicetur proportionata.

An Episcopus possit dispensare in lege Pontificis, quando dubium est, an egeat dispensatione?

BRACTEA XCII.

R. Quod si dubium sit positiuum non excludens, probabiliter potest dispensandus absque dispensatione operari. Ratio, quia in dubijs fauorabilior pars tenenda, & operans absque dispensatione sequitur opinionem probabiliorem.

R. 2. Si dubium sit negatiuum, ita vt non possit affirmare dispensationem esse frustra: vel dubium est æquale, vel inæquale, si primum, in fauorem præsumendum est: nimirum casum non indigere dispensatione; si verò dubium præponderet in affirmatiuam partem, nimirum casum indigere dispensatione, Castrus Pallaus *in opere morali tom.1.tract.3. disp.6. pun.5. num.*10. existimat posse reputari non indigere illa, quia non debet censeri aliquo præcepto, seu lege obligatus, si de lege moraliter certa non constet, & supposito quod in tali dubio necessaria sit ad operandum dispensatio Episcopi erit sufficiens,cum casus dubius non sit Papæ reseruatus,& potestas dispēsandi latè est interprætanda. Ita Em. Sà *verbo dispensatio num.1.* sententiam probabilem vocat Salas *de legibus disp.10. sect.3. num.28.* Suarez *de Religione tom.2.lib.6.cap.26. num.6.* Sanchez *in summa tom.1.lib.4.cap.49.num.26.* & alij; Bonacina *de legibus disp. 1. quæst. 2. pun.1.* existimat, dispensationem petendam esse à Summo Pontifice. Et ratio est, quia non debemus exponere nos periculo delinquendi contra legem superioris,in qua Episcopus exceptis quibusdam casibus dispensare potest sententiæ Castri Pallai, tanquam probabiliori adhæreo.

Sciendum esse, vt dictum fuit supra aliquos casus, in quibus Episcopi absolutè possunt dispensare, primus est, in rebus, quæ frequenter accidunt, vt sunt ieiunia, recitatio horarum, &c. quia licet Summus Pontifex ad hæc obligauerit, potest tamen Episcopus cum suis subditis dispensare. Diana *tract. 2. de dispens. resol.12.* & cum eo plures.

Secundus casus est, quando materia est leuis & illa censetur leuis,quæ non obligat sub mortali.

Tertius casus est, quando materia legis non est communis, sed propria solum subditorum Episcopi in quo casu Episcopus potest dispensare.

Quartus casus, quando recursus ad superiorem est valdè difficilis, quia tunc ex præsumpta voluntate Pontificis, potest Episcopus dispensare.

Quintus casus, si cōsuetudine præscribatur, quia consuetudo præscripta iurisdictionem concedit. Diana *loco cit.*

An Episcopus vrgente necessitate dispensandi in lege Pontificia, possit cum aliquo dispensare, quoties ipse potest Summum Pontificem per litteras certiorem facere, & inopiæ partium, quibus est dispensandum suis redditibus, & pecunijs occurrere?

BRACTEA XCIII.

R. Episcopum posse in tali euentu dispensare non admonito Summo Pontifice, quem suis sumptibus admonere posset. Ratio, quia nullo iure probari potest, Episcopum teneri redditus suos in impetrandis dispensationibus insumere. Ita Salas *de legibus disp.20. sect.3.num.29.* Sanchez *in opere morali lib.4. cap.40. num.79.* & alij. Contra Bonacin. *de legibus disp.1. quæst.2.part.2.n.19.* Vasquez *1.2. disp.178.num.16.cap.2.* qui existimant

teneri

teneri Episcopum suis sumptibus certiorem facere Summum Pontificem de impedimento, in quo est dispensandum, & pauperiem eorum, cum quibus dispensandum est supplere, modo commodè possit; sed vt dictum est, non teneri Episcopum suos redditus impendere in impetrandis dispensationibus.

An Episcopus possit dispensare in impedimento dirimenti, quando fuit obtenta dispensatio, sed fuit surreptitia?

BRACTEA XCIV.

R. Episcopum habere facultatem dispensandi, seu confirmandi dispensationem à Pontifice obtentam ex falsa causa, quando virtute illius fuit contractum matrimonium, & est scandalum in separatione. Ita Dispensator *tit. de dispens. §. Nunc de Episcoporum, &c. nu.*17. Sylua *beneficiorum 4. part. quæst.* 7. *num.*140. Bertachinus *tract. de Episcopo lib.4. part.2. qu.*49. & alij, quod deducitur ex Cap. Quia circa, vbi interrogatus Innocentius Tertius à quodam Episcopo de quibusdam, qui subreptitia dispensatione matrimonium contraxerunt, sic respondit; Dissimulare poteris, vt remaneant in copula sic cōtracta, cum ex separatione graue videas scandalum imminere, licet plures intelligant hunc textum, vt dissimulatio illa Pontificis dispensationem inducat, & alij alio modo interprætentur; sed supradicta est nostra opinio, ac sententia.

An Episcopus possit dispensare in costitutionibus suæ Synodi?

BRACTEA XCV.

R. Affirmatiuè etiam absque causa. Ratio, quia dicitur dispensare in re propria mutando ꝓpriā voluntatē, cū solus ipse in Synodo Diœcesana suffragium habeat decisiuum, ceteris autem assideant illi, vt consilium præbeant, Ita Nauar. *in manuali cap.*25. *num.*74. Bott. *de Synodo Episcop. art.*4. *num.*3. & ideò posse dispensare contra constitutiones proprias, ac Synodalia, & alia ipsius Decreta. Ratio, quia in omnibus casibus, in quibus potest statuere, & punire, potest etiam dispensare. Ita plures apud Barbosam *de officio, & potestate Episcopi allegat.*34. *num.*3. & 4. & apud Dianam *part.*8. *tract.*3 *de dispens. resol.*26.

An possit in votis dispensare?

BRACTEA XCVI.

R. Seclusa reseruatione integrum esse Episcopis dispensare in suis Diœcesibus in omnibus votis, sicut Pontifex in toto Orbe, at ratione reseruationis nequit dispensare in voto perpetuæ castitatis, Religionis, &c. ergo, &c. Ratio secundæ partis patet, quia sunt Ordinarij in suis Diœcesibus, & possunt omnia illa circa dispensationes, quæ potest Pontifex in toto Orbe. Tum etiam, quia habet omnem iurisdictionem necessariam ad rectam Ecclesiæ suę, ac subditorum gubernationem; facultas dispensandi in votis est necessaria, ergo, &c.

R. 2. Non posse Episcopum dispensare, nisi in votis suorum subditorum, nomine subditi intelliguntur, primo ij, qui habent domiciliū in Diœcesi, secūdo, illi, qui licet nō habeāt domicilium, habebt tamen intentionem ibi manendi maiorem partem anni, tertio vagi, quia contrahunt domicilium in loco, & Diœcesi, in qua reperiuntur.

An possit dispensare in votis subditorum extra Diœcesim?

BRACTEA XCVII.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia hæc dispensatio est actus iurisdictionis voluntariæ, quæ non requirit territorium, quod etiam debet intelligi de subdito extra Diœcesim, cuius votum ab Episcopo, vel extra, vel intra Diœcesim potest dispensari. Ita Suarez *lib.*6. *de voto cap.*11. *num.*10. Sanchez *lib.*4. *de voto cap.*38. *n.*32.

An in votis Religiosorum exemptorum possit dispensare?

BRACTEA XCVIII.

R. Affirmatiuè de licentia suorum Superiorum in his, in quibus ipse Superior potest dispensare. Ratio, quia dispensatio censetur concedi ex commissione data à Superiore. Bonacina *de legib. disp.*4 *quæst.*2.

R. 2. Posse Episcopum dispensare in votis Religiosorum de licentia proprij Superioris, quando non patet aditus ad maiorem Superiorem habentem facultatem dispensandi in votis, in quibus ipse Episcopus potest dispensare cum suis subditis. Ratio, quia quilibet potest renunciare priuilegio concesso sibi in fauorem: exemptio est quidam fauor, & priuilegium cōcessum Religiosis, vt quiete viuant, & ne ab Episcopis vexentur; ergo tali priuilegio Religiosus potest cedere petendo dispensationem ab Episcopo; quamuis priuilegium exemptionis sit concessum toti Religioni, nihilominus in his casibus gratiosis tota Religio censetur consentire, cum ex tali consensu reportetur commodum, & non damnum, nec videatur esse deterioris conditionis cæteris Religiosis non exemptis.

An possit dispensare in voto castitatis?

BRACTEA LXCIX.

R. Primò posse dispensare in voto castitatis temporalis, v. g. ad annum, vel ad aliud tempus determinatum emisso. Ratio, quia votum temporale non cēsetur simpliciter votum, cum votum perpetuitatem importet. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.*88. *art.*11. Palludanus *in* 4. *dist.* 38. *q.*4. *art.*4. D. Antoninus 2. *part. tit.*11. *cap.* 2. §. 9. Nauar. *in sum. cap.*12. *n.*76. Angelus *verbo votum* 4. *n.* 9. Armilla *verbo dispensare n.*18. Sotus *lib.*7. *q.*4. *ar.*3. Toletus *lib.*4 *sum. cap.*18. *nu.*11. Henriquez *lib.*7. *de indul. cap.*30. *n.*6. Vega 2. *tom. sum. cap.*129. Valentia 2. 2. *disp.*6. *quæst.*6. *pun.*7. Arragonius 2. 2. *quæst.*88. *art.*12. & alij.

R. 2.

R.2. Posse Episcopum dispensare in voto castitatis perpetuæ ob periculum continentiæ, vel quando imminet magnum periculum expectando dispensationem Papæ,&c. vt est periculum magni scandali, vel damni tertiæ personę, quia in tali euentu non censetur Papa dispensationem sibi reseruare, cũ nõ soleat reseruare dispensationem in perniciem, sed in vtilitatem animarum. Ita plures citati apud Bonacinam *de legibus disp.4.quæst.2.pun.7.nu.15.*& apud Sanchez *lib.8.disp.9.num.22.*

An dispensare possit in voto castitatis coniugalis seruandæ?

BRACTEA C.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia non censetur votum castitatis absolutum, cum non claudat in se omnimodam continentiam, sed solùm ad actus venereos illicitos. Ita Henriquez *lib 7.cap.3 num.6.* Sanchez *lib.8.disp.9.num.7.*

R.2. Posse dispensare in voto, quo alter coniugatus absque alterius licentia ad non petendum debitum se astringit. Ratio est eo, quod non sit votum perfectum integræ castitatis, sed partis. Ita Siluester *verbo votum 5. quæst. 2. num. 5.* Azorius *lib.11.cap.19. quæst.6.* Barthol. à Ledesma *de matrimonio dub.7.* Emanuel Sà *verbo votum*,& alij apud Sanchez *loco cit.num.8.*

An possit dispensare in voto castitatis per metum emisso?

BRACTEA CI.

R. Affirmatiuè, quamuis per metum leuem emissum sit. Ratio, quia cum reseruatio votorum sit odiosa, quia contra ordinariam Episcoporum facultatem, quam habent dispensandi in voto, strictè est explicanda,& consequenter non videtur extendenda ad vota per metum emissa. Ita Lessius *lib. 2. cap 40.num.106.* Nauarrus *cap.12.num.69.* Reginaldus *cap.118.num.338.*& alij.

An in voto castitatis pœnali possit Episcopus dispensare?

BRACTEA CII.

R. Episcopum posse dispensare in voto castitatis pęnali, quando in eius principali potest dispensare; vt si quis voueat non ludere sub pęna seruandæ castitatis per mensem, & postea petat dispensationem ab Episcopo, Episcopus, qui potest dispensare in voto non ludendi, potest etiam dispensare in voto castitatis, quia sublato principali aufertur etiam accessorium; secus dicendum erit, si votum principale sit reseruatum, & votum illi adiunctum non sit reseruatum. Vnde si quis voueat castitatem, & si eam violet facere certam eleemosynam, aut ieiunare, Episcopus poterit in eleemosyna, aut ieiunio dispensare, quia non est circa materiam reseruatam, non verò poterit dispẽsare voto principali, quod est votum perfectæ castitatis. Ita Suar. *lib.6.cap.23.num.3.*& alij.

An in voto disiunctiuo, cuius altera pars est reseruata, altera autem non, possit dispensare?

BRACTEA CIII.

R. Posse. Ratio, quia vouenti integrum est illam partem non reseruatam eligere, in qua potest Episcopus dispensare,& in alternatiuis electio est debentis; regula *in alternatiuis de regulis iuris in 6.* quod si vouens elegerit sibi partem reseruatam, tunc Episcopus non potest dispensare, nam votum disiunctiuum circa materiam reseruatam, vel non reseruatam facta electione materiæ reseruatæ constat remanere reseruatum; nam electio fit ex vi voti,& perinde est, ac si dũ votũ emitteretur, electa fuisset materia reseruata. Ita Sanchez *lib.4.cap.40.num. 43.* Suarez *lib.6.cap.2.num.3.* Azorius *1.par.lib.11.cap.19.*& alij.

Et quid de voto conditionato?

BRACTEA CIV.

R. Episcopum posse dispensare in voto conditionato de futuro, modo conditio non sit adimpleta. Ratio, quia tale votum non censetur perfectum, nisi adimpleta conditione, & vota, quæ Papæ reseruantur, sunt perfecta, & cum reseruatio sit odiosa, non videtur extendenda ad vota imperfecta, idest ad vota sub conditione de futuro.

Dixi primò sub conditione de futuro, quia in voto sub conditione præsenti, vel de præterito non potest Episcopus dispensare, cum huiusmodi conditio non suspendat consensum, nec efficiat votum conditionale, *l. Cum ad præsens ff. si certum petatur*, quod valet etiam, si votum sit pęnale ob eandem rationem. Ita Suarez *lib. 6. cap.23.num.91.* Sanchez *lib.4.cap.40. num. 88* & alij. Item dicendum, si votum sit sub conditione necessaria, cum habeatur pro adimpleta, cum sit necessariò euentura.

Dixi 2. modò conditio nõ sit adimpleta, quia adimpleta conditione votum censetur absolutum,& non minus obligat, quam si factum fuisset sine conditione. Reginaldus *lib 18. num. 336* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num.106.* Suarez *lib.6. cap.22.num 3.* Clauis regia *lib.6.cap.11.num.77.* Sanchez *lib.4.cap.40.* modò tamen votum non sit pęnale, quia si tale erit adimpleta conditione poterit Episcopus in eo dispensare. Ratio, quia votum, quod Papæ reseruatur, censetur illud, quod fit ex directa volitione,& ex affectu boni quod promittitur; votum verò pęnale non fit ex affectu boni, quod promittitur, sed potiùs ex quadam detestatione, vt vouens retrahet se ab aliquo malo. Ita Arragonius *2.2. quæst. 88. art. 12* Sanchez *cap.40.num.91.* Clauis regia *lib. 6. cap. 11.num.32.* Lessius *loco citato*, Reginaldus *lib. 18. num. 337.* Suarez *lib.6.cap.23.num.6.*& alij.

An in voto non nubendi, seù non fornicandi possit Episcopus dispensare?

BRACTEA CV.

R. Posse Episcopum dispensare. Ratio, quia hoc votum non censetur perfectum votum

tum castitatis, sed tantum partiale, quia votum castitatis obligat ad aliquid amplius, quam ad votum non nubendi, quia si quis habens votum castitatis, vxorem ducat, tenetur non petere debitum, ad hoc minimè obligat votum non nubendi; & ita tenent S. Antoninus *2. par. tit. 2. cap.* 11 §. 1. Angelus *verbo votum 4 num. 9.* Nauarrus *cap. 12. num. 76.* Reginaldus *lib.* 18. *num.* 332 & 334. Sotus 4. *dist. 38. quæst. 2. art.* 1. Arragonius *2. 2. quæst.* 88 *art. 12.* Henriquez *lib. 7. de indulgentijs cap. 30. num.* 6. Armilla *verbo dispensare num.* 18. Rosella *verbo impedim. 4. num* 13 Azorius *lib. 11. cap. 19 quæst.* 5. & alij plures apud Sanchez *lib. 8. disp. 9. num. 11.*

An possit dispensare in voto virginitatis seruandæ?

BRACTEA CVI.

R. Non posse dispensare in voto virginitatis seruandæ, nisi expressè noluerit vouens se obligare ad castitatem, sed tantum ad corporis integritatem seruandam consistentem in continẽtia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas deperditur. Ratio est, quia quando hæc expressa intentio non reperitur, censetur votum absolutum castitatis, secus vbi ea adest. Ita Sanchez *loco citato nu. 9.* Azorius *lib. 11. cap. 19. quæst.* 24. & alij.

An in voto suscipiendi ordines sacros possit dispensare?

BRACTEA CVII.

R. Affirmatiuè, quia tale votum non censetur votum castitatis, cum vouens suscipere sacros ordines, non teneatur ad castitatẽ ante susceptionem sacrorum ordinum. Ita Bonacina *de legibus disput. 4. par. 2. pun 7. § 4. num* 17 & cum eo plures citati. Sed est votum assumendi statum, cui castitas annexa est, & hic vouens non est sacrilegus fornicando, & si matrimonium iniret, peccaret contra votum, & posset petere debitum; & ita sentiũt plures citati apud Sanchez *loco citato num. 13.*

An Episcopus possit dispensare in voto Religionis?

BRACTEA CVIII.

R. Posse dispensare Episcopum in voto Religionis in illis casibus, in quibus potest dispẽsare in voto castitatis perpetuę; quia credi potest non esse mentem Pontificis in tali casu reseruare sibi vota; & ita Sanchez *loco citato num. 32.*

R. 2. In voto religionis non approbatæ posse dispensare, quia religio approbata non est verè religio, consequenter votum illius non est propriè votum religionis. Ita Lessius *lib. 2. cap. 40. dub 13. num. 105.* Sanchez *lib. 4. cap. 40. num. 70.* Reginaldus *lib. 18. num. 331.* & alij.

R. 3. Posse commutare votum religionis arctæ in laxiorem religionem, cum hæc non dicatur propriè dispensatio in voto religionis, sed in quadam circumstantia ipsius, cum non tollatur obligatio voti, sed remaneat. Ita Lessius *loco citato num. 105.* Reginaldus *loco citato.* Azorius 1. *par. lib. 11. cap. 18. quæst.* 8. Clauis regia *lib. 6. cap. 11. num. 63.* & alij.

An possit dispensare in voto ingrediendi Religionem militarem D. Ioannis?

BRACTEA CIX.

R. Negatiuè, quia is ordo est vera religio, in qua tria vota solemnia emittuntur. Ita Sanchez *loco citato num.* 16. & cum eo Auctores citati.

R. 2. Posse Episcopum dispensare in voto alterius Religionis militaris. Ratio, quia ceteræ religiones militares non sunt stricto modo religiones, cum deficiant à natura perfectæ religionis, ideò Papę non reseruatur. Sanchez *loco citato.*

An Episcopus possit dispensare in voto eundi pedetentim ad limina Apostolorum, siuè stipem ostiatim quærendo?

BRACTEA CX.

R. Affirmatiuè, & commutare posse in peregrinationem equestrem ijs etiam concessis, quæ ad vitæ sustentationem necessaria sunt. Ita Lessius *lib. 2. cap 40 dub. 13. num. 115.* Sanchez *loco citato cap. 40. num.* 78. Reginaldus *lib.* 28. *num. 332.* Ratio, quia non dispensatur in substantia, sed solùm in circumstantia extrinseca voti.

An possit dispensare in differenda voti Religionis executione?

BRACTEA CXI.

R. Affirmatiuè, ne scilicet votum intra tempus præfixum impleatur, vt si quis promiserit intra vnum annum se religionem ingressurum, potest Episcopus dispensare, vt ex iusta causa differat, dũmodo non adeò differatur, vt sit periculum in eum statum incidendi, vt fiat impotens ad votum implendum. Ratio, quia hæc dispensatio non est in substantia, sed in qualitate voti.

An possit dispensare in voto Religionis pœnali?

BRACTEA CXII.

R. Affirmatiuè etiam post impletam conditionem. Ratio, quia votum pœnale religionis etiam adimpleta conditione deficit valdè à perfecta voti religionis natura, ratione cuius perfectionis reseruatur tale votũ, & ideo in tali voto, quia non reseruato, vtpote imperfecto dispensare possunt Episcopi. Lessius *lib. 2. cap. 40. dub.* 18 *num.* 130. Malderus *in 2. 2. tract. 10. cap. 5 dub.* 10. Henriquez *lib. 7. cap. 30. nu. 6.* & plures alij ab ipso citati.

Et

Et quid de voto Religionis conditionali?

BRACTEA CXIII.

R. Non solùm ante, sed etiam post impletam conditionem Episcopum posse dispensare in voto religionis conditionali. Ratio, quia cum tale votum depẽdeat à conditione, non censetur habere originem à voluntario perfecto, sed à consensu quodam imperfecto, & cum reseruatio sit odiosa extendenda solùm est ad vota perfecta, quæ habent originem à consensu perfecto, & per consequens potest Episcopus in eo dispensare, eo quod in se retineat imperfectionem radicis, ex qua procedit. Ita Lessius *lib.2.cap.40.dub.18.num.131.* Sanchez *lib.8.disput.* 10. Filliucius *tom.2.tract.26.cap.7.num.269.* Suarez *de relig. tom.2.lib.6.cap.22.num.* 11. Valentia *in 2.2.disput.6.quæst.6.pun.7.* Azorius *par.1.lib.11.cap.19. quæst.13.* Diana *tract. de Bulla Cruciatæ resolut.54.* & alij.

An possit dispensare in voto non committendi mollitiem, aut non tenendi amicitiam certæ mulieris? aut abstinendi ab aliquo actu venereo?

BRACTEA CXIV.

R. Posse. Ratio, quia talia vota non sunt vota perfecta castitatis, sed partialia, & ideò Papæ non censentur reseruata. Ita Barbosa *de potestate Episcopi par.2.allegat.37.num.15.* Molphesius *in summa tom.1.tract.11.cap.15.nu.* 50. Lessius *lib.2.cap.40.dub.* 18.*num.105.* Grassius *decis.par.1.lib.2.cap.31.num.* 30. Vgolinus *de potestate Episcopi cap.* 58. *num.3.* Reginaldus *tom.2.lib.18.cap.22.num.33.* & alij apud Dianam *loco cit.resol.60.*

An votum factum cum intentione efficiendi illud reseruatum, possit ab Episcopo dispensari?

BRACTEA CXV.

R. Posse. Ratio, quia vouentis intentio priuata non potest tollere potestatem Superioris. Et ita Sanchez *in summa tom.1.lib.4.cap.40.num* 79. Reginaldus *tom.2.lib.18.cap.22.num.* 233. Suarez *de relig.tom.2.lib.6.cap.21.num.15.*

An possit dispensare ad petendum debitum cum coniuge, qui voto castitatis adstrictus matrimonium iniji?

BRACTEA CXVI.

R. Posse Episcopum dispensare. Ratio, quia votum Papæ reseruatum est perfectum, & absolutum, hoc autem non est perfectum, cum possit reddere licet non petere. Et ita Tabiena *verbo matrimonium 1.quæst.2. & verbo impedimentum impedim.2.quæst.5.* S. Antoninus 3. *par.tit.* 1. *cap.* 22.§.2. Sotus 4.*dist.37.quæst.vnica*, Corduba *in summa quæst.146.p.2.* Toletus *lib.7.cap.14.num.4.* Henriquez *lib.12. de matrimonio cap.* 2. *num.* 9. & alij apud Sanchez *lib.8.disput.12.num.* 4. Votum autem castitatis perfectum rationem non reddendi, & non potendi debitum includit, & cum dispensatio sit odiosa, restringenda est ad propriam verborum significationem, vt dum reseruatur casus, debeat intelligi, quãdo habet propriam, & completam rationem castitatis in propria specie.

An possit dispensare in voto facto in fauorem tertij?

BRACTEA CXVII.

R. Antequam votum sit à tertio acceptatum posse etiam absque consensu illius, in cuius fauorem fuit votum factum Episcopum dispensare. Ratio, quia Episcopus potest dispensare in alijs votis, præterquam in reseruatis; ergo etiam potest dispensare in isto. Tum etiam quia tertio, cum nondum habuerit ius acquisitum non fit iniuria, & per consequens cum Episcopus nulli faciat iniuriam, poterit in eo dispensare.

R.2. Regulariter Episcopũ nõ posse dispensare in voto facto in fauorem alterius, postquam votum fuit ab eo acceptatum, nisi adsit consensus illius, in cuius fauorem factum est. Ratio, quia tertius per acceptationem acquisiuit ius, Episcopus autem non potest iustè aliquem priuare suo iure acquisito, nisi adsit consensus illius, vel alterius habentis facultatem remittendi. Ita Sanchez *lib.* 6.*cap.15.num.7.* Azorius 1. *par.lib.11.cap.19 quæst.12.* Clauis regia *lib.* 6. *cap.* 11. *num.121.* Sanchez *lib.4.cap* 41.*num.7.& 16.* Reginaldus *lib.18.num.355.* Lessius *lib.2.cap.40.dub.11.num.90* & alij.

An Episcopus potest dispensare in quinque votis principalioribus, si fiant in pœnam?

BRACTEA CXVIII.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia illa solùm vota Summo Pontifici reseruantur, quę simpliciter, & absolutè sunt religionis, & castitatis volitæ, & peregrinationis desideratę qualia non sunt pęnalia, vt v.g. voueo me non lusurum tali ludo, vel non peccaturum tali peccato, quod si secus fecero ingressurum religionem, aut iturum in Terram Sanctam; in quo voto pęnali Episcopus potest dispensare. Et ita tenent Arragonius 2.2.*qu.*88.*cap.*12. vbi ait, hanc esse communem sententiam. Lopez *in instructor. par.1.cap.44.* Toletus *in summa lib.4. cap.* 18. Henriquez *lib.3.de indulgentijs cap.30.§.6.* Rodriq. *in summa par.* 2. *cap.* 97. vbi refert viros grauissimos hanc sententiam tenentes, Basilius Punctius *de matr. lib.8.cap 9.num.10.* Sanctarellus *in tract.de Iubilæo anni Sancti cap.11.* Lessius *lib.2.cap.40.dub.* 13. *num.* 106. & alij.

An possit dispensare in voto de non contrahendo matrimonio?

BRACTEA CXIX.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia non est votum simpliciter castitatis, neq; illud violatur,

latur, si vouens cum alia fornicetur. Ita Henriquez, Rodriquez *locis citatis*, Lopes *in instructor. conscientiæ par.1 cap.49.* Sanchez *disput.9.num.11.* Basilius Pontius *de matrimonio lib. 8. cap.8.§.2.num.19.* Sanctarellus *de Iubileo anni sancti cap. 9. dub. 5.* & alij.

An possit prorogare votum peregrinationis?

BRACTEA CXX.

R. Affirmatiuè dummodo votum non adeò differatur, vt sit periculum in eum statum incidendi, vt vouens reddatur impotẽs ad votum implendum. Ratio est, quia non est dispensare in substantia voti, sed in eius qualitate. Ita supracitati Doctores.

An Episcopus possit relaxare iuramentum?

BRACTEA CXXI.

R. Affirmatiuè exceptis his, quorum relaxatio spectat ad Papam, vt sunt iuramenta, quibus confirmantur statuta Collegiorum, & bonorum Ecclesiasticorum, & iuramenta Regum, Ducum, Principum, Marchionum, Comitum supremam habentium in temporalibus iurisdictionem, Episcoporum, Superiorum Ecclesiarum, Antistitum, & aliorum Romano Pontifici immediatè subiectorum, & iuramenta, quæ in rebus arduis, & difficillibus interponuntur. Ita Abbas *cap. Quando num.9. de iureiur.* Sotus *4.de iustit. quæst.1.art.9.* Azorius *lib.11.cap.9.* Reginald. *lib.18.num.28.* Excipitur iuramentum, quod habet annexum votum Papę reseruatum, nisi vt docet Sanchez *lib.6. de matrim. num.6.* Iurans intenderet solum Deum in testem adducere, non verò respicere Deum, quasi ei vellet aliquid offerre in eius obsequium, quia tunc non censetur continere votum, & promissionem erga Deum, & reseruatio cum sit odiosa strictè est interpretanda.

Et quid de iuramentis pœnalibus, aut conditionalibus?

BRACTEA CXXII.

R. In illis Episcopum posse dispensare. Ratio est, quia potest dispensare in votis Deo factis; ergo potest etiam relaxare iuramenta. Ita Arragon. *2. 2. quæst. 88. art.9.* Henriquez *lib.7.cap.30.num.7.* Azorius *tom.1. lib.11.cap.10.* Em. Sà *verbo iuramentũ num.32. & verbo votum nu.16.*

An possit dispensare in iuramentis præstitis intuitu Diuini obsequij?

BRACTEA CXXIII.

R. Affirmatiuè. Ita plures citati apud Barbosam *de officio, & potest. Episcopi part.2. alleg. 25.* Ratio, quia sicut Episcopus habet potestatem dispensandi in votis, ita etiam in iuramentis intuitu Diuini obsequij factis, quia habent eandem rationem, & idem fundamentum, vt docet Suarez *lib.2. de iuram.cap.40.num.3.* Sanchez *de matrim.lib.8.disp.13.num.1.*

R. 2. Episcopum electum, & confirmatum, licet nondum consecratum posse in iuramento dispensare. Ratio est, quia habet omnem administrationem Episcopatus, & quæ pertinent ad potestatem iurisdictionis, & cum eiusmodi potestas dispensandi in iuramentis, non sit ordinis, sed iurisdictionis rectè in illis Episcopi electi, & confirmati, licet nondum consecrati dispensare possunt. Lessius *de iustit. lib.2. cap.40. dub.12.num 100.* Sanchez *lib.4.c.38.nu.7.* secus autem si solum electi sint.

An possit dispensare non admonito Summo Pontifici, quem in casu pauperum suis sumptibus admonere potest?

BRACTEA CXXIV.

V Asquez *1.2. tom. 2. disp.178. cap.2. num.16.* negatiuè respondet, quia in tali casu non apparet necessitas dispensandi, cum periculum non sit in mora, & ad Pontificem recurri possit per litteras Episcopi, qui potest, & tenetur paperũ necessitati subuenire, q̃ opinionem amplexus est, etiam Bonacina *de legib. disp.1. quæst.2. pun.1.num.29.* his non obstantibus.

R. Episcopum non obligari suis sumptibus admonere Summum Pontificem de paupertate eorum, qui petunt dispensationem, vel relaxationem, sed absolutè posse eos dispensare ob paupertatem partium. Et ita habet Praxis, & plures Doctores sentiunt.

An possit commutare legatum pro fabrica Ecclesiæ, &c. in celebratione Missarum?

BRACTEA CXXV.

R. Affirmatiuè. Et ita Diana *tract.7. Missel. resol.26.* Ratio, quia regulariter potest cõmutare legatum in æquale, aut melius: in isto casu censetur commutare legatum in melius, & sic faciendo videtur interpretari voluntatem Testatoris.

An Episcopus habeat iurisdictionem in Regulares?

BRACTEA CXXVI.

R. Quod licet de iure communi haberent Episcopi iurisdictionem in omnes Regulares. Nunc verò ex priuilegio Summi Pontificis omnes ferè Regulares sunt exempti ab Ordinariorum iurisdictione, & ideò super eos non possunt iurisdictionem exercere, nec aliquem ad professionem admittere, nec dispensare, cum Religiosis in votis iuramentis, &c. & ita communiter omnes.

Sciendum hanc exemptionem, quam habent ex priuilegio Regulares ex varijs constitutionibus Summorum Pontificum per Concilium Tridentinum in varijs casibus restrictam esse.

Primus casus est, Regulares extra Monasterium degens, si delinquerit ab Ordinario loci,

tamquam Sedis Apostolicæ Delegato puniri potest, vt statuit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 3. de reformat.* Tunc Regularis dicitur degere extra Monasterium, quando non viuit sub Superiore, & ita declarauit Sacra Congregatio, vt referunt Genuens. *in praxi Archiepisc. cap. 59.* Piacel. *in praxi Episcop. part. 2. cap. 3.* Barbosa *de potest. Episcop. part. 3. allegat. 105. num. 16.* Si verò maneat de Superioris sui licentia sub regulari obseruantia, &c. si deliquerit non ab Ordinario loci, sed à suo Superiore puniri debet secundum formam Concil. Tridentin. *sess. 25. de regul. cap. 14.*

Secundus casus est, Ordinarij tamquam Sedis Apostolicæ Delegati in causis mercedum, & miserabilium personarum Regulares debitores extra Monasterium degentes cogere, & compellere ad soluendum debitum possunt, Concil. Trident. *sess. 7. cap. 14. de reform.*

Tertius casus, Regulares non possunt libros dare ad imprimendum sine approbatione Ordinarij, ita ex Concil. Trident. *sess. 4.*

Quartus, Episcopus cogere potest Regulares suæ Diœcesis, tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus, vt lectionem Sacræ Scripturæ in Monasterijs suis habeant si commodè fieri potest Trident. *sess 5. cap. 1. de reform.*

Quintus, Regulares in Ecclesijs, quæ sui ordinis non sunt, prædicare volentes vltra suorum Superiorum licentiam, Episcopi etiam licentiam impetrare coguntur, sine qua nullo modo in eis prædicare valent. Ita Conc. Trid. *sess. 5. cap. 2. de reform.*

Sextus, Regulares subijciuntur Episcopis, quoad ordines suscipiendos.

Septimus, Episcopus habet iurisdictionem in Religiosos concernentibus curam animarum, quam ipsi exercent.

Octauus, Regulares non possunt audire confessiones, nisi approbati sint ab Ordinario, in cuius Diœcesi volunt eas audire Concil. Trid. *sess. 23. cap. 15. de reform.*

Nonus, Regulares non possunt ædificare Ecclesias, seu Monasteria sine Episcopi Diœcesani consensu, *ex cap. auctoritate de priuil. in 6.* & ex Concil Trid. *sess. 25. de regul. cap. 3.*

Decimus, vt Episcopi in omnibus Monasterijs eis subiectis ordinaria, in alijs verò Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram Monialium vbi violata fuerit diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, ex Concil. Trid. *sess. 25. de regul cap. 5.*

Vndecimus, Regulares omnes subiacent Episcopo in colendis festis, Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 12.*

Duodecimus, interdicta, & censuras ab Episcopo promulgatas, in eorum Ecclesijs publicare, si Episcopus præcipiat, ac eas seruare tenentur, Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 12.*

Decimustertius Regulares ad publicas processiones vocari accedere per Episcopum compelli possunt, Concil. Trident. *sess. 25 de regul. cap. 13.*

Decimusquartus, nulla renunciatio, aut obligatio facta à Nouitijs Religionũ valida est, nisi de licentia Episcopi, vel eius Vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionem Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 16.*

Decimusquintus, Nouitijs nolẽtibus profiteri; sed à religione volẽtibus egredi sunt restituenda omnia bona, quæ tempore ingressus detulerunt in Monasterium, Concil. Trident. *loco cit. cap. 16.*

Decimussextus, Regularis prætendens per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut dicens ante ętatem professionem emisisse, non est audiendus, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiori suo, & Ordinario loci, ita habetur in Tridentino *sess. 25. de regulis cap. 19.*

Decimusseptimus, Episcopus potest compellere Regulares executores piarum voluntatum ad reddendam coram se rationem executionis testamentorum, atque eos punire, si malè gesserint. Ita in Clement. 1. *de testam.*

Decimusoctauus, Regularis si extra loca vbi Monasteria corũ existunt eleemosynas quęrere volunt, tenentur suorũ Superiorum licentiam Ordinario loci ostendere, sic declarauit Sacra Congregatio, & refert Barbosa *alleg. 105. num. 51. & alleg. 109. num. 10.*

Decimusnonus, Episcopus absoluit Regularem leuiter percutientem Clericum, *cap. Religioso de sent. excommun. lib. 6.*

Vigesimus, in causis hæresis Regulares subduntur iurisdictioni Episcoporum, *cap. ad abolenda, cap. vt officij §. denique.* Et quamuis hi textus loquantur de Inquisitoribus, tamen sub eisdem verbis Episcopi cõpræhenduntur habent enim titulum inquisitorum.

Vigesimus primus, Regularis sollicitans pęnitentes ad turpia in confessione potest ab Episcopo puniri, tamquam suspectus de hæresi ex Bulla Gregorij Decimi Quinti, incip. *Vniuersi.*

Vigesimus secundus, Regularis si absque habitu incedat extra Monasterium poterit ab Ordinario puniri. Ita Franc. *in cap. 1. num. 5. de priuileg. in 6.* Fuscus *de visit. lib. 2. cap. 16. num. 2.* Cochier. *de iurisd. ordin. in exempt. part. 2. quæst. 43. nu. 35.* & alij.

Vigesimustertius, Episcopus punit Regulares, qui sibi Episcopalia arrogant, *cap. cum, & plantare.*

Vigesimus quartus, Episcopus si fugæ sit periculum potest capere Regulares, & remittere ad eorum Iudicem competentem: Ita Felin. *in cap. fin. num. 7. de foro compet.* Cardin. in Clement. 1. *quæst. 3. de offic. ordin.* Rodriquez *quæst. Regul. tom. 2. quæst. 63. artic. 7.* & alij.

Vigesimus quintus, Regulares subduntur Episcopo in eis omnibus, quę sunt Ordinis Episcopalis, nempè in petitione chrismatis consecrationis Ecclesiarum, &c. Ita *ex cap. veniens,* vbi Panormitanus *notab. 2.*

Vigesimus sextus, Episcopus potest in locis, & Ecclesijs exẽptis sua Diœcesis facere solẽnes benedictiones, ac Missam, ac alia Diuina officia in Pontificalibus celebrare. Ita Franc. *in cap. Abbates num. 1.* Pauin. *de visit. quæst. 3. part. 2. num. 9.* Tambur. *de iure Abbat. tom. 1. disp. 15. quæst. 15. num. 3.* & alij.

Vigesimus sept. ex defectu iustitiæ in exẽptis regularibus adiri potest Ordinarius, vt suppleat si facile non possit haberi recursus ad Papam, vel Superiorem exemptorum, sic Anfredus *in reper. Clem. 1. quæst. 10. num. 9.* Barbos. *de potest. Episcop. part. 3. allegat. 105. num. 7.*

Vigesimus octauus, Regulares administrantes Sacramentum Extremæ vnctionis, vel Eucharistiæ, aut solemnitates matrimonia sine licentia Parochi possunt ab Episcopis excommunicari,

municari, ex Clement. 1. *de priuil.* Riccius *in Praxi aurea resol.* 210 Barb. *loco cit.*

Vigesimus nonus, Regulares non possunt publicare indulgentias, quas à Summo Pontifice impetrarunt sine licentia Episcopi, Concil. Trid. *sess.6. de reform. cap.3. & sess.24. cap.11. de reform.*

Trigesimus, Episcopus amota omni appellatione componit controuersias inter Regulares in processionibus publicis, aut ijs, quæ in tumulandis defunctorum corporibus cōtingunt, Concil. Trident. *sess.25. de regul. cap.13.*

Trigesimus primus, Episcopus potest denuntiare Regulares Notarios excommunicatos, vt dicetur.

Trigesimus secundus, Episcopus exemptis ijs, quæ concernunt regularia instituta habet omnimodam iurisdictionem in Canonicos Regulares Cathedralis Ecclesiæ, *cap.1. ne sede vacante*, Rota apud Farinac. *decis.69. nu.. part.21.*

An Episcopus debeat examinare Regulares pro Concionibus?

BRACTEA CXXVII.

R. Negatiuè. Ratio, quia Concilium Tridentinum *sess.23. cap.15.* dat solum facultatem Episcopis examinandi Regulares pro confessionibus, non autem pro Concionibus, licet in vna Congregatione Cardinalium sub die 21. Ianuarij 1621. declaratum fuerit, posse Episcopum examinare Regularem volentem prædicare in Ecclesijs, quæ non sunt suorum ordinum.

An possit reuocare licentiam datam Regularibus confitendi?

BRACTEA CXXVIII.

R. Talem licentiam non posse absque iusta causa reuocare. Ratio, quia data fuit in ædificationem, & non in destructionem.

R. 2. Reuocationem licentiæ datæ, sine iusta causa esse nullam, & posse Regularem vi prioris licentiæ audire confessiones. Ratio, quia talis reuocatio sine iusta causa est iniuriosa, & iniusta, & per consequens nulla. Ita Suarez *in 3. part. tom.4. disp.28. sect.8. dub.7.* Diana *tract.11. de dubijs Regularium resolut.21.* Peijrinus *de priuilegijs minimorum tom.1. constitut.26.* sic ait si Episcopus regularem debitè præsentatum, & examinatum indebitè reprobauerit, poterit nihilominus per sua priuilegia licite, & validè confessiones audire, &c. & infrà quod si quis Regularis, cum licentia sui Prælati examinatus, ac iudicio examinatorum, vel maioris partis ipsorum fuerit idoneus iudicatus, & tamen propter passionem fuit ab Episcopo reprobatus puto, quod licitè, & validè poterit confessiones audire, si nihil obstet. v.g. nisi esset malæ famæ, vel scandalosè viueret; quod tamen præsumendum non est, quando adest legitimi Superioris licentia. Ita Peijrinus *loco citato*. Ratio, quia licentia, quæ datur ab Episcopis Regularibus, non est propriè licentia, sed approbatio personæ, & quasi iusta sententia, seu declaratio, quod talis persona sit idonea ad confessiones audiendas; vnde postquam Episcopus iudicauerit, tales personas esse idoneos ministros Sacramenti Pœnitentiæ statim Papa illis concedit facultatem dictum Sacramentum ministrandi, & quia sententia data non potest reuocari, idcircò approbatio facto alicuius Regularis non potest ab Episcopo reuocari, absque magna causa, & ad dictum Sacramentum pertinente. Ita etiam Peijrinus, licet plures sint, qui contrarium sentiant.

An si Episcopus non admittat Regulares idoneos absque causa ad Confessiones audiendas, possint non obstante Concilio Tridentino Confessiones audire?

BRACTEA CXXIX.

Negatiuè respondent plures innixi Concilio Tridentino, quod statuit solum eos posse Confessiones audire, qui habent beneficium Parochiale, aut ab Episcopo, mediante examine sint iudicati idonei ad ministrandum tale Sacramentum, & per consequens eos, qui non habent beneficium Parochiale, aut idonei non fuerint iudicati, non posse confessiones Sæcularium audire, & ita Coninch. *de Sacram. disp.8. dub.7. num.58.* Vasquez *in 3 part. tom.4. quæst.43. art.3. dub.3. num.2.* Filliucius *tom.1 tract.7. cap.9. n.257.* Reginald. *in praxi tom.1. cap.16. quæst 5 num.192.* Sanctius *in selectis disp 48. num.16.* Siluius *in addit. ad 3. part. quæst 8. art.5.* & alij plures, quibus ego adhereo, nisi fortè ex odio idonei non fuerint iudicati absque legitima causa. Qui verò aliquando ab Examinatoribus idoneus iudicatus est, tunc existimo etiam non habita denuò licentia dummodo fuerit petita posse audire confessiones, & sic puto intelligendos esse auctores affirmatiuæ sententiæ, vt clariùs ex sequentibus constabit.

An possit denuò examinare Regulares, quos iam idoneos iudicauit?

BRACTEA CXXX.

R. Eundem Episcopum non posse denuò examinare Regularem, quem iam idoneum iudicauit ad audiendas confessiones. Ratio, quia in isto casu valet illud axioma. Qui semel approbatus sub eodem Episcopo censetur semper approbatus, dummodo non sit approbatus cum limitatione parui temporis, vt v. g. ad sex menses.

R. 2. Nouum Episcopum posse suspendere licentias Regularibus datas pro audiendis confessionibus, & eos denuò examinare. Ita Sanctius *in selectis disp.48.* Zanardus *in directorio Theolog. part.1. de Sacram. Pœnitentia cap. 24. §. 4.* Riccius *in praxi tom.4. resol.70. num.5* Facundez *præcepto 2. lib.7. cap.2. num.30.* Miranda *in manuali Prælatorum tom.1. qu.45. art.7.* Campanil. *diuers. Iur. Canon. Rubr. 12. cap. 13. n.70.* & alij. Et ratio, quia sic videtur consuetudine receptum, vt nouus Episcopus reuocet oēs licentias sui antecessoris pro audiendis cōfessionibus, & ad libitum, aut denuò examinet, aut licentiā nouam cōcedat, licet iuxta Mirandam

dam *in manuali Prelatorum tom. 1. quest. 45. art. 7.* & Facundez *precepto 2. lib. 7. cap. 2. num. 28.* Quando nouus Episcopus reuocat omnes licentias, & approbationes audiendi confessiones, nō compræhenduntur Regulares, quando de illis specialiter Edictum non loquitur, quia in odiosis Regulares non compræhenduntur, nisi particulariter de illis fiat mentio. Et ita etiam Henriquez *lib. 3. de penit. cap. 6. num. 6.*

An possit iusta causa limitatè approbare Regularem ad audiendas Confessiones, v. g. ad viros, & non ad fœminas?

BRACTEA CXXXI.

R. Affirmatiuè, Et ita Facundez *precepto 2. lib. 7.* & plures alij Doctores citati à Diana *tract. 2. de dubijs Regularium,* licet plures Doctores apud ipsum contrarium sentiant, *loco citato resol. 25.* sed prima opinio est probabilior, & ita est praxis.

An possint ordinare Regulares extra tempora iure statuta?

BRACTEA CXXXII.

Sanchez *de legibus lib. 8. cap. 17. num. 8.* Miranda *in manuali Prelatorum tom. 1 quest. 38. n. 4.* Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 246. cap. 5. num. 50.* Peijrinus *in priuilegio minimorum tom. 1. constitut. 2.* Sixti Quarti §. 11. *num* 39. negatiuè respondent, quia Gregorius Decimustertius, qui concessit hoc priuilegium Patribus Societatis Iesu præcipuè vetat, vt aliç Religiones possint etiam in tali priuilegio participare, etiamsi haberent participationem priuilegiorum dictę Societatis.

Contrariam sententiam tuentur multi, & inter alios Portella *in dubijs regularium verf. ordine sacri num. 4.* Villabos *in sum. tom. 1. tract. 10. difficult. 12. num. 8.* Ioannes Dellacruz *de statu Religionis lib. 2. cap. 8. dub. 1.* Homobonus *de examine Ecclesiasticorum tom. 1. cap. 1. quest. 3.* Barbosa *de potest. Episcopi part. 2. allegat. 17 num. 6.* Hieronymus Rodriquez *in compendio questionum regularium resol. 106. nu 7.* Emanuel Rodriquez *questionum regularium tom. 3. quest. 23. ar. 5. & tom. 1. quest. 15. art. 1.* & hoc non solum per priuilegium supradictum concessum Societati, non obstante illa prohibitione, quia alij Pontifices successores Gregorij concesserunt priuilegia alijs Regularibus sine tali limitatione, & per consequens posse Episcopos sine vllo scrupulo ordinare Regulares extra tempora. Ita Layman *in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. cap. 8. num. 2.*

An possit dispensare Regulares super interstitia?

BRACTEA CXXXIII.

R. Dispensationem interstitiorum etiam respectu regularium pertinere ad Episcopum, cum quibus dispensare potest ex causa sibi per attestationem suorum Superiorum manifestata, Ita ex Congregatione Concilij docet Riccius *decis. 81.* Barbosa *ex Concilium declaratione sess. 24. cap. 11.* Quaranta *verbo Ordo* Ledesma *in sum. tom. 1. de Sacram. Ordin. cap. 8. conclus. 11.* & alij.

R. 2. Si Regulares suscipiat Ordnies, non seruatis interstitijs nullam incurrunt cēsuram, vel irregularitatem, quia non est in iure expressa. Ita Suarez *tom. 1. disp. 31. sect. 1. num. 43.* Zerola *in praxi part. 2. verbo Ordo num.* 8. Riccius *in collectione decisionum part. 4. elect. 166.* & alij contra Henriquez *lib. 6. cap. 10. num. 13.*

An possit denunciare regulares, qui sunt excommunicati vitandi?

BRACTEA CXXXIV.

R. Episcopum, quando delictum, propter quod incurrerunt excommunicationi est notorium, & regulares nullo modo aptum excusare possint, & Episcopus de excommunicatione, & notorietate delicti certitudinem habet posse denūciare, ne alij eorum communione vtentes incidant in excommunicationem minorem. Ita Hugolinus *de potestate Episcopi cap. 29. § 10. num. 2.* & alij. Vnde si regulares committant aliquod delictum, propter quod ex iuris communis dispositione, vel ex consuetudinibus Apostolicis incurrant ipso facto excommunicationē, possunt declarari per Episcopum, & pro excommunicatis publicari ad effectum, vt euitentur à populo Diœcesis, si delictum sit publicum, secus autem non.

An possit prohibere, ne regulares concionentur in Ecclesijs sui Ordinis?

BRACTEA CXXXV.

R. Absolutè non posse Episcopum prohibere, ne regulares concionentur in Ecclesijs suorum Ordinum. Ratio est, quia est persona exempta, & locus exemptus; & ita Vega *in summa tom. 2. cap. 86. casu 40.* ex Bulla Pij V. quę incipit *Et si non Mendicantium, &c.* & licet Portella *in dubijs regularium verbo Predicatores num. 7.* Piacesius *in praxi par. 2. cap. 3. art. 6. num. 7.* Franciscus Leo *Thesauri fori Ecclesiastici par. 1. cap. 8. num. 9.* asserant Gregorium XIII. reuocasse dictam Bullam Pij V. tamen Laurentius de Peyrinis *priuileg. non Minim. tom. 1. constitut. 2. Gregorij XIII.* doceat eam reuocasse, ideo speculatiuè loquendo possumus dicere Episcopum non posse absolutè impedire regulares, ne in suis Ecclesijs concionentur.

R. 2. Posse Episcopum prohibere regulares ne cōcionentur, v. g. tali hora, & tempore, quo ipse Episcopus prædicare voluerit. Ita Miranda *in manuali Prelatorum tom. 1 quest. 50 art. 3.* Barbosa *de potest. Episc. par. 3. allegat. 76. num. 20.*

Dixi supra speculatiuè, loquendo enim practicè contradicente Prælato, regularis in sua Ecclesia non debet prædicare, quia ex tali prædicatione potius scandalum, & detrimentum timeri potest, quam fructus sperari. Diana *loco citato resol. 58.*

An possit excommunicare Regulares, qui nolunt accedere ad Processionem?

BRACTEA CXXXVI.

R. Negatiuè. Ratio, quia regulares non sunt subditi, & excommunicatio non fertur nisi

nisi in subditum. Ita Rodriquez *in compendio quæstionum regularium resolut.* 118.*num.*1.*cap.*10.& Portella *in addit. ad dubia regularia verbo Processiones num.* 1. Tamburinus *de iure Abbatum tom.*1. *disput.* 19. *quæst.* 7.*num.*9 Villabos *in summa tom.* 1.*tract.* 35. *difficult.*5. *num.*17.& alij. Quod si dicatur esse quandam declarationem Cardinalium à Barbosa *de potestate Episcopi par.*3.*allegat.*78.*num.*25. citatam in contrarium.

R. Pluries determinasse Sacram Congregationem regulares non posse compelli ab Ordinarij per censuras ad Processiones, vt docent Rodriquez,& Portella *locis citatis*, & per consequens statutũ esse nostrę opinioni; tum quia de illa declaratione non constat autenticè, vt ex Decreto Vrbani VIII. his non esse credendum, nisi autenticè, & subscriptæ manu Cardinalis, aut Secretarij Congregationis ferantur. Ita Barbosa *iuris vniuersi Ecclesiast.lib.*

An ad aliquas Processiones possit Episcopus compellere regulares?

BRACTEA CXXXVII.

R. Posse eos compellere, vt adeant Processiones publicas, vt est Processio, quæ fit in festo Sanctissimi Corporis Christi, in Iubilæis, & quæ fiunt ob bonum publicum, vt ad impetrandam aeris serenitatem, vel pluuiam, vel ad effugandam pestilentiam, vel etiam ad gratias agendum pro beneficijs publicis, vt pro natiuitate Principis, &c. Excipiuntur tamen illi regulares, qui in Bulla Pij V. Mendicantibus concessa, sunt excepti, & qui duo milliaria distant à Ciuitate, qui ab Episcopo non possunt compelli. Et Processio sit ex illis, quæ in eadem Bulla, quæ incipit; *Et si non Mendicantium*, *&c.* publicata decimoseptimo Calendas Iulij 1567. comprehenduntur.

An Episcopus possit prædicare in Ecclesijs Regularium inuitis ipsis?

BRACTEA CXXXVIII.

R. Negatiuè, quia exemptis, & priuilegiatis non præiudicatur in suo priuilegio, nisi quatenus exprimitur. Ita Peijrinus *in priuilegio Minimorum tom.*1.*constitut.*26.*Leonis X.*§. 24. Potest tamen Episcopus in Ecclesijs regularium Diuina Officia priuatim, & publicè audire, & ea etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solemniter populo ibidem benedicere per illa verba; *Sit nomen Domini benedictum, &c.* & ibidem facere coram se celebrare, sed sine Pontificalibus. Quæ verò sunt iurisdictionis, non possunt exercere in Ecclesijs regularium, vt Crismare, Ordinare, Confirmare, degradare, &c. Possunt tamen Baldachino vti, & contradicentes censuris Ecclesiasticis cogi per Decretum Sacræ Congrægationis datum Romæ die decima Iunij 1603. Ita Diana *tract.*11. *de dubijs Regularium resolutione* 109.

An Episcopus possit denuò examinare Parochos?

BRACTEA CXXXIX.

R. Posse Episcopum hunc, vel illum Parochum examinare, quando defectus scientiæ adeò notus esset, vt vel nullatenus posset celari, vel errores admissi à Parocho id ostenderent; quia tunc errores, vel fama publica se habent tamquam accusatores in Parochos, & Episcopus ius habet vocandi illum ad suum Tribunal, & ipsum de scientia, & idẽtitate examinandi, & si ipsum non idoneum inuenerit, poterit ipsum ab officio suspẽdere, aut illi coadiutorem designare.

R. 2. Posse Episcopum sua voluntate, & arbitrio vocare ad examen Parochos. Ratio, quia sicut potest Episcopos vocare ad examen omnes Confessarios, tàm sæculares, quam regulares, vt experiatur, an sufficientes sint, vel non, propter eandem rationem fas erit illi vocare Parochos vniuersos, vt per experientiam innotescat ei, an illorum scientia sit extenuata, & boni mores mutati; tum etiam quia sicut Episcopus habet ius visitandi Parochos singulis annis, & eos in carcerem trudendi, si viderit eos deficere, quantò magis poterit eos visitare, & perquirere eorum scientiam, & identitatem? & an incumbant ad litteras? & an ritè curam animarum exerceant? quod nonnisi præuio examine fieri potest, quia animarum cura non modò sita est in ministratione Sacramenti: igitur vt meus, & Concilij verba verificentur, potest Episcopus denuò examinare Parochos. Ita Barbosa *de officio Parochi cap.*2.*nu.*10. post electionem factam, & collatam sibi Parochialem, non existimet Parochus se non amplius de doctrina, & litteratura rationem redditurum, quia Sacra Congregatio Concilij censuit in vna Placentina sub die 6. Augusti 1618. liberum esse Episcopo, tàm in visitatione, quàm extra iterum examinare super doctrinam, & litteraturam Parochos approbatos ab antecessore tempore prouisionis Parochialium, nec non superueniente alia rationabili causa. Ita Barbosa.

An possit visitare Monasteria Regularium?

BRACTEA CXXXX.

R. Episcopos posse visitare Ecclesias regularium curam animarum annexas habentes; item & personas huiusmodi curam exercentes, siuè sint sæculares, siuè regulares. Ratio est, quia subsunt immediatè in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt iuxta Concilium Tridentinum *sess.*25.*de regularibus cap.*11.

R. 2. Non modo Ecclesiam, sed etiam Sacristiam posse visitare non vt reficiatur, sed in his, quibus dumtaxat habet iurisdictionem respectu curæ animarum, & Sacramentorum administrationis, vt calices, & paramenta ad decorem administrationis Sacramentorum prouideantur, prout decisum referunt Franciscus Leo *in thesauro fori Eccles.par.*2.*cap.*31. *num.* 3. Cam-

Nn 2 panilius

panilius *in diuersor. iuris canon. Rubr. 12. cap. 13. num. 89.*

R. 3. Exempta loca Summo Pontifici immediatè subiecta Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus visitare potest, vt habetur in Concilio Tridentino *sess. 7. cap. 8. & in pluribus locis citatis* à Barbosa *3. par. de officio Episcopi allegat. 74 num. 1.* si verò subiecta sint alteri Prælato ab eo, cui subiecta sunt, poterunt visitari.

R. 4. Ecclesias sæculares nullius Diœcesis, quantumcumque exemptas, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectas, earumque Prælatum sæcularem in eas iurisdictionem quasi Episcopalem habentem, posse ab Episcopo, cuius Ecclesia Cathedralis est proximior visitari vigore Concilij Tridentini *cap. 9 sess. 24. de reformat.* & ita Rota Romana apud Farinacium *decis. 396. par. 1.* quia exemptio à visitatione non comprehenditur sub generali concessione exemptionum. Ita Rota Romana *decis. 186.*

An Episcopus in sua Diœcesi possit confirmare sibditum alterius Diœcesis? & an confirmando incidat in aliquam pœnam?

BRACTEA CXLI.

R. Nullam censuram, aut culpam incurrere, cum præsumendum sit hoc fore gratum eius Episcopo. Ita Genuensis *in manuali Prælatorũ cap. 57. num. 7.* & alij apud Barbosam *de potestate Episcopi par. 2. allegat 30. num 12.* Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 5.* Em. Sà *verbo confirmatio num. 2.* licet regulariter non debet ponere manum in messem alienam.

Et quid si Episcopus aliquem non confirmatum ordinaret?

BRACTEA CXLII.

R. Non peccare mortaliter. Ratio, quia nullibi reperitur hoc præceptum, quod absolutè requiratur Confirmatio ante Ordinationem; & per consequens ordinantem non peccare mortaliter, si ante confirmationem aliquẽ ordinet, licet aliqui existiment esse grauissimum peccatum veniale suscipere Ordines ante Confirmationem, & forsan mortale. Et ita Nugnus *in 3. par. tom. 1. quæst. 72. art. 8. conclus. 7.* sed à priori sententia non esse recedendum censeo, quam plures sustinent, & inter alios Zambran. *de casibus occurrentibus in articulo mortis cap. 2. dub. 3. num. 3.*

An Episcopus non confirmatus, possit confirmare?

BRACTEA CXLIII.

R. Affirmatiuè, Ratio, quia habet Characterem Ordinis Episcopalis, in quo fũdatur potestas confirmandi, Episcopus verò nondum consecratus non potest confirmare, quamuis sit electus ad Episcopatum, nam donec consecretur, caret Charactere Episcopatus. Ita plures citati apud Bonacinam *de sacram. disp. 3. quæst. vnica pun. 2. num. 19.*

An Episcopus, qui negligit conferre Confirmationem, grauiter peccet?

BRACTEA CXLIV.

R. Grauiter peccare. Ratio, quia negligendo conferre tale Sacramentum facit contra proprium officium in materia graui, & sicut Parochus grauiter peccaret, qui negligẽter administraret Sacramenta, ita etiam Episcopus, qui negligit conferre Sacramentũ Confirmationis. Ita Em. Sà *verbo confirmatio num. 52.* Angelus *verbo sacramentum confirmationis num. 1.* Viualdus *de confirmatione cap. 4. num. 7.* Henriquez *lib. 3. cap. 1. num. 7.* & alij.

An in aliena Diœcesi possit conferre tale Sacramentum?

BRACTEA CXLV.

R. Negatiuè. Et patet ex declaratione Cardinalium circa Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 5. de reformat.* vbi expresse prohibet sub pœna suspensionis ipso facto, ne vllus Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia exerceat absque Ordinarii loci licentia expressa, & in personas alteri Ordinario subiectas. Ita Henriquez *lib. 3. cap. 6. num. 6.* Em. Sà *loco citato*, Reginaldus *loco citato num. 21.* Camerota *de confirmatione cap. 7. dub. 3.* Paludanus apud Suarez *disp. 38.* & alij.

An Episcopus debeat in Ecclesia confirmare?

BRACTEA CLXVI.

Prima sententia est Henriquez *loco citato*, Coninchi *quæst. 7.* Episcopum non teneri Sacramentum in Ecclesia conferre. Secunda est Nugni *quæst. 72 art. 12.* qui putat esse peccatum mortale confirmare extra Ecclesiam, quia sicut est peccatum mortaliter solemniter baptizare extra Ecclesiam, cum fiat contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem in re graui, sed.

R. Seruandam esse consuetudinem, & ab ea non declinandum absque iusta causa. Ita Em. Sà *loco citato*, licet existimem consuetudinẽ confirmandi in Ecclesia nõ esse receptam sub peccato mortali, si Episcopus in alio loco confirmando ab ea recedat. Ita Bonacina *de sacrament. disp. 3. quæst. vnica pun. 2. num. 15.*

An Episcopus, qui in Confirmatione vngeret alio digito, quam police, peccaret mortaliter?

BRACTEA CXLVII.

Melchior Zambranus *de casibus currentibus tẽpore mortis cap. 2. dub. 1.* affirmatiuam sententiam videtur asserere sic dicens, certum est obligari Episcopum sub præcepto vngere immediatè dextero police, quia ita præcipit Pontificale, quod etiam videtur docere Layman *in Theolog. morali lib. 5. tract. 3. cap. 2. num. 5.*

Didacus Nugnus *in 3. par. tom. 1. quæst. 62. art. 4. difficult. 3. concl. 4.* asserit hoc non esse ita certum, quia non constat, vtrum sit materia grauis, vel leuis

leuis talis variatio, quia parui videtur referre, quod vnctio fiat indice, vel police, vel manu dextera, vel sinistra, sed

R. Non peccare Episcopum, qui iusta causa, v.g. infirmitatis confirmando vngeret indice, & non police.

An possit conferre hoc Sacramentum medio aliquo instrumento?

BRACTEA CXLVIII.

R. Negatiuè. Ratio, quia impositio manuum est de essentia huius Sacramenti, & talis impositio debet fieri, quando ministratur, & fit Sacramentum, & si vnctio fieret medio aliquo instrumento, non esset manus imponere, & per consequens illud non esset verum Sacramentum, cum deficeret in essentialibus. Ita Layman *in Theolog. morali lib. 5. tract. 3. cap. 2. num. 5.* & cum eo Sanchez, & Coninchus citati, & Reginaldus *tom. 2. lib. 28. cap. 2. num. 10.* Filliucius *tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 15.* licet Fernandes *de confirmatione difficult. 5. par. 5. dub. vnico*, sentiat contrarium his verbis, *Non æstimamus pertinere ad necessitatē Sacramenti*, quod vnctio fiat police dextro, vel sinistro, vel alio digito, vel quouis alio instrumento, siuè coniuncto, siue separato; quippè nihil videtur deesse, neque ex parte materiæ, neq; ex parte formæ quocumque ex his modis fiat Crismatio, neque ideò minus Sacramentum hoc dicetur, si manus impositio, vel vnctio penna, vel alio instrumento fiat, quo quidem mediante manus propriæ dicuntur, sicut & manus violentæ in Clericum inijci dicuntur, si baculo, lapide, & similibus percutiatur. Pertinebit igitur ad necessitatem præcepti, quod sine graui peccato omitti nequit. Ita Fernandes, sed nostra opinio probabilior, & tutior.

An Episcopus possit concedere Indulgentias?

BRACTEA CXLIX.

R. Episcopum absolutè non posse concedere Indulgentias, sed solùm dependenter à Summo Pontifice, quia sicut à Pontifice accipit potestatem circa suos subditos, ita etiā accipit potestatem Indulgētiarum, & sicut Summus Pontifex limitat auctoritatem Episcoporum quoad absolutionem, ita etiam quoad Indulgentias. Ita Corduba *quæst. 14.* vnde à Papa concessa est facultas Episcopis concedendi Indulgentias cum limitatione, & restrictione, nimirùm in Dedicatione Ecclesiæ, possunt concedere Indulgentias vnius anni tantum, & in anniuersario Dedicationis quadraginta dierum. *Cap. Cum ex eo de pœnitentijs, & remissionibus.*

An pro mortuis concedere possit Indulgentias?

BRACTEA CL.

R. Negatiuè. Ratio est, quia ipsorum facultas est restricta à Sede Apostolica ad subditos Episcoporum degentes in hac vita; tum etiam quia nunquā Episcopi concesserunt Indulgentias pro mortuis; ergo dicendum est restrictā esse eorū facultatē quoad defunctos. Ita Nauarrus *de Indulgentijs notab. 22. num. 4.* Bellarminus *de Indulgentijs lib. 1. cap. 11.* Suarez *disput. 55. sect. 3. num. 23.* Reginaldus *lib. 4. num. 114.* Em. Sà *verbo Indulgentiā num. 18.* & alij.

An Episcopus nondum consecratus possit concecedere Indulgentias?

BRACTEA CLI.

R. Affirmatiuè, quia concedere Indulgentias est actus iurisdictionis, actus autem iurisdictionis potest ab Episcopo non consecrato exerceri. Ita Suarez *disput. 49 sect 3 num. 13.* Reginaldus *loco citato num. 123* Nugnus *in additionibus qu. 25. art. 1. quæst 3.* & alij apud Suarez *loco citato.*

R. 2. Episcopum excommunicatum non posse concedere Indulgentias. Ratio, quia excommunicatus vitandus priuatur iurisdictione, secus autem si non erit vitandus, & toleratus.

An grauiter peccet, si concedat Indulgentias in peccato mortali?

BRACTEA CLII.

R. Primò Episcopum in peccato mortali validè conferre Indulgentias. Ratio, quia peccatum mortale non tollit iurisdictionem.

R. 2. Episcopum, qui concedit Indulgentias in peccato mortali, non grauiter peccare. Ratio, quia actus concedendi Indulgentias non est actus ordinis, sed iurisdictionis, actus autē iurisdictionis in peccato mortali potest sine peccato exerceri. Ita Reginaldus *lib. 7. num. 118.* Em. Sà *verbo Indulgentia num. 16.* Corduba *lib. 5. qu. 13.* Suarez *disput. 55. sect. 3. num. 20.* & alij apud Bonacinam *disp. 6. quæst. 2. pun. 3. num. 9.*

An Episcopus possit Religiosis concedere Indulgentias iuxta suam facultatem?

BRACTEA CLIII.

R. Posse, quia Religiosi in hac parte possunt se subijcere Episcopis, & frui priuilegio Episcoporū cum exemptio Religiosorum non sit ipsis cōcessa in damnum, sed in fauorem. Ita Palud. *in 4. dist. 20. q. 4. ar. 4.* Regin. *lib. 7. n. 119.* & alij.

An Episcopus possit frui Indulgentijs, quas alijs concessit?

BRACTEA CLIV.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia Episcopus non est alijs deterioris conditionis; tum etiam quia sicut vi directiua tenetur seruare suas leges. *Cap. Cum omnes de constitutionibus*, ita etiam frui potest priuilegijs à se concessis. Ita S. Thomas *in addit. quæst. 27. art. 4.* Nugnus *ibidem*, Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 4.* Reginaldus *loco citato num. 299.* Em. Sà *verbo Indulgentia num. 17.* Suarez *disp. 52. dub. 3.* Henriquez *cap. 32.* & alij.

An possit compellere Laicos, vt vendant frumentum tempore penuriæ?

BRACTEA CLV.

R. Posse censuris eos compellere ad vendendum illud iusto pretio. *l. fin. §. Item Episcopus ff. de*

ff. de muner. & honor. Abbas *in d. cap. 1. num.* 8. Surdus *conf. 301. num.* 87.

R. 2. Posse Episcopum compellere Laicos ad solutionem relictorum ad pias causas per defunctos factorum. Ita Belletus *disp. Cleric. par.* 5. *num.* 74.

R. 3. Posse Episcopum negligente hęrede exequi testamenta, tam ad pias causas, quam ad non pias. Ratio, quia per negligentiam hæredis non adimplentis voluntatem intra annum iuxta autenticam hoc amplius *Cod. de fideicomm.* deuoluitur executio testamenti ad Episcopum, tàm in legatis pijs, quàm non pijs. Ita Glossa *cap. Si haeredes.* Ratio, quia quælibet vltima voluntas censetur pia, & interest Iudicis Ecclesiastici, vt mandentur executioni legata omnia per defunctos facta, & in tantum Episcopus est executor vltimarum voluntatum, vt illas exequi possit, etiamsi testator disposuerit nolle se, vt Episcopus se intromitteret §. *fin autem autentica de Ecclesijs authent. licet Cod. de Episcopis.*

An posit inquirere contra tenentes bona distribuenda pauperibus?

BRACTEA CLVI.

R. Affirmatiuè. Ita Belletus *loco citato num.* 89. citans Bartolum, &c.

R. 2. Posse Episcopum cogere Laicos ad obseruandam laudabilem consuetudinem Ecclesiæ, & similiter posse decernere, an talis consuetudo sit laudabilis. Abbas *in cap. Ad Apostolicam num.* 3. Ratio, quia desistens à tali consuetudine videtur committere sacrilegium, in quo Episcopus iudicat.

An Episcopus posit absoluere ab hæresi occulta?

BRACTEA CLVII.

Affirmatiuam sententiam plures Doctores sequuntur: nimirũ Episcopos vigore Concilij Tridentini posse absoluere hæreticum occultum, nec per Bullam fuisse illi ablatam facultatem absoluendi hæreticos in foro consciẽtiæ. Et ita sentiunt plures citati apud Barbos. *de potest. Episc. par. 2. alleg. 40. n. 21.* apud Dianã Miscell. *tract. 4. resol. 229. & par. 1. tract. 5 resol. 2.* Et ratio est, qa in Bulla Cęnæ non fit expressa mentio Concilij Tridentini, quod est necessarium, vt censeatur illi derogatum, nec valet dicere Pium V. & Gregorium XIII. cum Clemente VIII. contrarium declarasse, quia vt docet Facũdes *de precep. Ecclesiast.* de illis Pontificijs declarationibus nõ constare autenticè.

Alij verò negatiuam sententiam tenent, nimirùm nullo modo posse Episcopum in foro conscientiæ absoluere hæreticum occultum. Ita Nauarrus *in summa cap. 27. num.* 75. Villabos *in summa par. 1. tract. 9. dub. 61. num. 2. & 5.* Bellocchius *de casuum reser. par. 2. qu. 1. n. 275.* Faber *de sacram. ordin. dist. 25. quest. 1. disput. 3. cap. 4. num. 126.* Valerus *in differentijs vtriusque fori verbo heresis difficult. 5. num. 1.* Megalla *in par. 1. lib. 1. cap. 13. num. 10.* & alij plures. Ratio, quia in Bulla Cęnæ disertis verbis negatur absoluendi facultas a casibus illius, & proinde ab hæresi, etiam virtute clausulæ Concilij Generalis, licet illa in genere, vel in specie oppositum concessum fuerit; ergo licet Concilium Tridentinum concesserit Episcopis hanc facultatem fuit, & est modo reuocata, quod etiam à Diana *tract. 4.* Miscell. *resol. 339.* varijs modis probatur: nihilominus ego.

R. Episcopum virtute Concilij Tridentini posse absoluere hæreticum occultum in foro conscientiæ ab excommunicatione propter rationem in prima opinione allatam, quia ad derogandum Cõcilio Tridentino in materia graui requiritur, vt de Decreto eiusdem specialiter fit mẽtio. Vnde Facundes *loco citato* ait, quod si hæresis sit nota quinque, vel sex, aut si hæreticus quinque, vel sex complices haberet, diceretur occulta, & ab illa Episcopus posset absoluere.

R. 2. Episcopum non modò per seipsum, vel per suum Vicarium, sed alium Confessarium specialiter deputatum ab hæresi occulta posse absoluere. Ita Henriquez aduersus Suarez *tom. 4. disp. 30. sect. 2. num. 9. lib. 9. cap. 14. num. 7.* & alij apud Sanchez *tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 23.* quod probabile vocat Lorca *2. 2. quest. 11. art. 4. disp. 35. num. 11.*

An Episcopus posit committere Confessario Monasterij, vt Monialem absoluat ab hæresi externa?

BRACTEA CLVIII.

R. Affirmatiuè. Primò auctoritate eorum, qui vt supra dictum est, facultatem Episcopis concessam à Concilio Tridentino non fuisse abrogatam, sentiunt, per Bullam Cęnæ. Tum etiã quia Episcopus potest absoluere eos, qui Sedem Apostolicam ob legitimum impedimentum adire non possunt. *Ex cap. Mulieres, & cap. Ea noscitur de sententia excommunicationis.* Ita Homobonus *in examine Ecclesiasticorum par. 3. tract. 7. qu. 20. resol. 2.*

In quibus casibus Episcopus potest præstare iuramentum Principi sæculari?

BRACTEA CLIX.

R. Non posse in alio casu prestare iuramentum fidelitatis Principi sęculari, nisi pro bonis feudalibus ab ipso Principe dependentibus. Ita Belletus *disquisit. Cleric. par. 1. de fauore personali Cleric. §. 5. num. 1. & 2.*

An Episcopi à Clericis posint exigere taleas?

BRACTEA CLX.

R. Negatiuè, quia sicut Laici Clericis non possunt imponere taleas, ita neque Episcopi Clericis taleas imponere possunt. Ita Belletus *disquisitionum Clericalium tit. de Clerico debitor §. 12. num. 1.*

R. 2. Et si absolutè Episcopus non possit Clericis taleas imponere, in aliquibus tamen casibus potest ob iustam, & rationabilem causam, vt quãdo Episcopus ex suo proprio non habet, vel quando ipse solus non potest debitis satisfacere, nisi petat tale subsidium charitatiuum

quod

quod non solum semel, sed etiam pluries potest exigere ob rationabilem causam. Quæ autem dicatur causa rationabilis, & iusta ipsius Episcopi arbitrio relinquitur determinanda, & si à Doctoribus plures ferantur. Prima est pro solutione Bullarum, & annatæ, & alijs necessitatibus, & debitis, quibus est grauatus. Secunda est, pro recuperatione Ciuitatum, Castrorum, & locorum, ac bonorum Ecclesiæ occupatorum. Tertia, quando Prȩlatus vocatur ad Papam, seu ad Concilium generale, vel quādo accedit ad Concilium Prouinciale, quia proficiscitur pro communibus negotijs. Quarta, quando Ecclesias formaliter visitat, nam de iure communi potest singulis annis visitare Ecclesias sibi subiectas. Quinta, quando pro Ecclesiæ vtilitate, & necessitate emi debet aliquod Castrum, vel Oppidum ad expellendos, vel procul arcendos hostes. Sexta, ad soluenda debita, quæ contraxit Episcopus pro suæ Ecclesiæ iure tuendo, & aliunde ex bonis Ecclesiæ solui commodè nequeunt. Septima, quādo lis magna Ecclesiæ mouetur. Octaua, in aduentu Regis, seu Principis, maximè si Episcopus ab eo tenet regalia, seu quando debet ad illum proficisci pro communi vtilitate, seu Ecclesiæ necessitate.

R. 3. Non posse Episcopum tale subsidium charitatiuum Clericis imponere sine consensu Capituli, & Cleri, quem ad hunc effectum congregare debet, & illi exprimere causam suæ indigentiæ hortando illos, & dicendo, quod cum cuilibet proximo in necessitate sit subueniendum, fortiùs sibi, quia est sponsus Ecclesiæ, & absurdum esset, quod sponsa videret sponsum laborantem egestate ipsa existente diuite. Belletus *disquisitionum Clericalium par. 1. de Clerico debitore §. 12.*

R. 4. Posse Episcopum à Sȩcularibus sibi subditis exigere debitum subsidium pro administratione spiritualium, eosque ad id cogere potest, cum verò huiusmodi finem respiciat spiritualem ad forum Ecclesiasticum spectat, & quemadmodum Rex ortà necessitate Reipublicæ sæcularis potestatem habet exigendi à subditis sȩcularibus subsidia, quibus necessitati illi subueniat, quando aliter non potest illi sufficienter subueniri: sic Episcopus orta vrgenti necessitate Ecclesiæ cui aliter non possit commodè subueniri, habet potestatem exigendi à suis subditis subsidia, & auxilia ad id necessaria, eosque cogendi ad id præstandum. Ita ex Molina *de iustitia tract. 2. disput. 29.*

Cui remaneant bona relicta ab Episcopo regulari post eius mortem?

BRACTEA CLXI.

R. Quando Professus aliquis in Episcopum est assumptus, quȩ post dignitatem acquisierit etiam hæreditario iure ad ipsum pertinent, quoad vsum, & administrationem, post mortem verò illius ad Ecclesiam, in qua est Episcopus, non vero ad Monasterium, vnde fuit assumptus; & ita habetur *Cap. Statutum 18. quæst. 1. & cap. Ne pro cuiuslibet 16. quæst. 1.* Molina *loco citato num. 140.*

An bona, quæ post mortem relinquit Episcopus sint censenda Episcopatus?

BRACTEA CLXII.

R. Quando constat, Prælatum nullum patrimonium habuisse antequam ad Episcopatum promoueretur, neque aliunde constat, comparasse bona sua industria donatione, aut vltima volūtate alterius præsumi bona omnia, quæ relinquit acquisita ex reditibus, Episcopatus. Quando autem constat habuisse patrimonium, aut coniecturæ sunt, comparasse bona propria industria, & illi aliunde aduenisse, fàctaque esse sua propria Iudicis arbitrio relinqui attentis probationibus, & circunstantijs, vt definiat quousque censenda sint acquisita ex beneficio, & quousque esse propria, & in dubio aliqua eorum diuidēda sint inter Ecclesiam, Cameram Apostolicam, seu Successorem in Episcopatu, & inter hæredes defuncti. Molina *loco citato num. 147.*

An Episcopus possit exigere Cathedraticum à suis subditis?

BRACTEA CLXIII.

R. Posse exigere Cathedraticum à qualibet Ecclesia suæ Diœcesis pro honore Cathedræ Episcopalis, ita omnes Canonistȩ, & ita habetur *in cap. placuit, & cap. inter cætera 10. q. 3. cap. olim de censibus, cap. pastoralis de donat.*

Sciendum Beneficiator teneri ad Cathedraticum, nisi probetur legitima præscriptio, quæ saltem debet esse quadragenaria, cum titulo, & bonafide. Nam cum Episcopus habeat intentionem suam fundatam de iure communi super cathedratico sibi debito non iuuat præscriptio, nisi cum titulo, & quadraginta annorum, licet multi Doctores existiment non posse prȩscribi, cū detur in signum subiectionis, vel saltem requiri præscriptionem temporis, cuius initij memoria non extat, ita Henric. Bott. *de Synodo Episcop. part. 2. num. 91.* Dec. *cons. 85.* Put. *decis. 238. lib. 1.* & alij, sed de hac re melius infra.

An Episcopus charitatiuum subsidium, exigere possit?

BRACTEA LCXIV.

SCiendum charitatiuum subsidium appellari à Canonistis *in cap. conquerente de offic. ordin.* charitatis auxilium, quia ex charitate peti debet, & non per vim, &c. dicitur etiam subsidium, quia cum reditus propriæ Ecclesiæ non sufficiunt pro oneribus incumbentibus petitur hoc in subsidium. Quibus positis.

R. Pro necessitatibus, quȩ superueniunt posse Episcopos cum charitate à Clericis subsidium exigere. Ita *cap. conquerente* Bellon. *in tract. de charit. subsidio* Petrus Duennas *reg. 89 verb. charit. subsid. & reg. 253. verb. Episcopus* Boer. *decis. 183.* Host. *in sum. de offic. ordin. in §. quid pertinet,* & alij.

Sciendum 2. Quod in petitione charitatiui subsidij debet esse iusta, & rationabilis causa, &

& manifesta, & non satis est, quod sit rationabilis, sed debet etiam esse manifesta. Causę autem petitionis charitatiui subsidij, licet arbitrio ipsius Episcopi relinquantur determinandę, regulariter tamen sunt subsequentes. Prima est, de quibus dictũ fuit supra in promotione, & consecratione Episcopi. Secunda, pro recuperatione Ciuitatum, Castrorum, &c. ac bonorũ Ecclesię occupatorum. Tertia, qua Prę latus vocatur ad Papam, seu ad Concilium Generale, vel quando accedit ad Concilium Prouinciale, vel pro communibus negotijs. Quarta, quando formaliter visitat. Quinta, quando pro Ecclesię summa vtilitate, & necessitate emi debet aliquod Castrum, vel Oppidum ad expellendos, vel procul arcendos inimicos, vel etiam ad soluenda debita, quę contraxit Episcopus pro suo Ecclesię iure tuendo, & aliunde ex bonis Ecclesiæ solui commodè nequeunt. Sexta, quando lis magna Ecclesię mouetur. Septima, in aduentu Regis, siue Principis huiusmodi autem causę intelligendę sunt, quando Episcopus non potest ex suo proprio satisfacere, nisi imponendo subsidium, quod non potest imponere sine consensu Capituli, & Cleri, ita colligitur ex pluribus iuribus, & Auctoribus citatis à Bellero *disquisit. Clerical. de Clerico debitore* §.12. *à num.* 2. *vsque ad num.* 8.

Sciendum 3. Non modo Episcopos consecratos posse exigere subsidium charitatiuum, sed etiam Archiepiscopos primates, & Patriarchas posse ab Ecclesijs, & Clericis suæ prouinciæ exigere ipsum. Secundò, Cardinales etiam ab Ecclesijs, seu Capellis subiectis suis titulis, in quibus iure communi eis competit iurisdictio, possunt exigere subsidium. Ratio, quia Cardinales in suis titulis habent iurisdictionem Episcopalem, & iura Episcopalia, & per consequens; &c. ita plures citati apud Barbos. *alleg.* 87. *num.* 14. Tertiò, Commendatarios perpetuos Ecclesiarum posse exigere ab Ecclesijs eis subiectis hoc subsidium. Ratio, quia æquiparantur titularibus, & ideò possunt exercere iurisdictionem, quæ competit titularibus. Ita Archidiaconus *in cap. nemo deinceps de electione in* 6. Innocentius *in cap. si constiterit de accusat.* Quartò, capitulum sede vacante potest exigere subsidium, quia succedit in tota iurisdictione Episcopi. Quintò, Episcopum electum, confirmatum, nondum consecratum posse exigere charitatiuum subsidium, quia hoc est actus iurisdictionis, non ordinis *cap. conquerente*, quòd tamen intelligendum est, post expeditas Bullas, & adeptionem possessionis Episcopatus, nam ante nullam potest exercere iurisdictionem. Iuxta Extrauag. Bonifatij Octaui, quæ incipit *Iniunctę*. Sextò, Legatum Pontificis in tota sua Prouincia posse exigere charitatiuum subsidium, prę sertim si sit legatus à latere. Ratio, quia in sua Prouincia potest omnia, quæ potest Episcopus, cum autem Episcopus possit exigere charitatiuum subsidium, sequitur etiam legatum id posse. Ita Merola *tom.* 3. *disp.* 7. *cap.* 5. *de iurisd. Episcop. num.* 443.

An Episcopus possit exigere charitatiuum subsidium ab Ecclesijs suæ Diœcesis exemptis?

BRACTEA CLXV.

R. Negatiuè. Ratio, quia Episcopus nullam potestatem habet in loco exempto suæ Diœcesis. Ita plures citati à Merola *loco citato cap.* 5. *difficul* 3. Azor. *par.* 2. *instit. moral. lib.* 9. *cap.* 14. *quæst.* 6.

Sciendum à pauperibus Clericis exigi non posse huiusmodi subsidium. Host. *in cap. conquerente*, Azor *loc. cit.* Bellet. *in hoc tract. quæst.* 30. Boer. *decis.* 135. & alij. Secundò, Clericum qui absque sua culpa non percipit fructus sui benefici, nõ teneri ad præstandum subsidium charitatiuum Ita Merola *disp.* 7. *de iurisd. cap* 5. *diffic.* 4. *num.* 471. Teriò, Moniales pauperes non possunt grauari huiusmodi subsidijs, Moniales pauperes dicuntur, quarum redditus, & prouentus, sunt adeò tenues, & exiles, quod de illis sustentari nequeant, sed pro vitæ suæ sustentatione coguntur mendicare, vel artificium manuum suarum, vel ex sustentatione parentum victum procurare. Neque Moniales non habentes redditus vltra summam quatuordecim ducatorum auri pro victu cuiuslibet Monialis, alios redditus non habentes: Thesaurus *fori Eccles. cap.* 37. *nu.* 86. & ita declarauit Pius Quartus in sua constitut.

Sciendum beneficiatum grauatum pensione non teneri ad soluẽdum integrum subsidiũ, sed pensionarium etiam teneri pro sua parte. Ratio, quia cum charitatiuum subsidium exigatur ab Ecclesijs propter redditus earum, vt colligitur *ex cap. conquerente de offic. ordin.* & pensio imponatur super fructibus, iustum est, vt ille, cui soluitur pensio, subeat partem oneris in solutione subsidij charitatiui. Et ita Merola *loco cit. difficul.* 6. Circa quantitatem summæ, quę sit exigenda pro charitatiuo subsidio, variæ sunt opiniones, aliqui dicunt, id esse imponendum arbitrio Episcopi à quo si indebitè arbitretur, appellari potest. Ita Boer. *decis.* 134. *num.* 5. & 6. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cap* 179. *num.* 4. & alij, docent posse accipere quantum ascenderent procurationes singulæ si Prælatus per alium licitè visitaret. Ita *in cap. felicis de reuerb. lib.* 6. Gemin. Bellencin. *de subsidio charitatiuo part.* 43. & alij, licet contra hanc vltimam opinionem aliqui aliter sentiant.

An Episcopus, qui ex patrimonio est diues possit imponere subsidium charitatiuum?

BRACTEA CLXVI.

R. Affirmatiuè, ita colligitur *ex cap. quicunq;* 12. *quæst.* 4. vbi dicitur, quod si Prælatus aliquid de proprio expendit pro vtilitate, vel negotio Ecclesiæ, id debet sibi restitui ab Ecclesia, quod etiam asserunt Ioannes Andreas *in cap. ex parte de constitut.* ex quo sequitur, quod si potest Episcopus expensas factas pro Ecclesia sua, repetere eum non teneri de proprio subuenire necessitati Ecclesiæ, & per consequens non poterunt subditi hoc prætextu denegare Episcopo subsidium charitatiuum. Valebit tamen compositio facta super modo prę statio-

nis,

nis, & quantitatis charitatiui subsidij inter Episcopum, & Clerum. Ita Belleuion. *loco cit. qu.* 48. & alij. Ratio, quia sicut valet compositio Episcopi; cum subditis super decimis soluendis, vt patet *ex cap. multiplici de decimis, & cap. statuimus de transact.* ita à simili erit valida compositio facta inter Episcopum, & subditos circa caritatiuum subsidium, vt hęc compositio sit perpetua, & non pro vna vice tantum requiritur quod sit facta cum consensu capituli. Ita Bellencin. *cap. tua, & cap. pastoralis* de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

MALLEATIO XL.

De officio Vicarij Generalis.

Quis dicatur Vicarius Episcopi?

BRACTEA I.

PRo maiori notitia sciēdū, quia Episcopi nō possūt per se ipsos ea omnia, quæ spectāt ad proprium officium, exequi vel perficere: ideò sacri canones adiutores illis statuerunt, atque mandarunt, vt quando per se ipsos exercere non possunt, alijs adiutoribus committere debeant. Olim dabantur Episcopis Coadiutores, qui Coepiscopi vocabantur, hodie habent Vicarios, qui in pluribus vices gerunt ipsius Episcopi. Quibus positis.

R. Vicarios esse in triplici differentia aliqui dicuntur Vicarij nati, seu legitimi, alij dati, seu constituti, ex quibus aliqui dicuntur Generales, alij vero Foranei. Vicarij nati, seù legitimi dicuntur, qui a lege ipsa constituti sunt, vt est Archidiaconus. Vicarij dati Generales dicuntur, quos Episcopus constituit, vt eius vices gerant in eodem tribunali, & loco in quo ipse ius dicere solet. Vicari Foranei appellantur, qui in aliqua Diœcesi, vel ad certos actus, ex commissione Episcopi iurisdictionem exercent. Nunc sermo erit de Vicario dato postea de Foraneo huiusmodi Vicarijs dati, qui scilicet creantur ab Episcopo, quandoque constituitur in spiritualibus tantum quandoque in temporalibus tantum, quandoque in spiritualibus, & in temporalibus. Ita Merola *tom. 3. disp. 7. cap. 6. num. 2.*

A quo eligetur Vicarius?

BRACTEA II.

R. Eligi ab ipso Episcopo, tanquam præcipuus Officialis ipsius, sine consensu Capituli, quia Vicarius electus ab Episcopo censetur Iudex ordinarius, & non Delegatus, eò quod à sententia Vicarij non ad Episcopum, sed ad Superiorem appellatur, quia Episcopi, & Vicarij vnum est tribunal, & auditorium, quod tamen debet intelligi de Vicario Generali non autem de speciali Delegato ad aliquas causas, quia tunc ad Episcopum fit appellatio. Quod etiā debet intelligi de causis spiritualibus, quia si Episcopus iurisdictionem temporalem haberet ab eius in temporalibus Vicario iurisdictio exercenda erit. Ita plures citati apud Barbosam iuris Ecclesiastici *lib. 1. cap. 15. de Vicario num. 17. & 18.*

An Laicus possit eligi in Vicarium?

BRACTEA III.

R. Negatiuè, sed saltem debere esse initiatum Prima Tonsura, qui Doctor saltem in iure Canonico existat, aut licentiatus, aut alias quantum fieri poterit idoneus. *Cap. In noua 16. quæst. 7. Cap. decernimus de iudiciis* vbi Abbas *num. 12.* Felin. *num. 6.* Decius *num. 15.* & Ripa *num. 56.* Riccius *in praxi resolut. part. 2. resolut. 261. num. 1.*

R. 2. Clericum coniugatum non posse esse Vicarium Episcopi. Abbas *in cap. 2. num. 12.* Decius *num. 23.* Fellinus *num. 6.* Sbroz. *de officio Vicarij quæst. 31. num. 5.* Riccius *loco cit. resol. 262.* Neque bigamum posse esse Vicarium, etiam effectum Clericum, nisi prius solutus fuerit impedimentum bigamiæ.


R. 3. Monachum, vel Religiosum posse de consensu sui Abbatis, vel Superioris Vicarium creari, si legitimus sit, nisi fuerit Religionis Mendicantium Professus. Barbosa *Iuris Ecclesiastici lib. 1. cap. 15. de Vicario Episcopi.*

An Regularis possit esse Vicarius?

BRACTEA IV.

R. Religiosum de licentia sui Superioris posse esse Vicarium, vt dictum est. Ita Gloss. *in cap. ad præsentiam* Panorm. *in cap. cum causam de elect.* Rebuff. *in praxi benef. tit. de Vicario Episcop.* Fusius *de visit lib. 2.* Sanchez *tom. 2. sum. lib. 6. cap. 13. num.* 88. Sbroz. exipit a dictis Mendicantes; dicens hos non posse esse Vicarios Episcopi, quod limitatur à Merola *loco citato dub. 5. num. 36.* vt non sit verum de omnibus Mendicantibus, sed tantum de fratribus ordinum minorum, quibus tantum hoc interdictum est, vt colligitur ex Clement. *Exiui.* Dixi de licentia sui Superioris, quia absque tali licentia non possunt Religiosi deputari Vicarij Episcopi, & ita communiter omnes, quia Religiosus non habet, nec velle, nec nolle, vt colligitur ex Conc. Trident. *sess. 25. cap. 4. de regul.*

Sciendum Canonicum Sæcularem deputari posse ab Episcopo Vicarium. Ita Cardin. Io. Andreas Anchar. Panorm. & alij *in cap. cum olim de re iud.* & cōstat ex praxi. An Parochus post Concil. Trident. possit esse Vicarius. Nauar. *cons. 15. de Clerico non residente*, affirmat Parochum posse esse Vicarium etiam post concil. Alij vero negant. Ratio, quia Parochus tenetur personaliter residere in sua Parochia de iure Diuino naturali, quia tenentur pascere gregem sibi commissum, vt habetur in Concil. Trident. *sess. 6. cap. 1. de reformat.* & communiter Doctores docent, & ideò, quia officium Vicarij incompatibile est cum officio Parochi, idcirco docent Parochum non posse esse Vicarium.



An

A quo Vicarius habet auctoritatem, & qualem?

BRACTEA V.

R. Auctoritatem Vicarij Generalis partim esse à iure communi,& partim ex commissione Episcopi,licet ius commune potius videatur limitare facultatem,quam habet ab Episcopo ex concessione generali, solent enim Episcopi Vicarijs concedere causarum cognitionē excessuum correctionem, dispensationem, absolutionem, examinationem, approbationem, & auctoritatis Episcopalis interpositionem, & alia his similia, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis. Verum ius commune,quędā decernit non comprehendi in generali concessione, nisi specialiter sint concessa. Gloss. *in cap. penult. de offic. Vicarij*. Primò, Vicarius non potest beneficia concedere, nisi specialiter ad hoc mandatum obtineat, *cap. vlt. de offic. Vicarij lib. 6.* Instituere præsentatum à Patrono poterit, vt Vicarius *cap. ex frequentibus*. Non potest beneficium supprimere, nec beneficia vnire, nec reuocare vniones, nec Ecclesiam diuidere, nec potest Rectoribus imperitis Vicarios constituere, nec ius Patronatus ex causa dotationis, fondationis, vel constructionis alicui reseruare, nec donationi iuris Patronatus decretum interponere, nec nouas Parochias erigere, nec imponere pensionem super beneficia, vbi Episcopus potest, nec œconomum Ecclesiæ instituere, nec amouere aliquem à suis beneficijs, officijs, vel administrationibus, vel ab ordine remouere, nec interponere decretum creatione dignitatis factę, aut nouum beneficium in Ecclesia creare, nec Ecclesias vetustate collapsas in matrices, vel Ecclesias viciniores conferri potest, nec de hæresis crimine cognoscere,nec publicas pęnitentias imponere, aut publicè pęnitentes reconciliare potest, nec voluntatem puellæ habitum regularem suscipere volentis explorare, nec ædificationem Monasterii per testatorem relicti assensum, & auctoritatem interponere potest, nec Indulgentias concedere,nec potest facultatem, & licentiam audiendi confessiones alijs concedere, nec matrimonij monitionibus dispensare, etiam iusta causa interueniente, licet contrarium sit verius, nec poterit relaxare interdicta, nec Diœcesim visitare, nec Synodum congregare,nec pias defunctorum voluntates exequi, nec in alienationibus rerum Ecclesiasticarum decretum interponere, nec cognoscere specialiter commissa Episcopo, seu delegata, nec cognoscere causas feudales, nec auctoritate exemptum ex originali sumptum, nec res alias concedere, nec Clericorum bona confiscare, nec pœnas corporales in pecuniarias conuertere, nec imponere,& exigere charitatiuum subsidium. Nec potest sine speciali licentia literas dimissorias Clericis dare, vt ab alijs Episcopis ordinentur, nisi Episcopo in remotis agente, vt non nisi post longum tempus aduentus eius speretur. Azorius *part.2.lib.3. cap.45.quæst.7.* Hugolinus *de officio Episcopi cap.4.§.7.* Zerola *in praxi Episcoporum part. 2. verbo Vicarius*, Pvaccius *in praxi Episcoporum par. 1. cap. 15. num.13.* Gutier. *lib.2.canon.cap.17.num.20.* Barbosa *iuris Ecclesiast.lib.1.cap.25.num.21.* Sbroz. *de officio Vicarij lib. 2 cap.41.* & alij; nec etiam inquirere, corrigere, aut punire excessus aliquorum non potest, sine speciali mandato. Ita apud Barbosam plures *loco citato num.22.* Similiter in irregularitate, vel suspensione aliqua proueniente ex delicto occulto, & in casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, in quibus Archiepiscopus potest dispensare Vicarij, dispensare, aut absoluere nequeunt, nisi ad id specialiter deputentur, sicut decretum est in Concilio Tridentino *sess. 24. de reform.cap.6.* & Sbroz *loco citato lib.2. quæst.19. num.2.* Suarez *tom.5. de censuris disp.41.sect.2. num 8.* Hugolinus *loco cit. §.7 nu.2.* Narbona *de appellat. à Vicario ad Episcopum part. 1. num. 229.* Barbosa *loco citato num. 24.* & alij. Non per se etiam absoluere à casibus reseruatis Episcopo, nisi de speciali licentia, quia in generali concessione hęc non veniunt. Sotus *lib. 2. quæst.19.* Hugolinus *loco citato §. 7. num.2.* Gallet. Margarita *casuum conscientię verbo Vicarius*.

An Vicariatus sit dignitas?

BRACTEA VI.

R. Vicariatum esse dignitatem Ecclesiasticā, & Vicarium esse cōstitutum in dignitate, quæ dici, & habere Prelatū iurisdictionem rerum Ecclesiasticarum, *cap. Non putamus*; dignitas enim Ecclesiastica nihil aliud est, nisi rerum Ecclesiasticarum administratio cū iurisdictione, Sbroz. *q.27.* & cum Vicarius habeat iurisdictionem rerum Ecclesiasticarum: idcircò illum in Ecclesiastica dignitate esse dicimus, nā ratione iurisdictionis, quam habet cum administratione dicitur Prælatus, & ideò potest esse Papæ Delegatus. Glossa *in verbo Delegatus in Clementina 2. de rescriptis*, Sbroz. *lib.2. quæst.22.* Rebuffus *in praxi beneficiorum tit. forma Vicarij num. 27. & tit. de Vicario Episcopi num. 4. & in tract. de pacifica possessione num.79.* Menochius *cons.51. num.33.* Potest etiam esse executor gratiarum, quæ expediuntur in Curia Romana, Sbroz. *lib.2. quæst.23.* potest etiam esse conseruator, Erasmus Cochier *de iurisd. in exemptos part.1. quæst.39.* etiamsi sit Vicarius Episcopi electi, & confirmati, & nondum consecrati. Gloss. *verbo Episcopi in Clementinā & principalis*, Sanchez *de matrim.lib.8. disp.27.nu.35.* Sbroz. *lib 2.quæst.23.num.4.* Flores de Menna *var. lib. 1. quæst. 4. num.11.* Menochius *de Synodo Episcop. cap.4.dub.13.num.15.*

An Vicarius habeat præcedentiam?

BRACTEA VII.

R. Vicarium præcedere Canonicos, ac dignitates etiam in Ecclesia. Sbroz. *loco citato quæst.25.nu.4.* sed Episcopo præsente, & stante in choro inter Canonicos extra Sedem Pontificalem assignari debet Vicario alius locus conueniens, vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præpositam in vna Bisignanēsi 16. Maij 1600. vnde pręferendum esse Archidiacono tenet Rebuff. *tit. de Vicario Episcopi num.7.* Antonius de Pratis *de iurisdictione Episcopi cap.6. n.41.* Sbroz. *lib.2.cap.25.* etiamsi Archidiaconus haberet priuilegium obtinendi primam Sedem post Episcopum,

copum, ac etiam Abbates, Archipræsbyteros, Canonicos,& alios Prælatos Episcopo inferiores, vt infra dicetur in Choro stando,& in Processionibus non habet, recedentiam, nisi esset Canonicus, quia tunc stabit in loco suo. Sbroz. *loco cit. num. 17.*

Non potest Vicarius vti Vicarius Missas conuentuales, aut Pontificales celebrare, nec Sanctissimum Sacramentum, aut Sacras Reliquias paratus in Processionibus deferre; nec aliis Diuinis officijs, aut functionibus Ecclesiasticis se immiscere; sed tantum præesse, vt omnia suo ordine fiant, & ita fuit declaratum in Congregatione Cardinalium supra citata, vnde illi candelæ dari debent, & palmæ ante Canonicos, & dignitates exceptis ijs, qui cum Paramentis assistunt Episcopo in Sede Pontificali existenti, vt censuit Sacra Congregatio supra citata.

De virtutibus Vicarij?

BRACTEA VIII.

R. Vicarium debere esse personam qualificatam, circumspectam, bonæ,& approbatæ vitæ, timentem Deum, veridicam, & liberalem, temperatam, fortem, magnanimam, mansuetam, doctam, atque non declinet ad dexteram, neque ad sinistram.

R. 2. Vicarium non debere esse externum sed Ciuem, vt homines notos habeat. Ita Cuchus *in instit. Can. de Vicario Episcopi*, Zechio *de officio Episcopi cap. 7.* Menochius *de præsumptionib. lib. 5. præsump. 12.* vbi ait, Originarium iure præsumi maiori fide, & diligentia administraturum.

R. 3. Debere esse peritum in his, quæ ad eius munus exercendum pertinent, in iure Canonico, & Ciuili versatum, ac moralis Theologiæ non ignarum, & forensium causarum peritum: videlicet, vt sit Doctor, & licentiatus in iure Canon. Sbroz. *lib. 1. quæst. 36. num. 9.* Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 43. quæst. 10.*

An Vicarius possit ad nutum amoueri?

BRACTEA IX.

R. Affirmatiuè iusta causa,& sicut nominatione Episcopi ordinariam iurisdictionem à lege consequitur, ita etiam contraria eius Episcopi voluntate tollitur, & reuocatur; res enim per quascumque causas nascitur per easdem dissoluitur. *Cap. omnis, &c.* Sbroz. *lib. 3. quæst. 6. num. 7. & quæst. 10. num. 15.* Azorius *lib. 3. cap. 45. quæst. 14.* Hugolinus *de officio Episcopi cap. 4. §. 6. num. 7.*

An Vicarius possit exercere suum officium, si Episcopus sit excommunicatus?

BRACTEA X.

R. Negatiuè si fuerit excommunicatus vitandus, quia sicut per huiusmodi excommunicationem suspenditur Episcopi iurisdictio. *Cap. Ad probandum 24. de re iudic. cap. Audiuimus quæst. 1.* Ita similiter eius Vicarij iurisdictio suspenditur, cū accessoria sit,& idē Tribunal, & auditoriū vtriusq; reputetur, q; probat Text. *in cap. 1. specul. in tit. de Iudice d. l. §. restat,* Siluester *verbo Vicarius quæst. 4.* Rebuffus *tit. de Vicario Episcopi num. 217.* Surdus *cons. 50. num. 32.* Gutieres *lib. 1. can. 1. num. 83.* Sbroz. *lib. 3. quæst. 17.* Suarez *de censuris disput. 19. sect. 1. num. 1.* Molina *tract. 5. disput. 10. num. 2.* Azorius *de censuris lib. 3. cap. 45. quæst. 14.* Auila *de censuris par. 2. cap. 6. disput. 6. dub. 4.* & alij apud Barbosam *de officio, & potestate Episcopi par. 3. allegat. 54. num. 156.* nec valere collationem, si Episcopus sit excommunicatus factā à Vicario, nisi esset excommunicatus toleratus, vel occultus; nam tunc fauore publici iuris cum communi opinione pro non excommunicato habetur, & collatio à Vicario, siue ab Episcopo facta valebit. Ita colligitur ex Abbate *in cap. Veritatis num. 42. de sententia excommunicationis,* Felinus *in cap. Ad probandum num. 6. de re iudicata,* & alij.

An Vicarius amittat iurisdictionem morte Episcopi?

BRACTEA XI.

R. Mortuo Episcopo expirare iurisdictionem Vicarij, quia vtriusque est vnum tribunal. Ita Azorius *par. 3. lib. 8. cap. 7.* Rebellus *2. par. lib. 9. quæst. 18. sect. vlt.* Sbroz. *de officio Vicarij lib. 3. quæst. 44.* Molina *de primogenitis cap. 25. num. 13.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disput. 30. num. 1.* Gutierez *de matrimon. cap. 69. num. 16.* Acta vero per Vicarium ignorantem mortem Episcopi longè distantis esse valida Ita Stephanus Gratian. *disceptationum forens. cap. 18. num. 50.* Sanchez *de matrimon. lib. 3. disp. 22. num. 59. & disput. 30. num. 4.* Gutieres *de matrimon. cap. 66. num. 18.*

R. 2. Non modò iurisdictionem Vicarij expirare morte naturali Episcopi; sed ciuili. Ita Sayrus *de censuris lib. 1. cap. 5. num. 39.* Vnde si Episcopus ad manum hostium perueniret,& captiuitate detineretur, eius Vicarius non poterit amplius iurisdictionem exercere, quia captiuitas ciuilis mors dicitur, Galletta in Margarita casuum conscientiæ, & sicut morte naturali Episcopi, iurisdictio Vicarij cessat, ita & ciuili, quæ eundem in proposito sortitur effectum, & licet iurisdictio Vicarij sit ordinaria, quia tamen est accessoria alteri iurisdictioni ordinariæ extinguitur extincta principali, cum adhæreat iurisdictioni Episcopi tamquam ordinariæ. Ita Sanchez *lib. 4. de matrim. disput. 27. num. 13. & lib. 8. disput. 28. num. 6.* & in hoc distinguitur à iurisdictione absoluta, quæ non est accessoria, quæ non expirat morte concedentis.

An Vicarius possit de causa sibi commissa tempore Vicariatus cognoscere, postquam ab officio fuit amotus?

BRACTEA XII.

R. Affirmatiuè, modò causa non fuerit illi delegata ratione officij, & dignitatis, quia postquam fuit amotus, non amplius retinet officium, ac dignitatem. Ratio, quia persona, cui facta est delegatio, amissa dignitate permanet, & per consequens potest amissa dignitate causam sibi commissam prosequi, siue res sit integra

gra ante dimissionem officij, siuè non, idest siuè cœperit iurisdictionem exercere, siuè non.

An Vicarius Episcopi teneatur ad Sindicatum?

BRACTEA XIII.

R. Negatiuè. Et ita declarauit Gregor. XIII. in quadam Bulla anno 1578. directa Clero, & Communitati Tarentin. his verbis: Statuimus, & mandamus, quod Vicarij, & Officiales, siuè generales, siuè particulares etiam foranei nuncupati per eundem Achiepiscopum; siuè eius successores in dicta Ecclesia Tarentina, siuè eius Diœcesi deputati, vel deputandi ad aliquem sindicatum nullo modo teneantur, aut eidem sub quouis prætextu sint obnoxij: Ita Marcus Antonius *in praxi Archiepiscop. Neapol. cap.* 58. Homobonus *de bonis de humana vita statibus.*

An absente Episcopo possit publicas Processiones indicere?

BRACTEA XIV.

R. Affirmatiuè absente Episcopo. Ita Barbosa *par.* 3. *allegat.* 78. *num.* 5. & in huiusmodi Processionibus, maximè si sint generales, omnes Clerici sunt cogendi, vt ad Cathedralē conueniant, & Processionem adeant. *Cap. Quoniam dist.* 38. Seraphin. *decis.* 15.

An possit de causis matrimonialibus cognoscere?

BRACTEA XIV.

R. Affirmatiuè etiam ex generali concessione Episcopi, quod probatur ex textu *in cap.* 1. *de frigidis, & maleficiatis,* vbi dicitur proponendam esse quærelam coram Episcopo, vel eius Vicario ad eius diuortium faciendum. Ita plures apud Barbosam *par.* 3. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 84. *num.* 3.

An Vicarius virtute commissionis generalis possit concedere excommunicationem pro rebus deperditis?

BRACTEA XV.

NEgatiuam sententiam plures sequuntur, idest non posse excommunicationem cōcedere sine speciali mandato Episcopi; & ita Vgolinus *cap.* 45. Campanilius *cap.* 15. *nu.* 105. Narbona *de appellatione à Vicario ad Episcopum par.* 1. *num.* 205 quod videtur habere fundamentum in Concilio Tridentino *sess.* 21. *de reformat. cap.* 5. sed

R. Affirmatiuè ex generali commissione posse concedere excommunicationes, seu litteras monitoriales. Ita Frater Emanuel *in summa tom.* 1. *cap.* 79. Henriquez *in summ. lib.* 13. *cap.* 17. §. 4. Sbroz. *de Vicario Episcopi lib.* 2. *quæst.* 172. Suarez *tom.* 3 *disput.* 20. *sect.* 1. *num.* 2. Zerola *in praxi Episcoporum par.* 1. *verbo Vicarius num.* 17. Gutieres *canon. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. Graffius *tom.* 1. *concil.* 6. *de sententia excommunicationis,* Sanchez *de matrimonio lib.* 3. *disput.* 29. *quæst.* 1. *num.* 16. Garzias *de beneficijs par.* 5. *cap.* 8. *num.* 14. Ricciulus *in praxi fori Eccles. decis.* 280. & alij plures.

An Vicarius Episcopi, qui habet facultatem subdelegandi, possit absolui ab alio, si incidat in casum reseruatum suo Episcopo?

BRACTEA XVI.

R. Affirmatiuè. Ratio à priori, nam si Episcopus incidit in casum reseruatum Summo Pontifici, à quo ipse alios absoluere, potest, in delegando alteri eam facultatem ab eo absolui; atque ita Concilium Tridentinum *in sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. declarauit Sacra Cardinalium Congregatio; & ita Suarez *tom.* 4. *disput.* 41. *sect.* 2. *num.* 9. Sanchez *de matrimonio lib.* 8. *disp.* 3. *num.* 3. Maiolus *de irregularitate lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 7. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 3. Sayrus *de censibus lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 5. Riccius *in praxi par.* 1. *resolut.* 445. *num.* 2. Eman. Sa *verbo Confessor. num.* 16. Diana *tract.* 4. *de sacramentis resol.* 142.

Vicarius absente Episcopo, quem locum in Choro debeat habere?

BRACTEA XVII.

R. Vt dictum est supra, quando Vicarius Generalis est in Choro absente Episcopo debet habere primum locum in dextro Altaris super omnes dignitates, à sinistro Altaris primam dignitatem, secundæ verò dignitati post Vicarium ita decisum à Sacra Congregatione rituum in Andrien. 25. Septembris 1610. refert Barbosa *iuris Eccles. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 109. sed præsente Episcopo, & stante in Choro inter Canonicos, alius locus assignari ei debet conueniens Vicario, vt declarauit Sacra Cōgregatio Cardinalium Episcoporum, & regularium propositorum in vna Bisagnensi 16. Maij 1610. & sic præcedit Archidiaconum, tam in Choro, quàm extra Sbroz. *lib.* 2. *quæst.* 25. *num.* 1. Barbosa *loco citato cap.* 15. *num.* 34.

An Vicarius ex generali concessione beneficia conferre possit?

BRACTEA XVIII.

R. Negatiuè, si specialiter ei non comittatur. Ratio, quia in generali commissione non veniunt ea, quæ verò similiter in specie quis non esset concessurus, & in generali concessione iurisdictionis factæ Vicario ab Episcopo non comprehenditur potestas conferendi beneficium, nisi exprimatur. Ita Couaruu. *lib. variar. cap.* 5. *num* 7. Gonzales *ad regulam* 8. *Cancellariæ* §. 4. *proemio num.* 34. Flaminius Parisius *de resignatione beneficij lib.* 7. *quæst.* 21. *num.* 9. & *quæst.* 24. *num.* 4. & *lib. quæst.* 7. *num.* 32.



An

Quam Vicarius habeat auctoritatem ordinariam, aut delegatam?

BRACTEA XIX.

R. Non defuisse, qui dicunt Vicarium non habere auctoritatem ordinariã, sed solũ delegatam, quia iurisdictio Vicarij non est perpetua; tum etiam quia expirat morte Episcopi, quæ non expiraret, si esset ordinaria. His tamen non obstantibus.

R. 2. Iurisdictionem Vicarij generalis ordinariam esse, & non delegatã non modo quoad ea, quæ continentur in generali mandato, sed etiã quoad ea, quæ requirunt speciale mandatũ, si illã Episcopus concessit cum generali mãdato, quia ordinaria iurisdictio tamquam dignior trahit se delegatam minus dignam sibi annexam. Ita Sbroz. *lib. 2. quæst. 55. num 37.* Sanchez *de matrim. disp. 29 num.* 8. Garzias *par. 5 cap. 8 num. 40.* Moneta *de commut. cap. 5. num.* 403. & alij.

An possint esse plures Vicarij Generales eiusdem Episcopi?

BRACTEA XX.

R. Episcopum posse plures Vicarios Generales constituere, ita habetur *in cap. Quoniam in plerisque de officio ordin.* Felinus *in cap. Causam matrimonij num.* 8. *de officio delegati,* Zerola *in praxi Episc. par. 1 verbo Vicarius,* Barbosa *de potestate Episcopi alleg. 54. num.* 124. & alij; dummodo tamen eos constituat in loco, vbi ipse Sedem, seu Tribunal habet, quia Vicarius Generalis dicitur ille qui constitutus est in loco, vbi Episcopus Tribunal habet, vt in eodem Tribunali ius dicat vice Episcopi. Ita Maranta *de iurisdict. par. 4. dist. 5. num.* 8. Sanchez *lib. 3. de matrimon. disput. 29. num. 11.* Campanil. *in diuers. iuris canon. rubr. 11. cap. 23. n.* 150. & alij.

R. Vnumquemque Vicarium tamquam insolidum habentem exercitium iurisdictionis posse procedere separatim. Ita Anchar. *in cap. licet num. 23. de officio Vicariorum lib. 6.* vbi Gemin. *num. 13.* Panormitanus *in cap. Prudentiam num. 11. de officio deleg.* Pauin. *de potestate capit. sede vacante 2. par. quæst. 10. num. 9.* Sbroz *lib. 2. de Vicar. Episc. quæst. 61.* & alij. Limitatur primò, nisi iurisdictio concessa sit, non vt singulis, sed vt vniuersis. Secundò, nisi alter ex Vicarijs cœpisset solus causam cognoscere, quia tunc coram alio nõ potest pars alteram causam prosequi. Tertio, nisi ab initio cœpissent causam simul cognoscere; tunc enim etiamsi insolidum Vicarij constituti essent, debent simul eandem causam terminare. Ita plures apud Merolam *tom. 3 disput. 7. de iurisdictione dub. 11. num. 43.* Quarto, nisi statutum, vel consuetudo diceret, quod omnes concorditer iudicarent, quia tunc vnus sine alio procedere nõ potest. Felinus *in cap. Ad prudentiam.*

An Vicarius sit ordinarius?

BRACTEA XXI.

PRima sententia est dicentium non esse ordinarium. Ita Alex. *in rubr. ff. de officio eius num.* 17. Goffr. *in summa tit. de officio Vicar. num. 3.* Alciatus *in rubr. de officio ordin. num.* 24. Sotus *in 4. dist.* 18. *quæst* 4. & alij, sed

R. Vicarium Generalem esse ordinarium, & habere ordinariam iurisdictionem; & ita plures citati à Merolla *loco citato dub. 13.* Ratio, quia Vicarius habet auctoritatem à iure, licet eligatur ab Episcopo. Tum etiam, quia eadem est iurisdictio Episcopi, & Vicarij, idemque tribunal; tum etiam quia à Delegato appellatur ad Delegantem, sed à Vicario generali Episcopi non appellatur ad Episcopum. *Cap. Romana de appellationibus.* Quod tamen interprætandum est, quod ad ea tantum, quæ ipso iure veniunt ex generali commissione, quia secus quoad ea, quæ sibi ab Episcopo specialiter committuntur, eo quod requiratur speciale mandatum.

An Vicarius Episcopi possit exercere ea, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ?

BRACTEA XXII.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia Vicarius Episcopi potest exercere omnia, quæ pertinent ad iurisdictionem ordinariam Episcopi exceptis casibus in iure expressis, cuiusmodi nõ est casus exercitij iurisdictionis voluntariæ; & ita Sbroz *lib. 2. de Vicar. Episcopi.* Vnde sequitur Vicarium Episcopi ex generali mandato posse interponere decretum, seu auctoritatẽ in alienationibus rerum Ecclesiæ, & minorum in emancipationibus liberorum, posse etiam dare curatorem pupillis ad lites.

R. 2. Non posse Vicarium Episcopi regulariter constituere alium Vicarium. Ita colligitur ex Cap. *Clericos de officio Vicar.* & plures Doctores. Dixi regulariter, quia in aliquibus potest substituere: primus est, quia potest creare Vicarium ad certos actus particulares: ex quo fit posse Vicarium Foraneum creare. Ita Innocentius, Archidiaconus *in cap. 1. de officio Vicarij lib. 6.* Sbroz *lib. 2. de Vicar. Episc. quæst. 66. num 16.* Capyc. *decis. 151.* & alij. Secundus est, quando adest necessaria causa substituendi, vt propter infirmitatem, vel si causa absentiæ substituatur ad modicum tempus. Ita Marant. *in speculo par. 4. dist. 5. num. 22.* Garzias *de beneficijs par. 8. num.* 148. Barbosa *de potestate Episcopi par. 2. allegat.* 54. & ab eo plures citati. Tertius est, quia potest alium Vicariũ substituere ad causas temporales tantum. Ratio, quia Vicarius in temporalibus tantum non dicitur Vicarius generalis, sed Foraneus, cum autem Vicarius possit creare Vicarios Foraneos, sequitur etiam posse substituere alium Vicarium in temporalibus tantum. Ita Vant. *de nullit. tit. de nullit. ex defectu iurisdict. ordin. num.* 25. vbi refert Rotam *decis.* 578. *&* 350. quod tamen intelligendum est, dummodo Vicarius non habitet in Ciuitate, vbi Episcopus ius dicit.

An Vicarius Archiepiscopi habeat iurisdictionem in Episcopos suffraganeos?

BRACTEA XXIII.

R. Negatiuè, & hoc propter reuerentiam Pontificalis dignitatis. Ita Io. Andreas *in cap. Romana, & in cap. Licet de officio Vicar. in 6.* Rebuffus

buffus *in praxi benefic. tit. forma Vicariatus Archiepisc. num.* 164. Sbroz. *lib.* 2. *quæst.* 58. & alij. Quæ doctrina intelligenda est, quando Archiepiscopus est præsens in Prouincia, quia si absens, tunc Vicarius Archiepiscopi habet iurisdictionē in suffraganeos in ciuilibus tantū, non aūt in criminalibus causis, cū talis sit reseruata Sūmo Pontifici. Panormitanus *in cap. Pastoralis n.* 2. Concil. Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 6. & 8. *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.*

R. 2. Vicarium Archiepiscopi habere iurisdictionem in Vicarios Episcoporum suffraganeorum, quando Vicarius Episcopi peccat in his, quæ sunt iurisdictionis, & pertinent ad eū, vt Officialis Episcopi, non autem his, quæ peccat tamquam priuatus.

R. 3 Vicarium Episcopi habere iurisdictionem in Prælatos inferiores, qui Episcopo subsunt, eorumque subiectos. Ratio est, quia ita se habent hi Prælati respectu Episcopi, sicuti se habent Episcopi ad Metropolitanum, sed Vicarius Metropolitani, seu Archiepiscopi habet iurisdictionem in Episcopos suffraganeos; ergo, & Vicarius Episcopi habet iurisdictionem in Prælatos Episcopo subiectos.

An Episcopus Vicario à se constituto debeat congruum salarium dare?

BRACTEA XXIV.

R. Debere. Ita Cap. *Si Episcopus, cap. Inter cætera*, & ex pluribus alijs iuribus, quod postea confirmauit Rota in vna Turritana mercedis die 20. Maii 1564. coram D. Seraphino inter eius decisiones impressas.

Sciendum, quod licet Episcopus Vicario à se constituto teneatur soluere salarium, non tamen teneri soluere salarium debitum a suo antecessore, sed illos teneri, qui succedunt in bonis Episcopi defuncti, sicut etiam obligantur ad omnia alia debita; & ita Flaminius *de resignat. lib.* 1. *quæst.* 16 *num.* 53. Gallett. *in sua margarita casuum conscient. verbo Vicarius num.* 9 Barbosa *de potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 54. *num.* 179. dicentes sic fuisse resolutum in Rota Romana.

An Episcopus possit causam coram eius Vicario pendentem ad se auocare?

BRACTEA XXV.

R. Posse. Ratio, quia Episcopus potest ad libitum in totum reuocare Vicarium; ergo à fortiori poterit prohibere illi, ne iudicet in aliqua causa. Ita Marant. *in speculo par.* 4. *dist.* 16. Vnde Episcopus ad se auocando causam censetur eius iurisdictionem suspēdere, quoad illam causam, non tamen potest Episcopus auocare ad se causam pendentem coram alio inferiori Prælato ordinario, vt Archidiacono, vel Abbate. Bertach. *tract. de Episcopo lib.* 4. *par.* 5. *tit. de auct. Episc. circ. iudic.* Imola *in cap. Pastoralis de officio ordin.* Sbroz *de Vicar. Episc. lib.* 3. *quæst.* 39.

R. 2. Vicarium generalē Episcopi posse recusari tāquā suspectus, si iustè recusetur Eps. Ita Salicetus *l. vnica Cod. si quacunque*, Rebuffus *in praxi benef. tit. forma vicaria*, Bertach. *loco citato num.* 69. Lancellott. *de attest.* 2. *par. cap.* 6. Redoan. *de rebus Eccles. non alienand. cap.* 3. *num.* 29. & alij. Ratio colligitur *ex cap. Insinuante de off. delegati*, & *ex cap. Visis* 16. *quæst.* 2. tum etiam quia Episcopus potest recusari suspectus, ergo multo magis Vicarius. Ratio, quia Vicarius dependet ab Episcopo, & ideò quando Episcopus rationabiliter est suspectus, potest rationabiliter Vicarius suspectus allegari; & ita Baldus *in leg. vnica*, Angelus *l. aduersus Cod. si aduersus rem iudicatam*, Iason. *leg. apertissimi* 49. *Cod. de re iud.* & alij. Ratio, quia cum Vicarius ab Episcopo sit erectus, ab eoque possit ad libitum reuocari; idcircò ob timorem ne reuocetur, potest facilè tradi in Episcopi suspecti sententiam.

An Vicarius possit esse Iudex in causa sui Episcopi; autem contra?

BRACTEA XXVI.

R. Negatiuè, quia cum idem sit tribunal Episcopi, & Vicarij, & eandem habeant iurisdictionem. Cap. *Romana*, sequeretur Episcopum iudicari in causa propria, & proprio tribunali, & per consequens fungi officio Iudicis, & partis, quod est prohibitum, vt ait Baldus *in leg. si quis num.* 6. *Cod. de Episcopis, & Clericis*. Ita Sbroz. *de Vicar. Episc. lib.* 2. *quæst.* 137. cum pluribus ab eo relatis.

R. Episcopum posse esse Iudicem sui Vicarij; & ita Specul. *tit. de competenti iudice*, Bertach. *de Episc. lib.* 4. *par* 5. *num.* 19. Capyc. *decis.* 137. *nu.* 7. Sbroz. *de Vicar. Episc. lib.* 2. *quæst.* 38.

An Vicarius possit reuocari?

BRACTEA XXVII.

R. Affirmatiuè, vt supra dictum fuit. Ita Gloss. *in Clement. vbi Card. num.* 10. Anchar. Panormitanus *num.* 9. & alij, etiamsi Episcopus iurasset eum non reuocare. Io. Andreas *cap. Tua de off. Vicar.* Verùm vt reuocatio sit licita, requiritur causa, quia si Episcopus reuocaret Vicarium, reuocatio erit valida tamen erit illicita.

Sciendum, quod si Vicarius esset constitutus à Papa, tunc Episcopum non posse eum reuocare, sicut etiam non potest reuocare Vicariū datum à lege, vt est Archidiaconus; & ita Panormitanus *in cap. de off. Archidiac.* Sbroz. *loco citato num.* 14. & alij.

An mortuo Episcopo expiret iurisdictio Vicarij?

BRACTEA XXVIII.

R. Statim expirare, & consequenter gesta ab ipso post mortem Episcopi esse nullius momenti, vt dictum est. Ratio, quia reputatur vna persona cum Episcopo. *Cap.* 2. *de consuet.* & *cap. Romana de appellat.* Ita Couuar. *pract. quæst. cap.* 4. *num.* 4. Flaminius *lib.* 7. *de resignat. quæst.* 24. *num.* 35. Sanchez *lib.* 3. *de matrim.* cum pluribus ab eo citatis, & non modo quoad negotia peragenda, sed etiam quoad negotia cępta, quia ea mortuo

tuo Episcopo non potest perficere.

Sciendum non solùm morte naturali Episcopi exspirare iurisdictionem Vicarij, verùm etiam renunciatione acceptata à Summo Pontifice translatione ad alium Episcopatum depositione, &c. quia transit tunc iurisdictio in Capitulum.

R. 2. Excommunicato Episcopo esse ipso facto suspensam iurisdictionem Vicarij. Ratio, quia vtriusque est vnum, & idem tribunal. Sic Gloss. *cap. 1. verbo ipsum*, & ibidem Archidiac. Hostiensis, Io. Andreas, Anchar. Gemin. & alijs, Guttieres *quast. canon. lib. 1. cap. 1. num. 83.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 30. num. 6.* & alij ab ipso relati. Retinet tamen nomen Vicarij, & iurisdictionem habitualem, & potest assistere matrimonio, quia est verus Vicarius, & assistere matrinio, non est actus iurisdictionis. Sanchez *lib. 3. disput. 21. num. 4. & 7.* Supponimus Episcopum esse excommunicatum denunciatum, vel notorium Clerici percussorem.

Sciendum excommunicato Episcopo non modò esse suspensam iurisdictionem Vicarij ob rationes allatas, sed etiam Subuicarij. Ita habetur *in cap. 1. de officio Vicarij lib. 6.* vbi Gloss. & alij. Sbroz *de Vicar. Episc. lib. 3 quæst. 18. num. 6.* Subuicarius dicitur ille, qui creatus est à Vicario potestate sibi à iure cōcessa ad modicum tempus; secus verò dicendum, si non à Vicario, sed ab Episcopo sit creatus, vt colligitur *ex cap. vbi Gloss verbo tantum*, Felinus *in cap. Insinuante num. 1. de officio delegati.*

An Vicarius generalis Episcopi sit præferendus Archidiacono, Ecclesiæ Cathedralis?

BRACTEA XXIX.

PRima sententia est negantium. Ita plures apud Merollam *tom. 3. cap. 6. de iurisdictione Vicarij dub. 56.* cui fauet stylus Cancellariæ, quæ in rescriptis directis Vicario, & Archidiacono, vel Archipræsbytero prius nominat Archidiaconum, & Archipræsbyterum, quam Vicarium.

Secunda sententia est asserentium Vicarium generalem Episcopi debere præcedere Archidiaconum Cathedralis. Ita Panormitanus *cons. 21.* Felinus *in rubr. de maiorit. & obed.* Boerius *in tract. de auctoritate magni consil. num. 77.* Cassaneus *in catal. gloriæ mundi par. 4. consider. 46.* Sbroz *de Vicario Episc. lib. 2. quæst. 25. num. 1.* & alij. Ratio, quia Vicarius Episcopi facit idem tribunal cum Episcopo; ergo illi debetur eadem prærogatiua, & honor, qui Episcopo debetur in cessione, præcedentia & alijs. Quod intelligendum est, vt non procedat in actibus pertinentibus ad officium ipsius Archidiaconi, quia in illis dicitur Archidiaconus Vicarius Episcopi à iure constitutus. *Cap. 1. de officio Archidiaconi.* Ita Stephanus Gratianus *tom. 1. discep. forens. cap. 111. num. 50.*

An Vicarius debeat præcedere Capitulū, ad quod respondeo, quod quando Capitulum repræsentat Ecclesiam Cathedralem non debere illum præcedere, in alijs verò actibus esse præferendum Capitulo: vnde Vicarius in Synodo non debet præcedere Capitulum, quia in eo fit præsentatio Ecclesiæ. Ita Merolla *loco citato disp. 4. de iurisdict. dub. 15. num. 562.*

MALLEATIO XLI.

De Vicario Capitulari.

Quis dicatur Vicarius Capitularis?

BRACTEA I.

PRo maiori notitia sciendum, mortuo Episcopo Capitulū obligari infra 8. dies Vicariū nouū cōstituere, vel existentē confirmare. Cōcilium Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 16.* Ante verò electionem Vicarij infra octo dies faciendam, administratio iurisdictionis residet penes Capitulum, non autem penes primam dignitatem. Et ita Quaranta *in summa Bullarum verbo Capitulum sede vacante* §. 12. Riccius *in praxi vniuersi fori Ecclesiastici*, & alij citati à Barbosa *iuris Ecclesiast. lib. 1. cap. 32. n. 29.* intra quos dies octo, non arctatur Capitulum ad electionem Vicarij, sed illis durantibus potest per se administrare. Quaranta *loco cit.*

R. 2. Vicarium Capitularem illum esse, qui transactis octo diebus à Capitulo eligitur ad ministrandum, quæ sunt iurisdictionis necessariæ.

An solum vnus Vicarius sit eligendus à Capitulo?

BRACTEA II.

R. Solum vnum Vicarium esse eligendum à Capitulo sede vacante, nisi legitimè adesset immemorialis consuetudo eligendi duos, vel plures, quia tunc stante immemorabili cōsuetudine potest plures Vicarios constituere æquè principales, vel vnum generalem, & alterum Foraneum maximè si est ampla Diœcesis. Aloysius Riccius *in decis. Curiæ Archiep. Neapolitanę decis. 193. part. 4.* & Sacra Congregatio Cardinalium in vna Salernitana censuit, Capitulum sede vacante duos Vicarios constituere posse, vt alternis mensibus Vicariatus munere fungantur, si legitima probetur immemorialis cōsuetudo, & illis qualitatibus sint prædití, quas requirit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 16. de reformat.* Verum si discordia fuisset inter Canonicos in electione Vicarij, & plures ad hoc officium assumerentur, magis idoneum, & habentem qualitates Concilij remanere debere cæteris remotis. Quaranta *loco cit.* Garzias *de beneficijs part. 5. cap. 7. num. 23.* vbi refert sic censuisse Sacram Congregationem.

An Vicarius debeat eligi de gremio Capituli?

BRACTEA III.

R. Quamuis Capitulum non teneatur eligere personam in Vicarium de gremio ipsius Capituli, tamen si adesset persona idonea cæteris paribus esset anteponenda. Garzias *loco cit. cap. 7. num. 13.* Quaranta *loco cit.* Aloysius Riccius *in decisionib. Curiæ Archiep. Napolitanæ decis. 180. part. 1.*

R. 2. Posse eligere Canonicum, qui in eadem Ciuitate, & Ecclesia curam quoque gerit animarum

marum. Ita Sacra Congregatio in vna 19. Martij 1619.

R. 3. Si Vicarius electus erit è gremio Capituli, dum tempore Diuinorum Officiorum sui muneri, & officio incumbit, non potest percipere distributiones quotidianas. Moneta *de distributionibus quotidianis part. 2. quæst. 11. num. 83.* stante consuetudine illum absentem non excusante, Rota *decis. 222. num. 6.* Quaranta *loco cit.*

R. 4. Et si interueniat in Choro cum Canonicali apparatu, vt distributiones quotidianas lucretur, debet sedere in loco proprio sui Canonicatus antiquioribus non præcedendo. Ita Sayrus *in floribus decisionum sub. tit. de Officio Vicarij decis. 3.* Quaranta *loco citato,* Riccius *in praxi fori Ecclesiastici decis.* 475. Sbroz. *lib. 2. quæst. 25. nu. 17.* vbi aduenit, quod quando eligitur Vicarius, non de corpore Capituli illi in Processionibus præferendus est Archidiaconus, seu alia dignitas maior, & prima post Pontificalem, nec huiusmodi Vicarium debere occupare Sedem Archidiaconi, sed debere sedere in altera Sede portatili, vt declarauit Sacra Congregatio rituum in vna Nuccrina 10. Aprilis 1601.

R. 5. Capitulum in commissione Vicarij posse præfigere tempus, quo elapso expirat eius iurisdictio. Ita Garzias *in addit. de beneficijs part. 5. cap. 7. num. 37.* & ita poterit eligere cum clausula, quod non duret, nisi per annum Sacra Congregatio Ritnum die 17. Iunij 1617.

R. 6. Si Capitulum constitueret Vicarium simpliciter absque temporis præfinitione, eius officium durare durante sedis vacatione. Quaranta verbo Capitulum sede vacante, & sit facta electione Vicarij non posse Capitulum illum amplius mutare, & nouum constituere. Ita Riccius *in collect. decis. part. 5. collect. 1602. & in decis. Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ decis. 187. p. 4.* nisi ex iusta causa beneuisa Sacræ Congregationi negotijs Episcoporum propositæ, vt ipsa declarauit anno 1631. & antea capitulo Neapolitano eidem anno, & capit. Taraconensi die 24. Nouembris, & capit. Aretino die 26. Octobris 1603. licet alij tueantur contrariam opinionem, vt Quaranta *verbo Capitulum, &* Zerola *in praxi Episcoporum part. 1. verbo Vicarius §. 21.*

De Conditionibus requisitis in Vicario Capitulari?

BRACTEA IV.

R. Debere Vicarium Capitularem eligi, qui sit Doctor, aut licentiatus in iure Canonico, vel alias quantum fieri potest, vt statuit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 16. de reformat.* Nauar. *cons. 2. de officio Vicarij,* Sayrus *in floribus decisionum decis. 2. de officio Vicarij,* Petrus Henriquez *cons. 90.* Sbroz. *de officio Vicarij lib. 1. quæst. 36. n. 12.*

R. 2. Si Vicarius non esset Doctor poterit capitulum dare ei cōsultorem Doctorem, alioquin Vicarius poterit eligere Consultorem Doctorem benè visum sibi, non suspectum in casibus, in quibus eo opus fuerit, & ita Quaranta *verbo Capitulum sede vacante,* Riccius *resolut. 505. in notabili de materia Vicarij. & ipse addit in decis. Curiæ Archiepiscop. Neapolitanæ part. 4. decis. 305. num. 15.* quod Doctor Sacrorum Canonum præfertur Magistro Theologiæ, quoad hoc officium, at Sacra Congregatio Concilij sub die 18. Augusti 1621. censet, Theologum non posse esse Vicarium sede vacante.

An Vicarius Capitularis possit cognoscere de causis delegatis Vicario Episcopi?

BRACTEA V.

Salas *disp. 26. de legib. sect. 17. num. 124.* & Sanchez *lib. 8. disp. 27. num. 22.* affirmatiuam sententiam tenet, nimirum commissiones datas Officiali, seu Vicario Episcopi expediri posse sede vacante per Vicarium Capituli, quia Vicarius Capitularis verè est Officialis, & dicitur Vicarius illius Diœcesis, & Capitulum succedit in locum Episcopi, & per consequens Vicarius Capitularis potest dici Vicarius iurisdictionis Episcopalis. Sed

R. Negatiuè, quando in forma commissionis exprimitur Vicario Episcopi, &c. Ratio, quia Vicarius Capitularis non est propriè Vicarius Episcopi, tum etiam, quia sicut concedit. Sanchez *loco cit. num. 33.* & alij Capitulum sede vacante non posse expedire commissiones demandatas Vicario Episcopali, vel Officiali Episcopi; ergo à fortiori non potest Vicarius electus à Capitulo, seu Officialis Capituli expedire commissiones demandatas Vicario Episcopi, siue eius Officiali iuxta regulam 19. *de regulis iuris in 6.* Nemo potest plus iuris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur. Ita Bonacina *de legib. quæst. 3. pun. 8. §. 4. n. 7.* Garzias *de beneficijs part. 6. cap. 2. num. 44.* Riccius *in decis. Curiæ Archiepiscopatus Neapolitanæ part. 1. decis. 44.* & Sacra Congregatio Concilij Tridentini Interpretum declarauit in vna Carmenotensi 2. Augusti 1631. Vicarium capitularem sede vacante non posse exequi commissiones in forma dignum, & alias directas Episcopo, vel eius Vicario Generali intuitu Officij, vel sub nomine dignitatis. Barbosa *iuris Ecclesiastici lib. 1. cap. 32. de capitulo num. 59.*

R. 2. Non posse Vicarium capitularem dispensationes matrimonij directas Episcopo, vel eius Vicario Generali sede vacante expedire. Ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium Sacri Concilij Interpretum sub die 24. Maij 1621. Barbosa *loco citato num. 60.*

An Vicarius sede vacante possit demandare executioni litteras Episcopo per Sacram Congregationem directas?

BRACTEA VI.

R. Affirmatiuè, nimirum posse demandare executioni litteras per Sacram Congregationem demandatas, sed non executas. Ita Sacra Congregatio negotijs Episcoporum, & Regularium proposita sub die 10. Aprilis 1615. nec nō omne illud, quod Episcopo mortuo per Bullam, seu per Breue in causis iurisdictionem importantibus concessum erat eadem Sacra Congregatio in vna 26. Ianuarij 1604. & in Neapolitana 10. Februarij eiusdem anni. Barbosa *loco citato num. 60.*

An

An possit visitare Diœcesim?

BRACTEA VII.

R. Affirmatiuè. etiamsi à capitulo ei specialiter non fuerit commissum. Sacra Congregatio Concilii in Pampinolensi 13. Aprilis 1630. Ratio, quia capitulum habet ius visitandi Diœcesim, sicut Episcopus, & hanc facultatem habet Vicarius capitularis ex sententia eiusdem Congregationis. Nicolaus Garzias *in addit. ad suum tractatum de beneficijs par.5. cap.7. num.29.* quia Vicarius succedit in iurisdictione loco capituli.

An Vicarius Capitularis possit esse Delegatus Papæ, ac gratiarum executor?

BRACTEA VIII.

R. Affirmatiuè. Ita Gloss. *verbo Episcop. in Clementina 2. de rescript.* Pauinus *in tract. de officio, & potest. Vicarij sede vacante par.2.quæst.10.nũ.6.* Sbroz. *de Vicario Episcopi quæst.23.nu.4.* Sanchez *de matrim. lib.8.disp.27.num.35.* Barbosa *de officio, & potest. Episcopi allegat.54.num.134.*

An Vicarius Capituli possit substituere?

BRACTEA IX.

R. Vicarium capituli nullo modo posse substituere, nisi ei in mandato substituendi facultas concedatur. Rota *decis.159. lib.3. diuers.* Petrus *decis.487. lib.2.* Seraphinus *decis.1033. par.2.* Aloysius Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiast. decisio 474.*

MALLEATIO XLII.

De Vicario Foraneo?

Quis dicatur Vicarius Foraneus?

BRACTEA I.

R. Illum dici Vicarium Foraneum, qui extra Ciuitatem, in qua Episcopi sedes est, iurisdictionem exercet, & ideo illum dici Vicariũ foraneum, quem Episcopus constituit in certa Diœcesis parte, vel in Oppidis, quia foris idest extra locum, in quo Episcopalis sedes est, Episcopi vice fungitur, aut quia de foris veniunt, vt ait Gloss. *verbo forenses quæst.4.* Rebuff. *in prax.benef.tit.de forma, & declarat. prouisionis,* Siluest. *in summ.verbo Vicarius quæst.4.* Cuchus *lib.2. instit.cap.8. de Vicario num 3* Sanchez *de matr. lib.3. disp.29.num.10.* Garzias *de benef.part.5.cap.8.num.29.* & alii.



An Vicarius Foraneus habeat dignitatem?

BRACTEA II.

R. Vicarium Foraneum nullam habere dignitatem, sed solum officium vnde nullam habent præcedentiam; Ita Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.579.* Vnde vt dicetur, non potest esse delegatus Papæ, nec executor gratiarum beneficialium, quæ expediuntur in Curia Romana. Ita Flores de Mena *q.4.* nisi illi fieret delegatio ex certa scientia Summi Pontificis. Ita Sbroz. *de Vicario Episcopi quæst.23. num.9.* vel respectu alicuius dignitatis, quam præter officium Vicarii habet. Ita Sbroz. *loco citato q.22.*

Quænam sit potestas Vicarij Foranei?

BRACTEA III.

R. Potestatem Vicarii Foranei non esse ordinariam, cum ipsam non habeat ex titulo officii, sed esse delegatam, cum ex sola commissione delegata ab Episcopo iurisdictione fruatur. Gloss. *in Clement.2.verb.foran.*

An à Vicario Foraneo ad Episcopum detur appellatio?

BRACTEA IV.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia à Delegato ad delegantem datur appellatio, Vicarius Foraneus, vt dictum fuit, est delegatus, & Episcopus delegans, ergo ad ipsum datur appellatio, tanquam à delegato ad delegantem, cum idem tribunal, & auditorium non constituant. Ita communiter Doctores.

An Vicarius Foraneus possit esse Delegatus Papæ?

BRACTEA V.

R. Vicarium Foraneum non posse esse Delegatum Papæ, nec executorem gratiarum beneficialium, quæ expediuntur in Curia Romana. Ita Flores de Mena *variar. lib. 1. quæst.4.* nisi illi fieret delegatio ex certa scientia Pontificis. Ita Sbroz. *lib.2. q.23. num.9.* vel respectu alicuius dignitatis *ibi num.10.* quia respectu officij nullam habet dignitatem. Rebuff *tit. de Vicario Episcopi num.4.* Sbroz. *loco cit. quæst.22. num.13.* cum potius obtineat officium, quam dignitatem. Riccius *in prax. for. Eccles. decis.577.* Vnde nullam habet præcedentiam.

An Vicarius Foraneus possit concedere monitoria pro rebus deperditis?

BRACTEA VI.

R. Negatiuè. Ita Lazar. *tract. de monitor. sect.2. quæst.5.num.9.* Vgol. *cap.45.* Riccius *resol.*

235. Potest tamen ei ab Episcopo delegari specialiter expressè talis facultas. Galleta in Margarita *cas.conscien.verbo litera* 2.

MALLATIO XLIII.

De Abbatis dignitate.

An Abbas sit Prælatus, & in dignitate positus?

BRACTEA I.

R. Abbatem esse Prælatum, & in dignitate constitutum, ita vt in Sacris Conciliis generalibus immediatè post Episcopos ipsis deinde postea aliis Prælatis locus debeatur. Panormitanus *in cap.2.num.2.de iudicijs, & in cap. Ex ore nu.3.de priuil.* & in Sacris Canonibus Ecclesiæ Prælati vocantur. *Cap.Decernimus de iudic.* Azorius *part.1.lib.12.cap.29.& part.2. lib.3.cap.25. quæst.1.* Suarez *de Religione tom.4. tract.8.lib.2.cap.2. num.3.* Tamburinus *de iure Abbatum disp.1.quæst.3.* Etiamsi sint Commendatarii, dummodo perpetui. Ita plures apud Barbosam *iuris Ecclesiast. lib.1. cap.17. de Abbatibus num.* 4. quorum Abbatia in multis æquiparatur Episcopatui secũdum Oldradum *cons.14.* Cardinalem Tuscum *tom.1.litera A,conclus. 29.num.1.*

Quotuplex sit Abbas?

BRACTEA II.

R. Quosdam esse Sæculares, & quosdam Regulares. Ita Ioannes de Sylua *in tract. de beneficijs part.1.quæst.2.num 35.* Rebuff. *in prax. tit. Secularia beneficia,* Azorius *part.2.lib.3. cap.19.* & alii. Abbatem Sæcularem illum esse, qui beneficia Ecclesiastica obtinet titulo Abbatiæ. *Cap. Cum de beneficio;* & istos esse in duplici differentia, quidam enim sunt Abbates, qui non solum in Clericos, sed etiam in Laicos sibi subditos Põtificiam, seu iurisdictionem Episcopalem habent, & insignia pariter Pontificia gestant; vtũtur enim annulo, mitra, & baculo Pastorali, & horum dignitas est Episcopo proxima, alii sunt Abbates longè minores, qui non Pontificiam iurisdictionem habent, nec Episcoporum insignia deferunt, quorum Abbatiæ, quamuis dignitates sint, non tamen Episcopi proximè dignitatem sequuntur, & tenent medium gradum inter Superiores dignitates, cuiusmodi est Episcopatus, & alias inferiores, vt sunt Decanatus, Archidiaconatus, &c. sunt etiam Abbates Commendatarii, cum enim per Sacros Canones non possent Clerici sæculares Monasticorum Conuentuum esse Rectores, vt Abbatię illis perpetuò commendarentur compertum fuit, vt ii, quibus prohibitum erat per regulares Abbatias in titulum obtinere, earum retentionem per viam perpetuę Commendę licitam effecerunt. Et primo sub Leone Quarto, deinde sub aliis Pontificibus.

R. 2 Abbates Regulares etiam esse in multiplici differentia. Nam sunt quidam Abbates, qui Populum, & territorium habent, in quo iurisdictionem Episcopalem, & aliquando tẽporalem exercent, ac locorum Ordinarii dicuntur; alii autem sunt Abbates sub se tantum regulares subditos habentes, quorum regimini, & gubernationi præfecti sunt; & olim vnũquodq; Monasterium suum tantummodo Abbatem in Superiorem agnoscebat, atque illi, & non alteri subiiciebatur, & obtemperabat; nec vnus Abbas alteri Abbati supereminebat, sed omnes Episcopi locorum subditi erant, iuxta *Caput Abbates, Caput Monasteria* 18. *quæst.2.* & notat Panormitanus *cap.1.num 1. de regularibus*, sed postea cũ Monasticæ Religiones priuilegio Summorum Pontificum se exemerunt ab Episcoporum iurisdictione constituendo vnum caput vnde factum est, vt vni generali Abbati, tanquam cęterorum capiti obedirent, & iste est Abbas supremus in Religione, cui inferiores cæterorum Monachorum Abbates locales subduntur. Alii denique sunt Abbates solo nomine, qui regulares sub se subditos non habent; & Abbates titulares nuncupantur, ac Pontificalibus insigniis vtuntur: de licentia tamen Abbatum localium, in quorũ Ecclesiis ea exercere voluerint, gestant etiam insignia Prelatorum, sicut Abbates habentes sub se regulares subiectos, & tanquam Prælati habent vocem actiuam, & passiuam ad Capitulum generale.

An Abbas debeat benedici?


BRACTEA III.

R. Abbates omnes perpetuos debere benedici à proprio Episcopo. Sbroz. *de Officio Vicarij lib.2.quæst.8.num.1.* Scipio de Rubeis *in Aphorismis Episcopalibus verbo Abbas num.1.& 2.* Azorius *part.1.lib 12. cap.21.quæst.6.* Tamburinus *de iure Abbatum tom.1.disput.11.quæst.7.* licet aliqui ex priuilegio particulari possint à quocunque Episcopo benedici.

R. 2. Benedictionem Abbati dandam esse in die Dominico, vel festiuo. Panormitanus *in cap. Cum contingat num. 2.* Felin. *in cap. inter Monasterium num. 2.* Angelus *verbo Abbas num.6.* Siluester *eodem verbo num.4.* Castaldus *in praxi ceremoniali lib.1.cap.1.sect.9.cap.2.num.2.* Tamburinus *disp.9. quæst.7.*

R. 3. Abbatem semel benedictum si transit ad aliã Abbatiã, non esse iterum benedicendum, & quamuis hæc benedictio caracterem non imprimat, nihilominus non est reiterabilis; nam multa Sacramentalia licet non imprimant caracterem, tamen non sunt reiterabilia, vt benedictio nuptiarum, quæ non repetitur. Ita plures citati apud Barbosam *iuris Eccles.lib.1.cap. 17.num.45.*

R. 4. Si Episcopus tertiò requisitus renuerit sine causa benedicere Abbatem, potest ipse Abbas non expectata benedictione officium ministrare, & ordines minores conferre, atque ea omnia, quæ sunt sui muneris præstare, & conferre. Scipio de Rubeis *verbo Abbas num.54.* Azorius *lib.12.cap.20 quæst.6.* Erasmus A chochier *de iurisdictione ordinaria in exemptos part. 4. quæst.78. num.2.*



Quænam

Quænam sint insignia Abbatum?

BRACTEA IV.

R. Insignia Abbatis esse vsum Mithræ, & baculi Pastoralis, & annuli, & quia mithræ triplex est species, vna quæ pretiosa dicitur, quia gemmis, & lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet, altera auri frigiata, & sine laminis aureis, vel argenteis, sed ex serico albo intermixta, vel ex tela aurea simplici sine laminis, & margaritis; tertia, quæ simplex vocatur sine auro ex simplici serico damasceno, vel alio, vel etiam ex tela alba confecta, rubeis lacinijs, seu frangeis, & vittis pendentibus. Ex his tribus mithris Abbates illa sola debent vti, quæ eis à Sede Apostolica est concessa, & qui habet priuilegium vtendi aurifrigiata, aut pretiosa dignior est illo, cui solum vsus simplicis mithræ conceditur.

Baculo Pastorali vtũtur etiam Abbates, nec illo possunt vti extra proprias Ecclesias, nisi ex speciali priuilegio id eis indultum esset.

Habent etiam Abbates ius benedicendi in proprijs tantum Ecclesijs, quę ad eos pertinent pleno iure, videlicet post Missarum solemnia, Vesperas, & Matutinarum officia, non autem alio tempore, nisi hoc specialiter sit eis ab Apostolica Sede concessum. Frater Em. *questio- num regularium tom. 1. quest. 18. art. 1.* Azorius *part. 1. lib. 12. disp. 2. quest. 7.* dummodo tamen non sit præsens Episcopus, vel alius maior Ecclesiæ Prælatus. *Cap. Denique 21. distinct. cap. Cum ad celebrandum de Consecrat. dist. 1.* nisi extaret aliquod speciale priuilegium Sedis Apostolicæ, prout Sixtus Quartus sub datum Romę decimo septimo calendas Octobris 1483. concessit Præposito, siue Abbati Sanctæ Mariæ Pacis, Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensis, vt habetur in libro priuilegiorum eiusdem Congregationis, vt liberè, & licitè possit, & valeat Mithra, annulo, & baculo, & alijs Pontificalibus insignijs vti, nec non in dicto Pacis Templo, atq; intra septa dicti Monasterij benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, ac Matutinarum solemnia elargiri, etiamsi in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, Cardinalis, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens fuerit.

R. 2. Abbates Generales quorundam Ordinum Monachorum ex priuilegio Summorum Pontificum habent auctoritatem ferendi Prælatorum regularium habitum, hoc est Capuccium, siue Mozzettam, mantelletum, biretum Clericalem, & pileum more Prelatorum, retento semper sui habitus colore.

R. 3. Abbatem titularem habentem iurisdictionem quasi Episcopalem, cum vsu mithræ, & baculi non posse deferre mithram extra propriam Ecclesiam per Diœceses Ordinariorum absque speciali Indulgentia Sedis Apostolicæ, & cum licentia Ordinarij. Sacra Congregatio in vna Cameracensi 6. Decembris 1631.

R. 4. Baldachino non licere Abbatibus vti, nisi illis, quibus priuilegio concessum est, quibus concessum est, vt in tribus festiuitatibus anni Baldachino vti possint, sine tamen auro, & pompa, & aliquibus etiam Ministris paratis sacris indumẽtis, qui ad summũ sint duo Diaconi, & Præsbyter assistẽs Diaconus, & Subdiaconus pro cantando Euangelio, & Epistola, ac sex ad summum, alij duo cum Pluuialibus, duo cum Planetis, & duo cum tunicellis coloris tempori conuenientis.

R. 5. Non debere Abbates habere Sedem fixam, & permanentem propè Altare, vt Sedes Episcopalis retinere consueuit, sed solum retineatur his tribus diebus in Ecclesia, quibus ipse Abbas solemniter celebrat, dictique sex Monachi sedere debent loco congruo super scabellis ad hunc effectum appositis, panno laneo coopertis.

An Abbates possint consecrare Calices, Altaria, Campanas, benedicere lapides, Pixides, & alia vasa Ecclesiastica, non solum ad suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum vsum?

BRACTEA V.

R. Posse ex priuilegio concesso ab Innocentio Octauo. Barbosa *de potestate Episcopi par. 2. allegat. 26. num. 36.* Miranda *in manuali Prelatorum tom. 2. quest. 40. art. 4.* Portel. *in dubijs regularium verb. Abbas num. 3.* Rodriquez *in summa tom. 3. cap. 19. n. 31.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 1. disp. 23. quest. 3.* qui addunt verba priuilegij Innocentij, & sic asserit, *Abbatibus non est interdictum Campanas ad vsum alterius loci consecrare, vt docet communis praxis, & consuetudo, videmus enim actu Abbates habentes vsum Pontificalium consecrare Campanas; vndecumque ad eos, ad hunc effectum delatas, & ideo dicendum puto de Altaribus portabilibus, de Corporalibus, & vestibus*, & ita Tamburinus.

R. 2. Abbatem posse ex priuilegio Vrbani Secundi, & Pauli Tertij, quæ referuntur à Tamburino *loco cit. quest. 12.* & à Renato Chopino *in Monast. lib. 1. tit. 2. num.* 18. Ex quibus omnibus priuilegijs, sententiam in fauorem Abbatum tenuit Sacra Congregatio Cardinalium, vt testatur P. Naldus *in summa verbo Abbas num. 4.* vbi sic asserit, Abbas Benedictus vsum mithræ, & baculi habens ex Sacræ Congregationis decreto non potest se ingerere in illis benedictionibus, in quibus vnctio requiritur, dubitatum fuit, an huiusmodi declaratio, seu prohibitio sit intelligenda de omnibus Abbatibus etiam regularibus, & qui gaudent priuilegijs amplissimis pro benedictionibus Altaris, Calicum, & huiusmodi, & eadem Sacra Congregatio instante Procuratore generali Cassinensis, & exhibente summarium priuilegiorum, & gratiarum eiusdem declarauit in hæc verba, videlicet decisionum aliàs à se editam, vt Abbates, vtcumque benedicti benedicere non possint ea, in quibus vnctio requiritur non obstare, quominus ijdem prædictæ benedictionis munus quoad ea, in quibus vnctio requiritur impendere queant, si specialibus priuilegijs, quibus Concilium Tridentinum nequaquam derogat, muniti fuerint, Datum Romæ die 10. Nouembris 1614. hæc omnia Naldus.



An Abbates possint ordines conferre?

BRACTEA VI.

R. Abbatem exemptum, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habet, posse conferre primam tonsuram, & quatuor minores suis subditis de iure antiquo. Ita Textus *in cap. Abbates*, Siluester *in summ. verbo ordo*, Couuar. *lib.1. var. cap.10.* Riccius *in collect. decis. part.4. collect.955.* Flores de Menna *var. lib.2. quæst.24. nu.14.* Frater Ludouicus *in manuali Prelatorum tom.1. quæst 38 num.9.* Dixi Iure antiquo, quia nunc post Concilium Tridentinum non licet Abbatibus exemptis in finibus alicuius Diœcesis existentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur cuiquam qui regularis subditus non sit Tonsuram vel Minores Ordines conferre. Suarez *tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap.29. num.19.* Portella *in dubijs regularium verbo Abbas 2.* Miranda *in manuali Prelatorum to.1. quæst.38. art.9. conclus.2.* Barbosa *de Officio, & potestate Episcopi par.2. allegat 3. num.11.*

R. 2. Abbates Regulares posse primam Tonsuram, & Ordines minores suis subditis conferre. Ita citati auctores, & alij.

Sciendum dubium esse, an Abbates Regulares solum suis subditis possint conferre Primam Tonsuram, & Ordines minores, & non aliis regularibus sibi non subditis, qui dimissorias speciales suorum Superiorum, & specialem licentiam Episcopi loci habuerint, nec etiam alijs sæcularibus suorum Superiorum dimissorias afferentibus, & negatiuè fuisse responsum voto Rotæ de mandato fęlicis recordationis Clementis Octaui, refert Seraphinus *decis.985. part.1* & ita resoluunt Scipio de Rubeis *Aphoris. Episcoporum verbo Abbas num.13.* Miranda *loco citato conclus.2.* Campanil. *in diuersor. Canon. rubrica 6. cap. 2. num.6. & num.9.* colligit, tria requiri in Abbate, vt promoueat ad Ordines, nempè vt sit Presbyter, vt benedictionem accipiat per manuum impositionẽ ab Episcopo, aut benedici solitus, si cum Episcopus benedicere negligat, tandem quod proprio Monacho ordinem conferat.

Affirmatiuam tamen sententiã tuentur multi, & inter alios Bonacina *disput.8. pun.4. num.3.* Vgolinus *de officio Episcopi cap.16. §.19.* Quaranta *in summa bull. verbo ordo*, Tamburinus *de iure Abbatum tom.2 disput.2. quæst.7.* & alii, qui tenent, quod Abbates habentes ius deferendi baculum, & mitram benedicti ab Episcopis possint conferre primam tonsuram, & quatuor minores, nõ modò suis subditis regularibus, sed etiam aliis cum consensu Ordinarii, & litteris dimissoriis, ac etiam aliis regularibus, qui dimissorias speciales Superiorum suorum, & specialem consensum Ordinarii loci habuerint, & aliis sæcularibus, qui aliorum Episcoporum iurisdictioni subiecti sunt, dummodo Superiorum dimissorias attulerint, & de consensu Episcopi loci, in quo ordines cupiunt suscipere.

An Abbas possit dimissorias concedere?

BRACTEA VII.

R. Abbatem, si Ordinarius fuerit priuatiuè quoad Episcopos, & habuerit ius visitandi, ac congregandi Synodum Clericis sæcularibus sibi subditis, litteras dimissorias concedere posse. Campanilius *in diuersor. iuris Canonici, rubr. 9. cap. 8. num. 4.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. disput. 11. quæst. 26. num. 2.* Barbosa *de officio, & potestate Episcopi part. 2. allegat. 7. num. 8.* Ratio est, quia concedere dimissorias non est actus ordinis, sed iurisdictionis, cum autem Abbatibus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem competat etiam iurisdictio, quæ competit Episcopis. Gloss. *in cap. Ordinarij verbo locorum*, vbi etiam Genuin. *de off. Ordinarij in 6. de rebus Ecclesiæ non alienandis in Clem. 1. verbo Diœcesanus*, vbi etiam Abbas *nu.8. de foro competenti*, Seraphinus *decis.1286. num.3.* Nauarrus *cons. tom.2. lib.4. consil.2.* & alii plures. Sequitur posse Abbates concedere dimissorias, vt Episcopi possunt, nec obstat opinio Doctorum dicentium, eius solummodo esse concedere dimissorias, cuius est ordinare, & per consequens Abbates non posse saltem pro sacris concedere dimissorias, cum non possint in sacris ordinare, quia Vicarius capitularis elapso anno potest concedere dimissorias, & tamen non ordinare, cum non succedat in potestate ordinis, nec obstat etiam Concilium Tridentinum *sess.23. cap.10.* vt docet Gratianus *in discept. forens. tom. 2. cap. 112.* relatus à Campanilio *rubr. 9. cap. 8. num.4.* Barbosa *de off. & potestate Episc. par.2. allegat.72 num. 8.* refert decisum fuisse *in vna Salmantina iurisdict. die 9. Maij 1594.* coram Cardinali Seraphino. Quia concil. non loquitur de Abbatibus, qui sunt Ordinarii habentes iurisdictionem quasi Episcopalem priuatiuè quoad Episcopos, & habent omnimodam iurisdictionem, vt Episcopi; & quod Abbates sint Ordinarii; id docet Abbas *in cap. Cum contingat num.5* Riccius *resolut. 330.* & alii, habent enim iurisdictionem contentiosam Gloss. *cap. Romana §.1. de appell. in 6. & in* Clement. *dudum verbo Prelati de sepult.* Felinus *in cap. Decernimus num. 9. de iudic.* Parisiens. *de signat. benef. lib.3 quæst.11.* & alii. Habet etiam ius visitandi, & qui habet ius visitandi, dicitur Ordinarius, nam visitatio pendet ab ordinaria iurisdictione Seraphin. *decis.615.* Grat. *loco citato cap. 112 nu. 34.* Ludouicus *decis.304. num. 2.* & alii. Vnde sequitur Abbates tãquam Ordinarios posse suis subditis concedere dimissorias sub meliori tamen iudicio.

An Abbates, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, possint omnia, quæ potest Episcopus?

BRACTEA VIII.

R. Posse ea omnia, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi circa ea, quæ sunt iurisdictionis. Ita plures citati apud Barbosam *par. 2. alleg. 82. num. 31.* & primò posse dispensare in interstitiis, cum illis, quibus possunt conferre primam tonsuram. Sorbus *in compendio Mendicantium verbo ordinis sacri*, Campanilius *loco citato rubr. 12. cap.13. num.82.* Secundò posse Abbates à votis, & iuramentis suos subditos absoluere, sicut Episcopi. Ita Valentia *tom.6. disp.6. quæst.6. pun.7.* Suarez *tom. 2. de religione tract. de voto lib.6. cap.10. nu.14.* Sanchez *in Preceptis Decalogi tom.1. lib.4. cap 39 nu.3.* Iaco bus de Graffiis *in aureis decisionibus par.1. lib.2. cap. 31. nu. 18.* Clauis regia *lib.6. cap.11. nu.88. & 89.* Rodriquez *quæst. regularium tom.1. quæst.25. art. 7.* Lessius *lib.2. cap. 40. dub.13. num.207* Reginaldus *in praxi lib. 18. num. 140.* Azorius *par.1. lib.11. cap.18. quæst.4.* Arragonius

2.2. *quæst.* 88. *art.* 8. Quod etiam habet locum in Abbatibus habentibus territorium cum iurisdictione Episcopali respectu suorum subditorum territorij huiusmodi; & ita Siluester *in summa verbo votum* 4. *quæst.* 3. *dist.* 4. Nauarrus *in manuali cap.* 12. *num.* 75. Azorius *loco citato lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 2. Suarez *loco citato cap.* 10. *lib.* 13. Reginaldus *loco citato lib.* 18. *num.* 339. Sanchez *in Præceptis Decalogi cap.* 38. *num.* 19.

R. 2. Abbatem habentem iurisdictionem quasi Episcopalem posse approbare Sacerdotes sibi subditos ad audiendas confessiones sæcularium. Ita Suarez *tom.* 4. qui testatur se vidisse plures huiusmodi Abbates in suo districtu Cõfessarios approbantes, & exponentes, quibus nunquam interdictum fuit. Et ita Regin. *in praxi fori Pœnitent. num.* 182. Campanilius *in diuersor. iuris Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 26. Barbosa *iuris Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 17. *de Abbatibus num.* 96. & alij.

R. 3. Posse denunciationes matrimoniales remittere virtute Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 21. *de refor. matrim.* & ita resoluunt Nauarrus *consil.* 5. *de sponsalibus*, Henriquez *in summa lib.* 11. *cap.* 5. §. 5. Flores de Menna *variar. resol. lib.* 3. *quæst.* 24 *num.* 26. Scipio de Rubeis *in Aphor. Episc. verbo Abbas num.* 14. Rodriquez *tom.* 2 *summa cap.* 217. Sanchez *de matrim lib.* 30. *disput.* 7. *num.* 4. Sayrus *in floribus decis. tit. de sponsalibus decis.* 9. Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 8. qui non tantum hanc resolutionem extendunt ad Abbates titulares, sed etiam ad Commendatarios, vt ij etiam possint denũciationes ex causa remittere, quia quidquid potest titularis ratione dignitatis, potest etiam Commendatarius, Panormitanus *in cap. Querelam de elect.* tum etiam quia Concilium Tridentinum de Ordinarijs indefinitè loquitur; regula verò indefinita vniuersali æquiualet. Glossa communiter recepta *in cap. Vt circa de elect.* Abbas autem Commendatarius cum Ordinarius dicatur. Gloss. per textum ibi *in cap. Ordinarij de off. Ordinarij lib.* 6. id etiam de eo potest concedi; & ita Petrus Ledesma *in summa par.* 1. vbi de Sacramẽto matrimonij *cap.* 6. *dub.* 1. Tamburinus *tom.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 5. Gonsaldus *ad regulam* 8. *Cancellariæ gloss.* 5. §. 8. *num.* 28. Barbosa 2. *par. de off. & potestate Episc. alegat.* 32. *num.* 32.

An Abbas possit congregare Synodum?

BRACTEA IX.

R. Posse Constitutiones Synodales facere, prout facit Episcopus. Ita Balbus *in tract. Præscriptionibus* 1. *par. quæst.* 11. Botta *de Synodo par.* 2. *num.* 40. Flores de Menna *variar. resolut. quæst.* 24. *num.* 9. Quod tamen intelligendum est de Abbate habente Prouinciam, quia tunc solum Synodum celebrare censuit Sacra Congregatio *sub die* 17. *Iunij* 1616. & si probetur habuisse ius congregãdi Synodum, & aliàs legitimè congregasse poterit etiam concursum facere, vt decisum fuit à Sacra Congregatione, vt refert Nicolaus Garzias *de benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 131.



An habeat ius in Concilijs generalibus, & Prouincialibus assistendi?

BRACTEA X.

R. Abbatem, sicut Episcopum in Concilijs Generalibus, & Prouincialibus admitti, citari, & vocari, & in eo habere vocem decisiuam ratione iurisdictionis, vt in magnis Abbatibus concludit Abbas *in quæst.* 10. *dub.* 10. *num.* 28. per textum *in cap. Conuenientibus* 1. *quæst.* 7. sentit Villadiego *delegato cap.* 10. *num.* 4. Campeggius *in tract. de Concilio cap.* 7. licet aliqui teneant contrariam opinionem, quorum opinio magis videtur in praxi iuxta Mennam *loco citato quæst.* 24. *num.* 28.

R. 2. In Concilijs Generalibus, & Prouincialibus posse Abbatem vti mitra frigiata, si exẽptus sit, non tamen aurea, vel habente laminas argenteas; quod si exemptus non sit, simpliciter albis planis vtatur. Ita Speculator *lib.* 8. *quæst.* 4. *rubr. de priuilegijs*, Card. Zachobat *de Concilio lib.* 1. *rubr. de loco sedium in Concilio.*

An Abbates iurisdictionem habeant exequendi voluntates defunctorum?

BRACTEA XI.

R. Abbates habere illam potestatem exequendi voluntates defunctorum, quam habent Episcopi in suo territorio, dummodo habeant quasi Episcopalem iurisdictionem. Flores de Menna *variar. quæst. lib.* 2. *quæst.* 24. *num.* 22. & alij.

An possit Abbas matrimonijs interesse?

BRACTEA XII.

R. Posse interesse virtute Conc. Trid. *sess.* 24. *de reformat. matrimonij cap.* 1. & ita Henriquez *in summa lib* 11. *cap.* 3. §. 4. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 178. Basilius Puntius *de impedimentis Matrimonij cap.* 26. §. 6. Sanchez *de matrimonio lib.* 3 *disp.* 28 *num.* 6. Guttieres *de matrim. cap.* 66. *num.* 6. Tamburinus *tom.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 1. & alij.

R. 2. Non modò posse interesse matrimonijs, sed etiam posse alijs concedere facultatem assistendi matrimonio suorum subditorum; & ita Petrus Ledesma *de matrimon. quæst.* 45. *art.* 5. *pun.* 3. Henriquez *lib* 11. *cap.* 3 *num.* 4. Guttieres *de matrim. cap.* 66. *num.* 6. Basilius Puntius *in tract. de sacram. matrimonij num.* 5. *cap.* 20. §. 6. *num.* 4. & 23. asserit, non permitti hanc facultatem Commendatario, licet eius Abbatia iura Episcopalia habeat.

An Abbas dicatur sponsus Ecclesiæ?

BRACTEA XIII.

R. Abbatem dici sponsum Ecclesiæ, vt dicitur Episcopus sponsus suæ Ecclesiæ, & eo mortuo viduata dicitur, prout in Episcopali. Ita Innocentius *in cap. Qui propter*, Bart. *in l si ita quis* §. *is, cui num.* 3. & in Ecclesijs sibi subiectis Abbatem dici Ordinariũ, sicut Episcopus, & ideò potest esse Iudex in causis suarum Ecclesiarum subie-

subiectarum. Angelus Aretinus *consil.99.* & sicut in alienatione bonorum Ecclesiæ requiritur consensus Episcopi, ita consensus Abbatis in alienatione bonorum Ecclesiæ sibi subiectæ. Angelus Aretinus *consil.99.*

An Abbas possit dare licentiam Episcopo Pontificalia exercendi in suo districtu?

BRACTEA XIV.

R. Affirmatiuè. Et ita Flores de Mennã *variar. resolut. lib.3. quæst.24. num.27.* Ratio, quia omnia iura Episcopalia iurisdictionis, quæ cõpetunt Episcopo, competunt etiam Abbati habenti iurisdictionem quasi Episcopalem, cum autem Episcopus possit alteri Episcopo licentiam dare, vt in sua Diœcesi Pontificalia exerceat. Ita etiam Abbas.

An Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possint reconciliare Ecclesias?

BRACTEA XV.

R. De iure non posse, etiamsi in hoc esset consuetudo, cum talis consuetudo sit cõtra ius, quia irrationabilis. *Cap. Quanto extra de de consuetudine*, cum in his, quæ sunt Ordinis Episcopalis, non posset esse cõsuetudo, vnde communis est sententia Doctorum, quando Ecclesia est consecrata cessante priuilegio solus Episcopus reconciliare eam potest, vel alius Episcopus de commissione, & licentia Episcopi illius loci; & ita Couuar. *lib.3. variar. resolut. cap.20. num.3.* Ratio est, quia reconciliatio Ecclesiæ est de seruatis Episcopo, quæ per inferiorem fieri non possunt.

Dixi cessante priuilegio, quia etiam simplici Sacerdoti hoc potest committi à Summo Pontifice. Ita Innocentius *in cap. Aquas*, qui vidit pluribus non Episcopis committi hoc officium à Papa, aqua tamen per proprium Episcopum prius benedicta, quod idem dicendum est in omnibus, quæ sunt iuris Episcopalis ex dispensatione humana, quia in his Papa habet plenitudinem potestatis. *Cap. Proposui*, modò illam nõ habeant immediatam relationem ad verum Corpus Christi, & ideò secundum D. Thomam *in 4. sentent. dist.25. art.1.* poterit Sacerdos auctoritate Apostolica conferre ordines minores & confirmare, non autem ordines maiores, quia habent immediatam relationem ad Corpus Christi verum ex priuilegio Eugenij IV. concessio Cassinensibus 1436. *Pridie Calendas Iulij Pontificatus anno VI.* qui indulsit, vt possint Monachi in suis locis Ecclesias, Altaria, & vasa sacra consecrare, crederem dictum indultum extendendum esse ad reconciliationem Ecclesiæ; tum quia plus est consecrare, quam consiliare, & plus semper in se continet minus, quando ponitur affirmatiuè, vt habetur *in regulis iuris in 6.* Tum etiam quia priuilegia Principis sunt latissimè interpretanda. Argume. text. *in cap. Olim*, Abbas *de priuilegijs*; tum etiam argument. text. *cap. Consuluit de Iudæis*, vbi minus est reficere, quã construere, ergo multò magis in casu nostro, vbi possunt consecrare, & ita credimus Abbates Cassinenses posse Ecclesias suas reconciliare Grassius *consiliorum lib.3. de consecrat. Ecclesiæ num.16. &c.* Quod etiam dicendum est de alijs Abbatibus, qui habent tale priuilegium consecrandi suas Ecclesias, Altaria, & vasa sacra.

An Abbas constitutus debeat infra annum assumere Sacerdotium?

BRACTEA XVI.

R. Negatiuè, quia & si *in cap. Licet Canon. de oblatione in 6. ex Gregorio X. in Concilio Lugdunensi*, statutum sit, vt is, qui ad Parochialem Ecclesiam promouetur, debeat intra annum à die sibi commissi regiminis ad Sacerdotium ascendere, quod si extra illud tempus non ascenderit Ecclesia ei commissa, nulla etiam præmissa monitione priuatus existat, quod cum sit pęna restringere debemus ad electum Parochum solùm, non autem ad electum Abbatem, cum odiosa sint restringenda. Azorius *par. 2. lib. 6. cap.8.*

An Abbas possit dispensare super illegitimitate?

BRACTEA XVII.

R. Abbatem Commendatarium habente iurisdictionem quasi Episcopalem in suo territorio separato posse dispensare super illegitimitate ad quatuor ordines minores. Sacra Congregatio Concilii Nullius oppidi in vna de Pinerolii 18. Nouembris 1628. Ratio, quia vt dictum est omnia iura Episcopalia, quę sunt iurisdictionis, quæ conueniunt Episcopo, competunt etiam Abbati, & sicut Episcopus potest dispensare super illegitimitate ad quatuor ordines minores, ita & etiam Abbas potest dispensare.

An Abbas possit dispensare in casibus Papæ reseruatis, sicut Episcopus?

BRACTEA XVIII.

R. Affirmatiuè, ipsum posse dispensare in omnibus casibus, & impedimentis Papæ reseruatis, sicut potest Episcopus. Ita Gambar. *de off. & pot. Legati de lat. lib 10. n 432.* Flores de Menna *variar. resolut. lib. 3. quæst. 24. num 18.* & Sanchez cum pluribus ab eo citatis *lib. 8. disput. 2. num.11.* qui docet Abbates habentes iurisdictionẽ quasi Episcopalẽ, & Diœcesim nulli Episcopo subiectam gaudere priuilegio concesso Episcopis in Concilio Tridentino *sess.29. cap.6. de reformat.* vbi Episcopus in aliquibus casibus conceditur facultas absoluendi, & dispensandi in casibus Papæ reseruatis, quod priuilegium extenditur etiam ad Abbates. Tum quia decretum Concilij tamquam fauorabile est ampliandum, vt docet Henriquez *lib.10. de sacram. ordinis cap.20. num.2.* tum etiam quia facultas delegata ad dispẽsandum quamuis iure communi minimè competeret est fauorabilis, & latè interprætanda; tum etiam quia dispensatio à iure exorbitans est la-

tè interpratanda, quando in corpore iuris est clausa, qualis est hæc; Tridẽtinũ Cõc. ius commune constituit, tum etiam quia Abbates in sua Diœcesi plenam Episcoporum iurisdictionem habent, ab illis sola consecratione differunt, vnde possunt absoluere, & dispensare casus, quos Episcopus dispensare potest, vt circa casus occultos, nec deductos ad forum contentiosum. Ita Sanchez *loco citando*.

An Abbas possit secum dispensare in casibus Papæ reseruatis?

BRACTEA XIX.

R. Posse secum dispensare in omnibus illis casibus, in quibus potest cum subditis. Ratio, quia non repugnat iure naturę vti hac iurisdictione erga se ipsum, nec etiam aliquo iure Ecclesiastico. Ita Sanchez *lib.8.disp.3.num.8.* Quod multis rationibus probat.

An Abbas ab Ecclesijs sibi subiectis possit exigere caritatiuum subsidium?

BRACTEA XX.

R. Negatiuè iure, sed solùm ex priuilegio, vel consuetudine. Ita Bellencinus *quæst.4.* Azorius *par.2.lib.9.cap.14.quæst.5.* Belletus *disquisit. Clericalium par. 1. tit. de Clerico debitore §. 12. num 381.* Bellencinus *quæst. 5.* asserit, quod Abbates, vel Priores non possunt exigere tributum charitatiuum ab Ecclesijs sæcularibus, vel regularibus sibi non pleno iure subiectis, & addit ex Calderino de sensibus Præpositum, siuè Præfectum totius Ordinis regularis posse huiusmodi subsidium petere à Monasterijs sui ordinis pro sumptibus necessarijs ad gubernationem ordinis, si aliunde ratione Præfecturæ non habeat bona, quæ ad hoc onus sustentandum destinata sufficiant.

An Abbas Commendatarius possit id facere?

BRACTEA XXI.

R. Commendatarium perpetuum Ecclesiæ Cathedralis, cum habeat legitimam administrationem, & possit exercere iurisdictionem, quæ competeret Episcopo titulato posse exigere caritatiuum subsidium in Ecclesijs sibi subiectis. Archidiaconus *in cap. Nemo deinceps de elect. lib.6.* Innocentius *in cap. Si constiterit de accusatione Cardinalis in Clementina vltima de Procuratoribus quæst. 12.* Bellencinus *quæst.6.* Azorius *quæst.7. vers. Commendatarius*.

An Abbates habeant ius visitandi Ecclesias?

BRACTEA XXII.

R. Primò Abbatem titularem habere ius visitãdi Ecclesias suorum subditorum. *Cap. In singulis, cap. Ea, quę de statu Monachorum.* Ita Flores de Menna *loco citato quæst.24.num.23.*

R.2. Etiam Abbatem Commendatarium posse visitare Ecclesiam suæ fidei commendatam. Ratio, quia Commendatarius censetur sponsus Ecclesiæ suæ fidei commendatę; tum etiam quia habet legitimam administrationem, & potest exercere iurisdictionem, quæ competit Episcopo titulato. Ratio, quia Commendatarius perpetuus est verè Prælatus, & habet plenariam administrationem in spiritualibus, & temporalibus, & æquiparatur titulari. Ita Decius *in cap Edoceri num.81. de rescriptis*, Nauarrus *lib.1. Consiliorum de constitutione consil.1.num.38. lib 3 de regularibus consil.15.num.6.* & *lib 3 de statu Monachorum consil.3.nu.62.* Fuscus *de visitatione lib 2. cap. 9. nu. 5.* Rebuffus *consil.77.num.1* Antoninus *variar. resolut. lib. 9. resol. 112. casu 57.* tũ quia Abbati competunt omnia iura Episcopalia iurisdictionis, quæ competunt Episcopo in sua Diœcesi, Glossa *in cap. Ordinarij verbo locorum*, Nauarrus *consil.8 tom.2. lib.4.* Farinacius *tom.1. decis.336 num. 1.* & sicut Episcopus potest suam Diœcesim visitare, ita & etiam Abbas suas Ecclesias; & restrictum siuè sit Abbas titularis, siuè Commendatarius perpetuus.

Quænam sint iura Commendatarij perpetui?

BRACTEA XXIII.

R. Commendatarium perpetuum habere liberam potestatem in temporalibus, & spiritualibus, Rebuffus *de pacifica possessione num. 3.* Secundò potest præsentare, eligere, & conferre beneficium. Rebuffus *in praxi tit. de Commend. num. 62.* Tertiò transigere super fructus sui beneficij commendati, atque eos vendere. Rebuffus *de pacif. possess. num. 60.* Quartò permutare cum alio beneficio in titulo. *Cap fin. de rerum priuatione*, Rebuffus *de pacif. possess. num 38.* Quintò, resignare etiam in fauorem Flaminius Parisius *qu.17.* Sextò tenetur verificare narratiuam, sicut quilibet beneficiatus Puteus *decis.253. lib.3.* Septimò tenetur ad Pensum Canonicarum precum, Nauarrus *de oratione cap 20.* Azor. *par.1. lib. 10. cap.3 qu. 6.* Vasquez *de benef cap.4. art.1. cap.3.* Suarez *de religione tom.2. tract.8. lib.8. cap.22. num.15.* Bonacina *de horis Canon. quæst. 2. pun. 4. num 3.* Vnde Commendatarius Abbas est verè Prælatus quasi Episcopalia iura habens. Decius *in cap. Doceri num 8 de rescript.* Rebuffus *consil 75. num.1.* Aloysius Riccius *in Collectanea decisionum decis. 999.* Puteus *decis. 610.* vnde potest esse Delegatus Papæ iuxta Cap. *Statutum de rescriptis in 6.* vbi Ludouicus Gomez sub regula de triennali *quæst.5. num. 779.* Macrobius *de synodo Diœcesana cap. 4. num. 13. nu. 38.* denunciationes matrimoniales remittere iusta causa potest, illę scilicet, quę fiunt in suo territorio iuxta Concilium Tridentinum *quæst. 25. de reformat. cap.1.* Et ita Petrus Ledesma *summa par.1. de sacram.* & alij.

An Abbas Commendatarius possit facere concursum beneficiorum Curatorum?

BRACTEA XXIV.

R. Non posse. Sed spectare ad Episcopum, in cuius territorio sita est Abbatia exempta, qui electo magis idoneo mittet eundem ad Commendatarium pro collatione, vt censuit Sacra Congregatio, teste Garzias *de beneficijs part.9. cap.2. nu.123.* Si verò omnimodam habeat iuris-

A quo Vicarius habet auctoritatem, & qualem?

BRACTEA V.

R. Auctoritatem Vicarij Generalis partim esse à iure communi, & partim ex commissione Episcopi, licet ius commune potius videatur limitare facultatem, quam habet ab Episcopo ex concessione generali, solent enim Episcopi Vicarijs concedere causarum cognitionẽ excessuum correctionem, dispensationem, absolutionem, examinationem, approbationem, & auctoritatis Episcopalis interpositionem, & alia his similia, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis. Verum ius commune, quędã decernit non comprehendi in generali concessione, nisi specialiter sint concessa. Gloss. *in cap. penult. de offic. Vicarij*. Primò, Vicarius non potest beneficia concedere, nisi specialiter ad hoc mandatum obtineat, *cap. vlt. de offic. Vicarij lib. 6.* Instituere præsentatum à Patrono poterit, vt Vicarius *cap. ex frequentibus*. Non potest beneficium supprimere, nec beneficia vnire, nec reuocare vniones, nec Ecclesiam diuidere, nec potest Rectoribus imperitis Vicarios constituere, nec ius Patronatus ex causa dotationis, fondationis, vel constructionis alicui reseruare, nec donationi iuris Patronatus decretum interponere, nec nouas Parochias erigere, nec imponere pensionem super beneficia, vbi Episcopus potest, nec œconomum Ecclesiæ instituere, nec amouere aliquem à suis beneficijs, officijs, vel administrationibus, vel ab ordine remouere, nec interponere decretum creatione dignitatis factę, aut nouum beneficium in Ecclesia creare, nec Ecclesias vetustate collapsas in matrices, vel Ecclesias viciniores conferri potest, nec de hæresis crimine cognoscere, nec publicas pęnitentias imponere, aut publicè pęnitentes reconciliare potest, nec voluntatem puellæ habitum regularem suscipere volentis explorare, nec ædificationem Monasterij per testatorem relicti assensum, & auctoritatem interponere potest, nec Indulgentias concedere, nec potest facultatem, & licentiam audiendi confessiones alijs concedere, nec matrimonij monitionibus dispensare, etiam iusta causa interueniente, licet contrarium sit verius, nec poterit relaxare interdicta, nec Diœcesim visitare, nec Synodum congregare, nec pias defunctorum voluntates exequi, nec in alienationibus rerum Ecclesiasticarum decretum interponere, nec cognoscere specialiter commissa Episcopo, seu delegata, nec cognoscere causas feudales, nec auctoritate exemptum ex originali sumptum, nec res alias concedere, nec Clericorum bona confiscare, nec pœnas corporales in pecuniarias conuertere, nec imponere, & exigere charitatiuum subsidium. Nec potest sine speciali licentia literas dimissorias Clericis dare, vt ab alijs Episcopis ordinentur, nisi Episcopo in remotis agente, vt non nisi post longum tempus aduentus eius speretur. Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 45. quæst. 7.* Hugolinus *de officio Episcopi cap. 4. §. 7.* Zerola *in praxi Episcoporum part. 2. verbo Vicarius*, Pyaccius *in praxi Episcoporum par. 1. cap. 15. num. 13.* Gutier. *lib. 2. canon. cap. 17. num. 20.* Barbosa *iuris Ecclesiast. lib. 1. cap. 15. num. 21.* Sbroz. *de officio Vicarij lib. 2. cap. 41.* & alij; nec etiam inquirere, corrigere, aut punire excessus aliquorum non potest, sine speciali mandato. Ita apud Barbosam plures *loco citato num. 22.* Similiter in irregularitate, vel suspensione aliqua prouenientе ex delicto occulto, & in casibus occultis Sedi Apostolicæ reseruatis, in quibus Archiepiscopus potest dispensare Vicarij, dispensare, aut absoluere nequeunt, nisi ad id specialiter deputentur, sicut decretum est in Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 6.* & Sbroz *loco citato lib. 2. quæst. 19. num. 2.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 41. sect. 2. num 8.* Hugolinus *loco cit.* §. 7 *nu. 2.* Narbona *de appellat. à Vicario ad Episcopum part. 1. num. 229.* Barbosa *loco citato num. 24.* & alij. Non per se etiam absoluere à casibus reseruatis Episcopo, nisi de speciali licentia, quia in generali concessione hęc non veniunt. Sotus *lib. 2. quæst. 19.* Hugolinus *loco citato §. 7. num. 2.* Gallet. Margarita *casuum conscientię verbo Vicarius*.

An Vicariatus sit dignitas?

BRACTEA VI.

R. Vicariatum esse dignitatem Ecclesiasticã, & Vicarium esse cõstitutum in dignitate, quæ dici, & habere Prelatũ iurisdictionem rerum Ecclesiasticarum, *cap. Non putamus*; dignitas enim Ecclesiastica nihil aliud est, nisi rerum Ecclesiasticarum administratio cũ iurisdictione, Sbroz. *q. 27.* & cum Vicarius habeat iurisdictionem rerum Ecclesiasticarum: idcircò illum in Ecclesiastica dignitate esse dicimus, nã ratione iurisdictionis, quam habet cum administratione dicitur Prælatus, & ideò potest esse Papæ Delegatus. Glossa *in verbo Delegatus in Clementina 2. de rescriptis*, Sbroz. *lib. 2. quæst. 22.* Rebuffus *in praxi beneficiorum tit. forma Vicarij num. 27. & tit. de Vicario Episcopi num. 4. & in tract. de pacifica possessione num. 79.* Menochius *conf. 51. num. 33.* Potest etiam esse executor gratiarum, quæ expediuntur in Curia Romana, Sbroz. *lib. 2. quæst. 23.* potest etiam esse conseruator, Erasinus Cochier *de iurisd. in exemptos part. 1. quæst. 39.* etiamsi sit Vicarius Episcopi electi, & confirmati, & nondum consecrati. Gloss. *verbo Episcopi in Clementina & principalis*, Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 27. nu. 35.* Sbroz. *lib 2. quæst. 23. num. 4.* Flores de Menna *var. lib. 1. quæst. 4. num. 11.* Menochius *de Synodo Episcop. cap. 4. dub. 13. num. 15.*

An Vicarius habeat praecedentiam?

BRACTEA VII.

R. Vicarium præcedere Canonicos, ac dignitates etiam in Ecclesia. Sbroz. *loco citato quæst. 25. nu. 4.* sed Episcopo præsente, & stante in choro inter Canonicos extra Sedem Pontificalem assignari debet Vicario alius locus conueniens, vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præpositam in vna Bisignanẽsi 16. Maij 1600. vnde pręferendum esse Archidiacono tenet Rebuff. *tit. de Vicario Episcopi num. 7.* Antonius de Pratis *de iurisdictione Episcopi cap. 6. n. 41.* Sbroz. *lib. 2. cap. 25.* etiamsi Archidiaconus haberet priuilegium obtinendi primam Sedem post Episcopum,

copum, ac etiam Abbates, Archipræsbyteros, Canonicos,& alios Prælatos Episcopo inferiores, vt infra dicetur in Choro stando,& in Processionibus non habet, recedentiam, nisi esset Canonicus, quia tunc stabit in loco suo Sbroz. *loco cit. num.17.*

Non potest Vicarius vti Vicarius Missas conuentuales, aut Pontificales celebrare, nec Sanctissimum Sacramentum, aut Sacras Reliquias paratus in Processionibus deferre; nec aliis Diuinis officijs, aut functionibus Ecclesiasticis se immiscere; sed tantum præesse, vt omnia suo ordine fiant, & ita fuit declaratum in Congregatione Cardinalium supra citata, vnde illi candelæ dari debent, & palmæ ante Canonicos, & dignitates exceptis ijs, qui cum Paramentis assistunt Episcopo in Sede Pontificali existenti, vt censuit Sacra Congregatio supra citata.

De virtutibus Vicarij?

BRACTEA VIII.

R. Vicarium debere esse personam qualificatam, circumspectam, bonæ,& approbatæ vitæ, timentem Deum, veridicam, & liberalem, temperatam, fortem, magnanimam, mansuetam, doctam, atque non decliner ad dexteram, neque ad sinistram.

R.2. Vicarium non debere esse externum sed Ciuem, vt homines notos habeat. Ita Cuchus *in instit. Can. de Vicario Episcopi.* Zechio *de officio Episcopi cap.7.* Menochius *de præsumptionib. lib.5. præsump. 12.* vbi ait, Originarium iure præsumi maiori fide, & diligentia administraturum.

R.3. Debere esse peritum in his, quæ ad eius munus exercendum pertinent, in iure Canonico, & Ciuili versatum, ac moralis Theologiæ non ignarum, & forensium causarum peritum: videlicet, vt sit Doctor, & licentiatus in iure Canon. Sbroz. *lib.1 quæst.36.num.9.* Azorius *part. 2.lib.3.cap.43.quæst.10.*

An Vicarius possit ad nutum amoueri?

BRACTEA IX.

R. Affirmatiuè iusta causa, & sicut nominatione Episcopi ordinariam iurisdictionem à lege consequitur, ita etiam contraria eius Episcopi voluntate tollitur, & reuocatur; res enim per quascumque causas nascitur per easdem dissoluitur. *Cap. omnis, &c.* Sbroz. *lib.3. quæst.6.num.7.& quæst.30.num.15.* Azorius *lib.3.cap. 45.quæst.14.* Hugolinus *de officio Episcopi cap.4. §. 6. num.7.*

An Vicarius posit exercere suum officium, si Episcopus sit excommunicatus?

BRACTEA X.

R. Negatiuè si fuerit excommunicatus vitandus, quia sicut per huiusmodi excommunicationem suspenditur Episcopi iurisdictio. *Cap. Ad probandum 24. de re iudic. cap. Audiuimus quæst.1.* Ita similiter eius Vicarij iurisdictio suspenditur, cũ accessoria sit, & ideo Tribunal, & diautoriũ vtriusq; reputetur, q̃ probat Text. *in cap.1. specul. in tit. de Iudice d.l. §. restat,* Siluester *verbo Vicarius quæst.4.* Rebuffus *tit. de Vicario Episcopi num. 217* Surdus *cons.50. num.32.* Gutieres *lib 1.can.1.num. 83.* Sbroz. *lib 3. quæst. 17.* Suarez *de censuris disput. 19. sect.1. num.1.* Molina *tract.5.disput.30.num.2.* Azorius *de censuris lib 3.cap.45 quæst.14.* Auila *de censuris par. 2.cap. 6. disput. 6. dub. 4.* & alij apud Barbosam *de officio, & potestate Episcopi par.3.allegat.54.num.156.* nec valere collationem, si Episcopus sit excõmunicatus factã à Vicario, nisi esset excõmmunicatus toleratus, vel occultus; nam tunc fauore publici iuris cum communi opinione pro non excommunicato habetur, & collatio à Vicario, siue ab Episcopo facta valebit. Ita colligitur ex Abbate *in cap. Veritatis num. 42. de sententia excommunicationis,* Felinus *in cap. Ad probandum num. 6. de re iudicata,* & alij.

An Vicarius amittat iurisdictionem morte Episcopi?

BRACTEA XI.

R. Mortuo Episcopo expirare iurisdictionem Vicarij, quia vtriusque est vnum tribunal. Ita Azorius *par.3.lib.8.cap.7.* Rebellus *2. par. lib.9. quæst.18. sect. vlt.* Sbroz. *de officio Vicarij lib. 3. quæst.44.* Molina *de primogeniis cap.25. num. 13.* Sanchez *de matrim. lib. 3. disput 30 num.1.* Gutierez *de matrimon. cap.69.num.16.* Acta vero per Vicarium ignorantem mortem Episcopi longè distantis esse valida Ita Stephanus Gratian. *disceptationum forens. cap.18.num.50.* Sanchez *de matrimon. lib 3. disp. 22.num.59.& disput.30.num. 4.* Gutieres *de matrimon. cap.66.num.18.*

R.2. Non modò iurisdictionem Vicarij expirare morte naturali Episcopi, sed ciuili. Ita Sayrus *de censuris lib.1.cap.5 num. 39* Vnde si Episcopus ad manum hostium perueniret, & captiuitate detineretur, eius Vicarius non poterit amplius iurisdictionem exercere, quia captiuitas ciuilis mors dicitur, Galletta in Margarita casuum conscientiæ, & sicut morte naturali Episcopi, iurisdictio Vicarij cessat, ita & ciuili, quæ eundem in proposito sortitur effectum, & licet iurisdictio Vicarij sit ordinaria, quia tamen est accessoria alteri iurisdictioni ordinariæ extinguitur extincta principali, cum adhæreat iurisdictioni Episcopi tamquam ordinariæ. Ita Sanchez *lib.4. de matrim. disput. 27. num. 13. & lib 8. disput.28. num. 6.* & in hoc distinguitur à iurisdictione absoluta, quæ non est accessoria, quæ non expirat morte concedentis.

An Vicarius posit de causa sibi commissa tempore Vicariatus cognoscere, postquam ab officio fuit amotus?

BRACTEA XII.

R. Affirmatiuè, modo causa non fuerit illi delegata ratione officij, & dignitatis, quia postquam fuit amotus, non amplius retinet officium, ac dignitatem. Ratio, quia persona, cui facta est delegatio, amissa dignitate permanet, & per consequens potest amissa dignitate causam sibi commissam prosequi, siue res sit integra

gra ante dimissionem officij, siuè non, idest siuè cęperit iurisdictionem exercere, siuè non.

An Vicarius Episcopi teneatur ad Sindicatum?

BRACTEA XIII.

R. Negatiuè. Et ita declarauit Gregor. XIII. in quadam Bulla anno 1578. directa Clero, & Communitati Tarentin. his verbis: Statuimus, & mandamus, quod Vicarij, & Officiales, siuè generales, siuè particulares etiam foranei nuncupati per eundem Achiepiscopum, siuè eius successores in dicta Ecclesia Tarentina, siuè eius Dioecesi deputati, vel deputandi ad aliquem sindicatum nullo modo teneantur, aut eidem sub quouis prætextu sint obnoxij. Ita Marcus Antonius *in praxi Archiepiscop. Neapol. cap.* 58. Homobonus *de bonis de humana vita statibus.*

An absente Episcopo possit publicas Processiones indicere?

BRACTEA XIV.

R. Affirmatiuè absente Episcopo. Ita Barbosa *par.* 3. *allegat.* 78. *num.* 5. & in huiusmodi Processionibus, maximè si sint generales, omnes Clerici sunt cogendi, vt ad Cathedralē conueniant, & Processionem adeant. *Cap. Quoniam dist.* 38. Seraphin. *decis.* 15.

An possit de causis matrimonialibus cognoscere?

BRACTEA XIV.

R. Affirmatiuè etiam ex generali concessione Episcopi, quod probatur ex textu *in cap.* 1. *de frigidis, & maleficiatis*, vbi dicitur proponendam esse quærelam coram Episcopo, vel eius Vicario ad eius diuortium faciendum. Ita plures apud Barbosam *par.* 3. *de offic. & potest. Episc. allegat.* 84. *num.* 3.

An Vicarius virtute commissionis generalis possit concedere excommunicationem pro rebus deperditis?

BRACTEA XV.

Negatiuam sententiam plures sequuntur, idest non posse excommunicationem cōcedere sine speciali mandato Episcopi; & ita Vgolinus *cap.* 45. Campanilius *cap.* 15. *nu.* 105. Narbona *de appellatione à Vicario ad Episcopum par.* 1. *num.* 205 quod videtur habere fundamentum in Concilio Tridentino *sess.* 21. *de reformat. cap.* 5. sed

R. Affirmatiuè ex generali commissione posse concedere excommunicationes, seù litteras monitoriales. Ita Frater Emanuel *in summa tom.* 1. *cap.* 79. Henriquez *in summ. lib.* 13. *cap.* 17. §. 4. Sbroz. *de Vicario Episcopi lib.* 2. *quæst.* 172. Suarez *tom.* 3 *disput.* 20. *sect.* 1. *num.* 2. Zerola *in praxi Episcoporum par.* 1. *verbo Vicarius num.* 17. Gutieres *canon. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 8. Graffius *tom.* 1. *concil.* 6. *de sententia excommunicationis*, Sanchez *de matrimonio lib.* 3. *disput.* 29. *quæst.* 1. *num.* 16. Garzias *de beneficijs par.* 5. *cap.* 8. *num.* 14. Richilus *in praxi fori Eccles. decis.* 280. & alij plures.

An Vicarius Episcopi, qui habet facultatem subdelegandi, possit absolui ab alio, si incidat in casum reseruatum suo Episcopo?

BRACTEA XVI.

R. Affirmatiuè. Ratio à priori, nam si Episcopus incidit in casum reseruatum Summo Pontifici, à quo ipse alios absoluere, potest, in delegando alteri eam facultatem ab eo absolui; atque ita Concilium Tridentinum *in sess.* 24. *de reformat. cap.* 6. declarauit Sacra Cardinalium Congregatio; & ita Suarez *tom.* 4 *disput.* 41 *sect.* 2. *num.* 9. Sanchez *de matrimonio lib.* 8. *disp.* 3. *num.* 3. Maiolus *de irregularitate lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 7. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 3. Sayrus *de censibus lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 5. Riccius *in praxi par.* 1. *resolut.* 445. *num.* 2. Eman. Sa *verbo Confessor. num.* 16. Diana *tract.* 4 *de sacramentis resol.* 141.

Vicarius absente Episcopo, quem locum in Choro debeat habere?

BRACTEA XVII.

R. Vt dictum est supra, quando Vicarius Generalis est in Choro absente Episcopo debet habere primum locum in dextro Altaris super omnes dignitates, à sinistro Altaris primam dignitatem, secundæ verò dignitati post Vicarium ita decisum à Sacra Congregatione rituum in Andrien. 25. Septembris 1610. refert Barbosa *iuris Eccles. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 109. sed præsente Episcopo, & stante in Choro inter Canonicos, alius locus assignari ei debet conueniens Vicario, vt declarauit Sacra Cōgregatio Cardinalium Episcoporum, & regularium propositorum in vna Bisagnensi 16. Maij 1610. & sic præcedit Archidiaconum, tàm in Choro, quàm extra Sbroz. *lib.* 2. *quæst.* 25. *num.* 1. Barbosa *loco citato cap.* 15. *num.* 34.

An Vicarius ex generali concessione beneficia conferre possit?

BRACTEA XVIII.

R. Negatiuè, si specialiter ei non comittatur. Ratio, quia in generali commissione non veniunt ea, quæ verò similiter in specie quis non esset concessurus, & in generali concessione iurisdictionis factæ Vicario ab Episcopo non comprehenditur potestas conferendi beneficium, nisi exprimatur. Ita Couaruu. *lib. variar. cap.* 5. *num* 7. Gonzales *ad regulam* 8. *Cancellariæ* §. 4. *proemio num.* 34. Flaminius Parisius *de resignatione beneficij lib.* 7. *quæst.* 21. *num.* 9. & *quæst.* 24. *num.* 4. & *lib. quæst.* 7. *num.* 32.



An

Quam Vicarius habeat auctoritatem ordinariam, aut delegatam?

BRACTEA XIX.

R. Non defuisse, qui dicunt Vicarium non habere auctoritatem ordinariā, sed solū delegatam, quia iurisdictio Vicarij non est perpetua; tum etiam quia expirat morte Episcopi, quæ non expiraret, si esset ordinaria. His tamen non obstantibus.

R. 2. Iurisdictionem Vicarij generalis ordinariam esse, & non delegatā non modo quoad ea, quæ continentur in generali mandato, sed etiā quoad ea, quæ requirunt speciale mandatū, si illā Episcopus concessit cum generali mādato, quia ordinaria iurisdictio tamquam dignior trahit se delegatam minus dignam sibi annexam. Ita Sbroz. *lib.2.quæst.55.num* 37. Sanchez *de matrim.disp.29 num.*8. Garzias *par.5.cap.8.num.*40. Moneta *de commut.cap.5.num.*403. & alij.

An possint esse plures Vicarij Generales eiusdem Episcopi?

BRACTEA XX.

R. Episcopum posse plures Vicarios Generales constituere, ita habetur *in cap. Quoniam in plerisque de officio ordin.* Felinus *in cap. Causam matrimonij num.*8. *de officio delegati*, Zerola *in praxi Episc. par.1. verbo Vicarius*, Barbosa *de potestate Episcopi allegat.54.num* 124. & alij; dummodo tamen eos constituat in loco, vbi ipse Sedem, seu Tribunal habet, quia Vicarius Generalis dicitur ille qui constitutus est in loco, vbi Episcopus Tribunal habet, vt in eodem Tribunali ius dicat vice Episcopi. Ita Maranta *de iurisdict.par.4.dist.5.num.* 8. Sanchez *lib.3.de matrimon.disput.29.num* 11. Campanil. *in diuers. iuris canon.rubr.11.cap.23.n.*150. & alij.

R. Vnumquemque Vicarium tamquam insolidum habentem exercitium iurisdictionis posse procedere separatim. Ita Anchar. *in cap. licet num.* 23. *de officio Vicariorum lib.* 6. vbi Gemin. *num.*13. Panormitanus *in cap. Prudentiam num.* 11. *de officio deleg.* Pauin. *de potestate capit.sede vacante* 2. *par. quæst.*10.*num.*9. Sbroz *lib.2.de Vicar.Episc.quæst.* 61. & alij. Limitatur primò, nisi iurisdictio concessa sit, non vt singulis, sed vt vniuersis. Secundò, nisi alter ex Vicarijs cœpisset solus causam cognoscere, quia tunc coram alio nō potest pars alteram causam prosequi. Tertio, nisi ab initio cœpissent causam simul cognoscere; tunc enim etiamsi insolidum Vicarij constituti essent, debent simul eandem causam terminare. Ita plures apud Merolam *tom.* 3 *disput.* 7. *de iurisdictione dub.*11.*num.*43. Quarto, nisi statutum, vel consuetudo diceret, quod omnes concorditer iudicarent, quia tunc vnus sine alio procedere nō potest. Felinus *in cap.Ad prudentiam.*

An Vicarius sit ordinarius?

BRACTEA XXI.

PRima sententia est dicentium non esse ordinarium. Ita Alex. *in rubr.ff. de officio eius num.* 17. Goffr. *in summa tit.de officio Vicar.num.*3. Alciatus *in rubr.de officio ordin.num.*24. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst* 4. & alij, sed

R. Vicarium Generalem esse ordinarium, & habere ordinariam iurisdictionem; & ita plures citati à Merolla *loco citato dub.*13. Ratio, quia Vicarius habet auctoritatem à iure, licet eligatur ab Episcopo. Tum etiam, quia eadem est iurisdictio Episcopi, & Vicarij, idemque tribunal; tum etiam quia à Delegato appellatur ad Delegantem, sed à Vicario generali Episcopi non appellatur ad Episcopum. *Cap.Romana de appellationibus*. Quod tamen interpretandum est, quod ad ea tantùm, quæ ipso iure veniunt ex generali commissione, quia secus quoad ea, quæ sibi ab Episcopo specialiter committuntur, eo quod requiratur speciale mandatum.

An Vicarius Episcopi possit exercere ea, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ?

BRACTEA XXII.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia Vicarius Episcopi potest exercere omnia, quæ pertinent ad iurisdictionem ordinariam Episcopi exceptis casibus in iure expressis, cuiusmodi nō est casus exercitij iurisdictionis voluntariæ; & ita Sbroz *lib.* 2. *de Vicar. Episcopi*. Vnde sequitur Vicarium Episcopi ex generali mandato posse interponere decretum, seu auctoritatē in alienationibus rerum Ecclesiæ, & minorum in emancipationibus liberorum, posse etiam dare curatorem pupillis ad lites.

R. 2. Non posse Vicarium Episcopi regulariter constituere alium Vicarium. Ita colligitur ex Cap. *Clericos de officio Vicar.* & plures Doctores. Dixi regulariter, quia in aliquibus potest substituere: primus est, quia potest creare Vicarium ad certos actus particulares: ex quo fit posse Vicarium Foraneum creare. Ita Innocentius, Archidiaconus *in cap.* 1. *de officio Vicarij lib.* 6. Sbroz *lib.2.de Vicar.Episc.quæst.66.num*16. Capyc. *decis.*151. & alij. Secundus est, quando adest necessaria causa substituendi, vt propter infirmitatem, vel si causa absentiæ substituatur ad modicum tempus. Ita Marant. *in speculo par.4 dist.* 5 *num.*22. Garzias *de beneficijs par.8.num.*148. Barbosa *de potestate Episcopi par.2.allegat.* 54. & ab eo plures citati. Tertius est, quia potest alium Vicariū substituere ad causas temporales tantum. Ratio, quia Vicarius in temporalibus tantum non dicitur Vicarius generalis, sed Foraneus, cum autem Vicarius possit creare Vicarios Foraneos, sequitur etiam posse substituere alium Vicarium in temporalibus tantum. Ita Vant. *de nullit. tit. de nullit. ex defectu iurisdict. ordin.num.* 25. vbi refert Rotam *decis.*578. *&* 350. quod tamen intelligendum est, dummodo Vicarius non habitet in Ciuitate, vbi Episcopus ius dicit.

An Vicarius Archiepiscopi habeat iurisdictionem in Episcopos suffraganeos?

BRACTEA XXIII.

R. Negatiuè, & hoc propter reuerentiam Pontificalis dignitatis. Ita Io. Andreas *in cap.Romana*, & *in cap. Licet de officio Vicar. in* 6. Rebuffus

buffus *in praxi benefic. tit. forma Vicariatus Archiepisc. num* 164. Sbroz. *lib.2.quaest.*58.& alij. Quæ doctrina intelligenda est, quando Archiepiscopus est præsens in Prouincia, quia si absens, tunc Vicarius Archiepiscopi habet iurisdictionẽ in suffraganeos in ciuilibus tantũ, non aũt in criminalibus causis, cũ talis sit reseruata Sũmo Pontifici. Panormitanus *in cap. Pastoralis n.*2. Concil. Tridentinum *sess.*13.*cap.*6.& 8.*sess.*24.*cap.*3.*de reform.*

R. 2. Vicarium Archiepiscopi habere iurisdictionem in Vicarios Episcoporum suffraganeorum, quando Vicarius Episcopi peccat in his, quæ sunt iurisdictionis, & pertinent ad eũ, vt Officialis Episcopi, non autem his, quæ peccat tamquam priuatus.

R. 3 Vicarium Episcopi habere iurisdictionem in Prælatos inferiores, qui Episcopo subsunt, eorumque subiectos. Ratio est, quia ita se habent hi Prælati respectu Episcopi, sicuti se habent Episcopi ad Metropolitanum, sed Vicarius Metropolitani, seu Archiepiscopi habet iurisdictionem in Episcopos suffraganeos; ergo, & Vicarius Episcopi habet iurisdictionem in Prælatos Episcopo subiectos.

An Episcopus Vicario à se constituto debeat congruum salarium dare?

BRACTEA XXIV.

R. Debere. Ita Cap. *Si Episcopus, cap. Inter cætera*, & ex pluribus alijs iuribus, quod postea confirmauit Rota in vna Turritana mercedis die 20. Maii 1564. coram D. Seraphino inter eius decisiones impressas.

Sciendum, quod licet Episcopus Vicario à se constituto teneatur soluere salarium, non tamen teneri soluere salarium debitum a suo antecessore, sed illos teneri, qui succedunt in bonis Episcopi defuncti, sicut etiam obligantur ad omnia alia debita; & ita Flaminius *de resignat. lib.*1.*quæst.*16 *num.*53. Gallett. *in sua margarita casuum conscient. verbo Vicarius num.*9 Barbosa *de potest. Episc. par.*3.*alleg.*54. *num.*179. dicentes sic fuisse resolutum in Rota Romana.

An Episcopus possit causam coram eius Vicario pendentem ad se auocare?

BRACTEA XXV.

R. Posse. Ratio, quia Episcopus potest ad libitum in totum reuocare Vicarium; ergo à fortiori poterit prohibere illi, ne iudicet in aliqua causa. Ita Marant. *in speculo par.*4. *dist.*16. Vnde Episcopus ad se auocando causam censetur eius iurisdictionem suspẽdere, quoad illam causam, non tamen potest Episcopus auocare ad se causam pendentem coram alio inferiori Prælato ordinario, vt Archidiacono, vel Abbate. Bertach. *tract. de Episcopo lib.*4. *par.* 5. *tit. de aud. Episc. circ. iudic.* Imola *in cap. Pastoralis de officio ordin.* Sbroz *de Vicar. Episc. lib.*3.*quæst.*39.

R. 2. Vicarium generalẽ Episcopi posse recusari tãquã suspectus, si iuste recusetur Eps. Ita Salicetus *l. vnica Cod. si quacunque*, Rebuffus *in praxi benef. tit. forma vicaria*, Bertach. *loco citato num.* 69. Lancellott. *de attest.* 2. *par. cap.* 6. Redoan. *de rebus Eccles. non alienand. cap* 3.*num.*29. & alij. Ratio colligitur *ex cap. Insinuante de off. delegati*, & *ex cap. Visis* 16.*quæst.*2. tum etiam quia Episcopus potest recusari suspectus, ergo multo magis Vicarius. Ratio, quia Vicarius dependet ab Episcopo, & ideò quando Episcopus rationabiliter est suspectus, potest rationabiliter Vicarius suspectus allegari; & ita Baldus *in leg. vnica*, Angelus *l. aduersus Cod. si aduersus rem iudicatam*, Iason. *leg. apud fisum* 49. *Cod. de re iud.* & alij. Ratio, quia cum Vicarius ab Episcopo sit erectus, ab eoque possit ad libitum reuocari; idcirco ob timorem ne reuocetur, potest facilè tradi in Episcopi suspecti sententiam.

An Vicarius possit esse Iudex in causa sui Episcopi; autem contra?

BRACTEA XXVI.

R. Negatiuè, quia cum idem sit tribunal Episcopi, & Vicarij, & eandem habeant iurisdictionem. Cap. *Romana*, sequeretur Episcopum iudicari in causa propria, & proprio tribunali, & per consequens fungi officio Iudicis, & partis, quod est prohibitum, vt ait Baldus *in leg. si quis num.*6.*Cod. de Episcopis, & Clericis.* Ita Sbroz. *de Vicar. Episc. lib.* 2. *quæst.* 137. cum pluribus ab eo relatis.

R. Episcopum posse esse Iudicem sui Vicarij; & ita Specul. *tit. de competenti iudice*, Bertach. *de Episc. lib.*4.*par* 3.*num.*19. Capyc. *decis.*137.*nu.*7. Sbroz. *de Vicar. Episc. lib.*2.*quæst.*38.

An Vicarius possit reuocari?

BRACTEA XXVII.

R. Affirmatiuè, vt supra dictum fuit. Ita Gloss. *in Clement. vbi Card. num.* 10. Anchar. Panormitanus *num.*9. & alij, etiamsi Episcopus iurasset eum non reuocare. Io. Andreas *cap. Tua de off. Vicar.* Verùm vt reuocatio sit licita, requiritur causa, quia si Episcopus reuocaret Vicarium, reuocatio erit valida tamen erit illicita.

Sciendum, quod si Vicarius esset constitutus à Papa, tunc Episcopum non posse eum reuocare, sicut etiam non potest reuocare Vicariũ datum à lege, vt est Archidiaconus; & ita Panormitanus *in cap. de off. Archidiac.* Sbroz. *loco citato num.*14. & alij.

An mortuo Episcopo expiret iurisdictio Vicarij?

BRACTEA XXVIII.

R. Statim expirare, & consequenter gesta ab ipso post mortem Episcopi esse nullius momenti, vt dictum est. Ratio, quia reputatur vna persona cum Episcopo. *Cap.* 2. *de consuet.* & *cap. Romana de appellat.* Ita Couuar. *pract. quæst. cap.* 4.*num.*4. Flaminius *lib.*7.*de resignat. quæst.*24.*num.*35. Sanchez *lib.* 3. *de matrim.* cum pluribus ab eo citatis, & non modo quoad negotia peragenda, sed etiam quoad negotia cępta, quia ea mortuo

tuo Episcopo non potest perficere.

Sciendum non solùm morte naturali Episcopi exspirare iurisdictionem Vicarij, verùm etiam renunciatione acceptata à Summo Pontifice translatione ad alium Episcopatum depositione, &c. quia transit tunc iurisdictio in Capitulum.

R. 2. Excommunicato Episcopo esse ipso facto suspensam iurisdictionem Vicarij., Ratio, quia vtriusque est vnum, & idem tribunal. Sic Gloss. *cap. 1. verbo ipsum*, & ibidem Archidiac. Hostiensis, Io. Andreas, Anchar. Gemin. & alijs, Guttieres *quæst. canon. lib. 1. cap. 1. num. 83.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 30. num. 6.* & alij ab ipso relati. Retinet tamen nomen Vicarij, & iurisdictionem habitualem, & potest assistere matrimonio, quia est verus Vicarius, & assistere matrinio, non est actus iurisdictionis. Sanchez *lib. 3. disput. 21. num. 4. & 7.* Supponimus Episcopum esse excommunicatum denunciatum, vel notorium Clerici percussorem.

Sciendum excommunicato Episcopo non modò esse suspensam iurisdictionem Vicarij ob rationes allatas, sed etiam Subuicarij. Ita habetur *in cap. 1. de officio Vicarij lib. 6.* vbi Gloss. & alij. Sbroz *de Vicar. Episc. lib. 3 quæst. 18. num. 6.* Subuicarius dicitur ille, qui creatus est à Vicario potestate sibi à iure cõcessa ad modicum tempus; secus verò dicendum, si non à Vicario, sed ab Episcopo sit creatus, vt colligitur *ex cap. vbi Gloss verbo tantum*, Felinus *in cap. Insinuante num. 1. de officio delegati.*

An Vicarius generalis Episcopi sit præferendus Archidiacono, Ecclesiæ Cathedralis?

BRACTEA XXIX.

PRima sententia est negantium. Ita plures apud Merollam *tom. 3. cap. 6. de iurisdictione Vicarij dub. 56.* cui fauet stylus Cancellariæ, quæ in rescriptis directis Vicario, & Archidiacono, vel Archipræsbytero prius nominat Archidiaconum, & Archipræsbyterum, quam Vicarium.

Secunda sententia est asserentium Vicarium generalem Episcopi debere præcedere Archidiaconum Cathedralis. Ita Panormitanus *cons. 21.* Felinus *in rubr. de maiorit. & obed.* Boerius *in tract. de auctoritate magni consil. num. 77.* Cassaneus *in catal. gloriæ mundi par. 4. consider. 46.* Sbroz *de Vicario Episc. lib. 2. quæst. 25. num. 1.* & alij. Ratio, quia Vicarius Episcopi facit idem tribunal cum Episcopo; ergo illi debetur eadem prærogatiua, & honor, qui Episcopo debetur in cessione, præcedentia & alijs. Quod intelligendum est, vt non procedat in actibus pertinentibus ad officium ipsius Archidiaconi, quia in illis dicitur Archidiaconus Vicarius Episcopi à iure constitutus. *Cap. 1. de officio Archidiaconi.* Ita Stephanus Gratianus *tom. 1. discep. forens. cap. 111. num. 50.*

An Vicarius debeat præcedere Capitulũ, ad quod respondeo, quod quando Capitulum repræsentat Ecclesiam Cathedralem non debere illum præcedere, in alijs verò actibus esse præferendum Capitulo: vnde Vicarius in Synodo non debet præcedere Capitulum, quia in eo fit præsentatio Ecclesiæ. Ita Merolla *loco citato disp. 4. de iurisdict. dub. 15. num. 562.*

MALLEATIO XLI.

De Vicario Capitulari.

Quis dicatur Vicarius Capitularis?

BRACTEA I.

PRo maiori notitia sciendum, mortuo Episcopo Capitulũ obligari infra 8. dies Vicariũ nouũ cõstituere, vel existentẽ confirmare. Cõcilium Tridentinum *sess. 24. de reform. cap. 16.* Ante verò electionem Vicarij infra octo dies faciendam, administratio iurisdictionis residet penes Capitulum, non autem penes primam dignitatem. Et ita Quaranta *in summa Bullarum verbo Capitulum sede vacante* §. 12. Riccius *in praxi vniuersi fori Ecclesiastici*, & alij citati à Barbosa *iuris Ecclesiast. lib. 1. cap 32. n. 29.* intra quos dies octo, non arctatur Capitulum ad electionem Vicarij, sed illis durantibus potest per se administrare. Quaranta *loco cit.*

R. 2. Vicarium Capitularem illum esse, qui transactis octo diebus à Capitulo eligitur ad ministrandum, quæ sunt iurisdictionis necessariæ.

An solum vnus Vicarius sit eligendus à Capitulo?

BRACTEA II.

R. Solum vnum Vicarium esse eligendum à Capitulo sede vacante, nisi legitimè adesset immemorialis consuetudo eligendi duos, vel plures, quia tunc stante immemorabili cõsuetudine potest plures Vicarios constituere æquè principales, vel vnum generalem, & alterum Foraneum maximè si est ampla Diœcesis. Aloysius Riccius *in decis. Curiæ Archiep. Neapolitanæ decis. 192. part. 4.* & Sacra Congregatio Cardinalium in vna Salernitana censuit, Capitulum sede vacante duos Vicarios constituere posse, vt alternis mensibus Vicariatus munere fungantur, si legitima probetur immemorialis cõsuetudo, & illis qualitatibus sint præditi, quas requirit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 16. de reformat.* Verum si discordia fuisset inter Canonicos in electione Vicarii, & plures ad hoc officium assumerentur, magis idoneum, & habentem qualitates Concilij remanere debere cæteris remotis. Quaranta *loco cit.* Garzias *de beneficijs part. 5. cap. 7. num. 23.* vbi refert sic censuisse Sacram Congregationem.

An Vicarius debeat eligi de gremio Capituli?

BRACTEA III.

R. Quamuis Capitulum non teneatur eligere personam in Vicarium de gremio ipsius Capituli, tamen si adesset persona idonea cæteris paribus esset anteponenda. Garzias *loco cit. cap. 7. num. 13.* Quaranta *loco cit.* Aloysius Riccius *in decisionib. Curiæ Archiep. Napolitanæ decis. 180. part. 1.*

R. 2. Posse eligere Canonicum, qui in eadem Ciuitate, & Ecclesia curam quoque gerit animarum

marum. Ita Sacra Congregatio in vna 19. Martij 1619.

R.3. Si Vicarius electus erit è gremio Capituli, dum tempore Diuinorum Officiorum sui muneri, & officio incumbit, non potest percipere distributiones quotidianas. Moneta *de distributionibus quotidianis part.2 quæst.11.num.83.* stante consuetudine illum absentem non excusante, Rota *decis.222.num.6.* Quaranta *loco cit.*

R.4. Et si interueniat in Choro cum Canonicali apparatu, vt distributiones quotidianas lucretur, debet sedere in loco proprio sui Canonicatus antiquioribus non præcedendo. Ita Sayrus *in floribus decisionum sub. tit. de Officio Vicarij decis.3.* Quaranta *loco citato,* Riccius *in praxi fori Ecclesiastici decis.475.* Sbroz. *lib.2.quæst.25.nu.17.* vbi aduenit, quod quando eligitur Vicarius, non de corpore Capituli illi in Processionibus præferendus est Archidiaconus, seu alia dignitas maior, & prima post Pontificalem, nec huiusmodi Vicarium debere occupare Sedem Archidiaconi, sed debere sedere in altera Sede portatili, vt declarauit Sacra Congregatio rituum in vna Nucerina 10. Aprilis 1601.

R.5. Capitulum in commissione Vicarij posse præfigere tempus, quo elapso expirat eius iurisdictio. Ita Garzias *in addit. de beneficijs part.5. cap.7 num.37.* & ita poterit eligere cum clausula, quod non duret, nisi per annum Sacra Congregatio Rituum die 17. Iunij 1617.

R.6. Si Capitulum constitueret Vicarium simpliciter absque temporis præfinitione, eius officium durare durante sedis vacatione. Quaranta verbo Capitulum sede vacante, & sit facta electione Vicarij non posse Capitulum illum amplius mutare, & nouum constituere. Ita Riccius *in collect. decis. part.5. collect.1602. & in decis. Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ decis.187 p.4.* nisi ex iusta causa beneuisa Sacræ Congregationi negotijs Episcoporum propositæ, vt ipsa declarauit anno 1631. & antea capitulo Neapolitano eidem anno, & capit. Taraconensi die 24. Nouembris, & capit. Aretino die 26. Octobris 1603. licet alij tueantur contrariam opinionem, vt Quaranta *verbo Capitulum, &* Zerola *in praxi Episcoporum part.1. verbo Vicarius §.21.*

De Conditionibus requisitis in Vicario Capitulari?

BRACTEA IV.

R. Debere Vicarium Capitularem eligi, qui sit Doctor, aut licentiatus in iure Canonico, vel alias quantum fieri potest, vt statuit Concilium Tridentinum *sess.24.cap.16.de reformat.* Nauar. *cons.2.de officio Vicarij,* Sayrus *in floribus decisionum decis.2. de officio Vicarij,* Petrus Henriquez *cons.90.* Sbroz. *de officio Vicarij lib.1.quæst.36.n.12.*

R.2. Si Vicarius non esset Doctor poterit capitulum dare ei cōsultorem Doctorem, alioquin Vicarius poterit eligere Consultorem Doctorem benè visum sibi, non suspectum in casibus, in quibus eo opus fuerit, & ita Quaranta *verbo Capitulum sede vacante,* Riccius *resolut. 505. in notabili de materia Vicarij. & ipse addit in decis. Curiæ Archiepiscop. Neapolitanæ part.4.decis.305.num.15.* quod Doctor Sacrorum Canonum præfertur Magistro Theologiæ, quoad hoc officium, at Sacra Congregatio Concilij sub die 18. Augusti 1621. censet, Theologum non posse esse Vicarium sede vacante.

An Vicarius Capitularis possit cognoscere de causis delegatis Vicario Episcopi?

BRACTEA V.

SAlas *disp.26.de legib.sect.17.num.124.* & Sanchez *lib.8.disp.27.num.22.* affirmatiuam sententiam tenet, nimirum commissiones datas Officiali, seu Vicario Episcopi expediri posse sede vacante per Vicarium Capituli, quia Vicarius Capitularis verè est Officialis, & dicitur Vicarius illius Diœcesis, & Capitulum succedit in locum Episcopi, & per consequens Vicarius Capitularis potest dici Vicarius iurisdictionis Episcopalis. Sed

R. Negatiuè, quando in forma commissionis exprimitur Vicario Episcopi, &c. Ratio, quia Vicarius Capitularis non est propriè Vicarius Episcopi, tum etiam, quia sicut concedit. Sanchez *loco cit. num.33.* & alij Capitulum sede vacante non posse expedire commissiones demandatas Vicario Episcopali, vel Officiali Episcopi; ergo à fortiori non potest Vicarius electus à Capitulo, seu Officialis Capituli expedire commissiones demandatas Vicario Episcopi, siue eius Officiali iuxta regulam 19. *de regulis iuris in 6.* Nemo potest plus iuris in alium transferre, quam sibi competere dignoscatur. Ita Bonacina *de legib.quæst.3. pun.8. §.4.n.7.* Garzias *de beneficijs part.6. cap.2. num.44.* Riccius *in decis. Curiæ Archiepiscopatus Neapolitanæ part.1. decis.44.* & Sacra Congregatio Concilij Tridentini Interpretum declarauit in vna Carmenorensi 2. Augusti 1631. Vicarium capitularem sede vacante non posse exequi commissiones in forma dignum, & alias directas Episcopo, vel eius Vicario Generali intuitu Officij, vel sub nomine dignitatis. Barbosa *iuris Ecclesiastici lib.1.cap.32.de capitulo num.59.*

R. 2. Non posse Vicarium capitularem dispensationes matrimonij directas Episcopo, vel eius Vicario Generali sede vacante expedire. Ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium Sacri Concilij Interpretum sub die 24. Maij 1621. Barbosa *loco citato num.60.*

An Vicarius sede vacante possit demandare executioni litteras Episcopo per Sacram Congregationem directas?

BRACTEA VI.

R. Affirmatiuè, nimirum posse demandare executioni litteras per Sacram Congregationem demandatas, sed non executas. Ita Sacra Congregatio negotijs Episcoporum, & Regularium proposita sub die 10 Aprilis 1615. nec nō omne illud, quod Episcopo mortuo per Bullam, seu per Breue in causis iurisdictionem importantibus concessum erat eadem Sacra Congregatio in vna 26. Ianuarij 1604. & in Neapolitana 10. Februarij eiusdem anni. Barbosa *loco citato num.60.*

An

An possit visitare Diœcesim?

BRACTEA VII.

R. Affirmatiuè, etiamsi à capitulo ei specialiter non fuerit commissum. Sacra Congregatio Concilii in Pampinolensi 13. Aprilis 1630. Ratio, quia capitulum habet ius visitandi Diœcesim, sicut Episcopus, & hanc facultatem habet Vicarius capitularis ex sententia eiusdem Congregationis. Nicolaus Garzias *in addit. ad suum tractatum de beneficijs par.5. cap.7. num.29.* quia Vicarius succedit in iurisdictione loco capituli.

An Vicarius Capitularis possit esse Delegatus Papæ, ac gratiarum executor?

BRACTEA VIII.

R. Affirmatiuè. Ita Gloss. *verbo Episcop. in Clementina 2. de rescript.* Pauinus *in tract. de officio, & potest. Vicarij sede vacante par.2. quæst.10. nu.6.* Sbroz. *de Vicario Episcopi quæst.23. nu.4.* Sanchez *de matrim. lib.8. disp.27. num.35.* Barbosa *de officio, & potest. Episcopi allegat.54. num.134.*

An Vicarius Capituli possit substituere?

BRACTEA IX.

R. Vicarium capituli nullo modo posse substituere, nisi ei in mandato substituendi facultas concedatur. Rota *decis.159. lib.3. diuers.* Petrus *decis.487. lib.2.* Seraphinus *decis.1033. par.2.* Aloysius Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiast. decisio 474.*

MALLEATIO XLII.

De Vicario Foraneo?

Quis dicatur Vicarius Foraneus?

BRACTEA I.

R. Illum dici Vicarium Foraneum, qui extra Ciuitatem, in qua Episcopi sedes est, iurisdictionem exercet, & ideo illum dici Vicariũ foraneum, quem Episcopus constituit in certa Diœcesis parte, vel in Oppidis, quia foris idest extra locum, in quo Episcopalis sedes est, Episcopi vice fungitur, aut quia de foris veniunt, vt ait Gloss. *verbo forenses quæst.4.* Rebuff. *in prax. benef. tit. de forma, & declarat. prouisionis,* Siluest. *in summ. verbo Vicarius quæst.4.* Cuchus *lib.2. instit. cap.8. de Vicario num 3* Sanchez *de matr. lib.3. disp.29. num.10.* Garzias *de benef. part.5. cap.8. num.29.* & alii.



An Vicarius Foraneus habeat dignitatem?

BRACTEA II.

R. Vicarium Foraneum nullam habere dignitatem, sed solum officium vnde nullam habent præcedentiam; Ita Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiast. decis.579.* Vnde vt dicetur, non potest esse delegatus Papæ, nec executor gratiarum beneficialium, quæ expediuntur in Curia Romana. Ita Flores de Mena *q.4.* nisi illi fieret delegatio ex certa scientia Summi Pontificis. Ita Sbroz. *de Vicario Episcopi quæst.23. num.9.* vel respectu alicuius dignitatis, quam præter officium Vicarii habet. Ita Sbroz. *loco citato q.22.*

Quænam sit potestas Vicarij Foranei?

BRACTEA III.

R. Potestatem Vicarii Foranei non esse ordinariam, cum ipsam non habeat ex titulo officii, sed esse delegatam, cum ex sola commissione delegata ab Episcopo iurisdictione fruatur. Gloss. *in Clement. 2. verb. foran.*

An à Vicario Foraneo ad Episcopum detur appellatio?

BRACTEA IV.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia à Delegato ad delegantem datur appellatio. Vicarius Foraneus, vt dictum fuit, est delegatus, & Episcopus delegans, ergo ad ipsum datur appellatio, tanquam à delegato ad delegantem, cum idem tribunal, & auditorium non constituant. Ita communiter Doctores.

An Vicarius Foraneus possit esse Delegatus Papæ?

BRACTEA V.

R. Vicarium Foraneum non posse esse Delegatum Papæ, nec executorem gratiarum beneficialium, quæ expediuntur in Curia Romana. Ita Flores de Mena *variar. lib. 1. quæst.4.* nisi illi fieret delegatio ex certa scientia Pontificis. Ita Sbroz. *lib.2. q.23. num.9.* vel respectu alicuius dignitatis *ibi num.10.* quia respectu officij nullam habet dignitatem. Rebuff. *tit. de Vicario Episcopi num.4.* Sbroz. *loco cit. quæst.22. num.13.* cum potius obtineat officium, quam dignitatem. Riccius *in prax. for. Eccles. decis.577.* Vnde nullam habet præcedentiam.

An Vicarius Foraneus possit concedere monitoria pro rebus deperditis?

BRACTEA VI.

R. Negatiuè. Ita Lazar. *tract. de monitor. sect.2. quæst.5. num.9.* Vgol. *cap.45.* Riccius *resol. 235.*

235. Potest tamen ei ab Episcopo delegari specialiter expresse talis facultas. Galleta in Margarita *caſ.conſcien.verbo litera 2.*

MALLATIO XLIII.

De Abbatis dignitate.

An Abbas ſit Prælatus, & in dignitate poſitus?

BRACTEA I.

R. Abbatem esse Prælatum, & in dignitate constitutum, ita vt in Sacris Conciliis generalibus immediatè post Episcopos ipsis deinde postea aliis Prælatis locus debeatur. Panormitanus *in cap.2.num.2.de iudicijs, & in cap. Ex ore nu.3.de priuil.* & in Sacris Canonibus Ecclesiæ Prælati vocantur. *Cap.Decernimus de iudic.* Azorius *part.1.lib.12.cap.29.& part.2. lib.3.cap.25. quæſt.1.* Suarez *de Religione tom.4. tract.8.lib.2. cap.2. num.2.* Tamburinus *de iure Abbatum diſp.1.quæſt.3.* Etiamsi sint Commendatarii, dummodo perpetui. Ita plures apud Barbosam *iuris Eccleſiaſt. lib.1. cap.17. de Abbatibus num.4.* quorum Abbatia in multis æquiparatur Episcopatui secũdum Oldradum *conſ.14.* Cardinalem Tuscum *tom.1.litera A.concluſ. 29.num.1.*

Quotuplex ſit Abbas?

BRACTEA II.

R. Quosdam esse Sæculares, & quosdam Regulares. Ita Ioannes de Sylua *in tract. de beneficijs part.1.quæſt.2.num 35.* Rebuff. *in prax. tit. Secularia beneficia,* Azorius *part.2, lib.3. cap.19.* & alii. Abbatem Sæcularem illum esse, qui beneficia Ecclesiastica obtinet titulo Abbatiæ. *Cap. Cum de beneficio;* & istos esse in duplici differentia, quidam enim sunt Abbates, qui non solum in Clericos, sed etiam in Laicos sibi subditos Põtificiam, seu iurisdictionem Episcopalem habent, & insignia pariter Pontificia gestant; vtũtur enim annulo, mitra, & baculo Pastorali, & horum dignitas est Episcopo proxima, alii sunt Abbates longè minores, qui non Pontificiam iurisdictionem habent, nec Episcoporum insignia deferunt, quorum Abbatiæ, quamuis dignitates sint, non tamen Episcopi proximè dignitatem sequuntur, & tenent medium gradum inter Superiores dignitates, cuiusmodi est Episcopatus, & alias inferiores, vt sunt Decanatus, Archidiaconatus, &c. sunt etiam Abbates Commendatarii, cum enim per Sacros Canones non possent Clerici sæculares Monasticorum Conuentuum esse Rectores, vt Abbatiæ illis perpetuò commendarentur compertum fuit, vt ii, quibus prohibitum erat per regulares Abbatias in titulum obtinere, earum retentionem per viam perpetuę Commendę licitam effecerunt. Et primo sub Leone Quarto, deinde sub aliis Pontificibus.

R. 2 Abbates Regulares etiam esse in multiplici differentia. Nam sunt quidam Abbates, qui Populum, & territorium habent, in quo iurisdictionem Episcopalem, & aliquando tẽporalem exercent, ac locorum Ordinarii dicuntur; alii autem sunt Abbates sub se tantum regulares subditos habentes, quorum regimini, & gubernationi præfecti sunt; & olim vnũquodq; Monasterium suum tantummodo Abbatem in Superiorem agnoscebat, atque illi, & non alteri subiiciebatur, & obtemperabat; nec vnus Abbas alteri Abbati supereminebat, sed omnes Episcopi locorum subditi erant, iuxta *Caput Abbates, Caput Monaſteria 18. quæſt.2.* & notat Panormitanus *cap.1.num 1. de regularibus*, sed postea cũ Monasticæ Religiones priuilegio Summorum Pontificum se exemerint ab Episcoporum iurisdictione constituendo vnum caput vnde factum est, vt vni generali Abbati, tanquam cęterorum capiti obedirent, & iste est Abbas supremus in Religione, cui inferiores cæterorum Monachorum Abbates locales subduntur. Alii denique sunt Abbates solo nomine, qui regulares sub se subditos non habent, & Abbates titulares nuncupantur, ac Pontificalibus insigniis vtuntur: de licentia tamen Abbatum localium, in quorũ Ecclesiis ea exercere voluerint, gestant etiam insignia Prelatorum, sicut Abbates habentes sub se regulares subiectos, & tanquam Prælati habent vocem actiuam, & passiuam ad Capitulum generale.

An Abbas debeat benedici?

BRACTEA III.

R. Abbates omnes perpetuos debere benedici à proprio Episcopo. Sbroz. *de Officio Vicarij lib.2.quæſt.8.num.1.* Scipio de Rubeis *in Aphoriſmis Episcopalibus verbo Abbas num.1.& 2.* Azorius *part.1.lib 12. cap.21.quæſt.6.* Tamburinus *de iure Abbatum tom.1.diſput.11.quæſt.7.* licet aliqui ex priuilegio particulari possint à quocunque Episcopo benedici.

R. 2. Benedictionem Abbati dandam esse in die Dominico, vel festiuo. Panormitanus *in cap. Cum contingat num. 2.* Felin. *in cap. inter Monaſterium num. 2.* Angelus *verbo Abbas num.6.* Siluester *eodem verbo num.4.* Castaldus *in praxi ceremoniali lib.1.cap.1.ſect.9.cap.2.num.2.* Tamburinus *diſp.9. quæſt.7.*

R. 3. Abbatem semel benedictum si transit ad aliã Abbatiã, non esse iterum benedicendum, & quamuis hæc benedictio caracterem non imprimat, nihilominus non est reiterabilis; nam multa Sacramentalia licet non imprimant caracterem, tamen non sunt reiterabilia, vt benedictio nuptiarum, quæ non repetitur. Ita plures citati apud Barbosam *iuris Eccleſ.lib.1.cap. 17.num.45.*

R. 4. Si Episcopus tertiò requisitus renuerit sine causa benedicere Abbatem, potest ipse Abbas non expectata benedictione officium ministrare, & ordines minores conferre, atque ea omnia, quæ sunt sui muneris præstare, & conferre. Scipio de Rubeis *verbo Abbas num.54.* Azorius *lib.12.cap.20.quæſt.6.* Erasmus A chochier *de iuriſdictione ordinaria in exemptos part. 4. quæſt.78. num.2.*



Quænam

Quaenam sint insignia Abbatum?

BRACTEA IV.

R. Insignia Abbatis esse vsum Mithrae, & baculi Pastoralis, & annuli, & quia mithrae triplex est species, vna quae pretiosa dicitur, quia gemmis, & lapidibus pretiosis, vel laminis aureis, vel argenteis contexta esse solet, altera auri frigiata, & sine laminis aureis, vel argenteis, sed ex serico albo intermixta, vel ex tela aurea simplici sine laminis, & margaritis; tertia, quae simplex vocatur sine auro ex simplici serico damasceno, vel alio, vel etiam ex tela alba confecta, rubeis lacinijs, seu frangeis, & vittis pendentibus. Ex his tribus mithris Abbates illa sola debent vti, quae eis à Sede Apostolica est concessa, & qui habet priuilegium vtendi aurifrigiata, aut pretiosa dignior est illo, cui solum vsus simplicis mithrae conceditur.

Baculo Pastorali vtūtur etiam Abbates, nec illo possunt vti extra proprias Ecclesias, nisi ex speciali priuilegio id eis indultum esset.

Habent etiam Abbates ius benedicendi in proprijs tantum Ecclesijs, quę ad eos pertinent pleno iure, videlicet post Missarum solemnia, Vesperas, & Matutinarum officia, non autem alio tempore, nisi hoc specialiter sit eis ab Apostolica Sede concessum. Frater Em. *quaestionum regularium tom.1. quaest.18.art.1.* Azorius *part.1. lib.12. disp.2.quaest.7.* dummodo tamen non sit praesens Episcopus, vel alius maior Ecclesiae Praelatus. *Cap. Denique 21.distinct. cap. Cum ad celebrandum de Consecrat. dist.1.* nisi extaret aliquod speciale priuilegium Sedis Apostolicae, prout Sixtus Quartus sub datum Romę decimo septimo calendas Octobris 1483. concessit Praeposito, siue Abbati Sanctae Mariae Pacis, Congregationis Canonicorum Regularium Lateranensis, vt habetur in libro priuilegiorum eiusdem Congregationis, vt liberé, & licitè possit, & valeat Mithra, annulo, & baculo, & alijs Pontificalibus insignijs vti, nec non in dicto Pacis Templo, atq; intra septa dicti Monasterij benedictionem solemnem post Missarum, Vesperarum, ac Matutinarum solemnia elargiri, etiamsi in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, Cardinalis, vel Sedis Apostolicae Legatus praesens fuerit.

R. 2. Abbates Generales quorundam Ordinum Monachorum ex priuilegio Summorum Pontificum habent auctoritatem ferendi Praelatorum regularium habitum, hoc est Capuccium, siue Mozzettam, mantellettum, biretum Clericalem, & pileum more Prelatorum, retento semper sui habitus colore.

R. 3. Abbatem titularem habentem iurisdictionem quasi Episcopalem, cum vsu mithrae, & baculi non posse deferre mithram extra propriam Ecclesiam per Dioeceses Ordinariorum absque speciali Indulgentia Sedis Apostolicae, & cum licentia Ordinarij. Sacra Congregatio in vna Cameracensi 6. Decembris 1631.

R. 4. Baldachino non licere Abbatibus vti, nisi illis, quibus priuilegio concessum est, quibus concessum est, vt in tribus festiuitatibus anni Baldachino vti possint, sine tamen auro, & pompa, & aliquibus etiam Ministris paratis sacris indumētis, qui ad summā sint duo Diaconi, & Praesbyter assistēs Diaconus, & Subdiaconus pro cantando Euangelio, & Epistola, ac sex ad summum, alij duo cum Pluuialibus, duo cum Planetis, & duo cum tunicellis coloris tempori conuenientis.

R. 5. Non debere Abbates habere Sedem fixam, & permanentem propè Altare, vt Sedes Episcopalis retinere consueuit, sed solum retineatur his tribus diebus in Ecclesia, quibus ipse Abbas solemniter celebrat, dictique sex Monachi sedere debent loco congruo super scabellis ad hunc effectum appositis, panno laneo coopertis.

An Abbates possint consecrare Calices, Altaria, Campanas, benedicere lapides, Pixides, & alia vasa Eccelesiastica, non solum ad suarum Ecclesiarum, sed etiam alienarum vsum?

BRACTEA V.

R. Posse ex priuilegio concesso ab Innocentio Octauo. Barbosa *de potestate Episcopi par. 2. allegat.26.num.36.* Miranda *in manuali Prelatorum tom.2.quaest.40.art.4.* Portel. *in dubijs regularium verb. Abbas num.3.* Rodriquez *in summa tom 3.cap.19.n.31.* Tamburinus *de iure Abbatum tom.1. disp.23.quaest.13.* qui addunt verba priuilegij Innocentij, & sic asserit, *Abbatibus non est interdictum Campanas ad vsum alterius loci consecrare, vt docet communis praxis, & consuetudo, videmus enim actu Abbates habentes vsum Pontificalium consecrare Campanas; vndecumque ad eos, ad hunc effectum delatas, & ideo dicendum puto de Altaribus portabilibus, de Corporalibus, & vestibus*, & ita Tamburinus.

R. 2. Abbatem posse ex priuilegio Vrbani Secundi, & Pauli Tertij, quae referuntur a Tamburino *loco cit quaest.12.* & à Renato Chopino *in Monast. lib.1.tit.2. num* 18. Ex quibus omnibus priuilegijs, sententiam in fauorem Abbatum tenuit Sacra Congregatio Cardinalium, vt testatur P. Naldus *in summa verbo Abbas num.4.* vbi sic asserit, Abbas Benedictus vsum mithrae, & baculi habens ex Sacrae Congregationis decreto non potest se ingerere in illis benedictionibus, in quibus vnctio requiritur, dubitatum fuit, an huiusmodi declaratio, seu prohibitio sit intelligenda de omnibus Abbatibus etiam regularibus, & qui gaudent priuilegijs amplissimis pro benedictionibus Altaris, Calicum, & huiusmodi, & eadem Sacra Congregatio instante Procuratore generali Cassinensis, & exhibente summarium priuilegiorum, & gratiarum eiusdem declarauit in haec verba, videlicet decisionum aliàs à se editam, vt Abbates, vtcumque benedicti benedicere non possint ea, in quibus vnctio requiritur non obstare, quominus ijdem praedictae benedictionis munus quoad ea, in quibus vnctio requiritur impendere queant; si specialibus priuilegijs, quibus Concilium Tridentinum nequaquam derogat, muniti fuerint, Datum Romae die 10. Nouembris 1614. haec omnia Naldus.



An

An Abbates possint ordines conferre?

BRACTEA VI.

R. Abbatem exemptum, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habet, posse conferre primam tonsuram, & quatuor minores suis subditis de iure antiquo. Ita Textus *in cap. Abbates*, Siluester *in summ. verbo ordo*, Couuar. *lib. 1. var. cap. 10.* Riccius *in collect. decis. part. 4. collect. 955.* Flores de Menna *var. lib. 2. quæst. 24. nu. 14.* Frater Ludouicus *in manuali Prælatorum tom. 1. quæst 38 num. 9.* Dixi Iure antiquo, quia nunc post Concilium Tridentinum non licet Abbatibus exemptis in finibus alicuius Diœcesis existentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur cuiquam qui regularis subditus non sit Tonsuram vel Minores Ordines conferre. Suarez *tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 29. num. 19.* Portella *in dubijs regularium verbo Abbas 2.* Miranda *in manuali Prælatorum to. 1. quæst. 38. art. 9. conclus. 2.* Barbosa *de Officio, & potestate Episcopi par. 2. allegat. 3. num. 11.*

R. 2. Abbates Regulares posse primam Tonsuram, & Ordines minores suis subditis conferre. Ita citati auctores, & alij.

Sciendum dubium esse, an Abbates Regulares solum suis subditis possint conferre Primam Tonsuram, & Ordines minores, & non alijs regularibus sibi non subditis, qui dimissorias speciales suorum Superiorum, & specialem licentiam Episcopi loci habuerint, nec etiam alijs sæcularibus suorum Superiorum dimissorias afferentibus, & negatiuè fuisse responsum voto Rotæ de mandato felicis recordationis Clementis Octaui, refert Seraphinus *decis. 985. part. 1.* & ita resoluunt Scipio de Rubeis *Aphoris. Episcoporum verbo Abbas num. 13.* Miranda *loco citato conclus. 2.* Campanil. *in diuersor. Canon. rubrica 6. cap. 2. num. 6. & num. 9.* colligit, tria requiri in Abbate, vt promoueat ad Ordines, nempè vt sit Presbyter, vt benedictionem accipiat per manuum impositionē ab Episcopo, aut benedici solitus, si cum Episcopus benedicere negligat, tandem quod proprio Monacho ordinem conferat.

Affirmatiuam tamen sententiā tuentur multi, & inter alios Bonacina *disput. 8. pun. 4. num. 3.* Vgolinus *de officio Episcopi cap. 16. §. 19.* Quaranta *in summa bull. verbo ordo*, Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. disput. 2. quæst. 7.* & alii, qui tenent, quod Abbates habentes ius deferendi baculum, & mitram benedicti ab Episcopis possint conferre primam tonsuram, & quatuor minores, nō modò suis subditis regularibus, sed etiam aliis cum consensu Ordinarii, & litteris dimissoriis, ac etiam aliis regularibus, qui dimissorias speciales Superiorum suorum, & specialem consensum Ordinarii loci habuerint, & aliis sæcularibus, qui aliorum Episcoporum iurisdictioni subiecti sunt, dummodo Superiorum dimissorias attulerint, & de consensu Episcopi loci, in quo ordines cupiunt suscipere.

An Abbas possit dimissorias concedere?

BRACTEA VII.

R. Abbatem, si Ordinarius fuerit priuatiuè quoad Episcopos, & habuerit ius visitandi, ac congregandi Synodum Clericis sæcularibus sibi subditis, litteras dimissorias concedere posse. Campanilius *in diuersor. iuris Canonici, rubr. 9. cap. 8. num. 4.* Tamburinus *de iure Abbatum tom. 2. disput. 11. quæst. 26. num. 2.* Barbosa *de officio, & potestate Episcopi part. 2. allegat. 7. num. 8.* Ratio est, quia concedere dimissorias non est actus ordinis, sed iurisdictionis, cum autem Abbatibus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem competat etiam iurisdictio, quæ competit Episcopis. Gloss. *in cap. Ordinarij verbo locorum*, vbi etiam Gemin. *de off. Ordinarij in 6. de rebus Ecclesiæ non alienandis in Clem. 1. verbo Diœcesanus*, vbi etiam Abbas *nu. 8. de foro competenti*, Seraphinus *decis. 1286. num. 3.* Nauarrus *cons. tom. 2. lib. 4. consil. 2.* & alii plures. Sequitur posse Abbates concedere dimissorias, vt Episcopi possunt, nec obstat opinio Doctorum dicentium, eius solummodo esse concedere dimissorias, cuius est ordinare, & per consequens Abbates non posse saltem pro sacris concedere dimissorias, cum non possint in sacris ordinare, quia Vicarius capitularis elapso anno potest concedere dimissorias, & tamen non ordinare, cum non succedat in potestate ordinis, nec obstat etiam Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 10.* vt docet Gratianus *in discept. forens. tom. 2. cap. 112.* relatus à Campanilio *rubr. 9. cap. 8. num. 4.* Barbosa *de off. & potestate Episc. par. 2. allegat. 72. num. 8.* refert decisum fuisse *in vna Salamantina iurisdict. die 9. Maij 1594.* coram Cardinal. Seraphino. Quia concil. non loquitur de Abbatibus, qui sunt Ordinarii habentes iurisdictionem quasi Episcopalem priuatiuè quoad Episcopos, & habent omnimodam iurisdictionem, vt Episcopi; & quod Abbates sint Ordinarii; id docet Abbas *in cap. Cum contingat num. 5.* Riccius *resolut. 330.* & alii, habent enim iurisdictionem contentiosam Gloss. *cap. Romana §. 1. de appell. in 6. & in* Clement. *dudum verbo Prælati de sepult.* Felinus *in cap. Decernimus num. 9. de iudic.* Parisiens. *de signat. benef. lib. 3 quæst. 11.* & alii. Habet etiam ius visitandi, & qui habet ius visitandi, dicitur Ordinarius, nam visitatio pendet ab ordinaria iurisdictione Seraphin. *decis. 615.* Grat. *loco citato cap. 12. nu. 34.* Ludouicus *decis. 304. num. 2.* & alii. Vnde sequitur Abbates tāquam Ordinarios posse suis subditis concedere dimissorias sub meliori tamen iudicio.

An Abbates, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, possint omnia, quæ potest Episcopus?

BRACTEA VIII.

R. Posse ea omnia, quæ potest Episcopus in sua Diœcesi circa ea, quæ sunt iurisdictionis. Ita plures citati apud Barbosam *par. 2. alleg. 82. num. 31.* & primò posse dispensare in interstitiis, cum illis, quibus possunt conferre primam tonsuram. Sorbus *in compendio Mendicantium verbo ordinis sacri*, Campanilius *loco citato rubr. 12. cap. 13. num. 82.* Secundò posse Abbates à votis, & iuramentis suos subditos absoluere, sicut Episcopi. Ita Valentia *tom. 6. disp. 6. quæst. 6. pun. 7.* Suarez *tom. 2. de religione tract. de voto lib. 6. cap. 10. nu. 14.* Sanchez *in Præceptis Decalogi tom. 1. lib. 4. cap 39. nu. 3.* Iacobus de Graffiis *in aureis decisionibus par. 1. lib. 2. cap. 31. nu. 18.* Clauis regia *lib. 6. cap. 11. nu. 88. & 89.* Rodriquez *quæst. regularium tom. 1. quæst. 25. art. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 13. num. 207.* Reginaldus *in praxi lib. 18. num. 140.* Azorius *par. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 4.* Arragonius

2. 2.

2.2. *quæst.* 88. *art.* 8. Quod etiam habet locum in Abbatibus habentibus territorium cum iurisdictione Episcopali respectu suorum subditorum territorij huiusmodi; & ita Siluester *in summa verbo votum* 4. *quæst.* 3. *dist.* 4. Nauarrus *in manuali cap.* 12. *num.* 75. Azorius *loco citato lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 2. Suarez *loco citato cap.* 10. *lib.* 13. Reginaldus *loco citato lib.* 18. *num.* 339. Sanchez *in Præceptis Decalogi cap.* 38. *num.* 19.

R. 2. Abbatem habentem iurisdictionem quasi Episcopalem posse approbare Sacerdotes sibi subditos ad audiendas confessiones sæcularium. Ita Suarez *tom.* 4. qui testatur se vidisse plures huiusmodi Abbates in suo districtu Cõfessarios approbantes, & exponentes, quibus nunquam interdictum fuit. Et ita Regin. *in praxi fori Pœnitent. num.* 182. Campanilius *in diuersor. iuris Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 26. Barbosa *iuris Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 17. *de Abbatibus num.* 96. & alij.

R. 3. Posse denunciationes matrimoniales remittere virtute Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 21. *de refor. matrim.* & ita resoluunt Nauarrus *consil.* 5. *de sponsalibus*, Henriquez *in summa lib.* 11. *cap.* 5. §. 5. Flores de Menna *variar. resol. lib.* 3. *quæst.* 24 *num.* 26. Scipio de Rubeis *in Aphor. Episc. verbo Abbas num.* 14. Rodriquez *tom.* 2 *summa cap.* 217. Sanchez *de matrim lib.* 30. *disput.* 7. *num.* 4. Sayrus *in floribus decis. tit. de sponsalibus decis.* 9. Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 8. qui non tantum hanc resolutionem extendunt ad Abbates titulares, sed etiam ad Commendatarios, vt ij etiam possint denũciationes ex causa remittere, quia quidquid potest titularis ratione dignitatis, potest etiam Commendatarius. Panormitanus *in cap. Querelam de elect.* tum etiam quia Concilium Tridentinum de Ordinarijs indefinitè loquitur; regula verò indefinita vniuersali æquiualet. Glossa communiter recepta *in cap. Vt circa de elect.* Abbas autem Commendatarius cum Ordinarius dicatur. Gloss. per textum ibi *in cap. Ordinarij de off. Ordinarij lib.* 6. id etiam de eo potest concedi; & ita Petrus Ledesma *in summa par.* 1. vbi de Sacramẽto matrimonij *cap.* 6. *dub.* 1. Tamburinus *tom.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 5. Gonsaldus *ad regulam* 8. *Cancellariæ gloss.* 5. §. 8. *num.* 28. Barbosa 2. *par. de off. & potestate Episc. allegat.* 32. *num.* 32.

An Abbas possit congregare Synodum?

BRACTEA IX.

R. Posse Constitutiones Synodales facere, prout facit Episcopus. Ita Balbus *in tract. Præscriptionibus* 1. *par. quæst.* 11. Botta *de Synodo par.* 2. *nu.* 40. Flores de Menna *variar. resolut. quæst.* 24. *num.* 9. Quod tamen intelligendum est de Abbate habente Prouinciam, quia tunc solum Synodum celebrare censuit Sacra Congregatio *sub die* 17. *Iunij* 1616. & si probetur habuisse ius congregandi Synodum, & aliàs legitimè congregasse poterit etiam concursum facere, vt decisum fuit à Sacra Congregatione, vt refert Nicolaus Garzias *de benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 131.



An habeat ius in Concilijs generalibus, & Prouincialibus assistendi?

BRACTEA X.

R. Abbatem, sicut Episcopum in Concilijs Generalibus, & Prouincialibus admitti, citari, & vocari, & in eo habere vocem decisiuam ratione iurisdictionis, vt in magnis Abbatibus concludit Abbas *in quæst.* 10. *dub.* 10. *num.* 28. per textum *in cap. Conuenientibus* 1. *quæst.* 7. sentit Villadiego *delegato cap.* 10. *num.* 4. Campeggius *in tract. de Concilio cap.* 7. licet aliqui teneant contrariam opinionem, quorum opinio magis videtur in praxi iuxta Mennam *loco citato quæst.* 24. *num.* 28.

R. 2. In Concilijs Generalibus, & Prouincialibus posse Abbatem vti mitra frigiata, si exemptus sit, non tamen aurea, vel habente laminas argenteas; quod si exemptus non sit, simpliciter albis planis vtatur. Ita Speculator *lib* 8. *quæst.* 4. *rubr. de priuilegijs*, Card. Zachobat *de Concilio lib.* 1. *rubr. de loco sedium in Concilio.*

An Abbates iurisdictionem habeant exequendi voluntates defunctorum?

BRACTEA XI.

R. Abbates habere illam potestatem exequendi voluntates defunctorum, quam habent Episcopi in suo territorio, dummodo habeant quasi Episcopalem iurisdictionem. Flores de Menna *variar. quæst. lib.* 2. *quæst.* 24. *num.* 22. & alij.

An possit Abbas matrimonijs interesse?

BRACTEA XII.

R. Posse interesse virtute Conc. Trid. *sess.* 24. *de reformat. matrimonij cap.* 1. & ita Henriquez *in summa lib* 11. *cap.* 3. §. 4. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 178. Basilius Puntius *de impedimentis Patrimonij cap.* 26. §. 6. Sanchez *de matrimonio lib.* 3. *disp.* 28 *num* 6. Guttieres *de matrim. cap.* 66. *num.* 6. Tamburinus *tom.* 2. *disp.* 8. *quæst.* 1. & alij.

R. 2. Non modò posse interesse matrimonijs, sed etiam posse alijs concedere facultatem assistendi matrimonio suorum subditorum; & ita Petrus Ledesma *de matrimon. quæst.* 45. *art.* 5. *pun.* 3. Henriquez *lib* 11. *cap.* 3 *num.* 4. Guttieres *de matrim. cap.* 66. *num.* 6. Basilius Puntius *in tract. de sacram. matrimonij num.* 5. *cap.* 20. §. 6. *num.* 4. & 23. asserit, non permitti hanc facultatem Commendatario, licet eius Abbatia iura Episcopalia habeat.

An Abbas dicatur sponsus Ecclesiæ?

BRACTEA XIII.

R. Abbatem dici sponsum Ecclesiæ, vt dicitur Episcopus sponsus suæ Ecclesiæ, & eo mortuo viduata dicitur, prout in Episcopali. Ita Innocentius *in cap. Qui propter*, Bart. *in l si ita quis* §. *is, cui num.* 3. & in Ecclesijs sibi subiectis Abbatem dici Ordinariũ, sicut Episcopus, & ideò potest esse Iudex in causis suarum Ecclesiarum subiec-

tè interpratanda, quando in corpore iuris est clausa, qualis est hæc; Tridétinũ Côc. ius commune constituit, tum etiam quia Abbates in sua Diœcesi plenam Episcoporum iurisdictionem habent, ab illis sola consecratione differunt, vnde possunt absoluere, & dispensare casus, quos Episcopus dispensare potest, vt circa casus occultos, nec deductos ad forum contentiosum. Ita Sanchez *loco citando*.

An Abbas possit secum dispensare in casibus Papæ reseruatis?

BRACTEA XIX.

R. Posse secum dispensare in omnibus illis casibus, in quibus potest cum subditis. Ratio, quia non repugnat iure naturę vti hac iurisdictione erga se ipsum, nec etiam aliquo iure Ecclesiastico. Ita Sanchez *lib.8.disp.3.num.8.* Quod multis rationibus probat.

An Abbas ab Ecclesijs sibi subiectis possit exigere caritatiuum subsidium?

BRACTEA XX.

R. Negatiuè iure, sed solùm ex priuilegio, vel consuetudine. Ita Bellencinus *quæst.4.* Azorius *par.2.lib.9.cap.14.quæst.5.* Belletus *disquisit. Clericalium par. 1. tit. de Clerico debitore* §. 12. *num* 381. Bellencinus *quæst.* 5. asserit, quod Abbates, vel Priores non possunt exigere tributum charitatiuum ab Ecclesijs sæcularibus, vel regularibus sibi non pleno iure subiectis, & addit ex Calderino de sensibus Præpositum, siuè Præfectum totius Ordinis regularis posse huiusmodi subsidium petere à Monasterijs sui ordinis pro sumptibus necessarijs ad gubernationem ordinis, si aliunde ratione Præfecturæ non habeat bona, quæ ad hoc onus sustentandum destinata sufficiant.

An Abbas Commendatarius possit id facere?

BRACTEA XXI.

R. Commendatarium perpetuum Ecclesiæ Cathedralis, cum habeat legitimam administrationem, & possit exercere iurisdictionem, quæ competeret Episcopo titulato posse exigere caritatiuum subsidium in Ecclesijs sibi subiectis. Archidiaconus *in cap. Nemo deinceps de elect. lib.6.* Innocentius *in cap. Si constiterit de accusatione Cardinalis in Clementina vltima de Procuratoribus quæst.* 12. Bellencinus *quæst.6.* Azorius *quæst.7. vers. Commendatarius.*

An Abbates habeant ius visitandi Ecclesias?

BRACTEA XXII.

R. Primò Abbatem titularem habere ius visitãdi Ecclesias suorum subditorum. *Cap. In singulis, cap. Ea, quæ de statu Monachorum.* Ita Flores de Menna *loco citato quæst.24.num.23.*

R.2. Etiam Abbatem Commendatarium posse visitare Ecclesiam suæ fidei commendatam. Ratio, quia Commendatarius censetur sponsus Ecclesiæ suæ fidei commendatę; tum etiam quia habet legitimam administrationem, & potest exercere iurisdictionem, quæ competit Episcopo titulato. Ratio, quia Commendatarius perpetuus est verè Prælatus, & habet plenariam administrationem in spiritualibus, & temporalibus, & æquiparatur titulari. Ita Decius *in cap. Edoceri num.* 81. *de rescriptis*, Nauarrus *lib.1. Consiliorum de constitutione consil.1.num.38. lib 3 de regularibus consil.15.num.6.* & *lib 3 de statu Monachorum consil.3.nu. 62.* Fuscus *de visitatione lib 2. cap. 9. nu. 5.* Rebuffus *consil.77.num.1* Antoninus *variar.resolut. lib 9. resol. 112.casu 57.* tũ quia Abbati competunt omnia iura Episcopalia iurisdictionis, quæ competunt Episcopo in sua Diœcesi, Glossa *in cap. Ordinarij verbo locorum*, Nauarrus *consil.8 tom.2.lib.4.* Farinacius *tom.1.decis.336 num. 1.* & sicut Episcopus potest suam Diœcesim visitare, ita & etiam Abbas suas Ecclesias; & restrictum siuè sit Abbas titularis, siuè Commendatarius perpetuus.

Quænam sint iura Commendatarij perpetui?

BRACTEA XXIII.

R. Commendatarium perpetuum habere liberam potestatem in temporalibus, & spiritualibus. Rebuffus *de pacifica possessione num. 3.* Secundò potest præsentare, eligere, & conferre beneficium. Rebuffus *in praxi tit. de Commend. num. 62.* Tertiò transigere super fructus sui beneficij commendati, atque eos vendere. Rebuffus *de pacif.possess.num.60.* Quartò permutare cum alio beneficio in titulo. *Cap fin. de rerum priuatione*, Rebuffus *de pacif.possess.num 38.* Quintò, resignare etiam in fauorem Flaminius Parisius *qu.17.* Sextò tenetur verificare narratiuam, sicut quilibet beneficiatus Puteus *decis.253.lib.3.* Septimò tenetur ad Pensum Canonicarum precum, Nauarrus *de oratione cap 20.* Azor. *par.1.lib.10.cap.3 qu. 6.* Vasquez *de benef cap.4.art.1.cap.3.* Suarez *de religione tom.2.tract.8.lib.8.cap.22.num.15.* Bonacina *de horis Canon. quæst. 2.pun. 4.num 3* Vnde Commendatarius Abbas est verè Prælatus quasi Episcopalia iura habens. Decius *in cap. Doceri num 8 de rescript.* Rebuffus *consil 75.num.1.* Aloysius Riccius *in Collectanea decisionum decis. 999.* Puteus *decis. 610.* vnde potest esse Delegatus Papæ iuxta Cap. *Statutum de rescriptis in 6.* vbi Ludouicus Gomez sub regula de triennali *quæst.5.num.779.* Macrobius *de synodo Diœcesana cap. 4. num. 13. nu. 38.* denunciationes matrimoniales remittere iusta causa potest, illę scilicet, quę fiunt in suo territorio iuxta Concilium Tridentinum *quæst. 25. de reformat. cap.1.* Et ita Petrus Ledesma *summa par.1.de sacram.* & alij.

An Abbas Commendatarius possit facere concursum beneficiorum Curatorum?

BRACTEA XXIV.

R. Non posse. Sed spectare ad Episcopum, in cuius territorio sita est Abbatia exempta, qui electo magis idoneo mittet eundem ad Commendatarium pro collatione, vt censuit Sacra Congregatio, teste Garzias *de beneficijs part.9.cap.2. nu.123.* Si verò omnimodam habeat iuris-

iurisdictionem Episcopalem, nec alicui subsit, sed sit immediatè subiectus Sedi Apostolicæ, nullius Diœcesis proprium territorium habens, si habet ius congregandi Synodum, & legitimè constet illam congregasse, & examinatores elegisse, potest concursum instituere, & examinare, & approbare, omniaq; illa facere, quę continentur decreto Concilij *cap.18.sess.24 de reform.* Sacra Congregatio Concilij, teste Garz. *de benefic.part.2 cap.2.num.136.*

R. 2. Talem Abbatem habentem territorium non modo concursum posse facere, sed etiam Synodum congregare, prout facit Episcopus, & constitutiones Synodales facere, & ita Baldus *in tract. de prescriptione 1. part. quæst. 11.* Botta *de Synodo par.2.num.40.* Flores de Menna *variar.resol. lib.1.quæst.24.num.9.* & ita censuit Sacra Congregatio sub die 17. Iunij 1616.

An Abbas factus Vicarius Sede Episcopali vacante possit conferre Ordines minores subditis illius Episcopatus?

BRACTEA XXV.

R. Abbatem, qui datus est Vicarius alicui Ecclesiæ sede vacante posse conferre ordines subditis illius Episcopatus. Ita Gemin. *in cap. is cui num.7.* Fellinus *in cap. Eam num.9. de rescriptis*, Sylua *de beneficijs part.2. quæst.6. num.3.* vbi dicit, quod eodem modo poterit quo potest inuitatus in claustris aliorum exemptorum iure suo conferre tonsuram, & ordines minores. Geminus *in cap. Abbates de priuil.* Maiolus *de irregularitate lib 3.cap.23.num.12.* Sayrus *de Censuris lib. 4.cap.13.* & alij.

An Abbates possint imponere pensiones super beneficijs suorum subditorum, vel impositas augere?

BRACTEA XXVI.

R. Interdictum esse Abbatibus, ne Prioratibus, aut alijs beneficijs suorum subditorum pensiones imponant, aut impositas augeant. *Cap. prohemus de censib. Clementina 1. de supplenda negligentia Prælatorum.*

An possint concedere licentiam nouitijs disponendi de suis bonis temporalibus?

BRACTEA XXVII.

R. Abbates habentes iurisdictionem quasi Episcopalem posse in suis Diœcesibus cōcedere Nouitijs dispensandi de suis bonis temporalibus, dummodo sint nulli Episcopo subiecti. Ita Frater Bartholomeus de vecchijs *in Praxi obseruanda in administrandis ad Religionem Nouitijs disp.8. dubit.9. num.2.* Sanchez *in præcept. Decalogi tom.2.lib.7.cap.5.num.68.* & alij.



An Abbates possint conferre Ordines Nouitijs?

BRACTEA XXVIII.

R. Negatiuè, quia Nouitius verè non potest appellari Regularis, eo maximè, q pendente nouitiatu non habetur, quoad Ordines suscipiendos pro subdito Prælati Religionis, & ita Cardinalis Tuschus *practicarum conclus.* Henriquez *in summa lib.10. cap.13, §.3.* Miranda *in manuali Prælatorum to.1.quæst 38.art.9.conclus.2.* Sayrus *de censuris lib.4.cap.13.num.5.* Naldus *verbo Nouitius,* Hugolinus *de officio Episcopi cap.26.§.2. num.7.* Bartholomeus de Vecchijs *in praxi seruanda in admittendis ad Religionis statum Nouitijs disp.11.quæst.8.* Suar. *de religione tom.2.lib.6.de voto cap.11.num.9.* & alij.

An Abbates possint ministrare Sacramentum Confirmationis?

BRACTEA XXIX.

R. Regulariter Abbatem tale Sacramentum non posse ministrare. Ratio, quia est actus ordinis Episcopalis. Vnde qui non est Episcopus non potest ipsum ministrare: ex priuilegio Summi Pontificis posse Abbatem tale Sacramentum ministrare de consensu tamen Ordinarij, & ita decisum esse refert Armendarius ad Recopil. *legum Nauaræ lib.1. tit.18. lib. 7. de Episcopis num.77.* Quod deducitur etiam ex Concilio Tridentino, dum dicitur *sess.7.de confirmat. Canon.3* Ordinariū huius Sacramenti ministrū esse Episcopū hinc significans, non esse inconueniens, quod non Episcopi extraordinarij, seu Delegati fiant Ministri, cum etiam Præsbyteri ex delegatione Papę possint tale Sacramentum ministrare. Et ita Cardinalis Belarminus *de confirmat.cap.12.* Henriquez *eodem cap.cap.6. §.4.* Iacobus de Graphijs *in decis.aurei part.2.lib.1.cap.5. num.29.& 30. & tom. 1. consilior. tit. de Sacra Vnctione cons.1. num.5.* Nauar. *de confirm. cons.14.* Victor. *de Sacramentis num. 49.* Petrus de Ledesma *in sum. 1. part. de Sacramento Confirmationis cap. 9.* Toletus *in summa lib.2.cap.24.num.5.* Valentia *tom.4.disp 5.q.2. pun.1.* Vasquez *part.3.quæst.72.art 3.disp.2.9. cap.15.n. 3.* Suarez *tom.3.disp.36.sect.4.* Hugolinus *de confirm. cap.15.num.3.* Azorius *part.2.lib 3.cap.30.quæst.4.* Miranda *de Sacram.Confirm.quæst.24.art.4.* Reginaldus *in praxi fori Pœnitent. lib. 28. nu. 17.* Filliucius *tract. 3.de Confirm.num.13.*

An Abbates possint esse Patrini?

BRACTEA XXX.

R. Prohibitum esse Abbatibus, & Monachis, ne Patrini fungantur munere, tam in Sacramento Baptismi, quam Confirmationis *cap. non licet de consecrat.* quia tamen in textu non datur verbum irritans veri susceptores erunt, & subinde contrahent spiritualem cognationem, quamuis peccent mortaliter suscipiendo contra prohibitionem. Ita Galera *de cognatione spirituali cap.9.* Margarita *casuum conscientiæ verbo Religiosus,* & alij plures.

R. 2. In Sacramento Confirmationis si qui confirmantur sint Religiosi, potest Abbas, & Mona-

Monacho fungi officio Patrini. Ita Barbosa *de officio, & potestate Episcopi part.2.allegat.3.num.36.*

An possit Abbas praestare consensum creationis iuris Patronatus?

BRACTEA XXX.

R. Abbatem habentem Iurisdictionem quasi Episcopalem non modo habere facultatem dandi licentiam aedificandi Ecclesiam in suo restrictu, sed etiam habere facultatem praestandi auctoritatem,& consensum creationi,& acquisitioni iurispatronatus,& sic potestas dãdi licentiam construendi Ecclesiam, trahit secum, tanquam quid consecutiuum potestatem consentiendi acquisitioni iurispatronatus, & dicta potestas dandi licentiam aedificandi Ecclesiam, videtur concedi ad finem,vt aedificans acquirat iuspatronatus, & sic fuit decisum in vna Imolensi iurispatronatus 18. Nouembris 1578. coram D. Cancutio, quae est *in.2.part. diuersar.decis.85.* quod fuit firmatum 23. Martij 1579. *vt in decis.93. eiusdem par.2.*

An Abbates regulares gaudeant eisdem priuilegijs, quibus gaudent Abbates perpetui, & benedicti?

BRACTEA XXXI.

R. Gaudere honoribus, praeminentijs, priuilegijs, praerogatiuis, iuribus, & insignibus Abbatialibus, quibus gaudent Abbates perpetui, & benedicti ex priuilegio Eugenij Quarti, Iulij Secundi, & Leonis Decimi. Ita Emanuel Rodriquez *quaestionum regularium tom.1. quaest.12.art.4.*

An Abbates possint absoluere suos Monachos ab excommunicatione si quis suadente?

BRACTEA XXXII.

R. Abbates posse Monachos suos absoluere à peccatis omnibus,& censuris,nisi aliter à iure specialiter reseruatis. Suarez *tom.4. de Religione tract.8.lib.2.cap.20.num.2.& 3.* Tamburinus *de iure Abbatum to.2.disp.14.quaest.12.* Secundò à sententia excommunicationis pro iniuria Clericorum, & si Romano Pontifici reseruetur, eos posse absoluere ex ipsius concessione *Capite Monachi de sententia excommunicationis,* Suarez *tom.5. de censuris disp.22 sect.1.num.73.* Tamburinus *tom.2.disp.18.quaest.10.* & alij.

An Abbas possit alienare res Ecclesiasticas sine consensu Capituli?

BRACTEA XXXIII.

R. Non posse Abbatem alienare, vel ad longum tempus locare res Ecclesiç, etiam posita iusta causa sine consensu Conuentus, & sui Generalis Capituli, seu Generalis habita licentia Summi Pontificis. Ita Graffius *de rebus Ecclesiç non alienandis lib.3. Conciliorum num.23.*

MALLEATIO XLIV.

De Parochiali Officio annexo Ordini Sacro.

Vnde quis dicatur Parochus?

BRACTEA I.

R. Parochiam illam dici, in qua degit Populus alicui Ecclesiae deputatus certis finibus limitatur. Ita Aegidius Belen. *cons.38.n.8.* Grillenzon. *cons.6.num.5.* Cardinalis Tuschus *tom.6.littera P, conclus.98. num.1.* Mantica *decis.48.n.1.* Quaelibet Parochia habet suum territorium separatum, & diuisum, in quo non est licitum alteri Parochiae aliquid facere, quia dicitur data iurisdictio distincta. Calcaneus *cons.28.* Card.Tusc. *loco citato littera P,conclus.95.num.7.* Parochialis Ecclesia est, quç habet ius consistens in cura animarum ipsorum Parochianorum, de quibus Parochus Praesbyter tenetur reddere rationem Deo. Aegidius Belen. *cons.38.nu.8.*

R. 2. Quatuor requiri ad Ecclesiam Parochialem. Primò, quod in ea adsit Parochus habens potestatem ligandi. Secundò, quod habeat certos fines. Tertiò,quod curam exerceat nomine suo. Quartò, quod solus, & non cum alijs administret. Ita Botta *decis.52. num.2. 14.16. & 17.part.2 decis.* Rebuff. *in concord.tit.de collatione §. Statuimus*, Fuscus *de visit. lib.2.cap.2.* Camillus Borellus *in summa omnium decisionum tom.1. tit.2.num.17.* Riccius *in praxi Resolutionum fori Ecclesiastici resolut.561.* His positis.

R.3. Parochum dici à Parochia sibi commissa,quod quidem non deriuat à Graeco vocabulo, quod dicitur praebitio latinè, eo quod Plebi sibi commissae Sacramenta, & Sacra praebeat, sed deriuat à Parecia, quae Graecè idem est, atque Accolarum Conuentus, seu habitatio, aut cura,eò quod illi perficiatur,& curam habeat animarum totius Populi intra illos limites congregati. Ita Petrus Gregorius *sintag. iuris lib.5.cap.24. num.6.& 7.* Lelius Zechius *de Repub. Ecclesiastica cap.28.num.3.*

Sciendũ,quod qui curã habet animarum sine dignitate Ecclesiastica dicitur Parochus, idest à praebendo eo, quod sit Sacerdos, ab Episcopo perfectus, vt plebi cibum Domini verbi, & Sacramentorum ad animas pascendas praebeat in certa Dioecesis parte, quae ex hoc ipso dicitur Parochia, & templum, in quod plebs ipsa conuenit ad accipiendum verbum Dei, & Sacramentorum pabulum communiter dicitur Ecclesia Parochialis, quamquam nomen ipsum Parochiae interdum pro tota Dioecesi subiecta Episcopo sumatur.

Sciendum 2.quod cum duplex sit Ecclesiastica potestas, vna in foro interiori ad absoluendum, & ligandum,altera in foro exteriori spectans ad exteriorem disciplinam, & gubernationem Ecclesiarum hanc inueniri quidem in his, qui dignitatem habent cum cura animarum, non tamen in Parochis, in quibus est sola prior iure ordinario.

Sciendum 3. Iura Parochiæ hæc numerari. Primò, vt in ea Populus Baptiſmum ſuſcipiat. Secundò, vt Euchariſtiam in Paſcha, & pœnitentiam ſemel in anno, & Extremam Vnctionem ſuo tempore. Tertiò, benedictionem nuptiarum. Quartò, ſepulturam. Quintò, vt Populus in ea diebus feſtis Miſſam audiat, etſi poſſit quis Miſſam audire in alia Parochia, iuxta *caput. 2. de Parochijs*. Sextò, vt decimas in ea ſoluat. Septimò, vt item Primitias, & alias oblationes in ea offerat.

Sciendum 4. quamuis ad Parochiale beneficium non requiratur, vt is, cui confertur ſit iam initiatus Ordini Sacro, ex Silueſtro *verbo beneficium 3. quæſt. 3.* is tamen debet fieri intra annum Sacerdos, quod idem iudicandum eſt de his, qui obtinent Beneficia, quibus annexa ſunt onera dicendi Miſſam, aut cantandi Epiſtolam, vel Euangelium, nam ius quoque exigit ab illis, vt intra annum ſuſcipiant Ordinem requiſitum ad illa ipſa onera obeunda, alioqui ipſo iure priuantur voce in Capitulo, & priuandi ſua dimidia parte diſtributionum, atque ſi moniti, vt promoueantur ipſi recuſent priuandi ſunt Beneficio, *iuxta caput Cum in cunctis* §. *infer. de elect.* Id quod procedit etiam quando beneficium habet aliquem Ordinem annexum à fundatione, vel ſtatu Epiſcopi, vel voluntate Fundatoris, vel ex conſuetudine.


An Parochus obligetur ad reſidentiam?

BRACTEA II.

R. Parochos, qui Eccleſijs præſunt obligari ad reſidentiam. Ita colligitur *ex cap. Quia non multi, & in cap. concurrente, & in capite Relatum, & in cap. Tuæ fraternitatis de Clericis non reſidentibus*, & ita diſponit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. de reform. cap. 1. & ſeſſ. 7. de reform. cap. 3. & ſeſſ. 23. etiam de reform. cap. 1.* etiamſi modici commodi ſit beneficium, quia hoc etiam reſidentiam requirit, prout textus in dicto *cap. Concurrente*, & ita Sanctarellus *variarum reſolut. 4 num. 45.* Rebuff. *in tract. nominat. quæſt. 9 num. 27.* Reginald. *in praxi fori pœnitentiæ lib. 30. tract. 3. num. 294.*

R. 2. Parochos debere habitare in domibus proprijs Eccleſiarum, licet Eccleſia Parochialis ſit in loco, vbi minor pars Parochorum inhabitat, & maior pars longè habitet in Oppidis, debet habitare propè Eccleſiam, & ſuccurrendum eſt eis, qui longè habitant ſecundum loci antiquam conſuetudinem *per caput 4. ſeſſ. 21. de reformat. refert. deciſum* Garzias *de beneficijs part. 3. cap. 2.*

R. 3. Quando in Parochia ſunt duæ Eccleſiæ æquè principaliter diſtantes reſidendum eſſe in digniori, quod ſi non conſtet, quæ ſit dignior in frequentiori, quod ſi vna fuerit extra, & altera intra vrbem reſidendum eſt in ea, quæ eſt intra, referunt deciſum Garzias *loco cit. n. 179.*



Et quid ſi Eccleſia Parochialis diſtet à loco tria, aut quatuor milliaria.

An Parochus teneatur propè ipſam manere?

BRACTEA III.

R. Quòd quamuis Parochialis Eccleſia diſtet à Ciuitate tria, aut quatuor milliaria non habebitur Parochus pro reſidente ſi in Ciuitate habitat, Dominicis, & feſtiuis tantum diebus ad hanc Eccleſiam accedens. Ita deciſum eſſe refert Garzias *loco citato cap. 2. n. 179.*

R. 2. Presbyterum obtinentem Parochialem, etiam à Ciuitate vltra duo millia non diſtantem non poſſe deputari Magiſtrum Grammaticæ, & ob id à reſidentia excuſari, etiamſi velit ſingulis diebus feſtiuis Parochiali intereſſe Garzias *loco citato*, & deficiente Magiſtro in Ciuitate, Curatus non poteſt in ea habitare relicto idoneo Vicario, & approbato cum congrua mercede in Parochiali; quamuis ſolemnibus diebus interſit. Ita refert Riccius *in prax. deciſ. 50.* Sanctarellus *variarum reſol. quæſt. 3. n. 32.*

An Parochus non reſidendo peccet mortaliter?

BRACTEA IV.

R. Parochum ſine legitima cauſa, & licentia in ſcriptis habita non reſidendo peccare mortaliter. Ita ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.* & fructus beneficij pro eo tempore, quo abeſt ſuos non facit Concilium Tridentinum *loco cit.* Franciſcus Leo *in theſauro fori Eccleſiaſt. part. 3. cap. 2. num. 15.* Flaminius Pariſius *de reſignat. lib. 1. quæſt. 10. nu. 32.* etiam ante ſententiam, & hanc optimè probat Vgolin. *de poteſt. Epiſcopi cap. 15.* §. *4. num. 2. &* §. *5 num. 2.* Nauar. *conſ. vltimo de Clericis non reſidentibus*, reſoluit bona acquiſita ex beneficio Parochiali abſentis extra ſuam Parochiam morientis tanquam ſpolia ad Cameram Apoſtolicam pertinere.

Sciendum tamen, Parochum non dici abeſſe qui ſtatim eſt reuerſurus, & ita probat textus *in l. poſt liminium* §. *Captiuis, & in l. Nihil ff. de Captiuis*. Vnde Parochum ruralem, qui ſingulis hebdomadis in vrbem venit cauſa inuiſendi Parentes, & cum illis vno tantum die moratur relicto occurrentibus caſibus Capellano non peccare lethaliter, nec teneri ad reſtitutionem fructuum. Ita Ludouicus Beya *reſp. caſuum conſcientiæ part. 4. caſu 21.*

An Parochus ob inimicitias poſſit non reſidere?

BRACTEA V.

R. Inimicitias graues eſſe legitimam cauſam, propter quam quis non tenetur reſidere in Parochiam, & eis durantibus cognita veritate poſſe Epiſcopum licentiam concedere, vt in alio viciniori, ac tutiori loco manere poſſit, atque à ſuo beneficio per annum abeſſe: poſito tamen in illo per Epiſcopum idoneo Vicario, ſeu Economo congruenti mercede ex eius fru-

ctibus

ctibus illi assignata. Et ita referunt decisum Galletta in Margarita *casuum conscient. verbo residentia*, Riccius *in praxi fori Ecclesiastici resolut.*645. Armendarius *in addit. ad recopilationem legum* Nauarę *lib.1.tit.8. de Episcopis num.*1828. *praxis Episcoporum part.1. verbo Priuatio* §.4. *dub.*1. vbi etiam aduertit, quod si intra annū inimicitiæ non extinguantur, & Curatus, siuè beneficiatus fuerit in culpa tam causam dando inimicitiarum, quam non extinctionis earundem priuari potest beneficio; si verò inimicitiæ crescant sine Parochi culpa alius annus dari potest. Armendarius *loco citato nu.*134.

An propter Aeris intemperiem possit à Cura abesse?

BRACTEA VI.

R. Propter Aeris intemperiem non posse Parochum etiam non oriundum alibi habitare relicto in Ecclesia Vicario approbato. Ita Menochius, Galleta in suo tractatu de Parochi obligatione tempore pestis, quo tempore obligatur ex lege charitatis, & iustitię residere. Suarez *tom.*4.*disp.*44. *sect.*3. Quia hæc est lex boni Pastoris à Christo omnium Pastorum Principe prescripta, vt quādo salus Gregis hoc postulat, vitam corporalem pro eius spirituali vita exponat.

R. 2. Si Parochus adeò infirmus sit, & in loco Parochiali curare non possit defectu medicorum, &c. potest ab Ordinario ei dari dilatio trium, aut quatuor mensium, vt in locis vicinioribus maneat sanitatis causa; intereà ab ipso Ordinario in Parochiali idoneo Vicario congrua portione ex redditibus Parochialis constituto, referunt *loco citato cap.*2.*num.*149. Armendarius *loco citato num.*132. *praxis Episcoporum p.*1. *verbo residentia* §.7.*&* 9.

Et quid si Parochus esse decrepitus?

BRACTEA VII.

R. Parochum propter decrepitatem nō posse abesse, sed debere residere, & illi esse per Prouicarium idoneum, cum assignatione congruæ portionis, ex ipsius Parochi redditibus, assignandum, quia cum infirmis, & decrepitis est dispensandum, vt eorum Ecclesijs, quę Personalem residentiam requirunt per Vicarios seruiatur; prout definitur in Concilio Tridentino *sess.*23.*de reformat.cap.*1.*num.*130.

R. 2. Quando propter suam imperitiam, & inhabilitatem, non potest Parochus munere sibi iniuncto fungi, dādum esse illi coadiutorem, Ita *cap. Quoniam*, vbi Hostiensis *num.*1. & Abbas *de officio Ordinarij*, Concilium Tridentinum *sess.*21. *cap.*6.*de reform.* Item propter infirmitatem diuturnam, aut incurabilem lepram, senectutem, dementiam, vel furorem *cap.*1.*& toto tit de Clerico egroto in decret. & in* 6. Gonzales super regulam octauam Cancellariæ Gloss. 5.§.9 *nu.*18. Riccius *in praxi resol. par.*2. *resol.*494. *num.*1. Similiter propter Populi numerositatem auctam; Cæsar de Gratijs *decis. vnica de Parochis*, & propter alios casus relatos à Gonzales, & Riccio *loco citato*.

An Parochus non residendo incurrat aliquam pœnam?

BRACTEA VIII.

R. Parochos, vt dicit Concilium Tridentinum *sess* 6.*de reform cap.*2. cogendos esse importunis remedijs, vt resideant, & si ipsi in præsentia citari possunt, esse citandos dato termino idoneo ad redeundum habito respectu ad personas, loca, & tempora. *Cap. inter quatuor de Clericis non residentibus*, priuari quis non debet beneficio, nisi prius monitus ad residentiam. Cardinalis Tuscus *litt. P. concl.*254. *num.*6. & ita priuationem præcedere debet monitio, & deinde pęna censurarum, postea subtractionis fructuum, ita vt per quemlibet terminum pęnę expectetur ad minus per sex menses: aliter non seruata forma à Concilio præscripta, non teneretur sententiæ priuationis, vt fuisse decisum in Rota vna Salamantina die 5. Decembris 1567. coram Illustrissimo Cardinali Seraphino refert *prax. noua Episcoporum part.*2. *cap.*4. *nu.*46. absentes tamen, qui ignorantur vbi sint per edicta tria in illorum Ecclesia fixa, citabuntur. Concilium Tridentinum *sess.*23.*de reform.cap.*1. qui si non venerint, procedetur contra ipsos vsque ad priuationem post terminos elapsos, vt supra.

An Parochus quando est exosus Populo possit compelli, vt permutetur?

BRACTEA IX.

R. Parochum Populo exosum, ita vt graue immineat scandalum, si manebit in Parochia, de qua est prouisus, potest etiam inuitum Episcopus compellere, vt permutet, vel alia via illum exinde amouere. Innocentius *in cap. veniens de renunciat.* Ioannes Andreas *in cap. Quoad gratiam de regulis iuris in* 6. Abbas *in cap.*1.*n.*9. & alij apud Belletum *disquis. Clerical. part.*1. *tit. de disciplina Clericali* §.11. *num.*19.

Quando Parochus obligetur ad applicationem Sacrificij pro Populo?

BRACTEA X.

R. Primo, Sacerdotes quibus incumbit cura animarum teneri per se, vel per alios celebrare singulis saltem diebus, quibus opus est, vt satisfaciant muneri suo, vt habetur in Concilio Tridentino *sess.* 23. *de reform cap,* 14. his verbis Curet Episcopus, vt ij saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, vt muneri suo satisfaciant, Missas celebrent, non viderentur autem muneri suo satisfacere, nisi celebrent per se, vel per alios in singulis diebus festiuis, alij autem non tenentur celebrare, nisi specialem habeant obligationem. Ita Nauar. *in manuali cap.*25.*num.*135. Frater Emanuel *in sum. par. cap.*252. Vasquez 3. *parte disp.*232 *cap.*1.*num.*12. Facundes *in quinque Ecclesiæ præceptis par.*1 *lib.*3.*cap.*15. *num.*8. Homobonus *de examine Eccles. part.*1. *cap.*14. *quæst.*133.

Molphesius *in summa tract.3.cap.14.num.16.* & alij.

R. 2. Non obligari Parochum applicare Sacrificium pro Populo diebus quibus tenetur ex munere celebrare, quia obligatio ad celebrando, & obligatio ad applicandum videntur diuersæ, cum aliquis obligari possit ad celebrationem, quamuis non obligetur ad applicationem; nam nullo iure positiuo, neque beneficii institutione id præcipitur, instituitur enim beneficium curatum ad animas Doctrina, & Sacramentorum administratione pascendas, nisi aliud consuetudo præscribat, cui standum est. Ita Nauar. *cap. 25. num. 92.* Naldus *verbo Parochus, num.18.* Suarez *disp.86.sect.1.* Reginaldus *lib. 23. num.23.* Vasquez *3.par.disp.234.art.6.cap.6.*

R. 3. Parochum obligari ad monendum Populum, vt Missas in Parochia propria frequentet, & administrandum sub præcepto mortali, vt diebus festiuis Missam audiat, cogere tamen non potest, vt Missam audiant in Parochia propria, quia Concilium Tridentinum *sess.22.* vtitur verbo moneant, quo inducit Concilium & non præceptum, prout tenet Cenedo *ad decretales collect* 154. *num.2.* Eman. *in summa tom.1. cap. 249. num. 25. & quæstionum regularium tom. 1. quæst.43. art.7.* Suarez. *tom.3.disp.87.sect.2.* Azorius *par.2. lib. 7.cap.6.* Henriquez *lib.9. de Missa cap.25.§.9.* Reginaldus *in praxi fori pœnitentiæ lib.18 quæst. 3. num. 22.* Zerola *in praxi Episcoporum par. 2. verbo Parochia, & part.1.verbo Missa,* Coninch. *de Sacramento tom.1. qu. 85.num.113.*

Quænam sit congrua pro sustentatione Parochi?

BRACTEA XI.

R. Concilium Tridentinum optimè noscens quæ sunt Parocho necessaria ad eius cōgruam sustētationem taxauit Parochis summā ducatorum centum pro necessarijs eorum alimentis, neque super Parochialium Ecclesiarum fructus, qui non excedunt summam ducatorum centum, reseruari posse pensiones decernit, *sess. 24. cap.13. de reform.* qui ducati debent remanere liberi sine oneribus, & deductis expensis in fructibus colligendis. Gloss. *in cap. grauis verbo fructus de restitutione spoliorum leg.1.* Quod si Parochus non habeat congruam, Parochiales teneri vsque ad congruam sustentationem Parochi, quia si à Parocho ipsis seminantur spiritualia, debent Parochiani illi præbere temporalia. D. Paulus *1. Chorinth. 9. cap. Si Episcopus de officio Ordinarij in 6.* Concil. Trident. *sess.21.cap.7.de reform.*

Quibus expensis reficienda sit Domus Parochi?

BRACTEA XII.

R. Si deducta congrua non supersint redditus Ecclesiæ ad fabricam reparandam, possunt compelli Parochiani, si Ecclesia est Parochialis, cum, & ipsi Parochiani in tali Ecclesia percipiant Sacramenta, & Diuina *cap. quatuor 12. quæst.2. cap. Monachus* Concilium Tridentinum *sess.21.cap.7.§.Parochiales,* Decius *cons.118.* Sarmienta *de redditibus Ecclesiæ part 1. monitione 41. num.5.* Gigas *cons.17.* Gutierez *practicarum quæstionum lib.1. quæst.17.num.14.* Nauar. *de spolijs §.1.num.5.* Fuscus *de visitatione lib.1.cap.10. num.16.* & eo magis Parochiani tenentur ad huiusmodi reparationem, quando de consuetudine id facere soliti sint. Hostiens. *in summa tit. de Ecclesijs ædificandis §.1.* Riccius *in praxi resolutionum par.1. resolut.348.*

R. 2. Parochum teneri ad reparationem Ecclesiæ, quando beneficij bona sustentandæ vitæ supersint, quamuis ad tuendam conditionem, seu statum non sufficiant. *cap.1. vbi Gloss. 10. q.3. cap. de his de Ecclesijs ædificandis.*

Quodnam sit munus Parochi?

BRACTEA XIII.

R. Iuxta Concilium Tridentindm *sess. 5. cap.2. & sess.23.cap.1. de reform. & sect. 24. cap. 7.* primum officium esse in sua Parochia residere, secundum esse Sacramenta ministrare; tertium orare pro Populo, illique Missæ Sacramentum applicare: quartum est docere Populum concionando, & arguendo: quintum, est singulis diebus Dominicis, & festis solemnibus Populum sibi subditum Doctrinæ Christianæ dogmata per se, vel per aliū docere: sextū, est infirmos frequenter inuisere, & pauperum curam habere. Bonacina *disp.6. pun.8. de cura, & amore superiorum, &c. num.4.*

An Parochus etiam cum periculo vitæ teneatur Sacramenta ministrare?

BRACTEA XIV.

R. Etiam cum periculo vitæ teneri ministrare illis Sacramenta. Ratio, quia Parochus obligatur ex iustitia; tum etiam quia bonus Pastor ponit animam pro Ouibus suis; tum etiam, quia tenetur ex officio inquirere, & prospicere necessitati subditorum spirituali, vnde Parochus non potest tempore pestis à suis Parochianis recedere, sed tenetur illis Sacramenta ministrare cum periculo vitæ, nisi alios sufficientes, & idoneos substituerit. Ita Malderus *2.2. quæst. 26. art.5.* Tabiena *verbo Episcopus quæsito 5.* Reginaldus *lib.4.cap.25. num.246.* Valentia *2. 2. disp.3. quæst.4. art.3.* Bannes *2.2. quæst.33. art.3. dub.4.* & alij.

An Parochus teneatur Concionem habere, quando in eo loco adsunt alij Concionatores?

BRACTEA XV.

Affirmatiuam sententiam tenent multi, dum legitimo impedimento non detinetur. Ratio est, quia iure Diuino Parochi tenentur concionari, quo tenentur satisfacere, si nullo rationabili impedimento laborent; sed

R. Excusari ab obligatione prædicandi, quia qui per alium facit per se ipsum facere censetur; tum quia populus nullum patitur detrimētum, & ipsius necessitati satis occurritur alio concionem habente.

R. 2. Parochum toties peccare contra præceptum Diuinum non prædicando, quoties populus grauiter indiget prædicatione. Ratio, quia ex mandato Dei tenetur oues suas verbi Dei prædicatione pascere, ergo maximè tenetur, dum populus grauiter indiget.

An

An Parochus, præcisa necessitate grauiter peccet contra Decretum Concilij Tridentini, quoties singulis Dominicis, alijsq; solemnibus festis non concionatur?

BRACTEA XVI.

R. Grauiter peccare, quando prætermisso vno integro mense continuo, aut etiamsi duobus, vel tribus mensibus anni discontinuis non concionatur. Ratio, quia hæc videtur materia grauis, non solùm secundum se, sed etiam respectiuè. Tum quia Tridentinum *sess.5 cap.2 decernit*, Parochos, si ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint cogendos esse per censuras, & alias pęnas ad hoc munus persoluendum; ergo supponit Concilium spatium trium mensium, esse notabilem, & grauem culpam, cum Ecclesiasticæ censuræ, nonnisi mortaliter peccantibus iniungi soleant, qui verò per mensem circiter non cōcionatur probabiliter excusari potest à peccato mortali, si interpollatè faciat; quia Tridentinum non adeò grauem obligationem imponit. Ita Bonacina *de obseruatione Sabbati disput.5. qu.vnica pun.2.num.31.*

R. 2. Parochos, qui prætermissa concione duobus, vel tribus mensibus rursus alias conciones sine causa prætermittunt, committere nouum peccatum. Ratio est, quia prædictæ omissiones continuantur cum antecedentibus, vnamque grauiorem materiam integrant, quia obligatio concionandi non est affixa diei, ita vt transeat cum ipso die, cum principaliter posita sit ob salutem animarum, & per consequens subsequens omissio concionis potest continuari cum antecedentibus omissionibus, & constituere materiam notabilem. Ita Bonacina *loco citato num.32.*

An Parochus possit audire confessiones suorum subditorum in aliena Diœcesi?

BRACTEA XVII.

R. Parochum posse vbique terrarum suorum subditorum confessiones audire, eosque à peccatis absoluere. Hostiensis *in summa lib.5.tit.de Pœnit.& remissione num.18.§.Cui confitendum*, Henriquez *lib.6.cap.1.§.1.* Toletus *in summa lib.3. cap.13.* Sanchez *de matrimonio lib.3. disput.34 num.2.* Siluester *verbo Confessor 1.quæst.14.* Sotus *in 4.dist.18. quæst.4.art.4* Azorius *par.2.lib.13.cap.12* Molphesius *in summa tract.7.cap.15.num.89.* Coninchus *tom.2.disp.8.num.22.*& alij.

A quo Parochus habeat facultatem?

BRACTEA XVIII.

R. Parochum habere approbationem à iure, quam Episcopus non potest reuocare, licet possit illi eam suspendere. Verùm si aliqua causa dimiserit beneficium curatum, desinit eius potestas, nec potest excipere confessiones absque alia licentia, nec etiam tunc censetur sufficienter idoneus, & approbatus ad audiendas tempore Iubilæi, aut alia occasione confessiones, excepto mortis articulo, quia Concilium Tridentinum *sess.23. cap.15.* illum reputat idoneum, qui beneficium habet Parochiale; sed hic illud non retinet, cum ipsum dimiserit, & per consequens nec eius approbatio durat. Ita Henriquez *lib.7.cap.12.num 3.& 4.* Reginaldus *lib.1.num.190.* Suarez *disp.28.sect.4.num.20.& sect.6.num.125.*

An qui Parocho excommunicato vitando confitetur, quem pœnitens sciebat esse, licet communi errore haberetur pro non excommunicato, validè confiteatur?

BRACTEA XIX.

Sciendum hunc casum dependere à solutione illius difficultatis, qua quæritur, an gesta per excommunicatum occultum fiat valida etiam respectu eorum, qui sciunt impedimentum. Ratio, quia valor hic, est ratio ignorantię, ne probabiliter ignorans, bonaque fide ad existimatum Iudicem accedens frustretur absque sua culpa valore actus, vt constat leg. Barbat. *ff.de off.Pretoris,& cap.Infamis*, sed conscius excommunicationis Iudicis, aut alterius impedimenti, ob quod iurisdictione caret, reus est culpæ, nec impedimentum ignorat; ergo respectu illius gesta sunt inualida, & nulla. Sanchez *loco citato num.40.*

R. 1. valida esse gesta etiam respectu scientium impedimentum. Sanchez *loco cit.num.42.*

R. 2. Pęnitentem, qui scienter confitetur peccata excommunicato vitando absq; iusta causa non esse validè absolutum, quamuis Parochus communiter habeatur pro legitimo Superiore, & non excommunicato. Ratio, quia confitens peccata illi Sacerdoti peccat mortaliter participando in Diuinis absque necessitate, vel alio iusto titulo cum excommunicato vitando consequenter non recipit beneficium absolutionis, eo quod ponat obicem ad ipsam, & ad gratiam per participationem in Diuinis cum excommunicato vitando. Vnde illam absolutionem esse inualidam non respectu iurisdictionis, cum Sacerdos illam habeat per errorem communem cum titulo colorato, sed ratione participationis in Diuinis cum excommunicato vitando, quia sic participando peccat mortaliter, nisi excusetur ratione paruitatis materiæ, vel necessitatis. Sanchez *loco cit.num.46.* Reginaldus *lib.1.num.111.*

Parochus an committat incestum habendo copulam cum propria subdita?

BRACTEA XX.

R. Parochum habentem copulam cum subdita, quam baptizauit committere incestum, ratione cognationis spiritualis consurgentis ratione baptismi. Ita communiter omnes; si verò eam non baptizauit non peccare peccato incestus, licet sit peccatum grauissimum, quia peccat contra proprium officium, eo quod illi specialiter incumbat cura procu-

randæ salutis suorum Parochianorum, & teneatur ex officio Oues sibi subiectas bonis moribus imbuere.

An Parochus possit alieni Parochiani confessiones audire?

BRACTEA XXI.

R. Negatiuè; nisi de consensu expresso, vel tacito Parochi, cui ille est Parochianus, quia ad Sacramentum pęnitentiæ requiritur iurisdictio; Parochus autem non censetur habere iurisdictionem in subditum alterius, nisi de consensu tacito, vel expresso ipsius Parochi, qui consensus tacitus præsumitur etiam esse ex voluntate Papę, Episcopi, & Parochi, cum sciente, & tolerante Parocho consensus præsumatur. Azorius *par.2.lib.3.cap.12.*

An Parochus teneatur confessionem pœnitentis audire, quoties pœnitens vult confiteri?

BRACTEA XXII.

Affirmatiuam sententiam tuentur Nauarrus *cap. Placuit dist.6.num.*151. Sotus *in 3.dist.*18. *quæst.4.art.2.* Henriquez *lib. 6. cap.*27 Sayrus *de pœnitent cap* 13.*nu.*2. Coninchus *de sacramentis disput.* 8. *dub.*17.*num.*127. Azorius *par.2.lib.2.cap.*17 *qu.*10. asserentes Parochum teneri audire confessiones suorum subditorum, non solùm quãdo tenentur confiteri, sed etiam quoties rationabiliter petunt, vel ratione præcepti, aut deuotionis, aut alicuius festi, aut ratione consuetudinis, aut quia habeant aliquod peccatũ graue, quod conscientiam ipsorum aggrauet, cum quo nolint pernoctare. Ratio, quia Parochus tenetur ex officio Sacramenta administrare, & subditorum saluti consulere; ergo tenetur toties eos audire, quoties eorum saluti expedit. Excipitur tamen casus, quo Parochus detinetur negocijs serijs, ita vt pęnitentem audire non posset.

Contrariam sententiam tuẽtur Medina *Cod. de Confess quæst.*34. Ricardus *in 4.dist.*18.*art.2. quæst.2.* Siluester *verbo Confessor* 1.*nu.* 54. Armilla *verbo Absolutio num.*27. Reginaldus *in Praxi lib.* 1. *cap.* 8 *num.* 81. & alij apud Suarez *disp.* 72. *sect.* 1. *num* 3. apud Nugnum *in addit. quæst.*8.*art* 4. *dub* 3. asserentes nõ teneri subditorum confessiones audire, nisi quoties pęnitens tenetur sub mortali confiteri iure Diuino, vt in articulo, aut in periculo mortis, aut iure humano, vt semel in anno, aut quãdo cõfessio est pœnitenti necessaria ad aliquod mortale peccatum præcauendum. His positis.

R. Parochum teneri sub mortali ministrare Sacramentum pęnitentiæ petenti, quoties ipse ex aliquo motiuo rationabili petitio v. g. satisfaciat voto, vel deuotioni, consuetudini, vel etiam petit in periculo mortis, nisi fortè Curatus tunc non possit ob aliquam iustam causam. Ratio, quia pœnitens sicut habet ius petendi, ita etiam Parochus ex iustitia tenetur ministrare Sacramenta, quando pęnitẽs ipsis eget; & in tali casu pęnitens censetur egere; ergo Parochus tenetur administrare, vel per se, vel per alium. Dixi nisi fortè Curatus tunc non possit ob aliquam causam, vel quia serijs detinetur negotijs, aut debet assistere moribundo, vel ferre Sacramentum Eucharistiæ, aut Extremæ vnctionis infirmo; quia tunc excusaretur à peccato, cum occupatus sit in maiori bono.

An Parochus, qui pœnitenti iusta causa confessionem petenti semel, & iterum denegat, peccet mortaliter?

BRACTEA XXIII.

Nugnus *loco citato conclus.* 3. negat Parochum peccare mortaliter, quia hæc videtur materia leuis; sed hæc responsio non placet Bonacinæ *de sacramentis disp.5.quæst.7.pun.4. §. 2. num.*23. ideò

R. Parochum peccare mortaliter, qui pęnitenti petenti confessionem semel, aut iterum denegat, quando pęnitens rationabiliter petit, & Parochus non habet iustam causam se excusandi. Ratio, quia in materia graui facit contra proprium officium.

R. 2. Quando pęnitens importunè petit, & nimis frequenter velit confiteri, quia anxiatur scrupulis non peccare Parochum, qui semel, aut iterum denegat illi Sacramentum Pœnitentiæ. Ita Bonacina *loco cit.*

An ad Parochum spectent oblationes, quæ fiunt à fidelibus?

BRACTEA XXIV.

Sciendum oblationes, aut fieri in aliquo loco regularium, aut alicui imagini depictę in pariete alicuius priuati, aut fieri in Missa, vel extra, imagini depictę in Capella, seu Oratorio existenti intra limites Parochialis Ecclesię, siuè sit Capella, seù Altare in Ecclesia Parochiali, siuè cęmiterio, siuè etiam alibi, intra tamen confinia Parochiæ.

R. 1. Si oblationes fiunt in aliquo loco regularium acquiruntur Religiosis, cuius est locus, & non alijs. *Cap.* 1. *de statu Monachorum. Cap. Nimis* 1. *de excessibus Prælatorum*, Abbas *in cap. Dilectus num* 8. si secundo modo fiunt huiusmodi oblationes, non cedunt Domino parietis, aut loci, sed Ecclesiæ particulari. Abbas *in cap. Pastoralis num.*2. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli; & *in rubr. de Parœchijs num.*2. & alij apud Belletum *disquisitionum Clericalium par.*1.*tit. de bonis Cleric.* §.3.*num.*3.

R. 2. Oblationes factæ alicui Capellæ, seù Imagini existenti intra terminos Parochiæ Ecclesiæ Rectori, seù Parocho debentur. Felinus *in cap. Dilectus*, Socinus *de oblationib. lib.*18.*cap. Quia, cap. Sanctorum, & cap. Hanc* 10.*quæst.*1.*cap. Nulli* 12.*qu.*2. *cap. Ex transmissa de præscriptionibus*, Abbas *in rubr. de Parocho num.*4. Ratio, quia oblationes debentur Parocho. *Cap. Quia, & cap. Sanctorum* 10.*quæst.* 1. nisi appareat relictum esse intuitu ipsius Capellæ, non Ecclesię, ob titulum, vel Sanctum, cuius intentio fierent oblationes. Felinus *in cap. Dilectus nu.*4. Mantica *de coniecturis vltimæ voluntatis lib.*8. *tit.*6.*num.*26 quia Parochus intentionem fundatam super oblationibus, quæ fiunt intra Parochiam.

chiam. *Cap. Quia* 10. *quæst.* 1. *cap. Quoniam de decimis, & cap. Pastoralis*, Abbas *in cap. Dilectus num.* 4.

R. 3. Quando Parochus non habet necessaria, vnde commodè possit viuere, Parochiani tenentur diebus Dominicis, & alijs priuatis festis ad oblationes, quia ipse ministrando spiritualia; tenentur Parochiani ministrare temporalia. Hostiensis *in cap. causam num.* 2. *de verborum signif.* Couarum *lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 17. *num.* 3. D. Thomas 2. 2 *quæst.* 81 *art.* 1. & ibi Caietanus, Ofascus *decis.* 99. *num.* 10. Azorius *par.* 1. *lib.* 7. *cap.* 7 *qu.* 11. Riccius *in Praxi resol. resol.* 509. *num.* 3.

R. 4. Esse Parochi oblationes, quæ fiunt a mulieribus in purificatione post partum. Ita Praxis Archiepiscopalis Neapolitana *in cap.* 72. *num.* 13. Ratio, quia ad solum Parochum spectat purificare mulieres, cum in ea fiat oblatio candelæ in honorē oblationis factæ per MARIAM Virginem turturum, & columbarum. Quod etiam dicendum est de alijs benedictionibus.

R. 5. Parochum habere etiam intentionem fundatam super primitijs in possessorio; cum primitiæ necessariò sint soluendæ. Ita apud Belletum *disquisit. Cler. loco cit. num.* 7.

An Parochus possit cogere suos Parochianos ad oblationes?

BRACTEA XXV.

R. Posse Parochum cogere Parochianos ad oblationes, & ad præstanda sibi necessaria, quando non habet, vnde se alat, non obstando quod operando possit sibi victum quærere. *Cap. Apostolicam* §. *Quapropter*, & ibi Hostiensis *in rubr. de Parochianum*. 2. & ibi Abbas *num.* 3. Rebuffus *in tract. de decimis quæst.* 1. *num.* 24. Crauetta *consil.* 199. *num.* 5. Et in tali casu potest illis subtrahere spiritualia. Abbas *in cap. Ex præsentium num.* 6. & *in cap. Suam num.* 21. *de simonia*, non tamen propria auctoritate potest Parochus subtrahere spiritualia, sed de consensu Superioris. D. Thomas 2. 2. *quæst.* 86 *art.* 1. & ibi Caietanus, Nauarrus *consil.* 2. *de decimis*, Butrius *in rubr. de Parocho*, Ofascus *decis.* 99. Ratio, quia non potest esse Iudex in causa propria. *leg. Qui iurisdictioni ff. de iurisdictione omnium Iudicum*; tum etiam quia videretur spoliare Parochianos.

R. 2. Parochum posse aliquid exigere pro cōcessione licentiæ alibi sepeliēdi cadauer illius, qui decesserat non electa sibi sepultura. Riccius *in Praxi resol. par.* 1. *resol.* 562. *num.* 4. & 5.

R. 3. Pro administratione Sacramenti Baptismatis, vel Eucharistiæ, siuè aliorum Sacramentorum Parochum nihil posse exigere. *Cap. Cum in Ecclesia de simonia, cap. Baptizandi*, nisi voluntariè quid offeratur. *Cap. Placuit* 1. *quæst.* 1. nec pro benedictionibus nuptiarum. Azorius *par.* 3. *lib.* 12. *cap.* 4. *quæst.* 2. Neque pro loco sepulturę per Parochum assignando, & pro exequijs mortuorum; tamen quando sponte aliquid ab hæredibus, siuè coniunctis defuncti datur posse accipi, aut vbi adsit consuetudo dandi aliquid in exequijs mortuorum, aut legitimè appareat de quasi possessione exigendi, potest cogi populus, si non iure actionis, saltem officio Iudicis ad obseruandam honestam, & laudabilem consuetudinem, si qua super ijs fuit. *Cap. Ad Apostolicam*, & ibi Glossa, & Abbas *num.* 3. & 4. Felinus *num.* 2. Hostiensis *num.* 6. & plures citati à Belleto *disquisitionum Cler. par.* 1. *tit. de bonis Cler.* §. 3. *num.* 2. Huiusmodi autem consuetudo inducitur spatio decem annorum. Abbas *in cap. Suam num.* 9. & Felinus *num.* 2. *in cap. Ad Apostolicam*, Couaruu. *lib. variar. resol. cap.* 15. *num.* 3.

An Parochus; qui ad sepulturam admittit excommunicatum denunciatum sit irregularis?

BRACTEA XXVI.

Affirmatiuè respondet Maiolus *lib.* 3. *cap.* 23. & Clemētina 1. *de sepulturis*, negatiuam sententiam tuentur Suarez *disput* 22. *sect.* 5. *num.* 6. Filiucius *tract.* 20. *cap.* 8. *num.* 222. *ad locum citatum Clementinæ*. Respondit Bonacina *de censuris quæst.* 3. *pun.* 7. *num.* 27. nullum ibi haberi sermonem de irregularitate, sed de excōmunicatione, quæ incurritur sepeliendo in loco sacro excommunicatum nominatim denunciatum; quamquam fieri possit, vt hic postea violando excommunicationem per exercitium alicuius ordinis incurrat irregularitatem. Ita Bonacina *loco citato*, cui opinioni ego adhæreo.

An Parochus habeat potestatem ferendi censuras?

BRACTEA XXVII.

R. Negatiuè. Ratio, quia non constat hanc potestatem competere illi iure Diuino, aut humano; tum quia illi non est necessaria, cum non habeat iurisdictionem in foro externo, quamuis Siluester *verbo excommunicatio num.* 1. existimet Parochum habere potestatem ferendi excommunicationem in furto, & rapina, & similibus casibus. Verum hoc est incertum, & contra communem Praxim. Et ita Suarez *disp.* 12. *sect.* 1. *nu.* 3. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 5. Filliucius *tract.* 12. *cap.* 1. *quæsito* 5. *num.* 11. Henriquez *lib.* 14. *cap.* 24. *num.* 3. vbi asserit hanc facultatem fuisse reuocatam per Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 3. camque concessam Episcopis.

R. 2. Parochos posse per consuetudinem, aut præscriptionem acquirere iurisdictionem ferendi censuras in suos subditos, licet etiam possint acquirere potestatem absoluendi ab excommunicatione data ab alio. Ratio desumitur ex natura consuetudinis, per quam sicut obligatio inducitur, ita iurisdictio acquiritur, nō quia ipsa conferat iurisdictionem, sed quia Summus Pontifex illam, mediante consuetudine confert.

An Parochus interdicta sua Ecclesia Parochiali, teneatur adire aliam Ecclesiam non interdictam, vt ibi Sacramentum Baptismi administret?

BRACTEA XXVIII.

R. Negatiuè, quia eius Parochialis Ecclesia quoad hunc effectum non est interdicta. Nam

Nam Cap. Quoniam simpliciter permittitur Baptismus absque vlla restrictione;ergo potest in ea, quamuis interdicta Sacramentum Baptismi administrare. Ita Siluester *verbo interdictum quæsito 7.num.9.*Suarez *tom 5.de Censuris disp.33.* Sayrus *cap.7.num* 4.Henriquez *cap.45.nu.* 3.Filliucius *tract.18.cap.2.num.32.*Coninchus *disp.17.num.* 40. & alij communiter.

An Parochus possit absoluere ab excommunicatione minori, extra confessionem?

BRACTEA XXIX.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia facultas absoluendi ab ista excommunicatione non videtur illi concessa cum limitatione absoluendi in confessione. Ita Suarez *loco citato disp. 24. sect. 4. num.* 4.Vgolinus *cap.12.*Reginaldus *lib. 32. num* 154.

R.2.Etiamsi Parochus non sit Sacerdos, posse absoluere ab excommunicatione minori. Ratio, quia absolutio ab excommunicatione non est actus ordinis Sacerdotalis, sed iurisdictionis, qui competit Parocho,etiamsi non sit Sacerdos.Ita Suarez *loco citato sect.4.num.*4.Vgolinus *cap.4.§.2.*Sayrus *cap.23.num.7.*Filliucius *cap.7.quæst.6.num.140.*Reginaldus *loco citato num.*154. & alij.

An Parochus in illis diebus, in quibus tenetur Missam celebrare, vt Populus eam audiat, possit pro ea manualem eleemosynam recipere?

BRACTEA XXX.

Posse iuxta sententiam illorum, qui dicunt Parochum non teneri ad offerendã Missam pro populo, quia obligatio Parochi ad id nullo iure scripto, nec consuetudine introducta probari potest, nec ex institutione beneficij Parochialis deducitur, quia in hoc tantum deducitur obligatio Parochi ad celebrandã Missam, vt Parochiani eam audiant. Ita Hurtad. *de sacram.disput.4. de sacrif.Missæ difficult.16.*at Sacra Congregatio determinauit contrarium sub die 1 Septembris 1629. sic asserens Missam, quibus diebus tenentur Parochi celebrare, non possunt pro ea eleemosynam manualem accipere; ergo,&c.

An in die Natalis Domini Parochus teneatur tres Missas celebrare?

BRACTEA XXXI.

Affirmatiuam sententiam tenet Henriquez *in summ.4 lib 9.cap.30.num.6.* Negatiuam tuẽtur Nauarrus in manuali *Cap. 21. num.2.& cap.25. num.83.& consiliorum par.1.lib. 3. de celebratione Missarum consil.1.*Siluester *verbo Missa 1.quæst.7.* S.Thom. *3 par.quæst.8. art. 2.* quia sicut Parochiani non tenentur,nisi vnam Missam audire,ita nec Parochus plures celebrare,secluso tamen scandalo, & contemptu: deinde Ecclesia concedit ex priuilegio tres Missas celebrari in die Natiuitatis Domini,nemo igitur tenetur ex obligatione illas celebrare.

Secundò, in nocte Natiuitatis Domini posse ante Auroram Sacerdotes tres Missas celebrare.Vasquez *in 3.par.tom.3.disput.282.cap.3.num.3.*Reginaldus *in praxi tom.2.cap.9 lib 4 nu.134.* Layman *lib.4.tract.5.cap.4.num.2.* Hurtadus *de sacram. disput. 4.de sacrif.Missæ.difficult.4.*Putean.*in 3.par.* D. Thoma *quæst.83 art.2.*Scortia *de sacrif.Missæ lib. 2.cap. 15. num.5.*Ratio,quia *in cap.Noct.sanct. de consecr. dist. 1.* absolutè conceditur, vt nocte Natiuitatis Domini Missæ celebrentur sine distinctione, & sic videtur in praxi, vt post Missam mediæ noctis tres aliæ Missæ celebrentur. Quod verò in rubrica Missalis tria tempora diuersa assignentur pro tribus Missis non obstat, quia id tantũ efficitur pro Missis solemnibus,licet sint plures, qui contrariam sententiam sequuntur citati à Diana *tract.14.de celebrat.Miss.resol.35.*

An Parochus peccet dicendo Missam ante celebrationem officij?

BRACTEA XXXII.

Affirmatiuam sententiam sequuntur Azorius *1. part. lib.10.cap.18.quæsit.19.*Graffius *lib. 2.decis.cap.40.num. 6.*Beia *1.par. cas.54.* Henriquez *lib.9.cap.24.num.7.*Pitigian. *dist.13. quæst.1.art.10,* & alij. Sed

R. Non esse peccatum mortale dicere Missam ante officium. Ratio est, quia non videtur tanta connexio inter officium, & missam,vt conuertens hunc ordinem sit reus læthalis culpę.Tum etiam,quia non est lex obligans ad peccatũ dicentem Missam ante officiũ,matutinum. Ita sentiunt Sot. *dist.13. quæst.22.art.2.*Suar.*disp.82. sect.1.* Coninch. *quæst.83.art 3.dub.4.num.220.* Arragon. *2. 2. quæst.8. num. 1. art.12* Rodriq. *in summa 1. par.cap.249. num 12.* Nald. *verbo Miss.num.8.* Nugnus *quæst.83.art.2.* Petrus Ledesma *de Sacrament. Euchar. cap.23.* Miranda *in manuali Prælator. 1.part. quæst.40.art.12.* & alij. Nec obstare rubricam, in qua asseritur,Missã debere celebrari,&quia secundum Bonacinam *de Sacram.disp. 4. q vlt.p.9. n.7.*vel loquitur de Missis Conuentualibus,pręsertim,quæ persoluuntur à Canonicis, quæ secundum probabilem sententiam, quam sequitur Nugnus *loco cit.* sub mortali non sunt celebrandæ ante matutinum, vel tantum indicat, quæ fieri deceat, vt inquit Coninchus *loco citato.*

An famuli Religiosorum possint sepeliri in Monasterijs ipsorum sine eo, quod ibi eligant sepulturam?

BRACTEA XXXIII.

R. Negatiuè iuxta ius commune,cum in sua Parochia debeant sepeliri, nisi elegerint sepulturam, sed attentis priuilegijs Alexandri Quarti,Carmelitis concesso,& Clemẽtis Quarti Fratribus Minoribus, & Leonis Decimi, minimis, & Pauli Tertij, Societati Iesu possunt in Monasterijs ipsorum Fratrum, etiam Parocho recusante sepeliri; immò Iulius Secundus Fratribus Minoribus concessit, quod famuli domorum

morum sui Ordinis, nec non cæteri eiusdem Ordinis habitum portantes, & articulo mortis in dictis domibus sepulturam eligentes omnibus, & singulis priuilegijs Ordinis Minorum huiusmodi quomodolibet concessis gaudere liberè, & licitè valeant. Rodriquez *tom. 2. qu. regular. qu. 78. art. 2.*

An Parochus tempore Iubilæi possit eligi ad Confessiones audiendas Subditorum alterius Parochiæ?

BRACTEA XXXIV.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia censetur sufficienter approbatus, eo ipso, quod obtinet beneficium Parochiale, cum Tridentin. *sess. 23. cap. 15.* in habente beneficium Parochiale non requirat aliam approbationem. Ita Suar. *disp. 28. sect. 4.*

Sciendum dubium esse an Parochus debeat esse Sacerdos? Ad quod respondeo *in cap. licet Canon. de electionib. in 6.* ex Gregorio Decimo in Concilio Lugdunensi statutum esse, vt is, qui ad Parochialem Ecclesiam promouetur, debeat intrà annum à die sibi commissi regiminis ad Sacerdotium ascendere. Quod si intra illud tempus non ascenderit Ecclesia sibi commissa nulla etiam præmissa monitione priuatus existat. Azor. *institut. moral. par. 2. lib. 6. cap. 8.* Secundò, Parochum, qui in principio anni in animo habuerit ad Sacerdotium intra annum non ascendere, illum non facere fructus beneficij suos, quos percepit toto eo tempore, quo in ea voluntate mansit, *ex cap. commissa de electionibus in 6.* Azor. *loco cit.* Quod si Parochus, qui prius non habuit animum ascendendi ad Sacerdotium, & posteà mutato animo intra annum voluit fieri Sacerdos, si cum à priori voluntate recessit adhuc satis temporis supererat, quo Sacerdotium suscipere posset intra annum, cōputandum ab eo die, quo beneficium adijt, sic incipit fructus lucri facere ab eo die, quo priorem deposuit voluntatem. Gloss. *in cap commissa de electionib. in 6. in verbo mutata*, nam mora interdum sicut, & fraus per pęnitentiam purgatur, si autem non superesset, tunc is totius anni fructus admittit, priores quidem, quia ab initio Sacerdos non fieri constituerat, reliquos verò, quia cum cępit voluntatem mutare iam intra reliquum tempus ad Sacerdotium promoueri non potest, & proinde fraudem pœnitentia, quæ legitima non est, non purgat. Ita Azor. *loco citato.*

An Parochus, qui intrà duos menses non facit fidei professionem faciat fructus suos?

BRACTEA XXXV.

R. Post duos menses elapsos quandiù professionem non miserit, eum fructus minimè lucrari, licet illi prosit fides etiam post duos menses emissa, quoniam ex eo tempore incipit sibi fructus nondum præceptos lucri facere, non tamen quoad retinendos fructus, quos ante professionem factam perceperat. Ita Azor. *loco cit. lib. 9. cap. 2.* An vero post Concilium Tridentinum Parochus possit exponere ad confessiones suorum subditorum audiendas Sacerdotem ab Episcopo non approbatum? Respondeo negatiuè. Ratio est, quia Concil. tantum ponit duos titulos audiendi Confessionem, nimirum approbationem Episcopi, & beneficium Parochiale; ergo qui nondum habuit, confessionem audire non poterit. Et ita Sanctius *in selectis disp. 48. num. 51.* Regius *in resolut. cas. 61.* Facundez *præcep. 2. lib. 4.* Villabos *in summa tom. 1. tract. 9. difficult. 49. num. 9.* & alij plures, licet contrariam opinionem plures sequantur, vt videre est apud Dianam *tract. de Sacram. resolut. 146.*

R. 2. Licet non possit exponere simplicem Sacerdotem, tamen Parochum alterius Parochię potest exponere ad audiendas confessiones suorum subditorum. Ita plures apud Dianam *loco cit.*

An Parochus tempore pestis possit inungere infirmum non digito, sed virga oblunga vt eius contactum fugiat?

BRACTEA XXXVI.

R. Affirmatiuè. Ita Diana, & cum eo plures ab eo citati *tract. 4. de Sacram. Extrem. Unct.* peracta Vnctione virgam huiusmodi purgabit, ac in similem vsum seruabit si aurea, vel argentea sit propter reuerentiam Sacramenti, vel igne comburatur si sit lignea. Ita Diana referens Siluium *loco citato.* An Parochus tempore pestis Sacramentum extremæ Vnctionis, vel Eucharistię infirmo ministrare teneatur? Respondeo si adsit periculum probabile alicuius infectionis negatiuè, modo autem supradicto muniendo se perieruatiuis si non adsit probabile periculum tenetur. Ita Layman *in Theolog. moral. lib. 5. tract. 8. cap. 7. num. 3.* vbi sic ait Sacerdos qui non est proprius Pastor si absente Parocho licitè, ac facilè ministrare possit hoc Sacramentum Extremæ Vnctionis, &c. in casu necessitatis ad id ex charitatis lege obligatur, quamuis non obligatione graui, sed solum culpa veniali, excepto si infirmus grauiter indigere videatur. Secundò, in casu necessitatis si Pastor adsit, vel non possit; aut nollet Sacramentum infirmo ministrare, tunc inferiorem Sacerdotem posse renitente Parocho hoc officium facere, nam in tali casu Summus Pontifex licentiam illi præbere censetur. Ita Henriquez *lib. 3. cap. 13. num. 4.* Caiet. *verbo excommunicatio cap. 64.* Armilla *eodem verbo num. 49.* & alij, quos citat Layman *loco citato cap. 6. num. 2.* cum periculo vitę Parochum teneri amministrare suis subditis tempore pestis Sacramentum Pœnitentiæ. Ratio, quia tale Sacramentum est necessarium ad salutem, & tenetur Parochus illud ex officio administrare, Ita Molphes. *in sum. tom. 1. tract. 4. cap. 5. num. 52.*



An

An Parochus, qui ex auditis in Confessione expertus est inpollutiones consentire, teneatur deserere tale officium?

BRACTEA XXXVII.

NEgatiuam sententiam sequitur Castropallaus *in opere morali tom.1.tract.2.disp.2.pun.9.§.3. num.11.* vbi ait Parochum non esse obligatum deserere officiũ,& si experiatur voluntariè pollui desumpta occasione ex auditis in confessione; sufficit enim si proponat amplius non consentire? Ad quod

R. Si Parochus multoties proposuerit non consentire pollutionibus, &c. quas ex auditis in confessionibus expertus est, esse obligatum deserere officium audiendi confessionem, si multoties, vt dictum est, etiam elicito proposito non cõsentiendi experiatur volũtariè pollui, & cõsentire occasione desũpta ab ipsa. Ratio est, quia ob nullam rem potest quis se exponere formali, & probabili periculo peccandi, nam qui amat periculum peribit in illo. Ita Lessius *lib.4.cap.3.dub.14.num.8.* Megala *in 1 par.lib. 4. cap. 4. num.6.* Villabos *in sum.tom.2. tract.40. difficul.16. num.5.* & alij. Secus vero si multoties expertus sit supposito proposito non consentiendi, non consensisse, nec voluntariè pollutum fuisse, & sub hac ratione existimo veram sententiam Castropallai *loco cit.*

An Parocho debeantur oblationes?

BRACTEA XXXVIII.

SCiendum nomen Oblationis generaliter sumptum, importare omnes actiones per quas quæcunque ad Diuinum cultum exhibentur, vt explicat Sotus *de iustitia lib.9. quæst.3. art.1.* & ita in verbo *Oblatio*, sic accepto decimę, & primitiæ continentur, vt aduertit Siluester *in summa verbo Decima*; strictè tamen, & propriè oblationes dicuntur res illæ, quæ intuitu Religionis immediatè Deo ab hominibus absque immolatione exhibentur, vt scilicet, vel in vsũ Ministrorum cedant; & sic oblationum appellationũ nõie cõtineri quidqd fidelis offert Deo & Ecclesiæ, siue sint res mobiles, siue immobiles, nec refert testamento tegentur, vel aliter donentur. *Cap.qui oblationes. Cap.Clerici 13.quæst.2.* Azorius *institut. moral. part.1. lib.7. cap.27. quæst.8.* cum igitur aliquid homini datur, dicitur donatio, sed facta Deo, & Ecclesię donatio in iure dicitur oblatio.

Sciendum 2. Oblationum vsum antiquissimum esse; cępit autem tempore Caim, & Abel, vel secundum alios tempore Noè, *in Genesi 4.* vbi dicitur *Noè ædificauit Altare Domino tollens de cunctis pecoribus, & volucribus Mundi, & obtulit illa in holocausta super Altare, & in lib. numeri cap. 6.* habetur quod Principes Israel obtulerunt munera coram Domino, &c. & in lege gratiæ dum pariter in Altari, vel in Ecclesia tempore missæ panis, oleum, vinum, mel, cera, & alia huiusmodi offerri consueuerunt, antiquissimus quoque vsus existit, vt constat ex Canonibus sextæ Synodi, & in Canon. 28. Trulano declaratur, qua ratione possint fructus aliqui offerri. Suarez *de religione tom.1.lib.1.de Diuino cultu cap.4.num.2.* declarat Canonem quinquagesimum septimum vbi dicitur non opportere afferre lac, & mel, quod Suarez cautum putat propter aliquas superstitiones, quæ ex oblatione mellis, & lactis introducerentur. Quibus positis.

R. Oblationes quæ in vsus Ministrorum reponuntur sunt de iure Parochiali. *Cap. Quia Sacerdotes 13. Cap.Sanctorum 14. 10. quæst. 1.* quia illis propter Sacramentorum administrationem sũt debitę. Hostiensis *in sum.tit.de Parochis num.3.* Ioannes Andreas *in cap. cum quis num. 3. de prębendis lib.6.*

Sciendum 3. quod vt oblatio verè dicatur oblatio, & sic Deo accepta tria requiruntur: Primùm, vt offerens sit Christianus, quia Ecclesia ab Infidelibus non recipit oblationem, nisi fortè damnum passa sit ab eisdem: Secundo requiritur, vt offeratur Ecclesiæ, nam quod priuatæ personæ offertur, non est propriè oblatio, sed donatio, aut eleemosyna, etiamsi Ecclesiasticæ personæ donetur: Tertiò, vt res oblata sit licitè, & honestè acquisita, illicitè autem intelligitur acquisitum quidquid ex furto, vsuris, vel alio illicito exercitio, aut ex meretricio est acquisitum, nam Ecclesiastici 28. legitur *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis*; ideò Gloss. *verbo Dona in cap.2. dist.90.* septem enumerat personarum genera, quibus prohibitum est oblationes offerre; primum decidentium fratrum; secundum, pauperes opprimẽtium; tertium, sacrilegorum; quartum, extrahentium seruos ab Ecclesia, ad quam confugerant; quintum, raptorum; sextum, vsurariorum; septimum, pœnitentium.

An vbi oblationes de more soluuntur voluntarię sint, an potius necessariò præstandæ?

BRACTEA XXXIX.

R. Esse necessariò soluendas. Ratio est, quia consuetudo vim habet legis, & Laici possunt compelli ad seruandam legem.

Sciendum oblationes non deberi ex præcepto, nisi in quatuor casibus subsequentibus: Primus est, cum debentur per modum census, pensionis, aut conuentionis antea factæ cum Ecclesia; Angelus *in sum.verbo Oblatio num. 1.* Secundus, cum debentur ex testamento, legato, donatione, voto, &c. Tertiùs, quando ministri Ecclesiæ non habent cõgruam sustentationem: Quartus, cum alicubi oblationes consuetudine sunt introductæ; nam vbi extaret, quod in quibusdam festiuitatibus Parochiani soliti sint certas facere oblationes illis neglectis, aut non præstitis possunt per Superiorem cogi ad illam consuetudinem seruandam, & videtur dici de consuetudine per decem annos recepta. Ita Nauarrus *in manuali cap.12.num.19.* Azorius *part.1. lib.7.cap.7.qu.11.* & alij.

Sciendum 2. Quod sicut Laici compelli possunt ad seruandam laudabilem cõsuetudinem, ita etiam ipsi Clerici tenentur ad obseruãtiam laudabilis consuetudinis præscriptæ ad aliquid faciendum, & quamuis ex laudabili consuetudine possit recipi aliquid pro spiritualibus administrandis, illud tamen peti non potest ante quam administrentur, nõ obstante consuetudine,

ne. Ita Abbas *cap. Abolenda num. 7. de sepulturis,* Hostiensis *in cap. ad Apostolicam num. 5. & 6.* quia in se habet speciem mali, à quo est abstinendum *cap. Cum ab omni de vita, & honest. Clericor.*

Sciendum 3. dubium esse, an oblationes iure naturali debeantur? Ad quod respondeo si Ecclesiæ, vel Ecclesiarum Rectores indigeant iure naturali deberi: si secus, minimè, & iure naturali offerri tantum debet, quantum Ecclesię necessarium est ad sustentationem, vel Rectoris indigentiam subleuandam, & ad declarandum, Deum esse Summum omnium rerum Dominum.

Cuius sint oblationes, quæ fiunt quotidie alicui imagini?

BRACTEA XL.

R. Cum distinctione, aut huiusmodi oblationes fiunt in aliquo loco regularium, aut fiunt alicui imagini depictæ in pariete alicuius priuati, aut fiunt in Missa, vel extra imagini depictæ in Capella, seù Oratorio existenti intra limites Parochiales Ecclesiæ, siuè sit Capella, seù Altare in Ecclesia Parochiali, siuè Cęmiterio, siuè etiam alibi, intrà tamen confinia Parochiæ: Primo modo acquiruntur illis Religiosis, non alijs. *Cap. 1. de statu Monachorum, cap. Nimis 1. de excessibus Prelatorum,* Abbas *in cap. Dilectus num 4.* Secundò modo huiusmodi oblationes non cedunt domui priuatæ, sed Ecclesiæ Parochiali. Abbas *in cap. Pastoralis num. 2. de his, quæ fiunt à Prelatis sine consensu Capituli, & in rubrica de Parochis num. 2.* licet aliqui teneant, huiusmodi oblationes applicari illi loco priuato, non vt priuato, sed Deo per illam imaginem repræsentato; & ita Felinus *in cap. Dilectus num. 1.* Angelus *in sua dispu.* incipiente *In refulgenti deliciarum Palatio;* quod tamen intelligendum est de loco priuato, in quo aperiuntur miracula, & vel magna mouetur deuotio, cum maximo concursu Populi, & concurrunt oblationes notabilis quantitatis, & valoris, vt factum fuit apud Ecclesiam B. Mariæ Montis-Regalis, & apud Capellam B. Virginis, vulgò dictam del Pilone, propè Ciuitatem Taurinensem, & nunc temporis apud Capellam B. Virginis intrà Ciuitatem Cheriensem, vbi ob maximum concursum populorum maximæ oblationes auri, & argenti, & gemmarum fuerunt à fidelibus factę. Ita Thesaurus *fori Ecclesiastici cap. 28. num. 27. & 30.* Tertio modo, oblationes indistinctè cedunt, & acquiruntur Rectori Parochialis Ecclesiæ. *Cap. Quia, cap. Sanctorum, cap. nullis 12. qu. 2. cap. ex transmissa de prescriptionibus,* Abbas *in rubrica de Parochys num. 4.* & alij. Ratio est, quia oblationes debentur Parocho iure Parochiæ. *Cap. quia, & cap. Sanctorum 10. quest. 1.* nisi ex coniecturis aliud constare possit, veluti si in ipso altari esset imago, vel titulus alicuius Sancti, cuius intuitu fierent oblationes debetur Rectori ipsius Altaris. Felinus *in cap. Dilectus num. 4.* Mantica *de coniecturis vltimę voluntatis lib. 4. tit. 6. num. 16.* tum etiam, quia Parochus habet fundatam intentionem super oblationibus, quæ fiunt intra Parochiam. *Cap. quia 18. quest. 1. Cap. Quoniam de decimis, & cap. Pastoralis de his, quę fiunt à Prelatis,* Abbas *in cap. Dilectus num. 4.* sicut etiam Parochus habet intentionem fundatam super primitijs in possessorio, cum primitiæ necessariò sint soluendæ. Abbas *in cap. 1. de decimis,* Riccius *in prax. resolut. part. 1. resolut. 508.*

Sciendum, quod licet Parochiani non teneantur Dominicis, & alijs diebus festis aliquid offerre Parocho in templo inter audiendum Missæ Sacrificium. Abbas *in rubrica de Parochys,* Siluester *verbo Oblatio,* Azorius *part. 1. lib. 7. cap. 7. quest. 11.* Veruntamen dicuntur teneri in præcipuis festiuitatibus, vt in Dominicis diebus, & alijs primarijs festis ad oblationes Clericis ministrantibus spiritalia exhibendas, quando Parochus non habet vnde sustentetur. Hostien. *in cap. causam num. 2. de verborum signif. & in rubrica de Parochys num. 1. & 2.* Couaruu. *lib. 1. variar. resolut. cap. 17. num. 3.* D. Thomas *2. 2. quest. 85.* & ibi Caiet. *art. 1.* Rebuffus *in tract. de decim. quest. 1.* Riccius *in praxi resolut. part. 1. resolut. 504. num. 3.*

Sciendum esse, etiam Parochi oblationes, quæ fiunt à mulieribus in purificatione post partum; *praxis Archiepiscopalis Neapolitana cap. 72. num. 13.* licet purificatio post partum non sit actus necessitatis, sed deuotionis ad solum Parochum, non ad alios spectat purificare mulieres, cum in hoc actu fiat oblatio candelæ in honorem oblationis factę per Beatissimam Virginem Mariam turturum, & columbarum; quod idem dicendum est de benedictione domorum, & ouorum, in qua non possunt se ingerere regulares. Ita *praxis Neapolit. loco cit. n. 13.* Sayrus *thesau. casuum conscientia de censuris lib. 4. cap. 16. num. 15.* & vt suprà dictum est Parochus potest cogere eosdem Parochianos ad oblationes, & ad præstanda sibi necessaria, quando nō habet vnde se alat non obstante, quod possit laborando sibi victum acquirere. *Cap. ad Apostolicam §. quapropter,* Couar. *loco citato cap. 17. num. 3.* Rebuf. *in tract. de decimis quest. 1. num. 24.* Craueta *consil. 199. num. 5.* & in tali casu potest illis subtrahere spiritualia, non tamen propria auctoritate, sed per superiorem ipsius Parochi. D. Th. *2. 2. quest. 86. art. 1.* Caiet. ibi Nauar. *cons. 2 de decimis,* Couar. *loco citato cap. 17. num. 3. Praxis Archiep. Neapol. cap. 76.* Neque potest propria auctoritate Parochus denegare Sacramenta Parochiano non soluenti decimas, siue primitias, quia nemo debet esse Iudex in causa ppria *l. cui iurisd. ff. de iurisd. omn. Iudic.*, tum quia Parochus videretur spoliare Parochianos. Tertiò licitum etiam esse Clericis pro exequijs oblationes recipere, si ei sumptus desint.

Ad quem spectent oblationes, quæ fiunt tempore Iubilæi?

BRACTEA XLI.

R. Oblationes, quæ fiunt tempore Iubilæi, vel anno Sancto in Ecclesia Cathedrali spectare ad Archipræsbyterum eiusdem Ecclesiæ. Ratio est, quia cum Archipręsbiter habeat curam animarum, & Sacramentorum administrationem, habet per consequens de iure communi fundatam intentionem in omnibus oblationibus, idque priuatiuè ad Episcopum. Et ita Abbas *in cap. Quoniam notab. 1. decimis* Maluetius *de oblat. dub. 4. num. 401.* Aloysius Riccius *resolut. 296.* & alij.

Sciendum

Sciendum, quod nomine oblationis ea omnia, quæ offeruntur Ecclesiæ quocunque modo in Missa, vel extrà; & in Ecclesia, vel extrà, vt quę portantur ad Capellam in festiuitatibus Sanctorum, seu ad domum Sacerdotis eiusdem Ecclesię intuitu defunctorum, & quę ante Crucem, & quæ pro desponsatis dantur, & lampades cum oleo, quæ Ecclesiæ ab aliquibus offeruntur, quęue dantùr Nuntio, qui ad recipiēda talia per Parochiā destinatur, & ea, quę offerūtur pmissis defunctorū, & quæ pro septimis, tricesimis, & anniuersarijs panes, & alia, quæ intrà hebdomadam offeruntur, & mortuorum iudicia, de quibus omnibus *in cap. cum inter de verb. signific.* Abbas *in cap. causa num. 2.*

Quod si Episcopus celebraret in Parochia tunc oblationes essent Episcopi, Hostiensis *in sum. in tit. de Parochijs §. in quibus*, quia non solum Episcopus dicitur Rector Parochialis. *Cap. Appstoliet de donat. Cap. Episcop. dist. 96.* sed etiam appellatur Parochus totius Diœcesis, quia tota Diœcesis dicitur Parochia Episcopi, secus autem si celebraret in loco exempto, quia tunc ei debentur ad quem spectant iura Parochialia Felinus *in cap. Dilectus num. 1.* oblationes tamen factæ Sacerdoti celebranti in aliena Parochia cedunt Parocho illius Parochiæ. Abbas *in cap. Pastoralis num. 2. de his quę fiunt à Prælato sine consensu, &c.* Felinus *in Cap. Dilect. n. 1.* quia Parochus habet intētionem fundatam super omnibus oblationibus contingentibus intra limites suæ Parochiæ, & ad eum spectant, Episcopo solum debentur oblationes, quando Sacrę imagines reperiuntur extra omnem Parochiam. Abbas *in cap. quoniam num. 1. de decimis.*

An Parocho debeantur primitiæ?

BRACTEA XLII.

Sciendum, quod primitiæ dicuntur quasi primi fructus terræ, eo anno collecti, qui Deo, & Ecclesiæ offeruntur in recognitionem Diuini beneficij quo iucundissimos terræ fructus suscipimus, & Deo tanquam Creatori, & datori illorum rependuntur, quasi damus Domino, quod ab eo accepimus; & ideò merito primum, & optimum damus horum bonorum primo, & optimo auctori, de his primitijs loquitur *Exodus cap. 20. decimas, & primitias non retardabis reddere, & cap. 23. Primitias frugum terrę tuæ deferes in domum Dei tui, &c.*

Sciendum 2. dubium esse, quo iure debeantur decimæ? Ad quod respondeo primò, deberi iure communi; & ita Hostiensis, & Abbas *in cap. Decimam, & in rubrica de decimis*; nam *in cap. decimas 16. quęst. 7* Gregorius Septimus oportet, inquit, congruentius nos decimas, & primitias, quas iure Sacerdotum esse sancimus ab omni Populo accipere, quos fideles Domino præcipiente offerunt, iuxtà vaticinium, Malachiæ *Inferte omnem Decimationem in horreum meum*; Secundò non modo iure communi, sed etiam iure Diuino scripto olim fuisse debitas, siquidem Malachię 3. *cap. Cum quęritur Deus do Iudæis*, & quod decimas, & primitias non soluerent; at verò vsu, & consuetudine primitiæ sunt ex magna parte sublatæ, & lex de illis soluendis ferè vbique antiquata, & vbi huiusmodi lex extat, minimè primitiæ soluuntur, nisi à Clericis petantur. An verò debeantur primitiæ iure naturali? Respondeo cum S. Thoma 2. 2. *quæst. 86. art. 4.* partim naturali, partim canonico iure deberi, quemadmodum enim decima iure naturali debetur, ac soluitur quando necessaria est ad commodum Parochi victum, vel ad profitendum supremum Dei in res omnes dominatum, & imperium; Secus verò non naturali sed Pontificio iure debentur; sic etiam primitiæ, quatenus sunt ad vsum sacrum, & honorem, ac cultum Diuinum naturali iure soluuntur; secus verò iure tantum Pontificio. Quibus positis.

R. Primitias solui debere, vbi viget consuetudo illas persoluēdi, & ad earum solutionem quemlibet teneri. *Cap. Dectos, & cap. Reuertimini 16. quęst. 1. cap. 1. & cap. Tua nobis*, & pro ipsarum primitiarum perceptione potest Ecclesia conuenire, & cogere possessores prædiorum, & rerum, pro quibus primitiæ soluuntur siuè suo, siuè alieno nomine possideant, aut colant. *Cap. Si quis Laicus 16. quęst. 1.* Glossa *in cap. Tua nobis*, Innocentius *in cap. A nobis de decimis*, Abbas *in cap. Cum sint num. 6.* solui autem debent primitiæ illi Parochiæ, in qua prædia existunt, si consuetudo non sit in contrarium. Et ita Rebuffus *de decimis quæst. 2. nu. 16.* Azorius *cap. 28 quęst. 7* Rebeya *respons. casuum conscientiæ quęst 1. casu 52.* Facundes *in quinque Ecclesię precepta precep. 5. lib. 4. cap. 2. num. 4.* & alij.

Sciendum 3 dubium esse an Dominus agri, an verò conductor primitias soluere teneatur. Ad quod respōdeo cum distinctione, quia si loquimur de conductore, qui conducit agrum certa pecunia, siuè certis mensuris grani, ita vt ad ipsum spectent omnes fructus, & tunc Dominus non tenetur ex hac pensione aliquas primitias soluere, aut Dominus percipit certam putam portionem fructuum non ratione locationis, sed ratione tributi siuè census, & tunc tenetur ipse Dominus de hac portione. Aut cōuentionem fecit Dominus cum Colono, vt quilibet habeat dimidiam partem fructuum, tunc vterque tenetur pro sua parte; & ita dicitur de Colonis partiarijs, prout de decimis distinguit Glossa *in cap quęst. quęst. 1.* Textus *in cap. Tua nobis*, Thesaurus *fori Ecclesiastici cap. 27 num 59.* & alij.

Sciendum 4. dubium etiam esse an sit definita quantitas primitiarum. Innocentius, & Panormitanus aiunt arbitrio offerentium esse relictam, Hostiensis verò & alij dicunt, vt maior pars primitiarum esset quadragesima, & minor sessagesima, intra quadragesimam verò, & sexagesimam arbitrio offerētis partem primitiarum solui de fructibus terrę, de animalibus autem debetur tantum primogenitura, quamuis alij dicant, quod de ducentis daretur vnum, & qui tot animalia non habebat, dabat æstimationem pro pretio, alijquod è centesimo numero daretur vnum, sed in hoc nihil sit determinatum iure standum est consuetudini, & vbique ea persoluenda est, quæ vsu, & consuetudine præstatur.

An decimæ debeantur Parochis?

BRACTEA XLVI.

Sciendum nomine decimarum intelligi omnium bonorum mobilium, siue fructuum, siuè quæsitorum partem decimam, quę Ecclesiarum ministris ratione ministerij sacramentorum

rum persoluuntur; & ideò decima definiri solet vt sit omnium bonorum, licitè quæsitorum quota pars Deo, eiusque ministris Diuina institutione, humana verò constitutione, dictante etiam naturali ratione debita; & ideo secundum Thurrecrematam *in cap. Conuertimini num. 7.* Sotum *de iustitia lib. 6. quæst. 3. art. 6.* Couarru. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 2.* Rebuffum *de decimis quæst. 4. nu. 8.* vel secundum alios vt sit decima pars fructuum, ad quam petendam ius competit Ecclesijs Parochialibus, ratione ministerij sacramentorum.

Sciendum 2. quod decimæ duplici modo cõsiderantur, vel respectu congruæ sustentationis, vel rursus habito respectu ad quotam, seù partem, quæ de rebus acquisitis soluenda est. Meminit huius diuisionis S. Thomas *2. 2. quæst. 83. art. 1. in corpore*, Sotus *loco citato quæst. 4. art. 1.* Couarru. *loco citato cap. 17. num. 2.* & si decimæ priori modo considerantur non solùm iure humano, sed etiam Diuino positiuo, & naturali debitæ sunt. Ratio est, quia lex naturalis iustitiæ dictat, & Deus iubet, vt laborantibus & spiritualia Ecclesiæ ministrantibus necessaria vitæ sustentatio considerata personarum qualitate præbeatur, etiamsi ministri Ecclesiæ aliunde v. g. ex patrimonio, artificio, &c. se alere possint, quia non datur illis stipendium ex mera misericordia tamquam pauperibus, sed ex iustitia tamquam merentibus, si verò decimæ secundo modo considerentur, idest secundum determinationem, seù aliquotam, aut partem, quæ de rebus acquisitis soluenda est, solummodo iure humano debitæ sunt, vt patet ex textu *in cap. Parochia nos, & in cap. In quibusdam §. ille quippè*; & ita Hugo de S. Victore *lib. 1. de sacram. par. 11. cap. 4.* S. Thomas *2. 2. quæst. 87. art. 1.* S. Antoninus *par. 2. tit. 4. cap. 3. § 5.* Hericus *quodlib. 4. qu. 28.* Adrianus *quodlib. 5. art. 1.* Sotus *lib. 9. de iustitia quæst. 2. art. 1. conclus. 3.* Astensis *par. 2. sum. lib. 6. tit. 35. rubrica de decimis*, Henriquez *in sum. lib. 7. cap. 27. §. 1.* Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 23. quæst. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 39. dub. 1.* Valentia *tom. 3. disput. 6. quæst. 5. pun. 1.* Suarez *de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 1. cap. 10.* Couarru. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 2.* Nauarrus *in manuali cap. 21. num. 28.* Gutieres *lib. 2. canon. quæst. cap. 21. num. 9.* & alij. Et quod iure naturali decimæ bonorum non debeantur, ex eo manifestum est, quia lex, & ratio naturalis supposita etiam fide Diuina plus non exigit, quam vt spiritualia officia ministrantibus sufficiens, & congrua sustentatio præbeatur; quare antè legem Mosaicam nulla extabat lex decimarũ. Quod autem decima iubeatur dari in lege veteri, illa quidem non obligat, siuè aliquo modo decima censeatur ad legem cęremonialem pertinere, siuè vt verum est reuera iudicialem legem in decima consideremus, prout considerat S. Thomas *2. 2. quæst. 77. art. 1. in corpore*, Archidiaconus *in cap. Decimę num. 3. &c.* & quod leges illæ tam cęremoniales, quam iudiciales Euangelica lege cessarunt, & vim legis amiserunt Doctores communiter tradunt, & ideò Christianos ex vi legis Mosaicæ non obligari ad soluendas decimas, sed solùm Ecclesiastica lege; ea verò antiquissima, & Apostolica ad hæc vsque tempora cum Christiani populi approbatione deriuata.

Sciendum 3. quod postquam lex Ecclesiastica de decimis iusta ratione lata, & populi approbatione confirmata est contra iustitiam peccare, & quodammodo erga Deum sacrilegum esse, qui decimas defraudat; sicuti habetur expressè *in cap. Decimas 1. causa 16. quæst. 7.* & docent Caietan. *verbo Decimę*, Rebuffus *tract. de decimis qu. vlt.* Ratio est, quia decimæ tamquam iustum stipendium Ecclesiastico pręcepto Clericis deputatæ sunt ratione spiritualium officiorum, quæ pro salute fidelium Deo exhibent; quare decimarum solutio non tantum iustitiæ actus est, sed etiam ad Dei cultum pertinet, quia à Deo in ministris suis consecratæ sunt, consequenter earum defraudatio, non tantum iniuriam continet aduersus homines, sed quodammodo aduersus Deum.

Sciendum 4. decimas in triplici constitui differentia quasdam esse prædiales, seù reales, quę sunt illæ, quæ ex fructibus prædiorum colliguntur quasdam personales, vt sunt illæ, quæ nomine personæ, v. g. ex lucro humana industria quæsito comparantur: aliç denique mistæ arbitrantur, vt sunt illæ, quę ex fructibus pecorum percipiuntur eo quod partim ratione loci, in quo pascunt, partim ratione personæ cuius industria custodiuntur, quales sunt fœtus pecorum, bouorum, &c. & eorum fructus, vt caseus, lac, butyrum, lana, pellis, &c. quæ decimas dicitur mixta, quia fructus partim ex industria personæ, partim ex ipsis quodammodo prædijs spontè proueniunt; nam in pascendis, & nutriendis animantibus requiritur hominis cura, diligentia, & industria, qua animantes custodiuntur, & prædia itidem in quibus pascuntur, nutriuntur, & viuunt. Quibus positis.

R. Decimas personales spectato iure communi præstari debere propriæ Ecclesiæ Parochiali, ad quam quisque fidelium pertinet, vt in ea officia Diuina audire, & sacramenta percipere teneatur; & ita S. Thomas *2. 2. quæst. 83. art. 3.* & habetur *in cap. Ad Apostolicę de decimis, & cap. vlt. de beneficijs*; decimas verò prædiales spectato iure communi, vel saltem Ecclesiarum recepta cõsuetudine soluendas esse Ecclesiæ Parochiali, intra cuius terminos prædia sita sunt. Ita habetur *in cap. vlt. de restitut. spoliator. in 6.* & colligitur *ex cap. Si quis Laicus 17. quæst. 1. cap. vlt. de Parochijs, cap. Quoniam, cap. Cum contingat, cap. Cum in tua de decimis.* Ratio est, quia cum crescente multitudine fidelium ad confusionem vitandam necesse esset Parochias diuidere, oportuit etiam singulis fines, ac terminos suos terrarum designare, ex quibus pro Parochi, & cooperatorũ eius sustentatione certi decimarum redditus prouenient, sicuti colligitur *ex cap. licet 16. quæst. 3. cap. Super eo de Parochijs*, & Concil. Trident. *sess. 14. cap. 9. de reformat. & sess. 24. cap. 13.* & sicut obligatio decimarum personalium inhęret personæ, ideòq; ratione eius debentur Parochiæ, ad quam illæ spectant, ita ea obligatio decimarum prædialium inhæret prædijs, quatenus frugifera sunt, ideoque ratione eorum debentur Parochiæ, intra quam prædia sita sunt.

Sciendum 5. quod decima duobus modis cõsiderari potest: primò pro iure ipso percipiendi fructus decimarum: secundò pro perceptione fructuum, qui decimarum nomine capiuntur. Meminit huius diuisionis S. Thomas *2. 2. quæst. 83. art. 3.* inter quos modos illud est discrimen, quia si priori modo considerentur ius illud, est ius speciale independenter. Ratio est, quia cum cõpetat propter ministerium spirituale, ab eodemque

demque ministerio dependeat meritò, veluti quoddā accessorium eidem ministerio, ius spirituale dependenter appellabitur; nō sic dicendum de perceptione fructuum, quæ quidem res temporalis est, eo quod in rebus temporalibus consistit, quas res constat ad hominis alimonium ordinari: decimam priori modo consideratam post diuisionem Parochiarum adeò solis Parochis competere, vt nullus alius illam habere possit. Ratio est, quia solùm competit his, qui ad populi soluentis salutem spiritualia, ex obligatione officij ministrant, & soli Parochi hoc efficiunt ministerium. Ita Sotus *lib. 9. de iust. qu. 4 art. 3.* Suar. *de penit. par. 2. disp. 32 sect. 1.* Decimam verò secundo modo consideratam, idest quatenus importat perceptionē ipsorū fructuū iure communi spectare solùm ad illum, qui iùs percipiendi ipsos habet; & ita textus *in cap. vlt. Cū contingat de Parochijs, & in c. Cū cōtingat de decimis,* S. Thom. 2. 2. *quæst. 87. art. 3.* Siluester *verbo decima 24.* Couaruu. *lib. 1. var. cap. 17. n. 7.* Rebuff. *de decimis qu. 4. n. 4.* Gonzales *ad reg. 8. Cancellar. gloss. 5. n. 75* Ratio primæ partis est, quia Parochus de iure communi habet fundatam intentionem respectu omnium decimarum intra suæ Parochiæ limites existentium; & ita Riccius *in praxi par. 4. resol. 244. num. 1.* quæ iuris assistentia suffragatur, nec dum ipsis Parochis, verùm etiam alijs, quos idem ad participandum de decimis admittunt, quæ quidem assistentia prodest Parochis in petitorio, vt non teneātur aliter probare decimas sibi competere, sed contrarium asserenti incumbat onus probandi, cum habeat contra se iuris assistentiam. Rebuffus *de congrua potest. num. 10.* Marescotus *var. resolut. lib. 2. cap. 12. nu. 24* non suffragatur tamen ad effectum obtinendi manutentionem, quæ ex sola iuris communis assistentia non datur, nisi in iurisdictionalibus iuxta opinionem, quam hodie Rota seruat, quidquid alias tenuerit, vt notauit Ferentilus *in annotat. ad decis. 219.* Burati.

R. 2. Decimas prædiales inferendas esse Ecclesiæ Parochiali, si ea proprios, & à matrice Ecclesia distinctos limites habeat Episcopi auctoritate constitutos; idque colligitur *ex cap. Ad Apostolicæ cap. Cum contingat*, vt id notat Abbas *nu. 18.* Suarez *lib. 1. cap. 24. num. 4.* Neque obstat, quod interdum in sacris canonibus legimus decimas Ecclesiæ baptismali præstandas esse, vt *in cap. de decimis, cap. Statuimus 16. quæst. 1.* cum enim fideles plerumque in eadem Ecclesia, & sacrum baptisma, & reliqua Sacramenta, atque Diuina suscipere soleant, vt videre est *in cap. in sacris canonibus*, ideoque Ecclesiæ quibus decimę debentur modò baptismales, modò Parochiales in iure appellantur, interdum verò Ecclesiæ baptismalis simul & matrix aliam Ecclesiam sibi annexam, ac subiectam habet, vt filialem, & non Parochialem pro se, sicut notauit Abbas *in cap. ex cap. 2. num. 1. de rescriptis*, quo casu decimas deferendas esse ad Ecclesiam matricem, & rectorem eius, qui deinde ex his iustum stipendium Capellano, seu cooperatori suo præbere cogitur.

R. 3. Decimas mistas, quæ ex fructibus, & fętu pecorum penduntur, vbi næ in vsu sunt, debeatur Ecclesiæ, siuè Parochiæ intra eius terminos pecora pascuntur, ita vt si diuersis anni temporibus in diuersis Parochijs alantur decimæ inter Parochias secundum temporis proportionem diuidendę sunt, nisi aliud consuetudo obtineat. Ita docet Glossa communiter recepta *in cap. Ad Apostol. verbo personales de decimis*, vbi notat decimas mistas magis prædialibus, quam personalibus annumerandas esse; idque tenet S. Thomas *loco citato quæst. 87. art. 3.* Alensis *par. 2. quæst. 51. membr. 4.* Abulensis *in cap. 23. Matthei quæst. 194.* Rebuffus *quæst. 6. num. 5.* Suarez *cap. 31. num. 8.* & alij.

Sciendum decimas prædiales esse in duplici differentia, aliæ enim veniunt soluendę ex prędijs sitis intra propriam Parochiam, aliæ verò colliguntur ex prædijs sitis in aliena Parochia, inter quas illa differentia est, quia priores etiā sine dubio non debentur alij, nisi Parocho, à quo Parochianus recipit Sacramenta; & ita textus *in cap. Ad decimas, & in cap. Quoniam*; posteriores verò si non soluerentur Ecclesię prędiali vtique iniuria quodammodo inferri videretur illius Parocho, cum sit paratus ministrare Sacramenta Dominis prædiorum, tum etiam quia daretur confusio Parochiarum contra bonum publicum illarum terminos statuens, & consequenter resultaret maximum inconueniens, quod considerauit textus *in cap. Cum sint homines, & in cap. Super eo de Parochijs, & in cap. Quicunque, & in cap. Liceat 16. quæst. 13.*

De rebus, ex quibus decimæ persoluuntur?

BRACTEA XLIV.

R. Decimas tàm prędiales, quam personales de omnibus fructibus ex prædio, vel hominis ministerio productis ex necessitate præcepti esse soluendas. *Cap. Non est, cap. Nuncios, cap. Ex parte,* Moneta *de decimis cap. 4. nu. 1.* Suar. *de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 1. cap. 34. num. 1. & 4.* Riccius *in praxi aurea resolut. 109.* Facundes *in quinque Ecclesiæ præcept. præcep. 5. lib. 1. cap. 2. num. 2.* Ratio est, quia decimę tàm prędiales, quàm personales debent correspondere spiritualibus, ratione quorum administratori debitæ sunt; vnde necessariò dicendum est ratione omnium temporalium ex illorum fructibus decimas tàm prædiales, quàm personales ex necessitate præcepti esse persoluendas, vt docet S. Thomas *2. 2. quæst. 87. art. 1.* tum etiam quia decimæ ex intentione Ecclesię sunt institutæ ad congruam sustentationem ministrorum, ac proinde æquissimum erat, vt non incertis tantū rebus, sed in omnibus, quę vnusquisque ad suæ vitæ subsidium acquirit constituerentur; & ideò decima debetur primò ex omni frumento, & grano. *Cap. non vt de decimis,* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 1. de Diuino cultu cap. 34. num. 2.* Facundes *precep. 5. lib. 1. cap. 4. num. 2.* secundò ex vino, *cap. non est*: tertiò de oleo, & melle. Rebuffus *quæst. 8. num. 8.* Moneta *cap. 4. num. 10.* Mantica *decis. 341. num. 1.* quartò ex faba, & alijs leguminibus. *Cap. 3. de decimis*, Rebuffus *quæst. 5. num. 4.* Moneta *cap. 4. num. 4.* & alij: quintò ex nucibus, amygdalis, castaneis, & alijs fructibus arborum. *Cap. Decimę 16. quæst. 1. cap. Non est, cap. Cum homines de decimis:* sextò ex oliuis, nisi propter earum exiguitatem per multum temporis spatium decima soluta nō fuerit: septimò ex folijs mororum saltem ex cōsuetudine. Seraphinus *decis. 827.* octauo ex zaccaro, Puteus *decis. 80. lib. 1.* vbi habetur, quod ad effectum decimarum, zaccarum dicitur fructus naturalis, & ex re elementata prouenientis potius

tius, quam fructus industrialis, nam licet simpliciter loquendo zaccarum dicatur fructus industrialis, cum in eo magna hominis industria requiratur, prout dicitur in segetibus, vt in grano, lino, & oleo, &c. tamen quoad effectum decimarum reputatur fructus naturalis, quia nisi prouidetia Dei operaretur, vana esset omnis industria personæ, vt dicit Abbas *in cap. Cum nō sit notab. 1. de decimis*: nonò ex piscibus, licet Abulensis *in cap. 23 Matthei quæst. 160.* dicat de piscatione, quæ fit in flumine publico, siuè priuato, siuè proprio absque solutione pensionis soluendas esse decimas de lucro piscationis, de piscatione verò, quæ fit in stagno, vel flumine, aut alio loco, propter quam soluitur pensio soluendam esse decimam de prouentibus. *Cap. Peruenit de decimis*, Facundes *lib. 5. cap. 5. num. 4.* deducendæ tamen sunt expensæ factæ in emendis, & reficiendis retibus, & cibis ad piscationem destinatis: decimo de apibus, seù fructibus earum, hoc est de cera, & melle. *Cap. Nuncios de decimis*, vel de pecunia, quam ex melle, & cera habuerunt vendentes. Rebuffus *quæst. 8. num. 15.* Moneta *cap. 4. num. 18.* vndecimò ex lacte, lana, & fetu, & alijs fructibus animalium, quorum decima soluitur illi Ecclesiæ, in cuius Parochia animalia pascunt, & morantur. Glossa *verbo personalis in cap. Ad Apostolicę 20. de decimis.* Si verò in vna Parochia pascant in hyeme, & in æstate in alia, vel in vna pascant continuò, & in alia iaceant, & dormiant, tunc diuidi debent decimæ inter has Parochias. Rebuffus *quæst. 6. nu. 25.* Suarez *de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 1. cap. 5. num. 8.* Facundes *de septem Ecclesię preceptis precep. 5. lib. 1. cap. 5. num. 3.* Basilius Puntius *de sacramento matrimonij lib. 5. cap. 13 §. 3. num. 21.* duodecimò de pascuis, hoc est pastura iumentorum, quæ locatur, vel venditur. *Cap. Commiss. de decimis 13 de lignis*, Rebuffus *quæst. 8. num. 26.* Azor. *cap. 35 quæst. 9.* decimotertiò ex fęno, quod in fasciculis alligatum redigitur. *Cap. Peruenit 5. de decimis*, Facundes *precep. 5. lib. 1. cap. num. 4.* decimoquartò ex lino, & canape; vltimò soluitur decima de omni negotio, & artificio. *Cap. Decimę 16. quæst. 1.* Moneta *cap. 4. num. 24.* vnde colligitur de negotiatione soluendam esse decimam.

Sciendum fructus, qui ex actu hominis, & illius ministerio personali acquiruntur in duplici esse differentia; quidam enim sunt, quorum acquisitio, & retentio iniusta est, & iniuriosa, veluti fructum, & aliud simile; alij verò sunt, quorum acquisitio, licet respectu actus sit iniusta, retentio tamen non est iniuriosa, nec iniusta, prout in meretrice, & histrione: inter vtrumque modum illud est discrimen, quod de prioribus nequaquam decima recipienda est, nec persoluenda; de posterioribus verò fructus acquisitos ex causa iniusta, & iniuriosa licitè tamen retentos dupliciter considerari, vel enim acquirens non persistit in causa iniusta, turpi, seù iniuriosa, vel rursus adhuc in eadem perseuerat: inter vtrumque modum illa est differentia, quod in priori casu attento iure fructus decimari possunt, & decimæ ex illo recipiuntur, contra verò in posteriori casu, in quo licet debeantur, Ecclesia tamen decimas attento iure non recipit, nec aliàs recipiendo videatur acquirentium improbitatem approbare, & illorum peccatis communicare. Ex quibus colligitur primò, meretricem, & histrionem teneri de rigore iuris ex proprio ministerio acquisitis decimam persoluere, & post peractam pęnitentiam esse recipiendam. Secundò decimam esse soluendam, & recipiendam ab vsurario, vel alio iniustè detinente ex fructibus prædij, quod pecunia vsuraria, vel malè retenta comparauit, nam licet vsurarius pecuniam mediante vsura acquisitā restituere teneatur, nihilominus prædium illud tali pecunia comparatum, & ipsius fructus (dum aliunde potest) restituere non tenetur. Tertiò decimas prædiales ex fructibus esse soluendas absque aliquam impensarum deductione; & ita textus *in cap. Non est*, textus *in cap. Pastoralis*, Glossa *verbo procedat in cap. penult, & verbo fructus in cap. Grauis*, Sotus *de iustit. lib. 9. quæst. 4. art. 2.* Menochius *de arbitrarijs casu 105. num. 2.* Peres *tit. 5. lib. 1.* Zerola *in praxi Episcoporum par. 1. verbo Decimę*; Reginaldus *lib. 19. num. 101.* Suarez *de relig. tom. 1 tract. 2. lib. 1. cap. 5. num. 4.* Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 39.* & alij. Ratio autem, quare expensæ ex his decimis non deducantur, Glossa *verbo credimus in cap. Pastoralis*, putat in decimis prędialibus esse speciale, vt expensæ non deducantur, alij Doctores existimant tales expensas non deduci, quia decimæ prædiales iubentur solui integræ, vel cum integritate, vt patet ex *cap. Non est, & ex cap. Tua nobis*, & ex Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. cap. 12.* Nonnulli existimāt faciendā esse distinctionē inter restitutionem omnium fructuum, & inter illam, quę fit de aliqua certa illorum parte, seù quota, veluti quando agitur de quarta, vel quinta restituenda, in priori casu deducendas esse expensas, in secundo verò absque vlla expensarum deductione faciendam esse restitutionem.

Sciendum ex mente D. Thomæ 2. 2. *quæst. 87. art. 2. verbum fructus* duplici modo accipi, aliquando enim accipitur ciuiliter, aliquando verò naturaliter priori modo accipitur verbum fructus secundum censuram, & interpretationem iuris ciuilis, posteriori verò sumitur secundum naturam, & veritatem rei, & iuxta verbi proprietatem, inter quos modos illud est discrimē, quod verbum *fructus* ciuiliter acceptum nō aliter intelligitur, quam deductis expensis factis gratia eorundem fructuum, eo quod illus deductis expensis in residuo interpretatur lex ciuilis consistere vtilitatem, quæ ex fructibus recipitur, & sic procedit textus *in lege fructus, &c.* nō sic dicitur, si verbum *fructus* naturaliter accipiatur, tunc enim fructus absque expensarum deductione considerari debent, quia vt sic intelliguntur fructus quotquot in fundo nascuntur, & percipiuntur, & Dei beneficio prouenire.

Sciendum verbū *fructus* diuersimodè accipi in decimis prædialibus, ac in decimis personalibus, quia in prioribus accipitur naturaliter, & secundum rei naturam, & verbi proprietatem; in personalibus vero ciuiliter, hoc est secundum interpretationem, & censuram iuris ciuilis. Ratio diuersitatis est, quia Deus optimus maximus in lege veteri instituens decimas prædiales respexit ad ius ciuile futurum, nec ad illius futuram interpretationem, & censuram, sed ad naturam, & veritatem rei: ac proinde cum decimæ prædiales sint institutæ ad exemplum, & similitudinem illarum, quæ in lege veteri debebantur, merito effectum, vt in decimis hodiernis prædialibus verbum *fructus* intelligatur naturaliter prout in fundo percipiuntur, & Dei beneficio proueniunt: ac verò cum

personales decimæ debeantur solum ex auctoritate Ecclesiæ, nec vllum de illis in lege veteri sit præceptum meritò effectum est, vt in illis iure humano inuentis, & post ius ciuile institutis verbum *fructus*, non naturaliter accipiatur, sed ciuiliter hoc est secundum eiusdem iuris humani, & ciuilis interpretationem, & censuram, & sic decimas personales regulariter deberi expensis prius deductis, Textus *in cap. Pastoral.* Rebuf. *tract. de decimis quæst.*11.*num* 4. Moneta *cap.*6. *num.*32. Ex quibus colligitur propter quas causas decimæ prædiales absque deductione expensarum sunt soluendæ, minimè verò personales: Secundò, colonum partialem proportione sua in soluendis decimis non deducere expensas. Tertiò, integrè, & sine diminutione soluendas esse decimas prædiales, priusquam ex fructibus deducantur expensæ, tributa, & census, aut alia debita, *cap. Tua vobis*, Couar. *var. resol. lib.*1.*cap.*17. Lessius *de iustitia lib.*2.*ca.*39. *dub.*3. Suarez *lib.*1. *cap.*35. Quartò excepto casu decimarum prædialium reliquos Ecclesiæ fructus debitos non aliter intelligi, quam deductis expensis, Facundes *præcep.*5.*lib.*1.*cap.*2. *num.*18. Vltimò infertur de vna, & eadem re, siue de eodem aceruo duplicem decimam solui non debere, & si solueretur esset contra ius: Innocentius *in cap. cum non sit*, Abbas *in cap. cum si sit num.* 6. Sotus *de iustitia lib.*9. *quæst.*4. *art.*2. Seraphin. *decis.* 148.*num.* 9. licet præscriptione immemorabili, vel quadragenaria, cum titulo possit duplex decima acquiri, vt censuit Rota *in Conchen. de decimar. prima Februarij* 1591.

An decima debeatur ex pascuis, prædijs & alijs bonis immobilibus, quæ donatione, vel testamento in alicuius extranei dominium transferuntur?

BRACTEA XLV.

R. Ex communi sententia *in cap. commissum*, ex fructibus, & alijs rebus mobilibus per donationem acquisitis decimam deberi quia sunt lucra; ex bonis verò immobilibus non debetur decima; & ita Gloss. *in cap. Pastoralis in verbo quasi de lucro in decimis*, quamuis sint lucra, sed ex fructibus huiusmodi bonorum, nimirum, vel ex annuis pensionibus, quibus locantur, vel ex fructibus, qui ex ipsis quolibet anno colliguntur.

Sciendum dubium esse, an si res aliqua duplices, &c. fructus singulis annis reddat sit decima soluenda non solum ex primis, sed etiam ex secundis fructibus? Ad quod R. ex omnibus fructibus decimam iure deberi. *Cap. ex part* 2. *de decimis*, nam ex omnibus fructibus decima persoluitur, consuetudine tamen introduci potest vt ex primis tantum fructibus decima debeatur.

Vbinam sit decima persoluenda?

BRACTEA XLVI.

R. Decimam prædialem soluendam esse in loco vbi situm est prædiū: *cap. vlt. de Parochijs*, nisi consuetudo aliud habuerit, *cap. Cum sint, & cap. ad Apostolicæ de decimis*, licet alicubi consuetudo sit, vt pars decimæ soluatur Parochiæ, vbi constitutum est prædium, & pars Ecclesię vbi Dominus prædij domicilium habet, vel vbi audit Diuina, & recipit Sacramēta; Personalis verò soluenda est in loco vbi quis suscipit Sacramenta, & vbi audit Diuina toto anni tempore, aut maiorem partem, *cap.* 2. *de sepulturis in* 6. *& cap. vltim. de Parochijs*. Quod si in vna Parochia rem Diuinam audit, & aliquando verò in alia, tunc personalis decima æqualiter diuiditur auctoritate Superioris, si æquale sit tempus, alioqui pro rata portione temporis: si quis itidem in pluribus Parochijs domicilia habeat, soluet in ea Parochia decimam, in qua præcipuum domicilium habet, nam in ea Parochia, in qua est situm domicilium quisque Diuina audire debet, & si quis mutauerit domicilium decima personalis nō debetur primę Parochiæ, sed secundæ, si in ea audiat Diuina, & Sacramenta suscipiat. *Cap. ad Apostolicæ de decimis*, decima verò prouenien's ex fructibus animaliū solui debet, Parochiæ in qua animalia commorantur; quòd si morentur, & pascuntur in diuersis Parochijs, idest hyeme in vna, & ęstate in altera, tunc decima est diuidenda inter eas Parochias. *Cap. ad Apostolicæ de decimis.*

Quandonam decima sit persoluenda?

BRACTEA XLVII.

R. Decimas prædiales deberi statim, vt fructus à solo separari, &c. atque collecti sunt. Ita expressè habetur *in cap. Cum homines de decimis*, iuncta Gloss. *verbo fructibus collectis*, vbi addit, si rusticus in mora soluendi est, periculum decimarum ad ipsum spectare, & ita Alensis *part.*3. *quæst.*51. *membr.*5. Siluester *verbo decim. quæst.*7. & alii communiter; neque opus est decimæ à Parocho petatur, sitte exigantur, quia dies ipse, siue tēpus solutionis pro creditore interpellat, præsertim cū fructus reali obligatione decimarum ex iuris dispositione obligati censeantur. Ita Abbas *in cap. peruenit*, Couar. *lib.*1. *variar. resol. cap.*17.*num.*8. Gutier. *lib.*2. *canon. quæst. cap.*22. *nu.*44. Rebuf. *quæst.*12.*num.*7. Suarez *cap.*37.*tom.*2. & alij; decima verò ex lana animalium soluitur quādo tondentur pecudes, aut paratæ sunt pelles, ex caseis quando facti sunt, personalis verò decima ex lucris, quando est lucrum ratione personæ acquisitum, & commodissimè soluuntur, elapsis annis singulis, sicut alij census, & tributa pendi solent. Ita Gloss. *in cap. reuertimini verbo annus* 16 *quæst.*1. Abbas *in cap. peruenit num.*3. Rebuf. *quæst.*12.*num.*4. Suarez *cap.*37.*num.*3.

A quibus personis decimæ sint persoluendæ;

BRACTEA XLVIII.

Sciendum personam duobus modis ad decimas præstandas obligari posse. Primo per se, vt obligatio ex conditione, seu subiectione eius in spiritualibus proficiscatur, & exinde in rem, vel fructus rei deriuetur. Secundò per accedens tantum, quia persona alioquin non obligata possidet rem frugiferā, ac ex ea fructus percipit, quibus onus decimarum incumbit: prior obligatio personalis appellari potest, posterior verò realis. Quibus positis:

R. Omnes

R. Omnes, & solę illę personę, quæ in spiritualibus subditæ é manu Sacerdotis Sacramēta suscipere debent, ad decimarum præstationem per se, ac propriè, ac personali debito obligantur. Ita colligitur & *ex cap. ex transmissa cap. ad Apostolicę de decimis*, & docet S. Thomas *quæst.* 87. *art.* 1. Ratio est, quia decimæ dantur tanquam stipendium pro spirituali cura, ac ministerio, quod fidelibus exhibetur: vnde infertur Iudæos, & alios infideles per se, ac personali debito ad decimas obligari non posse; ratio est, quia infideles non sunt Parochiani, nec in gremio Ecclesiæ existere dicuntur cum decimę in sustentationem Clericorum ministrantium, & ratione sacramentorum à subditis ipsius Ecclesiæ dari iubeantur, hinc est, quod Iudæi, & infideles non obligentur ad decimas personales, nec Sacerdotibus ius competat aduersus illos; ita notauit Gloss. *Cap. de terris versu persoluendas* ad decimas verò prędiales persoluendas cogendi sunt Iudæi, & infideles respectu tamen possessionum, quas ipsi in terris Christianorum titulo emptionis vel alio compararunt, prout colligitur ex Textu *in cap. de testis*; Ratio est, quia cum decimę prędiales ab eisdem prędijs ad illas obligatis, ita debeantur, vt respectu illorum onera realia censeantur, & infideles teneantur ad omnia onera realia respectu possessionum, quas in Prouincijs Christianorum possident, tum etiam, quia Ecclesia non debet fraudari à suo iure quęsito in prędio propter infidelitatem acquirentis, à quo iure necessariò fraudatur, si decimę prędiales ab infidelibus non soluantur: at respectu possessionum, quas infideles in suis Prouincijs habent, non tenentur ad decimas prędiales soluendas, eo quod cessat in prędijs ius acquisitum per Ecclesiam, & in ipsis infidelibus cessat ratio, propter quam debitum decimarum constituitur.

An Clerici teneantur soluere Decimas?

BRACTEA XLIX.

R. Clericos non Curatos spectato communi iure ex lucris, ac redditibus suis temporali titulo acquisitis per se, & personali debito obligantur ad decimas pręstandas Sacerdoti Parochiali, à quo Sacramenta percipere debent. Ita colligitur *ex cap. de decimis*, & alij canonistę communiter S. Thomas 2. 2. *quæst.* 87. *art* 4. Rebuf. *tract. de decimis quæst.* 5. Couar. *lib.* 1. *resolut. cap.* 13 *nu.* 8. Suarez *cap.* 17. *num.* 21. & alij; quę doctrina licet nunc non sit in vsu in decimis merè personalibus, quippè quas nec laici, & multò minus Clerici soluere solent, locum tamen habet in terris noualibus, quas si excolat Clericus cùm ante nullum, aut modicum fructum afferrent ad decimas Parocho suo ex illis soluēdas obligari incipit, non per accidens ratione rei, siue terrę, sed per se, & ratione proprię personæ.

R. 2. Clericos nō teneri ad solutionē decimarum ex fructibus suorum beneficiorū, quia Ecclesia huiusmodi redditus voluit absque diminutione beneficiatis prouenire; & ita Rebuf. *quæst.* 5. *num.* 6. Azorius *cap.* 24. *quæst.* 5. nisi prædia Ecclesię fuissent prius tributaria. Gloss. *in cap.* 1. *verbo vllo*, quia res transit cum suo onere, si verò Clerici inseruiant Parochialibus Ecclesiis, quibus decimę debentur, tunc ad illarum solutionem non teneatur, Siluester *verbo decima qu.* 7. *cap.* 35. & alij.

An Religiosi teneantur soluere decimas?

BRACTEA L.

R. Religiosos sicut, & alias personas Ecclesiasticas per se, & personali debito teneri soluere decimas spectato communi antiquo iure, seclusis priuilegijs, atque consuetudine contraria. Ita colligitur *ex cap. ex multiplici, cap. commissum cap. ex parte de decimis*. Ratio est, quia huiusmodi etiam personę Parochijs subiectę sunt, nisi priuilegio, vel consuetudine eximantur.

Sciendum Regulares omnes in communi viuentes varia exemptionis priuilegia in corpore iuris contenta à Summis Pontificibus accepisse, primum est Paschalis secundi *in cap. decimas* 19. *quæst.* 1. vt de laboribus, seu de nutrimentis suis proprijs, adeòque etiam de prędijs, quę ipsi proprijs manibus, vel sumptibus pro vitę suę sustentatione colunt decimas soluere non cogantur, sicuti explicatur *in cap. ex part.* 1. *de decimis*; sed priuilegium tam amplè Religiosis concessum, reuocatum fuit ab Adriano Quarto, & successore eius Alexandro Tertio *in cap. ex part.* 1. *de decimis*, atque ad solos Cistersienses templarios, & hospitalarios restrictum, posteà verò Innocentius Tertius in Concilio Lateranensi, *cap. penult. de decimis*, etiam his ipsis Religiosis priuilegium limitauit, vt solum se extenderet ad terras ante Lateranense Concilium acquisitas, de alijs verò posteà acquirendis decimas soluere deberent Ecclesijs, quibus anteà ratione prędiorum soluebantur, manente nihilominus in pristino vigore priuilegio ab Adriano Quarto, & Alexandro Tertio omnibus Religiosis in communi viuentibus concesso. Ita *cap. ex parte, vt de noualibus suis, quę proprijs manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de bestijs suis decimas non persoluant*; quod ipsum simili ratione indultum est leprosis *in cap.* 2 *de Ecclesijs ædificandis*, si in communi viuentes propriam Ecclesiam, cum Cemiterio, propriumque Episcopum habere permittantur; & ideò omnes ferè Religiosi per specialia priuilegia à Summis Pontificibus exemptionem obtinuerunt à solutione decimarum prædiorum suorum, quæ proprijs manibus, & sumptibus excolunt, & de multis meminit F. Ludouicus Miranda *tom.* 2. *quæst.* 49. *art.* 12. aduertendum tamen est, quod priuilegium habentes non soluendi decimas de agris, quos proprijs manibus, vel sumptibus colunt, debent tamen soluere decimas de illis, quos alijs colendos tradunt, vt colligitur *in cap. licet* 11. *de decimis*, & ait Azorius *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 23. *quæst.* 7. Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 1. *cap.* 19. Tamburinus *de iure Abbatum tom.* 1. *disp.* 15. *quæst.* 18. *num.* 5. Ratio est, quia priuilegia exemptionis à solutione decimarum sunt personalia, non autem realia; & ideo non transeunt ad Colonos, seu emptores prædiorum, vt censuit Rota *decis.* 23 *part.* 2. *diuers. &c.*

Sciendum Parochum manutenendum esse in possessione exigēdi decimas ratione prædiorum acquisitorum per regulares, donec doceant de sufficienti priuilegio, vt censuit Sancta Congregatio Concilij in vna Pisaurensi 13. Aprilis

Aprilis 1630. Ratio, quia prædia decimarum solutioni obnoxia ad regularium Monasteria transeunt cum suo onere, ac proinde regulares tenentur illas soluere Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, quemadmodum tenebantur Laici prius quam bona ipsa in Monasterij proprietatem transierint; ita eadem Sacra Cōgregatio in causis Ripanens. Vrbinatens. &c. 4. & 18. Decembris 1627. Secundò, Religiosos omnes, priuilegio iure scripto eximia solutione decimarum de nutrimentis animalium, quæ ipsi nutriunt. Ita habetur *in cap. ex par. 1. de decimis*, Petrus Gregorius *sintagmate iuris part. 1. lib. 2. cap. 24. num. 7.* Quod tamen intelligendum est de his, quæ deseruiunt pro vsu Monasterij, & de his, quæ ipsi Religiosi nutriunt suis sumptibus, & si dentur alijs tenenda, & custodienda requiritur, vt vespere reducantur ad Monasterium. Rebuf. *quæst. 14. num. 77.* Moneta *cap. 5. num. 14.*

Sciendum Episcopum non posse concedere alicui immunitatem à decimarum solutione per viam priuilegij. Rebuf. *de decim. quæst. 5. nu. 28.* Facundez *precept. 5. lib. 2. cap. 4. num. 6.* licet possit remittere decimas suæ mensæ debitas è iusta causa, vt habetur *in cap. quia circà de priuileg.* item interponere decretum, & consensum in compositione super solutionem decimarum, *cap. 2. de transactionib.* Rebuf. *tract. de decimis quæst. 13. nu. 15.* Moneta *de decimis cap. 5. nu. 119.* Item poterit Episcopus decimas, quas nunquam possedit post earum recuperationem, vel illas ad opus suum retinere, vel secundum discretionem à Deo sibi datam alteri Ecclesiæ concedere: illas verò, quas aliquando possedit si reuertantur ad mensam Episcopalem non potest transferre in personam, quę nunquam moritur, ne adimatur spes deuolutionis. Rota *in Taurinens. decimar. 12. Ianuarij 1607* nec posse Episcopum ius percipiendi decimas Laicis concedere, *cap. benequidem dist. 96. cap. peruenit 1. quæst. 4. cap. venerabilis de confir. vtili*, Rebuf. *tract. de decimis qu. 5. num. 32.* & ideò requiritur auctoritas Sedis Apostolicæ, itaut non sufficiat immemorabilis absque fama priuilegij, vel recognitione feudali: Ioannes Andreas, & alij *in cap. cum Apostolica de his, quę fiunt à Prælatis* Felinus *in cap. Causam, & in cap. Cum contingat num. 4.* Rota in Toletan. *iuris decimar. 27. Aprilis 1584. & in Taurinensi decimarum 12. Ianuarij 1607.* potest tamen Episcopus alicui Laico ex iusta causa, v. g. quia Ecclesiam, eiusque Patrimonium, à tyranni oppressione liberauit, concedere ad licitam aliunde tempus, non quidem ius percipiendi decimas, sed ipsarum decimarum fructus, vt eas nomine, & titulo Ecclesiæ consequatur. Et ita Gloss. & Doctores *in cap. Quamuis de decimis*, Rebuf. *de decimis quæst. 10. nu. 34.* Azorius *part. 1. lib. 7. cap. 36. quæst. 11.* Ratio est, quia in Clementina 1. *de rebus Ecclesię non alienandis*, dicitur posse res Ecclesiæ ad modicum tempus alienare, modicum autem tempus dicitur, quod est intra decennium; vnde decimæ iure communi possunt Laico concedi intra decennium; sed vbi est vsu recepta constitutio Pauli Secundi, quæ incipit *Ambitiosa de rebus Ecclesiæ non alienandis*, decimæ Laico auctoritate Episcopi vltra triennium locari non possunt, sed vt supra dictum est iure communi Episcopus Laico potest è iusta causa concedere ad vitam ipsius, modo, quo supra.

An decima Episcopi consensu, & auctoritate in feudum dari possit Laico, itaut ipsi Laico solui debeat?

BRACTEA LI.

R. Iuxta caput *Prohibemus de decimis, & cap. Cum Apostolica de his, quę fiunt à Prelatis post Concilium Lateranense* auctoritate Alexandri Tertij celebratum anno salutis 1179. id omninò esse prohibitum, decimas nempe in feudum perpetuum laico dare, quare sola Romani Pōtificis auctoritate id fieri tutò potest. Ita Ioannes Andreas, Antonius, Cardinalis *in cap. cum Apostolica de decimis*, Couar. *lib. 1. variar. resolut. cap. 17. num. 5.* cum enim sit communi iure interdictum, sola Episcopi auctoritate fieri non potest, ante verò huiusmodi Lateranense Concilium sola Episcopi auctoritate decimæ Laicis benè de Ecclesia meritis in feudum, siue emphyteusim perpetuam dari solebant, quare si quis Laicus decimas in feudum perpetuum acceptas ante dictum Concilium obtineat tutò possidet, Azorius *part. 1. cap. 36. quæsito 12.*

Sciendum consuetudinem habere vim, & efficaciam ad eximendos Parochianos à solutione decimarum. Ratio est, quia consuetudo habet vim, & efficaciam, per quam obligatio prædicta auferatur, habet enim vim humanæ legis, qua lege humana decimæ institutæ sunt. Et ita Gloss. *verbo præsumpta in cap. quia cognouimus 10 qu. 3.* Sotus *lib. 9. de iustitia qu. 4. art. 1.* Couar. *lib. 1. variar. cap. 17. num. 8.* Rebuf. *de decimis quæst. 3. nu. 46.* Moneta *de decimis cap. 5. quæst. 1. num. 89.* Miranda *in manuali Prælator. tom. 2. qu. 49. art. 5.* sicuti etiam ex consuetudine decimas vni Ecclesiæ aliàs debitas alteri ascribi.

Sciendum tamen decimam considerari: primò, vt est pars fructuum necessaria ad victum Clericorum Diuina, & spiritualia bona ministrantium. Secundò, vt est merces laboris ipsorum: deindè etiam, vt est aliquid, quod Deo offerimus, vt ipsum cognoscamus tanquam summū rerum omniū Dominū, vt sic iuris naturalis, & Diuini esse, vt verò est certa, & definita pars fructuum, videlicet decima, & non maior, aut minor, non est iuris Diuini, vel naturalis; sed Canonici, ac propterea quemadmodum contra quodlibet ius Canonicum, vel ciuile consuetudo magnam vim, ac robur habet, sic etiam contrà ius decimarum, quod rectè Couar. & Thurecremata *in cap. reuertimini 1601. num. 7.* adnotarunt; ideò dubitandum non est, quin decima consuetudine tolli queat, si re alia maiori, vel æquali compensetur. Secundò, certum est, ius ipsum decimarum quatenus est naturale, vel Diuinum consuetudine, nec ex toto, nec ex parte tolli posse, quatenus verò Canonicum est posse; certum est etiam potuisse Ecclesiam suo iuri cedere, nimirum decimas non petendo, vt eas Laicis remitteret, quamuis non potuerit ius Diuinum relaxare, quo Deo aliquid offerimus, vt agnoscamus eius supremum dominium in res omnes.

An

An Statuta Ciuitatum, & leges Regum, &c. quibus prohibentur decimas à Laicis exigi, habeant ullam vim?

BRACTEA LII.

Sciendum hic tria quæri: Primum est an æquum sit, & rationi contentaneum vt non exigantur decimæ, quæ per longam consuetudinem solui non solent: Secundum est, an valeant statuta, leges Laicorum, quibus vetant ne hæ decimæ exigantur à Laicis: Tertium est, an apud Ciuilia Laicorum Prætoria iure tractari queat causa de decimis non exigendis à Laicis, quas de more non soluebant: vnde

R. Æquum esse, vt huiusmodi decimæ minimè exigantur, quia Canones, leges, & iura voluerunt, vt consuetudines moribus vtensium receptæ seruentur: at qui ea consuetudo corruptela non est, cum non repugnet iuri naturali, aut Diuino; ergo seruari iure potest: Secundò, statuta, &c. nullam vim habere nisi fiant priuilegio Romani Pontificis, vel consensu expresso, aut eius auctoritate confirmantur. Ratio, quia de decimarum iure, cum sit spirituale nihil Laici statuere possunt; & ita Azor. *part.1.cap.37.quæstio 3.* Tertium, etiam quo quæritur, an apud ciuilia Laicorum, &c. iure tractari non posse apud Laicum Tribunal, nisi priuilegio, vel consensu Romani Pontificis, quia causa est spiritualis, videlicet de iure decimarum, vt infrà melius.

De varijs modis acquirendi ius decimarum?

BRACTEA LIII.

R. Ius Decimarum primò acquiri per transactionem, seu amicabilem compositionem Ecclesiasticis personis. Ita colligitur expressè *in cap.2.&c.veniens de transactione, & cap.ex multiplici de decimis,* verum si talis compositio inter Clericos fiat interueniente consensu, & auctoritate Prælati, videlicet Papę, vel Episcopi censeri debet perpetua, vti colligitur *ex cap.2.& cap. veniens;* sin autem priuata tantum transactio fiat rata tantum erit inter paciscentes, sed successores non obligabit; sicut colligitur *ex cap. veniens 2. super iure decimar.* compromitti potest in arbitrum vnum, vel plures, quorum sententię, siue arbitrio à partibus standum sit; colligitur *ex cap.cum Apostolica de his, quæ fiunt à Prælatis,* debent autem arbitri Clerici esse, non Laici, quia sicut Laicus de spiritualibus iudicare non potest, ita neque arbitrari sicuti habetur *in cap. Cum contingit de arbitris* iuxta Gloss. *verbo spiritualibus,* in compromisso super iure decimarum necesse est legitimum Superioris consensum, aliasque solemnitates intrauenire, quæ ad alienationem Ecclesiasticorum iurium secundum Canones requiri solent; sicut docet Abbas *in cap. Dilecti n.8. de arbitris.* Tertiò, ius decimarum vnius Ecclesiæ, cum iure decimarum alterius Ecclesiæ nihil prohibet permutari. Ita *ex cap. ad quæstiones, & cap.vlt. de rerum permut.* verum in huiusmodi permutatione Episcopi auctoritatem intrauenire necesse est, cum permutatio alienationis species sit. *Cap.multi de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Quartò ius decimarum si propriè, & formaliter, & secundum primã intentionem sumatur, quatenus fundatum est in spirituali officio, seù obligatione ministrandi spiritualia sine vitio simoniæ vendi, aut permutari cum re temporali nõ potest. Ita colligitur *ex cap. vlt. de rerum permut.* vbi Glossa *verbo temporalia,* Rebuffus *quæst. 10. num. 17.* Ratio est; quia Laici spiritualia fidelibus ministrare non possunt, ideò incapaces sunt iuris decimarum, quod in spirituali officio tamquam debitum ipsis stipendium fundatur, ideoque & ipsum spirituale censetur. Quintò, ius decimarum, si materialiter spectetur pro sola vtilitate fructuum percipiendorum præcisa à spirituali iure, ac titulo hac ratione vendi, ac locari, vel personæ Laicæ concedi, nihil prohibet ex rei natura. Ratio est, quia ius percipiendi redditus temporales hac pręcisa consideratione temporale est; ergo in Laicos quoque cadit: vnde Summus Pontifex tamquam supremus bonorum Ecclesiasticorum administrator, ex iusta causa ad bonum Ecclesię pertinente redditus decimarum, Principibus viris, &c. concedere potest, seù remunerationem beneficiorum, seù cum annexo onere fundandi, & dotandi Ecclesias. Sextò Episcopi, & inferiores Prælati poterãt iure antiquo adhibitis solemnitatibus prouentus decimarum Ecclesiæ suę ob iustam causam Laicis concedere in feudum perpetuum, hęc autem potestas ipsis adempta est in Concilio Lateranensi sub Alexandro X. *anno Domini* 1180. sicuti colligitur *ex cap.2.§ sanè de decimis.* Septimò ius decimarum à quibuscumque Clericis, aut Conuentu Religioso contra proprium Parochum, cui spectato iure communi debentur, præscribi potest cum titulo quadraginta annorũ spatio, sine titulo autem tempore tàm longo, vt eius initij nulla extet hominum memoria. Ita Balbus *præscript.3.par. 2.* Suarez *cap.22.* Vasquez *in morali tract.de benefic. cap.36.* prior pars colligitur *ex cap. Ad aures nostras peruenit, &c.* posterior pars, quod cessante titulo colorato possessio temporis immemorabilis requiratur ad ius decimarum pręscribendum, aduersus propriã Parochiam, eo quod in hoc casu ius commune possessori resistat; Parochię autem assistat, habetur expressè *in cap.1.de præscript.in 6.* quamobrẽ generalem hanc regulam tradit Abbas *in cap. Si diligenti num. 1. de præscript. titulus non requiritur in præscriptione quadragenaria contra Ecclesiam, nisi cum ius commune, vel præsumptio est contra præscribentem.* Octauò Laicos non posse pręscriptione acquirere decimas etiam innumerabilis temporis possessione, nisi ea fundata sit in pręsumptione alicuius legitimæ concessionis, aut priuilegij saltem per famam, aut cõmunem opinionem; & ita Glossa communiter recepta *in cap. Causam, quæ,* Couaru. *cap. 17. num. 5.* Rebuffus *de decimis quæst. 10. num. 24.* Henricus Canisius *cap.13.num.9.& 10.* Suarez *cap. 27.* & alij. Vltimò immunitatem à soluendis decimis etiã prędialibus tàm Laicis, quàm Clericis cum bona fide vsu capi potest cum titulo annis quadraginta, sine titulo tempore immemorabili, modo Ecclesię ministris sufficiens sustentatio ex alijs titulis v. g. ampla Ecclesię fundatione fidelium oblationibus pijs legatis suppetat; & ita Couaruu. *cap. 17. num.8.* Siluester *verbo decimam quæst. 4.* Nauarrus *cap. 21. num 30.* Gutieres *Canonicar. quæst. cap.21.num 57.* Molina *tom.1.tract.2. disput. 65.* Canisius *de decimis cap. 17.num.16.* Valentia *tom.3.disput.6.quæst.5.pun.2.* Lessius

sius *lib. 1. cap. 39. dub. 5. num.* 56. Ratio desumitur *ex cap. 1. de præscriptionibus in 6.* ex quo Doctores hanc regulam tradunt, si præscriptio tendat contra ius Ecclesiæ assistere ipsi iure communi opus est tẽpore immemorabili, nisi titulus præsumptus adsit, tunc enim sufficiunt anni quadraginta: talis autem est præscriptio immunitatis à præstandis decimis Ecclesiæ, quæ communi, eoque antiquissimo iure Ecclesiastico præcipiuntur.

Quis sit Iudex competens decimarum in causa?

BRACTEA LIV.

R. In petitorio, vbi quæstio iuris est, etiam incidens spectat ad Iudicem Ecclesiasticum, sed sæcularem verò solùm, quando quæstio sit meri facti, an nimirùm talis perceperit, vel soluerit, seù etiam an percipiat, seù soluat decimas, ad effectum quoque vt is, de quo non dubitatur, an iure soluere debeat decimas, eas soluere Ecclesiæ, eiusque Rectori cogatur, vel quia agatur contra detentorem fructuum decimandorum. Couaruu. *practicar. quæst. cap. 35. num. 1.* Rebuffus *de decimis quæst.* 10. *num.* 35. Henriquez *in summa lib. 7. cap.* 27. §. 2. Zerola *in praxi Episcoporum par. 1.* Facundes *praecept. 5. lib. 3. cap. 5 num.* 1. Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 36. quæst. 5.* Homobonus *de bonis de exam. Ecclesiasticorum par. 2. tract.* 8. *cap.* 8. *quæst. 24.* & alij. An verò Iudex Ecclesiasticus de possessorio decimandi cognoscat? Respondeo affirmatiuè, nam matrimonij possessorium quamuis agatur inter personas merè Laicas, quia habet admixtam causam, & titulum spiritualitatis definiendum est à Iudice Ecclesiastico; possessio enim rei spiritualis, licet sit merè temporalis, & Laicalis, attamen etiam de possessione solus cognoscit Iudex Ecclesiasticus, quemadmodũ de ipsa proprietate, cum qualitas spiritualitatis qualitatem temporalitatis absorbeat, & ad se trahat Azorius *par. 1. lib. 1. cap. 14. quæst. 1.* Gutieres *cap. 34. num. 26.* & alij; in causis autem decimarum proceditur summariè præcipuè quando est inter Clericos, quibus de iure debentur decimæ, & eos, qui soluere debent *Clementina 2. de iudicibus*, & procedi potest sine aliqua solemnitate iuris, vt tradit Cardinalis *Clementina 2.* & alij; vt videre est apud Barbosam *iuris vniuers. Eccles. lib. 3. cap. 26. de decimis* §. 4.

An quarta Parochialium debeatur Parocho?

BRACTEA LV.

SCiendum canonicam portionem, quæ quarta Parochialis etiam dicitur, inductam esse iure Canonico propter Sacramenta, quæ Parochus ministrat suis Parochianis, *Cap. 1. cap. Prælatum, cap. De his, qui sepulturis*, Riccius *in praxi par. 4. resolut.* 299. *num.* 1. Rodriquez *in compend. quæst. regul. resolut.* 28. *num.* 1. & licet de iure sit quarta, *cap. Cum super de sepulturis*, potest tamen induci per consuetudinem, quod sit medietas, vel tertia. *Cap. Antiquos* 10. *cap. Certificari de sepulturis*, Vgolinus *de officio Episcopi cap. 17. num. 2.* quæ consuetudo debet esse rationabilis, & legitimè præscripta spatio quadraginta annorum, quod intelligitur de quarta non expressa iure; si verò sit expressa iure, sufficit consuetudo etiam non præscripta. Ita Miranda *in manuali Prælatorum tom. 1. quæst. 88. art. 5.*

Sciendum 2. quartam funeralium statutam fuisse, ne Parochialium Ecclesiarum Rectores, quibus cura incumbit animarum debitis fraudentur subsidijs, vt Ecclesia illa, apud quam talis fuerit sepultus, teneatur partem eorum, quæ defunctus pro anima sua eidem Ecclesiæ reliquit Parochiali Ecclesiæ tradere, in qua domicilium defunctus habebat, Rodriquez *qu. regul. tom. 1. quæst. 39. art.* 2. Miranda *in manuali Prælatorum tom. 2. quæst. 48. art. 10.* ita vt omnes Religiosi etiam Mendicantes teneantur soluere huiusmodi quartam, quando quis eligit sepulturam apud suas Ecclesias, & istam quartam ita Ecclesiæ Parochiali deberi, vt electio sepulturæ in aliquo Monasterio nulla sit, si Parocho non relinquatur quarta. Ita existimauit Hostiensis *in summa de sepult.* §. *apud quam Ecclesiam*; licet contrarium sit verius, quia semper debetur quarta, etiamsi id non exprimatur. Abbas *in cap. de his in 2. notab. de sepulturis*, licet limitandum sit in Religiosis, seù alijs, qui sunt exempti à solutione quartæ per priuilegia concessa ab habente potestatem, dummodo per priuilegia fuerit specialiter derogatum, non autem generaliter, & licet per aliquod priuilegium sit specialiter derogatum, si tamen sit apposita clausula, *salua iustitia Ecclesiarum Parochialium*, non censetur Pontifex per talia priuilegia concessisse exemptionem, ita vt non teneatur soluere quartam funeralem, sicuti etiam quando habentes huiusmodi priuilegia habuerunt licentiam ædificãdi aliquod Monasterium cum conditione, vt ædificaretur sine præiudicio iurium Ecclesiarũ Parochialium.

Sciendum 3. illos regulares non teneri ad solutionem quartæ, quorum Ecclesiæ sunt ædificatæ ab annis quadraginta citra, & sunt exempti per priuilegia, vt censuit Sacra Congregatio Concilij ad *caput* 13. Hieronymus Rodriquez *in compendio quæst. regular. resolut.* 18. *num.* 2. & declarauit Pius V. constit. sua incipiente; *Et si mendicantium decimoseptimo Calendas Iulij* 1577. cuius constitutionis verba, quæ de hac re agunt, sunt, quæ sequuntur, *Quartam autem funeralium, de quar. sess. 25. cap. 13. nequaquam soluere teneantur Monasteria, quæ ad quadraginta annos citra fundata existunt; postquam concilium ipsum loquitur tantum de Monasterijs ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam soluere consueuerunt, & vbi solùm consueuit id tantum certè, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferre contigerit tempore, quo defunctorum corpora defunctorum, non autem de Missis, seu legatis, vel alijs Fratribus ipsis, seu Monialibus relictis, aut alias quomodolibet donatis solus debet, sicque intelligi Concilij decretum, quod quartam huiusmodi soluendam debere decernimus, vbi verò non est consuetudo soluendi quartam huiusmodi de nullo suprascriptorum solui debere declaramus*, quæ constitutio licet loquatur simpliciter de Monasterijs ædificatis à quadraginta annis citra Concilij confirmationem nulla facta mentione de priuilegijs, tamen ita est intelligenda, quia per Gregorium XIII. die 10. Octobris 1586. fuit redacta ad terminos Concilij, non autem enocata, vt in declaratione, quam refert Fr. Archangelus Caraccia in fine tractatus, & in declarationibus impressis Concilij *sess. 23. de reformat. cap. 15.* §. *ab Episcopis*, cuius particula ita se habet, nec obstat Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 13. de regularibus, quia cum istud Monasterium sit fundatum post publicationem Concilij, & quatenus esset fundatum antea, cum non esset solitum soluere dictam quartam*

tam Concilium et non obstat, vt declarauit Sanctissimus Pius V. in sua constitutione de anno 1577. quam confert Archangelus Caraccia *de quarta funeralium cap.* 1. Rodriquez *quest. regular. tom.* 1. *quest.* 11. *art.* 2. & ita resoluit Congregatio Cardinalium, vt refert Rodriquez *loco predicto*, nec est verum, quod prædicta cõstitutio Pij V. fuerit reuocata per Gregorium Decimumtertium. Quibus positis.

R. Quartam funeralem deberi Ecclesiæ, in qua Parochianus consueuit audire Diuina, & recipere Sacramenta, *cap. Cum quis de sepulturis in* 6. Em. *quest. regular. tom.* 1. *quest.* 39. *art.* 5. & sic de iure debetur Rectoribus Parochialiũ, & stante consuetudine in Ciuitate quod ius sepeliendi peregrinos, & viatores spectet ad Ecclesiam Cathedralem quarta funeralis non debetur Parocho, intra cuius limites peregrinus, & viator decessit.

Sciendum 4. quod si in vna Ecclesia soleat Parochianus audire Diuina, in altera verò recipere Sacramenta Canonica portio debetur ei, à qua recipit Sacramenta *Cap.* 1. *de sepulturis*, Siluester *in summa verbo canonica portio num.* 11. In dubio verò quando non constat ex consuetudine, vel alia ratione, cui debeatur Episcopo, ne an Parocho præfertur Parochus, quia habet magis specialem curam, quam Episcopus, qui habet generalem, & quia Parochis debetur quarta ex causa onerosa, Episcopo verò ex causa lucratiua, & potior est conditio prætendentis in causa onerosa.

Sciendum 5. quartam funeralem, seù canonicam portionem deberi in omnibus, quę obueniunt ratione funeris, scilicet in die funeris. Ita Em. *quest. regular. tom.* 1. *quest.* 39. *art.* 2. Couarru. *in cap. vlt. num.* 7. *de testam.* vbi ait moribus receptum esse, vt Ecclesię Parochiali quarta portio à Monachis soluatur ex his tantum, quæ offeruntur tempore, quo funus, seù exequiæ defuncti celebrantur. Molina *de iustit. tract.* 2. *disput.* 215. & Pius V. in sua constitut. incipiente: *Et si Mendicantium* declarauit huiusmodi quartam debere solui de his, qui offeruntur in die funeris ex Concilio Tridentino, quod ita interpræatur funeralia dicũtur, quæ occasione funeris deueniunt, siuè antequam corpus sit in terra conditum, siuè post, & quandiù sit memoria de funere, ex quibus patet resolutio ad quæstionem ventilatam verum si Parocho in die funeris data sit sola candela, & facum quarta, & deinde sequenti die solemniori pompa magno scilicet adhibito Religiosorum, Confraternitatum, & Præsbyterorum numero in alia Ecclesia, vbi mortuus sepulturæ mandatus fuerat hesterna die pro eius anima solemnis Missa cantetur cum distributione candelarum, & intortitiorum in maiori quantitate diei præcedentis, debeatur ex his quoque Parocho quarta, in qua controuersia Sacra Congregatio negotijs Episcoporum, & Regularium proposita semel, & iterum partibus hinc inde auditis die tertia Augusti 1622. nemine discrepante censuit deberi quartam Parocho ex funeralibus secundo loco factis.

MALLEATIO XLV.

De alijs dignitatibus, & officijs annexis statui Clericali.

De dignitate, seu officio Archidiaconi.

BRACTEA I.

R. Proprium munus, seù officium Archidiaconi esse, cum Episcopi sacris operatur sanctum Euangelium cum noluerit legere alicui Diacono pręcipere, vt legat: eius item est præcipere, vt cęteri Diaconi suis vestibus induãtur, vt cum Episcopo ad Missæ sacrificium procedant, lectiones, & responsoria in matrice Ecclesia præscribere, & audire, ita vt nemo Euangelium, aut sacram Epistolam, vel lectionem, aut responsoria in Ecclesia publicè legere, aut cantare queat, nisi cui Archidiaconus audito iam, & probato facultatem dederit; ipsius quoque est inter Acolytos munera partiri, quis videlicet eorum candelabra, quis thuribulum deferre; in Choro enim tamquam prima dignitas post Pontificalem alijs superior, & maior habetur, & illi in Choro permanẽti spectat in principio Matutini horarum Canonicarum, &c. intimare Pater noster, quo dicto eidem pariter spectat manu sua signum dare, vt incipiatur, & antequam finis signum per ipsum detur nemo Officio expleto, è Choro egredi valeat. Ita Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium prępositorum in vna Theatina sub die 8. Aprilis 1607. Clericos ad Ordines promouendos examinare, atque probare, eosq; Episcopo nomine Sanctæ Ecclesię ordinandos offerre; instituit quoque in beneficijs etiam curam animarũ habentibus de auctoritate tantum, & mandato Episcopi. *Cap. Ad hec, cap. Cum satis*, licet nomine proprio non possit instituere in beneficijs, & ideo Archidiaconum ratione sui muneris non posse curam committere animarum. Mittit deniq; in corporalem beneficiorum possessionem institutos ab Episcopo. *Cap. Ad hec*, Couarru. *lib.* 3. *variar. cap.* 16. *num.* 7. quare Archidiaconus post Episcopum dicitur Vicarius in omnibus. *Cap.* 1. *de officio Archidiaconi*, Rebuffus *in praxi, titulus forma Vicariatus num.* 199. Franciscus Leo *in thesauro fori Ecclesiastici par.* 1. *num.* 10. *cap.* 2. vnde ipso iure absq; aliquo facto Episcopo absente, & eius Officialibus Vicarij munus exercet, non autem sede vacante, nec etiam infra illos octo dies, quibus à Capitulo sede vacante Vicarij electio facienda est, quia intra illos octo dies totum Capitulum potest, & debet administrare. Quaranta *in summa Bullary verbo sede vacante* §. 12. Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiastici in notab. de materia Vicary à Capitulo sede vacante*; differt tamen Archidiaconus à Vicario Episcopi, quod Archidiaconi officiũ est dignitati annexum, nec potest ad nutum amoueri, sicut Vicarius simplex; prætereа simplex Vicarius ea exequitur, quæ ad Episcopum ex officio pertinent; quibus tamen ob plurimas occupationes deseruire non potest; Archidiaconus verò officium habet ab Episcopi officio separatum, nec potest Episcopus eius officium exercere.

Scien-

Sciendum, quod de iure communi Archidiaconus maior est omnibus post Episcopum, & & Archipræsbyter eius subiacet iurisdictioni. *Cap.1.cap. Ad hoc de officio Archidiaconi*; in hoc tamē præualet consuetudo Ecclesiarum, vt Archipræsbyter, vel Præpositus, aut alia dignitas Archidiacono, & alijs dignitatibus præferatur, quia rationabilis esse potest diuersa in huiusmodi rebus consuetudo propter diuersas causas, vel officia singulis dignitatibus attributa.

Sciēdum 2. dubium esse, an in vna Cathedrali Ecclesia possint esse plures Archidiaconi. Respondeo in multis Ecclesijs reuera plures esse, nam in Toletana Ecclesia sex esse feruntur Archidiaconi, in alijs quatuor, aut quinque, ob id arbitror, quia olim Episcopi ex Diaconis duos, tres, quinque, sexve antiquiores constituebant pro Ecclesiarum suarum multitudine, vt benè in omnibus tota Ecclesia gubernaretur. Porrò illi Diaconi ob iurisdictionem, & potestatem sibi ab Episcopo demandatam dici cęperunt Archidiaconi, inter quos vnus semper cęteris honore, & dignitate pręstabat, nimirùm is, qui iurisdictionem habebat in Clericos, & Præsbyteros Ecclesię Cathedralis, & aliarum, quæ erant in Vrbe, cui præerat Episcopus.

De Archipræsbyteri potestate, munere, & officio?

BRACTEA II.

Sciendūm, quod quemadmodum inter Episcopos Episcoporū primus, siuè antiquissimus dici cępit Archiepiscopus, & inter Diaconos primus, siuè cęteris antiquior dictus est Archidiaconus sic primus Præsbyterorū Archipręsbyter vocatur quasi Pręsbyterorum primus, siuè pręfectus, & sicut olim post Episcopum Archidiaconus honore, dignitate, & iurisdictione primus erat, sic post Archidiaconum proximus erat Archipręsbyter.

Sciendum 2. quod duplex est Archipręsbyter, vnus vrbanus, & alius ruralis, seù foraneus. Vrbanus est, qui in vrbe degens dignitati præest in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia; ruralis verò, vel foraneus, qui iuri Ecclesiæ præest Parochiali, seù Plebaniæ. *Cap. Si implebimus dist.63.* Quibus positis.

R. Munera Archipręsbyteri Ciuitatis in Cathedrali Ecclesia esse ministerium super omnes Pręsbyteros, curam gerere animarum, assiduè in Ecclesia stare, & in Episcopi sui absentia ad vicem eius Missarum solemnia celebret, & collectam dicat, aut cui ipse iniunxerit; *& in cap. Ministerium de officio Archipręsbyteri*, dicitur ministerium Archipræsbyteri in eo constituitur, vt diligēti causa prouideat ministerium Sacerdotum Cardinalium, qui solemne debent agere officium in communicatione corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi Episcopo solemniter celebranti assistere, & Sacerdotibus tunc pręcipere, vt sacris se vestibus induant, & quomodo ad Missam procedere debeant, & absente, vel infirmo Episcopo ad vicem eius Missarum solemnia, & Diuina officia celebrare. *Cap. Perlectis, cap.1. & 2. de officio Archipręsbyteri, cap. Pontifices*, feria 4. Cinerum cum pęnitentes ab Ecclesia expelluntur eorum capitibus cineres imponere; ita feria 5. in Cęna Domini cum reconciliantur in ingressu Ecclesię eos Episcopo repræsentare: item in absentia Episcopi, vel ipso infirmo fontes benedicere, & pęnitentiam, aliaque Sacramenta pro ipso Episcopo ministrare. *Cap.2. de officio Archipresbyteri*; & denique sicut Archidiaconus Episcopo in his, quę ad ministri officium pertinent ex officio adiuuat. Ita Archipręsbyter in his, quę ad munus Sacerdotis spectant: eidem inseruit, & est quasi Parochialis Sacerdos omnium post Episcopum in administratione videlicet Sacramentorum; dignitati enim pręest, & habet curam animarum in Cathedrali, quę Parochia totius Ciuitatis, & Diœcesis dicitur Vbaldus *par. 1. cap. num. 5.* Gutieres *canonicarum quæst. lib. 1. cap.27. num.23.* & alij; nam & ipse omnibus de Diœcesi Sacramenta ministrat, confessiones omnium de Diœcesi audit, & absoluit, ac pęnitentias iniungit, pręterquam in casibus Episcopo reseruatis sine ipsius auctoritate secundum Hostiensem, & Io. Andream *in cap. Si Episcopus de pęnitentijs, & remiss.* Siluest. *in summa verbo Archypręsbyter*; licet hodie ex decreto Concilij Tridentini *sess. 24. de reform. cap.8.* proprius pęnitentiarius in singulis Cathedralibus institui iubeatur ad confessiones pro Episcopis audiendas. An iurisdictio Archipręsbyteri ordinaria sit, aut delegata? Respondet Glossa *in cap. Vt singula de officio Archipręsbyteri* ordinariam esse, quod colligit *ex cap. 1. de officio iuris Ordinarij*; nam Archipræsbyter iure communi, & ratione sui muneris iurisdictionem habet; ergo habet ordinariam, & non delegatam.

Sciendum Archipręsbyterum ruralem eam habere auctoritatem præter Parochiale officium, quam ei Episcopus dare voluerit, vt videre est, *cap. Cum ab Ecclesiar. de officio Ordinarij*, & in Concilio Tridentino *sess.5. de reformat. cap.2.* vbi salubriter disponitur, vt Archipresbyteri, & alij curam animarum habentes diebus saltem Dominicis, & festiuis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascāt salutaribus verbis docendo ea, quę scire omnibus necessarium est ad salutem, &c. de iure verò communi non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerere debēt, verum etiam Pręsbyterum, qui per minores Ecclesias habitant, & qua vnusquisq; industria Diuinum opus exerceat, Episcopo suo denunciet, nihil autem eo inconsulto, nec contra eius decreta ordinare pręsumat: vnde non omnis Plebanus habet huiusmodi Archipręsbyteri officium, sed is tantum quem Episcopus statuerit, & hic vocari solent visitatores, Vicarij Foranei, quorum opera Episcopus in tota vtitur Diœcesi *cap. vlt. de officio Archipręsbyteri*.

De Decano?

BRACTEA III.

R. Decanum de iure Canonico nullam habere iurisdictionem: quare totum eius munus, auctoritas, & potestas ex consuetudine, & more pendet, & per consequens habere dignitatem, vel personatum, vt colligitur *ex cap. Super specula ne Clerici, vel Monaci*, & ex iuribus, quæ continentur, *in cap. de multa de preb. & in extragant. Ioannis 22. execrab. de preb. &c.* Similiter ex consuetudine in multis Ecclesijs habere iurisdictionem

dictionē,ita vt excommunicationis,suspensionis, & interdicti cēsurā ferre possit,quia vt cōstat *ex cap. Dilect. de appel.* Decanus de quo ibi agebatur, poterat sacris interdicere, *& cap. Dilecto de sentent. excommunicat. in 6.* Decanus poterat excommunicationis pœnam irrogare, *& ex cap. irrefragabili §. excessus de officio Iudicis Ordinarij in 6.* Canonicorum Collegium,cui Decanus potest,poterat sacris interdicere Ciuitati plura de officio, & munere Decani, si quis scire cupit consulat, Fratrē Hieronymum Romanum *de Repub. Christiana lib.3.cap.10.* Cardinalem Tuscum *practicar. conclus. tom. 3. part. 2.* Filliucium *tom.3. tract.41. cap.1. num.29.* & alios.

De officio Primicerij?

BRACTEA IV.

Sciendum est olim in Ecclesia fuisse Cantorum scholam institutam, quorum munus erat officia Diuina, horarias, preces in Choro piè, & studiosè cantare, vt Diuinæ laudes religiosè celebrarentur; huic scholæ vnus præficiebatur, cuius cura, studio, & opere Clerici ad cantum, & chorum destinati docebantur,vt in sacrorum librorum lectionibus, in Diuinis officijs, & precationibus Ecclesiasticis probè excitati essent: hic igitur perfectus, seu primus ratione cantus, quia cęteros docet, quid sit canendum in choro Primicerius dictus est. Et ita *cap. perlectis* Petrus Gregorius *sintagmatum iuris lib.15, cap. 22.* dicitur etiam Primicerius, qui in quocunque loco primum locum obtinet;& ideò Primicerius dicitur quasi primus in eo officij genere, & antesignanus in qualibet arte: vnde datur Notariorum Primicerius,Primicerius fabricæ,Primicerius domesticorum, Primicerius Mensorum,Primicerius in officio Præfectorum Prætorio, &c. vnde Sanctus Augustinus vocat Stephanum Primicerium Martyrum sermone 21. de tempore: is, qui Primicerium in quocunque ordine sequebatur, dicebatur secundicerius. Quibus positis.

R. Officium Primicerij de iure Ecclesiastico, est docere Diaconos,& reliquos Clericos cantandi formam, eisque lectiones ad matutinum cantandum distribuere, modum cantandi in choro pro solemnitate, & tempore ordinare. *Cap. de officio Primicerij,* & alia circa Diuina officia exercere, quæ ad Archidiaconum spectant eo absente.

Sciendum 2. Primicerium esse beneficiatum, habentem dignitatem, vel saltem personatum, & ita Gastaldus *in praxi ceremoniali lib.1. sect.9. cap.7.* & illum vbique fuerit, videlicet in Choro, consessu, & comitijs Canonicorum, & suffragijs ferēdis gradum, & honorificum habere locum iuxta locorum consuetudinem, & in sacra Rituum Congregatione in vna Capuana 28. Aprilis 1607. decernitur, Primicerium debere in Processionibus capere Pluuiale, sicut dignitatem, & non Planetam sicut Canonicum.

De Thesaurario?

BRACTEA V.

Sciendum Thesaurarium à thesauro Ecclesiæ custodiendo appellari, vt per Isidorum *in cap. perlectis dist. 25.* & videtur in Ecclesia introductus; tanquam Coadiutor Hostiarij, qui ordinem quidem Ecclesiasticum habet, & eius munus est claudere, & aperire ianuas, ac fores Ecclesiæ, nam Hostiarij coadiutorem fuisse sacellarium ex temporali deputatione Sacerdotis, & Sacellario in Ecclesia successisse Thesaurarium, refert Henriquez *in sum. lib.10. cap.9. §.2.* propter quod illarum rerum sacrarum administrationem, & custodiam olim Thesaurarius nullam dignitatem, aut beneficium, sed tantum officium Ecclesiasticum habebat, vt tradunt Rebuf. *in praxi tit. sæculare beneficium* Petrus Gregorius *cap.39.* & alij; deinde ex consuetudine,& omnium ferè Ecclesiarum Cathedralium statutis inter dignitates referri cępit; vnde nunc temporis Thesaurarius censetur habere dignitatem, quia in choro consessu, comitijs, & suffragijs ferendis gradum,& locum honorificum habet; tum ex collationibus, tam Apostolica, quam ordinaria auctoritate factis de illa, tanquam tertia dignitate; tum etiam ex alijs iuribus.

De Præpositis?

BRACTEA VI.

R. Præpositos secundum nominis proprietatem dici omnes aliorum Pręfectos,& qui alijs præsunt: vnde Præpositi Castrorum dicebantur, qui Pręfecti erant militibus præsidij causa degentibus in Prouincijs de quibus *in leg. viros C. de diuersis officijs.*

Sciendum, quod licet Prępositus non habeat dignitatem à iure communi introductam, sed officium, vt notat Ioannes Andreas *in cap. 1. n.3. de consuetud. lib.6.* in quibusdam tamen Ecclesijs toti Canonicorū Collegio pręficitur. Ita Aloysius Riccius *in praxi rerum fori Ecclesiastici resol.558. num.3.* & ideò Præpositi dicuntur, qui in Ecclesijs Cathedralibus, siuè collegiatis præcipuam gerunt dignitatem cum animarum cura, & iurisdictione, eo, quod toti Canonicorū Collegio pręsunt,& sic in Archidiaconū locū in aliquibus Ecclesijs creduntur successisse. Ita Petr. Gregorius *sintagm. iuris lib. 11. cap.18. num. 6.* Azorius *institut. moral. part.2. lib.3. cap.18. quæst.1.* Gastaldus *in praxi ceremonial. lib.1. sect.8. cap.7. num.6.* vbi subdit, quod in illis partibus, in quibus talis reperitur dignitas iuxta locorum consuetudinem honorarium locum debere obtineri in Choro, & præcipuè cum Diuina officia celebrantur.

De Abbate sæculari?

BRACTEA VII.

R. Duo esse Abbatum genera: vnum Regularium, & alterum Sæcularium. Abbas Sæcularis in multis Ecclesijs, quæ collegiatæ vocantur, accipitur is, qui præest toti Canonicorum Collegio, in quibusdam Ecclesijs solet

prior,

prior, in alijs Præpositus nuncupari.

Sciendum in multis Ecclesijs Cathedralibus primam esse Abbatis dignitatem, quia sunt quidam Abbates, qui non solum in Clericos, sed etiam in Laicos sibi subiectos Pontificiam, seu Episcopalem iurisdictionem habent, & insignia pariter Pontificia gestant, vtuntur enim annulo, mytra, & baculo Pastorali, & horum dignitas est Episcopo proxima; alij verò sunt Abbates longè minores, qui nec Pontificiam iurisdictionem habent, nec Episcoporum insignia deferunt, & horum dignitas non sequitur proximè Episcopi dignitatem, & quia de potestate ordinaria, & iurisdictione Abbatis supra locuti sumus: idcircò ad ea recolenda remitto lectorem.

De Prioribus?

BRACTEA VIII.

R. Priores esse in duplici differentia, quosdam Sæculares, & quosdam Regulares: Sæculares etiam esse in duplici differentia; alij rurales, qui curam animarum absque Collegio habent, sed Parochialem simplicem. Collegiales verò sunt personæ principales, quæ in collegiatis Ecclesiis toti præsunt Canonicorum Collegio; sicut enim iuxta regulam S. Benedicti Præfectus Monastici Conuentus Abbas nominatur, iuxta regulam S. Augustini Prior, siue Præpositus, sic in multis Ecclesijs Collegialibus à primarijs viris extructis, fundatis, vel dotatis Præfecti aliquādo Abbates, aliquādo Priores vocantur, Prior igitur Sæcularis est dignitate præditus, & habet iurisdictionem ordinariam in Clericos, & pariter animarum curam, & iste Prior cum sit principalis dignitas in Ecclesia collegiata, & regulariter habeat curam animarum, debet esse constitutus in ętate viginti quinque annorum inceptorum, vt resoluit Nicolaus Garzias *de beneficijs part.7. cap.4. num.65.* Fillіucius *quæst. moral. tom.3. tract.41. cap.5.* Barbosa *de officio. & potest. Episcopi par.3. legat. 60. num.64*

R. 2. Priores Regulares in duplici quoque esse differentia: alij sunt Conuentuales, qui Conuentum, vel Collegium habent, *cap. scriptum de elect.* licet magis propriè Priores Conuentuales dicantur. qui Conuentui Religiosorum præficiuntur cum administratione bonorum, iuriū, & iurisdictionis in his quę ad regulam concernunt, qui Prioratus non sunt collatiui, sed electiui, *Clementinā 2. de rescriptis; &c.* & Prioratum Conuentualem esse dignitatem, siue dignitatis nomen sumatur pro officio Conseruatoris, aut Iudicis Delegati Apostolici, siue pro beneficio Ecclesiastico. *Cap. nisi essent de preb. & Clement. 2. de rescrip.* Claustrales Priores sunt, qui post Abbatem, seu Priorem principalem eidem Conuentui intra claustrum præficiuntur, cum administratione iurisdictionis tantum circa ea, quæ ad claustrum, & regulam monachalem spectāt qui Prior non est dignitas, sicut est Prior Conuentualis. Ratio diuersitatis est, quia Prior Conuentualis toti Conuentui, siue Collegio Monachorum pręest, at Prior Claustralis non ita, quia non est, nisi in Monasterio, cui pręsidet Abbas, & ita ipse est sub Abbate, à quo constituitur, vt Claustri in Monasterio curam habeat, iuxta regulam, & monasticam disciplinam.

De Plebano?

BRACTEA IX.

R. Plebanum illum esse, qui est Prçfectus Ecclesię, siue plebis, habentis in sua iurisdictione, & potestate Capellas, seu minores Ecclesias, quibus Vicarij in perpetuum, vel ad tempus prçficiuntur, vt colligitur *ex cap.1. de Capellis Monachorum in 6. &c.* propriè verò dicuntur Plebani, qui maioribus, celebrioribusque oppidis constituūtur, quibus prçter Ecclesię propriç curationem certarum quoq; Ecclesiarum, & certorum Prçsbyterorum, qui minoribus Ecclesiis prçsunt inspectio, & obseruatio committitur, vt colligitur *ex cap. vlt. de officio Archipræsbyteri* & innuit Panormitanus, *cap. ad audientiam de Ecclesijs ædificandis*.

Sciendum dubium esse, an Plebanus dignitatem habeat? Ad quod respondeo in iure communi, Canonico tantum dici eum habere curam animarum, habere tamen personatum, quoniam in Ecclesia personatum habet is, qui in ea prçrogatiuam, & perhonorificum gradum tenet, quo Clericis eiusdem Ecclesię antecedit, vel in sedendo, vel in suffragio, & sententia ferenda, vel in incessu, vel in publicis supplicationibus, sed Plebanus est Prçfectus Ecclesię habentis capellas, quibus Clerici, tanquam Vicarii prçficiuntur, ergo, &c.

De Capellano maximo, siue maiore, & de Plebano?

BRACTEA X.

R. Quod in quibusdam Ecclesiis prçcipuè Cathedralibuus inter alios in dignitate, vel personatu constitutos quendam esse, quem Capellanum vulgò maiorem appellant, cuius munus, & officium, ex ipsarum Ecclesiarum consuetudine, & more pendet, nam cum in Ecclesiis soleant esse multi Capellani, dictus est Capellanus maior is, qui cęteris Capellanis honore, & dignitate prçstat.

R. 2. Prçlatorum nomine intelligi eos, qui iurisdictionem ordinariam habent, vt Episcopi, Abbates, & alii Ecclesiastici Iudices Ordinarii, & hi propriè, vt Abbas tradit, Prçlati dicuntur in iure: minus etiam propriè teste eodem Abbate vocantur Prçlati, qui in Ecclesia sine iurisdictione prçrogatiuam, & honorificum locum habent, vt Plebani, Decani, Archiprçsbyteri, & similes, *cap.1. de ætate, & qualitate ordinandorum. cap. Romana §. nec etiam de foro compet.* item amplè, & latè appellantur Prælati Rectores in Ecclesiis curam animarum habentes, vt colligitur *ex cap. tua de Clerico ægrot.* at non propriè dicuntur Prçlati, nam in Clementina *Dudum §. in Ecclesijs de sepulturis*; Rector, & Prçlatus separatim ponuntur: hinc apparet propriè in iure dici Prælatos eos Religiosos, qui Monastici Conuentus, siue cęnobii totam curam, & administrationem, cum iurisdictione ordinaria habent.

An

An omnes Clerici beneficiati teneantur soluere charitatiuum subsidium?

BRACTEA XI.

R. Episcopum, & alios Superiores Prælatos si manifesta, & rationabilis causa extiterit à beneficiatis Clericis, cum charitate moderatum auxilium postulare posse, quod auxilium dicitur charitatiuum subsidium, quia à principio ex charitate peti debet, non per vim extorqueri. Ita *cap. ex parte de censibus*, & appellatur subsidium, quia sicut subsidiaria actio datur, quādo deficit propria, & specialis actio, ita subsidium petitur quando redditus propriæ Ecclesię non sufficiunt pro oneribus incumbentibus. Ita *cap. conquerente*, & ibi Hostiensis *num. 16. & 20.* Belencinus *in tract. de charitatiuo subsidio*, Petrus Duennas *regula 89. verbo charitatiuum subsidium*, Boerius *decis. 133.* Purpuratus *consil 329. n. 2.* Menochins *de arbitrarijs casu* 178. & alij, causa autem debet esse iusta, & rationabilis, & manifesta, & non sufficit, quod subsit causa rationabilis, nisi sit manifesta. *Cap. cum Apostolus, cap. cum quærente* Nauarrus *consil. 7. de censibus*, Sayrus *in floribus decis. sub eodem titulo decis. 7.* Belencinus *tract. de charitatiuo subsidio*.

Sciendum, quænam causa dicatur rationabilis, & iusta ipsius Episcopi arbitrio relinquitur determinanda, regulariter autem censentur iustæ, & rationabiles causæ subsequentes; quarum prima est in promotione, & consecratione Episcopi, post tamen adeptam possessionem, & hoc pro solutione Bullarum annatæ, & alijs necessitatibus eo debitis, quibus est ob id grauatus; Hostiensis *in cap. cum quærente num. 16.* Zabarella *in Clement. vnica*, Boerius *decis 134 num. 1. 2. 6. & 7.* Cardinalis *in cap. cum Apostolus quæst. 7.* Belencinus *tract. de subsidio charitatiuo quæst. 16.* D. Antoninus *part. 3. tit. 20. §. 10.* Menochius *de arbitrarijs casu 78. num. 3.* Secunda si Episcopus magnas fecerit expensas in negotijs totius Diœcesis communiter pertractandis. Tertia causa est, pro recuperatione Ciuitatum, Castrorum, & locorum, aut bonorum Ecclesiæ occupatorum. Genuinus *cons 74.* Boerius *decis. 134. num. 2.* Menochius *de arbitrarijs lib. 2 casu 78 num. 5.* Sicut etiamsi pro fabrica suæ Ecclesiæ, vel alia re continenter illius publicam vtilitatem, vel conseruationem fecerit magnam emptionem, Oldradus *cons. 140.* Belencinus *tract. de subsidio charitatiuo q. 19.* Azorius *cap. 14 quæst. 4.* Quarta, quando Prælatus vocatur ad Papam, seu ad Concilium generale, vel ad Imperatorem, aut Regem ob suę Ecclesiæ, vel Diœcesis, aut etiam totius Ecclesiæ generalis commune bonum, Belencinus *loco cit. quæst. 2.* Azorius *loco cit.* vel quando accedit ad Concilium Prouinciale, quia proficiscitur pro communibus negotijs, Belencinus *tract. de charitatiuo subsidio quæst. 21.* Azorius *loco cit.* Quinta, si visitaturus sit Apostolorum limina, vt iusiurandum impleat, Azorius *loco cit.* Sexta, quando Ecclesias formaliter visitat. Septima, quando pro Ecclesię summa vtilitate, & necessitate emi debet aliquod Castrum, vel Oppidum ad expellendos, vel procul arcendos hostes, Old. *cons. 104.* Boerius *decis. 134. num. 2.* Menochius *casu 178.*

Sciendum 2. charitatiuum subsidium exigi solum posse à Clericis beneficiatis ratione suorum beneficiorum. Ita *in cap. cum quærente, in cap. cum Apostolus*, Sayrus *in floribus decis. de charit. subsid. decis. 10.* siue bona fide, siue mala, possessor beneficij sit, Azorius *cap. 14. quæst. 6.* Si verò contingat, vt Clericus Ecclesiam habeat in vna Diœcesi, in alia vero prædia, & possessiones ex quibus fructus beneficij percipit, debet soluere subsidium Episcopo, in cuius Diœcesi sita est Ecclesia, quia tale onus sustinent beneficiati ratione Ecclesiarum, quas habent. Ita Belencinus *tract. de charitat. subsid. quæst. 35.* Azorius *loco cit. quæst. 6.* at si Ecclesia in confinio duarum Diœcesium existat, ambo Episcopi se concordare debent, vt alternis vicibus subsidium exigant; quod si conuenire renuant, tunc iure poterit Archiepiscopus præcipere, vt conueniant, eo quod talis eorum discordia est Ecclesię damnosa. Ita Belencin. *quæst. 52.* Azorius *loco citato quæst. 6.*

Sciendum 3. quod cum Clericus teneatur soluere huiusmodi subsidium de fructibus, & redditibus beneficiorum, vt docent Belencinus *loco cit. quæst. 31. num. 1.* Moneta *de distribut. quotidian. part. 3. quæst. 9. num. 21.* si ille pauper fuerit, vtpote qui ex sui beneficij redditibus nihil habeat vltra commodum, & honestum victum, minimè poterit cogi ad præstandum tale subsidium charitatiuum, quod certè grauaretur, si eius victus minueretur, Belencin. *loco cit. quæst. 3.* Quaranta *in sum. Bullarum verbo Concilium Prouinciale num. 8.* Azorius *loco citato quæsito 6.* sicut nec etiam cogendus foret, si nullum Ecclesiasticum beneficium habeat, quamuis ampla possideat patrimonia, Belencinus *quæst. 31.* Azorius *loco cit. quæst. 6.* successor in beneficio soluere subsidium cogitur, quod antecessor beneficij non soluit: Belencinus *loco cit. quæst. 51.* Azorius *loco cit. quæst. 6.* Pensionarius debet pro rata pensionis soluere subsidium; ratio, quia pensio imponitur super fructibus beneficij, per consequens veluti onus reale diuidendum inter beneficij possessorem, & pensionarium pro rata fructuum perceptorum, tum etiam, quia sicut vsufructuarius tenetur ad collectas, & onera realia, quæ ratione fructuum imponuntur, & pensionarius in iure equiparatur vsufructuario; igitur, &c. licet stilus Curiæ habeat, vt pensio auctoritate Papæ assignata alicui sit immunis, & libera ab omni onere, etiam subsidij charitatiui, & ideò quando Papa Clerico pensionem assignat, liberam ab omni subsidio charitatiuo assignat: distributiones etiam quotidianæ non sunt obnoxiæ huiusmodi charitatiuo subsidio, quia nomine fructuum, & beneficiorum Ecclesiasticorum non veniunt distributiones; hospitalia verò causa communis pietatis extructa, quando titulum beneficij habent, obligantur ad subsidium charitatiuum, Belencin. *tract. de subsidio charitatiuo quæst. 38.* Quod si huiusmodi hospitalia auctoritate Episcopi fundata non sint, grauari nequeunt onere subsidii, quia religiosa, & sacra loca non sunt, & possunt ad prophanos vsus redire priuata fundatoris auctoritate: secus tamen si Episcopi auctoritate fundentur, cum ab illis sicut ab Ecclesiis suæ Diœcesis exigere subsidium charitatis, & alia iura Episcopalia Episcopo possit.

Sciendum 4. quod Capitulum, seu Canonici Ecclesiæ Cathedralis, tenentur Episcopo suo

præstare charitatiuum subsidium, quando ex legitimis causis ab eo petitur, quia fortiùs debent illi subuenire, quam cœteri, cùm digniùs sit, vt membra subueniant capiti suo, quam extraneis, Monasteria verò non tenentur præstare Episcopo charitatiuum subsidium. Ita Innocentius *in cap. 1. de statu Monachorum*, Belencin. *tract. de subsidio charitatiuo quæst. 29.* Remigius *eodem tract. qu. 21.* Em. *qu. regular. tom. 2. quæst. 76.* & alii. Ratio est, quia exactio charitatiui subsidii est de lege Diœcesana, non iurisdictionis, à qua lege Diœcesana Monasteria sunt exempta. Nec obstat Clementina 1. *& 2. de censib.* vbi dicitur Religiosos debere soluere iura Episcopalia, & subire onera, nisi se tueri possint speciali priuilegio Papæ, & consuetudine, quia respondetur ibi sermonem esse de Monasterijs habentibus Ecclesias sæculares sibi subiectas, quæ Ecclesiæ antequam Monasterio subiicerentur soluere consueuerant Episcopo tale subsidium charitatiuum, & alia iura Episcopalia, ac proinde censentur vnitę Monasterio cum suo onere, cum quo transiuit res. *Cap. Pastoralis de decimis, c. quia Monasterium de Religiosis domibus.* Quod si Monasterium habeat Populum, ratione illius tenebitur ad omnia, quæ sunt legis Diœcesanę, & per consequens ad charitatiuum subsidium, Fratres Sancti Ioannis Hyerosolimitani, siue eorum Vicarii in Parochialibus Religioni prędictæ vnitis non tenentur, neq; compelli possunt ad solutionem charitatiui subsidij, vt censuit Sacra Congregatio concilii in Augustana 4. de exemptis 1630. exemptæ Ecclesiæ non tenentur præstare Episcopo tale subsidium, principaliter si exemptio sit data cum plena libertate; id enim importat exemptionem non modo à iurisdictione, sed etiam ab omnibus, quæ sunt de lege Diœcesana, interq; charitatiuum subsidium numeratur. Ita Belencin. *loco cit. q. 32. n. 8.* nisi exempti haberent Populum non exemptum, quia eius respectu exigi posset huiusmodi subsidium charitatiuum; aut nisi in priuilegio exemptionis apposita esset clausula vulgaris, videlicet, *Volumus autem, quod Ecclesia huiusmodi exempta, cum charitate, priori cum Episcopo suo remaneat.*

Sciendum 5. Papam ab omnibus Clericis, & Ecclesiis posse hoc subsidium exigere, quia habet administrationem omnium bonorum; tum quia est Dominus, & Ordinarius Ordinariorum: Cardinalem cum in Ecclesiis titulorum suorum iurisdictionem habeant de iure communi tale subsidium petere possunt, Ioannes Monachus *in cap. 1. de maiorit. & obed. lib. 6.* Belencinus *de charitatiuo subsidio quæst. 3.* Azorius *lib. 9. cap. 14. quæst. 5.* Legatus Papę cui commissum est plenè legationis officium in sua Prouincia cū omnia liberè, & immediatè possit, quę quilibet Ordinarius iure, siue consuetudine potest, habet ius exigendi huiusmodi subsidium ab Ecclesijs Prouinciæ sibi delegatæ, Belencinus *tract. de charitatiuo subsidio quæst. 12.* Azorius *loco cit.* & alij. Patriarcha, Primas, & Archiepiscopus ab Ecclesijs, & Clericis suæ Prouinciæ extra Diœcesim suam iure tale subsidium exigere non possunt. Ratio est, quia attento iure Archiepiscopi, & cęteri Primates non possunt in subditos suorum Suffraganeorum iurisdictionem exercere, nisi quatenus iure reperitur expressum. *Cap. cum quæstus 9. quæst. 3. cap. duo simul 9. de officio Ordinarij*, Prælati Episcopo inferiores iure quidem non possunt ab Ecclesijs sibi subiectis subsidium charitatiuum exigere, nisi hoc priuilegio, vel consuetudine sibi competat. Ita Archidiaconus *in cap. iuxta sanctionem 16.* Belenc. *loco cit. quæst. 4.* Abbas *in cap. cum Apostolus num. 6.* Azorius *cap. 14. quæst. 5.* Vnde Abbates, vel priores non posse exigere charitatiuum subsidium ab Ecclesijs sæcularibus, vel regularibus Monasterijs sibi non pleno iure subiectis. Ita Belencinus *loco cit. quæst. 5.* Generalem verò Præfectum totius Ordinis regularis posse huiusmodi subsidium petere Monasterijs Ordinis sui pro sumptibus necessarijs ad gubernationem Ordinis, si aliunde non habeat bona, quæ ad hoc onus sustentandum, destinata sufficiant: Coadiutor, seu Administrator datus Episcopo per Papam, vel Ecclesiæ Cathedrali vacanti, potest à subditis illius Ecclesiæ exigere charitatiuum subsidium; Vicarius verò generalis Episcopi non potest tale subsidium charitatiuum exigere, nisi speciali ipsius Episcopi mandato, quia nullo iure est illi concessum, & proinde in generali mandato, quod accipit ab Episcopo non continetur; Belencinus *quæst. 22.* Azorius *cap. 14. quæst. 5* nec præscriptionem currere contra charitatiuū subsidium, quia contra charitatem nō potest præscribi; tum quia ius imponendi subsidium charitatiuum consistit in libera voluntate ipsius Superioris, & quæ sunt facultatis, sunt impræscriptibilia, Abbas *in cap. Cum Apostolus num. 5.* circa quantitatem verò summę, quę sit exigenda pro charitatiuo subsidio esse in arbitrio Episcopi, à quo tamen si indebitè arbitretur, appellari potest, Boerius *decis. 134. num. 5.* Menochius *de arbitr. lib. 2. casu 179.* & per censuras potest ipse Episcopus compellere sibi subditos ad charitatiuum subsidium soluendum, Archidiaconus *in cap. cauendum num. 2.* Hostiensis *in cap. cum Apostolus num. 7. &* 8. Azorius *part. 2. institut. moral. lib. 9. cap. 14.*

An Clerici teneantur soluere Cathedraticum?

BRACTEA XII.

Sciendum Cathedraticum esse portionem Episcopo debitam, quæ dicitur Cathedraticum, quia illi in honorem Cathedræ Episcopalis soluitur, & ab alijs appellatur Synodaticum; quia in Synodo singulis annis celebranda ab omnibus vocatis ad illam pręstari consueuit, vt annuit textus *in cap. vltimo de causa possessionis possessoris, & proprietatis*, ad hoc, vt Episcopi ad Synodum celebrandam allicerent. Quibus positis.

R. Episcopum posse à singulis suæ Diœcesis Ecclesijs Cathedraticum exigere, Gloss. *in cap. Quicunque 16. quæst. 6.* Buratus *decis. 158. num. 10.* Aloysius Riccius *resolut 182. num. 1.* præter quam à Monasterijs. *Cap. inter cætera 10. quæst. 3.* ibi Monasteriorum tamen Basilicis, ab hac solutione pensionis seiunctis, ipsa enim à lege Diœcesana sunt exempta. *Cap. cum pro vtilit. 16. quæst. 1. cap. Quam sit 18. quæst. 2.*

Sciendum 2. pro tota libertate Cathedratici non currere præscriptionem cōtra Episcopum, Baldus *in 5. part. quæst. 16.* Henricus Bota *de synodo part. 3. num. 37.* Zerola *in praxi Episcoporum part. 1. verbo Cathedraticum §. 4.* Riccius *in praxi aurea resolut. 142. num. 2.* licet quoad partem alij aliter senserint;

ſerint; taxam verò ponit, Gloſſ. *verbo duos ſolidos in cap. cum quærente,* & dicitur *in cap. 1. quæſt. 3.* vt nullus Epiſcoporum per ſuas Diœceſes ambulans præter honorem Cathedræ ſuæ, idest duos ſolidos, aliud aliquid per Eccleſias tollat, qui ſoluendi ſunt ſecundum taxam, quæ antiquitus ſolui conſueuit, Surdus *conſil 454. num. 12.* Ricceius *reſolut. 182. num. 1.* aliquando tamen plus, vel minus iuxta conſuetudinem exigitur, Gloſſ. *verbo duos ſolidos in cap. 1.* in eius taxatione, & ſolutione attendenda eſt propria, vel diuerſarum Cathedrarum conſuetudo, bona, & rationabilis, Zerola *verbo Cathedraticum* §. 2. Vacerius *in praxi Epiſcoporum part. 2. cap. 2. num. 20.*

Sciendum 3. aliam eſſe portionem Epiſcopo debitam, quæ quarta decimarum appellatur, nam cum olim Epiſcopi eſſent pauperes, fuit ſtatutum in Concilio Aurelianenſi *1. cap. 16. relato in cap. Antiquos 10. qu. 1.* vt ipſi de his, quæ in Altari, oblatione fidelium conferebantur medietatem ſibi vendicarent; poſteà decretum extitit vt ex Parochialibus tantum tertiam oblationem decimarum, & frugum partem haberent, vt colligitur *ex cap. de his, & ex cap. decreuimus*; demum quartam tantum deberi Epiſcopis ex omnibus decimis Eccleſiarum Parochialium ſui Epiſcopatus ſine vllo onere fabricæ determinant recentiores Canones *in cap. vnic. & in cap. cum quærente de officio Ordinarij, & in cap. Quoniam, & in cap. Dudum de decimis, & in cap. de quarta de praeſcription.* Zerola *in praxi Epiſcoporum par. 1. verbo decimæ* 9. 10. Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 1. de Diuino cultu cap. 208. num 9.* Leo *in theſauro fori Eccleſiaſtici part. 2. cap 14. num. 13.* & alii; eſt enim indubitatum, quartã huiuſmodi deberi, & quidem iure proprietatis per illa verba, *habeas quartam decimationem,* propter coniunctionem, & vniuerſalem curam, quam habet Epiſcopus in Eccleſiis ſubiectis: vnde ſequitur hanc quartam eſſe legis Diœceſanæ. Eraſmus à Chochier, *de iuriſd. Ordinarij in exemptos part. 1. quæſt. 15. num. 6.* à qua exempta ſunt Monaſteria, idem Cochier. *part 1. q. quæſt. 16.* Sed dubium eſt, à quo hæc quarta ſit de iure Epiſcopo debita, pro cuius dubii ſolutione ſciendum eſt iura hac de re loquentia ſolum indiſtinctè ſtatuere, quod Epiſcopus fundat intentionem ſuam ſuper quarta decimarum; vt *in cap. Quoniam, cap. Dudum 16. intent. tua de iure communi fundata de decimis, cap. vnico 10. quæſt. 3. cap. cum quærente de officio Ordinarij, cap. fin. de ſucceſſor. ab inteſt.* Hoſtienſis, Abbas, Cardinalis, Butrius, Ioannes Andreas *in cap. quarta,* & Hoſtienſis, Ioannes Andreas, & Abbas *in cap. cum contingat*, quorum auctoritate Rota affirmauit hanc opinionem eſſe communem, & Rebuff eandem tenuit *de decimis part. 7. num. 11.* Gonzales *ad reg. 8.* Cancel. *gloſſ. 6. num. 87.* Seraphin. *deciſ. 1499. num. 4.* vbi reprobat opinionem illorum, qui tenuerunt iſtam quartam, non de iure, ſed de conſuetudine ad Epiſcopum pertinere.

MALLEATIO XLVI.

De beneficijs annexis Ordini.

Quid ſit beneficium?

BRACTEA I.

Sciendum quod Beneficium dici ſolet omnis gratuita conceſſio, ſiue gratia Principis, & *ex lege 3. ff. de conſtitut. Princip. & reg. 16. in 6.* qua propter etiam Eccleſiaſtica præbenda nomen beneficii ſortita eſt, quia licet ab Eccleſiæ Prælatis ex officio conferenda ſit, nemini tamen in particulari ſtricto iure debetur, ſed eſt gratuita conceſſio, ſiue gratia.

Sciendum 2. Beneficia ortum habuiſſe ex portione Canonica aſſignata Miniſtris Eccleſiæ in ſtipendium laboris ex bonis communibus Eccleſię à fidelibus collatis; ad quod intelligendum, ſupponendum eſt in primitiua Eccleſia Chriſtianos vendere ſolitos, prædia ſua, eorumque pretia Apoſtolis tanquam Eccleſiæ Prælatis afferre, vt exinde Diaconorum manibus ſingulis diſtribuerentur, prout cuique opus erat, poſteà verò magis expedire viſum eſt, vt ipſamet prædia, ſiue immobilia bona Eccleſiis donarentur, & conſecrarentur, ex quorum annuis redditibus miniſtrorum ſuſtẽtatione perpetuò prouiſum eſſet; de quibus beneficia inſtituta ſunt. Quo poſito.

R. Beneficium Eccleſiaſticum eſt ius perpetuum recipiendi redditus ex bonis Eccleſiæ ratione ſpiritualis officij Eccleſiaſtica auctoritate conſtitutum. Dicitur ius, quia beneficium connumeratur inter res incorporales, & ſpirituales, licet redditus, ſiuè prouentus ex beneficio corporales, ac temporales ſint. Dicitur perpetuum, quia beneficium collatum non poteſt auferri abſque legitima cauſa. Ita Leſſius *lib. 2 cap 34. dub 1. num. 3.* licet alii dicant dici perpetuum ob aliam cauſam. Tertiò dicitur recipiendi redditus ex bonis Eccleſiæ. Ratio eſt, quia redditus beneficiorum percipiuntur ex bonis immobilibus, ac iuribus aſſignatis particularibus Eccleſiis. Dicitur ratione ſpiritualis officii, quia omne beneficium datur propter officium, ideſt ſpirituale, & Eccleſiaſticum ſeruitium. *Cap. vltimo de reſcriptis in 6.*

Sciendum 3. in beneficio duo ſpectari poſſe. Primò ius percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ ob Eccleſiaſticum officium, quale eſt adminiſtrandi Sacramenta, celebrandi Miſſas, canendi in Choro, dicendi horas canonicas, vel exhibendi aliud miniſterium in Eccleſia inſtitutum. Secundò in beneficio ſpectari poſſunt prędia, & alia bona Eccleſiæ, ex quibus fructus quotannis percipiuntur. Primum, ſimpliciter, ac per ſe ſpirituale eſt, alterum verò ius ſecundum ſe ſpectatum, temporale eſt, videlicet ad percipiendos redditus Eccleſiaſticos, licet hoc ius conſideratum reſpectiuè, vt annexum ſpirituali officio ſpiritualitatem quandam participet, ſicuti conſtat *ex cap. dilecto de prebendis*.

De Beneficiorum Ecclesiasticorum multiplici varietate?

BRACTEA II.

R. Beneficium multipliciter diuidi, vt tradit Rebuffus *cap.4.* Azorius *lib.3.cap.1.qu.4.* & alii. Primò, enim diuiditur beneficium in propriè beneficium, & in impropriè beneficium. Propriè beneficium dicitur illud, cui conuenit ex omni parte definitio assignata beneficii; Beneficium impropriè, cui eadem definitio non conuenit omni ex parte.

Sciendum beneficium propriè sumptum subdiuidi in regulare, & sæculare. *Cap. Cum singula depræben. in 6.* Regulare illud esse, quod datur solis Religiosis, idest votis Religiosis adstrictis, regulamque aliquam profitentibus; Sæculare verò, quod sęcularibus personis est addictum, & debitum, *ex cap. cum de beneficio de prębendis in 6.* & ex Clementina 1. *de supplenda negligentia Prelatorum*. Quod vtrumque rursus, vel est duplex, quod curam animarum, & iurisdictionem habet adiunctam, vel simplex quod neutram illarum habet adiunctam; Regularia simplicia sũt Prioratus simplex, & Canonicatus regularis; duplicia verò Abbatia, Prioratus Conuentualis, & Prioratus Claustralis; Sęcularia autem simplicia sunt Canonicatus Ecclesię, & Capellania; Sęcularia verò duplicia, quędam sunt habentia curam animarum, cum iurisdictione in personas Ecclesiasticas, quoad forum externum, & cum titulo dignitatis, vt Papatus, Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & ex Papali priuilegio, tum Cardinalatus, tum aliquæ Abbatiæ, vel Prioratus Sęculares. Quędam verò habent annexam curam animarum, sed sine iurisdictione, quoad forum externum, ac sine titulo dignitatis, vt Parochiale beneficium, Vicaria Parochialis perpetua: quędam autem sunt cum illa iurisdictione quidem, ac cum titulo dignitatis, sed sine animarum cura, vt aliqui Archidiaconatus, Decanatus, seu Archipresbyteratus: quędam demum sunt cum titulo dignitatis, sed sine iurisdictione in Clericos, & cura animarum, vt Thesaurariatus, Primiceriariatus, &c.

Inter beneficia impropriè dicta ponuntur pensio Clericalis, Commenda ad tempus, Coadiutoria, Hospitale, & prębendę, quę nonnullis dantur ad tempus.

Apud quem sit potestas conferendi beneficia?

BRACTEA III.

Sciendum, Summum Pontificem non esse Dominum beneficiorum, sed dispensatorem. Et ita S. Thomas 2.2.*quæst.*100.*art.*1. Caiet. *ibidem*, & *quæst.* 43. *art.*8. Molina *tract.2. de iustit. dispu.29. quæst.2.* Adrianus *in 4. de restitut.§.pro clariori*, Lessius *lib.2.cap 4.dub.4* Azorius *lib. 6. cap.1. quæst. vlt.* Thurecremata *lib.2 sum.cap.113.* Nauar. *in cap.non liceat de spolijs Clericor.cap.3.* & alii. Ratio est, quia si primo loquimur de beneficio, quatenus dicit quoddam ius spirituale, Papa sub ista ratione non censetur Dominus, sed dispensator, ac minister principalis, quatenus verò includit ius temporale, quod triplex est, primum bona ipsa; vt prædia, redditus, montes &c. à fidelibus donata Ecclesijs ad sacra ministeria, & hęc cum donata fuerint ipsis Ecclesijs particularibus, vt v. g. Taurinensi, Vercellensi, Montisregalensi, &c. & ipsæ capaces sint dominij illarum rerum, easque acceptauerunt, nec transtulerint earum dominium in Summos Pontifices, nõ apparet ratio, cur Summus Pontifex illarum rerum dicatur Dominus; Secundũ, est ius ad fructus rei, q pertinet ad eum, qui est Dominus eius rei, ille enim dicitur Dominus predij, qui habet ius percipiendi etiam fructus illius prædij, nisi impediatur ex aliquo suo contractu, vel delicto. Si Papa non est Dominus bonorum Ecclesiasticorum, nec etiam erit Dominus iuris ad fructus ex his percipiendos; Tertium, sunt ipsi fructus, qui percipiuntur ex bonis, & horum, cum sint Domini ipsimetmet beneficiarii, sequitur, vt Papa non sit Dominus fructuum omnium beneficiorum, sed ad summum eius tantum beneficij, quod ipse possidet.

Quod verò sit dispensator sentiunt communiter omnes, & patet ex eo, quia cum sit caput vniuersalis Ecclesiæ; & ad caput pertineat dispensatio bonorum illius, pertinebit ad Papam eorum dispensatio. Nauar. *cap. non liceat de spolijs Clericor.*

Sciendum 2. pertinere ad Papam collationē beneficiorum eorum, quę vel per mortem, vel quacumque alia ratione ea amittunt in Curia. *ex regula prima Cancellarię, & extrauag.ad regimen de prębendis*. Secundò, ratione personarum ad se, suamque curiam pertinentium: atque ita reseruantur primò beneficia curialium, vel aliorum ad curiam accedentium, vel inde recedētium, si moriantur quadraginta milliaria à Curia nõ distantia. Ita *in prima regula, & ex eadem extrauaganti ad regim.* item beneficia familiarium suorum, & familiarium Cardinalium S. Romanæ Ecclesiæ. *ex reg.3.* Similiter beneficia collectorum, & subcollectorum, qui tempore sui officij obierint in quacumqua Ciuitate, vel Dioecesi. Ita *in reg.4.* & beneficia curialium, quibus cum Curia Romana discedentibus, obire contingit, *in regula 5.* & beneficia cubiculariorum, & cursorum Romani Pontificis. Ita *in regula 6.*

Sciendum 3. pertinere ad Papam ea beneficia conferre, quæ sibi reseruat ratione pręeminentiæ, quia sunt beneficia Cathedralium, dignitatum, &c. atq; ita primò reseruantur beneficia Patriarchalia, Primatiualia, Archiepiscopalia, &c. Secundò, beneficia, quæ dicuntur dignitates principales in Ecclesijs Collegiatis. Tertio, Prioratus, Prępositurę, & alię dignitates conuentuales, & pręceptorię generales Ordinum quorumcunque, sed non militarium. Ita *in regula 3.*

Similiter quę reseruat sibi Papa ratione Episcopatus Romani, vt sunt beneficia S. Ioannis Lateranensis, S. Petri, & S. Mariæ Maioris de Vrbe, nempè Canonicatus, Prębendę, dignitates, personatus, & officia predictarum Basilicarum. Ita *in regula 7. Cancellarię.*

Sciendum 4. quod etiam aliqua beneficia reseruat sibi Papa ratione supremæ potestatis in Ecclesię. Talia primò sunt omnia vacãtia tempore vacationis Ordinariorum. Ita *2. par. regula 2. Cancellariæ.* Secundò, quę vacant mensibus Põtificis, & in alternatiua cum Episcopis. Ita *in regula 8.* Tertiò, omnia beneficia per suos predecessores

cessores reseruata. Ita *in decima regula Cancellar.*

Sciendum 5. aliqua beneficia pertinere ad Papam iure affectionis, quia scilicet eorum collatio tunc ad Papam pertinet, quamuis aliàs ad Episcopum, vel alium Ordinarium possit pertinere, quorum affectio dicitur à nonnullis reseruatio ad tempus, vel ex certa causa, vel per appositionem manus Papę, & ita dicitur beneficium affectum, quod Papa contulit, sed inualidè ob aliquod Canonicum impedimentum à Papa iterum conferendum est. *Cap. inter dilectos de excessibus Prelatorum, cap. ad nostrum de appellatione.* Secundò illud, quod est à Papa commendatum, nam obitu Commendatarij manet affectum, idest obligatum, vt à Papa conferatur. Tertiò, si Papa pręcipiat electoribus, vt aliquem ad certam Ecclesiam erigant, tunc enim ea Ecclesia dicitur affecta. *Cap. si eo tẽpore de elect. in 6.* quod dicitur mandatum de prouidendo. Quartò, quando beneficium vacat per resignationem factam in Curia, tunc enim illud beneficium dicitur affectum Papę. Garzias *1. part. cap. 1. num. 170.*

Sciendum 6. aliqua beneficia, etiam pertinere ad Papam iure deuolutionis, hoc est translationis iuris conferendi ad ipsum, quod ad alium pertinebat; si enim collatores inferiores non conferant in tempore à iure definito, beneficia ad ipsum spectantia deuoluũtur ad Papam, & hic est primus modus deuolutionis. Secundò, omnia beneficia per confidentiam accepta ipso iure vacant, & eorum collatio ad Papam deuoluitur. Pius IV. *in Bulla ad Romanum Pontificem,* & Pius V. *in bulla intollerabilis.* Tertiò, omnia beneficia vacantur ob crimen hæresis. Pius V. *Cum ex Apostolatu.* Quartò, omnia Parochialia, &c. collata ab Episcopo non seruata forma Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 8.* deuoluũtur Romano Põtifici. Pius V. *in conferendis.* Quinto, beneficia collata Clericis prohibitis propter generis originem, aut hęresim sunt nullius momenti, & deuoluuntur ad Papam. Gregorius XIII. *in Ecclesijs.*

An Concilium generale, Cardinales, &c. possint conferre beneficia?

BRACTEA IV.

R. Concilium generale iure communi non habere potestatem conferendi beneficia. Ratio est, quia in nullo Canone inuenitur expressa hęc potestas, posse tamen de consensu Papę expressè, vel tacitè conferre beneficia. Ratio est, quia cum Papa pleno iure possit, sequitur etiam, quod Concilium possit de consensu Papę tacito, vel expresso.

R. 2. Collegium Cardinalium sede vacante non posse conferre beneficia; & ita communiter Doctores, & colligitur *ex cap. vbi periculum in 6. Clementina Ne Romani.* Ratio est, quia ea, quæ sunt iurisdictionis Papę, vt est conferre beneficia non transeunt ad Collegium Cardinalium sede vacante. Ita Azorius *lib. 6. cap. 25. quæst. 3.*

Sciendum Cardinales in suis titulis habere potestatem conferendi beneficia spectantia ad suos titulos, & reliquas Ecclesias ipsorum titulis subiectas. Ratio est, quia in suis titulis habent Cardinales iurisdictionem Episcopalem forensem: ad iurisdictionem autem Episcopalem pertinet conferre beneficia Ecclesiarum suo Episcopatui subiectarum; ergo, &c.

Sciendum 2. Cardinalem tamquam Legatum Apostolicum, seù à latere posse conferre beneficia Prouincię, quod probatur *ex cap. 1. de officio Legati in 6. & cap. si à Sede de prębend. in 6.*

Sciendum 3. quod quando dicimus Cardinalem tamquam Legatum Apostolicum, seù Legatum à latere posse conferre beneficia, nomẽ *beneficia* vsurpari in sua latissima significatione, prout comprehendit institutionem nominatorum à Patronis, &c. & collationem propriè dictam eorum scilicet beneficiorum, quæ ab ipso solo conferuntur. Azorius *lib. 5. cap. 28.* Secundò, extenditur hęc potestas primo ad beneficia de iurepatronatus Ecclesiastico. *Cap. Dilect. de officio Legati, cap. cum dilect. de iurepatronatus.* Tertiò extenditur ad beneficia spectantia ad collationem exemptorum, nam Legatus est Ordinarius exemptorum. Quartò, extenditur ad beneficia, quorum collatio deuoluta sit ad Sedem Apostolicã. *Cap. penult. de prebendis, &c.* Quintò, extenditur ad beneficia etiam vacatura, quę potest reseruare collationi. *Cap. Præsenti de officio Legati in 6.* Sextò, extenditur hæc potestas ad conferenda dicta beneficia, etiamsi ipse Legatus existat extra Prouinciam. Glossa *in cap. Nemo de officio Legati.*

Sciendum 4. Cardinalem Legatum non posse conferre, vel reseruare Ecclesias Cathedrales, vel Regulares, aut Collegiatas, seù ipsarum Cathedralium dignitates maiores post Pontificalem electiuam, quę scilicet per electionem conferri solent. *Cap. Deliberationi de officio Legati in 6.* quę verò Ecclesię non sunt, poterunt ab eo conferri. *Archidiaconus cap. Deliberat.* Secundò, non posse conferre beneficia reseruata Papę. *Cap. licet de prebend. in 6.* Tertiò, nec posse conferre beneficia litigiosa, sicut etiam non potest conferre beneficia iurispatronatus Laicorum. *Cap. cũ dilect. de iurepatronatus,* quia non solet Papa derogare iuripatronatus Laicorum, ne hi auuersentur à fundandis, dotandis, & reficiendis Ecclesijs. Quarto, non posse conferre beneficia filio, in quo pater eius proximè ministrauit, id enim est iure communi prohibitum. *Cap. Ad extirpandas, cap. Michael, cap. Dilect. de filijs Presbyt.*

An Episcopi possint conferre beneficia?

BRACTEA V.

R. Episcopos posse conferre omnia beneficia suæ Diœcesis, præter ea, quę sunt Papę reseruata. Ita Azorius *lib. 3. cap. 29. quæst. 5.* Lessius *cap. 34. dub. 10.* Gonzal. *§. 1. proemij nu. 22.* Ratio, quia Episcopi in sua Diœcesi sunt Principes, & moderatores sacrorum, ideò ad ipsos pertinet rerum sacrarum ministros constituere, & officia sacra conferre.

Sciendum Episcopum, postquam est electus & confirmatus posse conferre beneficia etiam ante inductionem in possessionem, nisi alius esset in possessione Prçlaturę, & colligitur *ex cap. Nosti, cap. Transmissam, cap. Qualiter, & cap. Nihil est de elect.* licet hodie ex extrauag. iniuncta de electione non possint Episcopi in Curia promoti etiam litteris expeditis conferre, nec administrare ante illarum ostensionem, & præsentationem

tationem factam Capitulo, vt patet ex verbis illis; *Nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant.*

An Capitulum Sede vacante possit conferre beneficia?

BRACTEA VI.

R. Capitulum Sede vacante fungi iure Episcopi, & succedere in his omnibus, quæ sunt iurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus iure expressis, & probatur à Garzia *cap. 7. n. 4.*

Sciendum, quod licet Capitulum sede vacante fungatur iure Episcopi, non tamen potest conferre beneficia collatione libera, & gratiosa, sed solum collatione necessaria, & debita. Ratio primæ partis est, quia collatio gratiosa computatur inter fructus, qui futuro Episcopo reseruantur, nec illi præiudicium fiat, & est quædam donatio, quæ non censetur concessa Capitulo, at collatio necessaria debuit etiam posse fieri à Capitulo hoc ipso, quod necessaria est.

An Vicarius Episcopi possit conferre beneficia?

BRACTEA VII.

R. Vicarium Episcopi non posse conferre beneficia, nisi de speciali mandato, & colligitur *ex cap. fin. de officio Vicarij in 6.* Ratio est, quia Vicarius generalis, ea quæ sunt iustitiæ, & necessitatis, & etiam ea, quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, quæ tamen non sapiunt gratiam impendere potest: at collatio beneficiorum est mera gratia, est enim donatio quędam, ergo, &c. *Cap. Relat. de præbendis, cap. Post electionem, &c.* idcoque absque speciali mandato non potest.

Sciendum 1. Vicarium Episcopi non posse præsentare, etiamsi data esset potestas conferēdi beneficia. *Cap. Cum in illis de prębend. in 6.* potest autem instituere præsentatos, & confirmare electos, quia hoc est iustitiæ, & necessitatis, vt docet Azorius *lib. 3. quæst. 4. & 5.* Secundò, posse conferre beneficia ex causa permutationis resignatę, si habeat ab Episcopo potestatem recipiendi resignationem ex causa permutationis, quia tum collatio est necessaria. *Cap Vnico de rerum permutat. 6. & Clement. vnica de rerum permutat. &c.* Tertiò, posse conferre etiam beneficia liberę collationis, si ad id speciale mandatum habeat. *Cap. fin. de officio Vicarij in 6.* non tamen potest habere speciale mandatum ad beneficia vacatura, vel ad conferendum certis personis, sicut neque potest conferre beneficia, quæ iure speciali, aut priuilegio Episcopus confert ex sola facultate ei data specialiter conferendi beneficia, nec illa, quæ iure deuoluto ad Episcopum pertinent tamquam Delegatum Sedis Apostolicæ, secus de alijs, quæ ad illum pertinent iure ordinario. Quartò, posse conferre beneficia, etiam extra Diœcesim, si non requirant strepitum iudicialem, quia talis collatio est voluntariæ iurisdictionis, & Vicarius est Ordinarius. Vltimò, non posse conferre beneficia in Episcopo, etiamsi aliàs esset capax, quia facit vnam personam cum illo, vt docet Rebuffus *in praxi*, Azorius *quæst. 15. in forma Vicarij num. 82.* & ideò si Vicarius conferat inhabili, non fit ad Episcopum deuolutio, quod tamen intelligendum est, dummodo conferret ea, vt Ordinarius, non autem vt Delegatus. Ita Filliucius *tract. 41. de beneficijs Ecclesiast. cap. 2. num. 53.*

An Laici habeant ius conferendi beneficia?


BRACTEA VIII.

R. Laicos non habere ius conferendi beneficia, nec instituendi, nec confirmandi. Ratio est, quia hæc potestas non conuenit Laicis iure communi, vt constat ex multis decretis *16 quæst. 7.* nec illam possunt comparare præscriptione, vel consuetudine, quamuis longissimi temporis, & immemorabilis, vt docet Azorius *lib. 6. cap. 25. quæst. 19.*

Sciendum iuspatronatus esse ius temporale annexum spirituali antecedenter; ordinatur enim ad præsentandum Clericos ad beneficia Ecclesiastica, & præsentatio antecedit beneficij institutionem. Secundò, hoc iuspatronatus, tàm per Laicos, quàm per Clericos tribus modis acquiri fundatione, contractu, & dotatione; & primò fundare dicitur is, qui fundum dat, in quo Ecclesia constituatur, acquirit autem ius personatus secuta constitutione. Secundò construere, seù ædificare dicitur etiam is, qui destructam reædificat, qui verò reficit, non acquirit iuspatronatus. Tertiò dotatio debet esse sufficiens arbitrio Ordinarij, alioquin si insufficiens sit, dicetur tantum benefactor; quod si plures concurrant dantes simul dotem competentem, etiamsi singuli non dent competentem omnes æqualiter sunt patroni.

Sciendum 2. non acquiri de iure, ex augmento dotis iuspatronatus, sed requiri, vt in totum dotetur, nisi aliquibus concessum sit ex priuilegio Papę. Secundò fęminam posse acquirere, & habere iuspatronatus & pręsentandi. *Cap. fin. de concess. præb. cap. ex litteris de iurepatronatus*; & iuspatronatus hęreditarium transit etiam in fęminas, sicut etiam relictum his, qui sunt de familia.

Sciendum 3. iuspatronatus aliud esse Ecclesiasticum, aliud Laicale, & aliud mixtum: & quod Ecclesiastici patroni habent semestre ad pręsentandum, Laici solùm quadrimestre. *Cap. vnico §. verum de iurepatronat. in 6.* vtrique mixtim habent semestre ratione communionis cum Ecclesiasticis. Secundò institutionem, seù collationem factam ab Ordinario spreto Patrono nullam esse, si fiat non transacto tempore ad præsentandum. *Cap. Decernimus 16. quæst. 7.* reclamante tamen, & contradicente Patrono infrà dictum tempus, aliàs valebit, vt colligitur ex multis Doctoribus; & ratio est, quia nullitas collationis ab Ordinario facta spreto Patrono inducta est in fraudem Patroni, erit ergo nulla, si ipse voluerit, & contradicat; si verò collatio fiat Patrono, & sciente, non reclamante censetur valida. Ita apud Filliucium *loco citato num. 62.*



Vtrum

Vtrum beneficiati sint veri, & absoluti Domini Ecclesiasticorum redditũum?

BRACTEA IX.

Sciendum bona Clericorum beneficiatorum esse triplicis generis: alia quæ ipsis ex hæreditate, arte, donatione, &c. obueniunt, quæ patrimonialia vocantur: alia verò sunt quasi patrimonialia, quę Clericis offeruntur tamquam laboris, & vitæ stipendium ob Missas quotidianas, Sacramentorum ministrationem, &c. alia denique sunt Clericorum bona, quę propriè dicuntur redditus Ecclesiastici, qui secundum originem suam ad Ecclesiam pertinent. Quibus positis.

R. Bonorum patrimonialium Clericos esse veros, & absolutos Dominos, & de ipsis, ac de redditibus posse disponere donando, legando, &c. sicut etiam censentur Domini bonorum, quasi patrimonialium, & eorum fructuum, redditũum; vt docet Maior. *in 4. dist. 24. quęst. 17.* Couar. *cap. cum in officijs num. 4. de testamentis.*

R. 2. Ex communi Doctorum sententia S. Thomæ 2. 2. *quęst. 185. art.* 7. Caietani *ibidem*, Gabrielis *in 4. dist. 15. quęst. 8. art. 2.* Maior. *in 4. quęst. 17.* Soti *lib. 10. de iustit. quęst. 4. art. 3.* Nauar. *in tract. de redditibus Ecclesiasticis quęst. 2. &c.* redditus Ecclesiasticos quatenus prudentis viri arbitrio beneficiario necessarij sunt ad honestam, ac decẽtem vitæ sustentationem pleno iure ad ipsum pertinere, non minus quam bona patrimonialia.

Sciendum 2. nomine stipendij necessarij ad honestam, & decentem vitæ sustentationem comprehendi in primis ea, quę requiruntur ad ipsum beneficiatum, eiusque familiam, quam conuenienter suo statui habet honestè alendã, deinde ad hospitalitatem exercendã erga consanguineos, amicos, & peregrinos, tum verò ad prestandas donationes remuneratorias beneficiorum, immò interdum etiam liberales non prodigas; denique ad alias honestas, & statim conuenienter animi, ac corporis relaxationes, quorum omnium quãtitas æstimari debet, cum ex personæ, & officij dignitate, tum verò ex redditum amplitudine, ac copia, vt docet Nauarrus *quęst. 1.* & Molina *tom. 1. tract. 2. disp. 145.*

Sciendum 3. insuper ęstimanda esse beneficiati mente, ac labores, quos Ecclesię vtiliter præstat doctrina, concilio, scriptis; sicut monet Glossa *recepta in cap. consequente vers. resid. de Clericis non residentibus,* Gabriel *in 4. dist. 15. quęst 8 &c.*

Sciendum 4. beneficiatos mortaliter peccare, si redditus superfluos notabili quantitate in profanos vsus expendant. Ratio est, quia vt Sacri Canones aiunt bona Ecclesiastica sunt res Dei, patrimonium Christi, vota fidelium, pretia peccatorum, & ideò neque Papa, neque vllus Episcoporum hos redditus potest conuertere in vsus prophanos, cum sint ex natura sua, ex mente fidelium offerẽtium ordinati ad pios vsus, & ad Dei honorem, & ideò si redditus superflui sint, sunt expendendi in opera pia, vt in faciendis eleemosynis pauperibus, & similia, & ideo antiquitus Episcopi ex antiqua traditione Patres pauperum vocabantur, & ideo S. Bernardus *Epist. 2. ad Canonicos Lugdunenses* ait, *Quidquid præter necessarium victum, & vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

Sciendum 5. posse Episcopum parentibus pauperibus subuenire redditibus Ecclesiasticis non tantum si absolutè pauperes, siuè indigentes sint, sed etiam considerato statu suo, quem honestè sustentare non possunt.

De impedimentis Canonicis, quæ reddunt inhabilem ad beneficia Ecclesiastica?

BRACTEA X.

R. Multiplicata esse impedimenta, quæ canonicè reddunt inhabilem Clericum ad beneficia obtinenda. Primum impedimentum est incapacitas Ordinis Ecclesiastici, qualis est fęmina, *ex cap. Vxoratus §. fin. de conuers. coniug.* & ratio est, quod ipsa arceatur ab omni altaris ministerio, quod à Christo commissum est tãtum sexui virili; Secundum impedimentum est, defectus tonsuræ Clericalis. Ratio, quia beneficia non possunt conferri alijs, quam Clericis initiatis tonsura. *ex cap. Cum adeò de rescriptis,* & *cap. Ex litteris de transactionibus,* & *cap. 2. de institutionibus.* Tertium impedimentum est matrimonium, nam coniugatus etiam Clericus inhabilis est ad omnia beneficia. *ex cap. 1. 2. 5. & 8. de Clericis coniugatis.* Quartum impedimentum est bigamia, bigamus enim beneficij capax non est, quãdoquidem ordinari non potest tanquam irregularis, & per consequens nec exercere potest officium, propter quod Ecclesiasticum beneficium dari habetur. *ex cap. fin. de rescrip. in 6.* Quintum impedimentum est censura Ecclesiastica, vt v. g. excommunicatio per textum *in cap. Postulastis de Clerico excommunicato,* & *ex cap. Cum dilect. de consuetudine,* & ex pluribus alijs iuribus. Sextum impedimẽtum, est defectus natalium, quem qui patitur inhabilem esse ad omne beneficium Ecclesiasticum habetur *ex cap. de filijs Presbyterorum.* Septimum impedimentum est defectus fidei. Octauum impedimentum est iniuria illata Cardinali, nam *ex cap. Felicis de pęnis in 6.* tria personarum genera propter eiusmodi iniuriam inhabilia reddũtur ad omnia beneficia, cum quibus solus Papa dispensat. Primum est percutiẽtium, capientium, aut hostiliter insequentium Cardinalem: secundum est participãtium cum aliquo illorum physicè, vel moraliter: in tertio genere sunt filij, & nepotes omnium prędictorum tàm facientium, quàm participantium. Nonum impedimentum, est acceptio secundi beneficij Curati, nam habens iam vnum beneficium curatum obtenta pacifica possessione secundi item Curati sine dispensatione Papæ, & perdit prius, & efficitur inhabilis ad omne beneficium per *Ioannem 21. Execrabilis tit. de preb.* Decimum est homicidium, nam homicida est inhabilis ad omne beneficium, quando homicidium fuerit cum peccato. *ex cap. Inquisit. de accusat.* & ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 7.* Vndecimum impedimentum, est concubinatus, qui post primam admonitionem non relinquit cõcubinam, vel ea relicta accipit aliam, inhabilis est ad omne beneficium. Ita colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 14. de reformat.* Duodecimum est raptus mulieris, nam ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformat. matrimonij* raptor

ptor mulieris, & omnes consilium, auxilium, & fauorem præbentes sunt incapaces omnium dignitatum, & si fuerint Clerici de proprio statu decidunt. Decimumtertium est iniusta vsurpatio bonorum Ecclesiæ, nam ex Cōcilio Tridentino *sess. 22. de reformat. cap. vlt.* & ex Bulla Pij V. quam refert Nauarrus *in summa cap. 23. nu. 109.* Clericus, qui iniustè vsurpat bona Ecclesiastica, aut qui sic vsurpantibus consilium, auxiliū, & fauorem præbet, inhabilis est ad omnia beneficia Ecclesiastica.

De dispositionibus requisitis ad obtinenda beneficia Ecclesiastica?

BRACTEA XI.

R. Multa esse necessaria, vt quis dicatur capax beneficij Ecclesiastici. Primò requiri eam ætatem; quæ est necessaria ad exercendum officium, propter quod illud datur, vt v.g. ad Episcopatum requiritur annus trigesimus cōpletus *ex cap. Cum in cun. de elect.* Secundò, ad Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, & aliud beneficium, quodcunque, annexam habens animarum curam requiritur vigesimus quintus annus inceptus *ex cap. Cum in cunctis §. Inferiora* & ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12. de reformat.* Tertiò, ad personatus, aut dignitates Cathedralis Ecclesiæ non habentes adnexam animarum curam sufficit annus vigesimus secundus completus, ad sæculare beneficium simplex, idest nec curam animarum, nec iurisdictionem in foro externo, nec animarum in Choro habens, si Ordo sit illi annexus ætas eiusdem Ordinis requiritur, vel saltem illa in qua beneficiarius possit ad talem Ordinem intra annum promoueri: vnde si beneficium sit Præbenda Sacerdotalis, ad ipsum requiritur vigesimus quintus annus inceptus: si Diaconalis vigesimus tertius inceptus, si Subdiaconalis vigesimus secundus inceptus: iuxta Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 12. de refor.* Vltimò ad quodcunque beneficium Ecclesiasticū requiritur decimus quartus annus inceptus alioquin collatio est inualida, prout iudicat Concilium Tridentinum *in sess. 23. cap. 6. Nullus Prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.*

R. 2. Preter maturitatem ętatis requiri etiam scientiam litterarum, & ideò collationem beneficij non valere, quando fit ei, qui est omninò illiteratus, *ex cap. 1. & 2. dist. 36. & cap. 1. & 3. dist. 55. & cap. fin. de ętate, & qualitate.*

Sciendum maiorem scientiam requiri ad beneficium curatum, quam ad simplex, cum illud de iure adiunctum habeat officium non solum tractandi Sacramenta, sed etiam proponendi populo verbum Dei, & audiendi confessiones, ex Clementina 2. §. *verum de sepulturis*: item ad Episcopatum maiorem scientiam requiri, quam ad alia beneficia curata, quia Episcopo non tantum committitur cura animarum, sed etiam personarum, & rerum Ecclesiasticarum, *ex cap. de Persona 11. quæst. 1. ex cap. Nisi cum quidem de renunciatione*; ita vt necessaria sit illi tam Sacrarum litterarum, quam Sacrorum Canonum scientia, vt possit ex eis docere, & regere Populum sibi commissum paratus semper in satisfactionem, rationem reddere, de ea, quæ est in nobis spe.

Sciendum 2. quod quando quis est modicæ litteraturæ, sed non sufficientis, collationem quidem beneficij esse validam, vt docet Nauar. *ad cap. si quando de rescriptis except. 15.* sed ipsum obligari eidem beneficio renunciare iuxta *cap. Nisi cum quidem de renunciat. §. pro defectu*. Verum si conueniens, seu sufficiens sit litteratura, quamuis non sit eminens, illum, qui accepit beneficium, neque teneri illud resignare, quamuis sit Episcopus. Ita *caput §. pro defectu*; & ex alijs iuribus, quæ habet Nauarrus *ad caput si quando de rescriptis excep. 16.*

R. 3. Præter scientiam requiri etiam probitatem morum: vnde cum quis fuerit contaminatus tali peccato mortali, quod ipso iure inducit irregularitatem, vel aliam inhabilitatem ad beneficium, vel excommunicationem, aut suspensionem, non solum peccare mortaliter acceptando beneficium, ad quod est inhabilis, sed etiam promotionem ipsius, esse ipso iure nullam, iuxta *caput si celebrat de Clerico excommunic.* Secundò, infectum peccato mortali, quod nec inducit inhabilitatem ad beneficia, nec notorium est, & depositione dignum, nec infamia notatum, si de illo perpetrato nō pęniteat, peccare mortaliter acceptando beneficium, promotionem tamen illius esse validam. Quartò, eum, qui probabiliter ignorat se in statu peccati mortalis esse, quia putat se sufficienti modo contritionem habuisse, & confessionem fecisse de commissis, non peccare admittendo beneficium, illiusque promotionem valere. Vltimo infectum peccato mortali, nec inducente inhabilitatem ipso iure, nec notorio, & depositione digno, nec infamia notato, si illius non pertineat, eo quod nullo modo recordetur, neque aduertat se esse in tali statu, aut non nouit, ad acceptandum beneficium tanta puritate opus esse, non peccare mortaliter, nec illius promotionem esse inualidam. Ratio, quia talis ignorantia à peccato mortali excusat, vt minuens voluntarium.

An Beneficiatus obligetur ad residentiam?

BRACTEA XII.

Sciendum residentiam dici assiduitatem cōmorationis in loco beneficij causa seruitij Ecclesiastici personaliter præstandi: vnde si Clericus in loco sui beneficij commoretur quidem, sed officium nunquam præstet non esse censendum residere, quia frustranea est eius residentia, quippè fine, & effectu suo destituta.

Sciendum 2. aliud esse residere, & aliud interesse; quare licet Canonicus, v.g. interdum non sine sua culpa à Diuinis absit, adeoque incurrat pęnas, siue priuationes fructuum, qui præsentibus deputati sunt, non tamen amittit fructus residentiæ, sicut etiam Canonicus, qui iurauit residentiam, & si sępius Diuina officia negligat, atque peccet, non tamen censetur periurus, modo interdum se sistat, tum in Ecclesia, tum in Capitulo, præsertim si vocatus fuerit, vel eius auxilio opus sit, tunc enim residentia omninò caret fine suo. Quibus positis.

R. In omnibus beneficiariis etiam simplicibu

iures

iure communi exigi residentiam. Ratio est, quia omne beneficium habet annexum aliquod ministerium, & seruitium Ecclesiæ, quod exerceri debet in propria persona, & ideò requiritur in beneficiatis residentia.

Sciendum 3. in Beneficiariis habentibus curam animarum, & seruitium personale residentiam esse de iure Diuino, & expresse habetur in Concilio Tridentino *sess.23.cap.1. de reformat.* & communiter docent omnes Doctores.

Sciendum 4: quod licet probabilis sit opinio Nauarri *cap.25. num.121.* posse Parochos abesse per bimestre absque licentia Ordinarii, tamen hodie ex declaratione Cognregationis non possunt sine licentia abesse à sua Parochia, verum si aliqua necessitas vrgeat, quæ non patiatur dilationẽ potest Parochus abesse non petita licentia, sed quamprimum debet facere certiorem Episcopum de causa discessus, vt declarauit Congregatio, ex Garzia *cap.n.33.*

Sciendum 5. in beneficiis habentibus dignitatem in Cathedralibus, vel Collegiatis, Canonicatus, Præbendas, & petitiones, etiamsi simplicia sint beneficia, iure Canonico requiritur residentia; assignantur autem à Doctoribus causæ excusantes à residentia, tum ad breue tempus, tum ad longum tempus, quæ ad quatuor capita reuocari possunt, quorum meminit Concilium Tridentinum *sess.23. cap.1. Cum Christiana Charitas vrgens necessitas, debita obedientia, euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas aliquos nonnunquam abesse postulat.* Ad primum caput Christianę Charitatis pertinet, si quis à loco beneficii discedat causa iuuãdi proximum auxilio indigente, v.g. vt lites, & odia componantur, &c. Ad secundum caput spectat si beneficiatus absit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem, iuxta *caput præsentium 7. quæst.1. cap. ad audientiam de Clericis nõ residentibus*, vel ob capitales inimicitias, vel ad piã peregrinationẽ, aut similem honestã causam, impetrata tamen licentia Prælati, sicuti in *cap. relatum*. Ad tertium caput pertinet si beneficiatus absit mandato Papæ, vel Apostolicę Sedis seruitio occupatus. *Cap. cum dilectus, cap. ad audientiam.* Ad quartum caput spectat si Clericus absit ob negotium Ecclesiæ. *Ita caput ad audientiam, & cap. ex part. 2.* item studiorum causa, qua ratione concessum est Episcopo; *in cap. cum ex de elect. in 6.* dispensare cum promotis ad Ecclesias Parochiales, vt vsque ad septennium, quo in studiis morari possunt, ad Sacerdotium promoueri non teneantur, modo intra annum post adeptam Parochiam Subdiaconi fiant: interim verò dum in studio fuerint Ecclesiæ eorum per idoneos Vicarios administrari debent *& in cap. vltimo de Magistris*, permittitur beneficiatis, vt quinquennii spatio Theologiæ studere possint, eandem verò quamdiu voluerint docere absentes, possint sine redditnum priuatione, quod ipsum plerique ad studium iuris canonici extendunt, vt videre est apud Abbatem *cap. ex parte num. 5. de Clerico non residente, cap. licet, cap. vlt. de præbend.* & ita Nauarrus *cap. 25. num.221.*

Sciendum 6. quod si Clericus à beneficio residentiam postulante illegitimè absit, fructibus priuandus est, sed causa prius cognita; & ideò citari debet, quod si contumax existat etiam beneficio spoliari. Ita *cap. ex parte 1.* & Trident. *sess.23. cap.1. de reform.*

MALLEATIO XLVII.

De modis legitimis acquirendi beneficia Ecclesiastica.

De electione?

BRACTEA I.

Sciendum vt quis legitimè acquirat beneficiũ Ecclesiasticũ q̃plurima quidẽ requirũt, quę ad duo capita reuocãtur, quorũ prius est, vt is, cui beneficium confertur, sit illius capax posterius, vt beneficium conferatur licito modo & ab habente potestatem conferendi beneficia, plures verò sunt modi iure canonico instituti, quibus Ecclesiæ Ministri suis beneficijs præferantur, vocarique solent tituli, quibus ipsa beneficia conferuntur, nimirum electione, postulatione, nominatione, præsentatione facta à Patrono, simplici collatione, triennali possessione, & rescriptis Apostolicis. Quibus positis.

R. Electio est, alicuius personæ ad Ecclesiam Pastore destitutam canonicè facta vocatio. Ita Azorius *lib.6.cap.14.* & alij apud Garziam *4. par. cap.1.num.12.* & alij. Dicitur ad Ecclesiam Pastore destitutam, quia electio propriè non dicitur fieri, nisi vacante Ecclesia suo Pastore. *ex cap. Quapropter de elect.* vnde & si dignitas, vel Canonicatus conferatur communibus Clericorum suffragijs non dicitur conferri per electionem. Ita Glossa *cap. Quapropter, & cap. Sicut de electione in 6.*

Sciendum 2. beneficia electiua illa dici, quæ per dictam electionem conferri debent, consequenter tantum habebit locum in electione eorum, qui Pastores Ecclesiarum, vel Monasteriorum habentes supremam iurisdictionem in illa Ecclesia, vel Monasterio. Nõ acquiritur ius in re per electionem, sed tãtum ius ad rem, hoc est ad dignitates illas, ad quas est electus, & ideò indiget confirmatione Superioris, post confirmationem verò plenam habet bonorum temporalium administrationem, potestq; exercere spiritualia, quæ sunt iurisdictionis fori externi, vt est excõmunicare beneficia conferre, iudicare, corrigere, & alia id genus. *ex cap. Transmissam de elect.* & ideò ad confirmationem duo requiruntur. Primò, approbatio facta à Superiore. Secundò, quod tribuat electo plenum ius in beneficio, ad quod est electus, ita vt possit ea, quæ in iurisdictione consistunt exercere.

Sciendum 3. electionem triplicem fieri. Primò, per motionem Spiritus Sancti, vt quando nulla præcedente consultatione quasi Diuini Spiritus impulsu excitati simul omnes in vnum repente consentiunt. Secundò, per scrutiniũ cũ præsentibus omnibus, qui debent interesse aliqui de collatoribus assumuntur, qui secretò, & sigillatim vota cunctorũ diligenter exquirunt, & demum in scriptura redacta publicè denunciant, & is censetur electus, in quem omnes, vel maior pars consenserit. Tertio, per compromissum, cum plures idonei viri eligũtur, in quos omnino facultas, & potestas eligendi transfunditur, eligunt aliquem ad beneficium, quæ electio dicitur per compromissum.

Scien-

Sciendum 4. postulationem esse supplicem Canonicorum, vel Collegij petitionem factam superiori, vt certam personam ad Ecclesiam vacantem, non obstante aliquo defectu quem patiatur, admittat *Abbas in cap. de postulat. Prelatorum num.* 34. Azorius *lib. 6. cap.* 17. nominationem autem esse supplicem duorum, vel plurium nominationem, quæ fit ab electoribus superiori, vt vnum ex his perficere velit Ecclesiæ; & hæc dicitur nominatio solemnis ad differentiam alicuius simplicis, quæ ab electoribus fit per modum tractatus, & conferentiæ.

Sciendum 5. peccatum mortale committi, quando non modo indignus eligitur, sed etiam quando dignus eligitur absque causa prætermisso digniore; & ita Summistæ *verbo electio* 1. & Couar. *ad regulam peccatum par.* 2. § 7. Valentia 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 7. *pun.* 2. Petrus Nauarra *lib.* 2. *de restitut. cap.* 2. *num.* 120. & alij. Ratio primæ partis est, quia eligendo indignum fit contra iustitiam commutatiuam, & grauiter offenditur Ecclesia, & etiam iustitia distributiua per acceptionē personarum, qua indigni dignis anteponuntur in distributione bonorum Ecclesiasticorum. Ratio secundæ partis est, quia iniustè etiam facit, qui absque iusta, & rationabili causa anteponit dignum digniori, contra Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1.

De præsentatione, quæ à Patrono fit, ad Ecclesiastica beneficia?

BRACTEA II.

R. Quod præsentatio est exhibitio quædam personæ per Patronum, Episcopum, vel alium, ad quem institutio pertinet legitimè facta. Ita colligitur ex Doctoribus.

Sciendum Patroni esse Clericum promouēdum nominare, & offerre; est autem Patronus, qui habet iuspatronatus, quod nihil aliud est, quam beneficium onerosum, & vtile conueniens alicui ob aliquod meritum, vel obsequiū in Ecclesia collatum, & non solùm Ecclesiasticos, sed etiam laicos esse capaces iurispatronatus. *ex cap. Cum autem de iurepatron.*

Sciendum 2. iuspatronatus definiri ius spirituale annexum, quod ex gratia conceditur ei, qui consentiente Episcopo Ecclesiam aliquam, vel fundauit, vel extruxit, vel dotauit. Vnde ad acquirendum iuspatronatus sufficere solam Ecclesiæ fundationem, vel solā ædificationem, dummodo & illam, & vtramq; dotatio sequatur congrua, qualis censetur esse, quę sufficit ad necessaria ministrorū sustētatione, & ad luminaria, sine qua dote, Ecclesia ędificari prohibetur. *Cap. nemo de consecr. dist.* 1. Secundò non requiri ad acquisitionē iurispatronatus, vt is, qui fundat, vel ædificat secuta dotatione, vel dotat Ecclesiam ædificatam illud sibi expresse reseruet, sed ipso iure acquiri, quamuis non reseruetur, dūmodo ei non renunciauerit. Ita Panormitanus *cap. Signific. de testibus*, & ideò duobus modis nunc temporis acquiritur iuspatronatus fundatione, dotatione cęteri modi per Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 9. *de reformat*, fuerunt irriti, & abrogati.

Sciendum 3. quod quando sunt plures Patroni, non requiritur consensus Episcopi ad hoc, vt vnus Patronus renunciet, & remittat alteri compatrono iuspatronatus, quod cum eo habet commune. Ita *cap. ex insinuat. de iurepatron.* Ratio est, quod tunc non instituitur nouus Patronus, sed ius quod erat penes duos, vni relinquitur, neque id fit in aliquod præiudicium Ecclesiæ, cum is, qui relinquitur, approbatus sit æquè, & alter, qui relinquit. Secundò iuspatronatus cum donari possit, posse quoque legari, seu relinqui testamento, nā legatum nihil aliud est, quam donatio liberè facta à testatore; verùm vt validum sit tale legatum, requiritur cōsensus Episcopi. Tertiò, cum iuspatronatus sit aliquod spirituale non posse permutari cum aliquo temporali, posse tamen cum alio iure spirituali, iuxta Iafred. *Ad quæstiones de rerum permut.* vel cum alio simili, vel cum iure sepulturę. Requiritur autem ad eam, sicut ad donationē consensus Episcopi, si iuspatronatus transferatur in Laicū, aut in Clericum, nomine, & intuitu ipsius, non autem Ecclesiæ. Quartò, iuspatronatus absque labe simoniæ per se non posse vendi, vt si venderetur separatum à re temporali, idest à fundo, vel possessione, cui est annexum, aut pro eadem possessione pretium maius ob tale ius ei annexū acciperetur, quod perinde est, ac si calix maiori pretio venderetur, eo quod sit consecratus, licitè autem vendi posse cum possessione, cui annexum est, dummodo pro ea non exigatur maius pretium, quam si nō haberet illud annexum. Constat *ex cap. Cum seculum, & capite ex litteris de iurepatron. vtrobique iuncta glossa* cum tota vniuersitate rei, siuè bonorum, in quibus situm est tale ius, potest vēdi, & dari potest in feudū, si possessio ematur principaliter ad consequendum iuspatronatus ei adnexum in foro conscientiæ venditio censenda erit simoniaca, & illicita, principaliter si ratione eiusdem iuris plus aliquid accipiatur. Quintò, iuspatronatus transire ad quemlibet hæredem in solidum, etiamsi non sint ex æqua portione hæredes (dummodo tamen non sit aliquis hæres constitutus in re certa, cui soli sit annexum iuspatronatus, quoniam tunc trāsibit ad solum hæredem in illa re) cuilibet eorum, ipsum competit quoad omnes illius effectus, excepto iure præsentandi Clericum ad beneficium, quod quidem ius manet apud omnes hæredes communiter, neque est penes vnumquemque singulariter *ex cap.* 1. *de iurepatron.* & si hæredes ad egestatem veniant, quilibet eorum debet alij ab Ecclesia, ex qbus colligitur iuspatronatus legitimè acquisitum trāsferri ad alios per successionem, donationem, venditionem, & etiam per successionem feudi, & emphyteusis. Campanilius *rubr.* 11. *cap.* 13. *num.* 361. & alij ab eo citati. Sextò, locatorem quamuis nō acquirat directum, sed tantum vtile dominium acquirere tamen ius præsentandi: iuxta *cap. ex litteris de iurepatron.*

Sciendum 4. Patronum non posse præsentare seipsum. *ex cap. Per nostras de iurepatron.* & quando sunt plures Patroni, possunt pręsentare vnū ex suo numero, quia tunc cessat ratio in illo Capitulo allata, quod nullus debeat se ingerere Ecclesiasticis officijs. Secūdò, Patronum debere de Clerico præsentando inquirere, num sit idoneus, alioquin periculum esset, ne præsentaret indignū, qa qui periculo sciēter se exponit peccat, iuxta illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Scien-

Sciendum 5. licere patrono, non solùm semel, sed etiam bis, præsentare in vnaquaque vacatione, cumulatiuè tamen, non priuatiuè, quia facta præsentatione vnius nō potest illam retractare, sed cumulatiuè cum ipsa priore potestatem habet præsentandi secūdum, non autem tertium, vel vltra, quia variatio est odiosa, & restringenda, præsertim ad euitandam infinitatem, & cōfusionem, quod tamen intelligendum est de nominatione præsentationis, nam de alia quæ fit ad effectum concursus in Parochialibus plures nominare licet, & postea ex pluribus per examen approbatis digniorem electum præsentare ex Tridentino *sess. 24. cap. 18. de reform.*

Sciendum 6. quod in casu variationis locus erit gratificationi. Ordinarius enim collator, siuè institutor, quem aptiorem duxerit ex præsentatis poterit instituere. *cap. Quod autem, cap. Pastoralis*, Barbosa *allegat. 72. num. 161.* Variatio autē priuatiua, per quā Patronus recedendo à priori præsentatione secundum nominat, nulla est ipso iure, & primus debet institui. Abbas *in cap. Quod autem num. 3.* Barbosa loco citato *num. 159.* Quod si Episcopus præsentatum malitiosè differat instituere, aut renuat id facere, & subinde cumulatio subsequatur, & præsentatio secundi, qui de beneficio inuestiatur, valet quidem institutio, sed Episcopus tenetur priori præsentato idoneo de beneficio æquiualenti. *cap. Pastoralis, & ibi gloss.* Quod tamen non habet locum in materia postulationis, quoniam si Superior recuset absque causa postulationem admittere nullum ius acquiritur à postulato ad aliud beneficium, quia postulatio procedit ex mera gratia, non ex iustitia, & ob id non debet Superior inuitus ad gratiam compelli. *Cap. bonę de postulat. Prelat.* vbi Glossa *verbo gratię.*

Sciendum 7. Patronum non modo per seipsum, sed etiam per procuratorem posse nominare, quando in limine fundationis Patronus reseruasset sibi facultatem nominandi pleno iure. Lambert. *de iurepatron. lib. 1. quest. 9 art. 1.* Rota *decis. 530. nu. 2. par. 1.* Testator enim in limine fundationis potest apponere pacta, & conditiones sibi benè visas. *Cap. Preterea, cap. Quanto de censibus*, Lambert. *loco citato quest. 9. art. 1.* Similiter quando sunt plures Patroni alternis vicibus possunt præsentare, aut omnes simul in præsentatione concurrere, prout conuenerit inter eos. *Clement. de iurepatron.* & si fuerint in præsentando discordes maioris partis sententia præferetur. *Cap. Quoniam 3. de iurepatron.* & si à maiori parte electus fuerit indignus, & à minori præsentatus sit dignus, vltimus admitti debet ad beneficiū, quia in isto casu totum ius deuolutum ad præsentatum à minori parte. Rota *iur. Eccles. lib. 3. de iurepatron. cap. 12. num. 191.*

Sciendum 8. quod si Patronus non præsentauerit intra tempus à iure præscriptum nimirum intra quatuor menses, tunc enim beneficium pro illa vice pertinet ad ordinarium collatorem, idest ad Episcopum, &c. qui potest beneficium conferre tamquam liberum. *Cap. Si verò 12. de iurepatron.* Barbosa *allegat. 72. num. 168* Piacesius *in praxi par. 2. cap. 5. num. 13.* Nec post lapsum temporis admittitur moræ purgatio inuito Episcopo, quia vbi executio fit ab ipso iure, cessat moræ purgatio. Tiraquell. *in l. si vnquam verbo reuertatur num. 310. de reuocat. donat.* Abbas *in cap. vlt. de iurepatron.* Rota *decis. 6. de iurepatron.* Barbosa *loco citato num. 169.* Potest tamen Episcopus elapso tempore Patrono rem gratam facere, illumque ad præsentandum admittere. Lambert. *lib. 2. par. 2. art. 27. num. 3. quest. 1.* Quod tamen non procedit, elapso etiam semestre concesso Episcopo ad conferendum, quia tunc prouisio beneficij deuoluitur ad Superiorem, in cuius præiudicium redundaret Episcopi gratificatio, & ob id non est admittenda. Barbosa *allegat. 72. num. 170.* Azorius *par. 2. lib. 6. cap. 27. quest. 16.* & alij. Et quia dictum est supra tempus præscriptum ad præsentandum esse quattuor menses, intelligendum est respectu Patroni Laici, quia respectu Patroni Ecclesiastici sunt sex menses. *Cap. unico § hoc verū Ecclesiasticum iuspatron.* Ecclesiasticum non modo censetur, quod ab Ecclesiasticis personis & ex bonis intuitu Ecclesię quęsitis erectū fuit, verū etiam quod à Laicis institutum ad Ecclesiam deuolutum est. Lambert. *lib. 1. q. 1. art. 8.* Garzias *de benefic. par. 5. cap. 5. num. 533.* Flaminius *de resignat. lib. 2. quest. 4. num. 39.*

Sciendum 9. quod quando orta est lis inter Patronos super possessione, aut proprietate iuris præsentandi, & infra quatuor menses ad præsentādum præfixi, si Laici sint Patroni, non fuerit lis terminata, poterit Episcopus prouidere iuxta *Cap. Quoniam 3.* & *cap. Cum propter 27.* si verò infra sex menses si Ecclesiastici fuerint, aut Laici simul cum Ecclesiasticis iuxta *cap. Cum te 22.* Prouidebit itaque Episcopus in isto casu sine præiudicio iurispatronatus, & saluo iure præsentandi ei, qui fauorabilem sententiam tulerit non tamen pro illa vice, quia prouisus ab Episcopo continuabit Sylua *3 par. quest. 59.* Praxis Episcopalis *par. 1. verbo iuspatron. § 5.* Dixi super possessione, &c. quia quando data certitudine iurispatronatus, & secuta præsentatione plurium competitorum litigatur solùm super potioritate vocum, validitate præsentationum, habilitate præsentatorum, aut de similibus, tunc enim sine dubio Episcopus, etiam post lapsum temporis ad præstandum non debet conferre beneficium, sed litis euentum expectare, cum pertineat ad ipsum discernere numerum vocum, ac merita præsentatorum. Viuianus *lib. 7. cap. 3.* Lupus *allegat. 78.* licet regulariter ille debeat institui secuta præsentatione, qui maioribus iuuatur meritis.

De persona instituente præsentatum à Patrono?

BRACTEA III.

Sciendum de iure communi esse, vt Episcopus habeat ius instituendi omnes præsentatos à Patronis, ad quæcunque beneficia intra suam Diœcesim existentia. *Cap. Ex frequentibus de instit. cap. 1. & cap. Cum satis de officio Archidiaconi, cap. Omnes Basil 16. quest. 7.* ex quo habetur pro regula, quod institutio omnium Ecclesiarum spectat ad Episcopum. Quibus positis.

R. Institutionem esse concessionem beneficij factam legitima auctoritate Episcopi, vel alterius Clerico à Patrono præsentato. Ita Azorius *cap. 22. quest. 1.* & alij.

Sciendum 2. quod dixi à Patrono præsentato, quia si fiat sine Patrono irrita est ipso iure institutio, validam autem reddi iam factam, si Patronus in eam consentiat. Secundò, si Patronus

tronus vocatus ad præsentandũ nõ præsentet, Episcopus ipso tacente, præsente aliquem instituat. Tertiò, si toto tempore, intra quod Patronus præsentare potest, scienter taceat, & Episcopus instituat. Quartò, si Episcopus iubeat, vt Patroni præsentent, nec faciant, atque ipsis scientibus, ac tacentibus ille instituat. Vltimò, quoque probabiliter dici potest, si Episcopus instituat, & Patronus taceat, quando posset alioqui commodè præsentare, vera enim est regula quod sciens, & tacens consentire videatur.

Sciendum 3. Summum Pontificem secundum communem opinionem posse derogare cuicũque iuri Personatus. Ratio est, quia iure tantum Canonico Patronis conuenit, & interdum in suis litteris de facto derogat, quando verò ius Patronatus pertinet simul ad Clericum, & Laicum ei non derogari per clausulam generalem *ad cuiuscunque præsentationem beneficium pertineat*, quia tale ius licet, quoad commoda, & fauorabilia iudicetur Clericorum, quoad damna tamen ex odia cẽsetur Laicorum, ne his Societas cum Clericis censeatur damnosa. Ita Couarru. addens, quod si essent duo Patroni ratione suarum Ecclesiarum, & tantum vnus Laicus admittitur derogatio facta à Papa per clausulam generalem, quia tunc iuspatronatus non est pariter Clericorum, & Laicorum, sed pro maiori parte Clericorum.

De Conditionibus, quæ à Patronis apponuntur beneficijs Patronatis?

BRACTEA IV.

Sciendum, vt supra dictum est non alium, quam Papam posse derogare fundationum qualitatibus, & conditionibus, quia voluntas fundatoris mutari non potest, nisi Papæ auctoritate, solere autem Papam ijsdem conditionibus derogare, cum scilicet id in suis litteris exprimit, vt notat Rebuffus *in praxi beneficiorum 3. part. nec non iurispatronatus num. 72.* Quo posito.

R. Cum in institutione beneficij conditio tollitur, vt beneficiatus semel, aut pluries in hebdomada celebrare debeat; requiritur, vt tempore præsentationis præsentatus sit ipse actu Sacerdos. Ratio est, quia idoneus pręsentandus est in beneficio, neq; ad beneficium idoneus dicitur, nisi qui potest satisfacere obligationi, *ex cap. super inordinata de prebendis*, & qui non est Sacerdos, non potest deseruire, nec satisfacere obligationi, cum ex lege fundatoris coniunctum sit onus celebrandi per ipsummet beneficiatum.

R. 2. Quando in institutione beneficij ponitur conditio, vt beneficiatus sit Sacerdos; requiritur quod sit actu Sacerdos, si fundatio sit facta à Laico, non verò si ab Ecclesia, vel à Clerico sit facta ratione suæ Ecclesiæ, sed sufficit præsentatum ad tale beneficium ea ętate esse tempore pręsentationis, vt intra tempus à iure statutum possit fieri Sacerdos sine dispensatione. Ratio diuersitatis est, quod Laici facientes fundationem non præsumantur loqui secundum Canones, quos ignorant, Clerici autem præsumuntur loqui secundum Canones, secundum quos beneficium simpliciter dicitur Sacerdotale, vel quia exigit, vt illud habens sit Sacerdos, vel teneatur fieri Sacerdos intra tempus præscriptum à iure, alioquin sit ipse eo beneficio priuatus, vel vt actu fiat Sacerdos intra tempus iuris, alioquin fructus non faciat suos, licet non priuetur beneficio.

Sciendum 2. circa eandem conditionem si Patronus beneficiario imponat obligationem per seipsum celebrandi ter, vel quater in hebdomada, non esse intelligendam, ita strictè, quin si ob legitimum impedimentum non possit, tunc cum debita pręparatione celebrare, satis sit, vt celebret per alium, vel celebrationem differat in aliud tempus sublato impedimento, alioqui institutio illicita esset tamquam dans materiam peccandi, quod pari ratione dici potest de obligatione à Patrono imposita celebrandi in certo Altari, vel Ecclesia, aut Capella, nempè vt occurrente legitimo impedimento celebretur in alio loco, in dubio autem an impedimentum sit legitimum recurrendum est ad Episcopum pro licentia habenda. Ita Reginaldus, *lib. 30. tract. 3. cap. 16. sess. 15. num. 232.*

De simplici collatione beneficij Ecclesiastici?

BRACTEA V.

Sciendum collationem simplicem dici ad differẽtiam modorum supradictorum, quibus acquiritur beneficium, quia in illis semper est collatio actu, aut virtute, & præter eam simul est actio alia, à qua quisque eorum propriam accipit denominationem. Quo posito.

R. Collationem esse concessionem beneficij vacantis liberaliter factam ab habente potestatem. Dixi primò esse concessionem, & in hoc conuenit cum alijs modis. Secundò, beneficij vacantis, quia omnis collatio fieri debet vacãtis beneficij, vt docent Doctores *in cap. 1. de concessione prebendę*, & videri potest Rebuffus *in praxi beneficiali tit. de reprobata beneficiorum viuentium impetratione*, vbi ait, quod beneficium non vacans non potest promitti, tametsi proximè vacaturum non sit, & Abbas *in cap. vlt. nu. 6. eodem titulo*, quod nec collator puta Episcopus promittere possit beneficium vacaturum, nec præsentator, seu patronus promittere præsentationem ad beneficium nundum vacans. Ratio est, ne quis mortem alterius desiderare possit, si sciat in eius locum se suffectum iri.

Sciendum 2. beneficium aliquando vacare de iure tantum, & nõ de facto, quo casu si possessio beneficij manifesta sit, nulla eius ratio habenda, sed perinde alteri conferri potest, ac si nemo in possessione existat; sin verò possessio eius colorata sit, nõ censetur vacare de facto, licet fortasse vacet de iure, & in isto casu possessor prius amouendus est, quam beneficium alteri conferatur. Dixi tertiò liberaliter factam, quia in hoc distinguitur à confirmatione, & institutione, quia hæ sunt concessiones necessariæ, fiunt enim electis, & præsentatis, at collatio liberè fit, ideò dici solet donatio in iure. *Cap. vlt. de officio Vicarij.* Dixi vltimo ab habente potestatem, quia id requiritur, & qui sint, qui habeant talem potestatem dictum est supra.

Sciendum 3. plura requiri ad debitam collationem

tionem beneficiorum Ecclesiasticorum. Primò, quod beneficia conferantur purè, liberè, palàm sine diminutione vacantia, & in perpetuū; proinde sine pacto, vel conditione. Ita *ex cap. Quam qui §. cauete 2. quæst. 2.* & *ex cap. fin. de pactis*, & *ex cap. 2. de elect. in 6.* Dixi primò *Purè*, quia si fieret cum pacto, esset simoniaca, aduertendum tamen est Episcopum posse exigere conditiones in collatione beneficij, quę ex natura rei insunt collationi, cum enim exigantur, tacitè possunt quoque exigi, vt v.g. confero tibi tale beneficium, si est vacans, aut si tu es illius capax, posse etiam exigere eas conditiones, quæ ex iure cōmuni, aut ex statuto, vel fundatione requiruntur, vt v.g. vt is, cui confert curatum beneficiū, aliud curatum si habeat, resignet: sub conditione autem prohibita Iure Canonico, nullus inferior Papa potest beneficium conferre. Ratio est, quia solus Papa habet potestatem supra ius. Secundò *liberè*, idest non per metum, nec per vim, *ex cap. 2.* & *cap. Ad aures de his, quę vi, &c.* Ratio est, quia collatio beneficij est quædam liberalis donatio. *ex cap. Post electionem de concess. preben.* donatio autem per metum, aut vim facta liberaliter non fit. Tertiò, *palam*, idest præsentibus testibus fide dignis; id enim fit ad remouendas fraudes, & lites, quæ suboriri possunt, si collatio fiat occultè. Quartò, *sine diminutione*, neque enim sibi, vel alteri potest fructus retinere, vel imponere pensionem. *ex cap. vnico*, & *ex cap. Maioribus*, & *ex cap. vacante de preb.* Vnde Episcopus nō potest vni conferre beneficium, & sibi nepoti, vel famulo, vel alteri reseruare pensionem, *ex cap. Extirpandę de preb.* & *ex cap. Prohibemus de censibus*, nec potest, dum dignitatem confert illius iura sibi reseruare, *ex cap. Cum venisset de institutionibus*. Quintò *vacantia*, nam antequam vacent, conferre non potest Ordinarius, *ex cap. Nulla de concess. preb.* vacare potest beneficium non tantum per obitum beneficiati, sed etiam multis alijs modis, de quibus dicetur. Vltimò *in perpetuum*, quia ad certum tempus non datur beneficium, sed ad totam vitam beneficiati. *Cap. Percepta dist. 55. cap. Satis peruersum dist. 56.*

Sciendum 4. has etiam conditiones requiri ad validam collationem beneficiorum. Prima, vt beneficium gratis conferatur. Secunda, vt beneficium conferatur capaci. Tertia, vt beneficium conferatur vni certæ personæ, nam si duabus simul conferatur collatio, est inualida. *ex cap. Dilect. filio de preb.* Quarta, vt beneficium non obtineatur per surreptionem, aut obreptionem, idest tacita veritate, vel suggesta falsitate, nam inualida est tunc beneficij collatio, quando facta non esset, si talis surreptio, aut obreptio non interuenisset. *ex cap. Super litteris de rescriptis*. Quinta, vt beneficium conferatur per legitimam auctoritatem, quam collator beneficij plenam habere debet, siuè de iure cōmuni, siuè ex priuilegio, itemque habere nec amissam, nec impeditam.

Patronus in quibus casibus priuetur suo iurepatronatu?

BRACTEA V.

RPlures esse casus, quibus Patronus priuatur suo iurepatronatu. Primus est, si Patronus in hæresim inciderit. Ad leg. *Manichęos §. 1. Cod. de heret.* Auth. *Gazaros Cod. eod. cap. Iurgentes §. 1. de heret.* Farinac. *de heresi quæst. 199. num. 152.* & alij. Priuatur etiam recipiendo, defendendo, &c. hæreticos. Secundo, ob crimen læsę Maiestatis humanæ Farinac. *loco citato*; idem dicendum si proditor efficiatur. Viuianus *in praxi par. 3. lib. 15. cap. 2. num. 8.* Tertiò, quando Patronus contrauenit prohibitioni Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 3. de reformat.* Secundus casus est, si Patronus vendat iuspatronatus. Viuianus *par. 3. lib. 15. cap. 2. nu. 2.* Tertius, quando Patronus scienter præsentat indignum. Viuianus *loco citato num. 3.* Quartus, si Patronus ipse, aut alius pro eo interficiat, aut mutilet rectorem beneficij: Quintus per sententiam iuris Ecclesiastici competentis. Lambert. *de iurepatron. lib. 3. quæst. 8. art. 5.* Viuianus *loco citato num. 15.* Sextus per confiscationem omnium bonorum per Iudicem Ecclesiasticum factam. Leon. *cap. 21. de iurepatron. num. 36.* Viuianus *cap. 2. nu. 14.* Septimus extinguitur cessione facta ab ipso Patrono alijs compatronis. *Cap. ex insinuatione*: Octauus si Patronus patiatur Ecclesiam patronatam alteri Ecclesiæ liberæ vniri, aut loco religioso. Abbas, & alij *in cap. Suggestum*: Nonus perditur iuspatronatus propter ingratitudinem Patroni erga Ecclesiam. Surdus *de alimentis tit. 7. quæst. 32. num. 9. &* 10. Viuianus *cap. 2. num. 4.*

De qualitatibus requisitis pro beneficio?

BRACTEA VI.

RPrimam qualitatem requisitam in beneficiato esse Clericatum, opus est saltem ipsum habere primam tonsuram. *Cap. Cum adeò de rescriptis, cap. Ex litteris de trans. cap. 2. de instit.* Anch. *in cap. Beneficium de reg. iur. in 6.* Lambert. *de iurepatr. lib. 1. quæst. 9. art. 3. num. 3.* & alij. Ratio, quia Laicus est omnino incapax beneficij, eo quod habeat quid spiritualitatis annexum, in quo nec Papa potest dispensare.

Sciendum ex text. *lib. 2. cap. 34. dub. 1.* tria contineri sub nomine beneficij. Primum est ipsum officium, quo quis tenetur aliquam spiritualem fūctionem obire, veluti horas Canonicas persolnere, &c. & hoc est, quid spirituale non tamen beneficium, sed fundamentum, & causa beneficij, vnde dici solet, quod propter officiū datur beneficium. *Cap. de rescriptis in 6.* secundum quod in beneficio consideratur, est ius percipiendi certos redditus ex bonis Ecclesiasticis, & hoc ius propriè dicitur beneficium. Tertium, quod attenditur in beneficio, sunt ipsi fructus, qui percipiuntur ex bonis Ecclesiasticis Deo dicatis.

Sciendum 2. non modo Laicum esse incapapacem beneficij, sed etiam regularem non habentem primam tonsuram. Lambert. *de iurepatr. lib. 2. par. 1. quæst. 7. art. 3. num. 1.* & alij. Clericus coniugatus, qui licet habendo requisita Concilij *sess. 23. c. 16.* & gaudeat priuilegio Canonis, tamen in reliquis habetur tamquam Laicus, nulloque priuilegio Clericali gaudet; & consequenter censetur incapax beneficij Ecclesiastici. Capra *regula 97. num. 23.* Sylua *de benefic. par. 1. quæst. 7.* ita vt Episcopus neque cum eo possit dispensare. Capra *loco citato num. 43.* Hoieda *de incomp. 1. par. cap. vlt. num. 77.* & alij. Quod etiam dicendum est de pen-

pensione in titulum data, nimirum Laicum esse illius incapacem, & nulla redditur concessio, si pensionarius non sit ad minus initiatus prima tonsura, quando pensio reseruatur in titulum. Rebuffus *de pacif. possess. num.* 153. Nauarrus *consil.* 34. Parisiens. *de resignat. lib.* 4. *quæst.* 2. *num.* 7. Azorius *par.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 2. Garzia *par.* 1. *cap.* 5. *num.* 15.

R. 2. Secundam qualitatem requisitam in beneficiario esse, quod non sit neophitus. Ratio, quia, cum neophitus prohibeatur ordinari, ita etiam consequenter arcetur à beneficio, quod vt supra dictum est, supponit Clericatum. Prohibitio verò huiusmodi non est de iure Diuino, sed humano, quia D. Paulus *ad Timoth.* 1. *cap.* 3. prohibens hanc ordinationem non procedit tamquam ex Christi præcepto, sed tamquam Ecclesiæ Doctor, & super hanc prohibitionem non potest Episcopus dispensare, sed solus Papa.

R. 3. Tertiam qualitatem ad obtinenda beneficia, est sexus virilitatis, quia mulier censetur iure Diuino incapax ordinis, & beneficij. Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 1.

R. 4. Quartam qualitatem requisitam esse rationis vsum, prout requiritur ad legitimam ordinis susceptionem, non quidem iure Diuino, ita vt si conferantur, vtrumque irritentur, sed tantum de iure humano. Ita vt ordo etiam sacer infanti ante rationis vsum collatus, valeret quidem in substantia, & imprimeret characterem, quamuis iure Diuino, & naturali, dum infans est, à functione ordinis arceatur. Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 4. & ideò collatio beneficij facta per inferiorem à Papa infanti, esse ipso iure nullam, quia cum beneficiũ detur propter officium, non possunt inferiores dispensare in hac constitutione iuris.

R. 5. Quintam qualitatem requisitam esse aptitudinem ad exercendum ea, quæ per beneficiarium præstanda sunt, & per consequens qui iniuncta opera non posset præstare absque dubio esset incapax beneficij, & collatio illi facta esset nulla ipso iure. Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *quæst.* 1. licet ex Papæ auctoritate annuos redditus ex fructibus beneficij ad propriam sustentationem concedi posset. Episcopus id facere nõ posset, quia cõtra ius disponere non valet.

R. 6. Qualitatem sextam requisitam esse legitimitatem, qui enim legitimè nati non sunt, à iure Canonico, repelluntur ab ordinibus, & beneficijs. *Cap. Ut filij de fil. presbyt. cap.* 1. *&* 2. *cap. Innotuit de electione, cap. Nisi iampridem* §. *persona*, Trid. *sess.* 22. *cap.* 20. *de reformat.* & *sess.* 23. *cap.* 5. Azorius *par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *quæst. vlt.* Quod si fuerint legitimati per subsequens matrimonium efficiuntur legitimi quoad omnia. Cuch. *de instit. matrim. lib.* 5. *tit.* 11. *num.* 129. Mantica *de coniecturis vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 12. Garzia *par.* 7. *cap.* 2. *num.* 18. etiamsi matrimoniũ fuerit putatiuum, quando videlicet intercessisset impedimentum dirimens ignoratum ab ipsis coniugibus, vel ab alterutro ipsorum. *Cap. Tanta, cap. Ex tenore*, Butr. *in cap. Tanta*, & *in cap. Quod nobis*. Quod etiam dicendum est de legitimatis per Papam. Ita communiter.

R. 7. Septimam qualitatem requisitam esse, vt promouendi ad beneficia non sint filij eorum, qui ea ipsa beneficia obtinuerunt. Nam filij à beneficijs paternis arcentur, & solus Papa super hoc dispensare potest Rebuffus *in praxi tit. de disp. super defect. natal. num.* 32. Mandos. *de signat. grat.* non prohibetur tamen filius illegitimus habere pensionem super beneficio paterno, & ita declaratum fuisse à Sacra Congregatione, testatur Garzia *par.* 7. *num.* 35. sicut etiam non prohibetur ministrare, aut beneficiũ habere in Ecclesia, in qua pater inseruiuit tamquã Capellanus absq; titulo beneficij, vel tãquam Vicarius temporalis, sed non perpetuus iuxta *cap. Constitutus*, nam respectu patris requiritur beneficium ad effectum inducendæ dictę incapacitatis. Barbosa *alleg.* 75. *num.* 5.

R. 8. Requiri etiam in eo, cui beneficium cõfertur, quod non sit vxoratus. Coniugati enim prohibentur ordinari, & consequenter ad beneficia promoueri. *Cap.* 1. 2. 3. 5. *&* 8. *de Clerico coniugato*, & ibi Doctores. Ratio est, quia Laicus est incapax spiritualium. *cap. si quis deinceps*, beneficium autẽ spirituale est. *cap. Dilecto de prebẽdis*. Requiritur etiam, quod non sit bigamus, quia bigami prohibentur ordinari Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 17. *de reformat.* de alijs requisitis dictum fuit supra. In aliquibus Prouincijs ex cõsuetudine immemorabili in collatione beneficiorum requiritur naturalitas, ita vt beneficia non conferantur exteris, vt in Gallia, vt testatur Rebuffus *de pacifica possessione num.* 265. Paris. *de resignat. lib.* 4. *quæst.* 7. *num.* 2. & plures alij In Hispania vt docet Couar. *pract. cap.* 35. *num.* 5. Paris. *loco citato*.

De rescriptis Papæ, quibus acquiritur beneficium?

BRACTEA VII.

Sciendum rescriptum Apostolicum esse speciem quandam constitutionis Apostolicæ in hoc differens à cęteris, quod sit Personale, tantumque pertineat ad eos, ad quos mittitur, cùm cęteræ Apostolicæ constitutiones generales sint, iusque commune contineant, cuius tria sunt genera. Primum, est eorum, quæ dantur contra ius commune, & propriè vocantur priuilegia, vel dispensationes, vt cum Papa permittit alicui retinere plura beneficia incompatibilia de iure: Secundum genus est eorum, quæ dantur in ordine ad lites, & vocantur rescripta iustitiæ, vt cum ad alicuius petitionem Papa certum Iudicem designat, qui de causa cognoscat: Vltimum genus est eorum, quæ appellantur rescripta gratiæ, quod Papa aliquid per illa præter ius concedat, vt cum alicui idoneo præbendam conferri iubet, quod fit dupliciter vno modo per litteras Apostolicas, quibus tribuitur alicui ius ad beneficium vacaturum, & dicuntur gratiæ expectatiuæ: Altero modo per litteras, quibus mandatur, vel Ordinario, vel alicui executori ad id deputato, vt vt beneficio vacãte, prouideatur Clericus, pro quo illæ scribuntur, & dicuntur rescripta, seu mandata.

Sciendum 2. omne rescriptum esse mandatum Apostolicum, quod Papa mandat, vel pręcipit beneficia alicui conferri. *Cap. Mandatum de rescriptis*, in quo notandum, Episcopos olim solitos fuisse dispensare beneficia suorum Episcopatuum, nec Summi Pontifices derogabant eorum auctoritati; vnde nec conferebant ius

ius ad vacatiua, cœpit autem mandatum Apostolicum tempore Alexandri Tertii, vt plures referunt, occasio autem hæc fuit, quia cum nonnulli Episcopi potestate conferendi beneficia abuterentur, indignos dignis præferendo, & sacris ordinibus à se initiatos immeritò repellendo cepere, Pontifices Romani per mandata Ordinarijs præciperũt, vt ijs, vel illis conferrent beneficia, primo quoque tempore vacatura, vel vacantia.

Sciendum 3. quatuor modis mandata expediri à Papa: Primo dicitur in forma pauperum, quia datur à Papa iuxta eam formulam, ob quã pauperum causa solet ad Ordinarios scribere, vel in forma communi, quia pro pauperibus non est opus singulari forma: Secundùm dicitur in forma dignitatis, & sunt litteræ, quas Papa scribit ad locorum ordinarios, vel executores à se constitutos, quibus præcipit, vt Clerico ob generis nobilitatem, vel scientiam litterarum vel vitæ probitatem, vel ob alia merita in Ecclesia beneficium conferatur, & quia incipiunt ea ratione, *Dignum arbitramur, &c.* ideò ita sunt dictæ: Tertiùm dicitur ratione congruitatis, quia ita incipiunt, & dari solent, quando aliquis Papæ suplicem libellum obtulerat, petens vt sibi aliquod beneficium conferatur; cuius precibus cũ Pontifex annueret, sed antequam breue subscriptum more solito tradidisset, è vita decessit; quare Pontifex succedens, solet litteras concedere in eum modum ad Ordinarios, vel executores, &c. Quartùm dicitur litteræ, *si neutri, si nulli sit alteri*; si enim orta lis sit inter duos de aliquo beneficio, & tertius à Papa impetret hac lege, vt si neutri litigantium ius concessum, sit ipsi beneficium detur, dicitur impetrasse litteras, *si neutri*, si alter litigantium impetret à Papa, vt sibi beneficium conferatur, ea conditione conceditur si alteri litiganti ius in beneficium quæsitum non est, & dicuntur litteræ, *si alteri*, si denique tres de beneficio litigant, & alius contra litteras impetret ea conditione, vt si nulli litigantium ius in beneficio acquisitum sit ipsi conferatur, dicuntur litterę, *si nulli*.

Sciendum 4. Beneficia compræhensa in mandatis Apostolicis esse omnia, quæ in mandatis iure non inueniuntur excepta. *Cap. Mandatum de rescriptis*, nisi fiat expresla de illis mentio, sunt autem primo exceptę à iure dignitates electiuę *ex cap. cum in illis de prebend. in 6.* Secundò, beneficia curata. Tertiò, beneficia, quæ sunt iurispatronatus Laicorum. *Cap. dilectus de iure patronatus*. Quartò, Beneficia creata post datam eorundem rescriptorum, ex Clement. *fin. de rescriptis*, vt cum rescriptum datum est in mense Ianuario, & beneficium, quod virtute illius petitur creatum est mense Nouembri sequenti. Quintò, beneficium legitimè sublatum de Ecclesia, seu suppressum. *ex cap. Cùm accessissent de constitut.* Sextò, Beneficia, quæ ad mensam Prælati pertinent, vel alterius Prælati, *ex Clement. vnica §. Quidam etiam de excessibus Prælatorum*. Septimò beneficia, quæ fuerint reseruata Papæ. Octauò, beneficia annexa alteri beneficio ante litteras datas a Papa. Nonò, Beneficia monocula, quæ sola pertinent ad alicuius Ordinarij collationem.

Sciendum 5. mandata Apostolica desinere, primò si ijs, qui litteras dedit, reuocauit. Secundò, si successor Pontifex omnia mandata Apostolica ab Antecessoribus data rescindat. Tertiò, si gratię Apostolicæ Mandatarius expressè cesserit, aut tacitè, vt si vxorem duceret si beneficium, quod haberi non possit simul cum eo, ad quod accepit mandatum possessionem adipiscatur, si denique certam Religionis regulam solemni ritu professus fuerit, non extinguuntur autem obitu mandantis, si mortuo Pontifice, adhuc res manet integra, itaut tractari non cęperit. *Cap. si super gratia de officio Delegati.* Quibus positis.

R. Beneficia dicuntur concedi in titulum, quando ita assignantur Ecclesiæ, vt in illis beneficiati conscribi possint, illique preesse: Ecclesia autem dicitur intitulata, siue conscripta alicui, & iure assignata, & qui habet titulum dicitur habere ius in illo beneficio, ideòque nominari, & conscribi poterit sub titulo, illius beneficij, adeòut beneficium suum posset dici. *Cap. Pro illorum de prabendis. Cap. Audita de restitut. spoliator.* non dicitur tamen suum, quasi sit Dominus beneficij, sed quia administrator ęst illius.

Sciendum Papam prouidere beneficijs vacantibus multis modis. Primò ad nominationem alicuius. *Cap. Quod sicut de elect.* Secundò ad Patroni pręsentationem. Tertiò, suo solo iure, vt cum prouidet Episcopatibus, & dignitatibus superioribus. Quartò, iure deuoluto. Quintò, iure reseruationis. Sextò, ratione præsentationis. Septimò, ratione curarum cum ordinatis.

De acquisitione beneficij per triennalem possessionem.

BRACTEA VIII.

R. Per pacificam triennalem possessionem beneficij acquirere possessorem ius in beneficio. Ita colligitur *ex regula de triennali, & ex decis. Rota*, & ita communiter.

Sciendum, quod sicut in rebus cęteris pacifica possessio per tempus præscriptum legibus causa est, ne earum dominium amittatur, sic etiam triennalem beneficij possessionem pacificam, causam esse iuxta regulam iuris, ne beneficiatus eo priuetur, aut ipsum tãquam vacans alicui conferatur, censetur autem pacificus possessor beneficij, quo toto triennio in illo, nec de iure, nec de facto per lites tribuatur, neque in Vicario à se substituto.

Sciendum 2. eandem regulam possessionis triennalis habere locum in vtroque foro, prout docent Gomezius *quæst. 42.* & Rebuffus *in tract. de pacificis possessor. num. 8.* Et ratio patet à pari, quia sicut præscriptio, quæ in rebus ciuilibus fit auctoritate ciuilis magistratus locum habet in conscientia, ita etiam in causis Ecclesiasticis habere debet præscriptio, quæ fit auctoritatę Papæ, vt sit ea, quæ per regulam de triennali pacifico possessore est in bonum commune introducta ad lites minuendas, quæ solent esse innumerę, & nõnunquam interminabiles, tum ad solatium plebis, vt suum Pastorem verum agnoscat, nec falsò ipsis intrusum esse dubitet, saltem post ipsam habitam per triennium beneficij sui pacificam possessionem.

Sciendum 2. has conditiones requiri, vt quis fauore regulę de triennali possessione acquirat ius in beneficia. Prima est, vt beneficij possessor habeat saltem titulum coloratum. Secunda, vt non sit intrusus, nec violentus. Tertia vt possederit per triennium integrum. Quarta, vt possiderit pacificè, & bona fide, & ideò talis regula non suffragatur illi, qui non habet titulum coloratum, vel intruso, vel qui non possiderit pacificè per triennium, & bona fide beneficium, quis autem sit intrusus in beneficio, infra dicetur.

De vnione beneficiorum?

BRACTEA IX.

Sciendum, vnionem duplicem esse, vnam perpetuam, & alteram temporalem. Prima fit ob Ecclesię necessitatem, vel vtilitatem. Secunda in vtilitatem beneficiati, ideoque durat tantum ad vitam eius, neque est propriè dicta vnio, sed potius dispensatio, seu reseruatio homine vnionis tecta, atque vt docet Azorius *tom. 1. lib. 6. cap. 28. quæst. 16.* idcircò odiosa est vnio ad vitam.

Sciendum 2. vnionem esse annexionem beneficiorum auctoritate Prælati Ecclesiastici factam, quę vnio potest tribus modis fieri *ex gloss. cap. & decimas 16. quæst. 1. & cap. 2. ne Sede vacante.* Primus est, cum ita iunguntur, vt non coalescant in vnum corpus, sed vna sit superior, & altera inferior. Secundus, cum duæ Ecclesiæ coalescunt in vnum corpus, ita vt fiat vnum beneficium, *cap. decimas 16. quæst. 1.* Tertius cum neutra alteri subijcitur, sed ambæ retinent suum gradum, & idem Minister vtrique perficitur. *Cap. 1. ne Sede vacante.*

Sciendum 3. Potestatem vniendi beneficia: primariò spectare ad Summum Pōtificem, cum in beneficijs plenam potestatem habeat. *Cap. 2. de præbend. in 6.* Secundò, Episcopum ob iustam causam in perpetuum posse vnire beneficia suæ Diœcesis, quæ neque exempta, neque Summo Pontifici specialiter, ac perpetuò reseruata sūt: causę verò vnionis faciendæ duæ nominantur, *in cap. Exposuisti de præbendis,* euidens necessitas, vel vtilitas, v. g. si duæ Ecclesiæ vicinæ pauperes sint, vt ad victum duorum non sufficiant. *Cap. unio 10. quæst 3. Clement. ne in agro §. de statu Monachor.* si fructus beneficij, v. g. dignitatis alicuius, vel Canonicatus nimis teneres sint, vt idoneus non reperiatur qui acceptare velit. Ita *cap. exposuisti* item si Ecclesia ab hostibus deuastata sit, *cap. 2. de Religiosis domibus.* Tertiò, si populus bello, aut peste sit imminutus, *cap. ad audientiam. Cap. vlt. de Ecclesijs ædificandis. Cap. & temporis 16.* Quartò, si status alicuius Monasterii, vel Ecclesiæ defformatus sit, & disciplina non seruetur. *Cap. Relatum ne Clerici, vel Monaci,* immò si causa talis necessitatis suadeat, tenetur Episcopus vnionem instituere, & à Summo Pontifice cogi potest. *Cap. nullus de iure patronatus.*

Sciendum 4. vniones, quæ non fiunt cum debitis solemnitatibus ad vnionem requisitis esse irritas, vt sunt, quę fiunt non vocatis ijs, quorum interest, siue in quorum præiudicium vnio cedere potest, *iuxta regulam 24. in 6. Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet; Clem. si vna de rebus Eccl. non alienandis.* Secundò, quas Ordinarii inferiores Papa faciunt causis non expressis, quę autem facta est ex falsa causa non est ipso iure irrita, sed irritanda. Ratio est, quia ad vnionem requiritur, vt antecedat cognitio causæ, alioquin vnio subreptitia censebitur, & nisi iustitia causæ probetur, vt dictum est, rescindenda erit Et ita Rebuffus *in praxi tit. de vnione part. 1. gloss. 11. num. 3.* Tertiò, prohibitæ sunt etiam Ordinariis hæ vniones, quibus Ecclesiæ coniunguntur ad vitam beneficiati, idem enim est, ac si plura beneficia incompatibilia vni concedātur, prohibita est etiam vnio beneficiorum existentium in diuersis Diœcesibus Tridentin. *sess. 14. cap. 9. de reform.* item ne annectantur Monasteriis, Collegiis, vel locis gratia pietatis extructis, in altera Diœcesi sitis. Concilium Tridentinum *ibidem;* item ne Parochiales coniungantur Monasteriis, vel Abbatiis, dignitatibus, vel Ecclesiæ Cathedrali, vel Collegiatæ. Tridentin. *sess. 23. cap. 13. de reform.* Vltimò ne Episcopus connectet beneficia mensæ suæ, vel Canonicorum. *Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis.*, potest autem Parochialem cum aliis Parochialibus, item præbendam aliquam cum dignitate, vel Canonicatu Cathedrali, consensu Capituli accedente coniungere. Secundò, ad eligendam Capellam potest præbendam Cathedrali, vel Collegiatæ dare, modo accedat Collegii consensus. Tertiò, potest vnius præbendę redditus conuertere in vsum fabricæ: Item potest Ecclesiam Sæcularem, Episcopus Monasterio vnire, vel alteri loco causa pietati extructo. *Cap. consult. cap. Pastorali de donat.*

De pluralitate beneficiorum?

BRACTEA XI.

Sciendum, secundum D. Thomam tria esse genera humanarum actionum, vnum earum, quæ sunt intrinsecè malę, & nulla ratione possunt fieri bonę: Secundum est earum, quę sua natura sunt indifferentes; itaut adiunctis circumstantijs bonę, vel malę esse possint: Tertium est earum, quæ nec sunt omninò malæ, nec omninò indifferentes, licet magis vergant ad malum, quam ad bonum. Quibus positis.

R. Habere plura beneficia non esse ita intrinsecè malum, vt non possit esse bonum, vt sunt casus infrascripti. Primus est, cum beneficia sunt adeò tenua, vt neutrum sufficiat ad honestam sustentationem beneficiati: Secundus est, quando Parochialis Ecclesia annexa est Canonicatui; *ex cap. super eo de præbendis in 6.* Tertius est, quando beneficia sunt legitimè vnita: *ex cap. eam te de ætate & qualitate, & ex cap. quia Monaster. de Religiosis domibus:* Quartus est, quando alius idoneus, & dignus non inuenitur: *ex cap. Clericus 21. quæst. 1.* Quintus, quando beneficium vnum habet in titulum, & alterum in Commendam non perpetuam, hoc est ad sex menses, quousque prouideatur de idoneo: *ex cap. Qui plures 21. quæst. 1. & cap. nemo de elect. in 6.* Vltimus est quando Papa dispensat.

Sciendum 2. pluralitatem beneficiorum ex duplici capite deformitatem habere posse; primò, si vnum beneficium alicui ad vitam honestè sustentandam sufficiat, tunc superfluum est, & indecens habere alterum; secundò, si ipsa

aliquorum

aliquorum beneficiorum institutio nõ permittat, vt plura ab eodem administrentur, & ideò

R. Plura beneficia habere, non esse actum ex se indifferentem, sed vergentem potius in malum, quam in bonum. Ratio est, quia pluralitas beneficiorum si non omninò, saltem bona ex parte repugnat iuri naturæ, & iuri etiam Ecclesiastico: primò, quia talis pluralitas infert damnum Ecclesiæ per diminutionẽ ministrorum ipsius: secundò, infert damnum ministris idoneis, dum relinquuntur absque vllo beneficio: tertiò, datur scandalum proximis mala dispensatione bonorum Dei, fit etiam iniuria defunctis, præsertim fundatoribus, quia frangitur fides, dum non satisfit obligationi annexæ beneficio.

Sciendum 3. beneficia alia esse compatibilia, & alia incompatibilia: beneficia compatibilia sunt ea, de quibus supra dictum est, incompatibilia verè quorum singula per se, vel naturali iure, vel Ecclesiastica constitutione continuam residentiam postulant, vt sunt duo Episcopatus, duę Abbatiæ, duo Parochiæ, duæ perpetuę Vicariæ, & cętera curata beneficia: item dignitates, siuè personatus, & duo Canonicatus ob constitutionem Tridentini *sess. 24. cap. 12. de reformat.* deinde beneficia vniformia sub eodem tecto incompatibilia censentur v. g. duo beneficia eiusdem Ecclesiæ.

R. 3. Plura beneficia curata simul habere prohiberi tum iure naturali, tum Diuino positiuo, tum etiam Canonico: iure quidem naturali, quia contra rationem est, quod vnus pastor duos diuersos greges in diuersis agris pascere, & ad diuersas caulas reducere possit, iure autem Diuino positiuo, etiam prohibetur pluralitas beneficiorum curatorum: Ratio est, quia beneficium curatum iure Diuino vult residentiam, quam quis eodem tempore non potest habere in diuersis locis, prohibetur etiam iure Canonico, & ita statutum est in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. *cap. 13.* & à Gregorio IX. *in cap. Dudum 2. de elect.* Innocentio III. *Cap. de multa in preb.* 7. Ioanne 22. *in extrau. execrabilis de preb.* & in Concilio Tridentino *sess. 7. cap. 4.* Ratio est, quia singula eorum perpetuam residentiam requirunt, vt dictum est, nõ potest autem idem in pluribus locis residere. Quod etiam dicendum est de dignitatibus, & personatibus, quamuis sint sine cura animarum.

R. 4. Duo beneficia vniformia sub eodem tecto nemo obtinere potest, immò vacat primum beneficium adeptione secundi. Ita habetur in *cap. de multa, cap. litter. de concess. preb. Clementina vlt. de preb.* Garzias *par. 11. cap. 15. num. 182.* Abbas *in cap. litter. notab. 2.* Nauarrus *consil. 23. de preb. num. 3.* Ratio est, quia iura magis abhorrent à duabus præbendis vniformibus in eadem Ecclesia, quam à duobus Curatis.

Sciendum 4. nõ modo Curatum esse incompatibile cum Curato, sed etiam esse incompatibile cum dignitate, & nomine dignitatis hoc loco intelligo non modo dignitatem ipsam, sed etiam personatum, quia eadem est omnium ratio; secundò, Curatum incompatibile esse cum Abbatia sæculari. Ratio est, quia hæc dignitas est de maioribus, tum etiam quia habet curam animarum, & iurisdictionem in foro externo; tum quia per adeptionem eius vacant cętera. Tertio, dignitatem esse incompatibilem cum alia dignitate. Ratio est, quia si habet curam animarum, vel iurisdictionem in foro externo non potest vnus rectè inseruire duabus dignitatibus, si non habet, saltem requirit residentiã personalẽ, & nõ potest vnus eodẽ tẽpore duorum officium exercere. Quartò, dignitatem esse incompatibilem cum Abbatia, Episcopatu, vel Cardinalatu. Ratio est, quia si Abbatia habet curam animarum, vel iurisdictionem quasi Episcopalem erit incompatibilis, sicut dictum est de Curato, &c. erit etiam incompatibilis cum Episcopatu, quia per adeptionem huius cętera vacant, *ex cap. cum in cunctis*, tum quia hic habet curam animarum, quare erit incompatibilis, sicut Curatum. De Cardinalatu eodem modo, quia est maxima dignitas, tum quia dignitas requirit residentiam in propria Ecclesia, à qua debet esse liber Cardinalis.

Sciendum 5. Abbatiam esse incompatibilem cum alia Abbatia, siuè sit regularis, siuè sęcularis, cum habeant curam animarum, & alia iura quasi Episcopalia, vel si non habent, saltem requirunt residentiam; secundò Episcopatum esse incompatibilem cum alio Episcopatu, siuè in titulum, siuè in Commendam, & similiter esse incompatibilem cum alio inferiori beneficio, esset etiam incompatibilis de iure antiquo cum dignitatibus superioribus, nimirum cum Cardinalatu, exceptis tamen Episcopatibus, seu Romani territorij Hostiensi, Portuensi, Sabinensi, Prænestino, Tusculano, & Albanensi: nũc verò stylus Curiæ est in contrarium, nam conseruatur Episcopatus Cardinali etiam in titulum, & aliqui quidem eos retinent, & dispensantur à residentia, vel quia officium aliquod exerceant in Vrbe maioris vtilitatis, vel alia iusta de causa, &c.

R. 5. Neminem posse obtinere duo beneficia simplicia, quę ambo requirant residentiam personalem incomparabilem. Ita ex communi docet Abbas *in cap. extirpanda §. Qui verò num. 30.* Hojeda *par. 1. cap. 17. de incompatibilitate num. 30.* Rebuff. *in praxi beneficiorum tit. dispensatio ratione ætatis §. incompatibilia num. 7.* Lessius *lib. 2. cap. 34. dub. 27.* Si verò non requirant personalem residentiam, potest ea obtinere, & possidere: vnde iure commun concessum est, vt duo Altaria quibus vnus Capellanus satisfacere potest eidem conferantur, quia difformia beneficia censeri debent cum distincta onera, siuè officia habeant, v. g. vt in vno Altari bis in hebdomada, in altero verò tribus, vel quatuor diebus sacrificetur; & ita Nauarrus *consil. 16. de preb.* dummodo aliter per consuetudinem receptum non sit.

Quis possit dispensare in pluralitate beneficiorum?

BRACTEA XII.

R. Primò solum Papam posse dispensare, si beneficia incompatibilia sint. Ita Glossa *in cap. Dudum 2. de elect. cap. de multa de preb.* Azorius *tom. 2. lib. 6. cap. 12.* Ratio est, quia Papa potest dispensare in his, quæ sunt contra ius commune, vt est simul habere plura beneficia incompatibilia.

Sciendum regulariter Papam non posse dispensare, nisi ex iustis causis, tres autem omninò numerantur iustæ causæ dispensandi. Prima iusta necessitas Ecclesiæ, secunda eiusdem vtili-

tas:tertia euidens prærogatiua meritorum;per meritorum autem prærogatiuam intelligitur nobilitas generis,patria, vel dignitas personæ, egregia litteratura,industria,prudentia,& virtus,vt colligitur ex *cap. de multa,& extrauag. execrat. de prębend.*

R.2.Legatum Papæ posse etiam dispensare in pluralitate beneficiorum, sed limitate; primò, vt non sint Episcopatus,dignitates, aut curata beneficia. *Cap. de multa,&c.* secundò, vt non excedant congruam sustentationem. *ex cap. cum adeò de rescriptis*; tertiò, vt non sint sub eodem tecto *cap. 1. de consecr. lib. 6.*

R.3.Episcopum posse dispensare in pluralitate beneficiorum,sed limitatè; primò, cum limitatione supra dicta; secundò, in duo beneficia sub eodem tecto dissimilia sint, & vnum non sufficiat ad congruam sustentationem potest dispensare Io. Andreas *cap. 1. de consuetud. in 6.* Abbas *cap. litter. de concess preb.*

An consuetudine obtineri possit, vt plura beneficia compatibilia, aut incompatibilia eidem conferantur?

BRACTEA XIII.

R. Nulla consuetudine introduci posse, vt plures dignitates,vel personatus,aut officia eiusdem Ecclesiæ vni,eidemque conferantur. Ita habetur *cap. 1. de consuetud. in 6.* vbi talis consuetudo etiam immemorabilis reprobatur, quia per eam, vt alibi dictum est, inducitur in Ecclesia paruitas ministrorum, & diminutio cultus Diuini, quod planè repugnat fundationi,seù institutioni, quare eadem quoque ratio esse videtur de simplicibus Canonicatibus,siuè præbendis,quam pluralitatem in eadem Ecclesia Canones detestantur, vt notauit Glossa *in cap. litter. de concess. prebende*, Nauarrus *cons. 24. de prębendis.*

Qui plura beneficia obtinet, quorum singula residentiam requirunt, in quo nam residere debeat?

BRACTEA XIV.

R. Si sint beneficia æqualia,quæ per dispensationem alicui concessa sunt positum esse in potestate beneficiati residere,in quo maluerit,si autem non sint æqualia,tunc debet residere in maiore, vel digniore. Ita Abbas *cap. extirpanda §. qui verò*, vbi dicitur,quod habens dignitatem, vel Canonicatum, cui Parochialis Ecclesia annexa est in maiore Ecclesia deseruire d ebeat, & Parochiam per Vicarium perpetuum administrare.

De pœnis contra pluralitatem beneficiorum?

BRACTEA XV.

R. Primam pœnam esse vacationem primi beneficij incompatibilis cum secundo, vt sunt Ecclesiæ Cathedrales,Episcopatus, dignitates, personatus, officia, & curata, præbendæ vniformes sub eodem tecto, de quibus iam dictum est;alia verò beneficia incompatibilia nō vacant pro ademptione secundi, licet licitè simul retineri non possint absque dispensatione, vt sunt simplicia residentiam non requirentia, quorum alterum sufficit ad sustentationem, nā absque dispensatione simul retineri non possunt, non tamen ipso iure vacat primum obtēto secundo. Secundò,duo requirentia residentiam, si simplicia sint, & non sub eodem tecto non vacat primum adepto secundo, sed priuatur fructibus vnius,vel vno retento,quod malè alter priuabatur, *ex cap. referente de prebendis*. Tertiò, quando secundum obtentum esset litigiosum, non vacat prius in casibus positis supra; postquam autem secundum pacificè possessum fuerit, vacat prius,etiamsi hoc esset litigiosum, si obtento vno quoad titulum, non quoad possessionem acquiratur secundum litigiosum,& postea pacificè possideatur,primum non amittitur secundum litigiosum,quia id iure statutum non est,vt docet Nauarrus *consil. 31. de preb.* Vltimò, non satis est habere possessionē tituli secundi beneficij,sed requiritur etiam,vt fructus percipiantur,vnde si alteri essent reseruati, non vacaret primum. *Cap. sit ibi concesso de preb. in 6.* Filliucius *tract. 41. de beneficijs Ecclesiasticis cap. 7. num. 43.*

Quibus modis beneficia obtenta, & ob quæ crimina amittantur?

BRACTEA XVI.

R. Primò vacationem beneficij esse destitutionem beneficij à possessore. Ita leg. *Qu cętu §. vlt. ff. ad legem Iuliam de vi publica.*

Sciendum tribus modis vacare beneficium: primò vacare tantum de facto, quia scilicet quis possessionem amittat non titulum; siue quia violentia exturbetur à possessione, vt *cap. accepta, cap. olim de restitut. spoliatorum*; siuè quia secundò per metum à populo incerto quis cogatur dimittere beneficium, cum aliàs ritè electus esset. *Cap. ad aures de his, quæ vi.* Tertiò siuè quia Clerici habent beneficium pro derelicto vt *cap. 2. & 3. de Clerico non residente.* Secundo mode vacat tantum de iure, vt cum quis auctoritat iuris beneficio ipso iure priuatus existit, possi det tamen de facto beneficium. *Cap. licet Episcop 2. de preb. in 6. & cap. cum nostra de concess. preb.* Terti modo vacat de facto,& de iure,cum quis illu deponit,& nōdum est alteri collatum,vel cum vacat per obitum beneficiati.

Sciendum 2. extingui etiam beneficium tribus modis: primò,cum omnino tollitur, quod fieri potest tum ratione ędificij,quando Eccle sia; aut alius pius locus ædificatur in præiud cium alterius Ecclesiæ, vel pij loci, quia tur quidquid ædificatum fuerit; demoliendum e expensis ędificantis. *ex cap. 1. & 2. de noui operis nu ciatione*; extinguitur etiam ratione cultus Diu ni sublati,dignitatis beneficij extinctæ, quia e tinctione interueniente, beneficium censet pariter extingui. Extinguitur per suppression nempè quando inter Canonicos iusta cau numerus præbendarum diminuitur,& vna, v duæ extinguuntur, vt fructus cęteris accresc accedente Summi Pontificis auctoritate, confirmet diminutionem illam, dummodo t men

men Capitulum postea suppressam præbēdam, vel dignitatem nulli conferat, iuxta *caput cum accesf. de constitutionibus*. Extinguitur vltimò beneficiũ per vnionem, videlicet quādo vna Ecclesia sit addita alteri, vt ex vita propria qualitate induat qualitatem beneficij,cui adiungitur,vt in casu *cap.cum dilectus de his,quæ vi.*

Quot modis beneficium dicatur vacare pro iure?

BRACTEA XVII.

R. Tribus modis vacare: primò, si vacat sine delicto beneficiarij, idest per mortem naturalem, quia hæc omnia vincula dissoluit: secundò per mortem ciuilem, hoc est per ingressum, & professionem in Religione approbata,hac enim secuta beneficium vacat: tertiò per matrimonium validè initum, cum beneficium sit incompatibile cum matrimonio; cum ergo spontaneè quis se vinculo illo innodet, spontaneè enim videtur beneficio renunciare, & quasi pro delicto habere. *Cap. ex transmissa de renunciatione,cap.cum renunciatio 32.quæst.1.* Secundò, dicitur vacare ex delicto: primò,ratione hæresis,nec illi prodest possessio triennalis:secundo, ex delicto schismatis. *Cap.quia diligenti. de electione*:tertiò,percussione Cardinalis, vel Episcopi, *cap. felicis de pœnit. in 6.* quartò,ratione homicidij qualificati: quintò, falsificationis litterarum Apostolicarum,*cap.falsarior.de crimine falsi*: sextò, ratione sodomiæ sępiùs exercitæ: septimò,occisione per se, vel alium Rectoris, vel alterius Clerici suę Ecclesię,in qua habet beneficiũ,*cap. in quibusdã pœnis.* octauò,rõne simoniæ confidētialis: nono,ex delicto alienationis bonorum Ecclesiæ absque forma in iure præscripta incōsulto Romano Pontifice.*Extrauagant. Ambitiosa de rebus Ecclesiæ nõ alienandis*:decimò,qui vi possessionem beneficij ingressus est.*Cap.cum eum,qui de præbendis in 6.* Tertiò,si vacet per mortem naturalē Clerici, vel ciuilem,quæ est ingressus in Religionem.

De alijs modis, quibus dicitur vacare beneficium?

BRACTEA XVIII.

R. Vacare etiam quatuor alijs modis;primò per matrimonium validè contractum: secundò per alterius incompatibilis assecutionem: tertiò quando Parochus non est ordinatus intra annum:quartò per translationem beneficiati ad aliam Ecclesiam.

Sciendum dubium esse, an beneficium dicatur vacare per matrimonium inualidè contractum. Ad quod respondeo esse probabile non vacare ipso iure ob matrimonium inualidum, quia non præstat impedimentum,quod de iure non sortitur effectum,& quod nullum est,nullum potest producere effectum, matrimonium autem irritum nullum effectum præstat, quare nec erit cõsiderabile,& nullum ius dicat,quod amittatur beneficium ob matrimonium inualidum,cum non assumatur status incompatibilis hoc ipso,quod matrimonium irritum est.

Sciendum 2. non vacare primum beneficium per adeptionem secundi, nisi quando secūdum est incompatibile,quia vtrumque est Curatum, vel dignitas, vel personatus, vel officium, vel sunt vniformia sub eodem tecto; si verò secundum sit simplex, quamuis requirens residētiam non vacare ipso iure curatum, vel dignitatem cum illo, multo minus si non requirat, etiamsi superet sufficientiam.

Sciendum 3. quod quando primum vacat ipso iure non vacat, nisi secundum pacificè possideatur, & recipiantur ex illo fructus, *ex cap. licet Episcop. de electione in 6. cap. commissa de electione in 6 si tibi concesso de præb. in 6.* Similiter non vacare primum, si Superior noluerit confirmare adeptionem secundi, sed reuocauerit Clericum ad primam Ecclesiam:tertiò, si Clericus subitò iræ calore secundum beneficium acceperit, si statim facti sui cum pęnituerit,non vacat primum:quartò,si primum beneficium sine cura animarum non vacat per adeptionem secundi cum cura: quintò, si adeptio secundi sit irrita, vacat primum, quia punitur in hac parte animus coniunctus facto quomodocunque.

R.2. Vacare beneficium curatum,quando nõ ordinatur intra annum completum, & perfectum: computatur autem annus à die possessionis pacificæ,& per eum steterit,quia si legitimè fuerit impeditus, non computatur annus, vt si Episcopus intra annum non inuenit, vel infirmus fuit in lecto,vel post impetrationem beneficij factus esset irregularis sine sua culpa,&c.

R.3. Vacare etiam beneficium,si legitima auctoritate Episcopi beneficiatus transferatur ab vna in aliam Ecclesiam;prima vacat per secundæ possessionem pacificam.

Sciendum 4. per promotionem ad Episcopatum vacare, vt dictum fuit omnia beneficia etiam simplicia post tamen pacificam possessionem:secundò,si intra tres menses,confirmationem non petat:tertiò, confirmatus si intra tres menses non cõsecretur,aut per ipsum stet,amittit ius acquisitum. *Cap. cum in cunctis §.cum verò de elect.* quartò, si electus non præstet consensum electioni infra mensem,aut tempus sibi constitutum amittit ius.*Cap.Quam sit de elect.in 6.*

De renunciatione, seu de resignatione?

BRACTEA XIX.

Sciendum beneficiatum posse beneficio suo tamquam rei ad se spectanti renunciare,vel scripto, vel verbo, idque per seipsum, vel per procuratorem suum ad id institutum,&beneficiatus,qui petijt, & impetrauit à Superiore facultatem renunciandi suo beneficio, si postea mutet sententiã,cogitur nihilominus renũciare.Ita *ex cap. Quidam*:præter quem casum dantur duo alij, in quibus beneficiatus tenetur beneficio suo renunciare,illudque relinquere. Prior est, quando committit delictum, ob quod sic ius possit priuationem officij. Secundus casus est,quando pęna Ecclesiastica debetur in re naturali, quia ad illud,quod est de iure naturali quisque in conscientia statim tenetur.

Sciendum 2. quod omnis obligatio iuris naturæ ad relinquendum beneficium,vel ad restituēdum fructus perceptos nascitur ex eo,quod

bene-

beneficiatus omittit officium, propter quod datur beneficium, vnde sequitur rectæ rationi aduersari, vt beneficium retineat, vel fructus capiat is, qui non potest, aut non vult officium, propter quod ipsum datur exercere: quod tribus modis potest contingere. Primus est, quando beneficiatus habet essentiale impedimentũ, vt si duxerit vxorem, vel professionem emiserit in Religione approbata, item si nolit suscipere ordines, vel acquirere scientiam, quam tale beneficium acquirit. Secundus est, quando beneficiatus habet tantum impedimentum accidentale officij, hoc est quo durante potest quidẽ facere officium, sed peccabit faciendo, vt cum est Ecclesiastica censura irretitus. Tertius modus est, quando beneficiatus nullum impedimentum habet, sed non vult officium ipsum facere, nam vel debet se emendare, vel beneficium resignare alteri, ac pro rata temporis, quo eam primam voluntatem retinendo officium omisit perceptos fructus restituere, atque damna si quæ Ecclesiæ intulerit resarcire. Quibus positis.

R. Renunciationis effectum in eo consistere, vt cum validè fuerit facta, beneficium vacare censeatur, nec renuncians possit vi prioris tituli, & absque noua collatione illud recipere, *ex cap. Transmissa, ex cap. Super hoc de renunciatione,* & *ex cap. 3. & 4. de restitut. spoliator.* licet possit denuo ad illud eligi; danturque tres casus, in quibus renuncians potest redire ad suum beneficium. Primus est, quando resignauit, vt haberet aliud beneficium, quod postea intellexit collatum esse à Summo Pontifice. Secundus est, quando aliquis resignat beneficium, vt permutet illud cum beneficio alterius, nam si permutatio non habet, postea locum, potest redire ad beneficiũ suum, *ex cap. cum vniuersor. de rerum permut.* & *ex Clement. vnica eodem tit.* Tertius casus est, quando aliquis resignat beneficium alicui, quem nominat, & non aliàs, nec alio modo, tunc enim si illi nominato beneficium, non conferatur resignans, redit ad illud. In his prædictis casibus potest resignans redire propria auctoritate ad suum beneficium.

Sciendum 3. renunciationem duplicem esse, tacitam, & expressam: tacitam dupliciter contingere, vno modo ex actu, per quem priuatio beneficij inducitur ipso iure, vt per cõtractum matrimonij, &c. altero modo ex præsumpta voluntate, qua quis renunciasse censetur, cum litteras, aliaque instrumenta resignauit in manibus Superioris: expressa autem renunciatio contingit, quando quis per se, aut per procuratorem dato mandato renunciauit ius beneficij per verba significantia manifesta, liberèq; prolata, quæ duplex esse potest: vna pura, & altera conditionata: pura est, quæ absolutè fit, & sine pacto, & conditione; conditionata verò est, quæ fit cum conditione, & pacto, cuius quatuor species esse possunt: prima est, quæ fit in fauorem certæ personæ, & non aliàs, nec alio modo: secunda, quæ fit cum pensione constituta in beneficio resignato, vel in persona acceptante resignationem: iuxta *caput nisi essent de preb.* tertia fit cum regressu: quarta denique est causa permutationis, & nõ aliàs: primam resignationem posse tantum fieri coram Papa propter pactionẽ, quæ iure prohibita est, nõ autem coram ordinario, coram quo resignatio pura, & libera esse debet iuxta commune ius. *Cap. cum pridem, cap. fin. de pactis,* alioquin esset simoniaca, potest tamen beneficium renunciatum in manibus suis, conferre personæ, pro qua renuncians illud resignauerit sine pactione, dummodo iuxta *caput Tuam in Domino de ætate, & qualitate,* non conferat ex carnali affectu eorum, qui rogant, sed propter merita eius, pro quo supplicatum est, nam tunc nulla est simonia.

Sciendum 4. Pontificem quamuis non dispẽsare possit in simonia, quæ est de iure Diuino, posse tamen dispensare in simonia, quæ iure tñ Ecclesiastico est introducta, & admittere pacta beneficiorum, præsertim sub titulo, & nomine amicabilis impositionis, vt *in cap. super eo de transact. & in cap. nisi essent de prabendis:* de secunda specie idem dicendum est, quod de prima idest talem resignationem non posse fieri coram Ordinario, sed tantum in manibus Papę propter simoniam positiuam, quæ committitur resignando beneficium cum pacto percipiendi aliquid de fructibus illius, quia id apertè aduersatur iuri Canonico, *in cap. nisi essent, & in cap. non satis de simonia.*

Sciendum 5. resignationem cum regressu esse, quando resignans habet ius, vt si resignatarius cuius causa beneficium dimittitur, præmoriatur ipse propria auctoritate ad beneficium dimissum possit regredi: necesse est autem, vt resignatarius obtinuerit possessionem beneficij resignati, alioqui si præmortuus fuisset ante possessionem resignans non dicitur regredi, sed permanere in eius possessione, resignatio cum accessu est, cum resignans habet ius, postquam legitimam ætatem adeptus fuerit, vel purgatus aliquo crimine, vel liber à censura, aut irregularitate accedendi ad beneficium, & capiendi possessionem illius, quod antea nunquam obtinuerat. Resignatio cum ingressu est, cum resignans habet ius, si resignatarius præmoriatur propria auctoritate ingrediendi possessionem illius beneficij dimissi, cuius antea habebat titulum, sed non possessionem: vnde regressus supponit habuisse titulum, & possessionem, ingressus solum titulum absque possessione, & accessus neutrum, sed solum ius ad illud sit habẽdum impedimento remoto criminis, censuræ, & irregularitatis. Ita ex Rebuffo *in praxi par. 3. de regressu.*

Sciendum 6. resignationem cum ingressu, regressu, & accessu solius Papæ auctoritate posse fieri, licet hodie sublata sit per Tridentinum *sess. 25. cap. 7. de reformat.* tum quia referat imaginẽ hæreditariæ successionis in beneficijs; tum etiã ad tollendum votum captandæ mortis.

De quarta, & vltima specie dicendum est resignationem ex causa permutationis posse fieri coram Ordinario, cui non licet alijs, quam compermutantibus conferre beneficia resignata, *ex cap. vnico de rerum permut. in 6. & ex Clement. vnica eodem titulo.*

Quod ius requiratur in his, qui resignare volunt beneficia?

BRACTEA XX.

R. Requiri ius in re ad resignandum in fauorem etiam litteris Apostolicis non confertis,

fectis, modo supplicatio signata sit, & resignata, & multo magis litteris confectis, licet non plumbatis, vel absque capta possessione, aut facta publicatione. Primò, dixi requiri ius in re ad resignandum in fauorem, nam ad resignandum simpliciter, satis est ius ad rem, quia hoc ius est considerabile, non tamen adeò potens, vt possit in alium transferri, & ideò sic electus, præsentatus habens expectatiuam, vel regressum, aut accessum, renunciare simpliciter potest, quia habet ius ad rem, non autem in fauorem, quia non habet ius in re. Secundò, dixi *etiam litteris non expeditis*, quod verum est de iure antiquo, vt docet Rebuffus in concordato, hodie tamen non facilè admittitur, quia licet quis habeat titulum per supplicationem signatam, & registratam, tamen non est perfectus, & gratia adhuc est informis. Tertiò, dixi *modo supplicatio signata registrata sit*; id enim saltem requiritur, tūc autem fit narratiua, quod beneficium fuerat alteri collatum, qui consentit expeditioni litterarum, & renunciat omne ius. Quartò, dixi *multo magis litteris confectis, & non plumbatis*; primò enim expediuntur litteræ in Cancellaria, & postea mittuntur ad officium, vbi solet apponi sigillum in plumbo. Quintò, dixi, *vel absque capta possessione*, sic enim communis est Paris. *quæst. 26.* possessio enim non attenditur in ordine ad renunciandum. Sextò, dixi, *vel absque facta publicatione*, ius enim quæritur alteri per resignationem admissam, & resignatam.

An resignatio facta per metum, aut dolum sit valida?

BRACTEA XXI.

R. Resignationem debere esse liberam, quia si metu graui facta sit, rescindenda erit arbitrio illius, in cuius præiudicium est facta, vel arbitrio eius, qui dolum passus est. Ita Paris. *lib. 13. quæst. 1. & 2.* & Azorius *cap. 26. quæst. 1. & 2.*

Sciendum, quod qui metu graui, aut dolo resignauit beneficium, non potest propria auctoritate redire ad beneficium sic resignatum, sed auctoritate Iudicis, probat, quod causa metus resignauit, debet restitui in pristinum ius. Secundò resignationem factam dolo, vel fraude, si nullo modo fuit voluntaria, ipso iure irritādam esse, alioquin etiam posse rescindi arbitrio decepti, coniecturis autem probatur aliquid esse factum dolo, vel fraude, & sufficiunt leuiores, quales essent, si resignatio cedat in vtilitatem auctoris doli, si resignans deposcit beneficium quæsitum multis impensis, & cuius fructibus commodè sustentabatur, si minæ præcesserunt, si beneficium occultè dimissum est, &c.

De beneficiorum permutatione?

BRACTEA XXII.

Sciendum permutationem generaliter sumptam esse certæ rei ad alteram facta mutua præstatio, quæ definitio accommodatur permutationi beneficiorum, cum duo beneficij liberè admittunt, vt vnus alterius beneficium obtineat: vnde nihil aliud est, quam reciproca quædam resignatio, quæ ad inuicem inter permutantes fit auctoritate legitimi Superioris. Quibus positis.

R. Permutationem beneficiorum factam sine auctoritate Superioris simoniacam esse. Ita Reginaldus *lib. 30. tract. 3. cap 24 num* 342. & alij.

Sciendum 1. ad hoc, vt sit licita, & valida permutatio beneficiorum faciendam esse, vel auctoritate Papæ, vel Legati à latere, vel proprij Episcopi. Non verò Superiorem debere auctoritatem præbere permutationi, nisi ex necessaria causa. Secundò, permutantes non posse facere inter se conuentionem, promissionem, vel pactionem, aut conclusionem, nisi sub expressa conditione, seù facta reseruatione, si Superior, ad quem attinet, voluerit, posse tamen de permutando tractare submittendo se dispositioni Superioris: immò etiam posse concludere ipsam referendo ad beneplacitum Superioris. Tertiò, ad permutationem requiri consensus eorum, ad quos pertinet præsentatio, vel electio ad beneficia permutanda, quia alioquin permutatio non valeret. Quartò, quando beneficia in diuersis Diœcesibus existunt permutationem debere fieri auctoritate vtriusque Episcopi. Vltimò posse quæcunque beneficia permutari, siuè vniformia sint, vt duæ præbendæ, siuè difformia, vt præbenda, & beneficium curatum.

An duo beneficiati possint pacisci de permutatione ante habitum consensum Prælati?

BRACTEA XXIII.

R. Non posse pacisci absolutè de permutatione ante consensum Prælati. Ratio, quia si ante possent pacisci, frustra postularetur cōsensū Prælati licet nō possint absolutè pacisci, tamen relatiuè ad consensum possunt, quia tūc illud pactum non censetur absolutum, & consumatum, cum referatur ad voluntatem Prælati, & ab ipso dependeat.

Sciendum, quod quando agitur de permutatione simplici nullo adiecto pacto, onere, vel pensione ad proprium Episcopum pertinere præbere consensum. *Cap. quæsitum de rerum permut.* nomine autem Episcopi intelligitur omnis, qui habet iurisdictionem Episcopalem, vel quasi, vnde Abbas, vel alius habens præscriptam iurisdictionem ad hunc effectum satis esse, vt ex Glossa *in Clement. vnica de rerum permut.* Zabarella *ibi*, & Rebuffus *in praxi de permut. num. 2.* quod si permutatio non erit simplex, sed cum aliqua pensione, vel onere, aut pacto, &c. spectat ad Summum Pontificem præbere consensum.

An si duo beneficiati paciscantur permutare, vel resignare in fauorem tertij, validum sit pactum, & resignatio?

BRACTEA XXIV.

R. Permutationes, seù resignationes reciprocas in fauorem tertij esse inualidas, & talia pacta beneficiatorum inualida esse, & illicita, etiamsi sint sub conditione consensus Prælati, cum Ordinarij solùm possint consensum

ſum præbere, & approbare permutationes, ſeu reſignationes puras, & abſolutas; relata verò ad beneplacitum Papæ licita eſſe, & valida.

Sciendum eas vocari reſignationes reciprocas, quæ fiunt à duabus reſignantibus in fauorem aliorum duorum ab ipſis nominatorũ, vt ſi Petrus renunciet in fauorem nepotis Pauli, & Paulus renunciet in fauorem nepotis Petri. Secundò, pactum de permutationibus triangularibus, quæ ſcilicet fiunt inter tres, vt ſi Petrus renunciet Canonicatum Paulo, & Paulus curatum Ioanni, & hic ſimplex beneficium Petro coram Ordinarijs fieri non poteſt, de licẽtia verò Papæ pactum erit licitum, & talis reſignatio fieri poterit.

Sciendum 2. permutationes prohibitas corã Ordinarijs fieri eas eſſe: primò, ſi ſint beneficiorum Papæ reſeruatorum: ſecundò, ſi permutetur vnum cum pluribus, quæ iure communi ſimul haberi, & retineri non poſſunt: tertiò, ſi beneficia ſint exempta ab auctoritate Ordinarij: quartò, ſi ſint inæqualia quoad fructus, & minus debeat compenſari in poſſeſſione penſionis, id enim ad Papam pertinet: quintò, ſi beneficium permutandum obtentum ſit à Papa relaxante ius commune, non enim tranſit relaxatio Pontificis ad alium, cum quo permutat.

De confidentia in beneficijs?

BRACTEA XXV.

SCiendum confidentiam eſſe ſpem quandam efficiendi aliquid in re, vel in perſona aliqua collocata; confidentiam vero in beneficijs eſſe eam, qua quis confidit, quod alter acceptãs beneficium ſibi poſtea, vel alteri renunciabit, aut penſionem in eo, fructuſque eius ſibi, vel alteri conficiet; confidit autẽ in illo, vel vt amico, aut familiari, vel vt conſanguineo ſiuè ex pacto, vel ex aliqua alia cauſa, aut occaſione fiat. Quibus poſitis.

R. Si quis recipit beneficium intuitu, vel cõtemplatione alterius, hoc eſt in eius fauorem, vel commodum, videlicet poſtea idem beneficium, vel penſio, vel fructus, aut eorum pars illi, vel alteri conferatur eſſe confidentiam in Bullis Pontificum damnatam, etiamſi alterius tantum partis conſcientia committatur, & incurrit pęnam, quod vacat beneficium à prima die receptionis apud Sedem Apoſtolicam, & fructus ab eadem die Cameræ Apoſtolicæ debentur, & amittunt ipſo facto beneficia, & fiũt inhabiles ad futura, & incidunt in excommunicationem latæ ſententiæ Summo Pontifici reſeruatam.

Sciendum 2. confidentiam non modo eſſe prohibitam à Pontificibus in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ, & qui cum confidẽtia reciperet beneficium non modo incurreret in pęnas ſupradictas, ſed etiam peccaret mortaliter, quæ verò tantum præſumptiuè haberẽtur pro confidentiis, ſi verè animus non fuit reſignandi beneficium ſub confidentia, vel ſi fuit, animus non fuit ſigno externo manifeſtatus, hæ licet prohibitæ ſint quoad forum interiùs, vtpotè mentales, & internæ confidentiæ, non tamen ſubiacent pęnis Bullarum, quæ tãtum externas puniunt. Ratio eſt, quia pęnæ feruntur contra facientes, & committentes verè confidentiam: at in caſu poſito nulla confidentia verè commiſſa eſt, ſed tantum adfuit animus, & conuentio eam faciendi. Secundò, ſi pactionalis confidentia ex altera parte conſumata eſt, eo ipſo incurrunt cenſuræ, & pęnæ Bullarum, nam Pius IV. decernit ab ipſa prima die receptionis vacare beneficium, & fructus debere reſtitui, & Pius V. ſubijcit excommunicationi eos, qui receperint ſic beneficium. Tertiò, mentalis confidentia, in qua re ipſa aliquid accipitur, quod beneficium non ſit, non eſt ſubiecta pęnis, & cenſuris, cum pęnæ, & cẽſuræ ſint ſolùm in ordine ad beneficia, non autem ad confidentiam in alijs.

Sciendum 3. pęnas, quas quis incurrit ob cõfidentiam prohibitam eſſe ſequentes. Prima vacatio beneficij recepti in confidentiam. Secunda, fructus ab eadem die debentur Camerę Apoſtolicæ. Tertia, omnes diſpoſitiones circa illud beneficium factæ ſunt nullæ, & irritæ. Quarta amittuntur omnia beneficia habita, & dignitates, &c. Quinta, fit inhabilis ad omnia beneficia, & alia officia in futurum. Sexta, excommunicatur excommunicatione latæ ſententiæ Papæ reſeruata. Vltima, quidquid in contrarium fieri contingat, ſiuè ſcienter, ſiuè ignoranter irritum eſt, & innane, quas pęnas incurrunt etiam omnes, qui interueniunt in confidentia, vt mediatores, collatores, præſentatores, patrones, partes denique omnes, &c.

MALLEATIO XLVIII.

De penſionibus.

Quid ſit penſio?

BRACTEA I.

R. Penſionem Eccleſiaſticam eſſe ius certæ penſionis ad tempus exigendæ, aut ſoluẽdæ ex beneficio Eccleſiaſtico, aut à beneficiato Eccleſiaſtica beneficia poſſidente. *Ita definit* Zechus *de beneficijs, & penſ. cap.* 11. Azorius *tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 5. *quæſt.* 1. Leſſius *cap.* 34. *dub.* 37. Dixi *ius certa penſionis*, quia penſio non eſt ius ad ſolum aliquod beneficium, ſed ad gratiam ex toto. Dixi *ad tempus*, quia ſi perpetua eſſet iſta detractio, & detractæ penſionis aſſignatio naturam beneficij indueret.

Sciendum, quod penſio à beneficio differt potiſſimum in duobus. Primò, quod penſio ſit pars quædam iuris beneficialium redditũum alteri conſtituta, & deſignata. Secundò, beneficium in perpetuum miniſtrorum vſum ſuaptè natura conſtituitur: quamobrem morte, vel renunciatione beneficiati vacat, & alteri conferri debet; penſio autem ad tempus decernitur ſita vt renunciatione omnino finiatur, ſicut vſufructus morte vſufructuarij, licet Papa ex plenitudine ſuę poteſtatis conſtituere poſſit, vt penſio præter naturam ſuam perpetua ſit, & de vno ad alterum eius ſucceſſorem, vel alium quemcumque transferatur.

Sciendum 2. penſionem duplicem eſſe, Laicalem, & Clericalem. Penſio Laicalis, ſeu temporalis dicitur, quæ ob temporalem aliquam cauſam

sam constituta Laico etiam competere potest, vt v.g. quæ datur Ecclesiæ Economo defensori, &c. Pensio verò Clericalis appellatur, quæ in solos Clericos cadit; quæ etiam duplex est, vna simpliciter spiritualis, quia Clerico ob spirituale ministerium datur, v.g. Concionatori, Episcopo, Coadiutori, Vicario, Parocho, altera media, siuè mixta, quæ in Clericali quidem statu fundatur, tamen non propter spirituale ministerium cõfertur, sed ob aliam causam, eamq; vel lucrosam, vt quæ Clerico pauperi, vel Parocho seni loco alimentorum assignatur, vel onerosam, vt quia aliquis lite beneficiaria cedit. *Cap. nisi de preb.* vel quia beneficium alteri resignat, seruata sibi auctoritate Superioris pensione, vel quia beneficium suum cum altero tenuiuiore permutat. *Cap. ad quæst. de rerum permutat.*

Sciendum 3. inter pensionem Laicam, & Clericalem maximum discrimen esse; quod Laica nihil fermè cum Ecclesiastico beneficio commune habet, hæc autem cum eo multum conuenit, nam & ius spirituale est, vel potius annexum rei spirituali, statumque Clericalem requirit, & fermè eisdem modis, quibus beneficium amittitur, saltem si loquamur de pensione simpliciter spirituali, vt docet Gigas *tract. de pens. quæst.* 54. Nauarrus *lib.* 5. *consil.* 47. 59. 61. & 63. Toletus *lib.* 5. *cap.* 82. Garzias *par.* 1. *cap.* 5. *num.* 113. Suarez *tom.* 1. *de religione lib.* 4. Simancas *cap.* 26. & alij.

Quisnam pensiones beneficijs imponere possit?

BRACTEA II.

R. Absolutè, & simpliciter Summũ Pont. habere potestatem imponendi ob iustã causam pensiones beneficijs. Ratio est, quia ipse solas in beneficijs plenissimam potestatem habet. *Cap.* 2. *de preb. in* 6.

Sciendum, quod dixi simpliciter, Summum Pontificem, &c. quia in casibus specialibus, ac necessarijs, v.g. ob paupertatem seniũ resignantiũ ob litis compositionem, aut ad coadęquandos fructus in permutationem beneficiorum Episcopum posse pensionem beneficio imponere, quãuis nõ in perpetuũ, neque cum facultate transferendi ad alterum, sed solùm ad vitam pensionarij. Et ita Cassialupus *de pens. quæst.* 5. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib* 4. Nauarrus *lib.* 5. *consil.* 43. *num.* 4. Garzias *par.* 1. *cap.* 5. *num.* 309. 334.

Sciendum 2. ad validæ pensionis constitutionem quatuor esse necessaria. Primò, auctoritas constituentis, de qua dictum est. Secundò, necessarium ad validæ pensionis constitutionem, est iusta causa, quæ in iure communi multiplex inuenitur: prima est *in cap. nisi essent de preb.* quando duo litigant pro beneficio, vt pax ineatur: secunda causa est, quãdo fit beneficiorum permutatio, tunc enim pinguiori potest imponi pensio, vt æqualitas fiat, *ex cap. ad quæst. de rerum permut.* tertia causa est, quando resignatur beneficium, tunc enim resignans potest sibi seruare pensionem, si adsit causa honesta, & rationabilis, ipseque spontè renunciet: quarta, est doctrina, & nobilitas multum redundans in Ecclesiæ vtilitatem: quinta, paupertas non solùm in Clericis, sed etiam in Laicis. Tertiò, quod requiritur ad validam constitutionem pensionis, est huius quãtitas iusta, iniusta enim reddit illam iniustam in æstimanda tali quantitate, ratio haberi debet consuetudinis loci, dummodo non repugnet conuenienti, & honesto victui Clerici, & alijs oneribus sustinendis. Quartò, necessarium est qualitas personæ, cui conceditur, nempè, vt ad eam sit habilis, & ideò inhabilis ad statum Clericalem, vt infantes, infideles, amentes, & inhabiles censentur ad pensionem recipiendam. Ratio est, quia pensio Ecclesiastica spiritualis annexa est statui Clericali, & officio recitando; & idcircò Laicum esse inhabilem ad pensionem Clericalem, si non suscipit habitum Clericalem. Ratio est, quia vita, & status Laicalis est omninò repugnans pensioni Clericali; si verò suscipiat ipsam in statu vitæ Laicalis, & postea suscipiat statum Clericalem validè suscipit pensionem.

Quibus beneficijs, & quomodo pensio imponi possit?

BRACTEA III.

R. Summum Pontificem in quolibet beneficio posse imponere pensionem. Ratio est, quia est supremus, & liber administrator omnium beneficiorum, & nullus potest ei dicere, cur ita facis.

Sciendum in Parochiali beneficio centum ducatorum non excedente pẽsionem non posse imponi, ex Tridentino *cap.* 13 *sess.* 24. & multo minus in beneficio Parochiali minoris valoris, quam centum aliorum, in quo nullo modo pẽsio imponi potest; sicut nec in beneficio cum dignitate, vt Canonicatu non imponitur pensio, nisi redditus sint vltra centum. Similiter in Episcopatu, cuius redditus mille aureos non attingit, pensionem non posse imponi. Ex Tridentino *cap.* 13. *sess.* 14.

An impetrans pensionem debeat facere mentionem alterius, si quam habet?

BRACTEA IV.

R. Ex stylo Curię debere facere mentionem alterius pensionis si quam habet, alioquin secundę impetrationem nullam esse; quod tamen intelligendum est cum limitatione, si beneficium, vel pensio de nouo postulata sit ex causa lucratiua sustentationis, aut in forma pauperum, tunc enim necessariò facienda est mentio de obtentis. Ita Filliuc. *tract.* 31. *de pens.* 5. *cap.* 5. *num.* 4.

Sciendum, quod licet ex stylo Curiæ necesse sit mentionem facere pensionis habitæ, de iure tamẽ non est necesse, cum iure tantum cautum sit mentionem fieri beneficij, cum aliud impetratur: pensio autem non est beneficium; quare de iure illius mẽtio non est facienda; & ita Filliucius *loco cit.*

Sciendum 2. non modo necesse esse mentionem fieri de pensione iam habita, sed de pẽsione alterius iam in eodem beneficio constituta, & ipsa tacita secunda pensio nulla erit. Cassador. *decis.* 3. *de pens.* Gigas *quæst.* 29. Flamininus *lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 42.

Scie ...

Sciendum 3. dubium esse, an si resignans nesciat beneficium iam grauatum, & alteram pēsionem impetret sibi reseruari validè, ne in beneficio iam grauato reseruet sibi pensionem, ad quod respondeo validam esse reseruationē secundæ etiam permanente prima. Ratio est, quia ignorãtia resignationis facit valere actũ. Ita Flaminius *loco citato*, & alij; non esse tamen necesse specificè exprimere pensionem, quando necesse est ipsam exprimere, sed satis esse generaliter ipsam exprimere, vt Pontifex aduertat beneficium iam esse grauatum. Ita Filiucius *loco cit. num. 7.*

An requiratur consensus Patroni in pensione imponenda?

BRACTEA V.

R. Regulariter requiri consensum Patroni, immò pēsionem in beneficio absque beneficiati assensu obtētam haberi subreptitiam, si absque iusta causa data sit etiam à Papa. Ratio est, quia is nõ est existimãdus vele, sine causa alicui rem suam auferre absq; eius consensu; tum etiam quia cum pensio sit onus quoddam beneficij iustum est, vt qui beneficium suscipit, oneris conscius sit, quod simul cum beneficio constitutus, & licet aliqui dicant inuito resignatario posse assignari pensionem, debet intelligi, cum ille absolutè consentit in beneficium, & nollet pensionem imponi; nam si absolutè non vult imponi pensionem, nec etiã censetur beneficium velle; quod si hoc amittit, eo ipso tenetur simpliciter in pensionem consentire licet ægrè, & repugnater.

An Episcopus possit supra beneficijs imponere pensionem?

BRACTEA VI.

R. Episcopum in subsequentibus casibus posse imponere pensionem super beneficijs. Primus est, quando pensio ex proprio beneficio datur propter erectionem noui beneficij, quia tunc certum est Episcopum posse pensionem constituere causa iusta interueniente, vt quando Ecclesia indiget ministris, & ideò ad nouorum institutionem opus est ex pinguiori beneficio certam portionem separare, vt ex ea beneficium constituatur, &c. Secundus casus est, cum permutatio fit beneficiorum, quorum vnum est opulentius altero; tunc enim Episcopus constituere potest pensionem, vt qui accipit opulentius, soluat alteri certam pensionem secundum illud, quod statuitur *in cap. ad quæst. de rerum permut.* Tertius est, cum Episcopus aliquam Ecclesiam concedit alicui loco pio, tunc potest in ea aliquid sibi reseruare. *ex cap. constitutus §. fin. de religios. domibus*. Quartus est, quando quis liti, & iuri, quod in beneficio habere contendebat, cedit cõcordiæ gratia, & ob pacis bonum, tunc enim Episcopus in eundem finem potest alteri pensionem soluendam imponere. *ex cap. nisi essent de præb.* Quintus, quando ob morbum, vel aliam causam iustam, vel absentiam, ratione studij litterarum dator Parocho coadiutor, tunc enim potest Episcopus assignare ei sufficientem pensionem ex fructibus beneficij. *cap. de cæter. & cap. tua nos de Clerico ægrotante*. Sextus casus est, quando Laicus, vel alius auctoritate Episcopi fundat Ecclesiam, ac dotat beneficia constituens in ea ex proprijs suis bonis, possit sibi aut alteri reseruare pensionem ex eorundem bonorum redditibus Episcopo consentiente. Septimus casus, quando pensio datur tanquam stipendium temporalis ministerij, quo Ecclesia indiget, v.g. pro pulsandis campanis, vel organis, vel officio Economi, &c.

Sciendum pensionem sola auctoritate Episcopi impositam: primò, causa concordiæ, & litis componendæ durare tantum viuente aggrauato, nec transire ad successorem. Ita constat *ex cap. nisi esset de præb.* pensionem verò impositam ex rationabili causa, quæ euidenter Ecclesiæ auctoritatem concernat durare viuente pensionario. Ita Felinus *cap. ad audientiam 2. num. 2.* & alij.

De obligationibus titularis grauati pensione

BRACTEA VII.

R. Beneficiatum non teneri soluere pensionem beneficij, nisi habita possessione ipsius beneficij, nisi aliter exprimatur in litteris possessionis, aut beneficiatus culpa sua negligeret possessionem beneficij captare, quia tunc in foro conscientiæ tenetur pensionem soluere, & etiam in foro externo compelletur; quod etiam dicendum est, in casu, quando beneficiatus culpa sua non percipit fructus beneficij: secus verò dicendum erit, si id proueniat sine vllo titularis dolo, vel culpa. Et ita Paris. *de resign. quæst. 8. num. 48.*

Sciendum dubium esse, an qui obligauit se in forma Cameræ, & cum iuramento pensionem soluere de fructibus beneficij post resignationē factam, & ad missam teneatur amplius ad illam. Ad quod respondeo non teneri; ratio est, quia cum pensio sit onus reale, transit cum re ipsa, quæ cum per resignationem beneficij non sit amplius in resignante, nec etiam ad illum pertinebit amplius obligatio ipsam soluendi, & iuramentum superadditum nullam superinducit obligationem distinctam à priori, cum iuramentum intelligatur rebus sic stantibus, & possessione pacifica beneficij retenta. Ita Flaminius *lib. 1. quæst. 8. num. 1. & infra*, Burlatus *consil. 421.*

Sciendum, quod si in prouisione apponatur clausula, *etiamsi fructus non percipiantur*, tenetur soluere pensionem, quia tunc sibi debet imputare, quod cum tali onere beneficium accepit.

An cum fructus sunt ita diminuti, vt tota solutione pensionis exhauriantur, Titularis teneatur soluere pensionem?

BRACTEA VIII.

R. Teneri soluere pensionem. Ratio, quia pensio imposita fructibus beneficij cum conditione verificata tempore gratiæ semper est soluenda, dum supersunt fructus, onus enim reale res ipsa sequitur, quibus est impositum: quare

quare nunquam possunt excusari, quoadusque illæ perdurant.

Sciendum dubium esse, etiam quando apponitur clausula in prouisione, *dummodo pensio medietatē non excedat, aut dummodo remaneant centum, &c.* conditione non subsistente teneatur beneficiatus ad pensionem? Et si tenetur, quomodo, & quando. Ad quod respondeo, cum pensio ponitur titulo oneroso clausulas appositas importare conditionem, ac proinde ea non subsistente pensio nulla est: quare si resignans reseruat sibi pensionem centum, dummodo medietatē nō excedat, tota prouisio corruit, & pensio nulla est; si verò pensio sit ex causa, & titulo lucratiuo non subsistente clausula, *si non excedat*, dummodo remaneant centum, &c. non est nulla, sed reducenda. Ratio, quia cum non agatur de præiudicio tertij, in cuius fauorem cedit annullatio pensionis, sed tantum agatur de prouisione lucratiua pensionarij ab eo facta, qui vult, & potest imponere pensionem, debet attendi, & quantum potest prouidentis intentio seruetur, vt impleatur, quod volunt iura, quæ sunt pro validitate actus.

Sciendum 2. dubium esse, an reductio pensionis sit regulanda iuxta fructus, & valorem beneficij tempore datę, an iuxta quantitatem fructuum, qui in toto progressu subinde percipiūtur. Respondeo clausulas, dummodo remaneāt centum, &c. intelligi pro tempore gratiæ, & nō respectu annorum subsequentium; valor enim beneficij æstimatur pro tempore collationis. Ita Felinus *cap. ad aures limit. 2. num. 17. de rescriptis*, & alij. Ratio, quia alioquin semper essent infinitæ lites inter pensionarium, & titularem: vnde prouisio facta cum conditione pendente ex euentu futurorum annorum esset contra rectam rationem, quam legislator debet sequi, cuius est litium materiam amputare; tum quia gratia Principis semper esset in suspenso.

De obligatione pensionarij?

BRACTEA IX.

R. Primò teneri pensionarium ad horas Canonicas, idest ad Officium paruum Beatæ Virginis ex noua dispositione Pij V. in qua decernit pensionarium, officium omittentem fructus suos non facere, & teneri ad restituēdum. Secundò teneri pro rata pensionis ad soluenda onera superuenientia fructibus beneficij imposita ab eo, qui potest ea imponere. Ita plures apud Garz. *par. 1. cap. 5. n. 171.* Quod tñ intelligēdū est, nisi pensio sit reseruata, libera, & ab oī onere exēpta, quia tunc onera superuenientia sunt à titulari soluenda. An teneatur pensionarius ad tonsuram, & habitum Clericalem. Respondeo teneri ex constitutione Sixti V. si tamen pensio excedat sexaginta nummos.

De modis, quibus cessat pensio?

BRACTEA X.

R. Pensionem cessare: primò, expiratione per mortem, priuatione per crimen, cessatione per voluntatem, translatione per sui iuris in alium deriuatione, extinctione per redemptionem.

Sciendum pensionem impositam super fructibus beneficij in fauorem pensionarij durare semper regulariter durantibus fructibus quoadusque viuit pensionarius. Secundò, amitti per priuationem à iure, vt quando quis committit crimen, ob quod ipso iure imposita est priuatio pensionis, priuari etiam per matrimonium, vt docet Nauarrus *de orat. cap. 22. num. 53.* Flaminius *lib. 1. quæst. 1. num. 15.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 44.* & constat etiam ex constitutione Pij V. in qua præcipit pensionarijs tonsuram, & habitum Clericalem. Tertiò, cessare per cessionem, idest translationem sui iuris in alium, quia quisque potest iuri suo renunciare, quando ex eo nihil præiudicij alijs infertur, & in eo casu sola pensio cedit in emolumentum beneficiati: perinde ac si pensionarius mortuus esset. Vltimò, cessare per extinctionem, vt quando ipsa redimitur, quod communiter fieri solet anticipata quinque annorum solutione Pontificis consensu interueniente.

An pensionarius possit in alium transferre suam pensionem?

BRACTEA XI.

R. Translationem pensionis in alium posse fieri auctoritate Summi Pontificis: secus autem non. Ratio est, quia pensio est onus in beneficio constitutum, at beneficia onerari nō possunt sine Romani Pontificis consensu; tum etiam quia nouam pensionem in beneficijs imponere potest solus Papa; ergo eius solius est antiquam prorogare, præsertim cum in translatione beneficij prior extingui, & noua creari, & erigi à Pontifice dicatur; ex quibus deducitur pensionarium propria auctoritate donare alteri, non posse pensionem suam, hoc est ius, quod habet exigendi fructus futuros pensionis per totam vitam suam, quia tunc non donat ius, sed fructus futuros remanendo ius exigendi penès pensionarium. Ita Azorius *par. 2. lib. 8. cap. 11. quæst. 2. & 3.*

Sciendum duobus modis translationem posse fieri pensionis auctoritate Pontificis, primo modo obtenta facultate in ipsa possessionis impetratione, cum Pontifex alicui pensionem reseruat, & facultatem transferendi concedit. Altero modo cum pensio absque vlla facultate transferendi assignatur alicui, sed deinde pensionarius, & beneficiarius debitor pensionis petūt à Pontifice, vt annua pēsio ab habente extinguatur, & alteri reseruetur, & non aliter; tunc concedit Pontifex, vt pensio prius habenti illam amplius non soluatur, sed alteri, in quē transfertur, & tunc Curiales asserunt pensionem priorem extingui, & nouam constitui. Ita Mandosius *in tract. de signatura gratiæ in tit. Translationes pensionum.*



MALLEATIO XLIX.

Cuius sit dominium fructum beneficiorum.

An beneficiati sint verè, & propriè vsuarij fructuum, & reddituum Ecclesiasticorum?

BRACTEA I.

R. Beneficiatos esse verè, & propriè Dominos, & vsuarios fructuum pro sua vita durante in ordine ad sustentationem sui, & alios pios vsus. Ratio est, quia sub tali ratione beneficiati possunt disponere de redditibus sui beneficij pro se, & sua familia, vel in alios pios vsus, ergo, &c. Secus verò dicendum est in ordine ad prauos vsus, & in ordine ad testandum de illis, cum non possint beneficiati de fructibus, ac redditibus suorum beneficiorum, nisi in vsus pios, & hoc inter viros, vt hoc constat ex Concilio Trid. *sess. 25. cap. 1.*

Sciendum differentiam esse inter dominium, vel proprietatem, & vsumfructuum: per dominium, & proprietatem intelligi liberam dispositionem, qua quis potest propria auctoritate de re aliqua tanquam sua disponere in quoscunque vsus lege permissos: per vsufructum verò intelligi ius, quod quis habet vtendi re aliqua ad sua propria commoda, seu ad propriam suam sustentationem, & subuentionem, non tamen ad vsus aliorum, salua tamen substantia rei.

Sciendum 2. initio Ecclesiæ Clericos vixisse, & habuisse bona in communi, sed postea factū esse, vt omnia bona Ecclesiarum ex decimis primitijs, & alijs oblationibus in tres partes diuiderentur, quarum vna deputaretur ad fabricam Ecclesiarum, secunda ad sustentationem Clericorum ministrantium in Ecclesia, & quarta ad vsus pauperum. Fuit sentētia asseuerantium beneficiatos tantum esse vsuarios; ita vt nihil possint licitè assumere ex fructibus beneficiorum, nisi quod necessarium est ad commodam ipsorum sustentationem, ita vt quidquid superest, teneantur lege iustitiæ in vsus pauperum expendere, si quę non expēdant, furtum, & sacrilegium committant. Fuit etiam sententia asserentium beneficiatos, non solùm habere vsum, sed etiam dominium, & proprietatem prædictorum fructuum, ita vt ex lege iustitiæ si illos expenderint in prophanos vsus non obligentur ad restitutionem, licet mortaliter peccent malè expendendo. Sed nostra sentētia est beneficiatos portionis ad commodam sustentationem debitæ dominium, & proprietatem habere purè, non autem illius, quod vltra sufficientem eius sustentationem superest, sed habere cum admixtione obligationis erogandi ipsum in vsus pauperum. Ratio est, quia operarius verè dominium acquirit mercedis sibi in sustentationem debitæ ob laborem, officiumque suum: beneficiatus autem operarius est in Ecclesia Christi; ergo portionis sibi ad congruam sustentationem debitę ob Ecclesiasticum suum ministerium ipse acquirit verum dominium, prout sentit apertè D. Thomas *2. 2. quæst. 185. art. 7. & quodlib. 6. art. 12.* tum etiam quia vsus videtur semper in Ecclesia fuisse, vt beneficiorum redditus, dentur Clericis cum obligatione, & quod superfuerit, dent pauperibus, iuxta illud, quod in primo capite; *Quia tua fraternitas de eo, quod* Clericorum sustentationi superest ex Ecclesiæ fructibus: omne quod superest necessitatibus in causis pijs, ac religiosis erogandum est; ex quibus satis probabiliter colligitur instituta quidem esse beneficia Ecclesiastica, vt Clerici ex his sufficienter sustentarentur, ita tamen vt ex eo, quod superesset, pauperes quoque sustentarentur, atque adeò fructuum, qui ex illis percipiuntur Clericos sic esse dominos, vt tamen obligentur, quæ ex eis superfuerint pauperibus elargiri.

An beneficiati sint domini portionis redundantis ex fructibus sui beneficij?

BRACTEA III.

Prima sententia est beneficiatos non esse verè, & propriè dominos illius portionis redundantis, sed solùm dispensatores, ita vt ex iustitia teneatur illā pauperibus erogare, quod si id facere recusent, debere ex alijs bonis, quæ pleno iure retinent in vsus pauperum elargiri, quātum ex eo, quod superest ex bonis beneficij in alios vsus impendunt, sicut Economus bona Domini contra intentionem illius expendens ad restitutionem tenetur; & similiter eos, quibus dederunt teneri pauperibus restituere accepta, si beneficiati reddere aut recusent, aut non possint. Huius sententiæ sunt Alexander Alensis *par. 3. quæst. 56.* Paludanus *in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 4.* Naldus *dist. 25. quæst. 1. art. 3.* Maior *dist. 24. qu. 6.* & alij plures.

Secunda sententia est asserentium, cui tanquam probabiliori adhæreo, beneficiatos esse verè, ac simpliciter dominos illius portionis, quæ eis superest ex fructibus beneficiorum: in ordine tamen, vt supra dictum fuit, ad propriā sustentationem, & vsus pios; ratio, vt supra dictum est, quia quilibet operarius mercedis, ac stipendij sibi ob laborem debiti verè, & propriè dominus est: at qui beneficiati verè sunt in Ecclesia operarij, & fructus eis redduntur tanquā laboris merces; ergo illorum verè, & propriè sunt domini, tum quia non est maior ratio, cur pauperes fiant domini quintæ partis sibi ex Ecclesiæ bonis assignatæ, & Ecclesia similiter dominium acquirat tertiæ partis sibi datæ ad fabricandum, quam quod beneficiati portionis sibi ob laborem, & operam destinatæ dominiū assequantur; tum etiam quia videtur esse conclusio definita *in cap. vnico de Clericis non residentibus,* vbi sic dicitur. *Qui Diuinis officijs non intersunt, nisi infirmitas, seu iusta, & rationabilis necessitas, aut euidens Ecclesię vtilitas releuet, non sunt domini quotidianarum distributionum, neque faciunt eas suas, sed ad restitutionem sic perceptarum obligantur.* Supponit ergo Pōtifex alios, qui intersunt fieri dominos; quod si isti fiant domini quotidianarum distributionum, cur non etiam aliorum prouentuum, præsertim cum omnes dentur propter officium, siuè publicè, siuè priuatim dicendum, & in Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 3.* dicitur, vt in omnibus Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, tertia

tia pars prouentuum omnium dignitatum, personatum, & officiorum in distributiones diuidatur, vti scilicet qui eas obtinet, si personaliter competens sibi seruitium quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributiones amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ, vel alteri loco applicetur; & *sess. 23. cap. de reformat.* decernitur, vt Episcopi, qui vltra tres menses, nisi vrgente necessitate absunt à suis Ecclesijs fructus non faciant suos pro rata temporis absentiæ, sed teneantur fabricæ, vel pauperibus erogare. Idem dicitur de alijs curam animarum habentibus, & *sess. 24. cap. 12. de reformat.* statutum, vt prouisi de Canonicatibus, & dignitatibus publicam fidei professionem faciant alioquin fructus non faciant suos; ex quibus locis apertè colligitur beneficiatos esse verè, & propriè dominos omnium suorum prouentuum. Et ita Siluester *verba restitutio 3. quest. 5.* Sotus *lib. 10. de iustit. quæst. 4. art. 3.* Couar. *cap. cum in officijs num. 3. de testam.* Molina *de iustitia, & iure tract. 2. disp. 143.* Azor. *part. 2. lib. 7. cap. 8. quæst. 2.* & alij.

Quonam titulo beneficiati teneantur an dandam eleemosynam ex fructibus suorum beneficiorum?

BRACTEA IV.

NAuarrus putat beneficiatos obligari ad eleemosynam dandam pauperibus de eo, quod superest ex fructibus beneficiorum lege iustitiæ, & idcircò arctius obligari ad dandam eleemosynam, quam Laici opulenti, qui solo charitatis, & misericordiæ præcepto obligantur largiri pauperibus eleemosynā de eo, quod superest ex eorum patrimonio. Sotus *lib. 10. de iustit. quæst. 4. art. 3.* censet beneficiatos solo obligari ad dandam eleemosynam præcepto charitatis quidquid eis superest ex fructibus beneficiorum, & nihilominus ait, huiusmodi præcepti vinculum arctius beneficiatos obligare, quam Laici, quia beneficiati in iure velut pauperum parentes nuncupantur.

R. Quod Abbates, & Priores, qui Abbatias, & Prioratus habent in Commendam præter portionem, quæ Ministris, & fabricæ Ecclesię debetur, obligantur quartam partem fructuū pauperibus erogare. Et ratio est, quia cum Romani Pontificis auctoritate huiusmodi Abbatiæ, & Prioratus commendentur, litteræ Pontificiæ expediuntur cum hac conditione, vt in vsus pauperum quartam partē fructuum elargiantur; ergo si talem conditionem non impleat, violant iustitiæ legem, & pauperibus restituere debent, quod denegarunt.

R. 2. Quod cœteri Clerici beneficiati, qui nomine, & iure tituli beneficia possident arctiori vinculo tenentur ad expendendum in vsus pauperum, quod redundat ex fructibus suorum beneficiorum, quam Laici opulenti, & arctius huiusmodi vinculum consistit in tribus. Primò, quia beneficiati tenentur sub mortali, si quid supersit ex fructibus beneficiorum dare in communes, & solitas pauperum necessitates, tametsi nulla extrema, vel grauis egentium necessitas appareat, at verò Laici diuites minimè ad id tenentur, nisi extrema, aut grauis indigentia occurrat. Secundò, quia Laici non tenentur ex officio, vel statu suo inquirere pauperes, sed illis, quos obuiam habuerint eleemosynam impertiri, at verò Ecclesiastici, præcipuè Episcopi ratione Excellentiæ status, quia sunt Ministri Christi Domini, qui loculos dicitur habuisse pro sustentatione, etiam pauperum ad id specialiter tenentur. Tertiò, quia Laici possūt de bonis patrimonialibus aliquid seruare ad statum suum, vel cōsanguineorum augendum, & tunc illud non dicitur superfluū: at verò Episcopi, & alij Ecclesiastici non possunt ex prouentibus beneficiorum statum sibi, vel cognatis, vel amicis augere. Et ratio est, quia ista bona non sunt data, nisi ad cōgruam sustentationem. Quod ergo superest congruę sustentationi communibus proximorum necessitatibus debetur.

R. 3. Quod quamuis Clerici beneficiati non teneātur de iustitia pauperibus elargiri, si quid eis superfit ex fructibus suorum beneficiorum, nihilominus tamen arctiori vinculo, quam Laici diuites tenentur, quia Laici solo præcepto iuris naturalis, & Diuini obligātur, cùm tamen beneficiati non solum iure naturali, & Diuino, sed etiam canonico teneantur; nam secundum decreta, & canones Ecclesiæ tenentur pauperibus elargiri quicquid abundat ex commodo ipsius victu, ex quo infertur beneficiatos non lege iustitiæ debere, quod superest dare pauperibus, sed Charitatis præcepto, & lege, quam Ecclesiæ Canones beneficiatis, non fructibus beneficiorum imposuerunt: ac proinde sic, quod eis superest ex fructibus beneficiorum in alios vsus præterquam in communes pauperum vtilitatis insumunt, peccant quidem dando, quod superest, quibus non debent, sed non obligantur ad restitutionem, quia Ecclesia preceptum dedit beneficiatis, vt quod superest impendant in egentium vsus; non tamen obligauit eos ad restituendum, si non impenderint in pauperes.

Sciendum differentiam esse inter beneficiatos, & diuites Laicos, nam beneficiatus in multis casibus illud, quod ei ex fructibus beneficij superest expendendo in alios vsus, quam pauperum mortaliter peccat, in quibus tamen casibus diues Laicus expensas faciens, aut non peccaret, aut venialiter tantum, quoniam per leges Ecclesiasticas multi casus ꝓhibiti sunt beneficiatis, qui non sunt diuitibus Laicis, quapropter si beneficiatus illud, quod superest, expendant in canibus ad venationem alendis, in ludis sectandis, in parasitis sustentandis, in pōpa sęculari, in fastu, in lautis epulis, alijsque id genus voluptaribus, & delicijs mortaliter peccabit, quia non est illi concessum in eos vsus, iuxta illud D. Hieronymi, quod refertur *dist. 44. Tibi ò Sacerdos de Altari viuere non luxuriam permittitur.* Similiter si expendat, dando consanguineis, aut familiaribus diuitibus; ita enim habetur ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 1. de reformat.* vbi sic legitur *Omninò verò eis interdicit, id est Episcopis, &c. ne ex redditibus Ecclesię consanguineos, familiaresque suos augeant*, cum, & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quę Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, his, vt pauperibus distribuant eas, aut nō distrahant, nec dissipent illorum causa: in casibus verò extremæ, vel grauis necessitatis omnes indifferenter ex suis superfluis tenentur

sub mortali indigentibus subuenire.

Sciendum 2. mortaliter beneficiatos peccare, qui superflua decentiæ sui status in prauos, vanos, aut prophanos vsus expendunt. Ratio est, quia faciunt contra strictum concilij Tridentini præceptum, *cap.1. de reformat.*

An beneficiatus ex fructibus beneficij possit consanguineos, & propinquos iuuare?

BRACTEA IV.

R. Primo beneficiatum non posse ditare propinquos, ita ut illos promoueat ad altiorem statum. Ratio, quia id apertè prohibetur in Concilio Tridentino *sess.21. cap.1. & in cap. decenter dist.89. & in cap. sunt manifesta, & in cap. Episcopus Ecclesiasticar. 12. quæst.1. & in cap. quisquis Episcop. 12.quæst.2.* iam olim prohibitum erat, & licet illi Canones loquantur expresse de Episcopis, sunt tamen intelligendi de quibuscunque beneficiatis prout Concilium Tridentinum satis indicauit *loco cit.* Et ratio est, quia Ecclesia censenda non est vnquam voluisse permittere, vt ex fructibus beneficiorum ditarentur consanguinei, aut familiares, quandoquidem id fieret in detrimentum pauperum, quorum ea gerit peculiarem curam, tanquam maximè commendatam in sacris scripturis.

R. 2. Beneficiatum licitè sororem, vel aliam cognatam dotare posse, vt commodè nubat, & fratrem, vel Cognatum alere in litterarum studijs, atque eum ad gradus scholarum promouere, dummodo indigentes sint ea ex parte, idest, vt non possint talia habere aliunde, nam si possint, non censebuntur ea ex parte pauperes, ac proinde largitio huiusmodi fieret contra Ecclesię antea memoratam prohibitionem de non ditandis cognatibus ex beneficiorum fructibus. Ita Angelus *in verbo Dos num.5. & in verbo Clericus 13.num.11.* Siluest. *verbo Dos quæst. 5. & verbo Clericus 4. quæst.15.* & alij.

Sciendum eos Parentes pauperes censeri nō solum, qui egent victu, & vestitu requisitis ad vitæ conseruationem, quæ dicuntur necessaria natura, sed etiam, qui egent rebus opportunis ad conuenientiam sui status. Secundò, quod licet beneficiatus de redditibus sui beneficij, quos in operibus pijs insumere tenetur, debeat cœteris paribus potius consanguineis, quam extraneis subuenire, occurrentibus tamen extraneorum necessitatibus extremis, aut quasi extremis debere potius eis subuenire, quam consanguineis in illis, in quibus indigent solummodo ad conuenientiam sui status. Tertiò beneficiatum habentem bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia posse ex redditibus sui beneficij subuenire consanguineis egentibus, non minus, quam extraneis, similiter indigentibus, quamuis laudabilius esset subuenire ex alijs suis bonis, vt haberet, quod in alios pios vsus conferret. Quartò, beneficiatum posse in suo obsequio habere consanguineum diuitem; illique sustentationem, & mercedem iustam dare de redditibus Ecclesiasticis, sicut daret alteri.

R. 3. Beneficiatum posse etiam filiam spuriam ex fructibus sui beneficij dotare, si nequeat aliter ipsi indigenti prouidere, prout iure naturæ tenetur. Ratio, quia credibile non est, Pontificem sustulisse, quod est iure naturali debitum: at ex naturali æquitate debitum est filijs licet ex peccato natis, vt si egeāt alant à parētibus: ergo, &c. verū si beneficiatus haberet alia bona, vnde subuenire possit filio suo, aut filiæ spurijs non possit illis tradere dotem, aut sufficientem sustentationem de superfluo sui beneficii, quia non essent reuera pauperes, sicut nec possunt alijs, habentibus parentes, qui debent, & possunt sufficienter illis subuenire. Quomodo verò sit habenda ratio status consanguinei, vt ei tanquam pauperi beneficiatus licitè conferat, quod superest ipsi ex fructibus sui beneficii: an considerandus sit status, in quo idem consanguineus erat antequam Clericus hoc beneficium obtineret: an habenda sit quoque ratio status, in quo ille est eo ipso, quod Clericus beneficium habet, exēpli gratia promotus est, quis ad Cardinalatum, vel Episcopatum eoue ipso consanguinei eius, ita accedant ad nouum statum, vt ille ad eorum sustentationem possit plus expendere, quam posset, si ad eum dignitatis gradum non esset promotus, sed maneret simplex beneficiatus, iuxta Rosellam *in verbo Clericus 4.n.11. in verbo Restitutio 14.num.7.* alimenta, & dotem esse danda consanguineis solum secundum statum, & conditionem, in qua erant priusquam Clericus ad beneficium promoueretur: iuxta verò Tabienam *in verbo Restitutio quæst.19.* beneficiatum in dandis prædictis posse excedere statum, quem consanguinei habent in sæculo, quia in tali re nō debet attēdi gradus sæcularium, sed gradus personæ beneficiatæ, quæ opinio non censetur tuta, tum quia secundum eam contra Canones consanguinei ditarentur ex fructibus beneficiorum; tum quia differentia est inter sæculares, & Ecclesiasticas dignitates, quod consanguineo promoto ad dignitates sæculares propinqui simul cum eo ad statum ascendant altiorem, non item promoto ad dignitates Ecclesiasticas, quoniam ea ex parte ipse est, ac si cōsanguineos non haberet, nisi quando dignitati Ecclesiastic ęannexa est dignitas, sęcularis, vt quando Prælati sunt Principes, Duces, Comites, Marchiones, &c. ea enim ex parte, qua Prælati cum spirituali iurisdictione habent dominium temporale consanguinei ipsorum, simul ascendunt ad nouum statum, quia non debent in eo peioris conditionis esse, quam sæculares: itaque sicut his promotis ad sæculares dignitates consanguinei ipsorum mutāt statum, mutabunt, & consanguinei Clericorum promotorum ad dignitatem Ecclesiasticam, quæ annexam habent iurisdictionem; & ideò.

R. 4. Beneficiatum auctum in statu Ecclesiastico posse licitè consanguineis conferre non quidem tantum, quantum illi exigere solent, nec quantum ipsius affectio, ergo illos inordinata suaserit licere, sed moderatè prudentis, & timorati viri arbitrio circunstantiis omnibus spectatis, ac quantum requiri iudicabitur, vt dedecus meritò non sit ipsi beneficiato, propinquos sibi tam arctè coniunctos se adeò abiectè habere.

An

An si beneficiatus aliquid ex bonis suis patrimonialibus insumpsit in bonum Ecclesiæ, vel beneficij, possit tantundem sibi sumere de fructibus eiusdem beneficij, de eoque liberè disponere, sicut de Patrimonialibus?

BRACTEA V.

R. Affirmatiuè; & ita Angelus *verbo Clericus 1. num.9.* Siluester *verbo Clericus 4. quæst.12.* Nauarrus *in tract. de redditibus Ecclesiasticis quæst.4. admonit.4. num.3.* vbi affert in confirmationem, quod *in cap. si Episcop.12. quæst.5.* permittitur Episcopo, vt quantum de bonis patrimonialibus contulerit Ecclesię, tantundem possit decedens propinquis, aut quibus maluerit relinquere. Ratio, quoniam id non est aliud, quam compensationem æquiualentem sumere, quæ iure naturali licita est.

Sciendum id non procedere quando quis expensas facit liberè, donando Ecclesię gratis, quod expensum fuerit, quia nequit donationem reuocare iam tradita re, quam donauit. Quod si contingat, vt beneficiatus aliquid de patrimonio expendens in bonum Ecclesiæ nihil cogitet de gratis expendendo, vel non gratis; tunc donec expresse fecerit donationem eius, quod sic expendit, liberè potest intentionem habere non expendendi gratis, & poterit compensatione vti.

An si beneficiatus emat prædia, & possessiones aliaue bona, ex fructibus, vel pecunijs sui beneficij taliter empta acquirantur illi Ecclesiæ, cuius est beneficiatus, an ipsi beneficiato?

BRACTEA VI.

R. Iuxta Nauarrum *in tract. de redditibus Ecclesiæ quæst.1. admonit.47.* omnia ex fructibus beneficii empta, si non emantur pro sua Ecclesia eiusue nomine remanere inter bona eiusdem beneficiati ementis sub eadem conditione, qua fructus ipsi; nempè, vt vtatur illis ad congruā suam sustentationem, & cætera expendat in pia opera. Quod non sint, eo ipso Ecclesiæ parta, quia si id ita esset, ea quæ beneficiatus emit ad suum vsum, vt vestes, libros, &c. destinata ad vsum propriæ personæ, aut ad iustam remunerationem obsequiorum acceptorum, aut ad aliquod pium opus, vt dotationem alicuius sacelli, vel pauperum puellarum, aut alimentum pauperum scholasticorum, &c. non posset magis de talibus disponere, vendendo, cōmutando, donando, quam possit de vtensilibus suæ Ecclesiæ comparatis ad proprios illius vsus, vt de Calicibus, sacris vestibus, &c. quod nemo dixerit, tum etiam, quia plures Pontifices statuunt huiusmodi bona empta spolia esse Clericorum: vnde consequens est ea non transiisse in dominium Ecclesiæ, in qua est beneficium, de cuius redditibus facta est emptio, nam si transiissent non pertinerent ad Papam, tanquam Clericorum spolia; ergo, &c.

Sciendum, dubium etiam esse, an beneficiati possint de eo disponere, quod sibi parcius viuendo subtraxerunt ex portione suis vsibus deputata? Ad quod respōdeo beneficiatos posse liberè de eo disponere, sicuti possunt de bonis Patrimonialibus, quia nullam habent obligationem particularem, cum hoc potius, quam patrimonium in pauperes, vel pias causas teneantur impendere. Sic Nauarrus *de redditibus quæst.1. num.30.* Sotus *lib.10. quæst.4. art.3.* Couar. *de testam. num.2.* qui ait, idem esse dicendum de his redditibus, quos vt iustam laboris mercedem impensi in regimine Ecclesiæ recipit is, qui Ecclesiæ curam gessit, vt Pastor, &c. Vnde sequitur, ipsum posse pro arbitrio de eo disponere, sicut filius, aut seruus de alimentis à Patre, vel a Domino sibi datis; purè ad suam sustentationem, ex quo sibi subtrahens aliquid retinet illius dominium acquisitum per puram donationem, ac proinde liberam de eo habet dispositionem, quia id, quod non superest ex fructibus beneficii, sed prouenit ex industria, & labore beneficiati subtrahentis ipsum sibi: vnde fit, vt cedat in illius bonū: quocirca vt Molina *de iustitia, & iure tract.2. disp.146. benè notat* prohibitio per Concilium Tridentinum *sess.25. cap.1. de reformatione,* facta Clericis ne ex redditibus Ecclesię consanguineos, familiaresq; suos augere studeant, extendenda non est ad istiusmodi bona, neque enim consentaneum est, quod cum licitè possunt talia dare extraneis diuitibus, tanquam habentes liberam de illis disponendi potestatem nullam habeant conferendi consanguineis, aut familiaribus suis, quos tanquam eos, quibus sunt adstricti præferre debere ratio dictat.

An Clericus possit liberè disponere de Pensionibus sibi ex fructibus beneficij reseruatis?

BRACTEA VII.

Prior sententia est, eandem esse rationem de pensionibus, ac de fructibus beneficii, & per consequens non posse Clericum de illis aliter disponere, quam de fructibus beneficii: hanc tenet Nauarrus *de redditib. quæst.1. admonit. 32. num.2.*

Secunda sententia est contraria, nempè non esse eandem rationem de beneficiis, ac de pensionibus, & per consequens pensionarium posse liberè disponere de pensionibus, sicut de patrimonialibus bonis. Ita Couaruuias *in cap. Cum in officijs num.6.* Gigas *in tract. de pens. quæst.52.* vbi probat pensionarium posse proprio testamento disponere de redditibus ex pensione Ecclesiastica perceptis; Sed

R. Hanc opinionem teneri possumus, quoad pensionem, quæ non datur in titulum beneficii: idest quæ non datur Clerico per totam vitam, ob officium Clericale, & non de pensione, quę alicui datur non ob beneficium Clericale, sed ob aliud seruitium. Ratio est, quia pensio de se non censetur beneficium, & non datur propter Ecclesiasticum officium, sed in subsidium vitæ, ac quasi alimentum: iam verò onus dandi pauperibus, quod superest præcepto Ecclesię impositum est tantum habentibus titulum beneficii, qui nomine beneficiatorum significantur

cantur propriè. Quod si dicatur, pensionem esse portionem ex fructibus beneficij detractã. Respondeo id quidem verum esse, sed cum detracta sit ad subsidium vitæ, & quasi alimentum, non sortiri naturam, & conditionem beneficij, quia beneficium datur propter officium & ministerium Clericale, non ita pensio.

An Beneficiatus de fructibus sui beneficij possit condere testamentum?

BRACTEA VIII.

R. Certi iuris esse, eum posse testari de patrimonio, videlicet de bonis paternæ successionis, vel cognationis iure obtentis, vel arte, doctrina, industria, ingenio acquisitis, vel consanguineorum amicorum, vel aliorum donatione absque vlla Ecclesiæ ratione comparatis. *Cap. Episcopi 12. quæst. 1. cap. placuit eadem causa quæst. 5. cap. quia nos cap. Relat. 2 §. Cæterum. cap. requisisti §. illud de testam.* de bonis ab Ecclesia acquisitis, hoc est de fructibus beneficij iure cõmuni non posse testari. *Cap. Episcopi, cap. manifestè 12. quæst. 1. cap. quia,* Ioannes *cap. fixum quæst. 5. cap. ad hæc, cap. quia nos, cap. in officijs cap. Relatum 2. de testam.*

Sciendum dubium esse, an consuetudine induci queat, vt beneficiatus possit de fructibus sui beneficij facere testamentum. Ad quod respondeo duas esse sentẽtias, quarum prima affirmat posse id cõsuetudine introduci, siuè beneficiati sint simplices nullam rerum Ecclesiasticarum administrationem habentes, siuè habentes. Ita Hostiensis, Ioannes Andreas, Faber, Imola, Antonius, & inter Theologos Paludanus, Antoninus, quos refert Couar. *de testament. cap. cum in officijs num. 9.* id probant, quia beneficiati etiam Episcopi, &c. sola lege misericordię, & charitatis debent impendere in egentiũ vsus, quæ ipsis supersunt ex redditibus Ecclesiarum, aut saltem lege, & præcepto ab Ecclesia constituto, & consequenter cum solo iure scripto, videlicet Canonico prohibeantur, testari potest consuetudine, vel ex toto, vel ex partę obligari.

Secunda sententia negat posse consuetudine introduci, vt beneficiatus testetur simpliciter ad quosuis casus, etiam non pios, quamuis consuetudo testandi ad vsus, & causas pias possit consuetudine induci. Sic Archidiaconus, Francus, Barbatius, &c. & inter Theologos Angelus, Siluester, & Maior apud Couaruuiam *de testam. cap. cum in officijs num. 9.* Hanc opinionem defendit Nauarrus in suo libello *de redditibus Ecclesiasticis.* Ratio, quia beneficiatus nullum prorsus dominium eius, quod ipsi superest ex fructibus beneficij, & lege iustitiæ id in communes indigentium vsus dispensare compellitur: sed nemo potest de re aliena conficere testamentum; ergo, &c. sed

R. Attento iure Canonico non posse beneficiatos de fructibus beneficiorum testari etiam ad pias causas, vt constat *ex cap. Episcopi, cap. sint manifesta 12. quæst. 1. cap. quia Ioannes, & cap. relatum 2. & cap. cum in officijs de testam. num. 5.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 19. dub. 4.* & alij communiter. Dixi *attento iure Canonico*, quia ex consuetudine multis in locis recepta, possunt de his ad opera pia testari, modo sit quadragenaria, cum iure, dumtaxat humano prohibita sit Clericis huiusmodi dispositio de redditibus Ecclesiasticis per vltimam voluntatem. Ita Couaruu. *de testam. num. 2.* Sotus *lib. 10. quæst. 4. art. 3.* Azorius *lib. 7. cap. 8. quæst. 2.* A quibus tamen vt supra dictum est, recedit Nauarrus *de redditibus quæst. 1 monit. 53 & 54. quæst. 2. monit. 22. & quæst. 3. monit. 2.* vbi intendit non adesse huiusmodi generalem consuetudinem, & vbi adest eam non valere.

An Romani Pontifices consensu, possit beneficiatus de fructibus beneficij testari?

BRACTEA IX.

R. Posse testari; & ideò Romani Pontifices simpliciter solent dare facultatem, vt beneficiati testentur in quoslibet vsus, & vt relinquant siuè cognatis, siuè externis, & ijs quidem siuè diuitibus, siuè pauperibus. Ratio est, quia tota hæc prohibitio est de iure positiuo, super quod Romanus Pontifex potest dispensare, & si sine causa in hoc iure dispenset, peccat quidem dispensando, sed dispensatio tenet.

Sciendum, quod quando Pontifex in priuilegio concedit beneficiato facultatem testandi tantum in vsus pauperum, & ipse testatur in vsus prophanos, & superfluos tale testamentum est illicitum, quia facultas est restricta in vsus pauperum. Secundò, quod quando Pontifex absolutè concedit facultatem testandi in quoluis vsus intelligitur per tale priuilegium sublata prohibitio iuris Canonici, quo prohibetur fieri testamentum, & sic relinquuntur beneficiati in iure naturali, & Diuino, & quia vt diximus, beneficiati sunt fructuum suorum beneficiorum domini, ita sicut in vita valida est donatio, etiam in vsus prophanos, quamuis peccent contra caritatem, ita etiam in testamento valida erit dispositio, sed erit peccatum contra charitatem, nisi fiat in vsus pauperum.

R. 2. Beneficiatos, qui de illa parte prouentuum, quæ superest ad causas prophanas testatur peccare mortaliter. Ratio est, quia sunt in donando prodigi dispensatores, & quia contra Canones, & præceptum Ecclesiæ id faciunt. *Cap. cum in officio de testam.*

Sciendum 2. dubium esse, an tale testamentum ad causas prophanas factum valeat. Nauarrus *in tract. de redditibus Ecclesię quæst. 3.* absolutè negat valere, sed oppositũ mihi verius, & probabilius videtur. Ratio est, quia beneficiati sunt domini omniũ fructuum, & si cum onere, & obligatione, vt quod superest, in pios vsus expendant, ergo validè transferunt illorum dominiũ inter viuos, siuè per vltimam voluntatem. Nec obstat, quod peccent mortaliter, quia aliud est testamentum esse illicitum, aliud esse inualidũ; & si enim ex præcepto Ecclesiæ teneantur de parte prouentuum disponere in pios vsus, non tamen decernitur inualidum, si contra fecerint; tum etiam quia ex eo, quod dispositio sit illicita, non sequitur necessariò, vt sit inualida: vnde sequitur hæredes per tale testamentum institutos posse validè succedere in bonis eiusmodi tanquam acceptis ab eo, qui verè habuit dominium eorum nulli de se obligationi suppositorum: ea enim obligatio, qua debuerint appli-

applicari pijs vsibus, personalis tãtum fuit pertinens ad solum testatorem, quæ proinde non transit ad hæredes. Vnde fit, vt illi possint ea accipere, totumque peccatum commissum testatoris est, qui ita siuè expresse, siuè tacitè cõtra Canones disposuerit, itemque eorum, qui ipsum ad id induxerunt.

Sciendum 3. dubium esse, an consanguinei succedant ab intestato beneficiatis in fructibus beneficiorum. Ad quod respondeo, si spectemus ius Canonicum certum esse in redditibus beneficiorum, sicut & in bonis ex eis redditibus acquisitis beneficiatis discedentibus succedere solum ab intestato Ecclesiam, vel successorem, non autem consanguineos, vt clarè constat *ex cap. Prælatura 2. de testam.* & tradit Azorius *lib. 2. cap. 9. quæst. 7.* Nomine autem Ecclesiæ intelligitur, si beneficiatus Canonicatum, vel personatum habuerit in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiali, pertinere ad Collegium Clericorum: si verò simplex aliud beneficium habuerit, ita vt beneficiatus non sit ex Collegio Clericorum successori deberi. Vtrumque colligitur *ex cap. Relat. 2. de testam. §. quia verò, cap. cum non de officio Ordinarij, cap. præsenti eodem tit. in 6.* Si verò Clericus beneficia habeat in duabus Ecclesijs fructus ab eo relicti inter eas iuxta congruentem æstimationem diuiduntur. Dixi, *si spectemus ius Canonicum*, quia ex consuetudine videmus in plerisque locis succedere consanguineos, de qua consuetudine testantur eam probantes, Couarru. *de testam num. 4.* Sarmentus *de redditibus 2. par. cap. 6.* Azorius *lib. 7. cap. 9. quæst. 1.* Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 4.* Molina *tract. 2. disp. 147.* & alij.

Sciendum 4. dubium esse, ad quem pertineat bona relicta a Clerico vita functo, quæ postquam fuerat ad beneficium promotus acquisierat. Ad quod respondeo in hunc modum, aut certò constat Clericum patrimonium simul, & beneficium habuisse, & tunc si apparuerit etiam bona fuisse ex patrimonio acquisita, pertinent ad hæredes Clerici; si verò constiterit ex beneficio fuisse partę debeantur Ecclesiæ. Quod si dubitetur ex patrimonio ne, an ex beneficio sint acquisita ea partim Ecclesiæ, partim hæredibus debetur: si verò constet eum tantum beneficium habuisse, & non patrimonium, tunc omnia bona relicta pertinent ad Ecclesiam, in qua beneficium habuerat.

An beneficiatus, dum est in periculo mortis, possit de redditibus sui beneficij aliquid donare?

BRACTEA X.

R. Certum esse beneficiatum in sanitate posse facere quascunq; donationes, ita vt si in pauperes aut in alia pia opera fiant, sint validę, & non peccet: si verò in vsus prophanos, tenet donatio, quia vt diximus, beneficiatus est dominus, peccat tamen mortaliter, quia facit contra rigorosum Ecclesiæ præceptum. Secundò, certum esse quoque, beneficiatum non posse donare causa mortis, etiam in vsus pauperũ; & ratio est, quia donatio causa mortis æquipollet testamento, quia morte confirmatur, & omnis vltima voluntas prohibita est de iure Canonico in beneficiato, etiã in vsus pauperũ.

R. 2. Beneficiatum in articulo mortis posse donare donatione inter viuos, in qua statim dominium rei donatæ transfertur in donatarium; quod arbitror verissimum, etiamsi possessio tantum post mortem concedatur. Ratio est, quia huic, ius concedit in tota vita de illis dispensandi faciendo donationes inter viuos: non ergo expirat illa potestas vsque ad mortis articulum. Et ita Siluester *verbo Clericus 4. quæst. 3. & 5.* Nauarrus *in summa cap. 25. num. 139. & de redditibus quæst. 3. num. 8.* Couaruu. *de testam. num. 5.*

An data à Pontifice facultas testandi in primo testamento re integra finiatur, an verò ad secundum, & etiam tertium extendatur?

BRACTEA XI.

Couaruu. *cap. cum in officijs de testament. num. 8.* docet esse communem sententiam in primo testamento finiri, & extingui; idem docet Rėdoanus *in tract. de spolijs Ecclesiasticorum quæst. 7.* Sed

R. Quod quando datur simpliciter facultas aliquid faciendi, quod est iure, vel natura sua reuocabile primo actu non finiri, v.g. Princeps potestatem dedit Ciuitati statuta condẽdi, qua facultate Ciuitas vsa, quidpiam statuit, potest illud statutum reuocare, & alterum scribere; sic etiam datur Episcopo facultas, vt possit conficere testamentum, potest primùm reuocare, & secundum condere; quoniam testamentum donec morte testatoris confirmetur, potest reuocari, *leg. 2. ff. de testam. leg. 1. C. de Sacrosanct. Eccles.* Ita Io. Andreas, & Dominicus *cap. non potest § illud de preb. in 6.* & alij.

Sciendum dubium esse, an facultas testandi data à Pontifice Episcopo, vel alij beneficiato obitu ipsius Pontificis concedentis extinguatur. Ad quod respondeo facultatem datam alicui testandi concedentis morte non extingui; nam si cui datur potestas conferendi beneficia non finitur obitu eius, qui dedit. *Cap. si cui de preb. in 6. & cap. si super gratia de officio Delegati in 6.* & facultas Religiosis concessa confessiones audiendi; eius qui concessit, morte non desinit. Gloss. *in Clement. Dudum de sepulturis §. statuimus verbo, ac deinde, & verbo concesserunt;* & facultas ab Episcopo data Parocho ad septennium litteris studendi obitu Episcopi non finitur. *Cap. cum ex eo de elect. in 6. verbo septennium*, potestas item facta alicui ordines suscipiendi à quouis Episcopo post mortem concedentis durat: insuper facultas cuipiam concessa audiendi Sacrum in domo sua priuata morte concedentis non desinit: itẽ peccatorum remissiones, quæ Indulgentiæ vocantur à legato concessæ durant, eius etiam legatione finita. Innocentius *in cap. Quod translat. de officio Legati*, & facultas eligendi Sacerdotem ad confessiones audiendas morte eius, qui concessit, non terminatur. Antoninus *par. 3. tit. 27. cap. 19.* Siluest. *verbo confessor 1. quæst. 3.* Nauarrus *de pænit. quæst. cap. Placuit.*

An

An pensionarius teneatur dare pauperibus, quod supereſt de fructibus penſionis?

BRACTEA XII.

R. Affirmatiuè; ratio eſt, quia penſionis fructus connumerari non poſſunt inter patrimonij bona, quæ ſunt portiones quædam ex beneficijs Eccleſiaſticis detractæ; & ideò ſunt bona, quæ Clericus in Eccleſia habet; ergo non poteſt de illis ſuo nutu diſponere. Sed ſi ex eis aliquid ſuperſit, tenetur ſecundum Canones in pauperum vſus largiri. An penſionarius teſtari poſſit de fructibus penſionis. Nauarrus *tract. de redditibus quæſt. 1. num. 79.* abſolutè negat, quia putat hæc bona non differre à bonis cuiuſcunque beneficij; & ita eodem modo de his diſponendum eſſe in vita, & in morte: ſed oppoſitum mihi magis probatur; & ratio eſt, quia penſio non eſt beneficium Eccleſiaſticum, vt conſtat: ſed prohibitio teſtandi ſolùm inducta eſt contra beneficiatos; ergo, &c. Et ita Couaruu. *cap. cum in officijs de teſtam. num. 6.* Vaſquez *de reddit. cap. 1. dub. 9.*

Sciendum dubium eſſe, an Clerici Collegiatarum, vel Cathedralium Eccleſiarum liberè poſſint teſtari de quotidianis diſtributionibus. Nauarrus *de redditibus quæſt. 1. num. 6.* Couaruu. *de teſtam. num. 5.* Vaſquez *de redditibus cap. 1. §. 3.* abſolutè negant: ratio quia diſtributiones intuitu beneficij dantur; ergo earum eadem eſt ratio, ac aliorum fructuum beneficij. Sed

R. Poſſe de diſtributionibus teſtari etiam ad cauſas prophanas, ſicuti poſſunt de bonis patrimonialibus; & ratio eſt, quia Clerici habent quotidianarum diſtributionum dominium cũ quilibet operarius mercedis, ac ſtipendij ſibi ob laborem debiti verè, & propriè dominus ſit, & Clerici Collegiatarum verè ſunt in Eccleſia operarij, & diſtributiones eis redduntur tanquam laboris merces; ergo, &c. Tum etiam quia licet quodammodo dici poſſit, acquiri intuitu beneficij tamen principaliter dantur intuitu perſonæ propter diurnam operam, aſſiduumque ſeruitium, aut obſequium Eccleſiæ præſtitum; ergo, &c. Et ita tenent Couaruu. *de teſtam. n. 4.* Azorius *lib. 7. cap. 9. quæſt. 10. & lib. 8. cap. 3. quæſt. 9.* Moneta *par. 3. diſtribut. quæſt. 1. num. 18.* vbi ait ſic Sacram Congregationem declaraſſe. Quod procedit, quamuis beneficium nullos alios redditus habeat præter diſtributiones, vt poſt Silueſtrum *verbo Clericus quæſt. 44.* docuit Azorius *par. 2. lib. 7. cap. 9. quæſt. 10.* Moneta *par. 5. qu. 3. num. 12.*

An Clericus patrimonium habens commodum ad vitam ſuam tuendam beneficium tutò poſſit acquirere, vnde viuat?

BRACTEA XIII.

R. Clericum poſſe tuta conſcientia beneficium acquirere, vnde viuat, etiamſi habeat aliunde, vnde cõmodè viuat. Et ita Innocentius, Hoſtienſis, Andreas *in cap. Epiſcopi de preb.* quos ſequitur Panormitanus *ibidem*, & in diſpoſitione, quæ incipit Titius Clericus *dub. 4. & cap. 3. de pignoribus*, Felinus *in cap. Poſtulaſt. de reſcru.* Couaruu. *de teſtam. cap. 1. num. 2.* Ratio deducitur ex Apoſtolo, quia nemo militat ſuis ſtipendijs, & qui altari inſeruit, de altari viuere debet; ergo Clericus Eccleſiæ gratis inſeruit, & non cogitur, & propterea poteſt miniſterij, laboris, & operis mercedem, & ſtipendium exigere; licet Adrianus *in 4. de reſtitut. quæſt.* quæ incipit *Quia ſupra* determinatum eſt, & Maior *in 4. diſt. 24. quæſt. 21.* cenſeantur cõtrariam ſequi ſententiam fundati in Canon. quos Gloſſa refert *in cap. vlt. 16. quæſt. 1. & cap. Sacerdos 1. quæſt. 2. & cap. Illi autem qui 12. quæſt. 1.* vt videre eſt Apud Azorium *par. 1. lib. 7. cap 9. quæſit. 13.* qui oſtendit, quomodo illi Canones ſint declarandi, & interpretandi, &c.

MALLEATIO L.

De ſpolijs Eccleſiaſticorum.

Quid, & quotuplex ſit ſpolium Eccleſiaſticum?

BRACTEA I.

R. Spolium Eccleſiaſticum eſſe quidquid in bonis Eccleſiaſticæ perſonæ poſt mortẽ ipſius reperitur, quod ad hæredes ipſius nec ex teſtamento pertinet, nec ab inteſtato. Ita Doctores communiter.

Sciendum bona patrimonialia ſpolio Eccleſiaſtico ſubiecta non eſſe; & ita colligitur ex conſtitutionibus Pij III. Pij IV. & Pij V. & ratio eſt, quia ſpolium Eccleſiaſticum eſt ex bonis, quæ mediatè, vel immediatè ex beneficio, & ipſius fructibus acquiſita ſunt, & bona patrimonialia Eccleſiaſticæ perſonæ non ſunt eiuſmodi conditionis: tum etiam quia bona Eccleſiaſtica, quæ ſubiacent ſpolio, non pertinet ad hæredes; & bona patrimonialia pertinent ad hæredes, quod etiam dicendum eſt de bonis quaſi patrimonialibus, quæ etiam non ſubiacent ſpolio.

Sciendum 2. fructus beneficij à beneficiato percepti, & alijs bonis ipſius incorporati non ſubiacere ſpolio. Ratio eſt, quia beneficiatus viuendo poteſt diſponere de fructibus beneficij in pios, & honeſtos vſus; v. g. ad paupertatem ſubleuandam, &c. ergo quando ſunt incorporati bonis ipſius non ſubiacent ſpolio, cum iam viuente ipſo fuerint applicata, & donata ob iuſtam, & piam cauſam, vel etiamſi ob ſuam parſimoniam illos beneficiatus non conſumpſerit. Et ratio eſt, quia bona ſic applicata, vel ex patrimonio acquiſita cenſetur quaſi patrimonia, & ex induſtria acquiſita; quod etiam dicendum eſt etiamſi beneficiatus habeat patrimonium, vnde ſuſtentetur, & nihilominus ſua parſimonia partem fructuum reſeruet, & applicet bonis communibus ipſius. Ratio eſt, quia pars fructum, quę tribuitur beneficiato ad illius congruam ſuſtentationem non eſt tantũ miſericorditer illi impenſa, vt viuat; ſed cenſetur merces, & ſtipendium ſuorum laborum. Ita Filliucius *tract. 43. cap. 3. de ſpolijs Eccleſ.*

Sciendum 3. quod ſupereſt ex redditibus beneficij iam perceptis adhuc intactum, & non applicatum, ſeu incorporatum bonis communibus ipſius beneficiati ſpolio ſubiacere. Ratio eſt, quia licet beneficiatus poſſit in vita de redditibus

ditibus pro libito validè disponere, non tamen potest in morte, & quæ relinquit inconsumpta, & bonis communibus non incorporata subiacere spolio, nisi beneficiatus decedens testari possit, vel ex priuilegio, vel legitima, & prescripta consuetudine, quæ priuilegio æquiparatur. Secundò, empta ex fructibus non destinatis victui, aut stipendio beneficiati spolio subiacere, si tempore mortis beneficiati adhuc ad ipsum pertinent, & de illis irreuocabiliter in vita non disposuerit. Ratio est, quia omne illud inter spolia censendum est, quod mortè beneficiato inter bona ipsius reperitur non patrimoniale, nec quasi, sed empta ex redditibus Ecclesiasticis, & non incorporata bonis communibus ipsius non sunt, ipsius bona patrimonialia, nec quasi; ergo subiacent spolio, &c.

An quæ consanguinei, vel amici beneficiati ab ipso, dum viueret ex redditibus ipsius liberaliter acceperunt, sint inter spolia numeranda?

BRACTEA II.

R. Quod licet beneficiati non sint veri domini beneficiorum, sed solummodo administratores, tamen sunt veri domini fructuum, quos ex beneficio capiunt iusto titulo possesso. Et ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia de ipsis viuendo possunt disponere in pios vsus, quod falsum esset, nisi veri essent domini fructuum beneficij. Nec obstat, quod teneatur beneficiatus de redditibus superfluis facere eleemosynam, &c. quia hæc obligatio non destruit veram rationem dominij, nec obstat etiam, quod Ecclesiastici peccent expendendo in vsus prophanos fructus Ecclesiasticos, quia ex hoc non desinunt esse, & dici domini fructuum Ecclesiasticorum, sicuti Laici non desinunt esse domini suorum prouentuum effundendo ipsos in lenones, meretrices, &c. Vnde

R. 2. Quod consanguinei, aut amici, qui ab Ecclesiasticis ex eorum redditibus immediatis dono aliquid acceperunt, non esse computandum inter spolia. Ratio, quia bona, quæ mortis tempore ad Clericum non amplius pertinent, inter spolia computari non possunt sed quæ viuente beneficiato fuerunt donata non autem ad ipsum pertinent tempore mortis, cum verè aliorum facta sint; ergo non sunt inter spolia computanda. Quod etiam dicendum est de comparatis, & emptis per redditus ipsos, & quæ donata fuerunt ante mortem. Ratio est vt supra, quia hæc donata tempore mortis, non amplius spectant ad beneficiatum, & per consequens nō amplius subiacent spolio.

An donatum beneficiato simplici sit computandum inter spolia?

BRACTEA III.

R. Donatum, vel legatum simplici beneficiato nihil aliud exprimendo, intuitu persone donatum, vel legatum, non autem intuitu Ecclesiæ non subiacet spolio. Ita colligitur *ex cap. Requisisti* §. *Illud de testament.* & Abbas *cap. fin. de peculio Clericor.* Quia quod acquirit beneficiatus intuitu personæ fit ipsius, itaut ad hæredes etiam ab intestato transmittatur; ergo non subiacet spolio Ecclesiastico.

An acquisita ab Ecclesiastico per negotiationem transeant ad hæredes?

BRACTEA IV.

Sciendum distinguendum esse de illicitè acquisitis; alia enim per negotiationē, alia ratione, & ex his alia, quę illicitè, idest cum peccato acquiruntur, vel eius occasione, sed tamen fiunt acquirentis, alia quæ de facto acquiruntur, & nullo iure fiunt acquirentis. Quibus positis.

R. Illicita negotiatione acquisita non possunt ab hæredibus beneficiati, qui illicitè est negotiatus retineri, sed inter spolia computanda esse. Ita ex Constitutionibus Summorum Pontificum, præsertim Pij V.

Sciendum 2. illam negotiationem Clericis interdictam esse, quæ exercetur viliùs emendo, vt chariùs deinde vendatur lucri cupiditate, quæ consistit in studio ditescendi, & in foro conscientiæ propriè non dicitur negotiari, qui viliùs emit, vt chariùs vendat nulla lucri cupiditate, sed sola necessitate, vel sua, vel suorum, vel etiam pietate, & studio Religionis. Abbas *cap secundum num. 1. ne Clerici, vel Monaci*; licet in foro exteriori, qui viliùs emit, vt chariùs vendat negotiator habeatur. Secundò non censeri negotiatorem, qui rem viliùs emit quę postea immutata, & variata chariùs vendit, quæ variatio ex triplici capite superuenire rei emptæ potest. Primum est per solam assistentiam emptoris: Secundum per solum artificium, quod circa illam adhibet: primi generis sunt, quæ à natura variationem capiunt, & mutantur in melius hominum tamen assistentiam desiderant, vt greges, armenta, &c. pendentes fructus olera in hortis, quia hæc omnia meliora fiunt, si nondum adulta emuntur: secundi generis picturæ, statuæ, vestes, & alia, quę spectant ad domesticam supellectilem instruendam, in quorum commercio negotiationem Clericis vetitam non consistere docet, Abbas *cap. fin. de vita, & honest. Clericor.* tertio loco sunt, quæ sola opera meliora fiunt, idest labore, qui ponitur in re aliqua paranda vtili ad vsum vitæ.

R. 2. Interdictum esse Clericis illa negotia exercere, ex quibus ministerium Clericale dehonestatur, vt sordida opificia, seruile famulitium, forensis aduocatio in criminalibus, & ideò quæ acquiruntur per hæc negotia subiacent spolio, vt docet Abbas *Cap. Clericis ne Clerici, vel Monaci, & Cap. Sacerdotibus dist.* 88. licet Clericus possit labore, & opere manuum suarum victum sibi, & suis quærere, greges alere, conducere ad partum, &c.

An

An de acquisitis ludo illicito fiat spolium?

BRACTEA V.

R. Fieri spolium si acquisita sunt ludo illicito contra Canones, vt est ludus aleæ expresse Clericis prohibitus in iure.

Sciendum, quod quæcunque Ecclesiasticus acquirit exercendo munera sibi iure Canonico interdicta, etiam illa propriè negotiatio nõ sit, subiacere spolio. Et ita plures Doctores citati apud Filliucium *tract.43.cap.4.num.28.*

An quando Clericus negotiatur ob suas necessitates, aut per alium, acquisita subiaceant spolio?

BRACTEA VI.

R. Clericum tuta consciẽtia posse separare à spolio, quæ lucratus est negotiando ob necessitates suas, vel suorum, & similiter, quæ lucratus est negotiando per alium. Ratio est, quia sic negotiando non est negotiatus contra Canones. Medina *eod. de restitut. quæst.32.* Azorius *lib.7.cap.16.part.2.*

Sciendum Bona acquisita ex prædijs conductis opera, & industria Clerici cultis propriè non subiacere spolio. Ratio est, quia nihil hic viliùs emptum est, quod inuariatum postea chariùs vendatur; licet Canones ad illicitam negotiationem Clerici huiusmodi conditionem extendant, vt constat *ex cap.fin.dist.87.& cap. decreuit dist.*88.

An facultas beneficiati testandi, extendatur ad illicita acquisita, & ad filios illegitimos?

BRACTEA VII.

R. Cui concessa est amplissima testandi facultas ea posse vti in omnes vsus concessos, itaut, qui per illam facultatem hæredes instituuntur, aut bona capiunt, tuti sint in conscientia, etiam quoad illegitimè acquisita. Ratio est, quia prohibitio testandi de redditibus acquisitis à Clerico est solum introducta iure positiuo; ergo quando amplissimè conceditur, & sine limitatione intelligitur data de omnibus acquisitis à Clerico. Ratio est, quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Secus verò dicendum si ordinariè data, & non sit amplissima, sed cum limitatione.

R.2. Quod licet facultas testandi concessa sit amplissima, tamen non extenditur ad filios illegitimos. Ita ex Constitutione Pij V. quam refert Nauarrus *de spolijs*, & Quaranta *in compendio Bullarum verbo illegitimi*, & hoc cum triplici limitatione, & declaratione: prima si filius illegitimus sit natus ex ipso Ecclesiastico: Secundò si non ex ipso, sed ex quocunque ipsius coniuncto: Tertiò si nec ex coniuncto, sed ex quolibet alio, quod prouisum est cauendis fraudibus, quę possint interuenire, si enim Ecclesiastico liceret illegitimum hæredem instituere modò nullo pacto sibi coniunctum posset conuenire, cum alio Clerico, & illius filium instituere paciscendo, vt ipse vicissim institueret suum ad hanc fraudem cauendam Pontifex prohibuit, ne facultas testandi per priuilegium concessa intelligatur extendi ad illegitimos quicumque illi.

Sciendum, quod licet illegitimus non possit in hæredem instirui ab Ecclesiastico beneficiato, potest tamen illegitimus tuta conscientia accipere sibi ex bonis Ecclesiastici Patris, quod necessarium est ad alimẽta, & Cameram Apostolicam teneri illi prouidere de spolio. Ita Nauarrus *de spolijs §. vlt.* similiter, illegitimam filiam posse dotari ex bonis parentis Ecclesiastici. Ratio est, quia filius illegitimus debet ali à Patre, sed dos filiæ cedit loco alimentorum. Ita Bartolus *leg.vxorem §. Pater naturalis ff. de leg.3.* Nauarrus *loco citato.*

Cui debeantur spolia beneficiati regularis?

BRACTEA VIII.

Sciendum sermonem esse de regulari, qui separatim viuit in beneficio aliquo particulari seorsim à mensa cõmuni, non autẽ de eo, qui iuxta constitutionem suæ Religionis beneficio regulari præficitur. Quibus positis.

R. Iure antiquo eorum spolia Monasterio debebantur. *Cap.Cum olim 2.de priuilegijs*, Autentica *Ingressi de sacrosanctis Ecclesijs*; & *cap. Ne dilatis 12. quæst.1.* cum ergo iure nouo loco Monasterij suffecta sit Camera Apostolica illi iam debentur, vt constat ex Constitutione Pij IV. *Decens.* regularis decedat in Curia, quia tunc ipsius bona à Camera Apostolica non capiuntur, sed illi cedunt, cui iure communi debentur ab intestato, nempè Monasterio: Secundò, nisi habeat speciale priuilegium testandi ad hoc ipsum specialiter concessum, quod rarò solet præterquam maioribus Prælatis: nec obstare Constitutionem Pauli IV. *Postquam Diuina* cum illi fuerit derogatum per Gregorium XIII. in Constitutione *Officij nostri*; Sicuti etiam spectant ad Cameram Apostolicã acquisita Ecclesiastici regularis, sicuti dictum est de sæculari Clerico ex illicita negotiatione, vel aliter contra Canones: vasa verò sacra beneficiati regularis spectare ad Ecclesiam, aut Monasterium, in quo habet, vel habuit beneficium, etiamsi illud postea renunciauerit. Ita Pius V. in Constitutione allata à Nauarro *de spolijs*,

Cui sint fructus beneficij tempore mortis beneficiati nondum percepti, sed illi debiti?

BRACTEA IX.

Sciendum fructus esse in duplici differentia; aliqui enim sunt nondum percepti, quorum tamen tempus, & dies solutionis iam præterijt, aliqui, qui debentur, nondum tamen eorum dies solutionis aduenit: vnde

R. Vbi reperitur, & solet esse collector Apostolicus, fructus omnes debiti, sed nondum percepti à beneficiato defuncto subiacent spolio, & Cameræ Apostolicæ debentur. Ita decisum est per Iulium Tertium. Ratio est, quia fructus isti iure communi anteà Ecclesiæ successori in beneficio debebãtur, sed nunc fiscus Apo-

postolicus

ſtolicus in iſtis bonis ſucceſſit loco Eccleſiæ, in terris verò, in quibus non ſolet eſſe collector Apoſtolicus huiuſmodi fructus ſucceſſoribus debentur, vt illorum ſpolia, & nullo modo poſſunt hæredibus tranſcribi, quod decreuit Iulius. Tertius in alia Conſtitutione, quà precedentem declarauit, de qua Quaranta *in Bullario ſpolium*. Ad quod melius intelligendum.

Sciendum 2. Iulium Tertium duas Conſtitutiones adidiſſe circa fructus debitos, & non exactos à beneficiato: in prima decernit, vt omnes eiuſmodi fructus non ſint hæredum, ſed ſucceſſorum, in ſecunda declarat id, quod in priori ſtatuerat intelligendum; dumtaxat eſſe vbi non ſint collectores Cameræ Apoſtolicæ, ex qua orta eſt controuerſia, quibus debeantur iſti fructus, vbi ſunt tales collectores, aut hæredibus, an Cameræ Apoſtolicæ. Quidam ſenſerunt, quod ſint hæredum, verior tamen ſententia eſt, quod vbi non ſunt collectores debētur ſucceſſoribus in beneficio, vbi verò ſunt ipſi Cameræ Apoſtolicæ. Ratio eſt, quia ſecunda Conſtitutio Iulij non eſt declaratoria, & limitatiua in fauorem hæredum, ſed eſt tota in fauorem Cameræ Apoſtolicæ: tum etiam; quia nulla ratio apparet cur vbi ſunt collectores Apoſtolici velit meliorem facere conditionem hæredum, & illis adiudicare, quod iure communi debetur ſucceſſori: tum etiã, quia praxis eſt in contrarium, cum tales fructus Cameræ debeantur; & ideò fructus beneficiorum à die vacationis, vſque ad legitimam prouiſionem, & actualem poſſeſſionem, vbi ſunt collectores Cameræ Apoſtolicę debentur, vt cõſtat ex Conſtitutione Pii IV. & Gregorij XIII. quæ incipit *Cum ſicut accepimus*, licet iure communi anteà pertinuiſſent ad Eccleſias eorundem beneficiorum, vel ad ſucceſſores. *Cap. Quia ſepè de elect. cap. preſenti de Officio Ordinandorum in 6.*

Ad quem ſpectet ſoluere debita beneficiati defuncti?

BRACTEA X.

Sciendum debita beneficiati alia eſſe in neceſſitatem Eccleſiæ alia in illius vſum, & vtilitatem, alia perſonaliter pro ſe ipſo. Quibus poſitis.

R. Debita facta à beneficiato ad neceſſitatem Eccleſiæ ſubleuandam iure antiquo debebant ſolui à ſucceſſore. Ita Panormitanus *cap. de ſolut*, Imola *cap. peruenit de fideiuſſor.* Nauarrus *§. 9. de ſpolijs num. 6.* Secundò debità contracta non in neceſſitatem, ſed in vtilitatem Eccleſiæ, ſi tamen ex eo Eccleſia ipſa melioris conditionis facta ſit, debere quoque ſolui à ſucceſſore. Ratio deſumitur ex regula generali, quod in eo, quo quis ex alieno factus eſt ditior ad id tenetur. Ita Innocentius *cap. 1. de ſolut.* Panormitanus *cap. ex præſentium de pignoribus*. Tertiò, debita vero contracta ob vtilitatem perſonalem beneficiati non debebat ea ſoluere ſucceſſor in beneficio. Ita Azorius *cap. 3. quæſt. 3.* & alij. vltimò ſi debita contracta fuerint à beneficiato ob propriã neceſſitatem, v. g. ad valetudinem curandam, &c. iure antiquo deberi etiam à ſucceſſore ſolui. Ratio eſt, quia quod beneficiarius impendit ob neceſſitatem propriam, videtur eſſe ob neceſſitatem Eccleſiæ, quæ cum teneatur illius neceſſitatibus ſubuenire, debitum contractum propter neceſſitatem beneficiati, videtur quoque eſſe propter neceſſitatem Eccleſiæ.

R. 2. Cum Collector Apoſtolicus, & Apoſtolica Camera ſuffecta ſit in locum ſucceſſoris, & capiat illa bona, quæ ſucceſſor anteà accipiſſet, tenetur nunc ad illa debita ſoluenda. Ratio eſt, quia ſucceſſor in locum alterius omnia illius onera ſubire tenetur, cuius emolumenta etiam percipit. Ita Filliucius *loco cit. cap. 6. n. 16.*


An vbi canſuetudo eſt, vt beneficiati de bonis beneficij teſtentur tuti ſint in conſcientia, qui illis ſuccedunt teſtamento, vel ab inteſtato?

BRACTEA XI.

Sciendum nullum beneficiatum iure communi de redditibus ſui beneficij teſtari poſſe. Ita ex multis Canonibus, in quibus hoc decernitur, vel iam decretum declaratur. *Cap. Epiſcopi, cap. ſicut manifeſtè 12. quæſt. 1. cap. quia Ioannes, fiſcum 12. quæſt. 5. cap. Ad hæc, Quia nos, cap. cum in offic. cap. relatum 2. de teſtamentis.*

Sciendum 2. conſuetudinem vſu receptam, & approbatam vim legis poſitiuæ habere. quibus poſitis.

R. Vbi eſt conſuetudo, vt beneficiati de fructibus beneficij teſtentur tutos eſſe in conſciẽtia, tam qui teſtantur, quam qui bona capiunt ex teſtamento, dummodo talis conſuetudo nõ ſit derogata, & habeat omnia requiſita ad conſuetudinem, & legem inducendam. Ita Couar. *cap. Cum in officijs de teſtam. num. 4.* & plures apud Azorium *part. 2. lib. 7. inſtitut. moral. cap. 9. quæſt. 1.* Hoſtienſis *cap. cum in officijs de teſtam.* Abbas *cap. cum tibi de verbor. ſignif.* Calderinus *conſilio 2. de peculio Clericorum*, & alij. Ratio eſt, quia prohibitio teſtandi de iſtis redditibus ex iure poſitiuo eſt; ergo poteſt lege contraria poſitiua, vel in totum, vel in partem abrogari, ſed legitima, & approbata conſuetudo habet vim legis poſitiuæ; ergo vbi illa contraria eſt legi priori de non teſtando ſemper illam abrogat, & ipſa valebit. An autem legitima ſit, talis conſuetudo introducta diſputatur apud Doctores; aliqui dicunt conſuetudinem introductam eſſe iuſtã, ſi ſolum ſe extendat in pios vſus, & accedat approbatio ſuperioris: ſecus verò eſſe iniuſtam & corruptelam. Ita plures apud Filliucium *loco cit. num. 11.* alij verò dicunt conſuetudinem eſſe iuſtam, etiamſi non ſit in ordine ad vſus pios, ſed in cognatos, diuites, &c. & ratio eſt, quia quod quis diſponat de re ſua, quæ ſub ipſius dominio eſt pro libito ſuo, non eſt abſolutè contra iuſtitiam, ſed beneficiatus eſt dominus fructuum beneficiorum; ergo, &c. Ita apud Filliucium *loco cit.*



MAL-

MALLEATIO LI.

De Simonia.

Quid sit Simonia?

BRACTEA I.

SCiendum simoniam dictam esse à Simone Mago, qui primus commisit hoc peccatum in noua lege volendo non tantum emere, sed etiam vendere donum Dei, vt declaratur *in cap. Saluator 1. quæst. 3.* sæpè etiam in iure Canonico dicitur simonia cahæresis, non quod simonia natura sua sit hæresis, aut semper cum hæresi coniuncta, seu quod in illo suo auctore Simone Mago coniuncta fuerit cum hæresi, quia ipse existimauit donũ Dei pecunia possideri, ideóque omnes hoc vitio infecti dicuntur simoniaci: ideò

R. Simoniam esse studiosam voluntatem emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum, ita Gloss. communiter recepta in causa *1. quæst. 1. Canonistæ, in verbo de simonia,* S.Tho. *2.2. quæst. 100. art. 1.* Alensis *part. 2. quæst. 187.* Paludanus *in 4. dist. 25. quæst. 5. art. 1.* Ricardus *ar. 2. quæst. 1.* S. Antoninus *quæst. 2. tit. 1. §. 1.* Nauarrus *in manuali cap. 33. num. 100.* Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 1. n. 3.* & alii. Similiter per hanc definitionem tria demonstrare esse necessaria ad simoniam, primum est voluntas studiosa. Ratio, quia simonia, sicut, & alia omnia peccata voluntatis deliberationem exigit: tum quia ad essentialem malitiam huius peccati non requiritur, vt pactum, vel mutuo consensu, vel re ipsa perficiatur, sed sufficit affectio vnius simoniaca, cum opere subsecuto: idcircò dicitur studiosa, eo quod ad ipsam requiritur deliberatio, & studiosa voluntas idem est, ac actus volũtatis deliberatus. Secundò necessarium est, vt simonia committatur, vt sit res spiritualis, vel annexa spirituali, quę constituitur materia, circa quam simonia ipsa committitur, de qua infra dicetur. Tertiò est emptio, & venditio, quo nomine intelligitur omnis contractus non gratuitus, sed factus interueniente pretio aliquo, vel re pretio æstimabili, vt colligitur *ex cap. Nemo de simonia.* Definitur etiam alio modo, nimirum, simonia est sacrilegium, quod committitur in emptione, & venditione, seu in contractu quolibet, quo res spiritualis, vt talis est pro temporali commutatur, reuera enim simonia est species quædam sacrilegij, vtpotè iniuriosa, quædam contractatio rei sacræ, & per id genus distinguitur ab alijs vitijs oppositis Religioni; per alias autem particulas distinguitur ab alijs speciebus sacrilegij, quia continet diuersam rationem deformitatis in ordine ad rectam rationem.

Quænam sit materia Simoniæ?

BRACTEA II.

R Materiam simoniæ, seu id in quo simonia committitur esse rem spiritualem, aut spirituali annexam; ita communiter omnes.

Sciendum pro meliori intelligentia nomen quidem spiritus à quo dicitur spiritualis appellatio aliquando latè patere, sed in simonia specialiter sumitur, vt à Spiritu Sancto appellationem accipit, vt idem sit, ac res, quæ haberi non potest naturæ viribus, sed solo Spiritus Sancti dono, de qua illud Mathæi 10. *Gratis accepistis gratis date.*

Sciendum 2. spirituale dici tripliciter: Primum spirituale dicitur per essentiam, vt gratia gratum faciens, dona Spiritus Sancti, virtutes supernaturales, & gratiæ gratis datę: Secundò spirituale causaliter dicitur, vt Sacramenta, & officia Ecclesiastica relata ad hominum salutem. Tertiò dicitur per effectum, siuè effectiuè, vt actus ipsi gratiarum, ordinum, & officiorum Ecclesiasticorum. Quibus positis.

R. 2. Doctrinas, seu instructiones naturales artium, aut scientiarum alteri quasi pretio vendere, seu mercede locare non est simoniacum, neque iniustum per se loquendo. Ita S. Thomas *2. 2. quæst. 71. art. 4.* Ratio est, quia simonia est rei sacræ, seu spiritualis venditio pro re temporali, sed scientia, & doctrina, seu instructio rerum naturalium, moralium, &c. non est sacra, spiritualis, seu ad salutem animæ specialiter destinata; ergo eam pretio vendere non est simoniacum, & iniustum: per accidens autem potest iniustitia committi in tali contractu, vt si quis duplicatum salarium accipiat, &c.

R. 3. Simoniacum non esse, neque illicitum pro doctrina Theologiæ scholasticæ, casuum conscientiæ, aut interpretationis scripturarum iustæ æstimationis mercedem accipere. Ita *ex cap. Communi Adrianus quodlibet. 9. art. 1.* Sotus *lib. 9. quæst. 5. art. 1.* & alij. Ratio est, quia doctrina, seu instructio discursiua in materia Theologica, neq; supernaturalis est ex parte principij, neque ex parte finis: non ex parte principij, quia licet perfectus assensus Theologicus à fide supernaturali, & infusa pendeat quatenus discipulo proponitur omninò naturalis, & acquisita est à supernaturali fide per se, ac necessariò non dependens, non item ex parte finis, quia instructio illa discursiua Doctoris per se non ordinatur ad salutem spiritualem animæ, cum ex se non moueat pium voluntatis affectũ, sed solum dirigat intellectũ ad discursum naturali facultate sua, suppositis fidei reuelatæ propositionibus.

Sciendum 3. pro licentia docendi, tum in alijs artibus, ac scientijs, tum etiam in Theologia, itemq; pro Doctoratu, siue magisterio sine labe simoniæ aliquid tanquam pretium exigi posse. Ratio est, quia publicæ huiusmodi approbationes, & facultates diriguntur ad actus, qui per se spirituales non sunt: secus verò dicendum erit si eiusmodi licentia pendeat ex potestate spirituali, veluti actus eius, & tunc censeri poterit simonia illam vendere ob pretium. Ratio est, quia sicut potestas ipsa spiritualis est, à quo dependet actus, ita, & etiam actus eiusdem generis, erit, & per consequens pro licentia eiusdem aliquid accipere, erit simoniacum.

Sciendum 4. quod, & si onus Cathedræ, siuè obligatio docendi beneficio Ecclesiastico annexa sit, non tamen idcircò simoniacus magister censeri debet, si pro docendi officio à discentibus mercedem exigat. Ratio est, quia docendi

docendi officium, cui Ecclesiastici redditus legitima auctoritate applicati, iuxta *caput 1. & 2. de Magistris*, temporale manet; ergo non est simonia iuris naturalis pro eo pretium exigere, neque iure Ecclesiastico talis exactio, vt simoniaca prohibetur, sed solum poterit esse iniusta, si Magister iustum ab Ecclesia stipendium habeat cum ex expresso, aut tacito pacto, vt discipulos gratis doceat.

An prò dando consilio pecuniam accipere sit simoniacum?

BRACTEA III.

R. Accipere pecuniam pro consilio in ordine ad actionem polyticam, vt gubernandam, vincendam litem, &c. siuè etiam in ordine ad conscientiam non esse simoniacum, dummodo sistat in pura instructione intellectus. Ratio est, quia tale consilium est potius doctrinale, quam spirituale, & hæc instructio non est minus naturalis, quam si daretur in materia speculatiua. Et ita D. Thomas *2.2.quæst.100.art.3.ad 3.* his verbis, licitè potest pretium suæ doctrinę, seu consilii accipere, & Nauar.*cap.23.nu.100.* Tum etiam, quia non est per se malum talia consilia vendere, quia sunt res pretio æstimabiles; tum propter studium, & laborem, tũ ob præsentiam, & dignitatem, quam habent in genere suo, tum etiam, quia ita videtur in praxi vbique terrarum, nam, & patrocinium Aduocati, & consilium Iurisconsulti vendi solet, & habetur *cap.vlt.14.quæst.5.* ex Augustino, *& cap.non licet 11. quæst.3.*

Contraria sententia probabilis est, quando concilium esset exhortatiuum, & ordinaretur proximè ad animę correctionem, vel esset concilium pendens potius ex dono Spiritus Sancti, quam ex doctrina, & humano studio. Ita Suarez *tom 2.de Relig.lib.4.num.20.& 21.*

Sciendum non esse simoniam accipere pretium ob exhortationem in ordine ad virtutes morales. Ratio est, quia eiusmodi actiones non excedunt limites rerum naturalium, ideoque non possunt esse materia simoniæ,

An vendere opera misericordiæ sit simonia?

BRACTEA IV.

R. Nòn esse simoniam pro operibus misericordiæ pacisci aut exigere pretium temporale. Ratio est, quia illæ actiones non excedunt terminos rei naturalis, sunt enim virtutes morales, quę materia simonię non sunt, quia eius exercitium, cum sit temporale, est appretiabile pecunia, tum quia sic est in vsu seruire infirmis, sepelire mortuos, & similia opera facere, quæ pietatis, & misericordiæ sunt, quæ tamen venduntur, non modo ratione materialis actionis, sed etiam quatenus opera misericordiæ sunt, cum omnibus externis conditionibus, & circunstantijs merè necessarijs ad virtutem, cum hæc omnia non excedant terminos actionis naturalis.

Sciendum, quod quando quis tenetur ex misericordia gratis iuuare populum, velit nihilominus pro eo actu pretium accipere, peccabit contra charitatem, si verò ex iustitia tenetur iuuare proximum, v.g. ratione alicuius officij, & ipsum officium det iustum stipendium ad id faciendum, accipiendo pretium peccabit contra iustitiam.

An sit simonia dare alicui pecuniam, vt omittat opus bonum licitum?

BRACTEA V.

R. Primo pactum quo quis alteri promittit pecuniam, vt omittat opus debitum ex iustitia inualidum esse, & illicitum. Ratio, quia pactum appositum contra iustitiam contractus censetur pro non apposito; ergo, &c. pactum autem appositum, vt quis omittat opus debitum solum ex charitate validum esse, sed illicitum; quod sit validum, patet, quia nulla datur violatio iustitię, quod sit illicitum patet etiam, quia est contra charitatem proximi.

R.2. non esse simoniam alteri dare pecuniam, vt omittat opus bonum, Ratio est, quia tale pactum non censetur contra Religionem supposito quod opus bonum, quod præstandum esset non pertineat ad Religionem, licet vt dictum est, sit contra iustitiam, aut contra charitatem dare aliquid, vt quis omittat opus debitum ex iustitia, vel ex charitate.

An in materia Religionis possit darì simonia?

BRACTEA VI.

R. In materia Religionis apud cultores veri Dei posse esse materiam simoniæ etiam iure naturæ, & ideò vendere Sacerdotium in pura natura simonia esset, quia talis venditio esset contraria cultui Diuino, quia eo ipso despiceretur huiusmodi dignitas, & fieret venalis, & consequenter daretur locus ambitioni personarum, quæ indignæ essent: vnde vilesceret cultus Dei, & consequenter fieret contra Religionem, atque adeò genus quoddam esset simoniæ; tum etiam quia Sacerdotium etiã pura naturã esset res sacra, quia ordinata ad cultum Diuinum, ideòque intrinsecè malum si vẽderetur, & per consequens talis venditio esset simoniaca.

Sciendum gratiæ gratis datæ, vt sanitatis, propheriæ, iteq; gratia sanctificãs propriè sunt materia simoniæ; & ita communiter omnes Doctores, & ratio colligitur ex *cap.eos, qui 1.quæst.2.& cap.sicut pro certo de simon.* & S.Thomas *quæst.100.art.1.* vbi ait à Simone simoniam conuentionalem à Giezi realem commissam fuisse, quia iste curationem lepræ ab Eliseo gratis collatam, vendidisse præsumitur acceptis viginti talentis; Simon verò oblata pecunia emere voluit potestatem ministerialem conferendi gratiam, sanctitatem, vt eandem postea vendere posset.

Sciendum 2. ex Suarez *cap.6.num.8.* gratias spirituales duobus modis de facto vendi posse, licet non de iure; primò in concreto, si aliquis v.g. Sacerdotem propter characterẽ Sacerdotalẽ charius diuendat, aut alium Christianum, quia prophetiæ, aut sanitatis conferendæ dono, vel gratia sanctificante præditus est. Secundò, secundum se, & quasi in abstracto, sicut in peccatis Simonis, & Giezi; in primo casu ex parte vendentis erit simonia etiam; venditur enim perso-

persona maiori pretio, quā valeat solùm, quia habet gratiam spiritualem fidei, & doni supernaturalis: sicuti etiam in secundo modo datur simonia.

An Sacramenta sint materia simoniæ?

BRACTEA VII.

R. Sacramenta septem à Christo Domino instituta proprie sunt materia simoniæ. Ita habetur *in cap. cum in Ecclesiæ de simonia*, & omnes Doctores communiter.

Sciendum in Sacramentis materiam duplicem esse remotam, & propinquam: materia remota secundum se spectata merè temporalis est, v.g. panis, vinum, oleum, &c. & absque labe simoniæ pretio vendi potest, dummodo scandalum absit, & iustitia non obliget ad huiusmodi rerum expensas gratis faciendas, quia tūc vendēs peccaret contra iustitiam sui officij: pro materia remota Sacramenti aliquid accipiendo; pro materia verò propinqua, quæ fermè in actione transeunte consistit, v. g. absolutione, vnctione, sicuti & pro ipsa forma, seu prolatione verborum aliquid, vt pretium exigere simonia est aduersus ius naturale, ac Diuinum. Ratio est, quia sunt actus potestatis spiritualis, qui nullam aliam vtilitatem, vel æstimationem habere possint, quam quod ex Christi institutione, & gratia ad animarum salutem conferant, quæ tota spiritualis est.

Sciendum 2. pretio inducere ad dandum baptismum eum, qui non vult dare, ex odio nō esse simoniam. Ratio, quia pecuniam non offert animo emendi, sed tantum auferendi impedimentum, nec inducit ad malum, sed ad minus malum nempè ad baptizandum pecunia extremè indigentem, quod minus malum est, quam illum sine salutis remedio relinquere, ideoque non offert, vt det baptismum pro pecunia, sed sub conditione, saltem tácita, quod si nolit ex odio baptizare, saltem baptizet pro pecunia. Vnde pecunia non datur pro baptismo, sed vt deponat odium, quod est causa, cur nolit ministrare baptismum. Suar. *tom. 3. lib. 4. cap. 13. n. 17.*

An Eucharistia, quæ Sacramentum est permanens, post consecrationem sit materia simoniæ?

BRACTEA VIII.

R. Quod Sacramentum Eucharistiæ, cum ad eius intrinsecam constitutionem non tātum pertineant species sacramentales, sed etiā ipse Christus Deus verus, & homo sub speciebus contentus esse materiam simoniæ; & idcircò vendere ipsam, peccatum duplicem materiā habere potest, vnam simoniæ propriæ quatenus illæ species venderentur, alterā sacrilegij horrendi, quatenus species illæ venderentur ad vsus magicos, & prauos; sic enim maleficijs vtūtur, & irreuerenter eas tractare solent. Secundò, si Eucharistia consideretur pro re contēta sub speciebus sacramentalibus, quæ Xpus ipse est, venditio eius est peccatū maius, quam simonia; similis enim esset peccato Iudæ, cuius peccatum grauissimum irreligiositatis fuit, & non propriæ simoniæ, quandoquidem Iuda Christum Iudæis vendidit tanquam naturalem hominem sine vlla æstimatione sanctitatis, diuinitatis, alteriusvè spiritualitatis. Tertiò, venditionem Eucharistiæ, vt Sacramentum comprehendens species sacramentales, & Christum existentem sub speciebus duplicem malitiam habere posse, vnam simoniæ propriæ, quatenus est venditio sacramenti sensibilis: alteram irreligiositatis grauioris rationis, vt est venditio personæ Christi, vt dictum est.

An cætera Sacramenta, vt dicunt totum, quid conflatum ex materia, & forma sint materia simoniæ?

BRACTEA IX.

R. Esse materiam simoniæ contrariæ iuri naturali; & ita communiter omnes. Ratio est, quia vt sic sunt dona quædam Diuina, & supernaturalia gratis à Christo nobis collata, quare venditio eorum eo ipso erit contra reuerentiam illis debitam, & contra Religionem.

Sciendum in venditione Sacramentorum, præter malitiam simoniæ dari etiam aliam malitiam contra charitatem, & iustitiam: contra charitatem quia regulariter cum tali vēditione adiunctum est scandalum populo, & facilè pauperes arceantur à participatione Sacramentorum: contra iustitiam autem quādo qui pretium exigit, obligatur ex officio gratis ministrare.

An matrimonium possit esse materia simoniæ?

BRACTEA X.

Sciendum matrimonium dupliciter considerari: primò, quatenus Sacramentum est: secundò, quatenus est quoddam officium naturæ, seu naturalis, ac politicus contractus ordinatus ad generationem prolis. Quibus positis.

R. Matrimonium, vt Sacramentum est esse materiam simoniæ, & vendi non posse absque labe simoniæ. Ratio est, quia verum est Sacramentum, & confert gratiam ex opere operato, vt definitum est in Tridentino *sess. 7. &c.* & ita sentiunt omnes Theologi cum S. Thoma *quæst. 100. n. 6.* & contrarium asserere est erroneum, & hoc tempore hæreticum, quia vt est de fide matrimonium conferre gratiam, ita est etiam certum esse materiam simoniæ, & non posse vendi absque illa.

R. 2. Matrimonium, vt est humanus contractus, in quo intercedit commutatio quædam rei temporalis pro corporali contrahi potest interueniente pretio ex parte eius, cuius respectu est inæqualitas, vt v.g. si vna persona sit nobilis, & altera ignobilis, vna senex, altera iuuenis, &c. eiusmodi inæqualitatem pecunia compensare illicitum non est, sicut nec est illicitum aliquid dare puellæ, vel parentibus eius, vt cōsensum præbeant, vel inter nuncijs vt eundem procurent; sicut colligitur *ex cap. de illis de condit. apposita.*

An

An si petatur pecunia in pretium Sacramenti dari possit absque simonia?

BRACTEA XI.

R. Non esse materiam simoniæ dare pecuniam petenti in pretium Sacramenti in eleemosynam, vel ad remouendum impedimẽtum, dummodo non det ipsam iuxta prauam intentionem petentis; si verò minister vrgeat, & petat, vt qui dat, profiteatur se dare illam pecuniam in pretium Sacramenti, & non ob alios fines honestos, talis pecunia danda non est, quia tunc præualet iniuria Religionis, si verò petens id faciat ex auaritia solùm, & ex odio priuato, & non ex contemptu Dei, Ecclesiȩ, aut Sacramenti tunc posse, qui dat, vti verbis amphybologicis accommodando illa ad mentem suam: dare autem pecuniam in pretium Sacramenti nullo modo est licitum.

An liceat pretio inducere ad dandum Baptismum eum, quia alia ratione non vult ipsum ex odio ministrare?

BRACTEA XII.

R. Licere; ratio est, quia ex parte offerentis nulla cõmittitur simonia. Ratio est, quia pecuniam non offert animo emendi, sed tantum auferendi impedimentum, nec inducit ad malum, sed ad minus malum, nempè ad baptizandum pecunia extremè indigentem; quod minus malum est, quam illum, sine salutis remedio relinquere, vt supra dictum est.

Sciendum de pœnitentia idem dicendum esse, quod dictum est de Baptismo; si enim constitutus sit aliquis in extremis, & habeat conscientiam peccati mortalis, & non sit nisi vnicus Sacerdos, qui non vult audire confessionem, nisi recepta pecunia posset illi dare modo explicato, quia hoc Sacramẽtum est tantum necessitatis respectu peccatoris baptizati; de alijs verò Sacramentis non idem dicendum est. Ratio est, quia non sunt tantæ necessitatis, licet Suarez censeat per accidens etiam posse extendi ad Extremam vnctionem in casu, quo infirmus nullum aliud Sacramentum recipere posset. Item probabile esse, posse fieri in Eucharistia pro Viatico, quia probabilis sententia est eam esse necessariam necessitate medij, atque adeò adhibendam re ipsa, quando potest absque emptione Sacramenti habita debita intentione, quia malitia alterius non debet innocentem priuare tanto bono, ad quod habet ius.

An Sacramentalia sint materia simoniæ?

BRACTEA XIII.

R. Sacramentalia omnia, siuè Sacræ accidentales çeremoniæ pro administratione Sacramentorum, & Missæ sacrificio ab Ecclesia institutæ sunt materia simoniæ. Et ita communiter omnes, vt videre est apud Sotum *lib.9.quæst.6.art.1.* Nauarrum *cap.23.num 99.* Suarez *cap.14.* & colligitur *ex cap. cum in Ecclesi. de simonia.* Ratio est, quia sunt res spirituales, siuè cõsiderentur secundum earum principium, siuè considerentur secundum earum finem, siuè hæc sacramentalia sint transeuntia, vt sunt omnes benedictiones constitutiuæ, prout sunt in fieri, siuè sint permanentia, hoc est res ipsæ consecratæ, & benedictæ, vt tales etiã esse materiam simoniæ. Et ita communiter Theologi, quod probatur ex iuribus *in cap. cum in Ecclesia de simon. & cap. si quis obierit 1. quæst. 3.* vbi res consecratȩ prohibentur esse venales, vt templum, sepultura, &c. tum etiam quia sunt res verè sacræ, & consequenter super naturales, & spirituales; ideòq; si chariùs vendantur ratione consecrationis, vel benedictionis simonia committitur contra ius Diuinum, naturale.

Sciendum ex supradictis pro iure sepulturæ, siuè vt aliquis in certo loco Ecclesiæ, aut cœmiterij sepeliri possit aliquid tanquam pretium exigere simoniacum esse ex iure, saltem Ecclesiastico. Ita S. Thomas *quæst.100. art.4.* Siluester *verbo sepultura quæst. 2. verbo simonia quæst. 11. & 12.* & alij. Ratio est, quia tale ius non est appretiabile pecunia. Secundò, licet non possit pro sepultura aliquid exigi, posse tamen si spontè offeratur aliquid accipi: item si consuetudo introducta sit, vt aliquid detur, illa seruari debet iuxta *cap. ad Apostolicam de simonia.* Tertiò, si quis certum locum Ecclesiæ, vel cœmiterij sibi, suæque familiæ tanquam proprium vendicare velit, non videtur esse prohibitum pro tali iure aliquid exigere, præsertim vbi consuetudo viget. Ratio est, quia talis obligatio videtur esse pretio ȩstimabilis. Ita Layman *tract.10. cap. vlt. § 4. de simon. num.37.*

An res consecratæ vendi possint ratione materiæ non obstante consecratione?

BRACTEA XIV.

R. Res sacras vendi posse ratione materiæ, siuè sint res arte factæ, vt calices, patenȩ, & vasa sacra, siuè naturales, vt oleum, Chrisma, aqua, panis, &c. Et ita communiter omnes. Ratio est, quia huiusmodi res ratione suæ substantiæ, & naturalis conditionis æstimabiles sunt pretio, nec amittunt valorem ex consecratione, quamuis nouum non acquirant ex illa; poterunt ergo ratione illius vendi, etiam postquam consecratæ sunt, licet plures Canonistæ teneant opinionem contrariam: nimirum eiusmodi res semel consecratas, quandiù consecrationem retinent vendi nõ posse, sed si quæ sint, quȩ confractæ, aut recisæ amittãt cõsecrationes prius esse frangendas, & postea illam materiam vendi posse: vnde calix, patena, & alia vasa sacra, quia possunt confracta, & priuata illa forma artificiali amittere consecrationem possunt ita confracta vendi, at Chrisma, oleum, panis, & similia consecrata, quia post consecrationem nõ possunt amplius priuari ea forma consecrationis, & reuerti ad humanos vsus, ideò non possunt vendi etiam ratione materiæ. Ita Glossa *cap. ea, quæ, & cap. non satis, & cap. in tantum de simonia.*

An reliquiæ Sanctorum possint vendi absque simonia?

BRACTEA XV.

R. Non posse vendi. Ita *cap. vlt. de reliquijs, & vener. Sanctorum*, & Siluester *verbo reliquię*. Ratio est, quia in his non distinguitur materiale à formali, nec materiale est æstimabile pretio, si secundum se spectetur, quin potius secũdum se suo modo sunt res spirituales, vtpotè partes hominis Sancti; quod si inclusæ sint in vasis argenteis, aureis, vel, &c. ratione illorum vendi poterunt non per se, sed accessoriè ad illa vasa argentea, aurea, vel, &c. modò etiam nõ plus vendãtur vasa illa propter reliquias, quas continent, quoniam vt sic augeretur rei pretium propter rem sacram.

An actus Ordinum procedentes à potestate Ordinis, sint materia simoniæ?

BRACTEA XVI.

R. Esse materiam simoniæ omnes actus procedentes ex potestate Ordinis, siuè ex Christi, siuè Ecclesiæ institutione. Ita colligitur ex S. Thoma *quęst. 100. art. 3.* & tradunt Canonistę *in cap. Consulere de simonia*; & hanc esse contra ius Diuinum naturale, ideòque prohibitam, quia mala est. Ratio est, quia materia eius est res sacra, & spiritualis, & supernaturalis, idcòque non potest consuetudo præualere contra illam.

Sciendum non modo functiones Diaconi, & Subdiaconi esse materiam simoniæ, sed etiam actus inferiorum Ordinum, vt Exorcistæ; Acolyti, &c. esse materiam simoniæ, & pro ipsis non posse pretium accipi, propterea quod sua institutione, ac fine spirituales sunt.

An Diuina Officia, & aliæ Orationes sint materia simoniæ?

BRACTEA XVII.

R. Diuina Officia, & quasuis orationis non tantum publicas, sed etiam priuatas esse materiam simoniæ. Ita communiter Doctores cum S. Thoma *quęst.* 100. *art.* 3. Ratio est, quia sunt quid spirituale, tum ex principio, & potestate spirituali, nam fiunt nomine Ecclesiæ delegantis eiusmodi ministerium, tum ex conditione propria, vtpotè requirentia fidem, & gratiam Spiritus Sancti, vt rectè fiant, vnde sunt opera in se spiritualia, & continentia cultum Dei; tum denique ratione finis, quia ordinantur ad satisfaciendum Deo pro peccatis, & impetrandam gratiam.

An accipere aliquid pro susceptione ad statum Religionis sit simoniacum?

BRACTEA XVIII.

R. Cum S. Thoma *quęst.* 100. *art.* 3. & alijs Doctoribus ad sustentanda onera temporalia Religionis posse Prelatum aliquid accipere, & pacisci cum volente ingredi Religionem. Ratio, quia hoc modo non accipitur tẽporale pro spirituali, sed pro temporali.

Sciendum, quod professio duo habet: primò, statum quendam spiritualem, & genus quoddam consecrationis personæ ad cultum Dei, & vt sic nihil pro eo potest accipi: secundò consideratur, vt est quidam humanus contractus inter profitentem, & Religionem, quo profitẽs se totum tradit Religioni, & Religio se obligat ad illum sustentandum, & sub hac ratione aliquid à Prælato licitè potest pacisci, & accipi; nam sicut in matrimonio carnali considerari potest, & ratio Sacramenti, & onus sustendandi coniugem, familiamque, cuius intuitu dos à puella exigitur, licet pro Sacramento accipere aliquid simoniacum esset, ita etiam in matrimonio spirituali, seù Religionis professione duo considerare licet, & statum spiritualem, & onus alendi personam, quorum posterius temporale est, ac pretio æstimabile, & idcirco pro aliquid potest accipi.

An pro suffragijs mortuorum absquè labe simoniæ aliquid possit accipi?

BRACTEA XIX.

R. Pro suffragij mortuorum, seu pro missa dicenda, aut Diuinum officium nihil potest pacisci, aut exigi, tanquam pretium. Ita habetur *Cap. ad Apostolicam, & cap. suam de simonia*. Ratio, quia spiritualia sunt, & Ecclesiastica officia, ideòque pretio illa æstimare simoniacum esset: tamen licet pro pretio nihil possit accipi ratione spontaneæ oblationis, aut alio honesto titulo, ex consuetudine introducto licitum esse, non autem tanquam pretium: In funere, quia varij sunt actus, quidam spirituales, vt psalmodiæ, letaniæ, &c. & quidam, qui spectãt ad pompam spiritualem, vt professio Clericorum, Confraternitatum, &c. pro quibus nihil potest pacisci, & accipi, tanquam pretium, sed solum ratione eleemosynæ, & sustẽtationis, quidam actus sunt temporales, & merè humani, vt deferre corpus defuncti, illud tradere sepulturę, lauare, tumulũ facere, &c. pro his licitum est pretium exigere. Ratio est, quia sunt actus temporales.

An licitum sit dare pecuniam alicui absque simonia, vt Christianus fiat, &c.

BRACTEA XL.

R. Licitũ esse dare aliquid proximo intuitu conuersionis eius. Ita S. Thomas *loco cit. art. 3. ad* 4. & alij. Probatur ex Gloss. *Cap. quam pio, cap. Debet 23. quęst. 4. & cap. dilect. 2. de simon.* Ratio est, quia talis datio non est propria emptio, aut venditio, & per consequens non est simoniacus.

Sciendum, dubium esse, quid iuris quando fieret pactum expressum, vel tacitum do vt facias: Quidam negant posse fieri tale pactum; & ita D. Thomas *loco citato art. 3.* ibique Caietanus, Sotus, Arragonius, Valentia, Angelus

verbo

verbo simonia 3. num. 26. & alij. Alij affirmant licere tale pactum, vbi agitur de conuersione alicuius ad fidem Gloss. cap. Quam pio 1. quæst. 2. verbo interuentu, & cap. debet. 23. quæst. 4. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 39. Lessius lib. 2 cap. 35. dub. 12. & alij apud eundem num. 10. Quo posito.

R. 2. Dare aliquid de præsenti alicui, vt faciat opus spirituale de præcepto, vel de consilio, vel vt vitet peccata, non est malum, itaut accipiens obligetur ad restitutionem, & non maneat obligatus ad opus spirituale. Ita Molina tract. 2. disp. 93. & alii. Ratio est, quia de præsenti nullũ fit pactum, & illa donatio non est mala, neque ex obiecto, neque ex fine, quia donum illud non datur, vt pretium operis spiritualis, sed solummodo ad aliciendum animum accipientis ad illud faciendum.

R. 3. Promittere aliquid sub conditione expressa si fiat opus spirituale, itaut intendat quis se obligare ad promissionem, adimpleta conditione, & non aliter, licitum esse, & non simoniacum si ex parte eius, cui fit promissio nulla oritur obligatio. Ratio est, quia talis promissio non excedit donationem liberalem, ordinatam ad inclinandam voluntatem alicuius ad opus virtutis, ergo, &c.

R. 4. Dare, vel promittere temporale sub pacto, vt alter obligatus maneat ad opus spirituale simonia est. Ita colligitur ex cap. quam pio, cap. quæsitum de rerum permut. cap. vlt. de pactis. Ratio est, quia omnia pacta, & conuentiones in materia spirituali reprobata sunt.

An actus iurisdictionis Ecclesiasticæ sit materia simoniæ?

BRACTEA XXI.

R. Omnem actum iurisdictionis Ecclesiasticæ esse materiam simoniæ. Ita communiter omnes, & colligitur ex cap. ad nostram de simonia. Ratio est, quia sicut potestas Ecclesiastica spiritualis est, tum ratione principij, tum finis, ita etiam actus ab ea procedentes; quare simoniacum est pretium dare, vel accipere pro absolutione à peccatis. Cap. nemo, cap. Presbyter. de simon. pro delegatione facultatis ad audiendas confessiones, vel data alicui licentia eligendi Confessarium: item pro concessione Indulgentiarum, quamuis contributio pecuniæ ad piam causam applicandam exigi possit per modum eleemosinę, tanquam requisitæ conditionis ad Indulgentiam lucrandam: similiter pro absolutione à censuris, iuxta caput ad aures de simon. in omni actu iurisdictionis contensiosæ quidquã accipere prohibitum est, in cap. cum ab omni de vita, & honest. Clericor. itemque procurationis causa, pro visitantibus, in quibus tamen permittitur moderata victualia petere, & accipere ab his qui visitantur, iuxta Concil. Tridentin. sess. 24. dist. 3. de reform. sicut nec etiam per actus iurisdictionis voluntariæ quatenus ordinantur ad effectum spiritualem, potest aliquid accipi, tanquam pretium, & patet ex cap. ad nostram, cap. cum tulere. & cap. nemo Præsbyteror. de simon. Ratio est, quia tales actus iurisdictionis sunt dispensationes votorum, relaxationes iuramentorum, & dispensationes in legibus Ecclesiasticis irregularitate, impedimentis matrimonij, &c. & hæ dispensationes sunt actus supernaturales potestatis iurisdictionis, tum ex parte principij, tum etiam ex parte finis, quia tollunt vincula, quæ ligant conscientiam, & ordinantur ad spiritualem vtilitatem.

Sciendum, Simoniacum esse quamcunque dignitatem, curam, aut iurisdictionem Ecclesiasticam pro temporali pretio alicui conferre, vel ad eam eligere, præsentare; sicut colligitur ex cap. consulere de simon.

An pro corporali labore, molestia, ac defatigatione, quæ subeunda sunt in spiritualibus ministerijs mercedem accipere licitum sit?

BRACTEA XXII.

Sciendum laborem esse in duplici differentia vnus ex parte ipsius operis spectati secundum se, alius ex parte subiecti, & personæ operantis: deinde alius est labor intrinsecè, & immediatè coniunctus cum sacro ministerio, vt dicendi Missam, alius accidentariè additus, vt si ad eam dicendam opus sit duorum, vel trium milliarium peragere: vltimò alij sunt labores, qui per se necessarij sunt ad tale ministerium, prout ab hominibus exerceri solet, vt studium, labor videndi processum, audiendi partes in Iudice, in Episcopo visitante, labor itineris, studendi, legendi, &c. in concionante studium; defatigatio in concione, labor indicendo, &c. alij per accidens coniuncti, vt iter lõgum, quod faciendum esset à Iudice, vel Concionatore, studium extraordinarium, quod requiretur, &c. Quo posito.

R. Certum esse pro labore, & obligatione, quæ sacro ministerio per accidens coniuncta sunt aliquid, vt pretium accipi posse. Ita Nauarr. cap. 23. notab. 10. Lessius dub. 8. Suarez cap. 21. n. 11. Ratio, quia tũc pretium non accipitur pro ipso onere spirituali; sed pro onere corporali, quod illi accidentaliter, ac separabiliter coniunctum est: secus verò dicendum de labore intrinsecè coniuncto, cum sacro ministerio, quia pro eo nihil potest accipi, absque labe simoniæ. Ratio est, quia opus, & labor intrinsecè illi coniunctus non sunt ęstimabilia duplici pretio, sed vno tantum, vel nullo; labor enim operis non est dignus alia æstimatione, quam ipsum opus loquendo de labore ex parte ipsius operis; cum ergo in materia spirituali, & sacra, opus ipsum pretio æstimabile non sit absq; simonia, nec etiam æstimabilis erit labor illi intrinsecè coniunctus absque simonia, labor enim nõ est æstimabilis ex se, sed in ipso opere, sicut ergo in operibus prophanis non ęstimatur distincto pretio opus, & labor intrinsecè illi coniunctus, ita in sacris non erit æstimandus labor operis, nisi opus ipsum ęstimetur.

R. 2. Laborem, seu defatigationem corporis, quæ per se, ac necessariò coniungitur cum sacro ministerio, v. g. celebrationi missæ, &c. non posse pretio æstimari. Ita S. Thomas in 4 dist. 25. quæst. 3. art. 2. Abbas in cap. suam nu. , de simon. Siluest. verbo simon. quæst. 9. dicto 3. & alij. Ratio, quia operatio, & labor corporis non est pretio æstimabilis, nisi sit in ordine ad opus, cuius

causa suscipitur; si ergo opus spirituale inuendibile est, neque corporis labor illi necessariò coniunctus vendi, aut pretio æstimari poterit.

An omissio actus spiritualis sit materia simoniæ?

BRACTEA XXIII.

R. Non omnem omissionem actus spiritualis esse materiam simoniæ, sed eam solum, quæ est actus iurisdictionis, aut potestatis Ecclesiasticę, itaut eam non exercere, sit moraliter hominem auctoritatiuè ligare, aut detinere. Prior pars colligitur *in cap. nemo Presbyteror. de simonia*. Ratio est, quia simonia non committitur, nisi spirituale aliquod in commercium, seu contractum veniat, sed omissio operis spiritualis, v. g. sacrificij si mera, & pura sit, nullumque moralem spiritualem effectum pariens, non est aliquid spirituale, consequenter, neque materia simoniæ. Cæterum si aliquis pecuniam accipiat non præcisè, ac purè, quia opus spirituale in gratiã alterius omittit, quod alioquin exercere vellet, sed tanquam in compensationem iacturæ fructus spiritualis, quem ex opere sacro, v. g. oratione, sacrificio percipere posset manifestam simoniam committit. Secunda pars est ex mente D. Thomæ *quæst.100. art.2.* Paludani *dist.25. quæst.5.* Siluestri *verbo simon. quæst.9.* & habetur expressè *in cap. nemo*, vbi vtrũque simoniacum dicitur, & munus accipere, vt pęnitentem reconcilies, & munus accipere, vt pęnitentem à reconciliatione remoueas. Ratio est, quia negare absolutionem sacramentalem alias debitam ob pretium, quod alter dat simoniacum est, sicuti etiam simonia cum est absoluere propter pecuniam, cum vterque sit actus clauium, & Ecclesiasticæ iurisdictionis, idcòque vtrumque simoniacum est si propter pecuniam, siuè pretium qualecumque fiat.

An simoniacum sit dare temporale pro spirituali ad redimendam iniustam vexationem?

BRACTEA XXIV.

Sciendum dupliciter posse contingere, vt aliquis iniustè vexetur, vno modo dum impeditur à conseruatione eius, quod ei aliqua ratione debetur: altero modo, cum spoliatur re iam habita, iamque possessa, vt v. g. beneficio, quod iure habet, ac possidet. Quo posito.

R. Priore modo simoniam esse dare rem temporalem pro spirituali ad redimendam vexationem: *Ex cap. Mathæus; & cap. si tuis de simonia*. Ratio est, quia per talem redemptionem, mediante pecunia acquiritur res spiritualis, quæ antea non habebatur, quod est illam emi, atq; adeò simoniam committi: posteriore verò modo non esse simoniam, vt ait Nauarr. *in summ. cap.23. num.101. per caput dilect.1. de simonia*. Ratio est, quia per talem redemptionem non datur pecunia pro aliqua re spirituali acquirenda, quæ supponitur iam haberi, sed pro iniuria vitanda.

Sciendum 2. Quod si proposita vexatio iusta sit, non licet eam redimere. Ratio est, quia cum quis iustè vexatur circa quodcunque ius spirituale iam habitum, eo ipso idem ius non est omninò firmum, quo fit, vt redimens talem vexationem emat aliquid spirituale, vtpotè qui per pecuniam comparat sibi firmitatem iuris infirmi spiritualis, quod est saltem ex parte emere spirituale. Secundò aliquando licitum esse, & aliquando illicitum vexationem pręuenire, remouẽdo eam per pecuniam, illicitum est si apertè futura sit iniusta, quia talem redimere non est emere spirituale, sed iniuriam inferendam vitare, illicitum est eandem vexationem pręuenire, quando ea futura est apertè iusta, vt quando cum minus docto doctior concursurus est ad oppositionẽ, per quam obtinendum est beneficium Ecclesiasticum, aut cum quis impedimentum habet, vel delictum commisit, per quod est ipso iure incapax rei, de qua agitur, sicut spurius, vel homicida est beneficij Ecclesiastici. Ratio est, quod eiusmodi vexationem redimere sit viam sibi per pecuniam parare ad obtinendum spirituale.

Sciendum 2. Eum qui aliquid accipit, vt cesset à vexatione, peccare quidem contra iustitiã & teneri ad restitutionem accepti, non committere tamen simoniam, nisi tali cessationi adiuncta sit cessio alicuius spiritualis iuris, pro quo pecunia dari censeretur, adeòque simonia committi. Secundò, nisi pro eadem cessatione daretur aliquid spirituale, vt fit, quando ille, qui vexatur in pingui beneficio, quod possidet, offert vexanti aliud tenue, quod habet vltra illud, vel eum constituit Vicarium suum, vt desistat vexare, dat enim spirituale pro temporali commodo, quale censetur liberatio à vexatione.

An absque simonia possit ob consuetudinem accipi temporale pro spirituali?

BRACTEA XXV.

R. Simoniam committi cum Minister non vult spirituale conferre, nisi prius, vel detur temporale, vel pactum, seu promissio fiat de eo dando. Ratio est, quia per huiusmodi exactionem fit quædam venditio rei spiritualis pro temporali; non esse simoniam post administratum ministerium spirituale exigere temporale, quod solitum est ea de causa conferri, *& colligitur ex cap. ad Apostolicam*; & ita Caiet. 2.2. q.100. *art.3.* & Nauarr. *in sum. cap.23. num.100.* & ratio est, quia in tali casu non accipitur temporale, vt pretium rei spiritualis, sed vt debitum ex laudabili consuetudine.

Sciendum exactionem temporalis pro spirituali cohonestari consuetudine illius materiam vestiendo subsequentibus circumstantijs. Prima, vt quod tali exactione accipitur, reduci possit ad stipendium sustentationis, quoad suã originem, siue vt ideò debitum sit, quod ab initio consuetudinis tale onus cęperit imponi ob Clericorum Deo ministrantium indigentiam. Secunda circumstantia est, vt talis exactio facta sit Superioris auctoritate, ac consensu in talem consuetudinem. Tertia est, vt exactio non sit solita fieri modo specialiter prohibito in iure, qualis est extorquere temporalia, negando spiritualia, nisi illa aut certè illorum cautio prius dentur.

An

An committatur simonia dando spirituale in compensationem exhibiti obsequij?

BRACTEA XXVI.

R. Affirmatiuè, & habetur expressè *ex cap. Cum essent de simonia*, & ratio, quia tale obsequium pretij rationem habet, vt potè pecunia æstimabile, & pro mercede exhiberi solitū.

Sciendum Simoniacum esse: primò si quis Episcopo principaliter seruiat pro habendo beneficio, quod ei conferatur tanquam stipendium, & merces sui laboris. Ita Sotus *lib.9. de iustit.quest 7.ar.3.* inquiens illum esse simoniacum, qui inseruit Prelato, aut ipsius agnatis, vel amicis, vt Sacerdotium tanquam eiusdem obsequij merces sibi ab eo rependatur. Secundò, si quis Episcopo stipendium sibi pro seruitio debitum remittat, vt beneficium ab ipso recipiat. Tertiò si Episcopus famulo beneficium conferat ea intentione, vt per id liberet se à legali obligatione faciendi ei remunerationem, seu satisfactione ministerij, & obsequij sibi impensi. Ita Couar. *lib 1. variar. resolut. cap.20. num 4.* Non esse tamen simoniam si Episcopus asciscat aliquem in familiarem suum constituta mercede annua, donec ei beneficium conferratur, dummodo tamen nullum intercedat pactum de seruitio gratis impendendo post collatum beneficium, sicuti non est simonia si Episcopus, qui iustam mercedem tēporalem suis famulis soluit ijsdem si idonei sint beneficia cōferat, quia talis collatio fit simpliciter amicitiæ, non autem mercedis gratia, nec etiam simoniam esse, si quis obsequium præstaret Prælato ad consequendam ipsius beneuolentiam, ratione cuius obtineat beneficium omni pacto, & obligatione legali cessante; quoniam obsequium, tunc non interuenit per modum pretij; nec item esse simoniam dare Episcopo munera non quidem animo accipiendi ab eo spirituale pro temporali, sed animo consequendi ipsius beneuolentiam cum fiducia tamen, & expectatione consequendi beneficiū ex tali beneuolentia.

Sciendum 2. dubium an committatur simonia si spirituale detur propter obsequium, quod quis alicui Prælato impendit ad Ecclesiæ vtilitatem, & ministrorum Ecclesiæ auxilium? Ad quod respondeo simoniam esse ob tale obsequium, siue exhibitum, siue exhibendum dare spirituale. Secundò, cum onus temporale annexum est rei spirituali, licitum est eam dare cum illo onere id constat *ex cap.1.& 4. de magist.* & ex Concilio Tridentin. *sess 5. cap. 1. & sess 23. cap.18. de reform.* & ratio est, quia redditus Ecclesiastici comparati sunt non solum ad spiritualia ministeria, sed etiam ad temporalia Ecclesiæ necessaria, qualia sunt cantandi in choro, fungendi officio Sacristę, &c.

An sit simonia si spirituale conferatur ob humanas preces, laudes, aut fauores?

BRACTEA XXVII.

R. Non esse simoniam spirituale dare precibus nudis, quæ nullum incluserint pactum expressum, vel tacitum alicuius boni, quod rationem habeat pretij, nec cominationem alicuius mali, quod tali bono ęquipararetur. Ratio est, quia talibus precibus aliquid obtinere non est emere, sed per gratuitam donationem accipere; tum etiam, quia in *cap. Tua nos de simonia*, ijs, qui rogauit humiliter, vt in Canonicum admitteretur, liberatur à scrupulis simoniacę, & prauitatis si preces ipsius fuerint sine pacto, & conditione, seu conuentione.

Sciendum, quod licet in isto casu non committatur simonia, committitur tamen aliud peccatum, dum beneficium digno quidem datur, sed principaliter ad captādam amicitiam, fauorem, & laudem humanam. Ratio est, quia in eo fit iniuria rebus sacris, tum vili eas æstimando, tum etiam quia res sacras sic distribuere alienum est à ratione, licet tale peccatū non sit plus, quam veniale: indigno autem beneficium dare talibus de causis mortale est, propter iniustitiam, quę in eo committitur.

An sit simonia conferre spirituale alicui ratione consanguinitatis?

BRACTEA XXVIII.

R. Negatiuè. Et ita D. Thom. *quest. 100. ar.5.* Couar. *lib.1. variar. resol. cap.5. num.4.* Ratio est, quia in hoc casu nulla ratio pretij interuenit, cum dare beneficium ratione consanguinitatis non sit accipere aliquid temporale, aut de eo pacisci, aut spirituale cōmutare in illud, sed promotiuo dandi beneficium habere consanguinitatem, quod non est magis simoniacum, quam ex tali motiuo facere aliquem suarum precum, & satisfactionum participem.

An sit simonia alteri mutuo dare pecuniam ea lege, vt beneficium Ecclesiasticum sibi conferat?

BRACTEA XXIX.

R. Committere simoniam. Ita Nauarrus *in comment. de vsuris num.7.* Ratio, quia in tali casu spirituale venditur, cum mutuo dans accipiat illud tāquam pretium mutuationis, ideoque committat vsuram, eamque simoniacam, seu coniunctam cum simonia.

Sciendum, quod licet in isto casu sit simonia nimirum mutuare pacto, vt conferatur beneficium, non tamen est simonia conferre beneficium, vel aliud spirituale propter metum. Ratio est, quia talis collatio fit gratis, cum liberatio à metu non habeat rationem pretij, quasi pro ea, in commutationem detur spirituale, sicut cum is, qui dat aliquid alicui ad conciliandam sibi illius beneuolentiam, non intendit dare huius pretiū, quia opporteret interuenire pactū, sed intēdit vsurpare motiuū ex quo beneuolentia nata est sequi; pari ratione, nec intendit is, qui dat ad remouendam maleuolentiam ex qua alter metum ei incutit; tum etiā quia sicut non iudicatur simoniacus celebrans missam, vel audiens confessionem ob metum sibi incussum, ita nec is, qui confert beneficium ex metu, licet illicitum sit ob metum conferre spirituale, sicut ob amicitiam ipsum conferre.

An simonia in beneficijs Ecclesiasticis sit solum ex iure Ecclesiastico, aut etiam ex Diuino?

BRACTEA XXX.

R. Simoniam in beneficijs Ecclesiasticis non solum esse ex iure Ecclesiastico, sed etiam ex iure Diuino. Ita Durand. *in 4. dist. 25. quæst. 5. num. 11.* Paludan. *eadem dist. qu. 4. art 3.* Caiet. *tom. 2. opusculorum tract 9 de simon. quæst. 1.* Valentia *tom. 3. disput. 6. quæst. 16. part. 2.* Rodriquez *tom 2. sum cap. 56.* & alij. Ratio est, quia licet in beneficio Ecclesiastico contineatur ius percipiendi temporales redditus; quod secundum se pretio æstimabile est: attamen illud à prima beneficiorum institutione ita connexum, atque fundatum est in spirituali officio, vt non nisi ob illud detur, datur enim beneficium tanquã debitum stipendium propter officium, siue ministerium spirituale, consequenter si alicui vendatur ius beneficialium prouentuum, venditur etiam illi ius spirituale exercendi officium, cum sine eo stipendium Ecclesiastici beneficij, neque esse, neque intelligi possit; & ideò simonia in beneficijs Ecclesiasticis, non modo censetur de iure Ecclesiastico, sed etiam de iure Diuino.

An pensionem emere, aut redimere simoniacum sit?

BRACTEA XXXI.

R. Pensiones merè temporales, quæ etiam Laicis designari, ac competere possunt ex Ecclesiasticis prouentibus, sine simoniæ vitio venduntur, ac redimuntur. Ita communiter Doctores Victoria *par. 1. num. 52.* Sotus *lib. 9. quæst. 7. art. 2.* Toletus *lib. 5. cap. 92.* Lessius *cap. 35. dub 21.* Suarez *cap. 26. num. 5.* Ratio est, quia postquam hę pensiones à spirituali titulo beneficij legitima auctoritate separatæ sunt, neque spirituales existunt, neque spiritualibus annexæ, & ideò neque materia simoniæ.

R. 2. Pensiones propriæ spirituales, quæ ad spirituale ministerium designantur, v. g. concionatori, &c. sine simonia emi, aut vendi non possunt; & est communis doctrina. Ratio, quia cum talis pensio non minus quam beneficium Ecclesiasticum in spirituali officio fundatum sit, qui illum emit, aut vendit spiritualem etiam titulum emere, aut vendere censetur, vt docet Nauarrus *in manuali cap. 23. num. 111.*

R. 3. Pensiones mixtę, quæ Clericorum sunt propriæ: verùm non ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam designatæ, v. g. propter Clerici paupertatem, senium, litis compositionem, &c. licet emi, ac vendi nequeant, tamen redimi possunt, saltem vbi constitutio Pij V. eiusmodi pensionibus obligationem Officij B. Virginis imponentis, recepta non est. Toletus *lib. 2. cap. 92.* Lessius *cap. 35. dub. 22 num. 125.* Binsfeldius *de simonia cap. 9. quæst. 2.* Prior pars patet ex stylo Curiæ Romanæ, quæ eiusmodi venditiones tanquam simoniacas damnat; tum etiam quia pensiones Clericales similitudinem quandam cum beneficijs gerunt. Ratio secundæ partis est, quia redimere pensionem non est emere aliquod ius spirituale, sed extinguere onus, seu obligationem temporalem soluendi annuatim certam summam pecuniæ, aut fructuum, dummodo talis redemptio nõ ita instituatur, quasi per eam extingui debeat spiritualis obligatio recitandi Officij Beatæ Virginis ex decreto Pij V. vbi receptum est, quia tunc simonia committi censetur secundum stylum Curiæ Romanæ.

An Episcopus nõ obstante iure positiuo possit imponere onus pecuniæ accipienti beneficium?

BRACTEA XXXII.

R. Episcopum non posse vendere beneficia Ecclesiastica absque simonia contra ius Diuinum. Est communis sententia Doctorum. Ratio est, quia beneficia vt sic, hoc est quatenus adnexa titulo spirituali, neq; etiam possunt vendi à Papa; ergo multo minus ab Episcopo. Secundò, nec posse pecuniam exigere pro beneficio. Ratio est, quia Episcopus non potest separare præbendam à beneficio, consequenter nec disponere de illa tanquam de re merè temporali; debet enim conferre beneficia sine diminutione, & quia huiusmodi prohibitio est de iure positiuo, Papa id potest facere, quia potest separare præbẽdam à beneficio, & temporales redditus à titulo spirituali, Episcopis autem talem separationem facere est prohibitum, ob multa inconuenientia, quæ sequentur, & per consequens neq; pecuniam exigere pro beneficio, quando verò Ecclesiam sui iuris, à sua dignitate separant, possunt aliquid reseruare in recognitionem antiqui iuris. *Cap. constitutus de religiosis domibus.*

An absque labe simoniæ priuata persona possit aliquid postulare ab eo, qui beneficium confert?

BRACTEA XXXIII.

R. Primò, priuatis personis propria beneficia vendere illicitum est, & esset simonia contra ius Diuinum. Ratio est, quia beneficia vendere quoad spiritualem titulum certum est non posse, cum neque Papa id possit: quoad temporale verò emolumentum neque possunt, quia temporale illud est annexum rei spirituali, & ipsi non possunt separare vnum ab alio, ideò esset simonia contra ius Diuinum. Secundò, in priuata persona semper esse simoniam aliquid postulare ab eo, cui beneficium confert. Ratio est, quia si id faciat, ob venditionem fructuum futurorum, cum fructus hi futuri acquirendi sint titulo beneficij, venderet titulum ipsum beneficij, atq; esset simoniacum contra ius Diuinum, si verò id faciat, quia locauit fructus beneficij, & recipit pensionem totam eorum anticipatiuè, esset iniustitia, & si præcedat pactum esset simonia contra ius positiuum, quia non potest pensionem accipere, nisi pro eo tempore, quo beneficium habet.

An

An Commendæ sint materia simoniæ?

BRACTEA XXXIV.

SCiendum Commendam esse, cum Ecclesia aliqua, vel beneficium commendatur alicui,& non confertur ei in titulum,sed committitur ei cura, vel administratio eius, ideòque illi assignātur fructus beneficij, vel pars eorum; & hæ duplices sunt: quædam Clericales, quæ continent spiritualem iurisdictionem,quędam militares,quæ dantur titulo merè Laico,& sūt temporalia quædam subsidia pro muneribus temporalibus.Hoc posito.

R.1.Commendæ Clericales, siuè temporales sint, siuè perpetuæ sunt materia simoniæ contrariæ iuri Diuino. Ratio est, quia continent spirituale ministerium, quod habet annexum temporale commodum, & si venderentur, daretur spirituale pro temporali; quod intelligēdum siuè Commenda detur ob vtilitatem Ecclesię commendatæ,siuè in fauorem Commendatarij. Ratio est, quia quando commendatur in fauorem Commendatarij, vt scilicet fruatur eius bonis commendatus habet ius, sicut præsentatus ad Ecclesiam in proprietate obtinendam, quando erit adultus, hoc autem ius est spirituale, & illud vendendo committeret simoniam contra ius Diuinum.

R.2. Commendas militares secundum se spectatas non esse materiam simoniæ. Ratio est, quia non sunt aliquid spirituale nec adnexum spirituali; sed merè temporalia quædam subsidia, seu stipendia pro muneribus temporalibus. Suarez *cap.27.num.6.*& alij. Neque obstat quod non dentur,nisi professis Religiosis, qui pacto obligantur ad aliquas orationes,&c. Nā respondeo statum Religionis esse cōditionem, sine qua nō darentur Cōmendę,& dispositionē ex parte personæ,vt sit capax illius,non autem esse titulum, cui sint adnexæ. Neque obstat secundò, quod nonnulli milites habuerunt ius præsentandi suis Ecclesijs regularem ad beneficium, seu ad titulum beneficij in tali Ecclesia, quia ius illud esse ad modum iurispatronatus, quod est antecedenter annexum beneficio talis Ecclesiæ,& inest Commendæ tanquam fundamento,& transit cum ipsa Commenda.

R. 3. Quod licet Commendæ militares non sint materia simoniæ, tamen esset illicitum eas vendere directè, & formaliter, quia magistri Ordinum,& Generales eas non possunt vendere,cum non sint Domini, sed tantum dispensatores,& sub Papa,qui dedit illis talem facultatem tantum ad distribuendum.

An iuspatronatus possit transferri, & transire cum re vendita, in qua fundatur?

BRACTEA XXXV.

R. Iuspatronatus in alium posse transferri,& transire cum hæreditate vendita, modò res, in qua fundatur ratione illius iurispatronatus.Ita habetur *cap. ex litteris, cap.cum secundum de iurepatron.*Ratio est,quia sicut Patrono Laico collatum est hoc ius præsentandi, ita potuit conferri eidem,vt pro eius hæredibus, & successoribus valeret, vel etiam vt possit transferre in alium,quando transfertur res,in qua fundatum est,& illi adnexum. Ratio est, quia nullam continet repugnantiam.

Sciendum tribus solummodo modis iuspatronatus posse in alium transferri: primo modo, iure hæreditario, qui etiam extenditur ad hęredes voluntarios,& extraneos:secundò,per liberalem donationem quippè enim potest in alium transferre ius, quod habet, requiritur tamen consensus Episcopi, vt transferatur in alios,quam Religiosos, *ex cap. illud de iurepatron.* tertiò, per venditionem rei, in qua fundatum est, & tunc dicitur iuspatronatus reale, Personale enim duobus tantum modis alijs transfertur,non autem tertio etiamsi omnia bona venderentur.

An aliquem præsentare in beneficio litigioso pacto, vt suis expensis litiget, simoniacum sit?

BRACTEA XXXVI.

R. Si ista præsentatio instituatur, vt per modum onerosi contractus, vel pacti exigatur, vt litiget, & probet ius præsentādi pertinere ad pręsentārē simonia cōmittitur.Ratio est, quia proinde est, ac si venderetur præsentatio pro illis expensis, ad quas præsentatus non tenetur;si verò sic instituatur,vt præsentatus obligetur ad defendendam suam præsentationem alioquin præsentans,vti possit iure suo pręsentandi alium, vel agere, quod vtiliter fuerit, in isto casu non censetur simonia, quia præsentato non imponitur vllum onus præter id, quod à iure habet, nec obligatur ad litigandum absolutè,sed sub conditione,si velit suam pręsentationem stabilem permanere, quod est defendere ius suum, licet ex hoc redundat etiam commodum in præsentantem.

Quotuplex sit simonia?

BRACTEA XXXVII.

R. Primò simoniam aliam esse prohibitam, quia mala,& aliam malam,quia prohibita. Ita docet Glossa communiter recepta *in cap. ex parte de officio deleg.* Paludanus *in 4.dist.25 quæst.4. art. 2.* Sensus diuisionis est, quod alia simonia sit, quæ iuri naturæ, ac Diuino repugnat, alia verò solùm quæ ex rei natura simonia non est, sed tantum ex Ecclesiæ prohibitione. Aliqui dicunt simoniam iuris naturæ eam esse,quę circa spiritualia versatur, simoniam verò iuris Ecclesiastici,quæ versatur circa annexa rei spiritualis, [quę tamen regula fallit primo, quia quædam sunt spiritualibus antecedenter annexa,quæ tamen secundum se sacra,& spiritualia sunt, ideòque eorum venditio Diuino iuri aduersatur, vt iuspatronatus, sacra vasa. Secundò,quia quædam sunt secundum se quidem temporalia,tamen ita inseparabiliter sua natura annexa spiritualibus, vt talium venditio, Diuino etiam iuri repugnet, vt labor intrinsecus per se necessarius ad Sacramenta, &c. de quibus supra dictum est. Tertiò fallit,quia licet materia spiritualis sit, si tamen alterum, quod ad simoniacam pactionem concurrit, non sit propriè temporale pretium,non potest esse simonia

monia iuris Diuini, sed solùm Ecclesiastici, idque, vel quia temporale non est, sed potius spirituale, quod cum altero spirituali commutatur, vt Ecclesiasticum beneficium cum beneficio, vel licet merè temporale sit, tamen non est pretium commutationis, sed donum liberale, qua ratione in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 18. de reform.* prohibetur examinatoribus ad beneficia. *Ne quidquam prorsus occasione huius examinis accipiant, alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quam dantes incurrunt*; & de admissione ad Ordines, similia habentur, *sess. 21. cap. 1. de reform.*

Sciendum simoniam etiam diuidi ex parte modi in mentalem tantum, conuentionalem, & realem. Et ita Nauar. *in sum. cap. 23. num. 102.* Sotus *lib. 9. de iustit. quæst. 8. art. 1.* & alij. Simonia mentalis dicitur quando aliquid datur, vel accipitur pro spirituali, siue externo pacto quidem, siue expresso, siue tacito, cum animo tamen dandi, vel accipiendi temporale pro spirituali, prout contingit cum nulla intercedit inductio mutua ad consensum vendendi, vel emendi spirituale, tantumque datur temporale ex vna parte, & spirituale traditur ex altera, ostendendo exterius animam gratuitum, sed interius prauus est animus conformandi se alteri, qui scitur habere animum vendendi, seu intendere, vt spirituale, quod ab ipso expectatur, sibiq; compensetur, & pro eo fiat satisfactio. Conuentionalis est, quando temporale pro spirituali dari, vel accipi conuentum est per pactum, siue expressum, siuè tacitum, quod nondum sit executioni mandatum, ex qua conditione constituitur triplex simonia, vt vna sit quando præcessit quidem conuentio, & promissio, sed nondum est datum aliquid, vel acceptum, Altera quando iam est datum, vel acceptum spirituale, nondum autem temporale: tertia quando iam datum, vel acceptum est temporale, non autem spirituale. Realis autem simonia dicitur, quando vltra inuentionem, vel pactum, siue expressum, siue tacitum, tam spirituale, quam temporale datum est, & acceptum.

De simonia confidentiali?

BRACTEA XXXVIII.

R. Simoniam confidentialem contingere in Ecclesiastico beneficio, vt dictum est supra resignando, vel conferendo, aut in Clerico, eligendo, vel præsentãdo ad tale beneficiũ, Atque in resignando contingere, cum quis beneficium in manibus collatoris resignat confidens, ac sperans à resignatario, in cuius gratiam illud resignat elapso aliquo tempore id ipsum denuò se recepturum per renunciationem, quam resignatarius faciet in fauorem ipsius, vel consanguinei, vel amici, vel alterius cuiuscunque quem designare voluerit, aut certè se recepturum omnes beneficii fructus, vel partem illorum, vel pensionem ex eisdem fructibus, vel aliquod aliud commodum ex alio beneficio, vel aliunde ex quibuscunque rebus resignatarij: contingere verò in conferendo, quando is, qui confert beneficium sperat se recepturum ex ipso beneficio collato commodũ, vel aliunde: contingere denique in eligendo, vel præsentando, quando eligens, vel præsentans sperat commodum, vt supra.

Sciendum confidentiam in beneficio aliquãdo fieri cum pacto expresso, vel tacito, aliquando sine vllo prorsus pacto, sed solo animo, concepta spe, quod is, cui beneficium confertur post aliquod tempus illud resignabit in fauorem resignantis, vel conferentis, vel præsentantis, aut quod reddet fructus illius, vel partem, vel pensionem ex eijsdem fructibus.

Sciendum 2. confidentiam in beneficio simoniacam esse, tum iure naturali, tum positiuo, naturali cum in alicuius fauorem beneficium resignatur, aut confertur alicui spe recipiendi aliquid ab eo, tanquam pretium beneficij resignati, vel collati, quia tunc verè adest voluntas vendendi spirituale contraria rectæ rationis, expressoque Christi præcepto, Iure positiuo autem Ecclesiastico cum resignans, vel conferens, aut præsentans non intendit accipere resignationis, vel collationis, aut præsentationis pretium, sed solum paciscitur de cõmodo aliquo sibi pro resignatione, vel collatione, aut præsentatione reddendo, id enim aduersatur decreto Ecclesiç *in cap. Pactiones de pactis, & in cap. quæsitum de rerum permut.* & in Clementina 1. *de supplend. Prelator. negligentia §. eadem quoque authoritate*, & in Concil. Trid. *sess. 25. de reform.*

An simonia sit semper peccatum mortale?

BRACTEA XXXIX.

R. Communiter omnes Doctores docere simoniam esse de se peccatum mortale, & exprimitur *in cap qui studet 1. q. 1.* vbi ad exagerandam illius grauitatem hæresis vocatur.

Sciendum grauitatem huius criminis patere ex eo, quod habeat. Primò rationem auaritiç per inordinatam habendi cupiditatem, quæ radix est omniũ malorum, deinde rationem iniustitiæ, per quam is qui Dominus non est, sed tantum dispensator vendit rem domini sui contra ipsius voluntatem: Tertiò habet rationem peccati grauis contra charitatem, quandoquidem per eam non tantum vnus, aut alter, sed tota Respublica immò vniuersum regnum grauatur, *vt in cap. fertur 1. quæst. 1.* habetur.

Sciendum 2. tria esse, quæ possunt excusare à peccato mortali in materia simoniæ: inuincibilis ignorantia: paruitas materiæ, & necessitas. Ignorantiam inuincibilem excusare à peccato mortali in simonia. Ratio, quia tollit voluntarium, sine quo non est peccatum, de vincibili verò distinguendum est; nam si fuerit iuris non excusat, si verò fuerit ignorantia facti, vt cum quis ignorat contractum, quem init simoniacum esse, quem si sciret minimè iniret, excusat à peccato mortali, nisi adfuerit negligentia culpabilis ad sciendam veritatem. Ratio est, quia taliter contrahens non habet, aut saltem nõn plenè habet voluntatem emendi, vel vendendi spirituale, quæ requiritur ad plenam, adeòque mortalem simoniæ rationem: Secundò ratione materiæ paruitatis, & ita habetur *ex cap. etsi quæst. de simon. §. fin.* Ratio, quia id quod modicum est pro nihilo reputatur, nec ipsum dari solet in pretium, sed solum beneuolentiæ, & honestatis causa: ratione autem paruitatis rei spiritualis non datur ratio excusans à mortali, quia cum res spiritualis sit inæstimabilis.

ſtimabilis, dependeatque tantum à gratuita Dei donatione, grauis tam Deo, quam illi ſit iniuria, dum pretio ſubijcitur, aut certè æquiparatur. Tertiò, ratione neceſſitatis; Palud. *in 4. diſt.25.quæſt.3.art.3.* Siluester *in verbo ſimon.qu.*8. & alij, exiſtimant, nullam neceſſitatem excuſare ſimoniam à peccato mortali, eo quod ſimonia ſit intrinſecè mala per iniuriam, quæ fit rebus ſacris, Sotus verò *lib.9. de iuſt. quæſt.6. art.1.* Caiet. *2. 2. quæſt.100.art.2.* Angelus *in verbo ſimon. 2. num.2.* Roſella *in eodem verbo* 1. *num.*18. Armilla *ibidem num.19.* & alij exiſtimant extremam neceſſitatem excuſare à ſimonia, quæ ſententia licet ſit probabilis, tamen prior cenſetur probabilior, nimirum neceſſitatem non excuſare à peccato mortali ſimoniacum propter rationes allatas.

An in permutatione beneficij poſſit eſſe ſimonia?

BRACTEA XL.

SCiendum permutationem beneficiorum nihil aliud eſſe, quam mutua, & reciproca beneficiorum reſignatio facta, vt mutuo alter beneficium obtineat alterius; nec enim qui beneficiũ permutat ius ſuũ transfert in alterũ, vt fit in alijs permutationibus, ſed ius ſuũ cedit, & reſignat in manus collatoris, vt is illud alteri conferat, ita vt non ſit tam permutatio, quam duplex reſignatio cum duplici collatione. Quo poſito.

R. In permutatione beneficiorum non committi ſimoniam iure Diuino, ſed iure tantum Canonico prohibitam, niſi fiat ob pecuniam in pretium illius datam. Ratio primę partis eſt, quia ſimonia iure Diuino non committitur, niſi dando temporale pro re ſpirituali, in permutatione autem beneficiorum datur ſolummodo ius ſpirituale vnius pro alio ſimili iure ſpirituali alterius, quod verò committatur iure Canonico patet *ex cap. quæſitum, & ex cap. cum olim, & ex cap. cum. vniuerſor. de rerum permut.*

Sciendum 2. volentes permutare beneficia poſſe abſque ſimoniæ labe tractare de tali permutatione facienda, & concludenda, relata tamen exequutione ad beneplacitum Superioris, ad quem pertinet permutationem ipſam approbare. Ratio, quia talis tractatus non habet vim contractus validi, cum ſuſpendatur vſque ad Superioris conſenſum.

Sciendum 3. Beneficiorum permutationem factam ſine ſuperioris auctoritate ſimoniacam eſſe iure poſitiuo. Ratio colligitur *ex cap. penul. de rerum permut.* licet ipſi per ſe de iure non poſſent Eccleſiaſtica beneficia permutare.

Sciendum 4. quod quando agitur de permutatione ſimplici, & nullo adiecto onere, vel penſione ex altera parte pertinet ad Epiſcopum dare licentiam ad talem permutationem. Et ita *cap. quæſit. de rerum permut. cap. vnico, &c.* nomine autem Epiſcopi intelligitur, qui habet iuriſdictionem Epiſcopalem, etiamſi non habeat dignitatem: vnde Abbas, vel alius habens præſcriptam iuriſdictionem ad hunc effectum ſatis eſſet.

An beneficia permutari poſſint cum penſione, & quis poſſit facere hanc permutationem?

BRACTEA XLI.

R. Si penſio ſit erecta in titulum beneficij poſſe permutari cum beneficio coram Epiſcopo, quia eadem eſt ratio, quę eſt de permutatione beneficiorum inter ſe; ſi vero penſio ſit ſpiritualis, non poteſt permutari cum beneficio auctoritate ſolius Epiſcopi, ſed debet fieri auctoritate Papæ; Quod non poſſit fieri auctoritate Epiſcopi patet, quia talis penſio non eſt beneficium, nec ex natura ſua transfertur in alium, & Epiſcopis ſolum conceſſum eſt, vt poſſint facere permutationes beneficiorum, & conuentiones permutare volentium, valeāt approbare; ergo iura non ſunt extendenda ad permutationem beneficij cum penſione: quod poſſit auctoritate Papæ fieri non eſt dubium, cum poſſit auctoritate Papę res vna ſpiritualis cum aliam permutari, & huiuſmodi penſio ſpiritualis ſit, cum Clericatum ſupponat, & obligationē recitandi officium B. Virginis; ſi verò penſio temporalis ſit, non poteſt permutari cum beneficio abſque ſimonia contra ius Diuinum. Ratio, quia in tali permutatione venderetur beneficium pro re temporali auctoritate verò Papę poteſt fieri, cum vni poſſit dare beneficium, & alteri penſionem, non tanquam pretium, & in cōmutationem pro beneficio, ſed ſua perſona prouidentia, & munere in ſubſidium ſuſtentationis.

An permutatio beneficiorum imponendo alteri penſionem ſit ſimoniaca?

BRACTEA XLII.

R. Si permutatio beneficiorum cum reſeruatione penſionis fiat auctoritate propria, & ſolum coram Epiſcopo ſimoniacam eſſe contra ius diuinum, quia datur ſpirituale nempè beneficium pro temporali, qualis eſt penſio impoſita propria auctoritate, etiamſi fiat auctoritate Prælati inferioris Papæ. Ratio, quia ipſe non habet auctoritatem imponendi penſionem, ſed tantum faciendi permutationem purè, & ſimpliciter; ſi verò fiat auctoritate Papæ, licitè fit abſque ſimonia. Et ita communiter Doctores. Ratio eſt, quia Papa eſt ſupra ius commune, cuius ratione talis permutatio cenſetur ſimoniaca.

Sciendum quatuor conditiones requiri, vt permutatio beneficiorum coram Ordinario facta non ſit ſimoniaca: Prima vt res ſua natura permutabiles ſint, & non ſint prohibitæ iure Canonico: Secunda, vt permutatio fiat auctoritate Ordinarij: Tertia, vt nullum onus imponatur abſque auctoritate Papæ: Quarta, vt nullum pactum priuatim fiat inter partes, niſi in ordine ad conſenſum Prælati, vel Papę.

An permutatio inæqualium beneficiorum possit fieri facta temporali recompensatione absque simonia?

BRACTEA XLIII.

SCiendum beneficia posse esse inęqualia: Primò, vt vnum beneficium superet aliud tam in spiritualibus, quam in temporalibus: in spiritualibus, quia sit dignius habeat maiorem iurisdictionem spiritualem, &c. in temporalibus, quia habeat maiores redditus; Secundo, vt se habeant sicut excedens, & excessum, vnum siquidem excedat in spiritualibus, & aliud in temporalibus: Tertiò, quod sint æqualia in spiritualibus, & in temporalibus differant, aut sint in temporalibus æqualia, in spiritualibus vero inæqualia. Quibus positis.

R. Quando excessus est in spiritualibus non licere illum supplere dando aliquid temporale. Ratio, quia venderetur spirituale pro temporali, quod est simonia contra ius diuinum; quando excessus est in temporalibus, nec etiã potest compensari pecunia. Et ita Nauar. *cap. 23. num. 100.* Couar. 1. *variar. cap. 5. num.* 8. Sotus *lib. 1. quæst. 5. art. 2.* Ratio, quia excessus ille emeretur pecunia, tanquam pretio, & per consequens cum ille excessus fructuum sit beneficij rei annexæ spirituali esset simonia contra ius diuinum; ergo, &c. licet probabile sit auctoritate Papę posse fieri non per modum propriæ permutationis, nec dispensationis in iure diuino, sed mutatione materię instituendo nouum ius ex parte ipsarum rerum; Quod non per modum proprię permutationis patet, quia ad eam requireretur, vt ille excessus fructuum compensaretur pecunia manente annexione illorum beneficio, quod est simonia contra ius diuinũ; Quod nec ratione dispensationis, patet etiam, quia Papa directè non potest dispensare in iure diuino: tum etiam, quia emptio rei spiritualis etiam per adnexionem est res intrinsecè mala; Quod ratione mutationis materiæ possit fieri patet, quia Papa, tanquam Supremus dispensator potest separare illam partem fructuũ quæ excedit alterius tenuioris beneficij fructus, & applicare illam in sustentationem eius, qui beneficium tenuius recipit, & concedere, vt fructus sic separati pecunia compensentur; tum quia potest permittere, vt alter qui recipit beneficium pingue det aliquid alteri non in compensationem, sed in sustentationem eius. Et ita Filliucius *tract. 45. de vitio Simon. cap. 7. n. 34.*

An extra beneficia permutatio spiritualis, cum spirituali sit specialiter prohibita?

BRACTEA XLIV.

R. Non esse prohibitam; & ita colligitur ex Gloss. *cap. quam pio 1. qu. 2.* tum etiam, quia non inuenitur in iure prohibitio generalis; sed semper iura distinguunt id, quod datur rebus spiritualibus, ab ipsis spiritualibus, illud autem temporale, quid est.

Sciendum varia genera esse rerum spiritualium: Quædam sunt purè talia, inter quæ compræhenduntur etiam functiones sacræ, quibus adnexum est aliquid materiale cõcomitanter, quæ tantum prohibentur vendi. *cap. ad nostram de simon.* commutare autem non inuenitur prohibitum, immò *in cap. de rerum permut.* approbatur commutatio vnius Ecclesię pro alia, requiritur tamen auctoritas Prǫlati, vel quia Parochialis non potest vniri Conuentuali absque Prælati auctoritate, vel quia simul interuenire solet permutatio beneficiorum: Quędam sunt mixta, & adnexa temporalibus antecedenter, vt vasa sacra, & hæc si commutantur cum rebus eiusdem ordinis, idest cum alijs vasis sacris, vel rebus annexis spiritualibus antecedenter, commutari possunt, vt patet experientia, & vsu communi in Ecclesia.

De simonia in resignatione beneficij?

BRACTEA XLV.

SCiendum resignationem beneficij esse liberalem eiusdem dimissionem factam in manu Superioris, vel illius ad quem pertinet in eodem beneficio alium instituere, quæ dimissio dicitur etiam tum cessio, tum renuuciatio, distinguitur autem in absolutam, seu puram, & in conditionalem, quarum illa est, quæ in manibus Superioris fit, vt ipse cui voluerit beneficium resignatum conferat. conditionalis verò duplex est, vna quæ fit ex causa permutationis, & altera, quæ fit in fauorem alicuius tertij. Quibus positis.

R. Renunciationem puram, & absolutam nullo modo esse simoniacam, eamq; fieri posse, non modo in manibus Papæ, sed etiam inferiorum Prælatorum.

R. 2. Resignationem beneficij factam in fauorem tertij idest adiecta conditione, quod nec alio modo, fiat non esse simoniacam iure naturali Diuino, sed esse simoniacam iure positiuo. Prior pars patet, quia non datur in ea spirituale pro temporali, sed datur gratis certę personæ, in cuius fauorem resignatur, quod non est contra Christi præceptum *Gratis accepistis gratis date*, quod nec iubet, nec prohibet dari vni potius quam alteri, quod verò sit simoniaca iure positiuo patet, *ex cap. fin. de pactis*, vbi omne pactum, & conuentio circa spirituale dicitur debere omnino cessare, & ex *cap. quæsitum de rerum permut.* vbi dicitur, quod pacta circa spiritualia; vel annexa spiritualibus labem simoniæ semper contineant.

Sciendum 2. prædictam renunciationem licitè posse fieri in manibus Papæ. Ratio est, quia cum sit tantum contra ius Canonicum Papa supra ipsum potestatem habet; in manibus verò Ordinariorum talem resignationem fieri prohibitum est, non solum stilo Curiæ Romanæ, sed etiam iure communi, vt patet ex Gloss. *ad caput ex parte 1. de officio Delegati num. 4. & cap. non satis de simonia*, Redoanus 1. *part. cap. 25.* Nauarr. *cap. 23. num. 107.* Rebuf. *in praxi beneficior. part. 3. tit. de pura resignat. cap. quam pio 1. quæst. 2. & cap. cum quidem; & cap. fin.* vnde sequitur Prælatos Papæ inferiores non posse admittere resignationem beneficij factam sub ea conditione. seù pacto, vt tali, vel tali conferatur, adeò vt beneficium sic acceptum, tanquam per simoniam collatum possit à Papa impetrari.

An

An Episcopus possit acceptare resignationem absque simonia factam in fauorem alterius?

BRACTEA XLVI.

R. Non committere simoniam, si acceptet, & conferat beneficium personę designatæ, dummodo id non faciat ex obligatione, & pacto; sed tantum liberè consentiens resignationi. Ratio est, quia sicut resignans hoc modo, hoc est, non ex pacto, sed tantum cum conditione in fauorem tertij non est simoniacus; ita nec Prelatus, nec aliam nouam simoniam ipse committit, quia non confert spirituale propter aliquid temporale. Secundò Prælatum inferiorem non posse licitè acceptare talem resignationem absque licentia Papæ, & dare beneficium iuxta modum appositum à resignante, etiamsi id non faciat ex vi illius, sed ex libera voluntate sua. Ita communiter Doctores, qui talem resignationem damnant, vt simoniacam. Ratio est, quia talis resignatio in manu inferioris Papæ prohibita est. Tertiò Prælatum inferiorem Papa non posse acceptare resignationem illam tanquam absolutam, reiecta conditione. Ita Rebuf. *in prax. tit. de resignat. condit. nu. 7.* Ratio est, quia actus factus cum aliqua adiectione, & modo, non potest acceptari, quoad vnam partem, & non quoad aliam.

An resignatio pura, sed sub conditione in vim modi, valeat?

BRACTEA XLVII.

R. Si ab Episcopo acceptetur statim valere, & habere effectum suum. Ratio est, quia talis resignatio absoluta est, non conditionalis, nec suspensiua, quia modus non suspendit effectum: Secundò resignantem, & modo resignandi non peccare, stando in iure communi, si nimirum non intendat obligare Episcopum, sed tantum inducere illum, vt conferat tali personę supposito, quod illa sit digna, & idonea, nec etiam extat consuetudo in contrariũ, quia ex communiore potest resignans purè, & absolutè rogare Episcopum, vt det beneficium tali personę, nec peccare etiamsi ab initio resignasset, ea spe. Ita Nauarrus *loco citato num. 107.* Redoan. *cap. 25.* & alij apud ipsos, etiamsi in ipsa resignatione exprimat eiusmodi animum modo non faciat pactum, nec apponat conditionem suspensiuam. Tertiò posse Episcopum in tali casu liberè conferre beneficium, cui voluerit, atque etiam illi, quem nominauit resignans. Ratio est, qnia nominatus non est deterioris conditionis ex eo, quod sit nominatus à resignante, quam alius.

Sciendum iure nouo Pij Quinti in Bulla *Quanta 58.* prohibitum esse designari futuros beneficiatos à resignantibus his verbis. *Caueant autem Episcopi, & alij prędicti, itemque omnes electores, presentatores, & patroni tam Ecclesiastici, quam Laici quicunq; sint ne verbo quidē, aut nutu futuri in huiusmodi beneficijs, & officijs successores ab ipsis resignantibus, aut alijs eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, aut intentio qualiscunque intercedat,* Additur etiam prohibitio ne collatores talium beneficiorum ea conferant suis, aut resignantium consanguineis, affinibus, aut familiaribus, quidquid autem contra attestatum fuerit, irritum decernitur, & inane, atque huic iuri nunc standum est, iuxta quod non licebit resignare beneficia in manibus inferiorum Papę, nec sub conditione suspensiua, nec sub modo, spe autem, aut intentione, vt conferantur alicui in suo mēte designato modo hęc spes, aut intentio exterius nōn exprimatur prohibitum non videtur.

An resignationes reciprocæ habeant locum coram Ordinarijs?

BRACTEA XLVIII.

Sciendum resignationes reciprocas vocari, quæ fiunt à duobus resignantibus in fauorem aliorum duorum ab ipsis nominatorum, vt si Petrus renunciet in fauorem nepotis Pauli, & Paulus renunciet in fauorem nepotis Petri, & ideò

R. Coram ordinarijs fieri non posse. Ratio est, quia licet videatur quædam permutatio non est tamen pura, sed mixta cum resignatione in fauorem tertij, ad quam approbandam non est Ordinarijs tradita potestas; quod etiam dicendum est de permutationibus triangularibus, quæ scilicet fiunt inter tres, vt si Petrus renunciet Canonicatum Paulo, & Paulus curatum Ioanni, & hic simplex Petro ex conuentione habita inter ipsos. Ratio est, quia licet ęquiualeant duabus permutationibus puris, tamen si fiant simul, & cum mixtione vnius cum altera, ob multas pactiones, quæ intercedunt prohibitę sunt fieri coram Ordinariis; sicut etiam non est licitum fingere permutationes, vt resignatio acceptetur, tanquam permutatio nam id apertè iniuriosum est, tum Ecclesię cōtra cuius Canones per apparentem permutationem vult quis reddere validam simplicem renunciationem in fauorem tertij factam; tum etiam Episcopo, qui turpiter decipitur, dum putat se acceptare renūciationem factam gratia permutationis; & reuera acceptat simplicem in fauorem tertij; vnde fit, vt talis renunciatio sit nulla, nec etiam valeat collatio consequens, quia licet ad eam Episcopus habeat sufficientem potestatem in eam tamen sufficienter non consentit ignorantia impediente, immò etiam si hęc abesset illa non valeret eo nimirum nomine, quod beneficium conferri non possit, nisi vacet, & in tali casu, cum renunciatio sit nulla non inducit vacationem.

An qui beneficium habuit litigiosum, & fecit in eo multas expensas posteà pacificè possidens, possit resignare cum pacto, vt prouisus soluat expensas?

BRACTEA XLIX.

R. Non posse resignare beneficium modo supradictō. Ratio est, quia tale pactum, est contra ius Diuinum, quia onus soluendi tales expensas non est annexum beneficio sed extrinsecum,

trinsecum, & accidentarium, & non exigitur, nisi quia datur beneficium, & ideò exigitur temporale pro spirituali, nec refert dicere, quod resignans tantum intendit se indemnem seruare aliàs gratis dat beneficium. Ratio est, quia illę expensę non fuerunt factę in gratiam beneficij, sed in gratiam, & in vtilitatem resignantis,& earum nullo modo fuit causa is, cui postea beneficium resignari intenditur, & ideò iniustè ab eo exigetur, quia nec causa earum fuit, nec debet ob affectionem quam habent cum ipsa resignatione, vt essent expensę ipsius resignationis.

An aliquis modus sit, quo licitè, & absque simonia dari, vel accipi possit temporale pro spirituali?

BRACTEA L.

Plures esse modos. Primus est, quando accipitur, vel datur in eleemosynam, & sustentationem debitam, vt quando damus pauperibus eleemosynam, vt pro nobis orent, & datur aliquid Concionatori, quo se sustentet, neque in eo propriè datur temporale pro spirituali. Secundus modus est, quando datur aliquid, vel accipitur in pęnam peccati, vt cum quis ita absoluitur ab aliqua censura, vt simul ei imponatur mulcta pecuniaria. Tertius casus est, quando datur, vel accipitur aliquid, prout spirituali annexum, siuè antecedenter, vt cum alicui Ecclesiæ legatur certa pecunia cum onere celebrandi aliquot Missas, vel consequenter, vt cum datur aliquod beneficium habens certa onera annexa. Quartus est, quando datur vel accipitur aliquid ad redimendam vexationem iniustam, de quo dictum iam fuit. Quintus est, quando datur, vel accipitur ob consuetudinem receptam, & approbatam. Sextus est, quando aliquid datur, vel accipitur ob gratitudinem exhibendam gratificatoribus, seu ob remunerationem, vt infra dicetur.

Sciendum pretium temporale, quod possit dari pro re spirituali diuidi in munus à manu, à lingua, & obsequio. Ratio est, quia nullum est pretium sufficiens ad simoniam, quod non possit reduci ad aliquod membrum eius, quia bona humana, & temporalia inter homines, vel sunt externa, & comprehenduntur sub pecunia, & manu, vel sunt humanæ actiones, quæ per membra corporis exercentur, & continentur sub obsequio, vel sunt fauores, intercessiones, &c. & reducuntur ad verba, & ad linguam.

Sciendum 2. consanguinitatem non esse speciem pretij distinctam, quæ simoniam efficiat. Ratio est, quia nec est simonia contra ius Diuinum, cum non detur temporale pro spirituali, nec contra ius humanum, quia nulla inuenitur talis prohibitio.

Sciendum 3. multa posse intelligi habere intētionem pretij ad simoniam sufficiēter comprehensam sub munere à manu. Primò quidem est ipsa pecunia, hęc enim habet semper rationem pretij, & quæcunque illius quantitas sufficit, semper enim magna est irreuerentia, res enim spiritualis venalis efficitur. Secundò, quęuis res temporalis pretio æstimabilis comprehenditur, siuè sint mobilia inanimata, siuè se mouentia, siuè mobilia corporalia, siuè incorporalia iura. *Cap. Totum 1. quęst. 1. cap. Et si quęst. cap. Tua nos de simonia*. Tertiò, debitum remissum, aut ex promissione remittendum eodem modo comprehenditur sub munere à manu, datur enim res spiritualis sub oneroso contractu. *Cap. Veniens, cap. penult. de simonia*. Quartò, mutuatio pecuniæ pro accipiendo beneficio, vel alia re spirituali, vel collatio beneficij sub conditione pecuniæ mutuandæ. Nauarrus *cap. 23. num. 101.* Lessius *cap. 20. dub. 9.* Ratio, quia omnis pactio prohibita est iure Ecclesiastico. Quinto, pensio quam sibi, vel cōsanguineo reseruaret is, qui dat beneficium, est enim res pecunia æstimabilis, vel promissio soluendæ certę pecunię. Sextò, omne donum, quod iure positiuo prohibitum est dari pro re spirituali comprehēditur sub munere à manu, modò consistat in iure aliquo habente emolumentum temporale, etiamsi sit spirituale habens annexum temporale, vt si detur beneficiū pro beneficio, dicitur enim munus temporale æstimatione iuris.

Sciendum 4. per munus à lingua intelligi preces, vel alias supplicationes, & intercessiones postulatas à collatore rei spiritualis in suā vtilitatem, vel suorum consanguineorum, vel amicorum, sic enim habent rationem rei temporalis pretio æstimabilis, & consequenter rationem pretij distinctam à munere, à manu, vel obsequio, preces verò quibus postulatur à Pręlato, vt conferat sibi, vel alteri beneficium seclusio pacto, vel alia promissione non inducunt simoniam. Ratio est, quia dare beneficium per preces non est simonia contrà ius Diuinum, eo quod nō detur spirituale pro temporali, nec contra ius humanum, quia nullibi reperitur, quod ius humanum prohibeat dari beneficia, vel alias res spirituales ad preces aliorum, sicut, nec est simonia precibus inducere potentem ad impetrandum beneficium pro se, vel pro altero, dummodo non inducatur pecunia ad exhibendas preces pro beneficio, quia tunc pecunia esset causa moralis adeptionis beneficij, & sic simonia, quamuis collator id ignoraret.

An datio beneficij ob timorem sit simonia?

BRACTEA LI.

Dationem beneficij ex metu imminentis mali non esse simoniam. Ita Angelus *verbo simonia 3. num. 38.* Ratio, quia nec est contra ius diuinum, quia operari ex metu non est operari pro pretio; nec contra ius humanum, quia nullum ius est, quod ponat metum intra pretia simoniæ.

Sciendum dare beneficium inimico ne officiat aliquando esse simoniam, & aliquando non. Primò si absque pacto detur ea intentione, vt cesset à malè faciendo, & beneuolus reddatur nulla est simonia, non conuentionalis si fiat sola intentione interna, nec mentalis, cum non adsit intentio de recipiendo pretio, sed de concilianda amicitia illo medio; si verò intentio verbis proferatur, & incipiat à malefacere, qui comminetur, v. g. mortem, nisi beneficio alter renunciauerit, tunc si comminatio iustè fiat, euasio mali non intenditur, vt pretium,

tium, sed vt effectus consequens ex actu spirituali tanquam ex necessaria conditione si fiat iniustè, quia incutitur metus ad extorquendũ munus spirituale, tunc alter moraliter non tã donat, quam permittit ab alio surripi, nec ipse censetur aliquid recipere, quia non est bonum æstimabile pretio, quod confert his hoc ipso, quo cessat iniuriam inferre, si verò exprimatur intentio ab eo, qui patitur metum, offerendo aliquid spirituale, vt cesset, tunc si malum iniustè inferatur, & non intercedat pactũ dandi vnum pro alio non est simonia, sed redemptio vexationis temporalis per medium spirituale, quæ fit dando gratis rem spiritualem, vel promittendo, vt alter amicabiliter inducatur ad cessandum à vexatione. Si pactum faciat cum alio, obligando illum in futurum, & ex vi pacti ad non conferendum damnum, & ipse ad beneficium propter hoc conferendum, tunc erit simonia etiam de iure diuino, quia obligatio illa ex vi pacti ad non inferendum malum est pretio æstimabilis.

Quid intelligatur per munus ab obsequio?

BRACTEA LII.

SCiendum obsequium duplex esse, temporale, & est actio hominis ordinata ad commoditates corporis, vel animæ spectatæ in sua naturali perfectione, spirituale, & est functio spiritualis quæcũque. Et primum est pretio æstimabile, & sufficiens ad simoniam: Secundnm non est pretio æstimabile, & ideò non sufficiens ad simoniam.

Sciendum 2. beneficium dupliciter posse dari ob obsequia, vno modo propter obsequia præcedentia, alio modo propter subsequentia. Quo posito:

R. Si beneficium detur in compensationem exhibiti obsequij, & solutionem debiti ex iustitia simoniam esse. Ita habetur *ex cap. cum essent de simon.* & ratio est, quia tale obsequium pretij rationem habet, vtpotè pecunia æstimabile, & pro mercede exhiberi solitum; si verò ex seruitijs moueatur Episcopus ad dandum gratis beneficium non est simonia, quia tunc obsequia non habent rationem pretij, sed tantum conciliant beneuolentiam, ex qua deinde oritur collatio beneficij gratuita. Si verò beneficiũ detur cum onere exhibendi obsequium temporale non adnexum beneficio simonia erit: secus si detur cum spe sola habendi illum beneuolum, & ex beneuolentia etiam obsequium temporale. Ratio, quia sola spes absque pacto non facit simoniam mentalem; si verò beneficium habeat adnexum aliquod obsequium temporale, non erit simonia illud dare cum onere illius. Ratio est, quia redditus beneficij non solum possunt dari ad ministeria spiritualia, sed etiam ad temporalia.

Sciendum 3. quod si obsequium non sit temporale, sed spirituale iam exhibitum non inducit simoniam, nisi vel resoluatur in temporale, vel pactum præcesserit ab Ecclesia prohibitum, pro spirituali beneficio obligari ex pacto ad obsequium spirituale, quod beneficio coniunctum non est iure Ecclesiastico prohibitum est. Ratio, quia spiritualia absolutè conferenda sunt, non autem sub modo, aut sub obligatione personali. Gloss. *cap. tua nos de simon.* Abbas *cap. significat. de præb. num.* 7. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 103. vnde si patronus beneficij aliquem præsentet cum onere dicendi tot missas, ad quod beneficium non obligat, &c. simoniacus esset.

An licitum sit deducere in pactum antidoralem obligationem?

BRACTEA LIII.

R. Non licere cum promissione implendi illam, vel non dando rem temporalem, nisi cum conditione illam adimplendi. Ita S. Thomas *quæst.* 78. *art.* 2. Ratio, quia pactum inducens nouam obligationem positiuam ex voluntate contrahentium vltra naturalem est res pretio æstimabilis, at id illicitum, & simoniacum, & præsertim in materia beneficiorum Ecclesiasticorum, ergo, &c.

Sciendum post receptum temporale donum liberaliter, ex quo consurgit obligatio antidoralis, si detur spirituale, vel beneficium intentione explendi illam obligationem, vel verbis illam exprimendo non est simonia. Ita Nauar. *cap.* 23. *num.* 106. & alij. Ratio, quia sicut ex beneficio sequitur antidoralis obligatio, ita per donum datum ex intentione extinguitur; quãuis ergo hic effectus, & intentio exprimatur, non additur aliquid, quod de iure non insit, & nil petitur æstimabile pretio, consequenter nihil est, quod inducere possit simoniam.

An licitum sit deducere in pactum stipendium sustentationis pro spirituali functione?

BRACTEA LIV.

SCiendum conuentionem rei temporalis pro spirituali tanquam pro pretio illicitam esse, quia contra ius diuinum, & humanum; si verò fiat conuentio de re temporali danda tãquam stipendio pro re spirituali, dubitatio est, an sit licita, & quidem ministrantibus spiritualia licitè dari stipendium sustentationis, & accipi, cum dignus sit operarius mercede sua, quod tamen non obstat quòminus spiritualia gratis ministrentur, cũ detur pretium ratione sustentationis personæ, & non alia ratione: sed dubium est, an tale stipendium possit deduci in pactum, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. quem sequuntur plures Theologi, & Canonistæ negant posse deduci in pactũ. Secunda sententia distinguit de Ministro paupere, & diuite, de paupere cõcedit, sed de diuite negat, de paupere concedit posse deduci in pactũ, tam respectu pauperis, quam respectu diuitis, dummodo recta intentione deducatur. His positis.

R. Pactum de exigendo stipendio ratione sustentationis non esse illicitum, est communis sententia Gloss. *cap. significat. de præb.* Abbas *ibi nu.* 8. Sotus *quæst.* 6. *art.* 2. Nauar. *cap.* 23. *num.* 106. Ratio, quia non est contra ius diuinum, cum non interueniat ratio pretij; non obstante enim pacto, stipendium retinet naturam suam, nec ex vi pacti additur aliquid, quod non insit ex natura rei, nam stipendium sustentationis debitum est ex iustitia, pactum autem ad summũ

determinat quantitatem, quæ cum ex natura rei determinata non sit, nec lege taxata, vt supponitur nihil prohibet, quò minus fieri possit, nec contra ius humanum, cum nulla prohibita extet in genere; aut in specie consuetudine cõtrarium interpretante, & iure, quia tale pactum non repugnat cum gratuita spiritualium administratione, nec est de re quæ iure non insit. Quod intelligendum, tam si agatur de Ministro paupere, quam de diuite.

An transactio ad comparandam litem habeat locum in spiritualibus absque simonia?

BRACTEA LV.

Sciendum transactionem esse pactionem non patuitam sub incerta lite constitutam: vnde ad eam tria requiruntur. Primum, vt res super quam fit transactio sit incerta, & saltem probabili existimatione vtriusque partis dubia. Secundum, vt conuentio sit cum aliquo onere vtriusque partis. Tertium, vt sit in ordine ad dirimendam litem, siue iam intentatam siue intentandam. Secundò certum est in materia spirituali posse litem esse, vt circa beneficia, circa iurisdictionem, &c. & per voluntariam compositionem partium finiri sępè potest. Tertiò compositionis fundamentum esse ius circa rem aliquam spiritualem in certum, & dubium. Quartò, tribus modis institui posse compositionem de re spirituali: Primò altero ex litigantibus cedente gratis, & liberè totum ius in gratiam alterius: Secundò diuisione facta rei, vel iuris inter litigantes iuxta prudens arbitrium eius, qui componit: Tertiò re tota vni applicata, & alteri facta recompensatione ex bonis illius, circa primum modum cõstat inter omnes non interuenire simoniam, quia non fit pactio onerosa, sed donatio gratuita, & dici solet amicabilis compositio. *Cap. super eo de transact.* De alijs duobus modis dubitatio est, in quibus interuenit transactio, & pactio onerosa: duo autem distinguenda, primũ materia, quæ debet esse aliquo modo spiritualis, vel merè, vel itaut annexum habeat aliquid temporale sicuti est beneficium, vel itaut sit annexum rei spirituali, & retineat adnexionem factam, vt sunt decimæ, vel Commendæ, quæ à Laicis possidentur. Secundum res, quę datur in compensationem, vel potest esse aliquid spirituale eiusdem rationis, vel aliquid adnexum spirituali, vel aliquid merè temporale. Quo posito.

R. Transactionem in qua ius spirituale remittitur pro temporali simoniacam esse. Ita Canonistæ *in cap. super eo de transact.* & habetur expresse *in cap. cum quidem de pactis*, & Summistæ *verbo transactio*. Ratio est, quia qui remittit ius eo modo vendit ius spirituale, & qui illud retinet dato temporali emit illud spirituale, & per consequens committit simoniam.

R. 2. Transactionem in materia non beneficiali cum compensatur per largitionem iuris spiritualis proportionati fieri posse de consensu partium absque alia auctoritate Prælati. Ratio est, quia id non est simonia contrà ius diuinum, cum non detur temporale pro spirituali, sed tantum permutantur spiritualia inter se, nec contra ius humanum, quia extra beneficia transactio non est prohibita iure Ecclesiastico: vnde si inter Episcopos oriatur controuersia de iurisdictione circa aliquam Ecclesiam possunt transigere modo dicto. Secundò si lis esset de rebus sacris, vel de reliquijs possunt litigantes eas diuidere inter se, vel si non expediret diuidere compensare largitione alterius, & sic de cæteris.

R. 3. Transactionem in materia beneficiali non esse licitam si fiat propria auctoritate, si verò fiat auctoritate Prælati non erit simoniaca. Prima pars patet, quia licet non sit simonia cõtra ius Diuinum, vt si permutetur beneficium cum beneficio, & spirituale detur pro spirituali, & temporale pro temporali, tamen erit simonia contra ius humanum, quia talis permutatio prohibita est facta absq; auctoritate Prælati, vt patet *ex cap. constitutus de Religios. domib.* Quod verò possit fieri auctoritate Prælati patet etiam, & ratio est, quia permutatio beneficiorum ex causa honesta fieri potest in manibus Episcopi, transactionis autem causa satis honesta est, & æquiualet permutationi.

Sciendum 2. Dubium esse, an Episcopus in tali casu transactionis possit statuere, vt vnus retineat beneficium, & alteri soluat pensionem. Respondeo ex mero suo arbitrio, & voluntate posse id statuere ad vitam beneficiati, *ex cap. nisi de preb.* Gigas *de pens. quest. 6. num. 3. & 4.* itaut beneficio adhæreat ad vitam pensionarij, idque propter bonum pacis, *ex cap. nisi de preb.* quod bonum pacis non solum est spirituale quodã, verum etiam temporale bonum, vtpotè vtile, ideoque pecunia compensabile.

De obligatione restituendi propter acceptionem simoniacam?

BRACTEA LVI.

R. Qui simoniacè vendit, ac tradit rem spiritualem, in qua nullum temporale ius, vel commodum habet acceptum pretium naturali, ac diuino iure restituere debet danti, nisi is spontè remittat, ac condonet, post autẽ simoniam completam. Ita Adrian. *quodlib. 9. art. 3.* Henriquez *quodlib. 6. qu. 26.* Bannes *2. 2. q. 32. art. 7.* & alii. Ratio est, quia accipiens pretium temporale pro re spirituali alteri communicata lædit iustitiam commutatiuam, ergo debet parti læsæ restitutionem facere; quod tamen intelligendum est de simonia conuentionali, quia in simonia reali, & completa restitutio non danti facienda est, sed Ecclesiæ, & pauperibus. Ratio est, quia tradens ob turpitudinem actus censetur amisisse dominium supra pecuniam illam, quam dedit pro re spirituali, & ideo indignus effectus, vt illi fiat restitutio; ergo non illi facienda est, sed Ecclesiæ, & pauperibus. Et ita Caiet. *verbo simon.* & *2. 2. quest. 190. art. 6.* Couar. *reg. peccat. part. 2. §. 2. num. 7.* Siluester *verbo simonia quest. 20.* Nauarrus *cap. 23. num. 103. q. 20.* Philiarcus *tom. 2. lib. 6. cap. 26.* Nauarr. *dub. 31.* & alij plures, qui simoniacè accepta omnes docent post præstitam rem spiritualem non danti, sed Ecclesiæ, vel pauperibus restituenda esse.

Sciendum quod qui aliquid temporale pro sacrifi-

sacrificio, sacramenti ministratione, consecratione, benedictione, vel simili functione merè spirituali accepit tanquam pretium spiritualitatis is tenetur restituere, nisi alter sponte, ac liberè condonet; verum si aliquid accipiat tanquam stipendium vitæ, quod omni laboranti in gratiam alterius debitum est ex iustitia, non tenetur ad restitutionem, cum id non accipiat simpliciter pro re spirituali, seu pro causis, de quibus suprà dictum est, sed ad sustentationem propriæ vitæ.

Sciendum 3. quod qui simoniacè vendit rem spiritualem, in qua aliquod temporale ius, siuè commodum habet, is pretium spectato iure naturali retinere potest si neque à iure, neque à Iudice Ecclesiastico condemnetur. Ita Lessius *cap.25.dub.28.* Suarez *c p.59.num.35.* & alij. Ratio est, quia licet venditio huiusmodi rei spiritualis habentis annexum commodum temporale simoniaca sit, tamen non est iniusta si temporalis commoditas, quæ in alterius gratiam dimittitur iusto pretio compensetur: vnde Monasterium, quod aliquid accepit pro admissione alicuius ad Religionem non tenetur ad restitutionem; sicut colligitur *ex cap.vlt. de simon.* Ratio est, quia susceptio ad Religionem habet adnexum onus sustentandi personam, quod pretio æstimabile est. Similiter, qui iuspatronatus vendit datum sibi pretium retinere potest, nam licet iuspatronatus simpliciter spirituale sit; eiusque proinde venditio simoniaca, non tamen iniusta si attendatur ad temporalem commoditatem, v.g. honorem humanum, qui secundum se pretio quodammodo pretio æstimari potest, quamuis irreligiosè, eo quod in iure spirituali fundatus sit. Ita Suarez *loco cit.num.42.*

De Personis, quæ possunt committere simoniam?

BRACTEA LVII.

R. Primo Papam posse committere simoniam contra ius Diuinum, nimirum vendendo rem spiritualem pro temporali. Ratio est, quia talis venditio est intrinsecè mala contra ius diuinum: Papa autem subijcitur iuri Diuino.

Sciendum, quod & si Papa possit committere simoniam contra ius Diuinum, non tamen incidere in pęnas contra simoniacos. Et ita communiter omnes. Ratio est, quia omnes pęnæ contra simoniacos sunt de iure positiuo, Papa autem non ligatur legibus iuris positiui.

R. 2. Omnes inferiores Papa, vt sunt Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi. &c. possunt committere simoniam contra ius Diuinũ, & humanum. Ratio est, quia possunt spiritualia pro temporalibus dare, ergo, &c.

R. 3. Omnes Clericos à prima tonsura vsque ad Sacerdotium posse esse simoniacos, ministrando spiritualia pro temporalibus, Clerici autem Primę tonsurę; & si quoad actus Ordinis delinquere eo modo non possint, at quoad actus iurisdictionis bene possunt, ideòq; rectè õnes Clerici etiã Primę tõsurę peccare possũt ministrãdo spiritualia pro temporalibus, quod etiam dicendum est de Religiosis si dent spirituale pro temporali, vt si pro pretio Religiosum recipiant, conferant habitum, vel professionem, quæ res spiritualis est. Secundò si contra dent spirituale pro temporali simoniaci etiam erunt, vt si munus aliquod, vel promissionem eius dent alteri, vt Religiosus fiat.

R. 4. Laicos adultos omnes posse simoniam committere, vel dando spiritualia, quę possunt, vel recipiendo pro pretio.

De pœnis, quæ incurruntur per simoniam?

BRACTEA LVIII.

R. Simoniacum primum peccare mortaliter nisi in casibus, vt supra dictum est, quod etiam habet locum in simonia ficta, quæ tunc contingit, cum exterius rei temporalis pro spirituali, vel spiritualis pro temporali fit promissio sine intentione obligandi se ipsum, vel implendi promissum. Et ita Suarez *cap.42.* Secunda pęna est obligatio restituendi, quæ quo modo per simoniam incurratur dictum est supra, Tertia pęna est suspensio, quæ incurritur ipso facto in vno casu, nimirum quando quis suscipit ordinẽ simoniacè dato pretio pro collatione; talis enim quantũuis occultus suspẽditur ab ordine, idest sacros ordines siue suscipere, siuè susceptos exercere ex Extrauag. 2. *de simon. & cap. si quis Episcopus, & cap. statuimus quæst.1. & cap. tanta de simon.* Quarta pęna est excõmunicatio, quę incurritur in tribus casus. Primus est, quãdo datur, vel accipitur aliquid pro ingressu Religionis, tunc enim tam dantes, quam recipientes eo ipso incurrunt in excommunicationem Summo Pontifici reseruatam, per 1. Extrauag. *commun. de simon.* Quod tamen non habet locum in Monialiũ dote, quę eis in ingressu Religionis datur ex declaratione Martini Quinti prout refert Siluester *in verbo simon. quæst. 15.* & Nauar. *cap.27. num.106.* nec etiam quando ingressurus aliquid offert sua sponte, quia donatio liberalis non habet rationem venditionis requisitæ ad simoniam, aut tam modicum est illud, quod dat, vt meritò reputetur ꝑ nihilo. Secundus casus est, ex Extrauag. 2. communi quando simonia committitur in ordine, siuè maiori, siuè minori, dummodo sit ante ordinationem datum, nam qui absque simonia ordinem suscepit, etiamsi postea det aliquid nõ incurrit propositam censuram, cum non posset dici ordinem simoniacè dato pretio suscepisse. Tertius casus est, quando committitur in beneficio Ecclesiastico, nam per Extrauag. 2. communem de simonia, omnis simoniacus realis in ordine, vel beneficio tam occultus, quam notorius, itemque is, qui mediator extiterit, vel procurauerit, vt simonia realis in ordine, vel beneficio fiat, est ipso iure excommunicatus, à qua excommunicatione nullus, nisi Papa absoluere potest, præter quam in articulo mortis. Quinta pęna habetur ex eadem 2. Extrauag. communis de simonia, & ex alia, quam Pius Quintus edidit contrà blasphæmos, & simoniacos, quod omnis præsentatio, nominatio, electio, promissio, & quæuis alia dispositio & actio iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinata ad conferendum beneficium, vel officium Ecclesiasticum per simoniam realem etiam occultam facta viribus omninò careat, atq; nullum effectum sortiatur tanquam inualida, ita vt quæsitum per illam relinqui statim debeat

etiam ante Iudicis Sententiam, & fructus inde præceptos, aut qui à verò possessore percipiendi erant, esse reddendo, excepto, quod per ignorantiam à peccato excusatus non teneatur ad restitutionem eorum, quæ bona fide cõsumpsit. Sexta pena est inhabilitas, nam iuxta *Caput Quicunque quest.5.* is, qui per simoniam beneficium acquisierit censendus est ad illud inhabilis, ita vt egeat dispensatione ad illud habendum *ex cap. penult. de elect.*

Sciendũ, quod cõmittens simoniã in ordine, vel beneficio non priuatur ipso iure beneficijs ante obtentis, sed tantum per sententiam à Iudice faciendam. Et ita communiter Theologi, & Iuristę; & primò quidem non priuari simoniacum ipso facto beneficijs obtentis, itaut ipse obligetur in se ipso illum exequi ante sentẽtiam declaratoriam criminis, nam pęna, quæ priuat possessione bonorum acquisitorum non solet per legem ferri cum tanto rigore, & quamuis hæc comparetur cum pęna hæresis, neque etiam hæresis punitur priuatione bonorum antea possessorum ante sententiam declaratoriam criminis. Secundò, nec etiam priuare beneficijs possessis per legem aliquam quæ lata sit generaliter, ita vt post sententiam declaratoriam criminis incurratur ea pęna ipso facto etiam patet, quia excepta simonia confidentali, & simonia commissa ab examinatoribus in examine ex Tridentino *sess 24. cap.18.* non reperitur talis priuatio ipso facto incurrenda lata generaliter contra simoniacos; neque in Extrauag. 2. *de simonia*, quatenus renouat pęnas simoniæ in antiquis decretis, & disponit, vt ipso facto incurratur, colligitur contrarium, tum quia opportuisset id specialiter declarari sicut declarauit de beneficijs simoniacè acquisitis; tum quia non debet intelligi cum tanto rigore ex vsu communi, qui sic eam interprætatus est, & sic tenet Nauar. *cons.92. de simon.* & Hugolin. *tab.4 cap.6.§.6.num.3.*

Sciendum 2. simoniacum in beneficio fieri inhabilem ad obtinenda alia beneficia; & primò non posse retinere illud, quod per simoniã obtinuit, nisi prius dispensetur in inhabilitate. Ita *cap. penul. de elect.* Secundò de alijs beneficijs constat ex Bulla Pij Quinti, expresse enim de acquirente dignitates, & beneficia simoniacè addit *Illis sit ipso iure priuatus, & perpetuò sit inhabilis ad eas & quęcunque alia beneficia Ecclesiastica.* An ad incurrendam talem priuationem ipso iure requiratur saltem sententia declaratoria criminis. Respondet Nauar. *cons.92. de simon.* requiri, vbi ipse addit non esse vsu receptam illam pœnam alio modo. in contrarium est tamen vsus sacræ pęnitentiariæ, quæ formula absolutionis à simonia etiam addit dispensationem ad alia beneficia in posterum obtinenda, atque adeò supponit alias fore ad illa inhabilem ob delictum commissum simoniæ in beneficio; quod tenendum est.



An pretium acceptum pro simonia iure Ecclesiastico sit restituendum ante sententiam Iudicis, & cui?

BRACTEA LIX.

Sciendum hanc quæstionem habere tantum locum in simonia Ordinis, beneficij, & ingressus in Religionem, in his enim solis materijs iure Ecclesiastico est obligatio reddendi pretium per modum pęnæ, quia quando est obligatio ex iure naturali restitutio facienda est ante omnem sententiam. Ratio est, quia iustitia obligat ad restitutionem iure naturæ ante sententiam Iudicis, & iure naturali facienda est restitutio ei, qui dedit. Ratio est, quia ei qui dedit facta est iniuria, & inæqualitas, pauperes autem nullum ius habent ad illud pretium, nisi supposita lege positiua priuante in pęnam simonię eum qui dedit, & applicante pauperibus. Quo posito.

R. Pretium acceptum pro venditione beneficij, seu actionis ad id ordinatæ, vt electionis, præsentationis, &c. restituendum est ante sententiam, & in foro conscientiæ. Ita S Thom. *quest.100. art.6.* Siuest. *verbo simon. quest.20.* Nauar. *cap.17. num.32.* & alij. Ratio est, quia taliter acceptum in foro conscientiæ non potest retineri sine graui periculo salutis animæ; ergo in foro conscientiæ ante sententiam Iudicis est restituendum.

R. 2. Pretium eiusmodi restituendum esse Ecclesię beneficij in cuius iniuriam simonia commissa est. Ita S.Thom. *quest.62. art.5.* Caiet. *verbo simon.* Nauar. *cap 17. num.36.* & alij. Ratio est, quia dans pretium in ordine ad emendum beneficium amisit dominium illius: primò ob turpitudinem actus, tum etiam, quia dans pretium ex vi contractus debuit habere voluntatẽ illam à se abdicandi, & transferendi in alium secuta receptione beneficij, iure autem Ecclesiastico impeditur translatio in eum qui dat beneficium, non tamen impediuit abdicationem pretij in dantes, sed potius acceptauit in pęnã eius, & attribuit Ecclesiæ iniuriam passæ, licet aliqui dicant ex consuetudine posse restitui pauperibus illius Ecclesiæ, licet regulariter soleat curari compositio cum sancta pęnitentiaria, quando delictum est occultum, vbi autem est publicum Prælatis Ecclesiæ solet dari, vt distribuant in pios vsus, nisi compositio fiat cum dataria Romani Pontificis.

R. 3. Pretium receptum in simonia commissa in ingressu Religionis non est restituendum ante sententiam. Ratio, quia in iure non est expressum, & iure naturæ non est obligatio; pretium verò acceptum in alijs materijs vltra dictas etiamsi sit in ordine, non est restituendũ in conscientia ex iure Ecclesiastico ante sententiam, quia nullo iure id exprimitur: iure verò naturali obligatur ipsum restituere ante sententiam.



An

An pro simonia mentali, & conuentionali incurratur pœna?

BRACTEA LX.

R. Ex simonia mentali nullam incurri pęnam, dummodo sit purè mentalis, & nullo opere externo subsecuto. Ratio est, quia censurę non ponuntur pro actibus merè internis, sed solummodo pro externis. Secundò pro simonia merè conuentionali, idest pura absque reali adiuncta, non incurri de facto pęnas latas contra simoniacos, sed solummodo secuto effectu. Ratio est, quia Iura loquuntur solummodo de simonia reali non autem de conuentionali; vt patet in Extrauag. 2. *de simonia* vbi dicitur *qui simoniacè ordinati fuerint*, & infrà *quomodolibet dando, vel recipiendo simoniam commiserint*. Tertiò non sufficere vltrà conuentionem pretium esse datum pro re spirituali non accepta ipsa re spirituali. Ratio est, quia id non excedit simoniam conuentionalem, realis enim nondũ est, cum res spiritualis nondum data fuerit, sed solum conuentionalis, & per conuentionalem non incurruntur pęnæ, ergo, &c.

An simonia inducat obligationem restituendi iure naturali, Diuino, vel Canonico?

BRACTEA LXI.

Prima sententia est Adriani, *quodlib.9. art.3.* quæ affirmatiua est. Secunda sententia est negatiua Couaruuiæ *regul. peccat. part.2.* §.7. Nauarri *in manuali cap.23. num.103.* Lessij *lib.2. cap.35. dub.29.* Suarez *cap.59. num.28.* & aliorum ferè cõmuniter negantium rem spiritualem simoniacè acceptam obnoxiam esse restitutioni iure naturali, vel etiam Ecclesiastico ante sententiam Iudicis; exceptis beneficijs, ideò.

R. Quod res spiritualis simoniacè accepta non est obnoxia restitutioni iure naturali. Ratio est, tum quia collatio rei spiritualis valida est, cũ adsint omnia requisita ad validam collationem: adest enim capacitas in recipiente, & potestas, ac voluntas in conferrente; quod autẽ validè acceptum est, non est obnoxium restitutioni, nisi obstet alia circunstantia, tum quia turpiter acceptum cõtra virtutes, excepta iustitia retineri potest, nisi inducat ad aliquod peccatum perpetrandum; ergo etiam retineri potest res spiritualis simoniacè accepta; tum quia Religiosus simoniacè professus persistere potest in eo statu Religioso, donec per Iudicis sententiam expellatur, & in aliud Monasterium conijciatur; ergo, &c. Tum quia recipiens pretium pro re spirituali, ideò tenetur pretiũ restituere tradenti, quia illi fecit iniuriam, sed recipiens spirituale pro re temporali non facit iniuriam tradenti, cum tradens voluntariè tradat, sibiq; imputare debeat, quod pretium pro re spirituali traditum restituere teneatur. Ita plures apud Bonacinam *de simonia disput. 1. pun.3. 2. difficult. num.1.* Quod si dicatur qui pretium accepit pro re spirituali tenetur illud restituere; ergo etiam qui accepit rem spiritualem pro re temporali illam restituere tenetur; tum quia par ratio est, tum quia rectæ rationi aduersatur, vt recipiens pretium teneatur illud restituere tradenti, recipiens verò spirituale non teneatur illud restituere, alioquin commodum reportaret ex suo delicto, commodum enim reportaret recuperando pretium, simulque retinendo rem spiritualem, quod non videtur admittendum; sed respondeo negando consequentiam: ratio disparitatis est, quia in acceptione pretij facta est iniuria tradenti pretium, quod ab ipso exigi nõ poterat pro re spirituali; in acceptione verò rei spiritualis non est facta iniuria tradenti rem spiritualem, licet peccatum contigerit in modo acceptionis, cum deberet rem illam sine pretio accipere: defectus autem in modo non vitiat substantiam actionis, neque inconueniens est, vt rem spirituale retineat recuperato pretio, quia pretium ei debitum est ex iustitia, & res spiritualis tunc incipit haberi gratis contra pręceptum, & voluntatem Christi, qui est supremus rerum spiritualium dominus, & vult illas gratis conferri, & haberi, consequenter retinens rem spiritualem non dicitur commodum directè reportare ex suo delicto, seu ex voluntate Supremi Domini, donec delinquens, re spirituali priuetur per sententiam in pęnam perpetrati delicti. Quod si secundo dicatur contractus, quo res spiritualis accepta fuit pro pretio non est validus; vtpotè factus, tam contra præceptum Christi *Gratis accepistis gratis date*, quã contra legem Ecclesię irritantem contractum, & acquisitionem, *Cap. ex quę primò quęst.3. cap. vlt. de rerum permut. cap. vlt. de pactis*, & alibi; ergo retineri non potest cum non adsit titulus ob quẽ retineri possit. Respondet primò Suarez contractum non esse validum, quoad exactionem, & solutionem pretij, aut in ratione emptionis, & venditionis, cum materia contractus emptionis, & venditionis sit pretio æstimabilis, esse tamen validum in ratione dationis, & acceptionis, seu quoad id quod debuit gratis donari, non tamen hinc sequitur, rem spiritualem retineri non posse: tum quia contractus tenet in ratione dationis, tum quia multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent, tum quia retinens rem spiritualem nulli facit iniuriam, sicuti faceret retinendo pretium pro re spirituali acceptum. Quod si etiam dicatur datum ob causam retineri non posse causa non subsequuta *leg.1. de credito ob causam, & cap. si necesse de donat. inter virum, & vxorem*: sed qui dedit rem spiritualem hac de causa, & intentione dedit, vt fieret dominus pecuniæ; cum ergo hæc causa effectum suum non habeat, sequitur neque dationem rei spiritualis effectum habere consequenter illam retineri non posse? Respondeo primò datum ob causam retineri nõ posse causa non subsequuta, quando causa traditionis erat iusta, vel honesta; si verò iniusta erat, vel inhonesta retineri potest, quia huiusmodi cõditio reijcitur, & habetur pro non adiecta: Secundò tradentem rem spiritualem pro pretio non habere intentionem conditionalem, sed absolutam, vt patet in eo, qui ordines, vel alia sacramenta simoniacè confert, alioquin sequeretur collationem ordinum simoniacam inualidam esse quoad substantiam, quod falsum est. Respondet Lessius *dub.30. num.168.* hinc solum colligi, rem spiritualem repetendam esse, si repetatur, vt pretium restituatur: vtrum hęc responsio

responsio non placet, quia hoc est, quod quæritur, vtrum is, qui pretium soluit pro re spirituali ius habeat illam repetendi priuata auctoritate, & vtrum simoniacè recipiens rem spiritualem teneatur illam restituere ante Iudicis sententiam.

R. 2 Quod res spiritualis simoniacè accepta non est obnoxia restitutioni iure Canonico ante sententiam Iudicis exceptis beneficijs, Ratio est, quia non potest afferri textus, in quo hæc pęna ipso facto imponatur. Dixi *exceptis beneficijs*, vt indicarem beneficia retineri non posse, & ante Iudicis sententiā restituenda esse; vt patet tum ex *cap. si quis neque* 1. *quæst.* vbi habetur, eum periturum in æternum, qui adeptum simoniacè Episcopatum sponte in vita sua non dimiserit; tum ex 2. Extrauag. *Cum detestabile de simonia*, vbi dicitur per electiones, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri, & quę viribus omninò careant in Ecclesijs, Monasterijs, dignitatibus, personalibus, officijs Ecclesiasticis, & quibusuis beneficijs, aut aliquo eorum cuiquam ius nullatenus acquiratur. Idem sentiendum putat Lessius de pensione spirituali simoniacè accepta, quia videtur eadem ratio pensionis, & beneficij præsertim vbi Bulla Pij Quinti vsu recepta fuit. Alij tamen contrarium sentiunt asserentes in Extrauaganti citata sermonem tantummodo esse de beneficijs, quorum nomine non venit pensio præsertim in materia pęnali.

An fructus percepti ex beneficio simoniacè acquisito restituendi sint ante Iudicis sententiam?

BRACTEA LXII.

R. Restituendos esse ante Iudicis sententiam. Ratio est, tum quia nullo iusto titulo retineri possunt, cum adeptio, seu prouisio beneficij simoniaca irrita sit ipso facto; tum quia sic habetur in Extrauag, *Cum detestabile de simonia*, vbi simoniacus in beneficio non solum inhabilis redditur ad beneficium, verum etiam ad fructus his verbis *Cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos sed ad illorum omnium, quę percepit restitutionem sub animę suę periculo sit adstrictus*.

Sciendum dubiū esse cui sint restituendi fructus? Ad quod respondeo restituendos esse Cameræ Apostolicę, nisi compositio ab ipsa obtineatur, vbi spoliorum vsus viget, aut restituendos esse successori, vbi consuetudine receptum est, vt fructus beneficij vacantis ad successorem pertineant, aut restituendos esse in pios vsus, vel Ecclesiæ, hæc enim læsa fuit, ipsique fructus beneficij vacantis competere solent, vbi spoliorum vsus, vel contraria consuetudo non reperitur. Ita D. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 6 Nauarrus *lib.* 5. *cons.* 62. *de simonia*, Lessius *lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 31. Similiter dubiū esse, an mediatores simoniæ commissæ in beneficio, non solum teneantur ad restitutionem pretij accepti, verum etiam ad restitutionem fructuum, quos beneficiatus accepit, vel sua culpa non percepit? ad quod respondeo ipsos teneri, non solum ad restitutionem pretij, quod ipsi per simoniam perceperunt, verum etiam teneri in defectum beneficiati ad restitutionem fructuum perceptorum à beneficiato simoniaco, vel beneficiati culpa non perceptorum. Ratio, quia ipsi censentur causa, & cooperatores damni, cooperatores autem tenentur ad restitutionem in defectum causæ principalis. Ita Nauarr. *de datis, & promissis notab.* 22. Azorius *cap.* 24. *quæst.* 13. *lib.* 12. *part.* 3. & alij.

Quis possit in simonia dispensare?

BRACTEA LXIII.

R. Quod nullus homo dispensare potest in simonia iure naturali, vel Diuino inducta. Ratio est, qa positū nō est in potestate hominis legem naturalem, vel Diuinam tollere; ergo nullus homo potest aliquem per dispensationem eximere à culpa simoniæ contra ius naturale Diuinum: in simonia autem contra ius Canonicum Papa dispensare potest eximendo aliquam à lege Ecclesiastica, per quam aliqua actio, tanquam simoniaca prohibita fuerat intuitu Religionis: quamobrem Papa efficere potest, vt venditio quorundam officiorum Ecclesiasticorum, vt Economi, Aduocati Ecclesiæ, & similium simoniaca non sit auferendo legem prohibentem huiusmodi venditionem, seu eximendo aliquem à præfata lege. Ita Valentia *tom.* 3. *disp.* 6. *quæst.* 16. *pun.* 6. & alij communiter. An autem Episcopi possint dispensare in simonia iure Canonico inducta, responsum est supra negatiuè; ratio, quia inferior non potest dispensare in lege superioris. Azorius *part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 22. & alij.

Sciendum nullam verborum formam necessariam esse ad dispensandum in simonia: Ratio est, quia nulla huiusmodi forma in iure præscripta fuit: An vero Pontifex possit dispensare solo interno consensu, & voluntate, aut delegatus deputatus ad dispensandum cum aliquo dispensare debeat cognita causa? Respondeo primò affirmatiuè: Ratio est, quia voluntas tacita tantum valet, quantum expræssa, in quibus nec forma certa, nec verba necessaria sunt: Secundò dispensationem concessam cum aliquo ad dispensandum cognita causa inualidam esse si fiat sine causæ cognitione. Secus dicendum est, si absolutè sit delegatus ad dispensandum.

An pactum expressum, vel tacitum do, vt facias opus spirituale sit licitum?

BRACTEA LXIV.

NEgatiuè respondet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 3. ibique Caietanus, Arragon. & plures alij apud Suarez *cap.* 16. *num.* 9. Sanchez *lib.* 2. *de matrim. disp.* 39. Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 12. & alios. Vnde

R. Pactum expressum, vel tacitum, vt quis faciat opus spirituale, vel de precepto, vel de concilio ad hoc, vt vitet peccata mortalia non est illicitum, dummodo pactum donationis sit absolutum, & qui accipit statim acquirat dominium rei donatæ, nec remaneat obligatus ad faciendum opus spirituale ex donatione

ne pacta expresso, vel tacito in temporalis; & ita mater aliquando dat munera filio, vt bona opera exequatur, & licet interdum dicat se dare cum tali conditione non est propriè conditio, sed modus, quo intentio explicatur: eodem modo licita est donatio ad inuitandum ad Religionem. Molina *tract.2. disp.93.* Suarez *loco cit. num.12.* Filliucius *de vitio simoniæ cap.4. n.15.* Secundò dare, vel promittere temporale sub pacto, vt alter obligatus maneat ad opus spirituale illicitum est, cum à iure prohibeatur. *Cap. quam pro cap. quæsitum de rerum permut. cap. vlt. de pactis.* Ratio, quia omnia pacta, & conuentiones in materia spirituali reprobata sunt. Tum etiam, quia res spiritualis, pro quo donum quis paciscitur est donum descendens à Patre luminum pro quo nihil potest accipi, licet possit pacisci stipendium pro ministratione rei spiritualis; & est communis sententia, Gloss. *in cap. significatum de præbendis,* Sotus *quæst.6. art.2.* Nauar. *cap.203. num.106.* Ratio est, quia tale pactum non est contra ius Diuinum, cum non interueniat ratio pretij. Tum etiam, quia stipendium sustentationis debitum est ex iustitia: Pactum autem determinat solum quantitatem, quæ ex natura rei determinata non est, nec lege taxata, vt supponitur, & per consequens nihil prohibet, quò minus fieri possit, nec contra ius humanum, cum nulla prohibitio extet in genere, aut in specie consuetudine contrarium interpretante, & iure, quia tale pactum non repugnat cum gratuita spiritualium administratione. Tertiò non posse aliquid pacisci pro labore intrinseco, & immediatè coniuncto cum re spirituali. Ratio est, quia labor operis non est dignus alia æstimatione, quam ipsum opus; ergo cum non possit pacisci aliquid pro re spirituali, cum non sit opus pretio æstimabile, nec etiam potest pacisci pro labore intrinsecè, & immediatè annexo: ob laborem accidentarium posse in pactum deduci pro eo aliquod, & etiam potest iustè accipi; Per laborem accidentarium non intelligi eum qui prouenit ex parte subiecti, & si per accidens cõiungatur cum opere, vt si Sacerdos propter infirmitatem, vel senectutem, nimirùm fatigetur dicendo Missam, vel ministrando Sacramentum, &c. sed intelligi qui ex alio opere nascitur, & per accidens coniungitur cum opere Sacramenti, vt si Sacerdos, vt sacrum faciat, vel ministret Sacramentum cogatur aliquid facere, &c. hic enim labor per accidens coniungitur cum opere sacramenti, & pro eo non modo potest pacisci, sed etiam iustè aliquid accipi. Ita Concionator pro labore accidentario potest aliquid pacisci pro concione, & accipere.

MALLEATIO LII.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum.

De bonis Ecclesiæ immobilibus?

BRACTEA I.

Sciendum, quod initio nascentis Ecclesiæ bona immobilia si qua Ecclesię erant oblata vendebantur, sicuti in actibus Apostolorum legimus, & Apostoli pecuniam singulis diuidebant, prout cuiquam opus erat; posteà verò ante tempora Vrbani Primi Summi Pontificis Ecclesia cœpit predia possidere, ex quibus primum cœperunt Clericis, & Notarijs sumptus deputari, qui gesta Martyrum diligenter conquæsita conscriberent; & ideò notandum quod huiusmodi bona sunt oblationes fidelium, qui facultates proprias Ecclesiæ tradiderunt pro Ministris ipsius Ecclesiæ sustentandis, & ad cultum Diuinum exercendum, & alimenta pauperibus eroganda, & propterea hæc ipsa bona Ecclesiæ dicuntur vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum, quorum paternam curam Prælati gerunt, qui Ecclesijs pręsunt: & ideò non tanquam propria, sed vt commendata ea tenere, eisque vti præcipiuntur. Secundò quod bona huiusmodi conseruanda sunt, aut recuperanda, non quidem per contentionem, neque propria auctoritate; sed per Iudicem pacificè exposcendo. Tertiò, quod & si conseruanda bona Ecclesię Canones constituerint, si quis tamen per tempora ab ipsis Canonibus definita rem Ecclesiasticam iusto titulo, & bona fide ita possiderit, vt nullo tempore rem alienam esse cognouerit possessionis tẽpore impleto res illa iuribus Ecclesię intelligitur auocata, & possessori acquiritur. *Cap. aures, cap. illud, cap. vigilanti, cap. si diligendi de prescriptione,* tempus autem huiusmodi possessionis, quamuis olim videretur esse triginta annorum ad quadraginta hodie extenditur. *Cap. quarta, cap. illud de prescript.* Couar. *in reg. possessoris pact.2. §.2. num.3* Moneta *de decimis quæst.9. num.154.* Molina *de iustit. tract.2. disp.72.* Lessius *lib. . cap.6. dub.8. num.251.* Quod intelligendum est tantum in rebus, quæ principaliter non in his quæ secundario pertinent ad Ecclesiam. Secundò tantummodo locum habere in his, quæ sunt Ecclesiæ, quoad verum, & proprium dominium, pro quibus competit rei vendicatio: Secus verò si sint illius, ratione quasi dominij, pro quibus Publicana conceditur, sufficit enim in his tempus ordinarium. Tertiò intellige obtinere tantum in rebus immobilibus, & in his quæ iuris censura tales intelligantur, in quibus cõtra priuatos requiritur præscriptio decem, vel plurium annorum; siquidem, & in his etiam requiritur quadragenaria contra Ecclesiam: vnde consequens est, quadragenariam pręscriptionem non requiri in rebus mobilibus, sed solummodo in immobilibus, nec procedere in Romana Ecclesia, contra quam rerum ipsius præscriptio admittitur non nisi per centum annos ex priuilegio Imperatorum, & Romanorum Pontificum. Quibus positis,

R. Bona Ecclesiasticorum, quæ immobilia sunt, vel mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, non posse alienari, præterquam ob iustam causam, & interueniente certa solemnitate. Ita habetur *in cap. Nulli de rebus Ecclesię alienandis ex Extrauaganti ambitios. eodem tit. & in autentica de non alienandis rebus Ecclesiæ.* Ad quod

Sciendum 2. Bona Ecclesiæ alia esse mobilia, alia immobilia: Bona mobilia dicuntur ea, quę loco moueri possunt, vt vestis, equus, pecunia, &c. Immobilia dicuntur ea, quæ loco moueri non possunt, vt domus, ager, &c.

Sciendum 3. alia esse bona pretiosa, alia non pretiosa:

pretiosa: rursus bona pretiosa alia seruando seruari posse, vt sunt vasa aurea, vel argentea, vel tapetes, &c. quę per triennium non corrumpuntur: item Grex ouium, armentorum, boum, præsepium equorum, &c. hęc enim sunt bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt, cum ipsa in se inuariata, vel in æquiualenti permanere possint, & soleant ad longum tempus adhibita cura, seu custodia: Secus de fructibus gregis, armenti, & similium: Hæc .n. non computantur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt; sicut neque computantur fructus agrorum, consequenter eo pacto alienari possunt, quo fructus agrorum. Ita Molina *disp.*464. Quaranta *verbo alienatio num.*25. & alij. Alia sunt bona, quæ seruando seruari non possunt, vt sunt fructus, oleum, vinum, attritæ vestes, &c. vnde sequitur primo bona Ecclesiæ mobilia, & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, posse absque solemnitate vendi ab Episcopo, vel ab alio Prælato administrationem bonorum Ecclesiæ habente. Ita Molina *disput.*468.*num.*1. & communiter omnes.

R. 2. Bona Ecclesiæ mobilia, quę seruando seruari non possunt absque alia solemnitate alienari possunt à Pręlato bonorum Ecclesiæ habente administrationem. Ratio est, quia in iure fit tantummodo mentio bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum, quę seruando seruari possunt; ergo, &c. Tum quia sic colligitur ex Clementina 1. *de rebus Ecclesię non alienandis*, tum quia experientia constat vendi fructus, & alia bona mobilia, quæ seruando seruari non possunt; ergo signum est licitè vēdi posse à Prælato habente huiusmodi bonorum administrationem: vnde sequitur validā esse alienationem vini, olei, frumenti, ouium, caprarum, &c. factam sine tali solemnitate. Ratio, quia huiusmodi bona non censentur mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possint. Secundò pecuniam Ecclesiæ, alijs mutuā dari, aut alia ratione alienari nō posse ad alios effectus præter eos, ad quos destinata fuit, vt v. g. pecuniam, quæ est destinata ad aliquid emendum non posse alienari sine solemnitate requisita, quia hæc pecunia non est otiosa, sed est fructifera ex natura sua, cum sit destinata ad emendum fundum fructiferum, & censetur res pretiosa, quæ seruando seruari potest, & debet, donec ad eum finem insumatur, ad quem tradita fuit. Ita Siluest. *verbo alienatio quæsito 6.* Redoanus *quæst. 16.* Quaranta *verbo alienatio num.3.& 25.* Vasquez *in opusc. de reddit. cap.2.§.2.dub.13.num.45.* Molina *tract.1.disp.465.n.4.* & alij communiter. Tertiò dotem, quæ pro Monialium sustentatione traditur non posse alienari sine præscripta solemnitate, quia connumeratur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari potest: pecunia verò destinata ad quotidianos vsus non censetur res pretiosa, quæ seruando seruari possit, & ideo absque solemnitate alienari potest. Quartò oblationes sacri imagini factas, posse absque præscripta solemnitate alienari, dummodo non sint vota aurea, vel argentea magni valoris, quia hæc connumerantur inter bona pretiosa, quę seruando seruari possunt; sicuti etiam connumerantur gemmæ, annuli, &c. quæ sacri alicui imagini offeruntur, & ideò non posse absq; prædicta solemnitate alienari. An verò ex votis argenti, vel auri possit aliquid fieri in honorem Imaginis, cui fuerunt oblatæ, v. g. Candelabra, vel lampades, &c. Respondeo affirmatiuè. Ratio, quia nulla fit alienatio, sed solummodo commutatio formæ in aliam formam remanente eadem materia. Quintò non posse absque præscripta solemnitate inscindi arbores solo adhærentes siuè fructiferæ sint, siuè non. Ratio est, tum quia arbores cedunt solo, & per consequens connumerantur inter bona immobilia, tum etiam, quia alienatio est dominij abdicatio, dominium autem arborum per incisionem abdicatur, cum dominium rei non melius abdicetur, & amittatur, quam rem destruendo. Ita communiter Doctores. Nomine autem arborum eas intelligo, quæ radices solo egerunt, & durioris ligni sunt, vt plantæ, vites, &c. Secus dicendum est de ligno, quod tenerum est, nec in lignum coalescit.

Sciendum 3. excipi plures casus, in quibus licitum est incidere arbores. Primus est quando secantur arbores, vt fundus fructuosior fiat, vt quando inciditur arbor opaca, qua ablata vberiores fructus percipiuntur. Ratio est, quia vtiliter geritur negotium Ecclesiæ: tum quia huiusmodi arbores nō videntur reducendæ ad bona mobilia, quę seruādo seruari possūt: dūmodo tamen non cedantur in magna quantitate, quia tunc existimò non posse cędi absque præscripta solemnitate, si id non fiat in vsum proprium, vt quando cęduntur ligna ad comburendum, quia si alio fine cęderentur, v. g. vt vendantur, existimo non posse cędi absque pręscripta solemnitate.

Sciendum est, quando cęduntur arbores ceduæ quales sunt, quę vtiles sunt tantum ad lignandum, vt est sylua cedua, nemus, &c. nam possunt à beneficiato incidi debito tēpore. Ratio est, quia censentur fructus beneficij, fructus autem beneficij pertinent ad beneficiatum. Tertius casus est, quando beneficiatus incidit arbores ad reparationem suæ Ecclesiæ, quia tunc absque præscripta solemnitate potest eas cędere. Ratio est, quia hæc non videtur alienatio, sed potius localis mutatio; tum quia hic casus per epichciam exceptus videtur, dum necessitas vrget.

An contractus celebratus sine prædicta solemnitate sit inualidus?

BRACTEA II.

Sciendum nomine alienationis hoc in loco intelligi actum, quo dominium rei directū, vel vtile, aut vsusfructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur; præterea nomine alienationis non solùm venit vēditio, aut alius contractus gratuitus, aut onerosus, quo dominium rei in alium transfertur, verùm etiam hypotheca, locatio vltra triennium, infeudatio, & contractus emphyteuticus, exceptis casibus à iure permissis, vt infra dicetur. Et colligitur ex *extrauag. ambitios.* nam Summus Pontifex in dicta extrauaganti prius generaliter prohibet alienationem, deinde subdit peculiares alienationis modos, seu species his verbis; *Si quis autem cōtra ius nostræ prohibitionis seriem de rebus, & bonis eiusdem quidquam alienare præsumpserit alienatio, hypotheca,*

concessio

concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omninò sint roboris, vel momenti. Quibus positis.

R. Inualidum esse quemlibet cõtractum, quo dominium rei directum, vel vtile, vel mobilis pretiosę, quæ seruando seruari potest, transfertur non seruata præscripta solemnitate *Cap. nul. 1 de rebus Ecclesię non alienandis*; & ita communiter omnes Doctores, quia hæc est alienatio prohibita: vnde inualidam esse permutationem bonorum Ecclesiæ factam absque prædicta solemnitate, etiamsi facta sit inter Ecclesias, vt testatur Quaranta *verbo alienatio*, & cum eo plures citati. Secundò inualidum esse precarium celebratum sine præscripta solemnitate de re immobili, vel mobili pretiosa, quæ seruando seruari potest. Riccius *decis. 64.* Quaranta *loco citato*. Tertiò, inualidam esse alienationem bonorum, quorum dominium acquisitum est ab Ecclesia, quamuis dicta bona essent alijs ante obligata. Quod tamen intelligendum est, dummodo Ecclesia in illis acquisierit perfectum dominium, & animo possidendi rem ipsam, seu incorporandi ipsam bonis Ecclesiæ, vel Monasterij. Quartò, inualidam esse alienationem rei sterilis, seu domus, ex qua plus damni, quam vtilitatis præcipitur factam sine præscripta solemnitate. Ratio est, quia vt infra dicetur ad alienandam rem aliquam Ecclesiasticam non modo requiritur causa, sed etiam solemnitas à iure præscripta. Quintò, inualidam esse transactionem, seu compromissum de rebus Ecclesiæ immobilibus, vel pretiosis, quæ seruando seruari possunt; hæc enim videtur concessio, seu alienatio iuris: secus dicendum videtur de re, quam iniustè Prælatus possidet, seu non pacificè, & bona fide, hęc enim non videtur alienatio bonorum Ecclesiæ, cũ Prælatus in ipsa re nullum habeat ius certum, & perfectum, sed incertum, & dubium. Sextò, non posse fieri transactionem, seu remissionem super decimis fructus, quamuis fieri possit de præteritis; hęc enim videtur quædam alienatio, cum sit cessio iuris circa res futuras. Ita Rebuffus, Panormitanus, & alij apud Quarantam *num. 20.* apud Riccium *decis. 41. & 46.* nec etiam posse Prælatum cedere liti, & causæ Monasterij, vel Ecclesię contra aliquem agentis, vel in petitorio, vel in possessorio, hęc enim est species alienationis, cum sit cessio iuris, vt ait Armila *verbo alienatio nu. 26.* & alij apud Quarantam *num. 22.*

Sciendum 2. bona Confraternitatis, aut Collegij, vel Congregationis, vel Hospitalis erecti, aut fundati auctoritate Episcopi nõ posse absque præscripta solemnitate alienari. Ratio est, quia sunt loca pia, & in *extrauag. ambitios.* irritatur alienatio bonorum loci pij facta, siuè præscripta solemnitate. Secus dicendum est de Hospitalibus, vel Confraternitatibus, alijsque locis erectis sine licentia, & auctoritate Episcopi; hęc enim non censentur loca pia. Ita Riccius *decis. 48.* Redoanus *quęst. 28.* Quaranta *loco citato num. 28.* Quod etiam dicendum est de alienatione bonorum Capellæ, quæ non fuit fundata auctoritate Episcopi, nam huiusmodi Capella non censetur beneficium Ecclesiasticum: in dubio quomodo cognoscatur, Capellam fundatam fuisse auctoritate Episcopi responderi potest cum Mascardo *tom. 1. de probat. conclus. 869.* & alijs præsumi erectam auctoritate Episcopi; primò, si ibi sint sepulturæ, vel cœmiterium: secundò, si in eo administretur baptismus: tertiò, si recipiat decimas, vel sit immunis à solutione collectarum: quartò, si habeat campanile erectum cum campana, ibique Diuina celebrentur: quintò, iisdem etiam rationibus probari potest Oratoria auctoritate Episcopi erecta, & fundata esse; & si sint fundata auctoritate Episcopi non posse, nec eorum bona absque præscripta solemnitate alienari. An alicui concedi possit vsus Capellæ cum sepultura absque prędicta solemnitate? Respondeo concedi posse, quia non dicitur alienatio, sed concessio ad vsum, ad quem res fuit fabricata: Ita Quaranta *loco citato num. 49.* Riccius *decis. 42. num. 6.* & alij. Verùm Capellam non posse vendi, ita vt is, cui traditio fiat Dominus. Menoch. *tom. 3 consil. 115.* & alij apud Riccium *decis. 42.* Similiter Commendam S. Ioannis Hierosolymitani, aliasque Commendas non potest absque assensu Apostolico alienari, quia hæc censetur bona Ecclesiastica. Ita Couarru. *2. variar. cap. 16. num. 3.* & alij. Item nec posse fieri alienationem ab vna Ecclesia ad alteram Ecclesiam absque dicta solemnitate, quia iura simpliciter, & absolutè loquuntur; & ideò dismembrationem fructuum fieri non posse absque debita solemnitate; hæc enim est alienatio potius, quam locatio, consequenter ex fructibus Ecclesiæ Parochialis non possunt erigi Canonicatus, quãdo maior numerus Sacerdotum non est necessarius ad Sacramentorum administrationem, vt ex decisionibus Rotæ tradit Genuensis *in praxi Neapol. cap. 60. num. 17.* Iuspatronatus Ecclesiasticum non posse in Laicum transferri absq; dicta solemnitate; ius verò patronatus Laicum potest de consensu Episcopi. *Cap. extra de iurepatronat.* An in retrouenditione rei ab Ecclesia emptæ cum pacto retrouendendi requiratur prędicta solemnitas, dubium est? Ad quod respondeo quod, licet aliqui dicant requiri prescriptã solemnitatem, non requiritur. Ratio est, quia retrouenditio non videtur alienatio, & contractus à primo distinctus; nec esse abdicationem dominij perfectè acquisiti ab Ecclesia, cũ ipsa non acquisierit perfectum dominium, sed solũmodo transacto tempore statuto ad retrouendendum; & ideò Doctores aduertunt laudemium non deberi pro retrouenditione, quia laudemium soluitur pro alienatione propriè accepta, retrouenditio autem nõ videtur alienatio, sed recisio prioris contractus. Ita Redoanus *de rebus Ecclesię non alienandis quęst. 66. num. 9.* & alij. Vltimò, solemnitatem prescriptam requiri ad alienationem loci, in quo aliàs erat Ecclesia, quę prophanata, & directa fuit. Ratio, quia adhuc censetur Ecclesię locus, & habetur in honore, cum in eo prohibeatur fieri stabulum, vt ait Gloss. *in cap. Ligna de consecr. dist. 1.* Tandem non solùm bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quę seruando seruari possunt, non posse sine debita solemnitate alienari, verùm neque bona incorporalia, idest neque iura, neque actiones, & seruitutes; nam ius loquitur de bonis omnibus Ecclesiasticis: bona autem incorporalia quamuis propriè non sint res mobiles, vel immobiles, nihilominus sũt quoddam bonorum genus, & veniunt nomine bonorum, cum ius ad res immobiles aliqua ratione computari possit cum rebus immobilibus, & ius ad res mobiles cum rebus mobilibus,

bus,quia talis videtur actio, qualis est res, ad quā est actio,seu ius ex Gonzal. 2. *var.c.14.n.14.* ex quo patet annuū sensum,iura,actiones, annuos redditus,& alia huiusmodi pertinētia ad loca pia, nō posse abiq; dicta solēnitate vendi.

An bona Ecclesiastica possint tradi in feudum, vel in emphiteusim?

BRACTEA III.

R. Bona Ecclesiastica, quæ nullo modo fuerunt solita in feudū, vel in emphiteusim dari,non posse infeudari, neque emphiteuticari sine solemnitate à iure præscripta.Ratio est, quia in *extrauag.ambitios.* expresse prohibetur infeudatio, & emphiteusis; tum quia traditio in feudum,vel in emphiteusim est alienatio,si verò solitæ erant infeudari, vel emphiteuticari, possunt denuò in emphiteusim,vel feudum dari concurrentibus istis conditionibus: prima, euidens Ecclesię vtilitas:secunda, vt fiat eo pacto,quo res prius tradita fuerat in feudum, vel emphiteusim, ita vt si tradita erat pro descendentibus non tradatur pro extraneis, vel si cōcessa erat ad tres vitas non concedatur in perpetuum,tertia est,vt traditio in feudum, vel in emphiteusim fiat, antequam res sit incorporata Ecclesiæ,vel mensæ,seu applicata vsibus Ecclesię,postquam dominiū vtile redijt ad Dominum directum. Ratio,cur hoc liceat sine prædicta solemnitate concurrentibus supra scriptis conditionibus est, quia hic casus excipitur *in extrauag.ambitios.* his verbis, *Vel contractum emphiteuticum præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphiteusim ab antiquo concedi solitis*; tum quia hęc non videtur noua alienatio, sed continuatio prioris emphiteusis, vel feudi; ius autem requirit solemnitatem debitam in alienatione. Ita Iulius Clarus *§.emphiteusi quæst.6.num. 1.§.feudum quæst.13.num.1.* Couaruu.2. *variar. cap.17. num 4.* Quaranta *verbo alienatio nu.40.* Molina *tract. 2.disput.465.num.17.& 19.* Genuensis *in praxi Neapol. cap.60.num.5.& 6.* & alij apud Filliucium *tract.44. cap.4.*

Sciendum dubium esse, an Prælatus, seu beneficiatus possit remittere caducitatem Ecclesię absque prędicta solemnitate? Ad quod respondeo affirmatiuè; & ita Quaranta *num. 44.* Iulius Clarus *§.emphit.quæst.10.* Sanchez *lib.6.disp. 6.num.13.* Rebellus *lib.13.quæst 11.nu.7.* Riccius *decis. 135.* Ratio est,tum quia caducitas non habet locum nisi volente Domino;ergo liberum est beneficiato remittere caducitatem; tum quia ius caducitatis inducit potius rationem iuris acquirendi,quam acquisiti: Prælatus autem validè potest Ecclesię prejudicare quoad ius acquirendum;quod tamen intelligendum est,modo beneficiatus nō declarauerit velle incursam esse caducitatem;tunc enim non videtur beneficiatus posse remittere caducitatem,quia censetur acquisitum ius Ecclesię,cum emphiteuta incidat in caducitatem ab eo die,quo proprietarius declarat velle caducitatem incursam esse. An verò pręsumatur caducitas remissa, quando beneficiatus recipit pensionem,& Canonem pro tempore elapso? Respondeo primò Dominum directum non sibi prejudicare,si recipiat pensionem, postquam emphiteuta sit expulsus, etiamsi recipiat pensionem respondentem tempori antecedenti caducitatem, nā receptio pensionis non sufficienter indicat voluntatem condonandi caducitatem, cum emphiteuta iam fuerit expulsus. Ita communiter Doctores.Secundò non videri sibi prejudicare iuxta probabiliorem Doctorum sententiam, si ante expulsionem emphiteutę recipiat pensionem respondentem tempori antecedenti caducitatem, quam Dominus denunciauit emphiteutę, nam in dubio non pręsumitur quis velle renunciare iuri suo, nisi aliter colligatur ex circunstantijs,vel praxi. *Cap.super hoc de renunciat.* Secus dicendum est, si Dominus recipiat pensionem respondentem tempori subsequenti caducitatem; tunc enim pręsumitur sibi prejudicare, etiamsi protestetur se non remittere caducitatem, non enim fieri potest, vt quis recipiat pensionem ab aliquo tamquam ab emphiteuta,& nolit ipsum esse emphiteutam,cum videatur protestatio contraria facto. Ita plures citati apud Bonacinam *disput.3.quæst. 8.pun.4. num.15.*

An bona Ecclesiastica possint oppignorari, hypotecari, vel locari?

BRACTEA IV.

R. Bona immobilia Ecclesiastica, vel mobilia pretiosa,quę seruando seruari possunt non posse oppignorari,vel hypotecari. Ratio, quia sic habetur in Bulla Pauli II. tum quia quamuis nomine alienationis propriè significetur actus,quo transfertur dominium directū: nihilominus etiam nomine alienationis latè acceptę venit actus, quo traditur dominium vtile, vt accidit in emphiteusi, & locatione ad longum tempus: immò etiam venit actus, quo res traditur in pignus,vel hypotecā; cum enim materia hęc sit fauorabilis pro Ecclesia, verba latè sunt accipienda,consequenter facienda est extensio alienationis ad oppignorationem, & hypotecam,non solùm specialem, verùm etiam generalem. Ita Bonacina *disp.3.quæst.8.pun.4.n.31.*

R. 2. Res Ecclesiæ immobiles, vel etiam mobiles pretiosas, quæ seruando seruari possunt, non posse locari ad longum tempus; hæc enim est quędā alienatio,quæ expresse prohibetur *in extrauag. ambitios.* ibi locationem, & conductionem vltra triennium,immò si res Ecclesiasticæ soluentur vltra trienium, inualida est locatio, non solùm pro eo tempore, quod excedit triēnium,verùm etiam pro ipso triennio,& quamuis locatio nō veniat nomine alienationis strictè acceptæ, venit tamen nomine alienationis latè acceptæ;ac si fiat vltra triennium irritatur *Clem.1.de rebus Eccelsiæ non alienandis, & extrauag. ambitios.* nisi fiat cum prędicta solemnitate,& cum iusta causa, quare si quis locauit prædium Ecclesię ad quinque, vel septem annos locatio inualida est, non solùm pro quinque, vel septem annis,sed etiam pro primo triennio: Azorius *3. par.lib.8.* de *locato cap.3.quæsit.3.* Tuscus *tom.5.concl. 406.* Carocius *de locato 3.par. §. de rebus Ecclesiæ locandis conclus.5.* Riccius *decis.117.& 121.* Lessius *lib.2. cap.24.dub.11.num.58.* & alij. Em. Sà *verbo conduct.nu. 13.* & alij apud praxim Neapolitanam, vbi habetur hoc in Rota haberi pro indubitato; quamuis

tris multi Doctores contrarium asseruerint, vt videre est apud Manticam *de tacitis, & ambiguis conuentionibus lib.5 tit.5.num. 29.* Nec obstat illa regula, vtile per inutile non vitiatur, nam regula illa procedit tantummodo in rebus separabilibus, quoties separatio commodè fieri potest, & quoties lex contrarium non disponit, sicut disposuit in nostro casu *Clem. ambitios.* vbi habetur locationem vltra triennium factam inualidam esse. Si verò distincto consensu, locatio bonorum Ecclesiæ fiat ad sex, vel nouem annos, ita vt tot sint distinctæ locationes, quot sunt triennia, vt si quis locet hoc pacto, concedo tibi hãc vineam ad tres annos, quibus elapsis ex nunc pro tunc concedo tibi eãdem vineam ad alios tres annos, & sic deinceps, valida est locatio, ad primum, quia hęc non prohibetur: inualida verò est locatio quoad secũdum, & tertium triennium, quia hoc videtur fieri in fraudem legis irritantis locationem factam ad plures annos, quam ad tres; tum quia per triplicatam locationem obligatur res locata: bona autem Ecclesię obligari non possunt vltra triennium; tum quia sic habetur *in extrauag. ambitios. §. si quis autem,* vbi irritatur locatio facta vltra trienniũ in singulari dicẽdo nullius esse roboris, & momenti. Quod tamen, intelligendum est, modo aliter non sit vsu receptum, vt Mediolani, vbi bona Ecclesiastica consueuerunt locari ad nouem annos triplici locationis contractu. Couaruu. *2. variar. cap. 26. num. 6.* Vasquez *in opusc. de redditibus cap. 2. §. 2. dub. 4. num. 25.* Rebellus *lib. 14. qu. 6.* & alij.

Sciendum, quod res Ecclesiæ fructificantes solùm alternis annis possunt locari ad sex annos, quia sic censetur solummodo locatæ ad tres annos, cum duo anni respondeant vni anno; quia anni in locatione, non computantur ex solo temporis decursu; sed ex decursu cum prouentu fructuum. Ita Couarum. *2. variar. cap. 16.* Rebellus *loco citato quæst. 5.* Azorius *loco citato cap. 2.* Riccius *decis. 115.* & alij. An verò licita, & valida sit locatio fructuum vltra triẽnium, dubium est? Ad quod respondeo negatiuè; ratio est, quia frustra prohiberetur locatio bonorum vltra triennium, si fructus vltra triennium locari possent; tum quia in Bulla *ambitios.* prohibetur locatio omnium rerum, & bonorum Ecclesiæ vltra triennium: cum autem fructus beneficij sint res, & bona Ecclesiastica sequitur, fructus beneficij non posse locari vltra triennium. Ita Armilla *verbo locatio num. 5.* Rodriquez *2. part. cap. 11. num. 5.* Em. Sà *verbo conductio num. 17.* Gutier. *lib. 1. canon. quæst. cap. 8. num. 15.* & alij plures apud Garziam *de beneficijs 2. par. cap. 1. num. 33.* & alij.

Sciendum 2. dubium etiam esse, an locatio beneficij facta vltra triennium; sed iuramento firmata obliget, ita vt non liceat ab ea recedere? Ad quod respondeo non obligare. Ratio est, quia *extrauagans ambitios.* obligat sub mortali, & ex pœna excommunicationis, quæ supponit peccatum mortale: cum autem iuramentum non obliget ad peccatum, nec sit vinculum iniquitatis, sequitur prædictam locationem non firmari iuramento, nec obligare.

An bona patrimonij, ad quorum titulum quis est ordinatus, possint alienari absque solemnitate iuris?

BRACTEA V.

R. Posse alienari absque solemnitate debita *ex ambitios. &c.* sed tamen non posse alienari absque consensu Episcopi, donec Clericus, qui ad illorum titulum fuit promotus, adeptus fuerit beneficium Ecclesiasticum, vel aliũde habeat, ex quo viuere possit, quamuis huiusmodi bona ipso mortuo pristinam retineãt libertatem. Ratio est, tum quia huiusmodi bona gaudent priuilegio bonorum Ecclesiasticorum; tum quia sic habetur in Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 1.* & ita Siluester *verbo Clericus 4. quæst. 13.* Nauarrus *cap. 22. num. 18.* Riccius *decis. 86.* Redoanus *de rebus Ecclesię non alienandis quæst. 51. cap. 13.* & alij.

Sciendum, quod licet ad alienationem rerum immobilium Ecclesiasticarum, vel mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, requiratur causa, & cõsensus Pontificius, tamen ad promissionem alienationis non requiritur consensus Summi Pontificis. Ratio, quia promissio alienandi non est alienatio, sed est actus præcisus ab alienatione. Ita Riccius *decis. 65.*

An vota argentea, & lampades oblatæ possint vendi, vt eorum pretium conuertatur in fabricam?

BRACTEA VI.

R. Non posse, seclusa consuetudine in contrarium vendi, ita vt eorum pretiũ conuertatur in fabricam Ecclesiæ. Ratio est, tum quia hæc sunt mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, & quibus Ecclesia ornatur, vt in dicta *extrauag.* dicitur; tum etiam quia sicut est prohibitus omnis contractus, per quem transfertur dominium directum, vel vtile, etiamsi fiat inter Ecclesias, ita à fortiori videtur inualida alienatio dictorum bonorum mobilium, cùm illorum dominium transferatur in alterũ. Contrarium tamen defendit Riccius *in praxi decis. decis. 7.* ductus hac ratione, quod ex huiusmodi alienatione mobilium pretiosorum, vt eorum pretium conuertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ nullum dominium transferatur in extraneam personam. Sed clarè constat dominium rei venditæ transferri in emptorem. Nec etiam posse seclusa consuetudine in contrarium ad libitum Prælati absque consensu Sedis Apostolicæ alienari particulas reliquiarum insignium, aut in muro clausarum. Ratio est, quia sicuti non possunt res mobiles pretiosæ alienari, ita multo minus possunt Reliquiæ, cum sint res valdè pretiosæ, quę seruando seruari possunt; tum quia hic est stylus Curiæ Romanæ teste Riccio *decis. 63. num. 6.* stylus autem Curiæ Romanæ facit legem.

An Prælatus possit repudiare legatum relictum Ecclesiæ, non seruata solemnitate requisita ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum?

BRACTEA VII.

R. Primò Prælatum peccare contra iustitiam repudiando legatum, cum ex officio teneatur consulere Ecclesiæ, nihilominus si repudiat, validè repudiare absque prædicta solemnitate, quia non dicitur alienare. Et ita Sanchez *de matrim. lib. 6. disput. 4. cap. Tua de his, quæ fiunt a Prælatis*, Siluester *verbo alienatio quæsito 19.* Armila *eodem verbo num. 17.* & alij plures. Ratio est, quia prædicta solemnitas requiritur solùm in alienatione bonorum Ecclesiæ; Prælatus autem repudiando legatum nondum acceptatum, non dicitur alienare bona Ecclesiæ, cum legatum nondum dicatur Ecclesiæ acquisitum, sed acquiratur per acceptationem.

Sciendum, quod licet Prelatus possit absque prædicta solemnitate repudiare legatum, tamen Ecclesia potest vti priuilegio restitutionis in integrum, si ob dictam renunciationem læsa fuit, modo res illa, acquisita non fuerit alteri Ecclesiæ, quia tum melior videtur conditio possidentis. Ita plures apud Bonacin. *de alien. bon. Ecclesiast. disp. 2. qu. vnic. pun. 2. num. 32.*

Quo iure prohibita sit alienatio bonorum Ecclesiasticorum?

BRACTEA VIII.

R. Alienationem bonorum Ecclesiasticorum vetitam esse: primò iure naturali, Diuino annexo iuramento, si loquamur de Summo Pontifice, & de Cardinalibus respectu bonorum Sedis Apostolicæ, aut de Episcopis, & Prælatis respectu bonorum suæ Ecclesiæ; iuramentum enim inducit obligationem iuris Diuini, & naturalis. Secundò prohibitam esse iure Cæsareo *in lege iubemus, & in autentic. ob ius correctum C. de sacros. Eccles.* & quamuis leges Principis sæcularis circa res Ecclesiasticas non ligent, nihilominus obligant, quatenus ab Ecclesia recipiuntur, & confirmantur. Tertiò prohiberi iure Canonico pluribus in locis præsertim in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 11. & in extrauag. ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienandis*, & in decret. Sacræ Congregationis Concilij Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Papæ Octaui iussu edito, incipiente *Sacra Congregatio Cardinalium, &c.* vbi non solum innouantur iura, alienationem prohibentia, verum etiam specialiter interdicitur, & irritatur alienatio bonorũ Ecclesiæ, Monasteriorum, & locorum piorum, tam immobilium, quam mobilium pretiosorum, quę seruando seruari possunt, si alienatio fiat inconsulto Summo Pontifice, immò alienans si non fuerit Episcopus, vel Abbas ligatur excomunicatione, nec non priuatur beneficiis, officijs, & administratione bonorum, quæ alienare præsumpsit, & excommunicatio extenditur ad recipientem. Si verò alienans sit Episcopus, vel Abbas incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & si per sex menses in interdicto permanserit, suspensus remaneat à regimine, & administratione Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsidet in temporalibus, & spiritualibus.

Sciendum, quod in decreto Sacræ Congregationis supra citato pro regularibus edito die septima Septembris 1624. vbi Sacra Congregatio iussu Summi Pontificis Vrbani Octaui Religiosis cuiuscunque Ordinis, & Religionis, etiamsi alias ex peculiari priuilegio, & consuetudine facultatem alienandi haberent perpetuò interdicit omnium rerum, & bonorum immobilium alienationem, ac pretiosorum mobilium, omneque pactum, per quod ipsorũ dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypotecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel in emphyteusim præterquam in casibus à iure permissis: pęna autem alienantium pręfata bona absque solemnitate, & licentia in scriptis ipsius Congregationis gratis concedẽda, est priuatio ipso facto vocis actiuæ, & passiuæ, perpetua inhabilitas ad illam imposterum obtinendam, sublata etiam generali, & protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate, & permanentibus in suo robore pęnis Apostolicarum Constit., & præsertim fęlicis recordationis Pauli Secundi, quæ incipit *Ambitiosæ.*

De causis requisitis ad alienationem?

BRACTEA IX.

R. Causas ex quibus possunt res Ecclesię alienari quatuor assignari à Doctoribus: videlicet Ecclesiæ necessitas, & vtilitas, pietas, & incommoditas. prima est necessitas, vt quando Ecclesia grauatur ære alieno, quod aliter solui nequit, quam per alienationem dictorũ bonorum, aut etiam alia similis causa necessaria, vt quando Ecclesia reparanda est, fundus instaurandus, vel domus suffulcienda, quæ alioquin laberetur. Et ita Quaranta *in summ. Bullarij verbo alienatio rerum Ecclesiæ n. 42.* Hugol. *de potest. Episc. c. 14. §. 7.* & alij: immò dari posse talem necessitatem, vt licita sit alienatio, etiam sine solemnitate, vt testatur Redoan. *q. 13.* Molina *disp. 648.* Quaranta *loco cit. num. 42.* & alij.

Sciendum ratione necessitatis bona Ecclesiæ non posse alienari, quando adsunt fructus pro satisfactione. Ratio est, quia beneficiatus licet possit fructus sui beneficij recipere, sibique retinere, nihilominus tenetur ex fructibus beneficij prospicere, & prouidere, consequenter non potest bona Ecclesię alienare, quando potest ex fructibus beneficij prouidere, quia tunc non vrget necessitas alienandi bona Ecclesiæ cum aliter ipse consulere possit; nec dicitur adesse euidens Ecclesiæ vtilitas, sed potius damnum, vt refert definitum in Rota Genuensis *in praxi Neapol.* Riccius *decis. 22. §. causa n. 3.* Tabiena *verbo alienatio nu. 4.* Secunda causa alienationis est vtilitas, quia propter vtilitatem potest fieri alienatio, vt scilicet res melior, atq; vtilior habeatur, & ob id potest vendi ager, vt alter melior ematur, & vendi potest calix, vt pretiosior ematur. Quar. *loco cit. num. 10.* Vasq. *de redditibus cap. 2. §. 1.* Azorius *lib. 9. cap. 2. quæsito* 8 & alij: etiamsi res Ecclesiæ donata sit cum conditione

ditione ne alienetur, adhuc enim siue prohibitio alienationis fiat à lege, siue ab homine, in dubio legitimus administrator subsistente euidenti vtilitate rem potest alienare.

Sciendum 2. vtilitatem debere plenè probari, & non statur assertioni alienantis, & ita vtilitas de tempore alienationis debet probari euidens, idest clara, & indubitata, & ideò Cõmissarius, cui committitur breue Apostolicum super euidenti vtilitate examinare testes, & alias legitimas probationes adhibere debet; nã in breui iuxta præsentẽ stilum sic habetur, *si tibi legitimè constiterit*: illud autem dicitur legitimè constare, quod scitur per testes, per causę cognitionem, & per partis citationem. An valida sit alienatio bonorum Ecclesiæ facta à Prælato, qui credebat subesse legitimam causam, sed reuera non erat legitima? Respondeo validam esse, quamuis posteà comperiat causam non fuisse legitimam. Ita Gloss. *cap. ad nostram de reb. Ecclesiæ non alienandis*, Vasquez *de redditibus cap.2.* §.1. *num.39.* & alij. Ratio est, quia Ecclesia non præsumitur velle alienationem inualidam esse ob causam non legitimam, quæ legitima putabatur, comperto tamen errore priuilegium restitutionis in integrum Ecclesiæ cõpetit: in dubio autem an alienatio facta sit ex legitima causa, & in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, quoties commissarius, seu deputatus consensum præstitit, præsumitur facta fuisse in euidentem Ecclesię vtilitatem, Commissarius enim non præsumitur delinquisse, consequenter Ecclesię tunc incumbit onus probandi se læsam fuisse, si priuilegio restitutionis in integrum vti velit. Ita plures apud Bonacinam *loco cit. pun.3. num.5.*

Tertia causa est pietas, vt videlicet quando vel pro redemptione captiuorum, aut propter alimenta pauperum, vbi aliter prouideri non potest, nisi res Ecclesiæ alienando, quia sicut propter necessitatem Ecclesię, ita etiam propter necessitatem pauperum res Ecclesiæ, quæ pro vtriusque commodo, ac sustentatione Ecclesiæ conferuntur, iustè pro vtrorumque necessitatibus alienantur, cuius rei doctrinam, atque exemplum B. Ambrosij *lib.1. officiorum relat in cap. aurum*, atque aliorum præ occulis habemus, qui etiam sacra vasa per huiusmodi causa confringebant, vt venderent. *Cap. & sacrorum.*

Quarta causa est incommoditas, vt quando res est maioris sumptus, vel incommodi, quam fructus, & redditus. *Cap. si in exceptione, cap. non liceat Papę.*

Quænam solemnitas requiratur in alienatione bonorum immobilium Ecclesiæ, vel etiam mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt?

BRACTEA X.

R. Ad validam alienationem bonorum mẽsæ Episcopalis, aut Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ immobilium, aut etiam mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt præter iustam causam. Primò requiritur vnus saltem tractatus, idest discussio, quę sit allatis rationibus pro, & contra vtrum expediat huiusmodi bona alienare; ad tractatum autem conuocandi sunt, quorum interest, vt Canonici in Ecclesia capitulari, Monachi de Conuentu in Monasterio. *Cap. si excep.12. qu.2. cap. tua de his quę fiunt à Prelato, cap. vt super de rebus Ecclesia non alienandis.* Quod sufficiat vnus tractatus patet ex Clementina 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, vbi fit mentio tractatus in singulari. Ita Couar. 1. *variar. cap.17. num.1.* Vasquez *de redditibus dub.12* Siluest. *verbo alienatio quęsito* 4. Riccius *decis.51.* & alij.

Secundo post tractatum requiritur consensus maioris partis Capituli, eorum scilicet, qui sunt præsentes, nam *in cap.1. de his quæ fiunt à Prelatis*, habetur verbum *Collaudatio*, quod importat consensum expressum, non requiri autem consensum absentium, vt patet *ex cap.1. de his quę fiunt à Prelatis, & cap. si in excep.* Tertiò requiritur subscriptio in casibus, in quibus ius subscriptionem præscribit, videlicet in donatione, venditione, & permutatione, licet Armilla *verbo alienatio num.6.* Lessius *lib.2. cap.24. dub.10.* existiment sufficere subscriptionem Notarij, vbi talis extiterit consuetudo, nã consuetudo potest legem inducere, & abrogare. Quartò requiritur consensus superioris, qui pleno iure fungitur officio superioris, & consensus Summi Ponticis.

An Episcopus, aut alius inferior Prælatus possit res modicas, & exigui valoris alienare absque prædicta solemnitaie?

BRACTEA XI.

R. Episcopum posse res modicas, & paruæ vtilitatis alienare, absque solemnitate in alienatione requisita, concurrentibus istis tribus: rei exiguitas, vtilitas Ecclesiæ, & necessitas alienationis. Ita colligitur *ex cap. Terrulas 12. quæst. 2.* immò Episcopus non est periurus alienando sine prædicta solemnitate, nam res paruæ non censentur comprehendi in iuramento, quod Episcopus emittit in sui consecratione: ad cognoscendum quęnam res sit modica, standum est iudicio prudentis attenta qualitate loci, temporum, &c. Quod etiam de Abbatibus dicendum est.

An alienantes ante consensum superioris, dicendo saluo superioris assensu, excusentur à culpa, & pœna?

BRACTEA XII.

R. Negatiuè. Ratio est, quia talis protestatio est contraria facto, tum quia assensus superioris debet præcedere contractum, nam quando aliquid pertinet ad formam actus debet ipsum actum præcedere iuxta sententiam Panormitani *in cap. Nulli de rebus Ecclesiæ non alienandis praxis Neapol. cap.44.* & aliorum apud Riccium *decis.24.* Quod si dicatur factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile validum esse saltem pro tempore habili? Respon-

deo factum tempore inhabili, sed relatum in tempus habile validum esse, nisi irritetur, in hoc autem casu alienatio facta ante consensum Summi Pontificis irritatur, nam consensus Summi Pontificis requiritur tanquam forma ad validam alienationem: Secus dicendum est de tractatu alienationis faciendæ si Papa consenserit, hic enim non est alienatio.

Sciendum, quod antiquitus in alienatione bonorum Ecclesiæ Cathedralis requiritur facultas, seu consensus Sedis Apostolicę non vt alienatio sit valida, sed vt sit licita etiamsi Episcopus dum consecratur iuret se non alienaturum bona Ecclesiæ, neque de nouo daturum in feudum, vel in emphyteusim, &c. inconsulto Summo Pontifice, Episcopus enim periurus est alienando bona suæ Ecclesię incõsulto Summo Pontifice tamen alienatio iure antiquo valida est si hæc conditio solum desit, sed illicita. Ita Panormitanus *cap. de his, quę fiunt à Prelatis*, Riccius *decis.* 11. Iure verò nouo per extrauagantem Pauli Secundi *Ambitiosę*, requiritur etiam consensus Summi Pontificis, non solum in alienatione rerum Ecclesiæ Cathedralis, verum etiam in alijs bonis Ecclesiasticis, vbi illa extrauagans recepta est, quoad hanc partem. Ita Leo in thesauro fori Ecclesiastici *cap.* 15. *num.* 7. & alij communiter. Sufficere tamen potest licentia, & consensus Summi Pontificis sine alia solemnitate; tum quia solemnitas requiritur ex iure Canonico, in quo Summus Pontifex dispensare potest; tum quia bona Ecclesię subsunt arbitrio Sedis Apostolicæ.

Sciendum 2. Quod licet consensus Summi Pontificis suppleat pro solemnitatibus à iure requisitis, non tamen supplet pro causa, nisi id exprimat. Ratio est, quia Papa semper consensum præstat sub hac conditione *si in euidentem*, vel si hanc conditionem non exprimit tacitè subintelligitur. Rota 2. *part. decis.* 178. *num.* 2. Redoanus *quęst.* 22. & alij.

Quid requiratur in alienatione bonorum Ecclesiæ non Cathedralis?

BRACTEA XIII.

R. Primo requiri consensum Rectoris illius Ecclesiæ: Secundo consensum Episcopi; Vltimò requiri licentiam Summi Pontificis post extrauagantem *Ambitiosę*. Et ita communiter omnes.

Sciendum, quod si Ecclesia, cuius bona alienanda sunt, careat rectore, constituendus est, defensor Ecclesiæ, & audiendus est, nec Episcopum posse vendere res inferioris Ecclesiæ non audito illius rectore, defensore constituto, vt ostendit Panormitanus *ex cap.* 1. *de his, quę fiunt à Prælatis num* 5 *& cap. Placuit* 12. *quæst.* 2. Molina *disp.* 468. *num.* 13. Riccius *decis.* 6. & alij. Secundò prçter consensum Capituli Ecclesiæ Cathedralis, quando Episcopus est principalis auctor alienationis bonorum alicuius Ecclesiæ Sæcularis, non Cathedralis, *cap.* 1. *de rebus Ecclesię non alienandis*, vbi hoc sancitum est, ne Episcopus quando est auctor alienationis facilè possit alienare bona Ecclesiæ.

Sciendum 2. dubium esse, an quando res immobilis, vel mobilis pretiosa donata, aut testamento, vel legato relicta loco pio capaci sub conditione, vt possit alienari absq; prędicta solẽnitate, possit reuera alienari nõ seruata prędicta solemnitate? Ad quod respondeo negatiuè; ratio est, quia huiusmodi conditio habetur pro non apposita, cum sit contra iura, quæ præscribunt res pij loci sine solemnitate non alienare. Ita Couaruu. *cap. tua num.* 6. *de testamento*, Armilla *verbo alien.* 19. & alij. Secundò dubium esse an res Ecclesiæ relicta hoc pacto, itaut non possit alienari posita iusta causa an possit alienari. Siluester *verbo alienatio quęsit.* 28. Azor. *lib.* 9. *cap.* 2. *quęsit.* 9. & alij existimant alienari posse: Ratio est, quia ea conditio tanquam turpis pro non adiecta censetur. Bonacina *de alien. bonor. Ecclesiasticorum disp.* 2. *quæst. vnica pun.* 4. *num.* 12. existimat alienari non posse, nisi accedat consensus Summi Pontificis, qui circa voluntatem donatoris, vel testatoris dispensare potest, licet cum magna difficultate in his rebus dispenset. Ratio est, quia quilibet est rei suæ moderator, & arbiter; ergo sicut donator poterit rem suam liberè donare, ita etiam potuit donare cum tali onere, quæ opinio michi videtur sequenda, itaut non possit alienari, nisi de consensu Summi Pontificis.

An contractus alienationis celebratus sine tali solemnitate sit validus?

BRACTEA XIV.

R. Contractum alienationis bonorum Ecclesiæ celebratum sine iusta causa, & solemnitate à iure requisita esse inualidum, non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ. Ratio est, quia sine forma substantiali nihil subsistit in rerum natura: prædicta autem solemnitas à iure præscripta est tãquam forma substantialis contractus. Ita Suarez *lib.* 5. *de legib. ca.* 24 *nu.* 9. Riccius *decis.* 7. Vasquez *in opusc. de redditib. cap.* 2. *§.* 2. *dub.* 14. *num.* 49. Molina *disp.* 468. & alij.

Sciendum nullitatem contractus in foro externo non posse allegari ab ipsa Ecclesia, quæ consensit in alienationem rei, & hoc pacto dici potest contractus claudicare in fauorem Ecclesię, quæ alterum allegantem nullitatem cõtractus cogere potest ad rescendendum contractum, ipsa verò cogi non potest, sed ad Sũmum supplere tenebitur solemnitatem prætermissam. Quod si dicatur, quod fauore alicuius introductum est non debere in ipsius damnum retorquere; cum ergo prædicta solemnitas fuerit introducta ad præcauendum damnum Ecclesiæ, & locorum piorum sequitur contractum absque prædicta solemnitate celebratum in vtilitatem Ecclesiæ, vel loci pij validum esse? Ad quod respondeo, quod fauore alicuius introductum est non debere in ipsius damnum retorqueri modo non desit substantialis solemnitas. Ita Bonacina *loco cit. num.* 14.



Quænam

Quænam personæ subijciantur Censuræ, & alijs pœnis alienando bona Ecclesiastica absque iusta causa, & debita solemnitate?

BRACTEA XV.

R. Omnes, & singulos Ecclesiasticos, tam seculares, quam regulares alienantes res Ecclesiasticas absque causa, & prædicta solemnitate excommunicationem, aliasque pęnas incurrere, modo non sint Episcopi, vel Abbates, quia isti solum interdicto ab ingressu Ecclesiæ, aut etiam suspensione puniuntur; & ita colligitur ex verbis extrauagantis ibi *si quis contra huius nostra prohibitionis seriem, &c.* quæ excommunicatio extenditur ad recipientem, quia in textu dicitur tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit excõmunicationem incurrat, limitanda tamen, & restringenda est hæc propositio, primo modo alienatio fiat ab eo, qui dictorum bonorum administrationem habet, quia in extrauagan. *Ambitiosæ*, sermo est de beneficiatis, & alijs habentibus administrationem, & ob id administratione priuantur alienando: Secundò modo alienans scienter alienet, nam in textu dicitur quidquam alienare pręsumpserit, præsumptio autem supponit dolum, & scientiam; Tertiò modo secuta sit alienatio. Ratio est, quia in pęna imposita facienti non incurritur ob criminis attentationem: Quartò nisi alienatio fiat de re leuis momenti, quia vt supra dictum est res exigui valoris possunt alienari absque prædicta solemnitate.

Sciendum dubium esse, an qui bona Ecclesiæ alienauit absque prædicta solemnitate, sed pęnitentia, aut alio titulo ductus alienationem reuocauit ante realem, & pacificam traditionem ab hac censurâ excusetur? Ad quod respondeo excusari. Et ita Couaruu. *2. variar. cap. 16. num. 7* Nauarrus *cons. 18. de rebus Ecclesiã non alienandis*, Filliucius *tract. 14. num. 11.* Ratio est, quia talis alienatio non censetur perfecta, & consumata, cum fuerit reuocata ante traditionem: Censura autem, vt supra dictum est incurritur propter actum perfectum, & consumatum, non autem propter inceptum, & attentatum.

Sciendum 2. alienantem bona immobilia Ecclesiastica, seu mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, prçter excommunicationem priuari ipso facto beneficijs absque alia declaratione, sic enim statuitur in extrauag. *Ambitiosæ*, sed.

Sciendum 3. circa extrauagantem illam in pluribus locis non esse receptam non solum quoad priuationem beneficij; verum etiam quoad censuras, & ideo attendendam esse locorum consuetudinem, illique standum esse in hac re, quia fieri potest, vt prædicta extrauag. sit recepta, quoad vnam partem, & non quoad aliam: quoad obligationem non verò quoad pęnas: quoad nullitatem locationis, vel alienationis factæ sine solemnitate, non verò quoad pęnas, neque obstat vsus, & praxis sacræ pęnitentiariæ, in qua delinquentes absoluuntur, & ad beneficia rehabilitantur, quia id fit ad pacandas conscientias, & quia supponit præfatam extrauagantem receptam esse.

An Summus Pontifex, & Cardinales subijciantur legibus, & pœnis, contra alienantes bona Ecclesiastica impositis?

BRACTEA XVI.

R. Primo Cardinales subijci legibus, & pęnis contra alienantes bona Ecclesiastica impositis. Ratio est, tum quia sic est praxis Romanæ Curiæ, tum quia subijciuntur legibus fauorabilibus; ergo etiam odiosis, cum par ratio videatur; tum etiam quia subijciuntur legibus, quæ ad publicam Ecclesiæ vtilitatem pertinent, vel in quibus agitur de iustitia colenda, vel de fraude vitanda, & ideò Cassadorus in regula Cancellariæ *quæst. 28.* Sarmiens. *decis. 64. in addit. ad regulam Cancel.* *Caputaquensis decis. 211. lib. 1* Flaminius Parisiensis *lib 12. quæst. 4. num. 8.* & alij, testantur Cardinales subdi regulis Cancellariæ, in quibus agitur de fraude vitanda.

Sciendum non modo Cardinales subijci legibus, & pęnis contra alienantes bona Ecclesiastica, sed etiam teneri vinculo iuramenti ad non alienandum, & non consentiendum alienationi bonorum Sedis Apostolicæ, quia de hac re spirituali iuramentum emittunt: eodem etiam iuramenti vinculo tenentur Episcopi, Abbates, & Commendatarij ad non alienanda bona suarum Ecclesiarum, quia de hac re solent iuramentum emittere.

R. Summum Pontificem alienantem bona Ecclesiastica non ligari censuris, & pęnis latis contra alienantes bona Ecclesiastica. Ratio est, quia par in parem non habet imperium, tum etiam, quia legislator non tenetur legibus suis, quoad vim coactiuam. An vero Summus Pontifex peccet alienando bona Ecclesiastica v. g infeudando Castra, Ciuitates, dominia Cameræ, & Sedis Apostolicę? Respondeo peccare, nisi prius iuramentum sibi relaxet. Ratio est, tum quia Cardinalis dum ad Cardinalatus apicem promouetur, iurat se non alienaturum, aut consensurum in alienationem huiusmodi bonorum: vinculum autem iuramenti non cessat assequutione dignitatis Pontificalis, cum obligatio personalis personam ipsam sequatur, tum quia Papa adepto Pontificatu nouum iuramentum de eadem re emittit, quod se emissurum iurauerat, dum ad Cardinalatum promotus fuerat, & perspicuum est, Summum Pontificem obligari posse vinculo iuramenti, quia huiusmodi obligatio est iuris naturalis, & Diuini, cui Summus Pontifex subijcitur. Ita Franciscus Leo *in thes. fori Ecclesiast. 1. part. cap 15. num 11.* Si vero in iuramenti vinculo sibi relaxet, tunc non peccare. Ratio est, quia per relaxationem cessat obligatio iuramenti.

Sciendum 2. dubium esse, an Summus Pontifex præcisio iuramento peccet alienando bona Ecclesiastica? Ad quod respondeo Summũ Põtificem alienantem bona Ecclesiastica cum damno Ecclesiarum peccare contra iustitiam, nisi alienet ex iusta causa. Ratio est, quia Sũmus Pontifex non est Dominus bonorum Ecclesiasticorum, sed administrator; tum etiam, quia obligatio ex officio est obligatio ex iusti-

tia, & Summus Pontifex tenetur ex officio nõ alienare bona Ecclesiastica, nam ratione officij, & gradus, quem sustinet: tenetur ergo ad duplex personarum genus, primò erga tradentem tenetur bona insumere iuxta ipsius voluntatem, & institutionem: bona enim in vsum pium applicata non possunt in alium transferri: Secũdò ergà eos, in quorum vtilitatem tradita sunt tenetur bona impendere in ipsorum commodum, & vtilitatem, ergo Summus Põtifex facit contra obligationem iustitiæ, alienando bona Ecclesiastica cum damno Ecclesiarum, vel absque iusta causa.

Sciendum 3. probabile esse, alienationem bonorum Ecclesiasticorum factam à Summo Pontifice absque iusta causa validam esse. Ratio est, quia est Vicarius Dei, & administrator cum plenitudine potestatis: Administrator autem, & qui Dei vices perfectè gerit alienare potest; tum etiam quia si alienatio huiusmodi bonorum inualida est, vel id prouenit ex defectu potestatis, vel ex defectu voluntatis: sed neutrum dici potest, cum Summus Pontifex alienare velit, & potestatem alienandi habeat cum plenam in beneficialibus, & bonis Ecclesiarum potestatem habeat. Clement. 1. *vt lite pend. ex cap. 2. de conces. prebendar.* Ita Filliucius, & Dec. *in cap. Quę in Ecclesiar. num. 32. de constitutionib.* Bartholom. Socinus *consil. 13.* Marianus Socinus *consil. 140.* Parisius *tom. 4. consil. 3. n. 81.* vnde colligitur donationem, seu alienationem gratuitam bonorum Ecclesiæ immobilium factam à Papa validam esse, sed iniustam; si verò ex iusta causa fiat, non solum validam esse, verum etiam licitam, quia nulli fit iniuria.

Tertiò Summum Pontificem alienantem bona Ecclesiastica alienatione compensatiua, idest recipiendo rem æqualem rei alienatæ, regulariter loquendo non peccare contra iustitiam, quia ex iustitia solum tenetur damnum Ecclesiæ non inferre, seù rem administratam non deteriorem facere sine graui causa. Dixi regulariter, quia aliquando potest esse, vt Summus Pontifex peccet contra iustitiam alienando bona compensatiuè, quando scilicet huiusmodi bona tradita sunt Ecclesiæ cum expresso pacto, vt semper in specie retinerentur, nec in laicos, vel Ecclesias alienarentur; pactum n. ex iustitia seruandum est, alienatio tamen valida est, licet iniusta, nec obligationem restituendi inducit, cum damnum illatum non sit Ecclesiæ, vt suppono: restitutionis autem obligatio consurgit ex damno iniustè alteri dato. Tertiò colligitur Summum Pontificem peccare contra iustitiam, dum bona vni Ecclesię tradita in alteram absque iusta causa alienat. Ratio est, tum quia alter ani iure suo priuat, tum quia iniustitia committitur, dum res impenditur contra voluntatem tradentis, tamen alienatio erit valida, quia Summus Pontifex est administrator cum plenitudine potestatis; tum quia qui potest maius, potest etiam minus: sed Summus Pontifex potest beneficium dismembrare, diuidere, & supprimere; ergo potest etiam alteri Ecclesiæ tradere, quod est minus, etiamsi testator prohibuerit alienationem. Ratio, quia prohibitio, testatoris non plus potest, quam prohibitio legis: prohibitio autem legis humanæ non irritat alienationem Summi Pontificis; ergo, &c. Quartò colligitur, Summum Pontificem peccare contra iustitiam spoliando beneficiatum innocentem, & inuitum beneficio, illudq; alteri conferendo, etiãsi alia ratione compenset. Ratio est, quia nullus priuari debet iure suo, nisi voluntariè consentiat, tum quia inter collatorem, & beneficiatum intercedit mutuus contractus: contractus autem rescindi non potest altero dissentiente, licet Summus Pontifex, dum beneficiatum inuitum sine ipsius culpa beneficio priuat validè priuet, consequenter collationem alteri factam esse validam, nullumque ius in beneficio apud priorem beneficiatum remanere. Ratio est, quia omnia beneficia dicuntur Papæ manualia; tum quia Papa est administrator bonorum Ecclesiasticorum cum plenitudine potestatis.

Sciendum 4. dubium esse, an alienationes à Summo Pontifice factæ, sit semper præsumendę causa iustę? Ad quod respondeo in foro conscientiæ præsumendam esse causa causam iustam, nisi oppositum constet; & ita sentire videtur Sotus *de instit. quæst. 4. art. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 17. nu. 17.* & Suarez *de censuris disp. 41. sess. 3.* pro foro externo respondeo cum distinctione, vel Papa alienat motu proprio: & ex certa scientia, vel sine motu proprio, sed ad instantiam partis, seu cum expressione causæ: si alienat motu proprio, & ex certa scientia præsumitur alienare ex iusta causa, etiamsi alienatio gratuita sit, & fiat in consanguineos. Ratio est, quia in facto Principis non præsumitur delictum, nec præsumitur agere quod iure prohibetur, & hoc præsertim militat in Summo Pontifice, cuius acta nulli terreno Iudici subijciuntur; ex quo fit, vt cum Summus Pontifex bona Ecclesiastica titulo gratuita licitè alienari nequeat sine iusta causa præsumatur ex causa alienasse, dum motu proprio, & ex certa scientia alienauit, etiamsi fortè in consanguineos alienauerit, cum enim iusta causa subesse possit alienandi in consanguineos: *Cap. non satis dist. 86.* cumque Summus Pontifex motu proprio alienans præsumatur ex iusta causa alienare præsumendus est, etiam alienare ex iustà causa, dum in consanguineos alienat. Ita Redoanus *de spolijs quęst. 3. §. 1. num. 10.* Si verò alienat ad instantiam alterius, alienatio non semper pręsumitur facta ex iusta causa. Ratio est, quia in rescriptis ponitur, vel intelligitur clausula si preces veritati nitantur; tum quia fieri potest, vt impetrans deceperit Summum Pontificem, cum enim pro se postulet errare posse præsumitur, *leg. rescripta C. de precib. Imperatori offerendis.*

Quam Censuram incurrat Delegatus à Sede Apostolica, dum facultatem alienandi concedit cum detrimento Ecclesiæ?

BRACTEA XVII.

R. Quod in Bulla secunda Pauli Secundi, quæ incipit *Cum omnibus iudicijs*, præcipitur Iudicibus, seu Commissarijs deputatis ad examinandas causas a supplicantibus expressas vt examinent causas propter quas Summus

Pontifex

Pontifex adductus est ad concedendam in suis litteris facultatem alienandi; quod si consensum, vel auctoritatem præstiterint alienandi bona Ecclesiastica in detrimentum Ecclesiæ, subijciuntur excommunicationi, modo sint inferiores Episcopis, Episcopi vero aut superiores Episcopis incurrunt suspensionem per annum ab exequutione officij, quamquam ista excommunicatio, & suspensio non sit reseruata Summo Pontifici.

Sciendum dubium esse, an Præfati Commissari excommunicationem contrahant ante sequutam alienationem? Respondeo probabiliter non incurrere ante sequutam alienationem. Ratio, quia vt supra dictum est Censura non incurritur, nisi sit actus perfectus, & completus; tum quia excommunicatio lata est ob consensum, vel decretum, ex quo Ecclesia patitur grauamen, & detrimentum: Ecclesia autem non patitur detrimentum, nisi actualis alienatio fiat; tum quia Summus Pontifex loquitur de præstantibus consensum, auctoritatem, vel decretum alienationi, quandiù autem non sequitur contractus alienationis non dicitur alienatio, & actus futurus nō est actus, nisi in potentia: in materia autem penali non est facienda extensio de potentia ad actum, licet alij aliter sentiant.

An procurantes dolosè alienationem, aut decretum alienationis incurrant excommunicationem?

BRACTEA XVIII.

R. Quod omnes, & singuli, qui procurant dolosè alienationem fieri, aut decretū alienationis dolosè extorquent, incurrunt excommunicationem, quod colligitur ex Bulla, in textu enim sic habetur. *Is vero, qui dolo, vel fraude, aut scienter in detrimētum Ecclesiæ alienationem fieri procurauerit*. Quod etiam intelligendum est de his, qui extorquent à Commissarijs, Delegatis, &c. decretum donationis per sordes, idest per iniquas donationes, aut per impressionem, idest per importunam persuasionem, vel deprecationem, vel similem inductionem; in textu enim dicitur. *Aut qui per sordes, vel impressionem alienationis decretum extorserit*.

Sciendum hanc excommunicationem incurrit secuto effectu, vt patet ex rationibus allatis; tum etiam quia non incurritur excommunicatio contra procurantes abortum fœtus animati nisi post abortum; ergo, &c.

Sciendum 2. incurrere etiam excommunicationem suadentes Papę, vt infeudet, aut alienet Ciuitates, & loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ latam à Pio V. in Bulla 35. quæ incipit. *Admonet nos*, in qua comprehenduntur tractantes, consulentes, aut alia ratione verba facientes de alienandis, aut infeudandis bonis immediatis pertinentibus ad Ecclesiam Romanam; in textu dicitur. *Tractantes, consulentes, aut alia verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus, de Ciuitatibus, & locis præfatis immediate ad nos, & Sedem Apostolicam pertinentibus.* An proponens Oratorem prędicta de causa mittendum ad Sedem Apostolicam, aut Orator huiusmodi onus recipiens ligetur statim excommunicatione, etiamsi postea de hac re nihil agatur cum Summo Pontifice? Respondeo vt supra dictum est non ligari excommunicatione, nisi postquam de alienatione facienda tractauerit. Ratio, quia in materia penali stricta interpretatio facienda est, & verba cum effectu intelligenda sunt. Secundo, eo nprehenduntur innuantes, vel suadentes huiusmodi alienationem Summo Pontifici, siuè id fiat per se, siuè per alium, nam in textu dicitur. *Aut alij quicunque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existēti per se, vel per alium, seu alias insinuantes, vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant*; innuare autem idem est, quod declarare mentem suam, vt Summus Pontifex prædicta loca alienet, vel infeudet. Ita Iul. Clarus *de donat. quæst. 15 num. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 18 dub. 13 num 97.* & alij. Suadere autem est consulere, aut alio prætextu, seu ratione permouere ad alienationes huiusmodi faciendas.

MALLEATIO LIII.

De rebus, seu bonis Ecclesiæ per successionem non deferendis.

An Ecclesia, Monasteria, & Clerici succedant in Regno, Ducatu, Principatu, &c.

BRACTEA I.

R. Certum esse apud omnes Monasterium in regnum non succedere; tum quia suprema dignitas est, à qua omnes temporales dignitates procedunt: vnde valdè indecens esset, vt per Monachum, seu potius per Monasterium Regia dignitas, aut Imperatoria maiestas repræsentetur; tum quia Rex habet aliqua onera, & ministeria personalia, quæ per se ipsum exequi tenetur, qualia sunt maiores regni vrbes visitare, conuocare ad comitia, & eisdem interesse, vassallos defendere, & si opus fuerit bellare, & plura alia; & tamen certum est Monasterium in his succedere non posse, quæ personale ministerium prærequirunt, prout in feudo, vbi seruitia debita à vassallis per substitutos præstari nequeunt: vnde si in feudo, in quo personale seruitium requiritur Monasterium repellitur, quanto magis in Regno, vbi propria Regis præsentia necessaria est. Quod idem dicendum est de Ducatu, Marchionatu, similibus dignitatibus; tum propter personalia munera, quæ in regia domo Regi seruiendo, quæ tamen per substitutos præstari nequeunt; tum quia prædictæ dignitates ea mente, & tacita conditione à solo Rege creantur vt sua pręsentia, & apparatu Regiam Maiestatem in publicis actibus condecorare possint, vt notauit Glossa *in verbo centum in cap. si quis verò de pace tenenda*. Tandem sufficit recepta consuetudo, quæ Monasterium ad successionem Regni, Ducatus, Marchionatus, & similium dignitatum nunquam admisit. Molina *de primogenijs lib. 1. cap. 13. num. 44.* & alij.

An Religiosus, aut Clericus succedere possit in maioratu?

BRACTEA II.

R. Monasterium in maioratu succedere non posse; & ratio colligitur ex verisimili mēte instituentium, qui nomen, & familiam conseruare intendunt, & ex alijs rationibus adductis per Molinam *cap.13. num. 22.* Quod debet intelligi post vitam Religiosi vocati ad primogenium, quia durante eius vita Monasterium succedere potest ratione eius Religiosi in eo maioratu, & recipere commoditatem totam ex illo, eo verò naturaliter mortuo transire maioratum vlterius ad eum vocatum; quod tamen intelligendum est de Monasterio capaci successionis. Ratio est, quoniam huiusmodi Monasterium capax est ratione sui Religiosi professi successionis bonorum, neque est vlla sufficiens ratio, cur non etiam capax sit successionis in tali maioratu. Ratio secundæ partis est, quod scilicet mortuo eo Religioso transeat maioratus, ad vlterius vocatum est, quoniam successio in maioratu est ex vocatione primi institutoris, de quorum numero non est Monasterium, neque vocati accipiunt maioratū ab vltimo possessore, sed à primo institutore; quare Religiosus ille sua professione prȩiudicare non potuit cȩteris vocatis, vt eo mortuo non succedat, qui succederet, si ipse similiter moreretur in sȩculo: solùm ergo obtinebit Monasterium maioratū illum, & commoditatem ex illo: interim dum is Religiosus vixerit.

Sciendum maius dubium esse, an Monasterium possit succedere in maioratu, quando maioratus habet adnexam iurisdictionem? Ad quod respondeo Monasterium bonorum capax, esse etiam capax successionis habentis iurisdictionem, quando per substitutum præstari possit. Secus verò dicendum est, quando talis iurisdictio per substitutum exerceri non potest, nisi Monasterium per instituentem expresse à sui maioratus successione repellatur; potuit enim maioratus institutor, quem vellet omninò repellere, aut instituere, & quālibet legem rebus suis imponere. Ita Couaruu. *lib.1.variar.cap.19 num.10. & 11.* Molina *de primogen. lib.2.cap 12.num.54.* Padilla *in l. cum acutissimis num. 45.cod. de fideicommissis*, Mantica *de coniecturis vltima voluntatis lib.11.tit.7.num.20.* & alij; quia maioratus institutor non solùm expresse Monasteria repellere potest, sed etiam tacitè, quando sic licet descendentes ex proprio corpore procreatos, vel filios legitimos, & naturales ad sui maioratus susceptionem solùm vocauit, aut similes vocationes apposuit; ex quibus constet voluisse instituentem de filijs tantum naturalibus, & per naturalem generationem procreatis, non verò de interpretatiuis intelligere, & à lege inductis, idque ex eo comprobatur, quia textus *in §.sed hoc præsenti* per interpretationem, & iuris fictionem procedit, quæ tunc solum locum habet, quando ex coniecturata mente testatoris colligitur voluntatem suam iuris interpretationi subijcere voluisse; vbi verò verba disponentis clara sunt regula illius textus locum habere non potest, vt docet Gutier. *lib.1. canon. quæst. cap.32.num. 46.* & alij; vnde communis, & magis recepta sententia obtinuit Monasterium non excludere substitutum, nec ad maioratus successionem admittendum, quoties per efficaces coniecturas ex mente testatoris deductas apparuerit voluisse instituentem Monasterium repellere. Et ita Couaruu. *lib.1.vari.cap.19.nu. 11.* Mantica *lib.11.tit.7.num.20.* Gutier. *lib.1.cap.32.num. 27.* Hieronymus Rodriquez *in compend. quæst. regul. resolut. 72. num. 4.* idque multò planius procedit in successione maioratus, tum propter perpetuam familiæ conseruationem, cui testator prouidere intendit: vnde efficacior coniectura excludendi Monasterium resultat, vt docet Padilla *in l.cum acutissimi num.44.* Mantica *tit.7.nu. 21.* tum quia quoties testatoris filij, aut descendentes substituuntur, tales substitutos Monasterium non excludit, cum naturalis ratio, & paterna pietas auitam successionem eisdem conseruet. *l.rescripto ff.vnde liberi leg.filio ff. de liberis, & posthumis*; & est communis sententia.

An Ecclesia, Monasterium, &c. possint succedere in feudo, emphyteusis, & fideicommissis?

BRACTEA III.

R. De feudo cuius seruitium reale est, aut personale, quod honestè per Monachum seu per idoneum substitutum prȩstari possit tenendum, in Monasterium transire, durante vita feudatarij professi. Ita *in cap. qui Clericus*, si de feudo fuerit controuersia tenent Afflictus *decis.220. num.3. & in cap.1. num.2. de milite Vassallo*, Dec. *in cap.in præsentia de probationibus*, Costa *in cap. si Pater verbo si absque liberis num.62.* Tapia *in autent. ingressi verbo sua cap.14. num.37. eodem de sacros. Eccles.* Clarus *§.feudum quæst.78. num.1.* Hieronymus Rodriquez *in compendio quæst. regular. resolut.66. num.5.* Quod declarandum, & ampliandum est, vt procedat, etiamsi feudum Vassallos, & iurisdictionés annexam habeat; & ita Salicetus *nu. vlt.in autent.nisi rogati, Cod. ad Rebellianum*, Syluanus *cons.3.num.59. lib.1.* Rodriquez *loco cit.* & alij.

R. 2. De emphyteusi cum distinctione inter Ecclesiasticam, & Sæcularem, itaut Ecclesiastica durante vita Monaci in Monasterium trāseat, nisi per dominum intra biennium reuocetur, Sæcularis quoque in vita Monaci Monasterio acquiratur; neque ita per dominum reuocari possit. Ratio primæ partis est, quia ea omnia in Monasterium transeunt, quæ si Monachus in sæculo remaneret, retineret dummodo personale onus non exigant, sed tale, vt ab ipso Monasterio commodè adimpleri possit, qualis est solutio pensionis, quam Monasterium præstare rectè potest: atque ita hanc resolutionem comprobare videtur. Gloss. *in autent.ingressi, C.de sacros. Eccles.* communiter recepta, vt per Molinam *de primogenijs lib.1. cap.13. num. 61.* Quod tamen limitatur si Ecclesia emphyteusim intra bienniū à Monasterio reuocauerit, quod efficere potest per textum *in autent. de alienatione, & emphyteusi §.1. vers. si vero contingeret*. Ratio secundæ partis est, nam licet duabus de causis ad emphyteusim alienandam directi domini consensus requiratur: primò, vt dominus si rem emere velit cœteris emptoribus pro eodem prȩtio prȩferatur; secundò, vt videat an nouus

uus emphyteuta sit de personis in contractu emphyteutico prohibitis, vt probat textus *in leg. vltima Cod. de iure emphyteutico, & in cap. potuit de rogato*, in donationibus tamen solum tenetur dominum requirere, vt donatarium agnoscat emphyteutam, vel causam alliget, quare cum non admittat, aliqui tamen reperiuntur casus in quibus emphyteuta non solum alienare, sed etiam rem ipsam irrequisito domino tradere potest, præcipuus autem casus, in quo domini consensus non desideratur, est in alienatione à lege inducta, qualis est illa, quæ ex professione resultat. *Aut. ingressi Cod. de sacros. Eccles.* atque ita emphyteusis per professionem in Monasterium transit; neque poterit dominus directus illam durante vita Monachi a Monasterio auferre, vt consuluit Burlatus *cons. 47. & 97. lib. 1.*

Sciendum obstare supra dicta, glossam *verbo, prohibentur in cap. potuit*, quæ inter aliquas personas prohibitas, ad quas emphyteusis deuenire non potest Ecclesiam, & Monasterium enumerat, propter ipsius potentiam, & difficilem pensionis exactionem incertam reditionis spem, consolidationis emolumentum: vnde infert communis, emphyteusim Ecclesiæ, aut Monasterio absque directi domini consensu, nec donari, nec legari posse, nisi ad effectum, vt pretium habeat, ac proinde consuetudine introductum fuit, vt intra annum talem rem vendere teneatur iuxta plures, quos refert Imola *in cap. potuit num. 24.* vnde concludit Clarus *q. 33.* Valascus *consult. 101.* nullam quoad hoc inter Ecclesiasticam, & Secularem emphyteusim differentiam esse, cum vtroque casu emphyteusis à Monasterio reuocari possit. Verum hæc opinio in praxi recepta, & licet in iudicio sequêda sit, vt plures testantur, tamen meritò dubitari potest, quia nullo iure cautum reperitur, Monasterium esse prohibitum durante vita Monaci emphyteusim retinere, neque per dominum reuocari posse, nisi de eo expresse in emphyteusis scriptura caueatur, & ita intelligi potest textus *in leg. vlt.* ibi: his tamen personis, quæ non solent in emphyteuticis contractibus vetari, itaut sensus sit posse dominum tempore contractus prohibere, ne ad Monasterium, Clericum, Militem, Capitaneum, aut similes personas emphyteusis perueniat: non tamen inde sequitur Monasterium ipso iure esse prohibitum, & in eo inter Ecclesiasticum, & Sæcularem emphyteusim differentia constituitur quia in Ecclesiastica aliquæ personæ reperiuntur exceptæ, quæ talem emphyteusim retinere non possunt, nisi Ecclesia consentiat iuxta textum *in autent. de alienat. vers. si verò contigerit*; in sæculari verò non ita, nisi de eo in contractu emphyteutico expresse caueatur: in commoda autem, quæ Doctores, & communis considerant per accidens contingunt, & in considerationem venire non debent; deinde esto fateamur Monasterium à iure prohibitum censeri, vt communis existimat, id solum concludit tacitè, aut saltem generaliter prohiberi, quod legalem alienationem non impedit, nisi expressa prohibitio adiecta sit: immò tentari potest, nullam in casu, nec legalem, nec conuentionalem alienationem reperiri, cum interim dum Monachus viuit ipsius persona, non verò Monasterium tanquam diuersa consideretur, nec ex eo, quod emphyteuta per Religionis ingressum potentior factus sit, amisit ius, quod in emphyteusi iam ante habebat Barbosa *iuris Eccles. vniuersi lib. 3 de bonis Ecclesiæ pro success. non deferendis cap. 31 num. 3.*

R. 3. Ecclesiam, & Monasterium in bonis fideicommissarijs, durante vita Religiosi posse succedere, eo verò mortuo ad familiam institutam transire debere, nec perpetuò in Monasterio remanere posse, sed solum vt dictum est, durante vita Religiosi vocari ad tale fideicommissum.

An Clericus in emphyteusi, Maioratu, Ducatu, &c. succedere possit?

BRACTEA IV.

R. Clericum in emphyteusi, Maioratu, Ducatu, atque etiam in Regno succedere posse, dummodo in institutione non reperiatur exclusus. Ratio est, quia Clericus cuiuscunque successionis capax est, nec iurisdictio, aut quæcunque temporalis potestas etiam suprema, cum Sacerdotio repugnat: debent tamen Sacerdotes huiusmodi temporalia, quoad illa, quæ illos non decent, aut distractionem spiritualem sibi afferre possunt per ministros sæculares exercere Neque obstat textus 20. q 3 quia respondetur cũ Abbate *in cap. inter dilectos num. 5. de fide instit* comitem illos filios habuisse, quibus fortè comitatum spontè renunciauit, seu quod puto veriùs Monachum esse, qui Comitatum retinere non potuit, vt colligitur ex littera *textus* ibi, vt filius suus nouus Monachus fieret, & in locum eius succederet, atque ita prædictam resolutionem in maioratu, emphyteusi, & cęteris bonis vinculatis obseruat communis sententia ex Abbate *in cap. inter dilectos num. 5.* quem refert, & sequitur Antonius Gomez *leg. 40 num. 66.* Gregor. Lopes *leg. 2. tit 15. part 2.* Molina *de primo geniis lib. 1. cap. 13. num. 67.* de regno etiam habentur plura exempla, quę omnia sunt intelligenda, nisi in creatione emphyteusis maioratus apposita sit clausula, quę Clericos à successione repellat; quæ tamen in dubio præsumenda non est. Vnde refert Molina *cap 13. num. 100.* Clericum non esse repellendum ab eo maioratu, de cuius institutione non cõstat, sed ex sola consuetudine, aut immemorabili præscriptione subsistit, nisi occurrente casu, aliquis Clericus à tali maioratu iam fuisset exclusus per tempus ad præscribendum sufficiens; tunc enim seruandum erit, quod in alijs similibus casibus obseruatum fuit: in feudo denique id ipsum, quod supra de Monasterio capace, & Monacho diximus, de Clerico etiam dicendum puto per textum *in cap. qui Clericus si de feudo fuerit controuersia, cap. 1. de vassallo milite.*



MAL-

MALLEATIO LIV.

De Sponsalibus.

Postremum Sacram. est Matrimonium institutum in bonum corporalis propagationis. Primò loco agam de sponsalibus. Secundò de natura, & proprietatibus matrimonij. Tertiò de impedimentis dirimentibus, & non dirimentibus. Vltimò de his, quæ pertinent ad vsum matrimonij, & de peccatis contra ipsum, & virtutem Castitatis. Tractant de matrimonio Theologi in 4. *dist.* 26. *S.Thom.*add.à quæst.4. *Canon.* 4.decret. & in 6.tit.de sponsalibus, *Summistæ* verbo matrimonium, & sponsalia, *Sanchez* de matrim. *& alij.*

Quid sint sponsalia?

BRACTEA I.

SCiendum sponsalia à spondendo dicta esse teste Vulpiano *leg.2 ff de sponsalibus*, quia moris erat veteribus Romanis, vt puellam, is sub cuius cura, & potestate erat, sponderet alteri vxorem dare; quare ille sponsor, hæc sponsa appellatus fuit, & is, cui desponsatio facta, seu qui puellam ducturum repromisit sponsus, *l. sponsio ff. de verborum significat.* Vndi lysiteles apud Plautum *in Trinumo, spondere ergo tuam natam vxorem mihi*.

Sciendum 1. quod sponsalia multipliciter accipiuntur. Primo sponsalia dicuntur contractus iste, promissorius, præuius matrimonio. Secundò spōsalia etiam dicuntur munera, quæ à sponsis sponsæ dantur. Accipiuntur etiam sponsalia pro matrimonio non consumato: vnde sponsa sic appellatur per verba de præsenti nondum cognita, & ita accipitur *Matthei* 10. Cum esset desponsata: propria tamen significatio nominis sponsalium est prima significatio, qua sponsas propriè intelligimus, quas de futuro appellamus. Quibus positis.

R. Sponsalia in prima significatione sic definiri, sponsalia sunt mutua promissio futuri matrimonij signo aliquo sensibili expressa. Ita communiter omnes Doctores.

Sciendum 2. ad validitatem sponsalium tria requiri. Primò promissio futuri matrimonij mutua, & accepta. Secundò, quod sit inter personas habiles ad contrahenda sponsalia. Tertiò requiritur, quod sponsalia sint promissio futuri matrimonij, quia ad validitatem sponsalium requiritur, vt adsit promissio, non enim sufficit propositum, cum nullam inducat obligationē: vnde qui his verbis aliquam promitteret Ego desidero te accipere in coniugem meam, siue volo accipere in coniugem meam, &c. non contrahit sponsalia, cum hec verba solum significent propositum promissionis, non autem ipsam promissionem. Similiter ad sponsalia non sufficit dicere non ducam aliquā nisi te, quia sunt verba merè negatiua, & potest ducere nullam. Secundò dixi, quod sit inter personas habiles ad contrahendum, ad quod intelligendum, sciendum, eas personas habiles esse ad contrahendum sponsalia. Primò quæ absque dispensatione possunt contrahere matrimonium, inter quas non adsit impedimentum iuris naturalis, nec positiui: vnde affines, vel consanguinei si inter se contrahant sponsalia de futuro matrimonio censentur inualida, quia sunt de re illicita, quia prohibita, nisi hæc sponsalia retrotrahantur ad diem dispensationis habitæ ad contrahendum; similiter qui habet votum ad tempus castitatis, durante eo tempore, non potest contrahere sponsalia de futuro matrimonio, quia pro eo tempore censentur illicita; si verò retrotrahantur ad tempus, quo votum fuerit finitum, erunt valida. Item sponsalia contracta ab eo, qui non est habitualiter suę mentis compos, sunt inualida; sicut etiam sunt inualida contracta ab eo, qui pro tunc temporis, quādo init sponsalia non erat suæ mentis compos. Ratio est, quia sponsalia debent esse deliberata, & voluntaria, qui autem non est mentis suæ compos non potest elicere actum perfectum voluntarium, & deliberatum, & per consequens sponsalia ab eo contracta erunt inualida. Quod si dicatur quātum cognitionis intellectus requiratur ad deliberandum, & ad faciendum perfectum voluntarium? Respondeo quantum requiritur ad constituendum perfectum peccatum mortale, ad quod requiritur, vt alibi dictum est, perfecta cognitio, & aduertentia intellectus, & similiter perfecta deliberatio voluntatis, & per consequens hæc requiruntur ad contrahenda sponsalia, quę cum non habeat mentis suę non compos, ideo non potest contra here sponsalia, quia nullo modo erunt voluntaria.

Secundò ad contrahenda sponsalia requiritur determinata ætas, quæ ab omnibus determinetur septem annorum. Ratio, quia sponsalia, cum sint futurarum nuptiarū promissio, supponunt in contrahentibus vsum rationis, qui in septennio ætatis censetur esse, nisi in aliquibus malitia suppleat ætatem. An sufficiat ad validitatem sponsalium diem vltimi septenni inceptum esse. Hurtadus *de matrim. disp.1. difficult.14* Castrus palaus *tom.5. disp.1. pun.6. num.6.* & alij negatiuè respondent, sed necessario completum esse debere, quia vsquequo completus sit, non est integer dies. Pontius *lib.12. cap.5. num.5.* Coninch. *disp.21. dub.5. num.51.* Gutieres *cap.2 num.5.* affirmatiuè respondent, & ratio est, quia non minus fauorabile est matrimonium, quam testamentum, sed ad testamentum vltima dies incepta censetur pro completa, ergo, &c. Alij verò dicunt ad valorem sponsalium non requiri septennium mathematicè completum, & per consequens non physicè, sed moraliter completum, vt videre est apud Dianam *part.9 tract.7. resol.65.* sed quę sit nostra opinio infrà dicetur.

Tertiò,

Tertiò, dixi quod sit aliquo signo externo sufficienter manifestata, ad quod intelligendum sciendū est, quod ad pręsens attinet negotium, duplicem esse promissionem, vnam, quę fit Deo, & alteram, quę fit hominibus: quæ fit Deo non indiget, vt signo externo aliquo manifestetur. Ratio est, quia Deus respicit cor hominis, & per consequens cogitationes, &c. quæ à corde exeunt, licet non sint signo externo manifestatę, vnde statim censentur obligare, cum sufficienter censeantur coram Deo manifestatæ, & acceptatæ; At verò promissio, quæ fit homini, indiget, vt sit signo externo aliquo manifestata. Ratio est, quia cum homo non respiciat cor, neque intelligat cogitationes cordis, indiget aliquo signo externo, ad hoc, vt promissio interna manifestetur. Ita Sanchez *lib.1. disput.3.*

Sciendum non quodlibet signum externum esse sufficiens ad declarandum consensum, seu promissionem futuri matrimonij, sed requiri signum siue fiat voce, siue alia ratione, quod verè, & realiter sit sufficiens ad declarandam, siue ad manifestandam internam promissionem animi.

An requiratur quod promissio matrimonij sit mutua?

BRACTEA II.

R. Ad validitatem contractus sponsalium requiri quod ipsa sint mutua, & reciproca, alias sponsalia non erunt. Et ita communiter omnes Doctores sine controuersia; itaq; non tantum requiritur, quod vnus promittat, & alter acceptet, sed vterque debet promittere, & promissionem acceptare, D. Petrus à S. Ioseph *lib.4. idea Theolog. sacram. cap.3. resol.2.* Quod si vnus tantum promittat, & alter acceptet, & non repromittat, sponsalia non erunt valida.

Sciendum nunquam esse validam promissionem futuri matrimonij, gratuitam, & sine cōditione repromissionis. Et ratio est, quia contractus matrimonij est instar contractus cuiusdam commutationis, & necessariò in se continet mutuam obligationem vtriusque; itaut nemo vellet, nec velle possit se tradere, nisi sub ea cōditione, vt alter ei se mutuo tradat in cōpensationem, & obliget; vnde acceptatio eius traditionis esse non potest, quin etiam includat necessariò, & sua natura mutuam traditionem, neque vnum ab altero voluntate contrahentium separari potest: igitur promissio futuri matrimonij non potest esse sine conditione mutuæ promissionis, nec enim est promissio donandi, sed quasi commutandi; vnde si aut promissio permutationis, aut venditionis esse non potest, nisi sub conditione promissionis emendi, ita promissio in sponsalibus non est valida, nisi sit mutua, & reciproca, Ita Basilius Pontius *lib.12. de spons. cap.4. num.2.*



An quando Parentes contrahunt pro filijs, ipsi præsentia, & taciturnitate censeantur consentire?

BRACTEA III.

R. Quod filij, præsentia, & taciturnitate quādo Parentes contrahunt censentur consentire, modo contrahentes intelligant quid agatur. Probatur *ex cap. vnico de desponsat. impuberum*. Ratio est, quia cum parentes plus dili[gu]nt filios, quam se ipsos, præsumitur rectè, eos h[is] consulere, ideòque præsentia, & taciturnit[as] filiorum reputatur iure optimo consensus, [si] vero alij contrahant non satis est, sed requi[ri]tur aliud signum externum exprimens. Ita Ang[e]lus *verbo sponsa num.4.* Armilla *eodem verbo quæst. 2.* Siluester *num.6.* nisi consuetudo loci obtin[u]erit per alios etiam explicare consensum.

An quando qui non est Pater, & Mater contrahunt sponsalia pro filijs tacentibus, horum taciturnitas sufficiat ad exprimendum consensum?

BRACTEA IV.

R. Si tutor contrahat spnnsalia pro filijs tacentibus, & non contradicentibus validè contrahit modò filij interius consentiant. Ratio est, quia ius in hoc casu accipit taciturnitatem per consensu, si verò alius, qui non est Pater, vel Mater, vel qui non habet curam contrahat sponsalia, ea non esse valida pro filio tacente. Ratio est, tum quia taciturnitas non habetur pro expressione consensus, tum quia valet in hoc casu regula iuris in 6. qui tacet, neque consentire, neque dissentire videtur. Ita Henriquez *lib. 11. cap.13. num.6.* & alij.

Per quæ verba exprimantur sponsalia?

BRACTEA V.

Sciendum 1. verba, quibus potest contrahi matrimonium, vel de futuro, vel de præsenti posse esse quinque modis. Primò, de pręsenti vel de futuro, quoad sonum, & significationē vt accipio, vel accipiam te in meam. Secundò quoad sonum, & significationem de præsenti, sed quoad adiunctum de futuro, vt accipio te in crastinum. Tertiò, quoad futurum quoad sonum, sed de præsenti quoad adiunctum, vt ex nunc habeo te in meam vxorem. Quartò, per aliqua verba dubia, vt volo te esse meam vxorem. Quintò, per verba negatiua, quæ nullam includant affirmationem explicitè, vel implicitè, vt nullam ducam, nisi te. Quibus positis.

R. 1. Verba primo modo quoad significationem de præsenti constituere matrimonium. Ratio, quia important consensum de præsenti. *Cap. penult. de sponsalibus*, Angelus *verbo matrim. 2. nu. 10.* Siluester *quæst.10.* & alij apud Sanchez *disput.18.* verba quoad significationem de futuro constituunt sponsalia siuè simpliciter proferantur,

vt du-

vt ducam te, siue addatur verbum promitto, vt promitto me ducturum te, semper enim cōmuni Ecclesię sensu sumuntur, vt promissoria. Ita Sotus *disput.22.quæst.2.art.1.* Siluester *verbo sponsalia, &c.* verba autem illa promitto me te sponsaturum Mariam, non sunt sponsalia, sed tantum promissio de sponsalibus. Couaruu. *de matrim.par.1.cap.4.*& alij.

Secundò, verba secundo modo considerata solùm constituunt sponsalia, quia consensus est de futuro.

Tertiò, verba tertio modo constituunt matrimonium *in cap. ex par. de sponsal.* vbi definitur esse matrimonium, si quis iurauerit fœminæ se eam in vxorem habiturum; & ratio est, quia reuera illa verba important cōsensum de præsenti; si enim eo tempore habenda est in vxorem, ergo modo est vxor.

Quartò, verba quarto modo constituunt tātum sponsalia, quia ea verba volo te habere in vxorem, verificantur licet proferens modò nolit eam habere vxorem, sed tempore futuro. Couaruu. *loco cit.num.4.*

Quintò, verba negatiua vt supra, nec sponsalia, nec matrimonium constituunt, vt si quis dicat, nunquam aliam à te ducam. Ratio est, quia consensus non datur per meram negationem; obligant tamen, supposito quod velit nubere ad eam ducendam; si vero addatur affirmatio, erunt sponsalia, vt si dicatur, non aliam sed te ducam, quia verba sunt de futuro, vel matrimonium si dicatur, non aliam sed te duco, cum verba sint de præsenti. Couaruu. *loco citato §.1. nu.8.* Adrianus *quæst.2.de matrim.dub.12.*& Sanchez *lib.1.disp.19.*

An septennium requisitum ad contrahenda sponsalia debeat esse omninò completum?

BRACTEA V.

R. Probabilem esse opinionem, quę asserit sufficere septēnium moraliter esse completum; vnde Gutieres *de matrim.cap. 22. num. 6.* si duo, vel tres dies deficiet ante completū septēnium matrimonium celebratum esset validum, sed plus addit Rebellus *par. 2. lib. 4.quæst.5 conclus. 2.num.2.* valida esse sponsalia, etiamsi octo, vel decem dies ad complendum septēnium desint; si verò malitia suppleret ætatem, valida erunt sponsalia etiam multò ante septennium contracta, cum ętatem, sufficiens vsus rationis pręuenerit. Ita Rebellus *loco citato*, & Pontius *de matrim.lib.4.cap.1.* licet contrariam sententiam plures sequantur existimantes septennium esse requisitum, vt si vterque sponsus, vel alter sit minor septennio irrita sint ipso iure sponsalia. Et ita Ricardus *in 4. dist.27.art.3. quæst.1.* Durandus *quæst.3.art.2.*& alij.

R.2. Non peccare mortaliter pueros contrahentes sponsalia ante septennium; & ratio est, quia sponsalia non sunt Sacramentum, nec alicui efficitur iniuria, cum non oriatur obligatio respectu impuberis; ergo, &c. Et ita Coninchus *de sacram.disput.21.dub.5.concl.2.num.53.* Filliuc. *tom.1. tract.10.par.1.cap.7.num.259.*& alij.

Quomodo sponsalia obligent?

BRACTEA VI.

R. Primo ex sponsalibus certis, & validis oriri obligationem sub peccato mortali adimplendi ea. Ita Sanchez *lib.1.disput.17.dubit.2.* Reginaldus *lib.3. num. 250.* Vasquez *disput.3.cap.2.* Rodriquez *cap.140.* Ratio, quia sponsalia sunt contractus non enim sunt nuda promissio, sed acceptata, eaque mutua, & reciproca; omnis autem contractus obligat ex iustitia sub peccato mortali in materia graui; ergo, &c.

Sciendum sponsalia esse in duplici differentia; quædam vera, & realia, & quædam ficta; sponsalia vera, & realia sunt, quæ fiunt non solum animo promittendi, sed etiam animo se obligandi; sponsalia ficta esse, quæ licent fiant animo promittendi, non tamen fiunt animo se obligandi.

Sciendum 2. ex sponsalibus veris semper oriri obligationem, licet in ipsis sit disparitas conditionis, dummodo talis disparitas sit contrahentibus nota; vnde diues, siue nobilis, qui voluntariè contrahit sponsalia cum paupere, vel ignobili obligatur sponsalibus stare, quia vera sunt vera, & valida, & inducunt obligationem, præciso scandalo, & damno parentelæ. Ita Rebellus *lib.4.quæst.1.* Sanchez *lib.1.disp.14.* Vasquez *disp.6.*& alij. Quando in ducendo ipsam in vxorem timetur aliquod scandalum, vel futurum sit aliquod damnum, tunc non obligatur illam ducere. Ratio est, quia sponsalia non obligant in similibus casibus.

R.2. Sponsalia ficta regulariter non inducere obligationem. Ita Sanchez *lib.1.disput.10. num. 26.* Henriquez *lib.1.cap.11.* Lessius *lib.2. cap.18.* D. Petrus à S. Ioseph *loco citato*, & alij. Ratio est, quia tunc non est verè promissio, sed promissionis fictio; & obligatio sequitur veram promissionem, non autem fictam, licet peccet mortaliter fictè contrahens contra iustitię legem pręscribentem, vt in contractu vtrinque obligationi, qualis est contractus sponsalium vterque contrahentium verè contrahat. Cęterum si is, qui fictè promisit, postea internè consentiat, dū alter non reuocauit consensum, sponsalia ficta fiunt vera. Ratio est, quia ad contractuum validitatem sufficit contrahentium consensus simul esse moraliter, seu non nimis magnum interuallum interest inter vnum, & alterum prout in proposito casu cōtingit, in quo vnius cōsensus de se validus est, & ad matrimonium sufficiens, nec reuocatus, accedente ei, vero consensu, pro ficto.

Sciendum, quod, vt dictum est, sponsalia ficta, inducunt obligationem, quando timetur aliquod scandalum, vel damnum, vnde qui virginem deflorauit ficta promissione matrimonij ex iustitia commutatiua, tenetur eam ducere, & non dotare, cum hæc obliget reddi, quod fuit promissum, non autem æquale, & per consequens obligatur in matrimonium consentire; æquale autem non datur pro debito, nisi consentiente parte; qui verò extorsit copulam à fęmine malæ famæ ficta promissione matrimonij non tenetur eam ducere. Primò, ratione promissionis, quia censetur ficta, nec tenetur ratione scandali, & damni, quia nullum illatum,

illatum, cum fœmina fuerit solita locare suum corpus; vtrum verò qui ficta promissione matrimonij extorsit copulam à putata virgine, quæ etiam concepit, teneatur eam ducere. Respondeo affirmatiuè, modò ipsa virgo ab omnibus putaretur, & conceptus, siuè copula publica fuerit facta. Ratio est, quia quod nescitur, est tanquam, non sit; & ideò tenetur eam ducere in foro fori, cum communiter pro virgine haberetur; in foro autem conscientiæ non obligatur.

Qui verò ficta promissione matrimonij extorsit copulam à filia inferioris conditionis, & diuitiarum, nō tenetur stare sponsalibus, si ipsa sciebat disparitatem. Ratio est, quia facilè poterat cognoscere virum non habuisse verum animum pro mittendi, sed potius decipiendi, & ipsa copulæ consentiens deceptioni etiam concessisse. Ita colligitur ex Sanchez *lib. 1. disput. 10. num. 11.* Vasquez *de matrim. disput. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 10. disput. 3. num.* 24. Nauarrus *cap. 16. num.* 18. & alij. Immò nec tenetur illam dotare, quia consentienti nulla iniuria. Ita Lessius *loco citato num.* 25. sed si filia virgo erat, tenetur illam dotare, aut augere dotem ob damnum virginitatis admissæ.

An quando quis dubitat, an habuerit animum se obligandi, teneatur stare sponsalibus?

BRACTEA VII.

R. Teneri stare sponsalibus. Ratio est, quia possessio stat pro ipsis, quæ constant facta fuisse, sed dubitatur de illius obligatione, & omnis actus præsumitur secundum suam naturam factus, nisi aliter probetur. Ita Sanchez *disp. 9. num. 12. & disp.* 18. *num.* 5. & alij.

An sponsalia ficta, sed iuramento firmata obligent?

BRACTEA VIII.

Sciendum iuramentum communi, receptaq; diuisione diuidi in assertorium, & promissorium, quam diuisionem; ita explicat S. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 1.* Diuinum inquit testimonium, quandoque inducitur ad asserendum præsentia, vel præterita, & hoc dicitur iuramentum assertorium, quandoque autem inducitur Diuinum testimonium ad asserendum aliquid futurum, & hoc dicitur iuramentum promissorium.

Sciendum 2. iuramentum ex natura sua inducere obligationem ex religione prouenientem; quod si aliam aliquando habet nō ex eius natura, sed ex iuris dispositione prouenit. Et ita Innocentius *cap. cum venissent de institutione*, Iason *in l. iurando*, Vasquez *de testamentis cap. 3. dub. 2. num. 21.* Suarez *lib. 2. de iuramento cap. 29. num. 23.* Sanchez *lib. 3. summæ cap. 12. num. 3.* Basilius Pontius *de sponsalibus lib. 12. cap.* 8. §. 5. quod pluribus rationibus probat.

Sciendum 3. materiam, in quam cadit iuramentum, vt obligandi vim habeat non debere esse turpem, neq; indifferentem, sed honestam, vel ex sua specie, vel ex fine operantis alioquin nullam haberet obligationem. Et ita communiter omnes Theologi. Similiter iuramentum non debere esse contra bonum publicum, & nō valere iuramentum confirmans contractus irritos contra bonum publicum. Item iuramentum non debere esse faciendi aliquid contra legem prohibentem, & si esset aliquod iuramētum, nullius prorsus obligationis esset, quod non modo debet intelligi, quando iuramentum resistit leg. Canonicæ, verùm etiam, quando resistit legi Principis sæcularis, quæ non aduersatur Ecclesiasticæ libertatis. Quibus positis.

R. Sponsalia ficta iuramento firmata animo se obligandi seruanda esse. Ratio est, quia ex iuramento hoc modo facto consurgit obligatio, quando verò iuramentum factum fuit non animo se obligandi, non est obligatio seruandi sponsalia. Ratio est, quia obligatio iuramenti oritur ex vero iuramento, nec Deus acceptat iuramentum, nisi secundum hominis intentionem. *Cap. humanæ aures quæst. 5. cap. 11.* & ita D. Thomas *3. dist. 39. quæst. 1. art. 3. quæst. vincula 3.* vbi dicit iuramentum ex ipsa iuramenti, vt iuramentum est, ratione non obligare, nisi iuxta iurantis intentionem. Et ita apud Sanchez plures citati *lib. 1. de sponsal. disp. 9. num. 9.*

Sciendum 4. iuramentum immediatè aliquando cadere supra contractum, idest verbi gratia supra promissionem, aliquando supra rem contractus, idest promissionis, mediatè autem supra contractum: iuramentum primo modo consideratum cum intentione se obligandi semper est obligatorium, secundo modo consideratum sequitur naturam rei, cuius est actus; ita vt si contractus, supra quem cadit iuramentum, sit verus, iuramentum firmat ipsum, si verò sit fictus, & non animo se obligandi, iuramentum censetur nullum, & inualidum, quia accessorium sequitur suum principale, vt v. g. si quis alicui dixerit, iuro te ducturum in vxorem, tunc obligatur ipsam ducere, ratione iuramenti, etiamsi promissio fuerit ficta. Ratio est, quia iuramentum non cadit supra promissionem, sed super materiam promissionis; si verò alicui promiserit ducturum se aliquam in matrimonium fictè, & ipsam iuramento firmauerit, tunc iuramentum non obligare cum sequatur naturam ipsius promissionis, quę quia ficta non censetur obligatoria. Ita Sanchez *de sponsal. disp. 9. dub. 2. num. 9.* & plures ab ipso citati.

An sponsalia metu graui contracta, iuramento firmata, sint obseruanda, donec relaxentur?

BRACTEA IX.

R. Non esse seruanda, nec iuramentum indigere relaxatione. Ratio constat ex supradictis, quia sponsalia metu graui contracta sunt inualida, ergo etiam iuramentum, quod superadditur, cum sequatur naturam rei, cuius est actus. Et ita Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 4. disp. 21. num. 3.* & Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 2. cap. 11. num. 4.* citatus à Diana *tract. 4 de sacrament. resolut.* 278. vbi sic ait; nota quod sponsalia metu graui contracta non firmantur iuramēto, nec ratione illius obligant, aut relaxatione indigent.

An ex sponsalibus incertis oriatur obligatio?

BRACTEA X.

R. Ex sponsalibus incertis tamen veris oriri obligationem adimplendi ipsa. Ita Sãchez *disput.26.lib.1.num 2.* Ratio, quia ex promissione non ficta oritur obligatio, & sponsalia incerta, vt suppono, sunt vera, & non ficta; ergo ex illis oritur obligatio.

Sciendum sponsalia incerta non esse propriè sponsalia, quia sicut matrimonium debet esse cum determinata persona, ita etiam sponsalia, & ex istis sponsalibus incertis non oritur impedimentũ publicæ honestatis, licet ex istis oriatur obligatio. Ratio est, quia impedimentum publicæ honestatis oritur solùm ex certis, & veris sponsalibus, non autem ex incertis; fiunt autem certa, & perfecta per determinationem personæ; siuè hæc fiat voce, vt si dicat, promitto me ducturum talem filiam tuam, siuè fiat copula animo se obligandi ad matrimonium cõtrahendum, quæ si non fuerit tali animo, non determinantur spõsalia per copulam habitam, quia delictum non potest illi patrocinare, cum non suffragetur delinquenti.

Sciendum 2. eum qui contraxit sponsalia incerta, v.g. cum filiabus Petri teneri in consciẽtia, & ex iustitia ducere vnam ex illis, quæ disiunctiuè à patre illi promissæ fuerunt; verùm si electa ab ipso, recuset, non tenetur aliam ducere, nisi fortè se obligauerit ad alteram ducendam vna recusante, & sic pater, qui habebat quatuor filias, & habuisset solùm intentionem dandi vnam ex tribus, non autem quartam, si primæ tres moriantur ante contractum matrimonium, non erit obligatus quartam dare. Ratio est, quia respectu quartę promissio est nulla, quia ficta ex defectu intentionis se obligandi ad ipsam tradendam, & promissio ficta regulariter non obligat.

Sciendum promissionem fictam in duobus casibus obligare, idest ratione scandali vitandi, & ratione damni precauendi, vt quando quis ficta promissione matrimonij, aut ficto iuramento aliquam decepit illam deflorando, tenetur ipsam ducere ratione damni iniustè illati; qua de causa vir tenetur ducere virginem, quam ficta promissione matrimonij deflorauit. Similiter tenetur ducere viduam bonæ famæ, quam ficta promissione matrimonij carnaliter cognouit, si ipsa infamari cẽseretur ex illa copula, & ob id inepta redderetur matrimonio. Ratio est, quia censeretur causa iniusta illius damni, si illum non duceret; tum quia mille fraudibus via in contractibus aperiretur. Ita Rebellus *1.par.lib 3.quæst.8.* Gutier *de matrim.cap.9. num.6.* Reginaldus *lib.31.num.255.& 256.*

An qui fictè promisit, teneatur stare promissis, ratione fraudis fictè promittendo?

BRACTEA XI.

R. Teneri stare promissis, si puellam violauit: Ratio, quia in omnibus contractibus, in quibus interuenit, do, vt des, vel facio, vt facias, vbi alter ex sua parte impleuit, tenetur alter implere, quamuis fictè contraxerit, eo quod ex iustitia tenebatur verè contrahere; ergo cum hic contractus fuerit mutuus, mulierque iam impleuerit, tradẽdo corpus tenetur fictus promissor implere eam ducendo. Ita D. Thomas *in 4.dist.28.quæst.vnica,* Ricardus *ibidem art.1.quæst.3.* Paludanus *quæst.1.art 2.* Rosella *verbo matrim.4.nu.2.* Angelus *verbo stupr num.1.* & alij apud Lessium *lib.2.disput.10.num.3.* Quod tamen limitandum est primum, nisi vir notabiliter excedat mulierem, quia tunc fœmina huius excessus conscia non potest allegare, se fuisse deceptam. Secundo, nisi fœmina ex verbis, aut alijs claris coniecturis facilè poterat fallacem animum promittentis noscere. Tertiò, nisi ex eo matrimonio scandalum sequatur, aut malus exitus timeatur. Quintò, nisi fęmina decipiat virum dicendo se esse virginem, &c. Ita plures apud Lessium *loco citato num 11.*

An sponsalia dissoluantur mutuo contrahentium consensu?

BRACTEA XII.

R. Sponsalia puberum remitti mutuo consensu partium, & mutua remissione contrahentium etiamsi sint firmata iuramento. Ratio est, quia omnis res per quascunque causas nascitur per easdem dissoluitur, *cap.1. de regulis iuris,* cum ergo sponsalia ex mutuo consensu consurgant eodem etiam dissoluuntur. Ita plures citati apud Sanchez *lib.1.disp.52.num.8.* & Lessius *lib.2. cap.42. dub. 10. num.57.* Em. Sà *verbo sponsalia num.4.* Henriquez *lib.11.cap.19.* Coninch. *de matrim.disp.23.dub.1.n.2.* Nald. *verb spons.nu.4.* D. Petr. à S.Ioseph *loco cit. resol.5.* & alij, verum tamen est, vt dissoluantur sponsalia requiri, quod remissio debeat esse libera, & non ex metu sibi incusso ab altero contrahente ad extorquendam remissionem. Sanchez *loco cit.* alias nulla erit remissio. Similiter necessarium est, vt cum alter eorum læserit, alter acceptet eius remissionem antequam pęniteat; alias valebit contractus sponsalium, nec enim dissensu vnius ille, qui dissensit liber euadit, donec alter acceptet. Dixi etiamsi sint firmata iuramento, nam cum materia iuramenti, in quam cadit, sit promissio facta homini, altero remittente promissionem cessat obligatio iuramenti, quæ in illa fundabatur. *Cap. debitores de iureiurando,* quia vt dictum est iuramentum sequitur naturam rei, cuius est actus. Et ita plures Doctores. Quod tamen intelligendum est, modo iuramentum confirmauerit sponsalia, si enim iuramentum sit absolutè Deo factum, se ducturum aliquam fęminam pauperem, tunc non tenetur ducere, sed potest in cęlibatu manere. Ita Molina *tom.1.de iustitia tract.2. disp.149. num.10.* Rebel. *de sponsalibus quæst.8. art.1.num.4.* quia iuramentum absolutè Deo factum, & non certæ personæ habet rationem, & obligationem voti, & votum debet esse de meliori bono, & melius bonum est cęlibatus quam matrimonium, ergo, &c.

An

An sponsalia impuberum firmata iuramento possint dissolui?

BRACTEA XIII.

SCiendum de impuberibus contrahentibus sponsalia statutum esse *in cap. de illis,& in cap. à nobis de desponsatione impuberum*, vt si intra annos impubertatis contraxerint non liceat eis ante pubertatem reclamare, neq; coram aliquo, sed expectandum erit tempus pubertatis. Secundò quod si vnus, vel eorum reclamauerit sponsalia dissoluuntur. Tertiò, quod si eorum aliquis prius peruenit ad annos pubertatis, si aliter, qui intra pubertatis annos est posteà pubes factus reclamauerit etiam dissoluūtur. Quartò idem etiam esse si is qui prius pubertatem attigerit, reclamauerit, cum vnius dissensus sufficiat ad sponsalia dissoluenda. Quintò si pubes cum impubere contraxerit, pubes quidem resilire non potest; sed expectare tenetur; an impubes postea cum pubertatem attigerit, velit reclamare, qui si reclamet, sponsalia dissoluuntur, alias minimè. Quibus positis.

Prima sententia est, sponsalia impuberum firmata iuramento non posse dissolui, & probatur *ex cap. ex litteris 2. de spons.* vbi expressè dicitur impuberes iurantes sponsalia cogendos esse perficere. Ratio est, quia sponsalia secluso iuramento sunt valida, licet solubilia, adiecto autem iuramento, quia cadit supra rem validam, fiunt indissolubilia. Gloss. *cap. de illis* Couar. *part.1. cap.5. §.1. num.3.* Lopes *part.2. instruct. de matrim. cap.38.* & alij. Sed

R. Etiamsi iuramentum interponatur sponsalibus impuberum adhuc sponsalia eorum posse dissolui. Ratio est, quia vt supra dictum est, iuramentum cadens supra aliquem contractum, sequitur naturam ipsius contractus, sed sponsalia impuberum iure communi dissoluuntur altero eorum reclamante, cum ad pubertatem peruenerit; ergo etiam possunt dissolui, etiamsi firmentur iuramento.

An sponsalia dissoluantur per ingressum Religionis?

BRACTEA XIV.

R. Sponsalia dissolui per ingressum Religionis, dummodo ingressus sit bonæ fidei, & non dolosus. Ita Sanchez *lib.1. disp.42. n.5.* Henriquez *lib.1. cap.14. num.10.* D. Petrus à S. Ioseph *resol. loco cit.* Ratio est, quia sponsalia non obligant vltra intentionem promittentis: promittens autem non intendit se obligare superueniente ingressu Religionis, cum sponsalia censeantur facta sub tacita conditione, nisi melior status eligatur. Dixi dummodo ingressus sit bonæ fidei, & non dolosus, quia si ingressus dolosè fiat, & animo statim exeundi non dissoluit sponsalia, quia fraus nemini debet patrocinari, an autem ad dissoluenda sponsalia requiratur professio, nec ne? dubium est; sunt qui requirāt omnino professionem: sic plures Theologi antiquiores, vt Paludanus, Ricardus, Durandus, & alij apud Sanchez *disp.42. num.1.* alij negant ex parte vtriusque, itaut per solum ingressum, tam qui remanet in sęculo, quam Nouitius sit liber à sponsalibus. Siluester *spons. quæst.10.* Sotus, Nauarrus, & alij apud eundem *num.2.* quæ opiniones probabiles sunt. Sed

R. Respectu remanentis in sæculo, v. g. ex parte sponsæ ingrediente sponso in Religionem per simplicem ingressum dissolui sponsalia. Ratio est, quia per epicheiam iste casus censetur exceptus: respectu verò ingredientis non soluuntur vsque ad professionem; itaut si ante illam redeat ad sæculum teneatur stare prioribus sponsalibus, nisi sponsa alteri nupserit.

An sponsalia firmata iuramento dissoluantur per ingressum Religionis?

BRACTEA XV.

R. Sponsalia firmata iuramento dissolui per ingressum Religionis. Ratio est, quia iuramentum sortitur naturam actus, cui adiungitur. *Cap. Quemadmodum de iureiurando*: vnde conditio tacitè inclusa in actu includitur etiā in iuramento, sed promissioni matrimonij inest tacita conditio, nisi promittens elegerit Religionem, sicuti inest ipsi matrimonio; ergo, & iuramento; ergo, &c. excipitur tamen casus, in quo necessitas vrgeret ad contrahendum prius, vt si ita consuleretur dedecori fęminæ, vt proles ex ea nata legitima efficeretur; tunc enim teneretur contrahere, & posteà ante consummationem ingredi Religionem.

An emisso post sponsalia Religionis voto, possit quis matrimonium contrahere cum firmissimo animo ingrediendi Religionem ante illius consummationem?

BRACTEA XVI.

R. Negatiuè, quia patentissimo periculo exponitur ita contrahens mutandi animū, & ita violandi votū; tū etiā quia aliquo modo derogat dignitati voti Religionis ita contrahere, cum absolutè iure cautum sit huiusmodi votum impedire matrimonium contrahendū. *Cap. Rursus, & cap. consuluit, & cap. insinuante, &c.* tum etiam, quia ita contrahens videtur illudere sacramētum, & notabilem infert iniuriam puellæ, nam cogit ipsam esse absque nuptijs, donec ipse profiteatur, & si egrediatur esse vxorem Monachi cum suo dedecore, & eo professo non ita facilè alij nubet, & suspicionis nota non leui efficitur; existimabunt enim multi eam desertam esse ob aliquod vitium. Ita Sanchez *lib.1. de spons. disp.43. num.7.* exceptis tribus casibus, quos idem proponit in sequenti *num. 8.* Primùs est, quando notabilis adesset metus propriæ famę, aut vitæ amittendæ compellens ad contrahendum: Secundùs, quando quis adstrictus voto ingrediendi Religionem, tenetur inclusus neque exitum obtinere potest, nisi contrahendo matrimonium: Tertiùs, quando ad vitandum magnum scandalum, tale quid fit.

An sponsus qui contractis sponsalibus copulam habuit, cum sponsa, possit ingredi Religionem, quam vouit post copulam?

BRACTEA XVII.

R. Negatiuè. Ratio est, quia talis ingressus est actus iniuriosus, & illicitus votum, & iuramentum non est vinculum iniquitatis. Ita Lessius *lib.2.cap.10.dub.4.* & alij.

Sciendum, quod votum Religionis, quod sponsus emisit, postquam virtute sponsalium copulam habuit cum sponsa de futuro, non esse irritum, & inualidum, sed obligare post dissolutionem matrimonij per mortem, quia sic censetur de re licita, consequenter dissolutis sponsalibus, seu matrimonio per mortem vxoris, vel ob aliam iustam causam, tenetur ingredi Religionem, quia votum ex parte sponsi est validum, nec eius obligatio extincta per matrimonium, sed solum suspensa. Ita Reginaldus *lib.31.num.258.* & alij.

An sponsa posit resilire à sponsalibus, quando sponsus, post ipsa, vouit castitatem?

BRACTEA XVIII.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia promissio non obligat vltra intentionem promittentis, promittens non censetur habuisse intentionem se obligandi in eo casu quo sponsus votum emiserit, superuenit enim notabilis mutatio.

An qui prius votum Religionis emisit, virginemque deflorauit cum promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum?

BRACTEA XIX.

R. Teneri ad matrimonium non obstante voto, si puella votum promittentis ignorauit, quia ingressus Religionis iam factus est ei illicitus, non enim potest ingredi, nisi grauem iniuriam inferendo puellæ; ergo, &c. tum etiam, quia iustitiæ vinculum magis obligat, quam vinculum charitatis, sed ob charitatem vinculum superueniens non potest quis ingredi Religionem, vt succurrat parẽtum indigentiæ; ergo à fortiori propter vinculum iustitię quale est hoc, de quo loquimur, non debet ingredi Religionem. Ita Lessius *lib.2.cap.10.dub.4. num.32.* Vasquez *opusc. de restitut. cap.3.§.2.dub.9.nu.16.* Sanchez *de matrim. tom.1.lib.1.disp.45.num.3.* tum etiam, quia sicut ære alieno grauatus non potest ingredi Religionem quamuis voto illius prius adstrictus fuerit, sic etiam non tenetur quis ingredi ratione voti Religionem, cum notabili damno tertiæ personæ. Secus verò dicendum erit, si sponsa sciebat votum, quia tũc sibi debet imputare damnum, & non alteri, & fęmina non censetur decepta, sed se ipsam voluisse decipere. Ita Gutieres *cap.25.num.7.* Reginald. *lib.3.num.258.*

An peccet mortaliter, qui facto voto simplici Religionis, vult contrahere matrimonium animo ingrediendi Religionem, antequam consumet matrimonium?

BRACTEA XX.

R. Peccare mortaliter propter rationes superius allatas, quia grauem iniuriam faceret alteri coniugi. Et ita Siluester *verbo matrim. quæst.5.* Nauar. *cap.16.num.30.* Rodriquez *par.1.cap.344.* & alij, licet plures sequantur opinionem contrariam, quia actus ingrediendi Religionem, nullam iniuriam alteri irrogat. Et ita Calderinus *in cap. rursus*, Sotus *in 4. dist.38. quæst.vnica*, Angelus *verbo matrim.3.impedim.5.nu.1.* Caiet. *in sum. verbo matrim.* & alij, qui cum Scoto asserunt nullam in hoc casu interuenire culpam, sed contraria sententia est probabilior, quam tuetur Diana *tract.4.de sacram.resolut.232.*

An factis sponsalibus vouit Castitatem, sed qui postea dispensationem obtinuit, teneatur stare sponsalibus, ducendo sponsam cum qua prius celebrauerat sponsalia?

BRACTEA XXI.

R. Non teneri stare sponsalibus. Ratio est, quia sponsalia omninò extincta fuerunt per votum subsequens, & illorum obligatio, & obligatio extincta nunquam reuiuiscit: sicut etiam dicendum est à simili de eo, qui prius facto voto castitatis contraxit sponsalia, & postea dispensatus est in voto, hic enim non tenetur stare sponsalibus, vtpotè omninò inualidis, cum essent contra votum castitatis, & de re illicita, supposito voto. Ita Bonacina *qu.1. de sponsalib. pun.5.num.16.*

An votum suscipiendi sacros Ordines, dissoluat sponsalia?

BRACTEA XXII.

R. Primo Ordines Minores susceptos post sponsalia ipsa non dissoluere, cum non pugnent cum statu coniugi, *iosep.1.& 2. de Clericis coniugatis*, neque possit esse sponsa rationabiliter inuita; vnde neque peccaret, qui post sponsalia Ordines susciperet iuxta Trident. *sess.24.*

R. Per susceptionem Ordinis sacri dirimi sponsalia. Ratio est, quia iam per sacrum ordinem reddidit se inhabilem ad matrimonium.

R. 3. qui post sponsalia vouit sacros ordines suscipere, tale votum dissoluere ipsa spõsalia. Ratio est, quia votum suscipiendi sacros ordines censetur eligi perfectior status, sponsalia habent hanc tacitam conditionem, nisi eligatur melior status. Ita Gutieres *c.26.nu.2.* Siluest. *verbo spons. qu.7.* Henriquez *lib.11. cap.14.num.4.* & alij, licet opinio contraria sit probabils.

Sciendum, quod qui vouet sacros ordines suscipere

suscipere non tenetur seruare castitatem ante quam illos suscipiat. Ratio est, quia castitas est quid annexũ statui maiorum ordinum, sed nullus obligatur ad annexa statui, nisi postquam statum assumpsit; ergo, &c.

An sponsalia dissoluantur per matrimonium contractum cum altera?

BRACTEA XXIII.

R. Sponsalia dissolui per matrimonium cum altera contractum. Ita Sanchez *lib.1.disput.* 45. Ita habetur *cap. sicut ex litteris, cap. si inter virum, cap. adolescens de sponsalibus.* Ratio est, quia res tradita vni per contractum indissolubilem, non potest amplius alteri tradi.

Sciendum est 1. sponsalia non modo dissolui per matrimonium consumatum, verùm etiam per matrimonium ratum, & validum; quod si fuerit inualidum priora sponsalia non dissoluuntur. Ita Sanchez *loco cit.*

Sciendum est 2. dubium esse, vtrum priora sponsalia sic dissoluantur, vt nunquam reuiuiscant, ita vt dissoluto matrimonio non teneatur amplius sponsus adimplere priora sponsalia: ad quod dicendum est negatiuè, quia obligatio extincta nunquam reuiuiscit, & sponsalia per matrimonium subsequens ratum, aut consumatum extinguuntur; ergo, &c. Ita Rodriquez 1. *par. cap.* 245. *num.* 8. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 13. *num.* 3. & alij.

Et quid de sponsalibus firmatis iuramento, an dissoluantur per subsequens matrimonium?

BRACTEA XXIV.

R. Sponsalia firmata iuramento extincta per subsequens matrimonium non reuiuisci mortua vxore, siuè sublato impedimento. Et ratio est, quia cum iuramentum cadat supra promissionem, sequitur ipsius naturam; cum autem non reuiuiscat promissio, nec etiam iuramentum, cum principale trahat ad se accessorium.

Sciendum, quod priora sponsalia licet ante Concilium Tridentinum dissoluerentur per posteriora subsecuta copula animo maritali, cum per copulam animo maritali habitã sponsalia transirent in matrimonium. *Cap. is, qui fidem de sponsal.* nunc autem decreto Concilij Tridentini sancitum est priora sponsalia non dissolui per posteriora, etiam subsecuta copula animo coniugali, cum fides posterior censeatur de re illicita, cum sit data in præiudicium prioris fidei datæ: vnde ex hoc censentur irrita. Ita Nauarrus *cap.* 22. *num.* 26. Henriquez *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *num.* 26. & alij.

Sciendum 2. in aliquibus casibus priora spõsalia dissolui per posteriora copula subsecuta; ita vt cum neutra matrimonium iniri possit, vt si sponsalia posteriora copula, firmata, erunt cũ consanguinea, vel cum affine prioris sponsæ intra gradus prohibitos; tunc enim cum priore sponsa non potest contrahi matrimonium ratione affinitatis contractæ ex copula cum consanguinea prioris sponsæ, quæ supponitur, nec etiam cum posteriori ratione impedimenti publicæ honestatis, quod ex prioribus sponsalibus validis ortum est. Ita Sanchez *lib.1.disput.* 49. *num.* 1. & alij; cum sponsalia dissoluantur per subsequens impedimentum dirimens. Ita communiter omnes.

An sint valida sponsalia inter consanguineos, & affines intra gradus prohibitos contracta sub conditione, si Papa dispensauerit?

BRACTEA XXV.

R. Esse valida tanquam sponsalia conditionata, cuius effectus retrotrahitur vsque ad dispensationem. Ita Rodriquez *cap.* 244. Gutieres *de matrim. cap.* 78. Ratio est, quia quamuis tempore contractus adsit impedimentum dirimens, nihilominus contractus cum hac conditione celebratus suspenditur, & prorogatur ad tempus, quo sponsalia erunt licita, nec aderit impedimentum; actus enim factus tempore inhabili, sed relatus ad tempus habile, valet pro tempore habili. Verùm tamen est, quod ante dispensationem non sunt liciti tactus, & oscula inter huiusmodi sponsos, cum nondum sint sponsi. Ita Sanchez *lib.5.disp.8.num.* 38. & alij.

Sciendum dubium esse, an obtenta dispensatione in dicto casu possit alter recedere à promissione. Respondeo non posse recedere altero inuito, quia obtenta dispensatione cessat impedimentum, & adimpleta est conditio, sub qua celebrata fuerunt priora sponsalia, non est autem liberum contrahenti recedere à contractu post illius conditionem adimpletam.

An per lapsum temporis præfiniti dissoluantur sponsalia?

BRACTEA XXVI.

R. Si cum sponsalia contrahuntur, terminus apponatur ad finiendam obligationem, vt quando contrahentes non absolutè dant sibi fidem de matrimonio contrahendo, sed de contrahendo in tali termino, tunc lapsus termini ab obligatione liberat illum, per quem non stetit, quominus contraheretur, vt habetur *ex cap. sicut de sponsalibus.* Ratio est, quia promissio fuit facta pro tali tempore. Ita Valentia *tom.4.disput.10.quæst.2.pun.* 5. Petrus Ledesma *quæst.* 33. *art.* 3. Siluester *verbo spõsal in quæst.* 10 Quod si terminus appositus sit tantum ad sollicitandam obligationem post sponsalia contractam, lapsus illius nullam habet vim eximendi ab obligatione. Ita Sanchez *lib.1.disput.*53. Reginaldus *lib.* 32. *num.* 26. Rebellus *lib.4.quæst.8.sect.* 4. *num.* 20. & alij.

An sponsalia possint dissolui per moram alterius, quando nullus terminus fuit præfixus ad ipsa perficienda?

BRACTEA XXVII.

R. Dissolui posse, quando qui est in mora requisitus ab altero sponso ad perficienda

da sponsalia, ita differt, & prorogat, vt iudicio prudentis censeatur mortaliter peccare differendo promissionem, tunc enim valet illa regula, frangenti fidem, &c. Ita Coninchus *de matrim. disp. 23. dub. 6. num. 43.* & alij.

An qui post sponsalia, inscia, aut nolente sponsa sacrum ordinem suscepit, teneatur ad restitutionem damnorum?

BRACTEA XXVIII.

R. Qui in scia, aut nolente sponsa sacrum ordinem suscepit obligari æquitatis ratione resarcire damna, quæ ob id sponsa incurrit, vt si expensas fecit in sponsalibus, aut in preparatione ad nuptias. Ita Layman *tract. 10. par. 2. de sponsalibus.*

An dissoluantur sponsalia ob alterius sponsi absentiam, in longinquum profecti?

BRACTEA XXIX.

R. Si sponsus post sponsalia non obtenta licentia sponsæ in terras longinquas se transferat, vt breui tempore rediturus non videatur, acquirit sponsa liberam facultatem cũ alio contrahendi. Ita habetur *in cap. de illis de sponsalibus.* Ratio est, quia sponsus tam longè discedens iuri suo renunciare censetur. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 54.* Coninchus *disp. 23. dub. 6 num. 50.* Gutier. *cap. 3. num. 6.* D. Petrus à S. Ioseph *loco cit. resol. 9.* & alij.

Sciendum, quod si sponsus ob causam necessariam diutius abesse cogatur, tunc sponsa expectare debet, donec iustum eius impedimentum cesset. Ita habetur *in l. sæpè ff. de sponsalibus,* quæ constitutio cum maximam æquitatem habeat, non videtur iure Canonico correcta, vt docet Siluester *verbo sponsal. quæst. 10. dist. 4.* & alij citati à Layman *tract. 10. par. 1. cap. 2. de sponsal. num. 13.* cum tamen duplici limitatione, prima nisi aliter conuentum sit, secunda nisi incontinentię periculum immineat, vel alia necessitas cõtrahendi matrimonium vigeat, tunc enim grauis mutatio superuenit, ad quam sponsa non censetur se voluisse obligare. Si verò sponsus ob causam voluntariam iustam discesserit, tũc secundum ius ciuile biennio expectandus est, si intra Prouinciam, si extra Prouinciam moretur triennio. *l. 2. cod. de sponsalibus, & l. 2. cod. de repudijs.*

Sciendum 2. quod si sponsus in alienam terram domicilium mutaturus se transferat, spõsa hoc ipso à sponsalibus liberatur, & dimittere terram natiuitatis, & ad alias partes se trãsferre est mutationẽ domicilij significare, vt indicat Sanchez *lib. 1. disput. 54. num. 12.* Qui verò negotij alicuius, vel studiorum causa discedit animo reuertendi, is enim domicilium retinet. *l. clam possidere §. qui ad nundinas ff. de acquir. & admitt. posit.* Ratio primę partis est, quia qui ita discedit, censetur renunciare sponsalibus, tum quia sponsa de futuro virum alio commigrantem, vel vagabundum sequi non cogitur, cum ad hunc euentum se obligare non censeatur; si verò non in longinquam Regionem, sed in propinquã abierit, expectandus est, & si congruenti tempore non venerit, etsi requirẽdus requisitis recusauerit accedere, poterunt dissolui spõsalia, quia ex eo quod requisitus recusat accedere, censetur cedere iuri sponsalium, nisi accessus prorogetur iusta aliqua causa.

An verò ad dissolutionem sponsalium requiratur sententia Iudicis? Respondeo negatiuè, quando manifestè constat sponsũ discessisse in longinquas partes, & non adsit spes reditus ipsius. Ratio est, quia illa manifestatio discessus, & defectus spei de reditu supplet pro sententia; si verò in propinquas Regiones abierit, & requisitus recuset redire, illa recusatio censetur supplere pro sententia.

An sponsalia dissoluantur per superuenientem infirmitatem?

BRACTEA XXX.

R. Sponsalia dissolui per superuiuentem infirmitatem notabilem, seu ob morbum contagiosum. Ita Sanchez *lib. 1. disput. 57.* Molina *disput. 272. num. 4. & 5.* Reginaldus *num. 31. lib. 263.* Ratio est, quia sponsalia, sicut & promissiones censentur factę sub hac tacita conditione, si res in eodem statu permaneant; ac si superuenit infirmitas notabilis, aut morbus contagiosus, res non censentur permanere in eodem statu, sequitur igitur sponsalia dissolui. Vnde si post sponsalia sponso, vel sponsæ acciderit aliqua notabilis fęditas, vt amissio nasi, aurium, vel vnius oculi, vel aliqua alia infirmitas, &c. vel si alter eorum inciderit in lepram, morbũ gallicum, vel aliam similem infirmitatem, tunc sponsalia possunt dissolui. Ita Auctores citati.

An si sponsa tempore sponsalium formosa esset, dissoluantur sponsalia, ea effecta notabiliter deformis?

BRACTEA XXXI.

R. Sponsum non teneri contrahere cum spõsa, quæ post sponsalia ex formosa deformis notabiliter euasit. Ratio est, quia quando notabilis deformitas superuenit, non manet res in eodem statu, cum non sit fęmina apta facere id, propter quod dicitur, si pulchritudo illius fuit motiuum principale spõsalium, quia ex parte motiui censetur notabilis mutatio. Ita Sanchez *tom. 1. lib. 1. disput. 57. num. 4.* quæ deformitas si fuisset à principio, impediret sponsalia; tum quia *in cap. quem admonendum n. 3.* statutum est, ob notabilem deformitatem sponsalia dissolui, ne sibi inuicem sponsi displiceant, & matrimonium sic contractum, infelicem exitum habeat, vt docet D. Thomas *4. dist. 27. quæst. 2. art. 3.* secus verò dicendum erit, si pulchritudo non fuit principale motiuum sponsalium, sed accessorium, principale autem esset contrahere affinitatem cum consanguineis sponsæ, quia licet sit mutatio in accessorio, non tamen est in principali.

An

An per paupertatem superuenientem possint dissolui sponsalia?

BRACTEA XXXII.

R. Paupertatem superuenientem sponsalibus esse sufficientem causam ad dissoluẽda sponsalia, vt si sponsa, aut eius parẽtes incidant in paupertatem, ita vt non possint soluere dotem. Ita Sanchez *lib.1.disp.57.* Rodriq. *cap. 245.* & alij. Ratio est, quia promissio dotis est veluti conditio, sub qua contracta fuerunt sponsalia, sed deficiente conditione sponsalia non amplius obligant; ergo sequitur etiam dissolui, quando ob superuenientem paupertatem parentes non possunt amplius dotem soluere.

Sciendum, quod quando sponsus post sponsalia notabiliter factus est diues, vel quia habuit aliquam dignitatem, &c. non ex hoc posse dissoluere sponsalia, quia licet sit mutatus status sponsi, tamen non est deterior factus, & conditio sponsæ permanet in eodem statu; vnde non datur causa, vt sponsalia contracta possint dissolui.

An nulla dotis promissione præuia possint dissolui sponsalia, ob paupertatem sponsæ superuenientem?

BRACTEA XXXIII.

R. Sponsalia posse dissolui. Et ita Basilius Pontius *de matrim. lib.12.cap.17. num.8.* Henriquez *lib.11.cap.14.num.6.* quia negari non potest, quin sit notabilissima mutatio, & quæ à principio existens, sponsalia non fuissent contracta; ergo per superuenientem paupertatem dissoluuntur, quia promissio intelligitur de rebus in eodem statu permanentibus. *Cap. quemadmodum de iureiurando*; & ita plures apud Sanchez *lib.1.de sponsal.disp.59.num.4.*

An sponsalia dissoluantur per fornicationem alterius sponsi?

BRACTEA XXXIV.

R. Sponsalia licet iurata dissoluit per fornicationem alterius sponsi. Ita Sanchez *lib.1.disp.55.* Rebellus *quæst.8 sect. 2. num. 8.* Henriq. *lib.11.cap.14.num.6.* Reginaldus *lib.31.num. 262.* Ratio est à fortiori, quia fornicatio superueniens matrimonio ipsum diuidit quoad torum; ergo multo magis dissoluit sponsalia.

Sciendum, quod si fornicatio sponsi antecedat sponsalia non dissoluere ipsa, quamuis illius fornicatio solùm detegatur post sponsalia. Ratio, quia fornicatio præcedens non censetur contra fidem sponsalium, nec ipsis fit iniuria, nec sponsæ; contra autem fornicatio sponsæ siuè antecedat, siuè subsequatur sponsalia, semper est causa dissoluendi ipsa; quia grauem iniuriam affert sponso; vnde fornicatio antecedens sponsalia, si post ea contracta manifestetur, est causa sufficiens ad ea dissoluenda. Ita Sanchez, & Henriquez *locis cit.*

Sciendum 2. non modo fornicationem sponsæ esse sufficientem causam dissoluendi sponsalia, verùm etiam si sponsa permittat ab alio impudicè tangi, aut amplecti, & osculari, quia hæc censentur facta in dedecus, & iniuriã sponsi, dummodo hæc non fiant amicitiæ, vel consanguinitatis causa, quia si taliter, nulla esset ratio dissoluendi sponsalia.

Sciendum, quod si sponsa non voluntariè fornicata est, passa oscula, & amplexus, respondeo adhuc sponsalia posse dissolui, quia licet hæc sint inuoluntaria, tamen vertuntur in dedecus, & iniuriam sponsi. Ita Sanchez *disput. 56. num.7.*

An sponsa posit resilire à sponsalibus, quando sponsus permittit se ab alia impudicè tangi per oscula, & amplexus?

BRACTEA XXXV.

R. Non permitti sponsæ dissoluere sponsalia ab huiusmodi tactus spõsi cum alia, quia id sponsæ non est dedecus, nec est mutatio alicuius momenti. Et ita Reginaldus *tom. 1. lib. 1. disput.55.num.5.* licet Coninchus *de sacramentis disp. 23.dub.7.num.56.* Layman *in Theolog. morali lib 5.tract. 10.par.1. cap.2. nu. 11.* id limitet, nisi forsan huiusmodi oscula, & tactus essent frequentes, ita vt iudicarent propensum valdè sponsi in alteram animum, vt meritò possit timeri, ne ipse minus sit sponsam amaturus. Ita Dian. *tract.4.de sacram. resolut.283.*

An liceat vtrique sponso à sponsalibus resilire, quando vterque fornicationem commisit post sponsalia?

BRACTEA XXXVI.

PRima sententia est, si ambo fornicati fuerunt post sponsalia neminem posse resilire, quia fit compensatio in delicto. Ita Paludanus *in 4. dist.27.quæst.1 art.3.num.27.* Bonacina *de matrim. quæst.1.pun.8.num.6.* Sed

R. Sponsum posse recedere à spõsalibus, quia eius iniuria non compensatur, quia impiè fieret compensatio, vbi detrimentum est multò grauius, vt est detrimentum viri ob fornicationem sponsæ, multò enim turpior est fornicatio in fœmina, quam in viro.

An sponsa teneatur contrahere cum sponso, qui post sponsalia damnatus est alicuius criminis turpis?

BRACTEA XXXVII.

R. Negatiuè. Quia hæc censetur notabilis mutatio. Et ita Gutieres *cap.23.num.3.*

Sciendum sponsalia posse dissolui non solùm quando notabilis aliqua mutatio, seu causa superuenit sponsalibus, sed etiam quando post sponsalia incipit apparere, & cognosci aliqua causa, quæ si fuisset ante sponsalia, non fuissent celebrata. Ita Sanchez *lib.1.disput.63.* Lessius *lib. 2.cap.42.disput.7.* Ratio est, quia paria sunt in iure aliqua superuenire, & præcedere ignoranter,

ter, seu incipere cognosci, sed si superueniret aliqua mutatio dissoluerentur sponsalia; ergo etiam si aliqua cognoscantur, quæ si fuissent nota, sponsalia non fuissent.

Sciendum 2. ex ista doctrina sponsalia posse dissolui ob cognitionem asperitatis morum. Et ratio est, quia hæc sunt sufficiens causa diuortij matrimonij. *Cap. litteras de restit. spoliatorum*; ergo à fortiori dissoluit sponsalia. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 14. num. 6.* Item sponsum non teneri stare sponsalibus celebratis cum ea, quæ putabatur virgo, vel diues, sed postea cognoscitur esse ab alio deflorata, aut egestate laborare.

Sciendum 3. dubium esse, vtrum sponsus possit dissoluere sponsalia, quando eius auunculus, à quo accepit multa beneficia, qui etiam promisit illum instituere heredem vniuersalem nullo modo vult sponsalibus factis assentiri, immò minatur, si ea non dissoluit eum exhæredare, quæ si ante sponsalia fuissent cognita, ea non fuissent contracta. Respondeo sponsalia posse dissolui, quia censetur notabilis mutatio ob cognitionē intentionis auunculi; tū quia hæc sponsalia fuissent perniciosa parentibus, & per consequens possunt dissolui, vt ex infra dicendis constabit.

An sponsalia possint dissolui per inimicitiam capitalem superuenientem?

BRACTEA XXXVIII.

R. Per superuenientem inimicitiam capitalem sponsalia dissolui possunt. Ita Nauar. *cap. 23. num. 27.* & alij. Ratio est, quia per inimicitiam capitalem mutatur status rerum.

Sciendū non modo per inimiciā superueniētē inter spōsos posse dissolui spōsalia, verùm et ob inimicitiā superuenientē inter parētes spōsi, & spōsæ. Ratio est, quia probabiliter timetur scandalum, aut mali exitus matrimonij, vt quia notabiliter læderetur proximi charitas, dissoluetur parentum pietas, & cognatorum amicitia; nam cum graue peccatum sit contra charitatem taliter contrahere matrimonium, sponsalia, quibus id promissum est, quia sine peccato non possunt exequi, debent dissolui.

An dirimantur sponsalia per impedimentum subsequens dirimens?

BRACTEA XXXIX.

R. Dissolui sponsalia per impedimentum subsequens dirimens matrimonium. Ita Sanchez *lib. 1. disput. 56. num. 1.* Reginaldus *lib. 32. num. 263.* Ratio est, quia nulla obligatio faciendi id, quod ab Ecclesia est prohibitum; ergo sponsalia possunt dissolui ob impedimentum dirimēs, quod subsequitur. Vnde sponsalia dissoluuntur, quando sponsus copulam habet cum consanguinea sponsæ in gradu prohibito propter impedimentum affinitatis, quod sequitur cum sponsa. Et ita *ex cap. veniens 1. de eo, qui cogn. consangu. &c.* Nauarrus *cap. 22. num. 27.* Sotus *disput. 27 quæst. 2. art. 5 casu 8.* Henriquez *cap. 14.* & alij. Quod etiā dicendum est, quando subsequitur impedimentum dirimens cognationis legalis.

R. 2. Sponsalia non posse dissolui per impedimentum solū impediens subsequens ipsa sponsalia excepto impedimento voti simplicis, de quo infra. Ita Sanchez *lib 1. disput. 56. num. 3.* Coninchus *disput. 23. dub. 5.* & alij. Ratio est, quia non adest sufficiens ratio, per quam possint dissolui.

An sponsus possit contrahere matrimonium, quando aliquo occulto vitio laborat, cuius si alter conscius esset, iustè posit à sponsalibus Ecclesiæ?

BRACTEA LX.

R. Cum Basilio Pontio *de matrim. lib. 12. cap. 18. nu. 5. & 6.* quod distinguendi sunt defectus in duplici genere. Primum est eorum defectuū, qui insunt vni ex contrahentibus, siue cum culpa, aut sine culpa, qui reddunt nuptias minus appetibiles, nō tamen perniciosas, vt si mulier, quæ existimatur pulchra, quia absens est, sit deformis, & quæ existimatur honesta, non sit virgo, sed corrupta, vel vi, vel spontè, quando tamen studeret in posterum honestè viuere, si enim hoc nō proponeret iam nuptiæ nō solùm essent minus appetibiles, sed etiam perniciosæ; Alterum genus eorum defectuum est, qui reddunt nuptias non solùm minus appetibiles, sed etiam perniciosas, morbus scilicet contagiosus, improbi mores, à quibus desistere non vult grauis infamia, siuè personalis, siuè generis, quæ posset honestam familiam deturpare; si ergo sunt effectus primi generis, respondeo contrahentem non teneri eos aperire, neque cogendus est contrahens hæc omnia manifestare, nisi sponsa prudenter timeret eos defectus detegendos, & graues inde inimicitias oriri posse, quæ matrimonium litibus replerent, & amorem in odium conuerterent; tunc enim teneretur à nuptijs abstinere; si verò defectus sūt secundi generis non licet cum horum ignaro contrahere, nisi similes defectus pateretur. Ita Pontius *loco cit.*

An sponsus, qui post sponsalia contraxit impedimentum dirimens, teneatur impetrare dispensationem?

BRACTEA LXI.

R. Teneri, quando commodè potest ipsam impetrare, aut quando alioquin sequeretur sponsæ graue damnum. Ratio est, quia par non est, vt sponsus commodum, & immunitatem reportet ex suo delicto, quam reportaret, si non teneretur impetrare dispensationem illius impedimenti. Ita Ledesma *de matrim. quæst. 43. art. 3.* Gutieres *cap. 32. num. 2.*

An obtenta dispensatione in dicto casu, alter possit recedere à promissione?

BRACTEA XLII.

R. Non posse recedere altero inuito à sponsalibus, quia obtenta dispensatione cessat

sat impedimentum, & adimpleta est conditio, sub qua celebrata fuerunt priora sponsalia: non est autem liberum contrahenti recedere à contractu post illius conditionem adimpletam.

An sponsalia dissoluantur per votum simplex castitatis?

BRACTEA XLIII.

R. Sponsalia non dissolui per simplex votum Castitatis factum post ipsa sponsalia. Ratio est, quia votum debet esse de re, quæ sit in potestate vouentis, sponsus non habet amplius potestatem vouendi castitatem post spõsalia, cum tale votum sit cum præiudicio promissionis alteri factæ, nimirum corporis. Ratio est, quia Deus non acceptat promissionem rei prius alteri promissæ, & in eius præiudiciũ, vt si promisi equum Petro, & posteà repromitto Ecclesiæ præualet prior promissio, sed sponsus per sponsalia promisit suum corpus alteri; ergo repromissio eiusdem corporis facta Deo per votum non est illi accepta. Quod si dicatur, promissionem in melius mutari, cùm perfectior vitæ status eligatur, status .n. cælibatus perfectior est statu matrimonij, vnde sequitur sponsalia dirimi per votũ simplex castitatis, eorumque obligationem cessare; sed respondeo in melius posse mutari promissionem, quando ex mutatione in perfectiorem statum non offẽditur iustitia particularis alicuius; hic autem offenditur ius sponsæ: tum etiam Deum non acceptare, quæ vouentur illicitæ, hoc autem votum censetur de re illicita, quia de re contrà iustitiam particularem sponsæ, & contra promissionem prius factam. Probatur etiam ex capite *veniens*, *qui Clerici*, *vel vouente*, vbi fœminæ, quæ promisit patrimonium, imponitur pœnitentia de fide mentita sponso, cum per ipsam steterit ne matrimonium sequatur, & tamen emisit posteà votum castitatis; ergo votum castitatis non dirimit sponsalia, secus autem dicendum erit si votum castitatis præcesserit sponsalia, quia tunc sponsalia post ipsum facta sunt inualida, cum sint de re illicita, quæ iam Deo est promissa, & non sint de re, quæ sit in potestate vouentis.

An sponsalia dissoluantur, quando alter contrahentium non stat promissis?

BRACTEA XLIV.

R. Sponsalia posse dissolui, quando alter contrahentium non stat promissis. Ita Nauar. *cap. 22 num. 27.* Ratio est, quia frangenti fidem, fides frangatur eidem.

R. 2. Sponsalia non modo dissolui, quando alter contrahentium non stat promissis, sed etiam quando non adimplentur conditiones appositæ in sponsalibus. Ratio est, quia sponsalia non obligant vltrà intentionem obligantis, & contrahentes sponsalia non habent intentionem se obligandi, nisi sub certis conditionibus, & tunc non obligant, donec adimpleatur conditio expressa in contractu sponsalium; si verò spõsalia fuerunt contracta sub cõditione tacita, valida sunt absolutè, & non censentur propriè conditionalia. Ratio est, quia conditio tacitè subintellecta nõ reddit actum conditionalem, & per consequens sponsalia celebrata sub tacita conditione sunt absolutè valida, & non censentur propriè conditionalia. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 67. num. 3.* & alij.

Sciendum sponsalia esse in duplici differentia, absoluta, & conditionata: absoluta sunt, quibus non apponitur conditio suspensiua: conditionata vero quibus apponitur conditio suspensiua: sponsalia absoluta statim censeri rata, & valida, conditione verò non nisi adimpleta conditione.

Sciendum 2. quod si pendente conditione sponsus carnaliter cognouit sponsã non potest amplius resilire à sponsalibus ob non adimpletam conditionem appositam, quia ex eo, quod rem habuit cum ipsa, censetur cessisse iuri conditionis.

An sponsalia dissoluantur per dolum, & metum?

BRACTEA XLV.

R. Sponsalia contracta per dolum dantem ipsis causam, adhibitum ab altero contrahentium esse irrita, & inualida. Ita Sanchez *lib. 1 disp. 64. num. 3.* Reginald. *lib. 31. num. 266.* Molina *de contractibus disp. 352.* & alij. Ratio est, quia contractus bonæ fidei ex huiusmodi dolo irriti sunt, contractus sponsalium est contractus bonæ fidei; tum etiam, quia contrahentes liberè debent cõsentire in sponsalibus, & quãdo adest dolus dans causam contractui, cõtrahentes non cẽsentur liberè consentire in contractibus. Ratio est, quoniam sic deceptus minimè consensurus erat, sed errore ductus consensit; cum ergo error inuoluntarium causet, assensusque sit per dolum, & iniustitiam extortus censetur inualidus, & vtrumq; liberum esse à fide sponsalium, nisi aliud damnum secuturum sit.

Sciendum dolum duplicem esse, vnum dantem causam contractui, & alterum incidentem in contractu. Prior dicitur ille, qui si fuisset cognitus tempore contractus non fuisset celebratus, posterior dicitur ille qui si cognitus tempore contractus, nihilominus fuisset celebratus, licet non fortasse cum eiusdem conditionibus.

Sciendum est dolum dantem causam contractui duplicem etiam esse, vnum adhibitum ab altero contrahentium, alterum adhibitum à tertia persona; dolus priori modo scienter adhibitus ab altero contrahentium inualidat, & irritat contractum, & per consequens sponsalia; dolus verò adhibitus à tertia persona non inualidat, nec irritat ipso iure sponsalia, licet deceptus habet ius illa dissoluendi. Ita Siuest. *verbo matrimonium nu. 3. quæst. 12.* Ratio cur deceptus habeat ius dissoluendi sponsalia est, quia adest talis mutatio, quam si præuidisset non contraxisset sponsalia.

Dolus autem incidens in contractu sponsalium non facit sponsalia ipso iure irrita, cum adsit sufficiens consensus ad ipsa.

An

MALLEATIO LV.

De Natura, & proprietatibus Matrimonij.

Quid sit Matrimonium?

BRACTEA I.

SCiendum 1. varijs nominibus matrimonium appellari. Primò dicitur matrimonium, vel quia sit quasi matris munimen, nam proles ex eo est veluti munimē matris, vel q̃a mulier nubit, vt efficiatur mater, siue quia in procreatione liberorum, ad quam matrimonium instituitur, maior ratio habetur matris, quam patris propter illius munia inferendo vtero, & in edenda, ac educanda prole: Secundò, & Tertiò dicitur nuptia, & conubium obnubēdo, q̃a pudoris gratia quādo nubebāt velo se, quasi nube tegebant, siue in peccati admissi erubescentiam, dum à serpente decepta virum suum fefellit, siue vt se viro inferiorem, illique subditam ostendat: Quartò dicitur Coniugium ab effectu, quia duos coniugit quasi sub vno iugo, vt efficiantur vna caro.

Sciendum 2. matrimonium tribus modis cōsiderari: Primò enim consideratur, vt est officium naturæ ad liberos procreandos, & educandos: Secundò, vt est remedium concupiscentiæ: Tertiò, vt est sacramentum nouæ legis ad hoc, vt media gratia adiuuentur onera matrimonij.

R. Matrimonium quatenus est contractus naturalis, est contractus inter virum, & mulierem nullo naturæ, aut humanæ legis impedimento inhabiles ad cōtrahendum de retinendo perpetuam vitę consuetudinem aliquo signo externo declaratus.

Sciendum matrimonium quatenus est contractus naturalis à Deo ipso fuisse institutum. Et ita Argentinas *in 4. dist. 26. quæst. 18. art. 1.* nam ab eo præcipuè fuit facta matrimonij institutio, à quo primò ac præcipuè fuit facta legitima viri, ac mulieris coniunctio maritalis, iuxta ea verba, quos Deus coniunxit homo non separet.

Sciendum 2. quod contractus iste naturalis matrimonij: primò fuit institutus tempore innocentis naturæ ante peccatum; iterum tempore nocentis naturæ post peccatum. Et ita Gratianus *cap. cuius, § Is ita 32. quæst. 2.* Magister *in 4. dist. 26.* Sotus *quest. vnica*, & alij. Institutus fuit in statu innocentiæ in officium naturæ ad propagandam prolem, in statu verò peccati in remedium concupiscentiæ, vt colligitur ex Diu. Paulo *1. ad Corinth. 7. dicente propter fornicationem autē vnusquisq; suā vxorem habeat & vnaquaque suum virum*.

Sciendum 3. dubium esse, quomodo facta fuerit à Deo huiusmodi matrimonij naturalis institutio: ad quod omissis pluribus, ac de re opinionibus, respondeo matrimonium in statu innocentiæ, vt est contractus naturalis institutum fuit à Deo per inspirationem, qua reuelauit Adam, & Euæ se velle, vt inter Adamum, & Euam, atque inter eorum posteros esset maritalis coniunctio perpetuam vitæ consuetudinē retinens; hæc institutio facta fuit in Paradiso voluptatis. Ita Gratianus *loco cit.* & hanc institutionem Adamus promulgauit dicendo Euæ, *hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea*.

Matrimonium in statu peccati, prout est cōtractus naturalis institutum fuit à Deo *Genesis 6. cum dixit* Noè, & posteris illius post diluuium, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Ita Ricardus *in 4. dist. 6. quest. 2.*

Sciendum dubium etiam esse, an contractus ipse matrimonialis sit ex iure diuino naturali, ad quod respondeo in Mundi exordio, & post diluuium ob penuriam generis humani tenebantur homines contrahere matrimonium ex iure Diuino naturali. Ita D. Thomas *quodlib. 7. art. 17.* D. Bonauent. *in 4. dist. 26. art. 1. quest. 3.* Paludanus *quest. 3. n. 4.* Durand. *q. 2.* Ratio est, quia ex iure Diuino naturali pars tenetur subuenire toti, sed propagatio speciei humanæ pendet ex singulis hominibus per legitimam generationem procreatis; ergo in penuria ac defectu speciei humanę tenentur hoīes ad actus matrimoniales exercēdos, nūc verò post multiplicationem humanę speciei singuli homines singulariter sumpti deobligantur ab hoc naturali iure; sed simul sumpti, vt continent totam speciem humanam, adhuc eo iure adstringuntur, neque ad hoc implendo naturali iure deobligarentur, qui votum haberent castitatis ex vi præcisa ipsius voti. Ita Palatius *in 4. disp. 26. disp. 1.* Viualdus *de matrim.* Ratio est, quia votum semper includit conditionem, nisi obstet maius bonum, maiusque ius, tum verò maius esset bonum conseruatio speciei, maiusque vinculum ius naturale obligans indiuiduum ad conseruandam speciem.

Quid sit matrimonium quatenus sacramentum?

BRACTEA II.

R. Est contractus legitimus mutuus, & indissolubilis inter virum, & fœminā, quo traditur mutua corporum potestas, & gratia sanctificans coniuges. Primò dicitur, quod sit contractus legitimus mutuus, & indissolubilis, quia matrimonium celebrari debet iuxta leges præscriptas ab Ecclesia absq; vllo impedimento, & quia non potest dissolui per consensum ipsorum contrahentium, sicuti dissolui possunt cęteri contractus, idcircò dicitur contractus indissolubilis. Dicitur inter virum, & fœminam, quia matrimonium debet celebrari inter vnum, & vnam. Dicitur quo mutua potestas, &c. vt ostendatur materia, & forma huius sacramenti. Vltimò dicitur, quo confertur gratia sanctificans, vt ostendatur effectus matrimonij, vt sacramentum est, cum gratia sit effectus cuiuscunque sacramenti.

Sciendū in matrimonio septem inueniri. Primò inuenitur mutuus consensus contrahentiū. Secundò externus contractus. Tertiò mutua corporum traditio, quæ est immediatus illius contractus effectus. Quartò quoddā vinculum ortum ex illo contractu. Quintò mutua obligatio ad reddendum debitum. Sextò ius, q̃ est in vnoquoq; ad alterum. Septimò vsus, & consumatio matrimonij. Ita Sanchez *disput. 1. lib. 2.*

Sciendum 2. matrimonium triplex etiam esse legitimum, ratum, & consumatum; legitimum dicitur,

dicitur, quod legitimo consensu inter personas non impeditas constitutum est, quale etiam inter infideles esse solet. Ratum includit in se legitimum, addit verò rationem Sacramenti, per quam maiorem firmitatem, & indissolubilitatem acquirit; denique matrimonium consumatum dicitur, quod accedente reali corporis vsu, seu carnis copula perficitur, & completur non tantum in ratione contractus, vt inter infideles, sed etiam in ratione Sacramenti inter fideles.

R. Consumationem non esse de essentia matrimonij; & constat, quia Beata Virgo verum contraxit matrimonium cum Iosepho, sicuti colligitur ex cap. 1. Matthæi, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, & Lucæ 2. vt profiteretur cum desponsata sibi vxore prægnante, & docent Theologi *in 4. dist. 29. & 30.* & S. Thomas *3. qu. 29. art. 2.* & licet B. Virgo cōsenserit in matrimonium, & in traditionē corporis, Quoad actum secundum, seu actualē vsum eius potestatis, cum non sit de essentia matrimonij, nō cōsensit: idcircò Lucæ cap. 1. dixit; Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco: quare castissima Virgo à voti sui violatione secura volente, ac præcipiente Deo in coniugium consentit, sed in actualem eius vsum simpliciter, ac directè non consensit. Secundo, nec consensus internus, nec externus contractus, sunt id, in quo essentia matrimonij consistit, quia sunt causa efficiens matrimonij, vt infra dicetur; nec est quidditas matrimonij mutua corporum traditio, quia illa transit matrimonio permanente, nisi mutua obligatio, & subiectio ad reddendum debitum; hęc enim alterius adulterio, vel ingressu religionis communi cōsensu cessat manente matrimonij vinculo.

R. 2. Essentiam matrimonij, seu matrimoniū consistere in vinculo illo, quo formaliter sunt coniuges vniti. Et ita plures citati apud Sanchez *lib. 2. disp. 1. num. 5. & 6.*

An ad matrimonium requiratur, quod consensus internus debeat signo externo manifestari?

BRACTEA III.

R. Non sufficere ad validitatem matrimonij actum internum, nisi exprimatur verbis, & signis. Ratio est, quia matrimonium est contractus, & Sacramentum; quatenus contractus debet signo externo exprimi, similiter etiam quatenus Sacramentum, cum de ratione Sacramenti sit, vt sit quoddam signum sensibile, licet non sit necesse, vt consensus internus exprimatur per verba determinata; sed sufficiat, si per nutus, & signa sufficienter manifestetur cōsensus, sed consensus sufficienter manifestari potest per signa nutus, aut facta; factis enim magis exprimitur voluntas.

Sciendum consensum externum debere esse de præsenti. *Ex cap. tua fraternitati, & cap. si inter de sponsalibus*, & ex Concilio Florentino *in instructione Armenorum*, cum ait causam efficientem matrimonij esse consensum expressum per verba de presenti; & ratio est, quia per verba de futuro fit tantum promissio rei, non autem traditio.

Sciendum 2. matrimonium contrahi posse omnibus illis verbis, & signis, quibus significatur præsens consensus in matrimonij contractum, *ex cap. si inter de sponsalibus*, vt si quis diceret: Ego te in meam accipio vxorem, & ego te in meum maritum; ex quibus iudicabitur de cęteris, videndo vtrum illis in significatione æquiualeāt. Similiter loquendo de signis, si inclinatione capitis, aut alio signo sufficienti annuit se velle, aut Parocho alterum, aut vtrumque interrogante, an velit vterque signum dat consensus interioris.

Sciendum 3. verba, per quæ exprimitur consensus sumenda esse iuxta communem sensum; ita, vt magis inspiciendus sit vsus communis secundum loquentium conditionem, & consuetudinem patriæ, quam propria significatio verborum. *Cap. ex litteris de sponsalibus*, & si verba secundum cōmunem sensum certò iudicent consensum in matrimoniū, & alter cōniugum, vel vterque asserat se non illo sensu ea accepisse, sed solùm voluisse sponsalia contrahere fidem ipsis non adhiberi in foro externo, etiamsi id iuramento confirment iuxta *cap. per tuas de probat.* & cum verba fuerint ambigua, recurrendum est ad circumstantias, & ad alia verba perspicua, atque iuxta illa iudicandum; & quando dubitatur, an matrimonium sit nec ne, iudicandum esse in fauorem matrimonij, quod documentum Sanchez *lib. 1. disput. 18. num. 6.* docet, locum habere tàm in foro conscientiæ, quàm in foro externo, cum in vtroque foro non sit discrimen quoad matrimonij vinculum.

Sciendum varia esse signa interioris consensus, ex quibus Ecclesia iudicat contractum esse verum matrimonium. Primum est, si postquam vnus consensit per verba de præsenti: Ego te accipio alteri non repugnanti annulum inserat digito. Secundum signum si post sponsalia de futuro matrimonium per copulam consumetur, id enim Ecclesia accipit pro signo consensus de præsenti sufficiente ad matrimonium iuxta *caput veniens secundum, & cap. is quidem de sponsalibus*. Tertium signum, si parentibus, aut tutoribus coniugalem consensum exprimentibus, liberi ipsorum, inter quos contrahendum est matrimonium, sint præsentes, ac taceant; tunc enim matrimonium validum ab Ecclesia iudicatur *ex cap. vnico de desponsal. impuberum in 6. §. vlt.* & ratio est, quia cum liberi tacent præsentibus parentibus, aut tutoribus eorum nomine contrahentibus nec contradicunt, cēsentur approbare, quia illi ius habent pro ipsis agendi; cęteri verò non habentes idem ius tàm cōsanguinei, quàm extranei, si talem consensum exprimant, non ideò censetur matrimonium validum. Ratio est, quia taciturnitas illorum non accipitur pro expressione consensus, nisi contrahentes ante declararint per illos tanquam Procuratores à se constitutos suum consensum tacentes constituere velle.

An mortaliter peccent filij contrahentes matrimonium inuitis parentibus?

BRACTEA IV.

R. Absolutè non committere peccatum mortale, cum filij non teneantur absolutè sequi

qui parentum voluntatem, esse tamen aliquod peccatum, cum de honestate sit, vt in ea re filij in consilium adhibeant parentes; si verò ante contractum matrimonium timeatur aliquod scandalum, vel damnum si fiat inuitis parentibus in eo casu peccare mortaliter contrahentes, nisi iusta aliqua causa excuset, qualis est, quod ipsi parentes probabiliter credantur probatiui tale matrimonium, aut certè illud iniustè prohibitiui.

Quænam sit causa efficiens matrimonij?

BRACTEA V.

R. Mutuum consensum esse causam efficientem matrimonij, vt dictum est supra, qui consistit in traditione iuris in corpora ad præstandum, & reddendum debitum ob finem generationis, qui vt dictum est, debet esse signo externo expressus, & non simpliciter internus, verus, & non fictus, liber, & non coactus.

Sciendum cum triplex finis sit huius matrimonij, nempè bonum Sacramenti, prolis, & fidei, hęc tria, contrahentes saltem implicitè debere intendere. Primò, bonum Sacramenti, idest indissolubilitate, quod accidit, cum non habent intentionem contrariam, vnde qui intendit inire ad tempus matrimonium, non intendit verum matrimonium. Secundò, vt ordinetur ad prolem, quia si primario ordinaretur ad copulam, vel fruendi pulchritudine causa esset peccatum veniale, quia contra ordinem rationis præponitur finis secundarius primario. Tertiò, bonum fidei.

Quæ sit materia, & forma huius Sacramenti?

BRACTEA VI.

Sciendum, vt dictum est in quolibet Sacramento materiam esse, & formam; materiam similiter duplicem esse, vnam Remotam, & alteram Proximam, & hanc esse differentiam inter materiam, & formam, quod scilicet materia sit ens imperfectum perficiendum per formam, cum proprium sit formæ perficere materiam: vnde in contractibus illa dicitur materia, quæ determinatur, ac perficitur per formam ipsius contractus; forma autem est, quæ dat esse rei, & quæ perficit materiam, & determinat, & sic in Sacramẽto matrimonij illa dicitur materia, quæ perficitur, ac determinatur per formam, & illam esse formam huius Sacramenti, quæ perficit, ac determinat contractum matrimonij. Quibus positis.

R. Materiam remotam Sacramenti matrimonij esse traditionem mutuam corporum. Ita Rodriquez *cap.* 216. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 5. Suarez *de Sacrament. disp.* 2. *sect.* 1. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 42. Ratio est, quia illa est materia remota, quæ perficitur mediante materia secunda, seu proxima; hæc autem non perficitur per formam huius Sacramenti immediatè, sed mediatè, nimirum mediantibus signis, quibus exprimitur cõsensus traditionis; sequitur igitur traditionem esse solùm materiam remotam huius Sacramenti.

R. 2. Signa, seu verba, quibus exprimitur consensus traditionis corporum esse materiã proximam huius Sacramenti matrimonij. Ita Auctores citati. Ratio, quia illa est materia proxima, quæ immediatè perficitur per formam; hęc autem materia talis est, nimirum signa, & verba, quibus exprimitur consensus matrimonij esse materiam proximam ipsius. Et patet; quia determinantur per acceptationem alterius cõsensus, signo externo manifestati ad matrimonium, & vicissim acceptatus, quo perficitur matrimonium.

R. 3. Formam Sacramenti matrimonij esse acceptationem consensus expressi, aut per signa à contrahentibus. Ita Sanchez *lib.* 2. *disput.* 5. & alij citati. Ratio est, quia talis acceptatio est, quæ perficit materiam proximam, ac perficit consensum traditionis corporum expressum per verba, aut per signa, & cum illis constituit Sacramentum, ergo, &c.

Qui sit minister huius Sacramenti matrimonij?

BRACTEA VII.

R. Ministrum Sacramenti matrimonij non esse Parochum, aut alium Sacerdotem, sed ipsos contrahentes esse ministros conficiẽtes Sacramentum matrimonij. Ita Sanchez *lib.* 2. *disp.* 6. Henriquez *lib.* 20. *cap.* 2. *num* 7. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 52. Rodriquez 1. *par. cap.* 216. Ratio est, quia ante Concilium Tridentinum clandestinum matrimonium erat verum Sacramentum; ergo ipsi contrahentes erant ministri. Patet etiam ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 1. *antecedens* patet, & etiam consequens, quia ille est minister huius Sacramenti, qui materiam, & formam prębet Sacramenti; sed contrahentes prębent materiam, & formam; sequitur ergo ipsos esse ministros huius Sacramenti. Tum etiam quia ille est minister essentialis huius Sacramenti, qui efficienter celebrat contractum matrimonij; sed ipsi contrahentes efficienter celebrant contractum matrimonij; ipsi enim exhibent consensum, qui est causa matrimonij; ergo ipsi contrahentes sunt minister essentialis huius Sacramenti. Ita Rodriquez *par.* 1. *cap.* 216. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 52. Henriq. *lib.* 11. *cap.* 2. *nu.* 7. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 6.

Sciendum Sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis non peccare mortaliter assistendo matrimonio, cum ipse nõ ministret, nec conficiat Sacramentum matrimonij. Ita Henriquez *loco citato*, Suarez *de Sacram. tom.* 1. *disp.* 15. *sess.* 4. & alij. Quod si dicatur collationem Sacramenti matrimonij, cũ sit actio sacra requirere personã sacram, à qua perficiatur, quales non sunt coniuges. Respondeo, quod sicut Laicus concessum est, vt vrgente necessitate possint conferre Baptismum, sic etiam eisdem cõcedi Sacramenti matrimonij collationem. Nam quia ipsum est à Christo institutum in quodam contractu, nec contractus potest fieri, nisi per contrahentium consensus de necessitate fuit, vt per coniuges contrahentes conficeretur.

Sciendum, quod cum matrimonium consistat in mutuo consensu contrahentiũ, qui consistit in traditione iuris in corpora ad petendum, & præstandum vsum ipsorum ob finem generationis, qui etiam vt dictum est, debet esse externus, & non internus, verus, & non fictus, liber, & non coactus, vnde cum triplex sit finis

finis huius matrimonij, nempè bonum Sacramenti, prolis, & fidei; hęc tria contrahentes saltem implicitè debent intendere. Primò, bonum Sacramenti, idest indissolubilitatem, quod accidit, cum non habent intentionem contrariã, quare qui intendit inire ad tempus, non intendit verum matrimonium. Secundò, vt ordinetur ad prolem, quia si primariò ordinaretur ad copulam, vel ad pulchritudinem esset peccatũ veniale, quia contra ordinem rationis præponitur finis secundarius primario.

Sciendum ad hoc, vt matrimonium contrahatur licitè, & contrahentes non peccent, hic finis habendus est. Primò, vt matrimonium principaliter ordinetur ad prolem, si possit habere secundum communem spem; secundariò in remedium concupiscentiæ, propterea enim institutum est, alioquin si ordinetur principaliter ad copulam, vel ad alios fines extraneos, vt pulchritudinem, diuitias, &c. est peccatum veniale, quia est aliqualis inordinatio. Ita Caietanus *tom. 1. opusc. tract. 12. de matrim. quæst. 3.* Nauarrus *cap. 22. num. 79.*

Sciendum in matrimonio non requiri consensum explicitè in carnalem copulam, sed in ius, & potestatem ad illam. Et ita Sanchez *lib. 2. disp. 27. num. 3.* & plures ab eo citati; & ratio est, quia matrimonij contractus de se ordinatur ad talem potestatem acquirendam, quo fit, vt cõsensus quo idẽ cõtractus perficitur sit explicitè in traditionẽ dictę potestatis, implicitè aũt in ipsã copulã, quia cõsensus in aliquã rẽ implicitè saltẽ fert in effectũ, ad quẽ eadẽ res ordinatur: quocirca nullus esset contractus matrimonij celebratus sub conditione, quod contrahẽtes non tenebuntur sibi mutuò debitum coniugale reddere, quia cõsensus in potestatẽ ad copulam esse nequit, cõsensu in copulam penitus secluso, quamquã si contrahentes intẽtionem habeãt nunquam exercendi talem potestatem, non ideò impediretur matrimonium. Et ita Sanchez *lib. 2. disput. 28 num. 3. qui num. 4.* addit significatum à D. Thoma *in 4. dist. 30. quæst 2. art. 1. quæstiuncula 2* cum dixit, quod Beata Virgo implicitè cõsenserit in copulam, sed copula nunquam fuerat illi in proposito, quia à Deo erat certifiata illam nunquam subsequi debere.

An matrimonium clandestinum sit validum?

BRACTEA VIII.

Sciendum matrimonium duplex esse, vnum solemne, & alterum clandestinum. Solemne dicitur, quod fit coram Parocho, & testibus, siuè fiat in Ecclesia, siuè domi; clandestinum autem duobus modis dicitur. Primò, quod fit sine præsentis præsentia Parochi, & testium. Secundo, quando celebratur omissis denunciationibus. Quibus positis.

R. Matrimonium clandestinum sine Parocho, & testibus celebratum post Concil. Trid. esse inualidum. Ita Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim.* & communiter omnes Doctores. Ratio est, quia contrahitur contra decretum Concilij inualidans, & annullans tale matrimonium; vnde contrahentes non modo inualidè contrahunt, sed etiam peccant mortaliter contrahendo, quia contra decretum Concilij faciunt in materia graui.

R. 2. Matrimonium clandestinum secundo modo, quod videlicet contrahitur omissis denunciationibus validum esse, dummodo celebretur coram Parocho, & testibus. Ita Henriq. *lib. 11. cap. 5. num. 1.* Rodriqez *cap. 217. num. 2.* Nauarrus *cap. 22. num. 7.* Philiarcus *tom. 1. par. 2. lib. 2. cap. 2.* Reginald. *lib. 31. n. 222.* & alij plures Ratio est, quia denunciationes non sunt de essentia Sacramẽti matrimonij: vnde sequitur, quod si omittantur, matrimonium sit validum. Ratio est, quia nihil omittitur, quod sit de essentia matrimonij

Sciendum tamen 2. quod licet denunciationes non sint de essentia Sacramenti matrimonij, tamen sine licentia non debent omitti, quæ nec etiam danda est absque iusta, & legitima causa. Quod si contraheretur matrimonium sine denunciationibus absque licentia contrahentes peccarent mortaliter, quia facerent contra præceptum Concilij Tridentini in materia graui; facultas autem dispensandi in denunciationibus residet apud Ordinarium, vel eius Vicarium generalem, qui venit etiam nomine Ordinarij: licet iste actus dispensandi possit ab Ordinario alteri delegari. Ratio est, quia dispensatio est actus iurisdictionis ordinariæ, qui alteri potest delegari. Ita Reginaldus *lib. 31. n. 235*

Sciendum est 3. plures esse causas dispensandi in denunciationibus. Prima est, quando creditur matrimonium posse impediri, aut per fauorem Magnatis Principis, vel etiam per maleficia. Secunda, quando instat aliquod periculum vitæ, vt si quis sit in periculo mortis, & velit contrahere matrimonium cum concubina, &c. vel etiam ob periculum famæ, vel honoris, vt si quis velit ob votum cõtrahere matrimonium cum paupere, vel ignobili; similiter si detur occasio alicuius peccati, si diutiùs differatur matrimonium, vt si sponsus ob commoditatem habeat rem cum sponsa, vel quia habitant in eadem domo, vel ob aliam commoditatem. Tertia, quando commodè denunciationes non possunt fieri, quia instat prohibitum tempus. Quarta, quando Magnates contracturi sunt matrimonium. Et ita Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 9. num. 6.* Ratio est, quia horum matrimonium sunt valdè publica: quare si aliquod impedimentum inter eos esset, statim sciretur. Et ita Palud. *in 4. dist. 28. qu. 2. art. 3.* D. Antoninus *3. par. tit. 1. cap. 16.* & alij citati à Sanch. *loc. cit.*

Sciendum denũciationes debere fieri in propria Parochia, & si quis habeat domicilia in diuersis Parochijs faciendas esse denunciationes in ea Parochia, in qua diutius habitat, quia si erit aliquod impedimentum, faciliùs poterit cognosci in Parochia, in qua diutiùs habitat, quam in illa, in qua recreationis gratia, vel parum inhabitat. Ita Sanchez *lib. 3. disputat. 6.* Reginaldus *lib. 31. num. 235.* Quod si æqualiter habitat in vtraque Parochia, denunciationes faciendas esse in vtriusque contrahentis Parochia. Ratio est, quia Tridentinum dicit faciendas esse à proprio contrahentium Parocho; ergo vterq; Parochus, quando sunt diuersę Parochię, eas facere debet; tum etiam quia talis publicatio exigitur, vt scientes contrahentium impedimenta illa detegant; ergo in vtraque Parochia debent fieri.

R. 3. Denunciationes debere fieri tribus diebus festiuis continuis. Ita Tridentinum Concilium *sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.*

Sciendum denunciationes faciendas esse regulariter

gulariter in Ecclesia inter iuristarum solemnia, licet etiam cum causa possint fieri extra Ecclesiam in loco, ad quem magna populi copia confluit, vt accidit prædicationibus, etiãsi ille locus non sit sacer. Ratio est, quia sicut matrimonium potest fieri extra Ecclesiam, ita & etiam denunciationes; tum quia sufficiẽter seruatur finis, & intentio Concilij Tridentini.

Sciendum ex Bonacina *quæst.2.de matrim.pun.6. num.*18. matrimonium posse etiam fieri alio die, quam festo, eo scilicet die, quo inquiens hominum multitudo ad Ecclesiam accedit. Ratio est, quia finis Concilij Tridentini præscribentis fieri denunciationes est, vt multi sciant matrimonium contrahendum, & faciliùs detegant impedimenta, quæ norunt, sed huic fini sufficienter satisfit, quando denunciationes fiunt extra Ecclesiam in locum, ad quem confluit magna populi copia, ergo denunciationes possunt aliquando fieri alio die, quam festo.

An Parochus, qui interpolatim diebus festiuis facit denunciationes, peccet?

BRACTEA IX.

R. Non peccare, si vno, vel altero die festo omittat denunciationes mortaliter, sed solùm venialiter. Ratio est, quia ratione paruitatis materiæ videtur excusandus à peccato, secus si multos dies festiuos interponat vnam, & alteram denunciationem, quia tunc facit contra prohibitionem Ecclesię in materia graui; tum quia ob magnum temporis interuallum, seu moram fieri potest, vt Parochiani tardiores euadant ad deferenda impedimenta, & interim obliuiscantur præcedentium denunciationum.

An Parochus, qui omittit denunciationes matrimonij, peccet?

BRACTEA X.

R. Non peccare, si vno, vel altero die festo omittat ratione paruitatis materię: secus si multos dies festos inter vnam, & alteram denunciationem interponat; quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui.

An sit peccatum læthale consumare matrimonium ante Ecclesiæ benedictiones?

BRACTEA XI.

PRima sententia est esse peccatum mortale. Et ita habetur *cap. aliter 30. quæst.* 5. & probatur ex Concilio Lugdunensi, & habetur *cap. nulli 30. quæst.* 5. ibi (nulli ex propinquitate sui sanguinis vxores ducant, nec sine benedictione Sacerdotis:) item ex Concilio Chartaginensi 4. ibi (sponsus, & sponsa cum benedicendi sunt eadem nocte pro reuerentia benedictionis in virginitate permaneant) vbi supponit sponsos benedicendos esse virgines: ergo erit mortale prius consumasse matrimonium.

Secunda sententia est, consumare matrimonium ante Ecclesiæ benedictiones prima vice esse mortale peccatum; deinceps verò nõ, quia præceptum solùm est de consumatione. Sic Paludanus 3. *dist.*28. *quæst.*1. *art.*2. *num.*19. Rosella *verbo impedimento* 1. *num.*12. & alij.

Tertia sententia docet tantum esse prohibitum petere ante benedictiones Ecclesiæ, non autem reddere, quia illud voluntarium est, hoc autem necessarium. Et ita Ricardus *in* 4. *dist.* 28. *art.*2. *quæst.*3.

Vltima sententia negat esse læthale consumare, siuè petendo, siuè reddendo ante benedictiones Ecclesiæ, si desit contemptus; & huic opinioni fauent plures Doctores citati à Sanchez *lib.*3. *disp.*12. *num.*4. Quibus positis.

R. Non esse peccatum mortale consumare matrimonium ante Ecclesiæ benedictiones, dummodo tamen non adsit contemptus, & scandalum: immò aliquando nec esse mortale, nec esse veniale peccatum, vt quando ex aliqua causa iusta differuntur, estque periculum incontinentiæ.

R. Cum secunda sententia, quod quamuis esset peccatum cõsumare matrimonium antè Ecclesiæ benedictiones, id tamen solùm debere intelligi de priori copula: & ratio est, quia ea prohibitio non est, nisi vt debitus ordo consumandi seruetur, & reuerentia benedictionibus debita, præmittendo eas priori copulæ, qua matrimonium legitimè consumatur, qua habita seruari amplius non potest.

R. 3. Si esset peccatum consumare ante benedictiones tàm petens, quàm reddens peccaret. Ratio est, quia petendo, reddendo non redderent, & peterent tempore debito, quia præceptum præmittendi benedictiones æquè ligat vtrumque coniugem, & proinde impedimentum est commune, nec alter reddere tenetur, nisi debito ordine tempore petatur.

An ex vi denunciationum teneatur, qui impedimentum nouit, quamuis occultum illud denunciare?

BRACTEA XII.

R. Ex vi denunciationum teneri sub culpa mortali impedimentum, quod nouit inter volentes cõtrahere, licet occultũ sit, & probare non possit manifestare. Ratio est, quia hęc denunciatio non tendit ad punitionẽ criminis admissi, sed ad vitandum peccatum ne admittatur; ergo quamuis denuncians probare nequeat, nec suum testimonium sufficeret ad impediendum, tenetur denunciare. Ratio est, denunciando aperiet viam, vt Prælatus diligenter inquirat de impedimento, & curet ipsos contrahentes ne tacito impedimento matrimonium ineant. Ita Paludanus in 4. *dist.*27. *quæst.*1. *art.*28. Gutier. *lib.* 1. *quæstionum Canonicarum cap.*11. *num.*27 *&* 28. Henriquez *lib.*11. *de matrim. cap.* 14. *num* 5. & alij.

Sciendum, quod si impedimentum ortum habeat ex peccato occultò non statim denunciandum esse, sed prẽmittendam correctionem fraternam, vt desistat à matrimonio ob impedimentum; quod si monitis non acquiescat, denunciandus erit, quia lex charitatis postulat, fraternam correctionem præmitti, vt quam

minimo damno famæ proximi fieri possit, peccatum eius vitetur. Quod tamen intelligendum est, quando est probabilis spes, vt correctio prosit, quia si esset frustranea ad ipsam nō obligaretur, sicut etiam non obligatur quando ex denunciatione timetur aliquod scandalum, quia tunc non tenetur denunciare. Et ita Nauar. *in summa cap.22.num.83.* Gutier. *loco cit. n.29.* An obligetur denunciare impedimentum si illud acceperit sub secreto? Dicendum est teneri denunciare, quamuis sub secreto naturali commissum sit. Et ita Paludanus *in 4. dist. 28.quæst.2.art.5.* Ratio est, quia hic non agitur de punitione, vel alicuius damno, sed de peccato vitando, & cum vita animæ omnibus rebus præferenda sit, vincit hęc lex tanquam fortior lege de seruando naturali secreto, famaq; proximi, tum etiam, quia secreto cōmissa manifestanda sunt, vbi vergunt in damnū publicum, aut tertiæ personæ imminens in futurum; ergo tenetur denunciare, & non seruare secretum, cūm vertatur in damnū tertij. Quod etiam dicendum est, quamuis impedimenti cōscius illud acceperit sub confessionis secreto: dummodo tamen sit extra confessionis sacramentum. Ratio est; quia cum hæc non sit cōfessio eius sigillum non obligat, vt sigillum sacramentale, sed est secretum naturale, licet genu flexo, factoq; crucis signo, & confessione dicta hoc secretum committatur; adhuc enim confessionis sigillum non est, quando non detegitur animo verè fatendi peccata sua, sed tātum gratia dandi, aut petendi, consilium. Ita plures citati apud Sanchez *lib. 3. disp. 13. num.6.*

R. 2. Conscium impedimenti ex solo auditu si audiuerit à persona fide digna obligari id manifestare si ipsa non denunciet. Ratio est, quia notitia ex auditu habita à fide dignis est vera notitia fidem faciens. Sic Nauarrus *cap. inter verba, & in summa cap.25.num 46.* & alij. Secus autem dicendum si persona, a qua audiuit non est fide digna. Ratio est, quia leuis reputaretur denuncians eius dicto. Ita Gutier. *lib. 1.quæstion.Canon.cap.11.num.71.*

Sicut etiam non tenetur denunciare qui audiuit, nec men init à quo audierit, vel audiuit à persona nihil certum sciente. Ita Nauarr. *loco citato Corolario 66.num.291.* & alij.

Similiter si conscius impedimenti occulti nouit contrahentes impetrasse denunciationē pro foro conscientiæ non tenetur denunciare. Ratio est, quia denunciationes fiunt, vt peccatum, & matrimonij malitias vitentur, sed illi validè, & absque peccato possunt contrahere, & in foro conscienti r, perinde est, ac si non haberēt impedimentum, ergo non tenentur denunciare si impedimentum sit occultum. Secus verò dicendum si publicum esset.

❧❧❧❧

An si Ordinarius, vel Parochus petat à contrahentibus, an aliquo impedimento ligati sint, teneantur illud manifestare, quamuis occultum sit?

BRACTEA XIII.

R. Teneri illud impedimentum fateri, quāuis occultum, & infamatorium sit, vel desistere à matrimonio contrahendo. Et ratio est, quia sicut ordinandus interrogatus tenetur manifestare vitium occultum, quod reddit ipsum incapacē ordinis, vt si sit irregularis, vel ætatis defectum patiatur; vt ab ordinibus desistere teneatur, vt constat *ex cap. Nisi cum pridem de renunciatione*, & ita Angelus *Ordo 7. num.1.* Siluester *ordo 2. quæst.2.* Tabiena *ibidem 6. num.1.* Henriquez *lib.10.de sacram.Ordinis cap.18.nu.2.* Maiolus *lib.4.de irregularis.cap.10.* ergo similiter volentes contrahere matrimonium, tenentur manifestare impedimentum occultum, quod impedit ne possint contrahere.

An Parochus, qui per confessionem agnouit aliquod impedimentum dirimens, teneatur denegare matrimonium contrahentibus?

BRACTEA XIV.

SCiendum Parochum nullo modo posse vti scientia in confessione habita ad externos actus, & Parochum, qui in confessione nouit aliquod impedimentum teneri in sacramento contrahentes admonere, ne contrahant dummodo speret profuturam admonitionem, si nouit ex confessione illius, quia si ex alterius complicis confessione agnoscit, non potest alium admonere, quia vteretur scientia in cōfessione habita in ordine ad actus externos, cum periculo reuelationis complicis. Quibus positis.

R. Parochum teneri denegare matrimoniū illi, quem scit extra confessionem irretitum esse aliquo impedimento etiam occulto, quamuis publicè petat matrimonium, aut neget impedimētum, quod notum est Parocho. Ita Sanchez *lib.3.disput.15.* Henriquez *lib.1.cap.30.num.6.* Coninchus *disput.27.dub.7.num.66.* Gutieres *de matrim.cap. 60.num.2* Reginaldus *lib.31.num. 240.* Ratio, quia Parochus non debet assistere matrimonio inualido; ne contrahentes maneant in perpetuo damnationis statu; tum quia ita colligitur *ex cap finali de clandestinis desponsationibus*; vnde quando quis vult contrahere matrimonium, & solus Parochus nouit impedimentum, debet admonere Episcopum, ne matrimonium contrahatur; nam sicut alij tenētur manifestare impedimentum, multò magis tenetur Parochus, cui ex officio incumbit consulere saluti suarum ouium, & inquirere impedimenta, præsertim cum per ipsius testimonium sufficienter probetur impedimentum, quia quando agitur de dāno vitando, vel iniuria alterius, aut peccato quilibet tenetur denunciare alterum, & vnus

testis

testis sufficit. *Cap. preterea 2. de sponsalib. & cap. super eo 2. de testib. & attestationibus.*

R. 2. Posse Parochum vti scientia in confessione habita ad aliquod remedium, dummodo non adsit periculum manifestationis personæ, & sine periculo, vt veniant in cognitionem. Ratio, quia vt sic non dicitur frãgere sigillum, nec confessio redditur odiosa, & onerosa; si verò esset aliquod periculum reuelationis, non potest vti tali scientia, ac proinde se gerere debet, ac si nihil sciret præcipuè in his rebus, in quibus pudor, seu confusio, ac damnum pœnitentis sequeretur. Ita Suarez *tom. 4. disput. 33. sect. 1. & 7.* Cardinalis Tuscus *tom. 2. lib. 2. conclus. 686. & 687.* Reginaldus *lib. 4. num. 4. 52. & 53.* Coninchus *disput. 9. dub. 1. num. 22.* Menochius *lib. de præsumpt. quæst. de arbitrarijs*, & alij. De licentia verò ipsius pœnitentis liberè obtenta in confessione, posse extra confessionem vti scientia in confessione habita. Ratio, quia pęnitens potest iuri suo cedere concedendo facultatem Confessario vtẽdi scientia in confessione habita, vel loqui de auditis in confessionẽ.

R. 3. Parochum, qui nouit in confessione esse aliquod impedimentum teneri huiusmodi impedimentum sub sigillo reticere, consequenter non posse denegare Sacramentum matrimonij ob impedimentum dirimens, quod in confessione nouit esse. Ita Coninchus *de pęnitent. disput. 9. num. 67.* Gutier. *de matrim. cap. 61. num. 11.* Henriq. *lib. 6. cap. 19. num. 5.* Reginaldus *lib. 3. num. 23.* Suarez *disp. 63 sess. 2.* & alij. Tenetur tamen illum in confessione admonere, vt desistat à tali matrimonio contrahendo, vel quod voueat castitatem per mensem, deindè consanguineis dicat se obstrictum voto castitatis, sibique à Confessario mandatum esse, vt abstineat à matrimonio, donec obtineatur dispensatio, &c. extra confessionem non potest eos admonere, aut repellere, si accedant, vt contrahant. Ita Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 19.* & cum eo plures citati.

An possit Parochus assistere matrimonio eorum, quos nouit obtinuisse dispensationem in foro conscientiæ?

BRACTEA XV.

R. Posse, quando nullus adest, qui impedimentum denunciet, & sibi aliunde constat de impedimento. Ita Sanchez *loc citato num. 8.* Gutier. *de matrim. cap. 60. num. 6.* Coninchus *disp. 27. dub. 7. num. 74.* Reginaldus *lib. 31. num. 241.* Ratio est, quia sicut contrahentes non peccant contrahendo, ita neque Parochus eos iniungendo.

R. 2. Quod, quando aliquis apud Parochum denunciauit impedimentum non posse ipsum dissimulare, & eos coniungere, quamuis sciat ipsos obtinuisse dispensationem in foro conscientiæ. Ratio est, quia non pertinet ad Parochum discutere de impedimentis, sed ad Ordinarium, qui habet iurisdictionem in foro externo. *Cap. fin. de clandestin. desponsal.* vnde Parochus facta sibi denunciatione debet eam deferre ad Ordinarium, vt eius minister, & non potest amplius vlterius procedere ad contrahendum matrimonium, quoadusque de illo impedimento ab Ordinario iudicatum sit. Ita Sanchez *lib. 3. disput. 15. num. 15.* Coninchus *disput. 27. nu. 64.* & alij; & proinde debet Parochus interdicere matrimonium, vt patet *ex cap. cit. de clandestin. desponsat.* vbi ait contractus, interdicatur, vnde supponit esse proprium Parochi interdicere, & clarius ibidem §. *fin. ibi, Sanè si Parochialis Sacerdos prohibere contempserit, &c.* ergo supponit Parochi esse prohibere. Et ita Sanchez *loco cit. num. 3.* & cum eo plures citati.

Quæ probatio requiratur ad impediendum matrimonium?

BRACTEA XVI.

R. Ad impediendum matrimonium, ne contrahatur, sufficit vnus testis deponens impedimentum. Ita habetur expresse *cap. super eo 2. de testibus, & attestat. & cap. preterea 2. de sponsalib.* Ratio est, quia agitur de vitando peccato, ne peccent contra Ecclesiæ prohibitionem, contrahendo matrimonium impediti.

Sciendum testem deponentem impedimentum plenè probare, etiamsi non fuerit citatus, sed per partem producentem Iudici oblatus, non enim præsumitur se ex hoc ingerere. *Argument. cap. constitutus de testibus.* Secus vbi seipsum ingereret; tunc enim sicut suspectus esset repellendus. Ita plures apud Sanchez *lib. 1. disput. 71. num. 2.* Idem dicendum est, quamuis testis nolit parte citata, & publicè, vt testimonium ferri debet iuxta *cap. 2. de testibus*, sed clam, & absque nominis publicatione testari. Sic habetur *cap. preterea 2. de sponsalibus.* Item etiamsi testis esset denunciator, vel accusator, allegareturque turpitudinem suam. Ita colligitur *ex cap. ad audientiam de sponsalibus, & ex cap. iurauit de probat. & ex cap. 1. de consanguinitate*, etiamsi testis sit criminosus, vt constat *ex cap. preterea 2. de sponsal.*

Sciendum, quod aliquæ qualitates concurrere debent, vt vnicus testis sponsalia perfici impediat. Prima est, vt testis deponat, si enim solùm denunciaret, non impediret matrimonium, nisi probaret de fama. Secunda qualitas est, vt testis iuret, parum enim creditur non iuranti. *Cap. tua de cohabit. Cler.* Tertia est, vt is testis asserat, cum iuramento se scire impedimentum, aliàs dè sólò auditu testificans non impediret, quamuis alter testis simul cum eo absque iuramento de certa scientia deponeret, vnde maiorem fidem facit fama, vel vnicus testis iurans, quam duo testes, quorum vnus cum iuramento deponit de auditu, alter verò absque iuramento de certa scientia, cum hi duò non impediant matrimonium, quod tamen vnicus testis, vel fama impedit.

Excipitur tamen ab hac regula, vt non sufficiat testis de auditu deponens, nisi ad probandam consanguinitatem; tunc enim satis est de auditu testari, si testificetur iuxta formam capitis, licet quædam de test. & ita Mascardus *de probationib. conclus.* 1035. Gutier. *quæst. canon. lib. 1. cap. 11. num. 34.* & Mascardus *conclus. 410. ait num. 3.* requiri testes esse personas graues, & deponere à maioribus audiuisse, & *num. 4.* ait requiri, vt audierint ante litem motam, nam si post litẽ nullam fidem facerent, facilè enim contingere potest, nisi esset auditus post litem motam in loco distantissimo, dummodo is distinguat gradus

clara computatione ab vtroque latere, sic Gutieres *cap.11.num.34.* Vltima testis qualitas est, ne testis sit vilis persona, talis enim, sponsalia etiã non iurata perfici minimè impediret. Ita Panormitanus *cap. preterea 2. de sponsalibus, & cap. cum tua eodem tit. num.7.* vbi contra Goffredum *summa tit. de accusat.* concludit ad impediendum etiam peccatum futurum non admitti vilem personã ad denunciandum, nisi factum ita clandestinũ sit, vt probari nisi per vilẽ personam nequeat, nam vbi deest facultas probandi, admittitur probatio aliàs non integra.

R. Famam impedimenti plenè probare illud, ad effectum impediendi, ne matrimonium contrahatur. Habetur expressè *cap. super eo de consanguinitate*, etiamsi sponsalia iuramento confirmata sint, quia *cap. citato* dicitur famam impedire matrimonium contrahendum fide data, vbi Gloss. *verbo fide explicat, idest iuramento*, & ita Gloss. *ibi verbo fama*, & Mascardus *de probationibus conclus. 1035.*

Sciendum famam non debere esse priuatam, idest si cõstet Iudici vt priuato, nam facta probatione in iudicio, non satis est ad impediendum, licet fama priuata det facultatem Iudici ad inquirendam, & recipiendam probationem, quia Iudex ea fama priuatur ductus per seipsum de plano, & sine aliquo ordine iudiciario diligenter de impedimento inquirere potest. Sic Innocentius *cap. cum tua num. vnico*, vbi plures Canonistæ.

Ad deponendum autem contra hanc famam admittitur etiam consanguineorum iuramentum, immò & fama illuditur, eiusque probatio arbitrio Iudicis, si contra illam contrahere volentes iurent se non esse consanguineos; tunc enim Iudicis arbitrio relinquitur iuxta personarum qualitatem admittere hoc iuramentum contra famam. Sic Præpositus *cap. cum in tua num. 4.* Menochius *de arbitr. lib.2. centur.3. casu 243. num.4.* & alij, ex quibus sequitur satis esse vnum testẽ de certa scientia iurantem, vel famam ad impediendum matrimonium pro foro externo.

An matrimonium per Procuratorem contractum sit validum?

BRACTEA XVII.

R. Ante Concilium Tridentinum matrimonium contractum per procuratorem inter absentes, vel etiam per litteras fuisse validum. Et probatur expressè *ex cap. fin. de procur. in 6. l. sufficit ff. de sponsal.* Ratio est, quia contractus possunt celebrari validè etiam hoc modo, & Christus eleuans matrimonium ad Sacramentũ, non immutauit naturã contractus, quia erat indissolubile ante Trident. ergo validum, tum quia iura non irritant huiusmodi contractum; ergo validè celebrari potuit, & in hoc consistit differentia inter Sacramentũ matrimonij, & reliqua Sacramenta, quod Sacramentum matrimonij celebrari potest inter absentes, non verò reliqua Sacramenta, vt Pœnitentia, Eucharistia, & ratio differentiæ desumitur ex natura contractus, qui potest inter absentes celebrari. Ita Molina *de contract. disput.51.* Speculum *1. par. art. 16.* Henriquez *lib.11. cap.2. num.2.* Sanchez *lib.2. disp. 12 num.3.* & alij communiter.

R.2. Matrimonium contractum per procuratorem inter absentes valere etiam post Concilium Tridentinum, dummodo contrahatur coram Parocho, & testibus. Et probatur *ex praxi Ecclesiæ*, & quia finis Tridentini irritantis clandestina matrimonia est, vt notum sit Ecclesiæ matrimonium, & probari possit; ac id totum contingit in matrimonio per procuratorem; ergo, &c.

Sciendum ad valorem matrimonii per procuratorem quatuor requiri. Primò, vt habeat speciale mandatum, & nominatim de matrimonio. *Clement. non potest de procurator.* Gloss. *cap. qui ad agendum.* Secundò, vt mandatum sit ad contrahendum cum certa persona, nec sufficit generale contrahendi cum quacunque, *l. generali ff. di ritu nuptiarum.* Tertiò, vt procurator per se exequatur, non enim potest alium subdelegare, nisi expressè id contineatur in mandato, eligitur enim industria personę. Quartò, vt tempore, quo procurator contrahit, non sit reuocata potestas, nam si sit reuocata etiam ipso, & altero coniuge ignorante, matrimonium est irritum.

Sciendum 2. matrimonium contractum per litteras, vel procuratorem non modo esse contractum, sed etiam Sacramentum, vt ait Siluester *verbo matrimonij*, & alij plures. Ratio est, quia matrimonium inter præsentes celebratum est Sacramentum; ergo etiam celebratum inter absentes, cum etiam tunc concurrant materia, forma, & intentio ministri, & intendentium recipere Sacramentum; tum etiam quia apud fideles ratio Sacramenti inseparabilis est à contractu matrimonij, nec Ecclesia vnum agnoscit sine alio, & per consequens non potest contrahere matrimonium quatenus contractum, quin etiam intendat Sacramentum. Licet alij sentiãt rationem Sacramenti separabilem esse à contractu matrimonij; sed quod diximus, censetur probabilius.

An Procurator peccet mortaliter contrahendo matrimonium nomine alterius in peccato mortali?

BRACTEA XVIII.

R. Non peccare mortaliter, cum ipse in tali Sacramento nõ sit Minister, licet ipsi contrahentes, qui matrimonium principaliter contrahunt, nomine Procuratoris, aut per Epistolam; teneantur sub mortali esse in gratia; tunc temporis quãdo probabiliter credunt Procuratorem contracturum matrimonium, quia tunc ipsi censentur tale sacramẽtum recipiendo ministrare. Ita Henriq. *lib.11. c.4. n.4.* Rebel. *lib.2. qu.5. num.11.* Coninch. *de matrim. disp.24. dub.2. num.23.* & alij.

An matrimonium contractum sine Parocho, & testibus sit validum?

BRACTEA XIX.

R. Validum esse in locis, in quibus non est acceptatum Concilium Tridentinum. Ratio est, quia lex non obligat, nisi sit promulgata.

mulgata, & acceptata; ergo vbi Concilium Tridentinum non est acceptatum validum erit matrimonium contractum sine Parocho, & testibus.

Sciendum matrimonium, vbi non est acceptatum Concil. Trident. non modo esse validum respectu eorum, qui domicilium, vel quasi habent in illo loco, sed etiam esse validum respectu incolarum, qui se transferunt ad locum, vbi non est acceptatum Concilium Tridentinum. Et ita Henriquez *lib.11.cap.8. nu.8.* Rebel. *2.part.lib.2.quæst.7.num.15.* Reginald. *lib.31.num.179.* Sanchez *lib.3.disput.18. num.8.* & alii, dummodo tamen habeant intentionem manēdi maiorem partem anni, vel ibi perpetuo hebitandi. Ratio est, quia leges non cadunt absolutè supra personas subditas, sed supra personas existentes in loco, vbi leges receptæ sunt, cum autem vt supponitur in eo loco non sit receptū Tridentinum, sequitur posse validè contrahere absque præsentia Parochi, & testium, quæ est forma à Trident. præscripta, iuxta illud vulgare Axioma. Si fueris Romæ, Romano viuito more; si verò incolæ, & peregrini non habeant intentionem perpetuò manendi ibi, vel saltem maiorem partem anni, non possunt absque Parocho, & testibus contrahere, & si contrahant, inualidum erit matrimonium, cū ipsi non fiant subditi, & consequenter non subduntur legibus loci, sicuti etiam dicendum est, incolam illius loci, in quo non est acceptatum Concilium Tridentinum, si vertat ad eum locum, in quo est acceptatum, non posse contrahere absque Parocho, & testibus. Ratio est, quia licet sit regula generalis extraneum non teneri legibus loci, excipitur tamen contractus, matrimonij, qui celebrari debet iuxta præscripta loci, in quo celebratur. Cum igitur matrimonium sit verus contractus; in loco vbi est acceptatum Concilium Tridentinum, debet celebrari iuxta præscriptum ipsius Concilij, qui nimirum coram Parocho, & testibus, quamuis sit incola alicuius loci, in quo non est acceptatum.

Quænam requirantur, vt matrimonium validè contrahatur?

BRACTEA XX.

R. Primò ad validè contrahendum matrimonium requiritur. Primo præsentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de licentia Parochi, vel alterius Ordinarij. Ita Concilium Tridentinum *sess.24. cap.1. de reform. matrim.* proprius autem Parochus dicitur ille, in cuius Parochia contrahens habitat intentione ibi manendi maiorem partem anni, vel semper manendi. Ita Sanchez *lib.3. disp.23.* Coninch. *disp.27.dub.2.num.18.* & alij communiter, ex quo sequitur vt qui alio diuertit intentione manendi ibi maiorem partem anni possit coram Parocho illius loci cōtrahere matrimonium, quia fit illi subditus, & contrahit ibi quasi domicilium, & capax ad omnia sacramenta suscipienda excepto Ordine, & Prima tonsura, & potest ibi sepeliri, & tenetur ad seruandas leges illius loci. Item non posse matrimonium validè contrahi coram Parocho illius oppidi, ad quod sponsus contracturus matrimonium aliquoties in anno diuertit recreationis gratia, vel causa colligendorum fructuum, cum alibi habeat principale domicilium; si verò æqualiter habitet in vtroque loco, scilicet in vno hyeme, & in altero æstate, posse contrahere matrimonium coram Parocho illius loci, in quo tunc habitat. Ita Sanchez *lib.3.disp.24.n.2.* Ratio est, quia vterque illorum censetur proprius Parochus, & sicut quis potest acquirere duplex domicilium, ita & etiam duplicem Parochiam, & per consequens coram quolibet potest contrahere, & à quolibet potest accipere sacramenta supradicta, & in vnaquaque Parochia potest sepeliri.

Sciendum, quod licet dixerim, quod æqualiter in vtraque Parochia debet habitare illud æqualiter non est accipiendum mathematicè, sed morali modo, itaut sit ferè æqualis, vt accidit, quando quis æstate habitat in vno oppido, & hyeme in altero, quæ tempora non ita in puncto Mathematico consistunt, vt omninò æqualia sint.

Sciendum pro maiori notitia, quod cum aliquis alio transtulit domicilium ibi semper manendi ibi nasciscitur suam Parochiam. Secundo cum retento priori domicilio aliud acquirit, vtrobique acquirit ius Parochiæ, dummodo in vtroque se colocet, & æqualiter, vt dictum est habitet. Tertiò cum retento primo domicilio aliò migrat tanquam peregrinus nō acquirit nouam Parochiam in loco, vbi habitat tanquam peregrinus. Quartò, si priori domicilio retento aliò migrat intentione ibi manendi maiorem partem anni acquirit in eo loco Parochiam, itaut ipsi possit ministrari sacramentum matrimonij, licet non habeat intentionem semper manendi, & cum ad ministrandum matrimonium requiratur domicilium, vel quasi sequitur Parochum illius loci ipsum esse, ad quem spectat ministrare, seu assistere sacramento matrimonij, siue sit Parochus sponsi, vel sponsæ, cum vterque possit assistere matrimonio, si in eius Parochia contrahatur, & ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium, vt refert Rebel. *lib.2.quæst.5.* & idem tenet Riccius *decis.244.* Reginald. *lib.31.nu.177.* Sanchez *lib.3.disp.19.* Ratio, quia Concilium Tridentinum non magis explicat Parochum vnius, quam alterius; vnde Parochus sponsæ si in domo ipsius contrahatur matrimonium censetur proprius Parochus, ad quem spectat ministrare hoc sacramentum, & ita refert decisum Armendarius *in addit. ad recopilationem legum* Nauar. *lib.4.tit.15.*

Sciendum quando matrimonium est contrahendum inter sponsum de vna Parochia, & sponsam de alia quando contrahitur in domo sponsæ, sufficit quod sit Parochus habitationis ipsius; si verò contrahatur in domo habitationis viri spectat ad Parochum habitationis ipsius. Et ita declaratum esse à Sacra Congregatione referunt plures citati apud Barbosam *part.2.allegat.32.nu.65.*

Parochum Ruralem non posse assistere sacramento matrimonij, quando Rus, vel recreationis gratia, vel alia de causa ad paucos dies tantum habitatur, & incolitur, eo quod non acquirant ibi domicilum habitationis; nec ius Parochiæ in ordine ad sacramentum matrimonij,

nij, eo quod probatum est non solitos esse Ruri maiore parte anni, nec etiam pro dimidia, sed tantum per tres, aut quatuor menses. Et ita tenet Rota Romana *in nouissima decisione 656. par. 1.* Menochius *cons. 398. num. 5. 16. 21. & 37.* Beller. *disquis. Cleric. part. 1. tit. de exempt. Clericor. §. 5. nu. 8.* Seraphin. *decis. 615.* Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici resolut. 214. num. 2.* Sanchez *de matrim. lib. 163. disp. 23. num. 12.* Gutier. *de matrim. cap. 63. num. 7.* Nauar. *cons. 7. num. 2.* Quod si æqualiter habitet in vtroque loco, tunc censetur habere duas Parochias, & coram Parocho vtriusque loci potest matrimoniũ contrahere, quia vtraq; est æque Parochia. *Cap. Cum quis de sepulturis lib. 6. arg. l. Assumptio § fin. ff. ad municip.* Ita Coninch. *disp. 27. dubit. 2. num. 19.* Sanchez *lib. 3. disp. 247.* Gutier. *cap. 64. num. 2.* Si verò inæqualiter habitet, censetur subditus illius Parochiæ, in qua maior habitatio fit, *argument. Text. in l. 1. §. Æstate, ff. de aqua quotidiana, & æstiua,* Menochius *cons. 298. num. 16. & 17.* & alij.

Tertiò, habitantem in confinio duarum Ecclesiarum censeri Parochianum illius, in qua domus aditum habet. Ratio, quia ex aditu iudicatur domus cui cedat *l. Ei cui Ædes,* Bald. *cons. 60. num. 5.* & si domus habet duas portas in diuersis Parochijs iudicatur de ea Parochia, in qua residet porta principalis, & aditus magis frequentatus. Aloysius Riccius *in praxi fori Ecclesiastici decis. 33.* & alij.

Quartò, tripliciter posse aliquem subijci iurisdictioni alterius Diœcesis, aut Parochiæ. Primò ratione originis. Secundò ratione domicilij. Tertiò ratione beneficij, quod spectat ad recipiendum ordinem.

Ad acquirendum domicilium originis non satis esse natum in aliqua Ciuitate, in qua parentes domicilium non habebant, sed aderant ad tempus causa alicuius negotij, quia non cẽsetur originarius illius loci, in quo natus est, sed fingitur originarius illius loci, in quo Parẽtes habent domiciliũ, licet decennio ibi steterint negotij causa, &c. sed requiritur ad acquirendum domicilium originis, quod sit natus in loco, in quo Parentes habeant domicilium vel ordinariè ducant habitationẽ. Ad comparandum domicilium habitationis non sufficit, qualiscunque habitatio, sed habitatio cum animo ibi semper manendi, aliter non comparabitur domicilium habitationis, non tamẽ requiritur ad domicilium contrahendum decennio habitasse, sed statim ac incipit habitare intentione semper ibi manendi acquirit domicilium. Ita *ex l. domicilium;* vnde ad constituendum domicilium requiritur animus, & factum, idest animus semper manendi, & incohata habitatio, ita etiam ad ipsum destruendum, requiritur animus, & factum, & patet, quia per quas causas nascitur res per easdem etiam dissoluitur. *Cap. 1. de regulis iuris.*

Sciendum 5. est hanc esse differentiam inter domicilium contractum ex origine, & inter domicilium contractum ex habitatione prius esse immutabile, *l. de origine de municip. lib. 10.* At verò domicilium ex habitatione mutari potest quia sicut propria voluntate constituitur, ita propria voluntate, & facto mutari, & amitti, *l. domicilium, ff. de municipijs.*

Sciendum 6. ad validitatem matrimonij non semper necessariò requiri præsentiam Parochi sed sufficere præsentiam alterius Sacerdotis, de licentia tamen Parochi, vel Ordinarij, vel eius Vicarij Generalis, quia Concilium Trid. docet debere Parochum assistere, vel alium Sacerdotem de eius licentia, quæ non semper requiritur expressa, sad satis est, quod implicitè illam habeat, vel generaliter ad ministranda omnia sacramenta, Sacerdos autem, qui sine licentia audet assistere, seu assistere matrimonio incurrit suspensionem, a qua tamen ab Ordinario illius potest absolui. Ita ex Concil. Trident. *sess. 24 cap. 1.*

An Parochus assistens matrimonio, sui subditi in aliena Parochia, peccet, & an matrimonium sit validum?

BRACTEA XXI.

SVpponendum est pro decisione huius casus iurisdictionem duplicem esse alteram contentiosam, quę scilicet habet cõtradictionem, & inter contradicentes exercetur, redditurque in inuitos, *l inter spoliantes, §. 1. ff. de verborum obligatione,* & dicitur contentiosa, quia actor contendit contra reum, dicitur etiam necessaria, quia reus in iudicium vocatus, tenetur ibi respondere, & redditur in inuitis: alteram autem voluntarium, quæ in solos subditos volentes exercet, vt sunt adoptio, mancipatio, manumissio, & alij similes actus; hi enim expediuntur coram Iudicibus, & dicuntur voluntariæ iurisdictiones, quia non fiunt inuitis subditis, sed solum volentibus, nec petunt Iudicem pro tribunali sedentem. Ita Rebuffus *de verborum significatione l. 111.* & Maranta *de ordin. Iudiciorum 4. part. tit. An simplex, vel duplex dist. 18. num. 1. & 2.*

Aliquando iurisdictionem voluntariam assumere naturam contentiosæ, & reducitur ad contentiosam, quando scilicet non nisi cum causæ cognitione exerceri potest, vt in manumissione exercenda per minorem, in qua requiritur causæ cognitio. Ita Albericus *l. 1. num. 7. ff. de officijs Consulis; & l. 2. num. 3. ff. de officio Proconsulis.*

Supponendum 2. hanc esse differentiam inter has iurisdictiones, quod contentiosa exerceri nequit à Iudice extra proprium territorium, ne Iudici territorij iniuriam conferat: voluntaria verò potest vbique exerceri, cum non requirat causæ cognitionem, nec Iudicem pro tribunali sedentem, nec Iudex illius territorij potest conqueri si in suo per alienum Iudicem exerceatur circa subditos proprios, Ita *l. 2. ff. de officio Proconsulis,* & Couar. *lib. 3. uar. cap. 20. n. 8.* Cum Iudicis licẽtia iurisdictio cõtentiosa extra territorium potest exerceri. & requiritur etiam consensus vtriusque litigantis, scilicet actoris, & rei, quia inuiti non possunt extra territorium contrahere. Ita apud Sanchez *lib. 3. disp. 19. n. 7. & 8.* Quibus positis.

R. Matrimonium esse validum cui assistit proprius Parochus cõtrahentium licet in aliena Parochia. Ratio, quia ad validitatem matrimonij requiritur præsentia Parochi, qui non amittit iurisdictionem voluntariam, quia matrimonio assistit extra Parochiam; tum quia sicut extra Parochiam potest audire confessiones

fessiones suorum subditorum; ita etiam potest assistere ad coniungendos eos matrimonio; tũ etiam quia assistere matrimonio est actus iurisdictionis voluntariæ, quæ extra territoriũ potest exerceri. Ita Henriquez *lib.11. de matrim. cap.3.nu.2.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 45. art.5. pun.3. dub.3.* & alij apud Sanchez *loco citato num.11.*

R. 2. Parochum assistentem matrimonio extra Parochiam sine licentia Ordinarij peccare mortaliter. Ratio, quia facit contra consuetudinem Ecclesiæ in materia graui. Ita Henriquez *lib.11.de matrim.cap 3 num.2.* & alij.

Sciendum Parochum, vel Ordinarium posse concedere facultatem alteri Sacerdoti coniungendi sponsos in matrimonium non solum in propria Parochia, verum etiam extra. Ratio, quia Tridentinum dicit, alium Sacerdotem sufficere ad assistendum matrimonio de licentia Parochi, vel Ordinarij, & non dicit in propria Parochia; ergo non erit ratio, cur Parochus non possit concedere Sacerdoti licentiam coniungendi sponsos extra propriam Parochiam.

An validum sit matrimonium contractum coram Sacerdote, qui licentiam extorsit assistendi per metum grauem; aut per dolum dantem causam licentiæ?

BRACTEA XXII.

R Primo matrimonium contractum coram Sacerdote, qui licentiam assistendi extorsit per metum grauem validum esse. Ratio est, quia iurisdictio metu extorta validè transfertur; ergo etiam est validum matrimonium, quando licentia extorta est per metum. Ita Sanchez *lib.3.disp.39.nu.13.* Reginald. *lib.31.n.182.* Gutierez *cap.69. num.14.* & alij. Si verò licentia extorta sit per dolum versantem circa causam finalem, inualidam esse licentiam, consequenter inualidum esse matrimonium contractum coram eo Sacerdote, qui licentiam extorsit per dolum, & mendacia versantia circa causam finalem. Secus verò est dicendum, si licentia fuit extorta per dolum circa causam impulsiuam. Ratio est, quia talis dolus non aufert voluntarium etiam si cõcedens ita fortè sit habitualiter affectus, vt si nosset fictionem non concederet licentiam assistendi. Ita Sanchez *disp.39.nu.15.* Gutierez *loco citato num.14.* & alij.

An Parochus originis censeatur proprius ad assistendum matrimonio?

BRACTEA XXIII.

S Ciendum esse differentiam inter domicilium habitationis, & domicilium originis, quod ad acquirendum domicilium habitationis, non satis sit habitatio, sed requiritur etiam animus perpetuò ibi manendi, alias nullo tempore comparabitur, vt suprà dictum est. Et ita plures apud Sanchez *de matrim. disp.33.n.1.& 2.* non tamen opus est ad domicilium cõtrahendum decennio habitasse, sed statim, ac quis incipit habitare animo perpetuò ibi manendi acquirit domicilium. Ita *ex l. domicilium ff. ad municip.* Hostiensis *in summa tit.de Parochijs §.penult. num.7.* Abbas *cap. fin. num.8. de Parochijs,* Fellinus *cap. dilectus 2. de rescriptis num.12.* Angelus *verbo domicilium num.vnic.* Siluester *eodem verbo num.2.* Alciatus *l.pupillus §. incola num.1.ff de verborum signific.* Henriquez *lib.10.de sacram. Ordinis cap.22.num.2.* & alij multi ab ipsis relati, ex habitatione decennij in vnico loco præsumitur animus ibi perpetuò manendi, & subinde domicilium acquisitum esse, quando animus perpetuò ibi manendi ex alijs coniecturis non deprehenditur. Et ita *l.2.Cod.de Incolis lib.10.l.32 tit.2.& l. 2. tit.24.par. 3.* Quibus positis.

R. Parochum solius originis non censeri proprium ad coniungendum aliquos matrimonio. Ratio, quia Concilium Trident. *sess.24. cap.1. de matrim.* petit assistentiam propri Parochi ad matrimonij valorem; cum autem illa dicatur propriè Parochia, & Diœcesis alicuius, in qua habeat domicilium habitationis, & proinde nomine domicilij non venit originis domicilium, sed habitationis, vt docet Gloss. *cap. statutum §. cum verò,* & plures apud Sanchez *de matrim.lib.3.disp.23.num.7.* Tum etiam quia vbi ius Canonicum voluit sat esse Episcopum originis id explicuit, vt in sacramento Ordinis, *cap. cum nullus de temporum ordinatione in 6.* ibi superior intelligitur in hoc casu Episcopus, de cuius Diœcesi est is, qui ad ordines promoueri desiderat oriundus, nec dicit Episcopum originis esse absolutè quoad omnia superiorem sed limitatè superior intelligitur in hoc casu, nimirum vt promoueat ad Ordines; ergo non debet extendi ad matrimonium, & ad alia sacramenta, quæ iure à proprio Parocho ministranda sunt; tum etiam, quia non origo, sed habitatio constituit aliquem Parochianum. Et ita Canonica portio, quę ius quoddã Parochiale est, non datur Parochiæ originis, sed habitationis. Ita Sanchez *loco cit. num.7.* & cum eo plures citati.

Quæ præsentia Parochi requiratur in matrimonio?

BRACTEA XXIV.

R. Non modo requiri præsentiam physicam, sed etiam moralem, cum requiratur aduertentiæ actus. Et ratio est, quia non intelligens non potest dici præsens, *ex l. fin. vbi* Alciatus *ff. de verbor. significat. & præsentia* intellectum, & scientiam includit *l. testes cod. de testibus,* Alciatus *in l.2.§.voluntatem nu.20. ff. soluto matrim.* Sanchez *de matr. lib.3. disp.40.* & alij. Et quod requiratur præsentia moralis. Ita tenent Henriquez *in summa lib.11.cap.3.§.1.* Gutier. *in tract. de matrim. cap.69.* Coninchus *in 2.2.D.Thomæ disput.27.num.44.* Petrus Ledesma *de matrim. quæst.45 art.2.* Cenedo *practicarum, & canon. quæst. lib.1. quæst.30. nu.33.* Basilius Pontius *de matrim. lib.5. cap.21.* Requiritur eius pręsentia pro forma actus, ita vt matrimonium contractum absq; ipsius præsentia nullum sit, cum eius prèsentia, vt quæuis forma perequiualens suppleri nequeat. Gonzales *ad regulam 8. Cancellariæ gloss.48. num.29.*

R. 2.

R. 2. Etiamsi Parochus sit vi adductus, dummodo tamen intelligat consensum contrahentium validum esse matrimonium. Ita Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 45 art. 5. dub. 2.* Rodriquez *in summa tom. 1. cap. 129. num. 11.* Riccius *in praxi fori Ecclesiastici resol. 213. num. 4.* Sanchez *de matrim disp. 39. num. 9.* Rebellus *par. 2. lib. 2. quæst. 8. num. 4.* Gutier. *de matrim. cap. 69.* Basilius Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 21.* Coninchus *in 2. 2. D. Thomæ disput. 27. num. 44.* Paulus Comitol. *respons. moral. lib. 1. quæst. 114.* & alij.

R. 3. Etiam validum esse matrimonium, quãdo Parochus est dolo adductus, dummodo intelligat, & audiat contrahẽtium verba, etiamsi clauderet aures, & nollet intelligere, & ipse nulla verba proferret. Ratio est, quia verè moraliter censetur præsens. Et ita declarauit Sacra Congregatio Cardinalium, quam citat Rebellus *2. par. lib. 2. quæst. 9. sect. 3. num. 51. & 73.* Gutier. *cap. 79. num. 8.* & Sanchez *de matrim. sect. 3. lib. 3. disp. 30. num. 6.* & alij.

An præsentia Parochi excommunicati sit sufficiens ad matrimonium contrahendum?

BRACTEA XXV.

R. Esse sufficientem, & matrimonium esse validum. Ratio, quia hęc assistentia Parochi non est actus iurisdictionis, sed solùm auctoritatiua, qui etiam si sit excommunicatus, non desinit esse Parochus, & per consequens potest assistendo auctorisare tale Sacramentum. Et ita plures citati apud Barbosam *part. 2. allegat. 32. num. 92.*

R. 2. Peccare mortaliter Parochum excommunicatum vitandum assistendo matrimonio. Ratio, quia communicat in re graui, & Sacramento cum excommunicato. Ita Basilius Pontius *lib. 5. cap. 17. dub. unico num. 11.* Quod etiam dicendum est de Parocho suspenso, vel irregulari propter rationes allatas. Ita Henriquez *lib. 11. cap. 3.* Sanchez *lib. 3. disput. 21. num. 4.* Rebellus *lib. 2. quæst. 9.* Ratio, quia Parochus non requiritur ad hoc Sacramentum, vt exerceat actum iurisdictionis circa Sacramentum, vel circa contrahentes, sed solùm vt auctoriset nomine Ecclesiæ ipsum Sacramentum.

An Parochus non Sacerdos validè intersit matrimonio?

BRACTEA XXVI.

R. Validè assistere matrimonio. Ratio, quia Concilium Tridentinũ non restrinxit, vt Parochus sit Sacerdos; ergo signũ est sufficere Parochum, etiam nõ Sacerdotem. Ratio, quia cum hæc res sit grauissima, & ad valorem matrimonij necessaria si Concilium voluisset in Parocho illam qualitatem, vt esset Sacerdos eã expressisse, sicut in assistenti ex Parochi licẽtia expressit. Tum etiã quia talis assistẽtia non est actus ordinis Sacerdotalis, sed solùm actus auctoritatiuus, qui nomine Ecclesiæ auctorisat tale Sacramentum. Et ita Sanchez *lib. 3. disp. 20. num. 2.* Barbosa *par. 2. allegat. 32.* & cum eo plures citati.

An Parochus non Sacerdos possit concedere licentiam Sacerdoti, vt intersit matrimonio?

BRACTEA XXVII.

R. Posse concedere licentiam. Ratio, quia sicut Parochus non Sacerdos potest assistere matrimonio, ita etiam potest concedere licentiam Sacerdoti assistenti. Ratio, quia vt supra dictum est, Concilium Tridentinum non restrinxit, vt Parochus sit Sacerdos.

R. 2. Etiamsi Parochus non Sacerdos non possit assistere matrimonio, posse tamen cõcedere licentiam, vt alius Sacerdos assistat. Ratio, quia Parochus à Concilio Tridentino habet, quod possit exercere omnes actus iurisdictionis; ergo etiam includitur actus assistendi matrimonio, tum etiam, quia sicut Parochus non Sacerdos potest dare licentiam Religioso ministrandi sacramentum Eucharistiæ, quam ipse Parochus ministrare nequit, vt docet Nauar. *lib 4. consilior. tit. 22. de officio Ordinandor. & lib. 4. tit. de sponsalibus consil. 44. nu. 2.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 3. num. 5.* & alij. Ita potest etiam dare licentiam Sacerdoti, vt assistat matrimonio.

R. 3. Non posse Parochum dare licentiam Clerico, qui Sacerdos non sit assistendi matrimonio. Ratio, quia Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 1. de reformat.* Sic ait, qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, &c. secundum communem vsum loquendi nomine Sacerdotis intelligitur Pręsbyter; quod probatur etiam ex modo loquendi Concilij, quod semper distinguit Sacerdotes à Diacono, & alijs Altaris ministris, vt constat *ex sess. 23.* vbi ex professo agit de ordine; ergo eodem modo sumitur Sacerdos in præsenti decreto. Tum etiam quia hoc decretum, ita semper intellectum est. Ita Nauarrus *lib. 4. conciliorum tit. de clandestino de sponsal. consil. 6.* Henriquez *lib. 11. de matrim. quæst. 45. art. 5.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 45. art. 5. pun. 3. dub. 4.* Manuel. *1. tom. summæ cap. 219. num. 12.* Vega *lib. 6. sum. casu 117.* & alij.

An Parochus ita requiratur, vt matrimonium sine ipso celebratum, vrgente necessitate sit inualidum?

BRACTEA XXVIII.

R. Esse inualidum etiam vrgente necessitate contractum, etiam in articulo mortis. Ratio, quia matrimonium contractum sine forma substantiali est inualidum in omni casu: at matrimonium contractum sine Parocho dicitur celebratum sine forma substantiali, & per consequens esse inualidum, & ab ipso Concilio irritatur. Ita Sanchez *lib. 3. disp. 17.* Hẽriquez *lib. 11. cap. 3. num. 5.* Rodriquez *cap. 119.* Riccius *decis. 243. nu. 3.* Coninchus *disp. 30. dub. 2. nu. 20.* Reginald. *num. 31. lib. 176.*

R. 2. Episcopum non posse dispensare matrimonium vrgente necessitate celebrari sine Parocho. Ratio, quia Episcopus in substantia Sacramenti non potest dispensare, & præsentia Parochi requiritur vt actus substantialis. Ita

Sanchez

Sanchez *loco citato*, & Gutier. *cap.61.num.* 4. Quod si dicatur præcepta Ecclesiæ non obligare in tanto rigore, ita vt non liceat vrgenti graui necessitate absque Parocho contrahere: respõdeo verum esse, quando præceptum Ecclesiæ non induxit formam, seu solemnitatem substãtialem, vt est præceptum præmittendi denunciationes, quod substantialiter non præcipitur: secus verò dicendum est, quando induxit formam substantialem, & reddit contrahentes alio modo inhabiles, vt in isto casu. Ita Sãchez *loco citato*, Suarez *de legibus lib 5.cap.23.num.* 2. Salas *de legibus disput.*11.*sect.*1. *num.* 9. Gutieres *loco citato*, & alij.

An Parochus ab Episcopo interdictus, ne aliquos matrimonio coniungat, validè assistat matrimonio illorum?

BRACTEA XXIX.

R. Validè assistere matrimonio. Ratio est, quia posito eo interdicto, seu prohibitione adhuc Parochus retinet iurisdictionem; tum quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta retinent. Et ita decisum plures referunt apud Barbosam *par.*2. *de officio, & potest. Episc. alleg.* 32.*num.*93. Et ita Sanchez *lib.* 3. *disput.*32. Rebellus 2.*par. lib.*2.*quest.*7.*num.*9. Henriquez *lib.*11.*cap.*3.*num.* 4. Rodriquez 1. *par. cap.* 219. *num.* 10. Reginaldus *lib.*31.*num.*179. Riccius *decis.*243. Cenedo *cap.*73. Petrus Ledesma *quest.*45.*art.*5. Coninchus *disput.* 27. *dub.*2. Gutier. *tract. de matrim. cap.*63.*num.*35. Basilius Pontius *tract. de sacramento matrimonij lib.* 5. *cap.* 17. & alij.

An Parochus, cui vetitum est administrare Sacramenta propter inscitiam, validè assistat matrimonio?

BRACTEA XXX.

R. Validè assistere. Ratio, quia huiusmodi assistentia non est propriè administratio Sacramenti, sed auctorisatio, & posita illa prohibitione adhuc est Parochus, & potest testimonium ferre de contractu matrimonij.

R.2. Si vetitum sit Parocho administrare Sacramenta, quia est mente captus non potest validè assistere matrimonio. Ratio, quia Parochus debet assistendo esse præsens moraliter, & humano, ille autem est præsens humano modo, qui videt, & aduertit, quod fit: secus si non aduertat, vel non intelligat, quod agitur, *l. coram Titio ff., de verbor. significat.* sufficit tamen si Parochus externo sensu percipiat consensum contrahentium, siuè consensus exprimatur verbis, siuè signis, siuè percipiat consensum per se immediatè, siuè mediatè per interpretem, quãdo ipse non intelligit sermonem contrahentium, modo tamen sit compos sui, & non sit ebrius, nec dormiat, quia alioquin non esset præsens moraliter, & humano modo. Ita Sanchez *lib.*3.*disput* 34.*num.*1. Rodriquez *cap.*219. *num.* 11. Petrus Ledesma *quest.*45.*art.*5. Riccius, & Henriquez *locis citatis*, Speculum *in appendice dub.* 5. *conclus.*4.

An Parochus assistens matrimonio debeat proferre verba, & sint de essentia?

BRACTEA XXXI.

SVpponendum est, Tridentinum *sess.* 24. *de matrim. cap.* 1. præcipere Parocho, vt præstito consensu inter coniuges dicat sequentia verba; Ego vos coniungo in matrimonium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vel alijs vtatur verbis iuxta receptum vniuscuiusque ritum, de quibus oritur dubium suprascriptum.

Prima sententia ex suprascripta verba esse de necessitate Sacramenti, & per consequens Sacerdotem his verbis conficere Sacramentum, tum etiam quia in reliquis Sacramentis verba ministri sunt de essentia; ergo, &c.

Secunda sententia est, hęc verba non esse de essentia Sacramenti, sed de necessitate præcepti, ita vt omittere sit peccatum mortale, quia videtur omissio grauis, & Concilium vtitur verbo præceptiuo dicens, præcipit Sancta Synodus. Sic Cenedo *pract. quest cap.*743. Vega *lib.*6. *summa casu* 111. Quibus positis.

R. Illa verba non esse de essentia Sacramenti, & licet omittantur validum esse Sacramentum matrimonij. Ratio, quia Parochus non est minister huius Sacramenti, nec eius verba sunt materia, aut forma, & per consequens non sunt de essentia, cum essentia consistat in materia, & forma; tum etiam quia Concilium Tridentinum in clausula irritanti tantum expressit. Qui aliter quam præsente Parocho, &c. nec explicit, quod teneatur dicere verba, & est decretum correctorium; ergo non est extendendum, vt debeat de necessitate Sacramenti dicere verba.

R.2. Cum sententia secunda, ea verba esse de necessitate præcepti, & per consequens peccaret Parochus ea omittens. Ratio, quia Concilium vtitur verbis præceptiuis. Ita plures apud Sanchez *lib.*3.*disp.*38.*num.*6.

R.3. Si scienter, & malitiosè ea Parochus omitteret, peccaret mortaliter. Ratio, quia cẽsetur transgressio grauis contra præceptum. Ita Doctores citati in secunda sententia.

An Parochus transiens, dum matrimonium celebratur, dicatur assistere?

BRACTEA XXXII.

R. Negatiuè. Ratio, quia transiens non censetur præsens humano modo, sed tãtum materialiter, & non formaliter, nam Parochus dicitur assistens, quando hac de causa adhibitus est, & tunc dicitur adhibitus, quando est adhibitus ad illum actum, etiamsi ex alia causa sit vocatus, aut sit adductus ad illum actum per dolum, aut metum, & sit inuitus, aut contrariã habeãt intentionem: quando verò transit, dum contrahitur matrimonium, dicitur casu præsens, & non formaliter adhibitus ad hunc actũ. Ita Bonacina *de matrim. quest.*2.*pun.*8.*num.*19. & cũ eo alij citati. Si verò transeundo aduertat ad matrimonium, & intelligat consensum contrahentium matrimonium validum erit, quia ve-

rè diutius præsens humano modo, & formaliter cum aduertat, & intelligat, & aduertendo, & intelligendo testificari possit de matrimonio. Ita Petrus Ledesma *de matrim. quæst. 45. art. 5. pun. 3. dub. 2.* Sanchez *de matrim. disput. 39. lib. 3. num. 11.* Reginaldus *lib. 31. num. 182.* Gutier. *de matrim. cap. 69.* & alij. Quod autem dicitur de Parocho, idem debet intelligi de testibus.

An Parochus habens iniustum titulum beneficij validè assistat matrimonio?

BRACTEA XXXIII.

Sciendum solutionem huius casus pendere ab ea quæstione, qua quæritur vtrum valida sint ea, quæ fiunt ab aliquo Iudice, qui reuera non est Iudex, sed talis communi errore existimatur, vt quādo commisit aliquod delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus beneficio, vel quia habet beneficium incompatibile, vel quando acceptauit beneficium in excommunicatione.

Sciendum 2. tripliciter contingere posse, vt aliquis titulo officij, vel beneficij destitutus sit. Primò, ita vt nunquam habuerit verum titulū, seu coloratum, vel præsumptū, vt si Episcopus conferat beneficium Parochiale excommunicato occulto, vel simoniaco, vtroque enim casu collatio est nulla. Secundo modo, quando prius habuit titulum, & tamen occultè priuatus est, vt quando commisit delictum, cui imponitur pœna priuationis ipso iure. Tertio modo, ita vt nunquam habuerit titulum etiam præsumptum, vt si nunquam habuit titulum à legitimo superiore, sed ipse se intrusit. Quibus positis,

R. 1. Gesta per Iudicem, aut Parochum carentem legitimo titulo habētem solùm putatiuum valida esse, dummodo adsit error communis, & non adsit impedimentum iuris Diuini, vel humani.

Sciendum 3. tria requiri, vt gesta per Iudicē, aut Parochum carentem legitimo titulo sint valida. Primo, titulus coloratus, quem tunc aliquis censetur habere, quando recipit dignitatem, aut beneficium à legitimo superiore, sed postea committit aliquod delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus dignitate, aut beneficio. Secundò, requiritur error communis, quo ille verus Iudex, aut Parochus existimetur, seu error, quo aliquis habeatur pro vero titulari, &c. non tamen sufficit error vnius, vel duorū, sed debet esse error communis, & probabilis, quia ille error scientiæ æquiparatur. *Cap. 2. de constitut. in 6.* Ita plures apud Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 22. num. 8.* Tertio requiritur, vt non adsit impedimentum iuris Diuini, aut naturalis, quia quando adest huiusmodi impedimentum Prælatus, vel Ecclesia non potest supplere eiusmodi defectum, cum non habeat potestatem in superiorem, sicut potest supplere defectū iuris humani, & illū re ipsa supplet, quando adest titulus coloratus, & error communis. Ita Caietanus *in summa verbo confessionis iteratio*, Paludanus *in 4. dist. 17. quæst. 6. art. 1.* Reginaldus *lib. 1. num. 47.* & alij.

Sciendum 4. huiusmodi defectum suppleri etiam ab Ecclesia, quando adest opinio probabilis, tunc enim censetur esse error communis, & titulus coloratus, vt accidit, quando est opinio probabilis aliquem posse absoluere à reseruatis, aut à censuris, aut assistere matrimonio, quia tunc sequens opinionem probabilem validè absoluit, & validè assistit matrimonio, etiamsi populus dubitet superiorem esse priuatum suo officio, nam melior est conditio superioris possidentis. Ita Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 8.* Henriquez *lib. 5. de pœnit. cap. 14. num. 4.* & alij.

R. 2 Gesta per Prælatum, & Parochum communi errore talem existimatum habentem titulum putatiuū à legitimo superiore in vtroq; foro valere: vnde validum est matrimonium, cui assistit Parochus habens titulum inualidū ob vitium aliquod occultum, aut quia habet beneficium incompatibile collatum sibi à legitimo superiore. Ratio est, quia adest titulus coloratus cum errore communi absque impedimento iuris naturalis, aut Diuini. Ita Coninchus *disput. 27. de matrim. dub. 2. num. 6.* Secundò validam esse confessionem factam Parocho communi errore tali existimato. Tertio, validum esse matrimonium contractum coram Laico, cui Parochus concessit facultatem assistendi matrimonio, si communi errore habetur, vt Sacerdos. Ratio, quia adest titulus coloratus, & error communis, & non est impedimentum iuris Diuini, aut naturalis, sed est defectus, qui suppleri potest ab Ecclesia, quæ sicut statuit inualidum esse matrimonium sine Parocho, vel alio Sacerdote, & testibus, ita potest facere, vt sit validum matrimonium celebratum coram Laico, qui communi errore habetur, vt Sacerdos.

R. 3 Gesta per eum, qui caret vero titulo, sed titulo colorato habetur communi errore, & titularis esse valida, nō solùm respectu eorum, qui nesciebant illum carere vero titulo, sed etiam respectu illius, qui sciebat ei verum titulum deesse. Ratio, quia sicut requiritur error communis, & non sufficit error particularis ad hoc, vt sint valida gesta, ita etiam requiritur scientia communis, & non sufficit scientia particularis ad hoc, vt sint valida gesta per habētem titulum coloratum cum errore communi: sufficit tamen si sit communis error in eo loco, vbi actus gestus est, quia ibi impedimentum erat occultum, quamuis in alio notorium esset. Sanchez *lib. 3. de matrim. cap. 22. num. 9.*

Sciendum 5. ex suprascriptis colligi non esse validam absolutionem collatam ab eo, qui verè non est Sacerdos, quamuis errore communi, & titulo colorato habeatur pro vero Sacerdote. Ratio est, quia adest impedimentum iuris Diuini. Ita Caietanus, & alij apud Sanchez *loco citato*. Secundò, gesta per Iudicem, qui mente captus est non esse valida, quamuis communi errore credatur sanæ mentis. Ratio, quia interuenit defectus naturalis, qui ab Ecclesia suppleri non potest. Ob id sententia lata ab insano iure naturæ non obligat. Ita Reginaldus *lib. 1. num. 93.* Sanchez *loco citato n. 29.* Tertiò, valida esse gesta per excōmunicatum vitandum occultum existentē cōmuni errore, licet in alio esset notorius, quod tn̄ intelligendū est, qn̄ impedimentū notoriū in alio loco distanti, vt verisimiliter non potuit venire in huius oppidi notitiam. Ita apud Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 22. num. 9.* immò licet in eo loco publi-

publicum, ac denunciatum fuerit impedimentum, si tantum temporis spatium intercesserit, vt iam ab hominum memoria lapsum sit, & ita communiter ignoretur. Valeant in vtroque foro gesta per eum, quia tunc est error communis, iustus, ac probabilis. Ita apud Sanchez *loco citato*. Vnde illum esse validè absolutum, qui Parocho nominatim denunciato, vel notorio Clerici percussore confessus est peccata sua in eo loco, in quo communi errore, & titulo colorato habetur pro vero Parocho, nec credebatur excommunicatus, nec pęnitens sciebat illum esse excommunicatum, quia in hoc casu Ecclesia supplet iurisdictionem, qua caret excommunicatus denunciatus, vel notorius Clerici percussor. Sanchez *loco citato num.46*. Reginaldus *lib.11.num.117*. & alij. Quartò, gesta per excommunicatum occultum valida esse in foro conscientiæ, quia cum adsit communis error facti cum titulo æquitas postulat, vt omninò valeat, quidquid gerit, quia dignitas potius quam persona agit, etiamsi non sit Ordinarius, sed Delegatus, aut sint pertinentia ad actum ordinis, siuè iurisdictionem. Vnde Confessarius delegatus validè absoluit licet excommunicatus, dummodo adsit error communis, & titulus coloratus. Quinto, gesta per hæreticum occultum valida esse, dum est communis error cum titulo vero, aut putatiuo, cum adsint omnia requisita. Sic Archidiaconus *cap.1.num.11. de sententia excommunicat. in 6*. Abbas *in cap. nihil num. 12. de elect*. Baldus *l. Barbatius in 1. lectur. num.30*. & ibi Iason *num.51. ff. de officio Prætoris*, Siluest. *verbo confessor 1. quæst. 19*. Rosella *confessio sacramentalis 3. num. 41*. Tabiena *absolutio 1. num. vlt.* & alij. Et hodie post Concilium Constantiense hæreticus notorius, dum non est denunciatus, non amittit iurisdictionem; & ideò gesta per ipsum valent. Ita Henriquez *lib.6. de pęnit. cap.16. num. 12*. Vltimò, gesta per Parochum, qui ob delictum ipso iure amisit officium esse valida, dum amissio est occulta. Ratio, quia retinet possessionem, qua priuari nō potest, nisi causa cognita. *Cap. licet Episc. de præbendis in 6*. etiamsi priuatus esset per sententiam, dummodo tamen priuatio esset occulta. Sic Baldus *l. Barbat. in 1. lectura num. 30. ff. de officio Prætoris*, Mascardus *de probat. conclus. 649. num.67*. Henriquez *lib. de pęnitent. cap.6. num. 2*. & alij apud Sanchez *loco citato num.58*.

An Parochus tempore matrimonij teneatur notare nomina testium, &c.

BRACTEA XXXIV.

R. Parochum teneri habere librum, in eoq; scribere nomina contrahentium, & testium, locum, & tempus contracti matrimonij, quod præceptum cum sit de re graui ordinata ad bonum publicum, & vt matrimonium notum sit Ecclesiæ, obligat sub mortali, sicut etiā obligat præceptum habendi librum baptizatorum. Et ita Henriquez *lib.11. de matrim. cap.7. num. 4*. Reginaldus *lib.31. num. 242*. Rodriquez *1. par. cap. 217*. Coninchus *disp.27. dub.8. num. 77*. & alij apud Gutier. *de matrim. cap.60. num. 9*. & apud Sanchez *loco citato*.

An ad validè contrahendum matrimonium, præter præsentiam Parochi requiratur etiam præsentia testium?

BRACTEA XXXV.

R. Ad validè contrahendum matrimonium præter assistentiam Parochi requiri, saltem præsentia duorum, vel trium testium, vt constat ex Tridentino *sess.24. cap.1*. quæ præsentia debet esse moralis, & humano modo, vt scilicet aduertant, & intelligant, quid agatur, debet etiam esse simultanea, & non sufficit successiua.

Sciendum ex hac doctrina Concilij Tridentini; vbi requirit testes his verbis: Et aliter pręsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus colligitur, amentes, ebrios, furiosos quandiù carent lucido interuallo nō esse testes idoneos ad matrimonium, quia non possunt esse præsentes humano modo. Secundò, quascunque personas doli capaces posse esse testes in matrimonio cuiuscunque ætatis, & conditionis, & status existant; & ideò impuberes, fęmina, consanguinei, pater, mater, familiaris, infidelis, & etiam excommunicatus in causa matrimonij potest esse testis, licet non admittantur tanquā testes idonei in alijs rebus. Ratio est, quia Concilium Tridentinum nullos testes excipit; ergo nulla ratio est, cur nos excipiamus, cum fauores sint amplificandi, & materia matrimonij fauorabilis sit. Ita Reginaldus *lib.31. num.183*. Sanchez *lib.3. disput.40*. Tertiò, non requiri, quod testes sint rogati, quod nullo iure probatur, immò *l. ad fidem ff. de testibus* habetur testes non rogatos sufficere ad rei gestæ fidem faciendam, sed sufficit, vt sint adhibita contractum matrimonij. Quartò, validum esse matrimonium cōtractum coram testibus per violentiam adductis, & detentis, quia dici possunt moraliter præsentes, vt aduertant, quod agitur. Et ita Henriquez *lib.11. cap. 13*. Sanchez *lib.3. disp.39. num. 9*. dummodo intelligant consensus contrahentium. Et patet *ex l. coram Titio 209. ff. de verborum obligatione*, vbi deducitur dici aliquid coram aliquo fieri, quamuis inuitus adsit, si aduertat, quod idem docet Glossa. Cum ergo Tridentinum solùm exigat matrimonium celebrari coram Parocho, & testibus satisfit, si ipsis præsentibus, quamuis inuitis celebretur. Quintò, valere matrimonium etiamsi testes dolo ad aliud vocati intersint matrimonio. Et ita Nauar. *lib. 4. consilior. de sponsal. consil.20. tit. de clandestinis desponsat. cōs.11*. & alij. Sextò, etiamsi testes sint trāseuntes validum esse matrimonium, si aduertant ad id, quod fit, cum verè dicantur præsentes, cum præsentia ad valorem matrimonij petita contenta sit sola intellectus aduertentia, qua iste testimonium contracti matrimonij perhiberi possit. Et ita Petrus de Ledesma *quæst.45. art.5. pun. 3. dub. 2*. Secus verò dicendum est, si testes transeuntes plenè non aduertant ad id, quod fit, nimirum ad matrimonium, quia tunc non censetur præsentes formaliter, & humano modo. Quod vt melius intelligatur, sciēdum est, quod testes, qui matrimonio debent esse pręsentes, requiritur, quod habeant vsum rationis, ita vt possint intelligere consensum vtriusque contrahentis. Secundò, quod testes aliquo sensu

percipiant consensum contrahentium, vnde testis surdus potest assistere matrimonio, quia licet auribus nō possit percipere expressionem consensus, tamen oculis potest videre signum aliquod expressiuum consensus. Ita Henriq. *lib. 11. de matr. cap. 3. n. 1.* Similiter si Parochus no potest intelligere verba idiomatis diuersa, satis esse, quod per interpraetem intelligat.

Quid operetur matrimonium contractum sine Parocho, & testibus?

BRACTEA XXXVI.

R. Non inducere obligationem nec matrimonij, nec sponsalium, nisi fortè contrahentes habuerint animum obligandi se eo modo, quo possent. Ratio est, quia Tridentinum reddit irritum, & nullum, matrimonium clandestinum, ita vt nullam inducat obligationē, etiamsi sit firmatum iuramento, cum iuramentum censeatur de re illicita, vtpotè contra legem prohibentem, ex illo contractu obligationem induci. Ita Em. Sà *verbo matrim. num. 42.* Riccius *decis. 250.* Sanchez *lib. 1. disput. 20. num. 3.* Gutier. *de matrim. cap. 11.* Rodriquez *cap. 220.* & alij. Vnde qui ita contraxerunt, possunt cum alijs, vel etiā inter se iterum contrahere adhibito Parocho, & testibus. Et sic declarauit Congregatio, & Concilium Tridentinum non reddit huiusmodi contrahentes inhabiles ad iterum contrahēdum seruata debita forma. Ita Gutier. *de matrim. cap 65. num 2. & cap. 23. num. 4.* & alij citati à Bonacina *de matrim. quest. 2. pun. 8. num.* 48. Quod si dicatur, matrimonium contractum inter impuberes, seu inter puberem, & impuberem valent, vt sponsalia; ergo matrimonium clandestinum saltem inducit obligationem sponsalium. Respondeo hoc esse peculiare in matrimonio clandestino impuberum, vt patet *ex cap. fin. de despons. impuberum, cap. vnico*, & ratio, quia ius praesumit impuberes se voluisse obligare eo meliori modo, quo possent, & cum non possint se obligare vinculo matrimonij ius pręsumit eos se voluisse obligare vinculo sponsalium. Ita apud Bonacinam *loco cit. num. 48.* & alij cum eo.

Quid dicatur Parochus proprius vagorum?

BRACTEA XXXVII.

SCiendum eos dici vagos, qui nullibi certam habent habitationis sedem, sed hinc inde vagantur. Sic habetur *leg. eius, qui manu misit 27. §. fin. ff. ad municip.* Et ita communiter omnes Doctores. Secundò dicuntur etiam vagi hi, qui prius domicilium deserentes nauigant, vel iter faciunt quaerentes, vbi se collocet, hi enim sine domicilio sunt, ob idque vagi dicuntur. *l. eius, qui manumisit 27. §. Celsus ff. ad municip.* & ita Rosella *verbo confessio sacram. 3. n. 31.* Siluest. *verbo confess. 1. qu. 6.* Tabiena *verbo absolut. 1. n. 41.* & alij, etiā si iam deliberauerint, vbi constituant domicilium, sed illud actualiter non constituerunt, cum eadem sit ratio vtriusque. Ratio, quia hi sine domicilio sunt, & ob id vagi dicuntur, sicuti etiam qui relicta propria Parochia nondum statuit, ad quam migraturus sit, sed quaerens domum interim in aliqua Parochia hospitatur ad breue tempus, dicitur vagus respectu Parochianorum illius oppidi, cum nō censentur de Parochia, in qua ad breue tempus hospitatur, quia non censetur ibi habitare. *l. 1. §. hac autem verba ff. de his, qua deiecerunt*; quia ibi hospes planè non tenebitur, quia ibi non habitet, sed paulisper hospitatur. Tum etiam quia non est ratio, cur de vna potius, quam de alia Parochia dicatur; tum etiam quia sine Parochia est, qui priorem amisit, & nondum aliam acquisiuit. Et ita Sanchez *lib. 3. disput. 25.* & cum eo plures citati. Quibus positis.

R. Proprium Parochum vagorum illum esse, in cuius Parochia pro ratione tēporis actualiter commoratur. Ratio est, quia cum vagi careant domicilio actualis, habitatio loci, quā pro tempore habent, succedit in locum domicilij, & proprius Parochus censetur ille, in cuius Parochia quis habet domicilium, vel domicilium eo modo, quo habere potest.

R. 2. Vagos posse cuicunque Parocho confiteri, & quemcunque Parochum posse matrimonio vagorum interesse, dummodo pro tempore habitet in sua Parochia. Ratio, quia idem est Parochus ad audiendas confessiones, & ad assistendum matrimonio, & quicunque Parochus potest horum confessiones audire, & per consequens eorum matrimonio assistere pro eo tempore, quo habitant in eius Parochia. Ratio est, quia cum nullam certam habeant Parochiam non est maior ratio de vno Parocho, quam de alio, Ita Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 3. num. 3.* Sanchez *lib. 3. disp. 25. num. 11.* & alij.

Sciendum 2. Parochum non posse matrimonio vagorum interesse, nisi diligenti inquisitione praemissa, & obtenta Ordinarij licentia. Ita Concilium Tridentinum *sess. 24 de matrim. cap. 7.* Ratio, quia cum ignoti sint, possunt alibi matrimonio esse coniuncti. Secundo mortaliter peccare Parochum, qui vagos non seruato Concilij Tridentini decreto coniungit. Ratio, quia facit cōtra praeceptum Ecclesiae in re graui, & valdè necessaria, tamen valeret eorum matrimonium, etiam non praemissa diligentia, & sine licentia Ordinarij contractum. Ratio est, quia talis licentia, & diligentia non censetur de essentia matrimonij. Et ita Sanchez *loco cit. num. 17.*

Sciendum 3. dubium esse, an teneant matrimonium quorundam vagorum cōtrahentium, qui aliquo temporis spatio ante contractum matrimonium morati fuerant v.g. Cherij, vbi suum domicilium statuerant, deinde ad euitādas expensas, vt proprio ore cōfessi sunt, accesserūt ad Parochū loci Ripę ppè Cheriū, qui absq; alia licentia eorū matrimonio astitit. Ad quod respondeo supposito, quod supradicti nō amplius vagi firmarint suum domicilium in loco Caburi, & solum ad euitandas expensas, & non animo manendi maiorem partem anni accesserint ad Parochum loci Cherij, qui eorum matrimonio astitit matrimonium nullum censeri, cum non adsint requisita Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.*



An

Quomodo validetur matrimonium ob defectum consensus inualidum, vel ob aliud impedimentum?

BRACTEA XXXVIII.

SCiendum multipliciter inualidè contrahi matrimonium. Primò ob defectum præsentiæ Parochi, & testium. Secundò ob defectum consensus necessarij ad matrimonium. Tertiò ob defectum alterius impedimenti dirimentis ipsum matrimonium, quod aliquando potest esse publicum, & aliquando secretum. Quibus positis:

R. Ad validandum matrimonium inualidum defectu consensus sufficere, quod denuò præstetur ab eo, qui fictè in matrimonium cõsenserit, aut per metum, dummodo alter censeatur virtualiter perseuerare in consensu præstito. Ratio est, quia ex parte alterius sponsi censentur esse omnia requisita, tum etiam, quia diuisio temporis inter consensum vnius, & alterius, non solum in pluribus contractibus inuenitur, verum in sacramento Pœnitentiæ, vbi peracta confessione potest aliquo tempore differri absolutio. Et patet etiam in contractibus, in quibus satis est consensus adhibitus in diuerso tempore, vt est manifestum in contractibus, qui per litteras, & nuncium fiunt, & per prohibitionem factam absenti, & etiam in contractu matrimonij, qui per litteras, nuncios tractatus; ergo non est necesse, quod consensus sit simul, & eodem tempore, sed satis est, quod mortaliter coniungantur.

Sciendum 2. quod quando matrimonium est inualidum, solum respectu vnius contrahentis non est necesse, quod consensus internus denuò manifestetur signo externo, cum iam fuerit expressus; sed satis est, quod de nouo in matrimonium consentiat. Quando verò matrimoniũ est inualidũ defectu consensus vtriusque non satis est, quod de nouo in matrimonium contractum consentiant, sed necesse est consensum per signum externum manifestare, quia cum prior consensus fuerit nullus, & irritus, sic etiam signa externa eorum manifestatiua: ad matrimonium autem validè contrahendum requiritur mutuus consensus validus, & legitimus signo externo expressus. Ita Sanchez *lib. 2. disp. 3.* nec etiam requiritur, quod consensus denuò exprimatur coram Parocho, & testibus, cum iam huic obligationi fuerit satisfactum, nisi forsan impedimentum fuerit publicũ, quia tunc denuò requiritur vt consensus matrimonij denuò eliciatur coram Parocho, & testibus ad hoc, vt sint testes matrimonij validati.

R. 2. Ad validandum matrimonium inualidum ratione impedimenti dirimentis post impetratam dispensationem impedimenti requiritur nouus consensus contrahentium signo externo expressus. Ita D. Thom. *4. dist. 40 quæst. vnica*, Sotus *4. dist. 35. quæst. vnica* Nauar. *cap. 22. nu. 47.* Sanchez *lib. 2. disp. 35.* Ratio est, quia prior consensus ex parte vtriusque contrahentis ratione impedimenti dirimentis fuit inualidus, & irritus: vnde denuò reuocandus est.

An coniux conscius impedimenti possit rogare alterum coniugem inscium illius impedimenti, vt de nouo consentiat non detegendo impedimentum, nec inualiditatem matrimonij?

BRACTEA XXXIX.

R. Quod quãdo matrimonium est inualidum ratione alicuius impedimẽti occulti dirimẽtis nõ esse necesse conscium impedimenti reuelare ipsum nescienti, quando ex ista reuelatione potest suspicari aliquod periculum, sed satis esse obtenta dispensatione inuitare ipsum ad renouandum consensum verbis æquiualentibus, v. g. his verbis, Num me ita diligis, vt si inter nos non esset matrimonium contractum denuò contraheres; & me acciperes in tuam vxorem, vel alijs verbis similibus. Quod si absq; scandalo, & periculo conscius impedimenti ignaro potest reuelare impedimentum, tenetur ipsum reuelare; quia hoc modo tollitur omne dubium inualiditatis matrimonij, cum vterq; de nouo consentiat habita cognitione inualiditatis matrimonij. Et ita Bonacina *qu. 2. pun. 9. de matrim. num. 7.*

Sciendum dubium esse quodnam remedium adhibendum sit, quando nullitas matrimonij est ignota alteri nec cõsensus possit verbis extorqueri, ita ut nolit respondere, & ex alia parte petat debitum, vt vxor nequeat negare absq; scandalo? Respondeo sufficere, vt ipsa copulam habeat affectu maritali, quia vt sic vterque videtur denuò consentire in matrimonium cum copulam habeant affectu maritali in ordine ad matrimonium validum, licet aliqui Doctores dicant hunc consensum non sufficere cum matrimonium contractum sit inualidum, & vir ignorans inualiditatem matrimonij non videatur denuò consentire. Ita apud Sanchez *lib. 2. disp. 36.*

An sit validum matrimonium contractum cum falso errore impedimenti, quod verè non erat?

BRACTEA XL.

R. Validum esset matrimonium si contrahentes intendant valere quantum in ipsis est. Ratio est, quia ad istud matrimonium adsunt omnia requisita, nimirum consensus contrahentium, & contrahentes habiles ad trahendum, qui intendunt contrahere, quantum possunt; ergo matrimonium validè celebratur. Et probatur à simili de eo, qui audit baptismum non valere, sed nihilominus baptizando intendit facere, quod potest, & quod intendit Sancta Mater Ecclesia, quia tunc certum est illum validè baptizare; ergo etiam idem dicendum est de eo, qui contrahit matrimonium cum errore impedimenti.

An matrimonium celebratum sub conditione sit validum?

BRACTEA XLI.

SCiendum quinque modis posse conditionem adijci matrimonio. Primò, vt tempus, vt cum additur dies crastina. Secundò, vt modum per particulam Vt, duco te, vt diter. Tertiò, vt causam per particulam Quia, duco te, quia pulchra es. Quartò, vt demonstrationem per particulam Quæ duco te, quæ pulchra es, quæ nobilis es. Quintò, vt conditionem per particulam Si, duco te si parentes consentiunt.

Sciendum 2. Conditionē esse circunstātiam, quæ apposita contractui ipsius effectū suspēdit, & earum aliquas esse de præterito, & alias de presēti, alias turpes, alias honestas, alias possibiles, & alias impossibiles; de præterito alias esse necessarias, & alias contingentes: turpes etiam esse in duplici differentia, quędam contra substantiam contractus matrimonij, vt contra prolem, indiuiduitatem, & contra fidem, quædam sunt turpes, licet non contra substantiam matrimonij.

Sciendum 3. bonum matrimonij triplex esse. Primum bonum, dicitur proles, quod quidam virtualiter debet semper saltem intendi à contrahentibus, vel saltem negatiuè, idest ipsum non impedire per media illicita, vt per receptionem veneni, aut per abiectionem seminis recepti, aut per procurationem abortus, ex quo patet bono prolis repugnare hanc conditionē, contraho tecum, si partum impediaris, aut potum sterilitaris sumpseris.

Secundum, bonum matrimonij est bonum fidei, seu fidelitatis, quod importat obligationem ad reddendum debitum si petatur, & ad non cōmunicandum corpus alieno, ideò huic bono repugnat talis conditio, *Contraho* tecum si pro quæstu adulterandum te tradas, vel si permiseris copulam tui illis quos ego voluero.

Bonum Sacramenti, significat indissolubilitatem matrimonij, quæ repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia, & huic bono aduersatur ista conditio, *Contraho tecum ad septem annos, vel vsque ad obitum Patris, vel donec inueniam aliam ditiorem, &c.* Ita Rebellus *lib. 2. quæst. 12.* & alij. Quibus positis,

R. Matrimonium contractum sub conditione necessaria de futuro validum esse, ac si conditio illa non esset apposita. Ita Durandus *in 4. dist. 28. quæst. 2. num. 5.* Sanchez *lib. 5. disp. 2.* & alij. Ratio est, quia conditio necessariò futura censetur præsens, cum iam sit in determinata causa: vnde si quis dicat contraho tecum si sol cras orietur matrimonium censetur ratum, & validum, quia ortus Solis est necessarius, & à causa necessaria determinata.

Sciendum 4. aliquando in matrimonio apponi conditionem necessariam non tanquam conditionem suspensiuam, sed tanquam suspēsionem præfinitiuam temporis, vt v.g. quando quis alicui dicit, Contraho tecum si Sol cras orietur, idest quando Sol cras orietur, contraho tecum matrimonium. In quo casu contractus non censetur statim factus, sed faciendus, cum illa conditio sit posita tanquam terminus ad illum contractum celebrandum: vt similiter quando quis dicit Contraham tecum si Pater meus è vita migrauerit; hic enim intendit cōtrahere statim, ac Pater migrauerit è vita. Qui verò dicit Contraho tecum si Antichristus nascetur, vel sub alijs conditionibus, quæ certò sciuntur euenturæ est statim validum. Ratio, quia huiusmodi conditiones reducuntur ad rationem conditionis necessariæ.

R. 2. Matrimonium contractum sub conditione impossibili inualidum esse regulariter. Ratio, quia consensus in matrimonium refertur ad conditionem, sed cum conditio sit impossibilis, consensus in matrimonium datus non censetur simpliciter datus, cum referatur ad conditionem impossibilem.

Sciendum 5. quod quando contrahitur matrimonium sub conditione impossibili consensus absolutè non datur, sed refertur ad conditionem, & cum conditio sit impossibilis præsumitur, quod contrahens nolit consentire, nisi sub ea conditione impossibili. Ratio, quia qui non vult se obligare, nisi sub conditione cognita, vt impossibili simpliciter non se obligat, nec habet intentionem se obligandi, cum impossibilium non sit obligatio, vt v. g. si filius, qui scit, patrem suum esse mortuum, & cum aliqua contrahat sub hac conditione, Contraho tecum si patri meo placuerit matrimonium censetur inualidum, cum referatur ad conditionem impossibilem, & per consequens consensum datum in ordine ad matrimonium esse nullum. Secus in casibus infra dicendis.

R. 3. Matrimonium contractum sub conditione turpi contra substantiam matrimonij inualidum esse. Ita Sanchez *lib. 5. disp. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 18.* & alij. Ratio, quia contractus celebratus sub conditione turpi contra substantiam ipsius contractus est inualidus, quia sine substantia nihil potest subsistere, & per conditionem turpem sicuti destruitur substantia contractus, ita, & etiam ipsa res contractus destruitur.

Sciendum 6. quod licet non sint propriè de essentia matrimonij tria bona, nimirum fides, indissolubilitas, & proles, quoad executionem, tamen sunt de essentia quoad eius obligationem, cum sit de essentia, vt contrahentes obligentur ad vitam perpetuam, & indiuiduā, & ad fidē sibi seruandam reddendo sibi debitum, alijsque negando corpus, prolem non impediendo, sed educando, si Deus eam dederit: vnde inualidum est matrimonium contractum sub hac conditione, Contraho tecum si filios occidas, vel mutiles, vel si generationem prolis euites, vel donec inueniam digniorem. Ratio est, quia de substantia matrimonij est consensus in societatem perpetuam ad fidem sibi mutuò seruandam, & prolem suscipiendam, & tales conditiones censentur turpes, & contra substantiam matrimonij, ergo, &c.

R. 4. Matrimonium contractum sub conditione turpi non contra substantiam matrimonij, validum esse. Ita Sanchez *lib. 5. disp. 15.* & alij. Ratio, quia conditio turpis censetur pro non adiecta, tum quia ad peccatum inuitat; tum etiam adest sufficiens consensus ad matrimonium, cum huiusmodi conditiones censeantur, ac si nō fuissent adiectæ, modo adsit consensus abso-

absolutus contrahentium signo externo sufficienter expressus.

Sciendum 7. vt supra dictum est, conditionem turpem duplicem esse, vnam contra substantiam matrimonij, aliam verò turpem, sed non contra substantiam matrimonij, vt sunt hæ sequentes. Contraho tecum si patrem, vel fratrem, vel filios, quos ex primo matrimonio habuisti occidas, quæ conditiones licet sint turpes, quia tamen non sunt contra substantiam matrimonij non inualidant matrimoniū, sed pro non adiectis censentur, conditio verò turpis, quæ est contra substantiam matrimonij, reddit contractum inualidum. Et ratio est, quia ad essentiam huius requiritur mutuus consensus expressus signo externo, & licet in casu conditionis impossibilis adiectæ, contrahentes interius censeantur consentire in matrimonium, tamen exterius videntur dissentire, cum consensus referatur ad conditionem quæ non subsistit supposito, quod in matrimonium absolutè non consentiant, sed respectiuè ad terminum impossibilem: Secus verò si contrahentes signo externo exprimerent consensum, idest verbis factis, aut copula maritali affectu, quia tunc contractus esset validus, cum haberet omnia requisita.

Sciendum est 8. conditionem impossibilem aliquando esse de præsenti, aliquando de futuro matrimonium contractum sub conditione impossibili de præterito valere, vt si quis dicat Contraho tecum si cras ortus est Sol, matrimonium vero contractum sub conditione impossibili de præsenti, vt contraho tecum si digito celum tangas validum esse, modo adsit consensus contrahentium absolutus. Ita Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 3. pun. 3.* Sanchez *lib. 5. disp. 13.* & alij. Ratio est, quia huiusmodi conditiones in matrimonio censentur pro non adiectis.

R. 5. Matrimonium contractum sub conditione contingenti honesta validum esse. Ita Henriquez *lib. 11. cap. 12. num. 5.* Sanchez *loco citato disput. 6.* Ratio est, quia posita conditione honesta nihil deest ad substantiam, & validitatem matrimonij.

Sciendum 9. cōditionem honestam triplicem esse: de præsenti, de præterito, & de futuro matrimonium contractum sub conditione honesta de præsenti apposita matrimonio, vt contraho tecum, si filia Titij es, si virgo es, si natus aduenit, si Pater tuus vult, vel mortuus est, vel si tantam dotem habes matrimonium validum esse, si vera conditio est, & non valet, si conditio falsa. Ita docet S. Thomas *in 4. dist. 29. quæst. vnica, art. 3 quæst. 3.* D. Bonauentura *dist. 28 art. vnic. quæst. 3.* & alij. Ratio est, quia contractus quilibet ex contrahentium voluntate legem, & conditionem accipit: si igitur ea sit contrahentium voluntas, vt si hoc existat, stipulatio rata sit, si verò non existat, irrita existat, ita statim fit, sicut inter se conuenerunt; matrimonium verò contractum sub conditione honesta relata in futurum, v. g. accipio te, si pater tuus consenserit, vel si mille nummos aureos in dotem dederit, suspenditur vsque ad conditionis euentum, ea verò eueniēte perficitur matrimonium sine nouo contrahentium consensu. Ita Nauar. *cap. 22. num. 95.* Sanchez *lib. 5. disput. 8. num. 5.* & alij. Matrimonium verò celebratum sub conditione honesta de præterita statim censeri validum. Ratio est, quia conditio de præterito censetur tanquam præsens.

An quando in matrimonio adhibetur conditio de futuro, necesse sit, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus, qui fuerunt præsentes matrimonio celebrato sub tali conditione?

BRACTEA XLII.

R. Requiri, vt traditio apposita in futurum adimpleatur coram Parocho, & testibus. Et ita Petrus Ledesma *quæst. 47. art. 5. dub. 7.* vbi airesse certam, & communem sententiam, quam etiam secutus est Coninchus *disput. 29. dub. 1. num. 15.* & Gutier. *de matrim. cap. 81. num. 7.* Ratio est, quia Parochus, & testes à Concilio Tridentino requiruntur, vt intelligant matrimonium verè, & substantialiter cōtractum esse, de eoque in foro externo ad multa scandala euitanda testificari possint, & nisi interfint adimpletioni conditionis nō possunt testificari, vtrum matrimonium verè, & substātialiter contractum sit, sed tantum de contractu inchoato, & adhuc in futurum pendente solubili; ergo, &c. licet satis sit, quod contrahētes coram Parocho, & testibus postea affirment conditionem esse adimpletam, quam contractui apposuerant: nam & ipso censentur purificare contractum, vt rectè notauit Coninchus *loco cit. num. 17.*

An matrimonium contractum inter parentes hac conditione, si Papa dispensauerit, sit validum?

BRACTEA XLIII.

R. Validum esse adimpleta conditione dispensationis. Ratio, quia huiusmodi conditio non est turpis, sed honesta, & licet contrahentes sint inhabiles pro præsenti ad contrahendum, non tamen erunt inhabiles tempore impletæ conditionis, & contrahendō sub tali conditione, si Papa dispensauerit, non censetur contrahere de præsenti, sed pro tunc, idest tempore impletæ conditionis. Et ita Sanchez *lib. 5. disput. 5. num. 24.* & Coninchus *disput. 29. num. 18.* & alij: Tum etiam quia sponsalia celebrata sub conditione impedimenti dispensabilis valida sunt; ergo etiam validum matrimonium.

Sciendum non peccare consanguineos contrahendo matrimonium inter se sub conditione, si Papa dispensauerit, dummodo impedimentum sit iuris humani, ita vt in eo dispensare possit. Ita Adrianus *in 4. de matrim. sacram. quæst. 3. dub. 16.* Couarun. *in epitome par. 2. cap. 3.* Ratio, quia talis promissio versatur circa rem licitam, videlicet contrahendum matrimonium post datam dispensationem.

Sciendum 2. ex huiusmodi reciproca promissione oriri veram obligationem sponsalium sub conditione, quam proinde sponsus spectare, eaque veniente, idest impetrata dispensatione, mutuò nuptias contrahere tenetur, aut si matri-

matrimonium iam fuerit contractum de præsenti fidem facere de impetrata dispensatione; licet etiam probabilis sit opinio dicentium solùm sponsalia purificari: matrimonium autem per nouum consensum coram Parocho, & testibus contrahendum esse, sed sententia supradicta probabilior videtur, nimirum non esse necessarium, quod matrimonium denuò contrahatur coram Parocho, & testibus, sed satis esse, quod fidem faciant de dispensatione obtenta coram Parocho, & testibus, qui fuerant matrimonio.

An sint liciti tactus, & oscula inter contrahentes hac conditione, si Papa dispensauerit?

BRACTEA XLIV.

R. Oscula, & tactus licitos licere ante impetratam dispensationem, nō autem tactus illicitos, & impudicos. Ratio est, quia matrimonium inter eos secutum licet non habeat perfectam rationem matrimonij, cum non cōtrahant pro tunc, sed pro futuro, tamen habēt rationem sponsalium, & per consequens illis esse licita, quæ contrahentibus matrimonium de futuro licita sunt; cum autem sint illis licita oscula, & tactus pudici tia etiam contrahentibus matrimonium de præsenti sub conditione, si Papa dispensauerit. Ita qui tenent matrimonium contractum sub conditione, si Papa dispensauerit esse validum matrimonium, etiamsi retrotrahatur ad adimpletam conditionem.

An matrimonium contractum sub conditione impertinenti sit validum?

BRACTEA LXV.

R. Matrimonium contractum sub conditione impertinenti de futuro inualidum esse, antequam verificetur conditio, validum verò esse purificata conditione. Ita Sanchez *lib. 5. disput. 18. num. 3.* Gutieres *cap. 82. num. 31.* Ratio primæ partis est, quia contrahentes intendunt solummodo se obligare in ordine ad conditionis euentum; ergo ante euentum ipsius conditionis non cēsentur se obligare; ergo alioquin contractus obligaret vltra intentionem contrahentium. Ratio secundæ partis est, quia si non esset validum, verificata conditione esset, quia illa conditio esset improbata iure, sed à iure non improbatur, cum non sit conditio turpis contra substantiam matrimonij, & non inducat ad peccatum; ergo matrimonium validum erit adimpleta conditione, modò contrahentes non reuocauerint consensum ante conditionis euentum.

An matrimonium sit indissolubile?

BRACTEA XLVI.

Sciendum tantam esse indissolubilitatem matrimonij, vt nullo modo possit ab homine dissolui: iuxta verba Domini nostri Matthęi 19. Quos Deus coniunxit homo, non separet, & iuxta illud D. Pauli in 1. ad Corinth. *cap. 7.* His, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere; quod etiam definitur *in cap. quæsiuit, & in cap. 4. de diuortijs*: ideòque nulla de causa, licet deserta coniuge viuente alteri coniungi matrimonio, neque ob sterilitatem, neque ob fornicationem, prauos mores, fędos morbos, aut capitales inimicitias; & in hoc matrimoniū distinguitur à cęteris cōtractibus, qui cum res notabiliter mutatę sint, alijsque de causis, immò & solo mutuo contrahentium consensu dissolui possunt, sicut & nasci; iuxta illud res, per quas causas nascuntur, per easdem dissoluuntur. *Institut. §. fin.* Quibus modis tollitur obligatio. Ratio huius differentiæ est, quia matrimonium ex se ordinatur ad educandam prolem, quod vt commodè fiat, requirit firmitatem illius vinculi. Quibus positis.

R. Matrimonium indissolubile esse iure Diuino, naturæ, & humano; quod sit indissolubile iure naturæ patet ex Genesi: Quamobrem relinquet homo, & adhęrebit vxori suę, & ex verbis supra dictis: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.*

Sciendum est matrimonium aliud esse ratū, & aliud consumatum Summum Pontificem posse in matrimonio rato stante legitima causa dispensare. Ratio est, quia indissolubilitas matrimonij sit de iure Diuino, & naturali, supra quod Papa non potest regulariter dispensare: tamen in aliquibus casibus auctoritate Diuina sibi tradita potest dispēsare, sicut de facto plures Summi Pontifices dispensarunt. Et ratio, quia sicut potest dispensare in voto solemni, ita etiam in matrimonio rato; tum quia Christus Summo Pontifici, tanquam suo Vicario dedit omnem potestatem necessariam bono regimini Ecclesiæ; & ideò posita iusta causa potest dissoluere matrimonium ratum. Ita Nauarrus *cap 22. num. 1.* Rebellus *lib. 2. quæst. 15. num. 4.* Coninchus *disput. 26. dub. 3. num. 33.* Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 38.* Henriquez *lib. 11. cap. 8.* & alij. Ratio est, quia matrimonium ratum non habet omnimodam indissolubilitatem ex ea parte, qua est officium naturæ, nec est ratione Sacramenti, aut significationis; ergo non est, cur Pontifex non possit dispensare, cum præsertim potestas Pontificis extendenda sit quantum licet.

Sciendum communiter sex causas sufficientes enumerari ad dispensationem. Prima est notabilis disparitas in qualitate, & cōditione, quia matrimoniū ordinatur ad mutuā amicitiam, & cōcordiā, quę nō est ordinariè, nisi inter pares. Secunda, grauis timor scandali futuri, vt fornicationis, & inimicitiarū, quia id cederet in magnum damnum commune. Tertia, lepra alteri superueniens, quia sic impeditur mutuus vsus corporis, qui est finis matrimonij. Quarta, assertio alterius coniugum, quod non habuerit animum contrahendi. Quinta, si vir efficitur Episcopus, & id necessarium esset ob bonum commune. Sexta, est mutuus dissensus, quæ tamen non est causa sufficiens, nisi quando essent inter se ita discordes, vt iure timerentur infelices exitus. Ita Filliucius *tract. 10. de sacram. matrim. cap. 2. num. 29.*

An

An matrimonium ratum dissoluatur per professionem in Religione?

BRACTEA XXVII.

R. Dissolui matrimonium ratum per professionem in Religione approbata, ita vt côiux manens in sæculo possit transire ad secundas nuptias. Et ita Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6. ijs verbis: Si quis dixerit matrimonium ratum non solui per solemne votum professionis Anathema sit.* Ratio, quia professio est mors spiritualis: quare sicut morte naturali soluitur vinculum matrimonij consumati, ita illa spirituali soluetur vinculum spirituale matrimonij rati.

Sciendum, quod quamuis plerique Doctores existimẽt hanc matrimonij rati dissolutionem per professionem ex iure naturali, vel saltem Diuina Christi traditione, ac priuilegio proficisci, tamen sententiæ Henrici Gandauensis *quodlib. 5. quest. 35.* Medinæ *lib. 5. de sacrorum hominum continentia cap. 86.* Lessij *lib. 2. cap. 41. dub. 8. num. 69.* Ægydij *tom. 2. disput. 26. num. 3.* videntur probabiliores, idest sola Ecclesiæ auctoritate per vota solemnia Religionis dissolui matrimonium ratum, quia si iure naturali, aut Diuino per vota solemnia solueretur, id ipsum etiam fieret per vota simplicia, quia solemnitas votorum, & à simplicibus differentia solo Ecclesiastico iure introducta est, vt patet *ex cap. vnico de voto in 6.* at qui per vota simplicia hodie non soluitur matrimonium ratum; ergo id non ad Ius Diuinum, quod immutabile, & constans est, sed ad Ecclesiæ auctoritatem referri debet, in cuius fauorê conceditur ab Ecclesia coniugibus bimestre ad deliberãdum, an velint ingredi Religionem, vel non, & intra illud bimestre possit vnus alteri coniugi petenti debitum negare.

R. 2. In matrimonio rato, & consumato non posse Summum Pontificem dispensare, cum indissolubile sit à sua prima institutione, vt dicitur *cap. 2.* Genesis, vbi Adam hoc indissolubile vinculum cum vxore sua per Diuinam inspirationẽ agnouit: *hoc nunc os ex ossibus meis, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna,* quem locum Christus iuxta D. Thomam Matthæi *cap. 19.* interpretatus est eo fine, vt matrimonium à prima sua institutione indissolubile, atque deinceps ita seruãdum ostenderet, itaq; ait, iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus côiunxit, homo non separet, & licet matrimonium ex ipsomet mutuo consensu indissolubilitatem quandam super allos contractus obtineat, maiorem tamen firmitatem per actualem eius vsum, consumationemque acquirit. Cuius ratio est, quia vti habetur *in cap. debitum de bigamis,* & tradit S. Thomas *in 4 dist. 27. quest. 1. art. 3* Matrimonium mutuo consensu ratum significat côiunctionem Christi cum Ecclesia per dilectionem charitatis, matrimonium verò carnali copula consumatum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, cum autem maior, & firmior sit coniunctio secũdum carnem assumptam, quam coniunctio per charitatem, quæ mortali peccato soluitur, & aufertur, inde hoc discrimen oritur, quod matrimonium inter fideles consumatum perfectam rationem Sacramenti obtinens nullo vnquam casu dirimatur, quoad vinculum; Ratũ verò matrimonium, & non consumatum dissolui per professionem in Religione approbata, ita vt alteri coniugi permissum sit ad alias nuptias transire, sicuti habetur *in cap. desponsatam, cap. decreta legalia,* & definit Tridentinum *sess. 24. de matrimon. cap. 6.*

MALLEATIO LVI.

De impedimentis dirimentibus matrimonium.

De potestate constituendi impedimenta in Ecclesia?

SCiendum, vt dictum est, matrimonium non solùm Sacramentum esse à Christi institutione, sed ante Christi institutionem à principio conditionis humanæ esse contractum quẽdam iuris naturalis, ex quo efficitur inter homines potestatem esse explicandi, & etiam statuendi, quæ personæ habiles essent ad ineunda coniugia, & ad huiusmodi contractum celebrandum, sicut & circa reliquos ciuiles contractus disposuit, atque decernit, & constituere impedimenta matrimonij nihil aliud est, quam legem aliquam ferre circa matrimonij contractum. Quibus positis.

R. 1. Posse Principem infidelem suis subditis impedimenta matrimonij statuere. Ratio vniuersalis est, quia Regia potestas est instituta ad bonum Reipublicæ, cuius est prouidere ea, quæ desiderantur ad hunc finem, cuiusmodi est impedimenta statuere matrimonij.

Sciendum 2. ex tali doctrina, quod matrimonium contractum ab infidelibus contra leges à suis Principibus latas dirimentes, matrimoniũ nullum esse: vnde cum ad fidem venerint, vel separandi sunt, vel iterum renouandum est iuxta leges Ecclesiæ. Quodnam autem sit inter illos dirimens impedimentum, id ex vsu, & consuetudine apud illos recepta petendum est.

R. 2. Principes fideles sæculares posse leges validas constituere circa impedimenta matrimonij, quibus teneantur infideles subiecti eorum ditioni, & imperio; hi enim subditi tantum sunt eorum Principum sæcularium, neq; Pontifex, vel Ecclesia vllam in illos iurisdictionem habet. Quare legibus Ecclesiasticis circa matrimonium non tenentur. *Cap. quando de diuortijs;* sed tantum legibus latis à Principe sæculari, cuius potestati subijciuntur.

Sciendum 3. in causa, & lite matrimoniali, quæ inciderit inter huiusmodi infideles subiectos Principibus sæcularibus fidelibus, legitimos Iudices esse sæculares, non autem Ecclesiasticos. Ratio, quia matrimonium eorum contractus quidam ciuilis est, non habẽs rationẽ Sacramenti; quod non modo intelligendum est de infidelibus subditis Principibus fidelibus sæcularibus, sed etiam de infidelibus peregrinantibus in territorio Principis Christiani, subduntur enim non legibus Ecclesiasticis matrimonij, sed ciuilibus. Quare iuxta leges sæculares Principis contrahere debent, quia peregrini alligantur legibus loci, in quo peregrinantur, & non legibus suæ regionis.

Scien-

Sciendum 4. quod fideles contrahentes in terris infidelium, & apud eos commorantes nō tenentur contrahere matrimonium sub forma Tridentini Concilij tradita, sed iuxta consuetudinem Prouinciæ, in qua commorantur, licet teneantur legibus impedimentorum ab Ecclesia introductorum, quia eorum matrimonium non subijcitur legibus sæcularis Principis infidelis, cum ex institutione Christi habeat adiunctam rationem Sacramenti, & ideò secundum leges Ecclesiasticas celebrari debet.

R.3. Solius Ecclesiastici iuris esse statuere impedimenta non solùm impedientia, sed etiam dirimentia matrimonium. Ratio est, quia causa matrimonij quoad ea, quæ necessariò respiciūt rationem contractus, aut ex illa proximè sequuntur, Ecclesiastica est. *Cap tuam de ordine cognitionum*. Et ita definitur à Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Tum etiam quia ratio matrimonij apud Christianos à ratione Sacramenti quoad iudicia inseparabilis est, quare ad illud forum spectat contractus iste, ad quod spectat de Sacramentorum rebus, & doctrina cognitio.

An apud Principes Ecclesiasticos, vt apud Papam, & Episcopos sit potestas inducendi impedimenta matrimonij?

BRACTEA II.

R. Pontificem maximum in vniuersa Ecclesia, Episcopos in suis Diœcesibus si respiciatur solùm ius naturale Diuinum posse inducere impedimenta dirimentia matrimonium. Ratio, quia quidquid pōt Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi. Licet hodie Episcopus non possit ea statuere, quia Papa sibi reseruauit ex generali consuetudine.

R.2. Posse Papam alicui priuatæ personæ, ita prohibere, ne matrimonium cum certa persona contrahat, vt aliter factum irritum sit, modò adsit iusta causa faciendi. Ratio est, quia si potest illud reddere generaliter irritum intra gradus consanguinitatis vsque ad quartum, & intra gradus affinitatis ex copula licita vsque ad quartum etiam: ita etiam poterit priuatim alicui ratione alicuius vrgentis causæ eodem modo prohibere, ne matrimonium contrahat cum tali determinata persona, vt Nauarrus *de matrim. contrahendo refert*; Papam nostra ætate id bis egisse propter scandala, quæ probabiliter timebantur.

Sciendum ad inducenda impedimenta requiri iustam causam non modò ad hoc, vt licitè fiat matrimonium, sed etiam vt validè. De licito præcepto omnes conueniunt ad id requiri iustam causam; quia potestas huiusmodi cōcessa est Ecclesiæ in ædificationem; non autem ad destructionem: ad id autem requiritur iusta causa, & maior exigitur causa ad dirimendum, quam ad simpliciter prohibendum matrimonium, quia sæpè aderit iusta prohibendi, non tamen dirimendi, quia dirimere grauius est, quam simpliciter prohibere.

De valido est controuersia quibusdam dicentibus matrimonium fore irritum, si quis illud ineat contra prohibitionem Papæ irritantem, etiamsi iusta causa non subsit id faciēdi, & multa facta tenent, quæ tamen prohibentur. Alij verò affirmant ad valorem prohibitionis desiderari iustam causam, & proinde ea non existente matrimonium contra eam irritum validum esse, quoniam cum matrimonium sit vinculum iure naturali, & Diuino inuentū, ac omnibus concessum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter ascendentes, & descendentes non potest Pontifex illud ad libitum interdicere, sed sicut dispensatio in his, quæ iure naturæ obligant facta absque causa est irrita. Ita censendum est de prohibitione matrimonij absque legitima causa facta.

An Princeps sæcularis Christianus possit suis subditis impedimenta matrimonij statuere?

BRACTEA III.

R. Spectata rei natura, & seclusis Ecclesiasticis constitutionibus omnibus, Magistratus sæcularis, qui absolutam potestatem habet ferendi leges ad subditos suos, potest eisdem impedimenta matrimonij tum dirimentia, tum impedimenta tantum ob iustam causam decernere. Ita S. Thomas *in 4. dist. 34. quæst. vnica art. 1.* Petrus Ledesma *quæst. 50. art. 1. dub. 1.* Petrus Sotus *de sacram. matrim. sect. 4.* Sanchez *lib. 7. disput. 3.* & alij. Ratio est, quia matrimonium humanum, contractus est in naturæ officium, & ad propagationem communitatis institutus: qui proinde vt alij contractus subiacet dispositioni Magistratus, quatenus necessarium, vel expediens iudicatur ad bonum cuiusque Reipublicæ, vt personę aliquę inter se contrahere prohibeantur.

R.2. Non esse hodie integrum Principibus legem aliquam constituere circa matrimonium ex eo, quod materia illius per Christum sacra facta est, & per consequens extra iurisdictionem Principis sæcularis. Ita Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 2. num. 3.*

Sciendum Principem sæcularem Christianū non solùm non posse nunc circa substantiam matrimonij condere leges, quia eius materia facta sit sacra, verùm et nec etiam circa accessoria matrimonij legem ferre, & hoc non modo quia Ecclesia non interdixerit Principibus Christianis, & sibi id reseruauit, sicut alias causas matrimoniales, quia ita decuit, postquam contractus matrimonij ad Sacramenti dignitatem eleuatus est, sed etiam ex defectu potestatis, si eo accessorio impeditur principale, potest tamē circa alia accidentalia, vel accessoria, quæ non pertinent ad eius substantiam, neque ex se impediunt principale leges ferre, vt v. g. circa dotes, lucrum dotis, vel donationes inter virum, & vxorem, & sponsalitiam largitatem. Ita Riccius *par. 3. decis. 178.* Belletus *disquisit. Cleric. tit. de exempt. Clericorum à statutis sæcularium §. 4. nu. 43.* & alij.

An consuetudine possint introduci impedimenta dirimentia matrimonium?

BRACTEA IV.

R. Consuetudinem non posse habere vim ad dissoluendum matrimonium iam factum, etiamsi adiuuaretur ratione scandali in illo interuenientis. Quod probatur *ex cap. fin. de spons. duor.* vbi dicitur non esse standum consuetudini, vt spreto priori matrimonio rato persistatur in secundo: posse tamen habere vim ad inducendum impedimenta dirimentia matrimonium postea contrahendum, etiam sine alio adiuncto. Ratio est, quia de ratione consuetudinis legitimè præscriptæ est, iuri positiuo derogare, nouamque statuere legem, sicuti potest derogare in alijs legibus Ecclesiasticis; & contrarium stabilire; & primò, quod non requiratur scientia Papæ, patet ex eo, quod ipsemet generaliter legem statuit, vt consuetudine possit legi derogari. *Cap. fin. de consuetud.* ideòque talis voluntas est tacita quædam scientia, & tolerantia consuetudinis in posterum inducendæ; quod non requiratur etiam scandalum, patet *ex cap. super eo de cognat. spirituali*, vbi dicitur dirimendum esse matrimoniũ, quod contra receptam consuetudinem initum est, nec ibi fit mētio scandali. Ita Filliucius *2. part. tractationis de sacram. matrim. cap. 1. num. 16.*

Sciendum, vt consuetudo vim habeat necessarium esse. Primò, quod consuetudo rationabilis sit, idest quod sit de actibus non contra legem Diuinam, aut naturalem, aut rationis æquitatem, quia omnis consuetudo contrà legem naturalem, & ius Diuinum, siuè æquitatem rationis irrationabilis est à suo initio, & proinde ad inducendam consuetudinem requiritur, quod actus non sint contra legem iuris naturæ, Diuini, & contra æquitatem rationis.

Secundò, requiritur ad consuetudinem inducendam, determinatum tempus, circa quod auctores non concordant, quod ad abrogandas leges ciuiles requiritur spatium decem annorum, cum spatium decem annorum in iure longæuum tempus censeatur. Et ita Molina *tract. 2. disput. 77.* Em. Sà *verbo lex num. 17.* Rebellus *par. 1. lib. 1. quæst. 5. num. 9.* Quod quidem spatium non est sufficiens ad abrogandas leges Canonicas, sed requiritur spatium quadraginta annorum. Et ita Reginaldus *lib. 13. num. 247.* Beccanus *cap. 8. qu. 3.* Suarez *lib. 7. cap. 18. num. 12.* Salas *disput. 19. sect. 4. num. 42.* Ratio est, quia Doctores communiter putant ad præscribendam consuetudinem tantum temporis requiri, quantum requiritur ad præscriptionem aliarum rerum, sed ad præscribendas res Ecclesiasticas requiritur saltem spatium quadraginta annorum; ergò, &c.

Sciendum 2. ad præscriptionem bonorum mobilium, quod propriè vsucapio dicitur requiri spatium trium annorum cum titulo, & bona fide inter præsentes, & inter absentes requiri spatium quatuor annorum cum titulo, & bona fide; ad præscriptionem verò immobiliũ requiritur contra priuatos spatium decem annorum inter præsentes cum titulo, inter absentes verò spatium viginti annorum, & contra rem immobilem Ecclesiæ requiritur spatium quadraginta annorum tàm cum titulo, quàm sine titulo, tàm inter præsentes, quàm inter absentes, siuè is, qui præscribit sit priuatus, siuè sit vna Ecclesia contra aliam, ad præscribenda verò bona immobilia Ecclesiæ Romanæ requiri spatium centum annorum, & ideo ad constituendum impedimentum ratione consuetudinis inter præsentes satis esse spatium decem annorum consuetudine firmatum, viginti verò inter absentes; licet relinquendum sit iudicio prudentis spatium temporis ad inducendam consuetudinem, qui pro negotij qualitate modò breuiùs, modò longiùs tempus statuet.

Tertiò, requiritur ad inducendam consuetudinem vsus crebrò iteratus, actumque frequentia. Quot autem requirantur actus, dissentio est, nonnulli vnum actum perseuerantem tamen sufficere voluerunt, alij duos, sed neutrum placet, quia non esset ex vno actu, vel duobus notoria, & manifesta consuetudo, cum fieri posset, vt populus, vel per errorem, vel per ignorantiam, aut et scandalum fortè nō restitisset; & ideò requiritur, vt sæpè in vsu fuerit, & frequenter non fit; quod solum bis; & crebrò non fit, & assiduè; & ideò iudicio prudentis relinquendum est.

Quartò, non requiri, vt illi actus iudiciales sint, sed satis esse, quod sint actus extraiudiciales, neque requiritur, quod in contradictorio iudicio pro ea consuetudine lata sententia fuerit. Ratio est, quia vera ratio consuetudinis est Principis, aut populi consensus, qui non minus animum suum actibus extraiudicialibus, quàm iudicialibus declarare possunt, & multò maioris auctoritatis iudicetur esse longo tempore, & sine dubitatione confirmatus vsus, quam si in contradictorio iudicio fuerit obtentus.

Vltimò requiritur, vt approbatur consuetudo tacito, vel expresso consensu Principis, vel eius, ad quem pertineat potestas condendi leges: aliàs nullius roboris erit consuetudo. Ratio est, quia non minorem potestatem requirit consuetudo, vt vim legis habeat, quàm lex: sed lex requirit consensum Principis; ergò etiam consuetudo.

Sciendum ad maiorem intelligentiam triplicem esse consensum.

Primus dicitur personalis, & expressus, quo Princeps expressè consentit, aut dat licentiã ad inducēdam consuetudinē, aut illam approbat.

Secundus est tacitus, & hic contingit, quando Princeps scit consuetudinem, & dissimulat, seu non contradicit, dum commodè potest contradicere.

Tertius dicitur legalis, seu iuridicus, & hic datur per legem, seu ius, quatenus Princeps statuens, aut sciens consuetudinem tales conditiones habentem à iure approbari dicitur consētire iuridicè. Ad cōsuetudinē nō requiri cōsensum personalem, & expressum Principis, cũ sit præter consuetudinem, & vsum, vt omnes consuetudines ad Principis aures perueniant, sed sufficit consensus iuridicus, & tacitus, & ratio est, quia non est minoris efficaciæ, quam personalis, & expressus, cum taciti, & expressi videatur eadem conditio, & natura. Et ita Sanchez *lib. 7 de matrim. disput. 4. num. 11.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 18. quæst. 11.* Salas *disp. 19. sect. 4. nu. 20.* Vasquez *par. 2. disp. 176. cap. 2. 5. & 7.*

Sciendum ad consuetudinem non modò requiri consensum permittentis Principis, sed etiam approbantis, vt consuetudo vim legis habeat.

habeat. Et ita Vasquez *loco citato cap. 2. num. 16. & 21.* & Suarez *lib. 7. cap. 12.* & ideò non est præsumendus consensus, nisi præsumatur etiam specialem consuetudinem ad eius cognitionem deuenisse, & approbatam.

An interruptio consuetudinis per aliquem actum contrarium impediat vim consuetudinis?

BRACTEA V.

R. Cum distinctione, vel consuetudo iam est perfecta & completa legitimo tempore, vel nondum est completa, si cōpleta est, nō abrogatur per vnū actū contrariū. Ratio est, quia sicut dictū est ad introducendā consuetudinē non sufficiunt vnus, vel duo actus: ita nec etiam ad ipsam abrogandam, tum et quia sicut lex nō abrogatur vnico actu, ita nec etiam consuetudo, quæ legis rationem habet, si verò consuetudo nondum est perfecta, & completa sentio interrumpi per vnum actum contrarium communitatis, consequenter iterum incipiendum esse, vt consuetudo iterum introducatur. Ratio est, quia populus actu contrario satis indicauit nolle consuetudinem inducere, quæ inducitur voluntate populi, seu communitatis, concurrentibus etiam reliquis conditionibus. Ita Panormitanus *cap. vlt. de consuetud. num. 19.* Armilla *verbo consuetudo num. 7.* Reginaldus *lib. 10. num. 149.* & alij.

Quale peccatum sit contrahere matrimonium cum impedimento dirimente scienter?

BRACTEA VI.

R. Primò contrahere scienter matrimonium, quod iure naturali, vel Ecclesiastico irritum, consequenter etiam prohibitum est, non potest à peccatò mortali excusari. Ita communiter omnes, quia est violatio legis iustæ in re magni momenti.

R. 2. Probabilius etiam esse mortale peccatum sacrilegii matrimonium ita inualidè contrahere, præsertim in facie Ecclesiæ post Tridentinam Constitutionem. Ratio est, quia contrahentes ritibus, ac nomine Sacramenti abutuntur cum maxima eius iniuria, ac irreuerentia, nisi metus grauis, & cadens in virum constantem cogat aliquem in matrimonium inualidè consentire, quia talis non peccat, cum non habeat animum verè contrahendi sciens se absolutè, & efficaciter contrahere non posse, sed tantum promittendi quantum ex sua parte potest cuiusmodi promissio in tali necessitatis casu non potest esse illicita, dummodo absit animus ita inualidè contractum matrimonium consumandi.

De modis, quibus matrimonium illicitè contrahitur?

BRACTEA VII.

R. Sex esse modos, quibus matrimonium validè, sed illicitè contrahitur.

Primus est ex parte intentionis, quando quis simulat se contrahere, nec habet intentionem, & animum contrahendi, ac quandō quis adiecerit matrimonio conditionem contra illius substantiam.

Secundus modus ex parte finis, vt quandō matrimonium principaliter fit animo vtendi illo, si propter sobolem, &c. sed propter alios fines extraneos, vt cum quis vxorem ducit principaliter ob ipsius pulchritudinem, vel ob diuitias, aut etiam ad pacem inter aliquos componendam, sicut etiam intendere finem de se indifferentem matrimonio tamen extraneo, solummodo in ordine ad copulam gratia vitandæ fornicationis, non autem procreandæ prolis si contrahentes tales sint, vt secundum communem spem possint habere prolem: secus autem si secundum communem spem nequeat prolem generare, vel etiam contrahere matrimonium ob vanam gloriam, vel excludendo fines, ad quos institutum est à Deo, quia sic faciendo grauem iniuriam inferunt Deo, & Sacramento, & Christo, à quo in tales fines illud est institutum.

Tertius modus, quo peccatur in matrimonio contrahendo est ex parte impedimentorū, quia est peccatum mortale cum impedito dirimente contrahere matrimonium, licet adsit spes dispensationis ipsius, cum spes non auferat impedimentum.

Quartus modus est ex parte rationis contrahendi, nempè cum matrimonium celebratur clandestinè, aut contra iustam voluntatem parentum.

Quintus modus est ex parte ordinis, nempè si non adhibeatur benedictio ante consumationem matrimonij.

Sextus modus est ex parte temporis, quia sūt certa tempora, in quibus non licet celebrare nuptias, vt infra dicetur.

Vltimus modus est ex parte contrahentium, nam quando ille, qui contrahit, nouit se esse excommunicatum maiore, aut minore excommunicatione, aut se esse in peccato mortali peccat mortaliter contrahendo matrimonium in eo statu. Ratio est, quia indignè suscipit Sacramentum. Ita Reginaldus *lib. 31. cap. 10. de modis, quibus peccatur contrahendo matrimonium.*

Quot sint impedimenta matrimonij?

BRACTEA VIII.

R. Impedimenta dirimentia matrimonium secundum ius antiquum sunt duodecim: secundum verò ius nouum quatuordecim, nam Concilium Tridentinum duo addit, videlicet raptum, & defectum præsentiæ Parochi, & testium, quę omnia his versiculis continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

A Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1.* addita sunt alia duo impedimenta his versibus contenta.

Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Quæ impedimenta dicuntur dirimētia, quia faciunt, vt inualidè contrahatur, & contrahentes

hentes separari possint, eo quod inualidè contraxerint.

R.2. præter impedimenta dirimẽtia extare & alia impedientia tantũ,& nõ dirimẽtia; quæ sũt interdictũ, vstum, spõsalia, cathechismus, crimen, quæ omnia his versibus cõprehenduntur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Cathechismus, sponsalia, iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Sunt etiam alia impedimenta impedientia, quæ procedunt ex impedimento criminis, quæ etiam his versibus comprehenduntur.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

De impedimento erroris dirimente?

BRACTEA IX.

SCiendum errorem in matrimonio dupliciter contingere posse. Vnus contingens circa personam, cum qua contrahitur, quando scilicet hæc de facto est alia ab ea, cum qua contrahens putat se contrahere, vt quando Iacob accepit Liam existimans esse Rachelem. Alter verò potest esse circa qualitatem, seu cõditionem eiusdem personæ, vt cum putatur nobilis, vel formosa, &c. Quibus positis.

R. Errorem personæ contractum matrimonij naturali iure irritum reddere. Ita S. Thomas *qu.1.art.1.* & omnes communiter. Ratio est, quia error circa substãtiam, siuè obiectum substantiale vitiat omne contractum, persona autem determinatè cognita contrahẽti esse solet primum, & substantiale obiectum contractus matrimonij; ergo error circa personam vitiat contractum matrimonij; tum etiam censetur irritum ob defectum consensus, cum non adsit circa illam, cum qua actualiter contrahit, sed cum alia, quæ in mente concipitur; & ideò censetur inualidum iure naturæ, cum non adsit consensus circa illam, cum qua contrahitur.

Sciendum errorem circa substantiam, quoad præsens attinet vnum antecedentem, & alterum concomitantẽ esse. Antecedẽs dicitur, qui præbet causam actui, ita vt eo non extante actus nequaquam fieret, & si sequatur in effectu, est inuoluntarius. Concomitans dicitur, qui non est causa actus, sed ipsum concomitatur, ita vt existente illo etiam actus fieret.

Errorem concomitantem reddere matrimonium irritum, & inualidum, quia simpliciter tollit voluntarium, & ad validè contrahẽdum requiritur voluntas, & consensus, & quamuis error comitans non faciat inuoluntarium positiuè, facit tamen non voluntarium, cum autem sine voluntario non subsistat, matrimoniũ sequitur, matrimonium celebratum cum errore concomitanti circa personam esse inualidũ. Ita Gutier. *cap.47.num.2.* Henriquez *lib. 11.cap.10. num.1.* Rebellus *lib.3.quæst.2.num.2.* & alij. Etiamsi taliter affectus esset, vt in matrimonium ipsius consensisset, si ipsam agnouisset, quia positiuè non consentit de præsenti, sed solùm indicat intentionem, & voluntatem eius, quod facturus esset. Et quod dictum est de errore concomitanti, etiam dicendum est de errore antecedenti, quia vterque error aufert actualem consensum, & tantum differunt, quod prior facit inuoluntarium, posterior autem non voluntarium. Cæterum si errans actualiter intendat contrahere matrimonium cum proposita muliere, quæcunque illa sit, validum erit matrimonium. Ratio est, quia huiusmodi error speculatiuus tantùm censetur, non practicus, quippè non vitians obiectum substãtiale actus voluntarij.

R.2. Errorem qualitatis personæ, & si proueniat ex dolo alterius contrahentis, & det causam contractui nullo modo irritare matrimonium, aut ipsum dirimere. Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia matrimonium substantialiter consistens non potest dirimi exceptis casibus, quos Ecclesiæ praxis permittit: cum errore autem circa qualitatem contractus substantialiter subsistit, & cum talis error non tollat voluntarium absolutè, ac simpliciter sequitur, quod tale matrimoniũ omnimodè subsistat, cum nullus Canon extet, quo irritetur.

Sciendum 3. aliquando qualitatem apponi in contractu matrimonij per modum conditionis, vt contraho tecum, si es diues, vel si es pulchra, aut nobilis, sana, aut virgo, & tunc non subsistente tali conditione contractum matrimonij esse irritum, & inualidum, cum contrahens non intẽdat se obligare in matrimonium, nisi sub conditione talis qualitatis.

Sciendum 2. errorem qualitatis aliquando redundare in errorem substantiæ, siuè personæ, si videlicet aliquis existimet se cum alia contrahere, non cum ea quam exterius accipit, ideòque non consentiat cum hac contrahere, quia non cognoscentis, aut errantis non est consensus.

Sciendum 3. tunc nos posse cognoscere errorem qualitatis transire in errorem personæ, quando qualitas, in qua erratur, respicit certam, & determinatam personam distinctam ab ea, quæ præsens est, ex v.g. quando quis contraxit matrimonium cum aliqua puella, quæ se fingebat filiam talis Comitis, seu Marchionis, cuius verè non erat filia, nihilominus contrahens, filiam talis Comitis, seu Marchionis in mente habebat, in illamque directè consensit, in isto casu error qualitatis dicitur redundare in errorem personæ consequenter matrimonium contractum esse inualidum. Secus verò dicendum est, quando error qualitatis redundat in personam, vt quando quis existimat cõtrahere matrimonium cum primogenita, & contrahit cum secundogenita matrimonium validum esse, dummodo reuera intendat contrahere cum illa, quam præ oculis habet. Ratio est, quia reuera consensit in personam sibi parentem, quæcunque illa sit.

De errore conditionis?

BRACTEA X.

SCiendum seruos esse in triplici differentia. Primò, quidam sunt verè serui, ita vt Dominus possit vendere. Secundò, alij sunt adscriptitij, qui sunt addicti prædio colendo reddituri Domino omnes redditus præter sumptus, & victum. Tertiò, originarij, qui scilicet sunt orti ex his adscriptijs, & hi duo postremi verè sunt liberi. Quibus positis.

R. Er-

rè diutius præsens humano modo, & formaliter cum aduertat, & intelligat, & aduertendo, & intelligendo testificari possit de matrimonio. Ita Petrus Ledesma *de matrim. quæst. 45. art. 5. pun. 3. dub. 2.* Sanchez *de matrim. disput. 39. lib. 3. num. 11.* Reginaldus *lib. 31. num. 182.* Gutier. *de matrim. cap. 69.* & alij. Quod autem dicitur de Parocho, idem debet intelligi de testibus.

An Parochus habens iniustum titulum beneficij validè assistat matrimonio?

BRACTEA XXXIII.

Sciendum solutionem huius casus pendere ab ea quæstione, qua quæritur vtrum valida sint ea, quæ fiunt ab aliquo Iudice, qui reuera non est Iudex, sed talis communi errore existimatur, vt quãdo commisit aliquod delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus beneficio, vel quia habet beneficium incompatibile, vel quando acceptauit beneficium in excommunicatione.

Sciendum 2. tripliciter contingere posse, vt aliquis titulo officij, vel beneficij destitutus sit. Primò, ita vt nunquam habuerit verum titulũ, seu coloratum, vel præsumptũ, vt si Episcopus conferat beneficium Parochiale excommunicato occulto, vel simoniaco, vtroque enim casu collatio est nulla. Secundo modo, quando prius habuit titulum, & tamen occultè priuatus est, vt quando commisit delictum, cui imponitur pena priuationis ipso iure. Tertio modo, ita vt nunquam habuerit titulum etiam præsumptum, vt si nunquam habuit titulum à legitimo superiore, sed ipse se intrusit. Quibus positis,

R. 1. Gesta per Iudicem, aut Parochum carentem legitimo titulo habẽtem solùm putatiuum valida esse, dummodo adsit error communis, & non adsit impedimentum iuris Diuini, vel humani.

Sciendum 3. tria requiri, vt gesta per Iudicẽ, aut Parochum carentem legitimo titulo sint valida Primo, titulus coloratus, quem tunc aliquis censetur habere, quando recipit dignitatem, aut beneficium à legitimo superiore, sed postea committit aliquod delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus dignitate, aut beneficio. Secundò, requiritur error communis, quo ille verus Iudex, aut Parochus existimetur, seu error, quo aliquis habeatur pro vero titulari, &c. non tamen sufficit error vnius, vel duorũ, sed debet esse error communis, & probabilis, quia ille error scientiæ æquiparatur. *Cap. 2. de constitut. in 6.* Ita plures apud Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 22. num. 8.* Tertiò requiritur, vt non adsit impedimentum iuris Diuini, aut naturalis, quia quando adest huiusmodi impedimentum Prælatus, vel Ecclesia non potest supplere eiusmodi defectum, cum non habeat potestatem in superiorem, sicut potest supplere defectũ iuris humani, & illũ re ipsa supplet, quando adest titulus coloratus, & error communis. Ita Caietanus *in summa verbo confessionis iteratio*, Paludanus *in 4. dist. 17. quæst. 6. art. 1.* Reginaldus *lib. 1. num. 47.* & alij.

Sciendum 4. huiusmodi defectum suppleri etiam ab Ecclesia, quando adest opinio probabilis, tunc enim censetur esse error communis, & titulus coloratus, vt accidit, quando est opinio probabilis aliquem posse absoluere à reseruatis, aut à censuris, aut assistere matrimonio, quia tunc sequens opinionem probabilem validè absoluit, & validè assistit matrimonio, etiamsi populus dubitet superiorem esse priuatum suo officio, nam melior est conditio superioris possidentis. Ita Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 8.* Henriquez *lib. 5. de penit. cap. 14. num. 4.* & alij.

R. 2 Gesta per Prælatum, & Parochum communi errore talem existimatum habentem titulum putatiuũ à legitimo superiore in vtroq; foro valere: vnde validum est matrimonium, cui assistit Parochus habens titulum inualidũ ob vitium aliquod occultum, aut quia habet beneficium incompatibile collatum sibi à legitimo superiore. Ratio est, quia adest titulus coloratus cum errore communi absque impedimento iuris naturalis, aut Diuini. Ita Coninchus *disput. 27. de matrim. dub. 2. num. 6.* Secundò validam esse confessionem factam Parocho communi errore tali existimato. Tertiò, validum esse matrimonium contractum coram Laico, cui Parochus concessit facultatem assistendi matrimonio, si communi errore habetur, vt Sacerdos. Ratio, quia adest titulus coloratus, & error communis, & non est impedimentum iuris Diuini, aut naturalis, sed est defectus, qui suppleri potest ab Ecclesia, quæ sicut statuit inualidum esse matrimonium sine Parocho, vel alio Sacerdote, & testibus, ita potest facere, vt sit validum matrimonium celebratum coram Laico, qui communi errore habetur, vt Sacerdos.

R. 3 Gesta per eum, qui caret vero titulo, sed communi errore, & titulo colorato habetur titularis esse valida, nõ solùm respectu eorum, qui nesciebant illum carere vero titulo, sed etiam respectu illius, qui sciebat ei verum titulum deesse. Ratio, quia sicut requiritur error communis, & non sufficit error particularis ad hoc, vt sint valida gesta, ita etiam requiritur scientia communis, & non sufficit scientia particularis ad hoc, vt sint valida gesta per habẽtem titulum coloratum cum errore communi: sufficit tamen si sit communis error in eo loco, vbi actus gestus est, quia ibi impedimentum erat occultum, quamuis in alio notorium esset Sanchez *lib. 3. de matrim. cap. 22. num. 9.*

Sciendum 5. ex suprascriptis colligi non esse validam absolutionem collatam ab eo, qui verè non est Sacerdos, quamuis errore communi, & titulo colorato habeatur pro vero Sacerdote. Ratio est, quia adest impedimentum iuris Diuini. Ita Caietanus, & alij apud Sanchez *loco citato*. Secundò, gesta per Iudicem, qui mente captus est non esse valida, quamuis communi errore credatur sanæ mentis. Ratio, quia interuenit defectus naturalis, qui ab Ecclesia suppleri non potest. Ob id sententia lata ab insano iure naturæ non obligat. Ita Reginaldus *lib. 1. num. 93.* Sanchez *loco citato n. 29.* Tertiò, valida esse gesta per excõmunicatum vitandum occultum existentẽ cõmuni errore, licet in alio esset notorius, quod tñ intelligendũ est, qñ impedimentũ notoriũ in alio loco distanti, vt verisimiliter non potuit venire in huius oppidi notitiam. Ita apud Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 22. num. 9.* immò licet in eo loco publi-

publicum, ac denunciatum fuerit impedimentum, si tantum temporis spatium intercesserit, vt iam ab hominum memoria lapsum sit, & ita communiter ignoretur. Valeant in vtroque foro gesta per eum, quia tunc est error communis, iustus, ac probabilis. Ita apud Sanchez *loco citato*. Vnde illum esse validè absolutum, qui Parocho nominatim denunciato, vel notorio Clerici percussore confessus est peccata sua in eo loco, in quo communi errore, & titulo colorato habetur pro vero Parocho, nec credebatur excommunicatus, nec pęnitens sciebat illum esse excommunicatum, quia in hoc casu Ecclesia supplet iurisdictionem, qua caret excommunicatus denunciatus, vel notorius Clerici percussor. Sanchez *loco citato num*.46. Reginaldus *lib*.11.*num*.117. & alij. Quartò, gesta per excommunicatum occultum valida esse in foro conscientiæ, quia cum adsit communis error facti cum titulo æquitas postulat, vt omninò valeat, quidquid gerit, quia dignitas potius quam persona agit, etiamsi non sit Ordinarius, sed Delegatus, aut sint pertinentia ad actum ordinis, siuè iurisdictionem. Vnde Confessarius delegatus validè absoluit licet excommunicatus, dummodo adsit error communis, & titulus coloratus. Quinto, gesta per hæreticum occultum valida esse, dum est communis error cum titulo vero, aut putatiuo, cum adsint omnia requisita. Sic Archidiaconus *cap*.1.*num*.11. *de sententia excommunicat. in* 6. Abbas *in cap. nihil num*. 12. *de elect*. Baldus *l. Barbatius in* 1. *lectur. num*.30. & ibi Iason *num*.51. *ff. de officio Pretoris*, Siluest. *verbo confessor* 1. *quæst*. 19. Rosella *confessio sacramentalis* 3. *num*. 41. Tabiena *absolutio* 1. *num. vlt*. & alij. Et hodie post Concilium Constantiense hæreticus notorius, dum non est denunciatus, non amittit iurisdictionem, & ideò gesta per ipsum valent. Ita Henriquez *lib*.6. *de pęnit. cap*.16. *num*. 12. Vltimò, gesta per Parochum, qui ob delictum ipso iure amisit officium esse valida, dum amissio est occulta. Ratio, quia retinet possessionem, qua priuari nō potest, nisi cuasa cognita. *Cap. licet Episc. de prebendis in* 6. etiamsi priuatus esset per sententiam, dummodo tamen priuatio esset occulta. Sic Baldus *l. Barbat. in* 1. *lectura num*. 30. *ff. de officio Pretoris*, Mascardus *de probat. conclus*. 649. *num*.67. Henriquez *lib. de pęnitent. cap*.6. *num*. 2. & alij apud Sanchez *loco citato num*.58.

An Parochus tempore matrimonij teneatur notare nomina testium, &c.

BRACTEA XXXIV.

R. Parochum teneri habere librum, in eoq; scribere nomina contrahentium, & testium, locum, & tempus contracti matrimonij, quod præceptum cum sit de re grauiordinata ad bonum publicum, & vt matrimonium notum sit Ecclesiæ, obligat sub mortali, sicut etiā obligat præceptum habendi librum baptizatorum. Et ita Henriquez *lib*.11. *de matrim. cap*.7. *num*. 4. Reginaldus *lib*.31. *num*.242. Rodriquez 1. *par. cap*. 217. Coninchus *disp*.27. *dub*.8. *num*. 77. & alij apud Gutier. *de matrim. cap*.60. *num*. 9. & apud Sanchez *loco citato*.

An ad validè contrahendum matrimonium, præter præsentiam Parochi requiratur etiam præsentia testium?

BRACTEA XXXV.

R. Ad validè contrahendum matrimonium præter assistentiam Parochi requiri, saltem præsentia duorum, vel trium testium, vt constat ex Tridentino *sess*.24. *cap*. 1. quæ præsentia debet esse moralis, & humano modo, vt scilicet aduertant, & intelligant, quid agatur, debet etiam esse simultanea, & non sufficit successiua.

Sciendum ex hac doctrina Concilij Tridentini, vbi requirit testes his verbis: Et aliter pręsente Parocho, & duobus, vel tribus testibus colligitur, amentes, ebrios, furiosos quandiù carent lucido interuallo nō esse testes idoneos ad matrimonium, quia non possunt esse præsentes humano modo. Secundò, quascunque personas doli capaces posse esse testes in matrimonio cuiuscunque ætatis, & conditionis, & status existant; & ideò impuberes, fęmina, consanguinei, pater, mater, familiaris, infidelis, & etiam excommunicatus in causa matrimonij potest esse testis, licet non admittantur tanquā testes idonei in alijs rebus. Ratio est, quia Concilium Tridentinum nullos testes excipit; ergo nulla ratio est, cur nos excipiamus, cum fauores sint amplificandi, & materia matrimonij fauorabilis sit. Ita Reginaldus *lib*.31. *num*.183. Sanchez *lib*.3. *disput*.40. Tertiò, non requiri, quod testes sint rogati, quod nullo iure probatur, immò *l. ad fidem ff. de testibus* habetur testes non rogatos sufficere ad rei gestæ fidem faciendam, sed sufficit, vt sint adhibita contractum matrimonij. Quartò, validum esse matrimonium cōtractum coram testibus per violentiam adductis, & detentis, quia dici possunt moraliter præsentes, vt aduertant, quod agitur. Et ita Henriquez *lib*.11. *cap*. 13. Sanchez *lib*.3. *disp*.39. *num*. 9. dummodo intelligant consensus contrahentium. Et patet *ex l. coram Titio* 209. *ff. de verborum obligatione*, vbi deducitur dici aliquid coram aliquo fieri, quamuis inuitus adsit, si aduertat, quod idem docet Glossa. Cum ergo Tridentinum solùm exigat matrimonium celebrari coram Parocho, & testibus satisfit, si ipsis præsentibus, quamuis inuitis celebretur. Quintò, valere matrimonium etiamsi testes dolo ad aliud vocati intersint matrimonio. Et ita Nauar. *lib*. 4. *consilior. de sponsal consil*. 20. *tit. de clandestinis desponsa. cōs*. 11. & alij. Sextò, etiamsi testes sint trāseuntes validum esse matrimonium, si aduertant ad id, quod fit, cum verè dicantur præsentes, cum præsentia ad valorem matrimonij petita contenta sit sola intellectus aduertentia, qua iste testimonium contracti matrimonij perhiberi possit. Et ita Petrus de Ledesma *quæst*.45. *art*.5. *pun*. 3. *dub*. 2. Secus verò dicendum est, si testes transeuntes plenè non aduertant ad id, quod fit, nimirum ad matrimonium, quia tunc non censetur præsentes formaliter, & humano modo. Quod vt melius intelligatur, sciēdum est, quod testes, qui matrimonio debent esse pręsentes, requiritur, quod habeant vsum rationis, ita vt possint intelligere consensum vtriusque contrahentis. Secundò, quod testes aliquo sensu perci-

percipiant consensum contrahentium, vnde testis surdus potest assistere matrimonio, quia licet auribus nõ possit percipere expressionem consensus, tamen oculis potest videre signum aliquod expressiuum consensus. Ita Henriq. *lib. 11. de matr. cap. 3. n. 1.* Similiter si Parochus no potest intelligere verba idiomatis diuersa, satis esse, quod per interpraetem intelligat.

Quid operetur matrimonium contractum sine Parocho, & testibus?

BRACTEA XXXVI.

R. Non inducere obligationem nec matrimonij, nec sponsalium, nisi fortè contrahentes habuerint animum obligandi se eo modo, quo possent. Ratio est, quia Tridentinum reddit irritum, & nullum, matrimonium clandestinum, ita vt nullam inducat obligationẽ, etiamsi sit firmatum iuramento, cum iuramentum censeatur de re illicita, vtpotè contra legem prohibentem, ex illo contractu obligationem induci. Ita Em. Sà *verbo matrim. num. 42.* Riccius *decis. 250.* Sanchez *lib. 1. disput. 20. num. 3.* Gutier. *de matrim. cap. 11.* Rodriquez *cap. 220.* & alij. Vnde qui ita contraxerunt, possunt cum alijs, vel etiã inter se iterum contrahere adhibito Parocho, & testibus. Et sic declarauit Congregatio, & Concilium Tridentinum non reddit huiusmodi contrahentes inhabiles ad iterum contrahẽdum seruata debita forma. Ita Gutier. *de matrim. cap 65. num 2. & cap. 23. num. 4.* & alij citati à Bonacina *de matrim. quæst. 2. pun. 8. num.* 48. Quod si dicatur, matrimonium contractum inter impuberes, seu inter puberem, & impuberem valent, vt sponsalia; ergo matrimonium clandestinum saltem inducit obligationem sponsalium. Respondeo hoc esse peculiare in matrimonio clandestino impuberum, vt patet *ex cap. fin. de desponsf. impuberum, cap. vnico*, & ratio, quia ius præsumit impuberes se voluisse obligare eo meliori modo, quo possent, & cum non possint se obligare vinculo matrimonij ius presumit eos se voluisse obligare vinculo sponsalium. Ita apud Bonacinam *loco cit. num. 48.* & alij cum eo.

Quid dicatur Parochus proprius vagorum?

BRACTEA XXXVII.

SCiendum eos dici vagos, qui nullibi certam habent habitationis sedem, sed hinc inde vagantur. Sic habetur *leg. eius, qui manu misit 27. §. fin. ff. ad municip.* Et ita communiter omnes Doctores. Secundò dicuntur etiam vagi hi, qui prius domicilium deserentes nauigant, vel iter faciunt quærentes, vbi se collocet, hi enim sine domicilio sunt, ob idque vagi dicuntur. *l. eius, qui manumisit 27. §. Celsus ff. ad municip.* & ita Rosella *verbo confessio sacram. 3. n. 31.* Siluest. *verbo confess. 1. qu. 6.* Tabiena *verbo absolut. 1. n. 41.* & alij, etiãsi iam deliberauerint, vbi constituant domicilium, sed illud actualiter non constituerunt, cum eadem sit ratio vtriusque. Ratio, quia hi sine domicilio sunt, & ob id vagi dicuntur, sicuti etiam qui relicta propria Parochia nondum statuit, ad quam migraturus sit, sed quærens domum interim in aliqua Parochia hospitatur ad breue tempus, dicitur vagus respectu Parochianorum illius oppidi, cum nõ censentur de Parochia, in qua ad breue tempus hospitatur, quia non censetur ibi habitare. *l. 1. §. hac autem verba ff. de his, qua deiecerunt*; quia ibi hospes planè non tenebitur, quia ibi non habitet, sed paulisper hospitatur. Tum etiam quia non est ratio, cur de vna potius, quam de alia Parochia dicatur; tum etiam quia sine Parochia est, qui priorem amisit, & nondum aliam acquisiuit. Et ita Sanchez *lib. 3. disput. 25.* & cum eo plures citati. Quibus positis.

R. Proprium Parochum vagorum illum esse, in cuius Parochia pro ratione tẽporis actualiter commoratur. Ratio est, quia cum vagi careant domicilio actualis, habitatio loci, quã pro tempore habent, succedit in locum domicilij, & proprius Parochus censetur ille, in cuius Parochia quis habet domicilium, vel domicilium eo modo, quo habere potest.

R. 2. Vagos posse cuicunque Parocho confiteri, & quemcunque Parochum posse matrimonio vagorum interesse, dummodo pro tempore habitet in sua Parochia. Ratio, quia idem est Parochus ad audiendas confessiones, & ad assistendum matrimonio, & quicunque Parochus potest horum confessiones audire, & per consequens eorum matrimonio assistere pro eo tempore, quo habitant in eius Parochia. Ratio est, quia cum nullam certam habeant Parochiam non est maior ratio de vno Parocho, quam de alio. Ita Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 3. num. 3.* Sanchez *lib. 3. disp. 25. num. 11.* & alij.

Sciendum 2. Parochum non posse matrimonio vagorum interesse, nisi diligenti inquisitione præmissa, & obtenta Ordinarij licentia. Ita Concilium Tridentinum *sess. 24 de matrim. cap. 7.* Ratio, quia cum ignoti sint, possunt alibi matrimonio esse coniuncti. Secundò mortaliter peccare Parochum, qui vagos non seruato Concilij Tridentini decreto coniungit. Ratio, quia facit cõtra præceptum Ecclesiæ in re graui, & valdè necessaria, tamen valeret eorum matrimonium, etiam non præmissa diligentia, & sine licentia Ordinarij contractum. Ratio est, quia talis licentia, & diligentia non censetur de essentia matrimonij. Et ita Sanchez *loco cit. num. 17.*

Sciendum 3. dubium esse, an teneant matrimonium quorundam vagorum cõtrahentium, qui aliquo temporis spatio ante contractum matrimonium morati fuerant v. g. Cherij, vbi suum domicilium statuerant, deinde ad euitãdas expensas, vt proprio ore cõfessi sunt, accesserũt ad Parochũ loci Ripę ppè Cheriũ, qui absq; alia licentia eorũ matrimonio astitit? Ad quod respondeo supposito, quod supradicti nõ amplius vagi firmarint suum domicilium in loco Caburi, & solum ad euitandas expensas, & non animo manendi maiorem partem anni accesserint ad Parochum loci Cherij, qui eorum matrimonio astitit matrimonium nullum censeri, cum non adsint requisita Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.*

****

An

Quomodo validetur matrimonium ob defectum consensus inualidum, vel ob aliud impedimentum?

BRACTEA XXXVIII.

Sciendum multipliciter inualidè contrahi matrimonium. Primò ob defectum præsentiæ Parochi, & testium. Secundò ob defectum consensus necessarij ad matrimonium. Tertiò ob defectum alterius impedimenti dirimentis ipsum matrimonium, quod aliquando potest esse publicum, & aliquando secretum. Quibus positis:

R. Ad validandum matrimonium inualidum defectu consensus sufficere, quod denuò præstetur ab eo, qui fictè in matrimonium cõsenserit, aut per metum, dummodo alter censeatur virtualiter perseuerare in consensu præstito. Ratio est, quia ex parte alterius sponsi censentur esse omnia requisita; tum etiam, quia diuisio temporis inter consensum vnius, & alterius, non solum in pluribus contractibus inuenitur, verum in sacramento Pœnitentiæ, vbi peracta confessione potest aliquo tempore differri absolutio. Et patet etiam in contractibus, in quibus satis est consensus adhibitus in diuerso tempore, vt est manifestum in contractibus, qui per litteras, & nuncium fiunt, & per prohibitionem factam absenti, & etiam in contractu matrimonij, qui per litteras, nuncios tractatus; ergo non est necesse, quod consensus sit simul, & eodem tempore, sed satis est, quod mortaliter coniungantur.

Sciendum 2. quod quando matrimonium est inualidum, solum respectu vnius contrahentis non est necesse, quod consensus internus denuò manifestetur signo externo, cum iam fuerit expressus, sed satis est, quod de nouo in matrimonium consentiat. Quando verò matrimoniũ est inualidũ defectu consensus vtriusque non satis est, quod de nouo in matrimonium contractum consentiant, sed necesse est consensum per signum externum manifestare, quia cum prior consensus fuerit nullus, & irritus; sic etiam signa externa eorum manifestatiua: ad matrimonium autem validè contrahendum requiritur mutuus consensus validus, & legitimus signo externo expressus. Ita Sanchez *lib.2. disp.32.* nec etiam requiritur, quod consensus denuò exprimatur coram Parocho, & testibus, cum iam huic obligationi fuerit satisfactum, nisi forsan impedimentum fuerit publicũ, quia tunc denuò requiritur vt consensus matrimonij denuò eliciatur coram Parocho, & testibus ad hoc, vt sint testes matrimonij validati.

R. 2. Ad validandum matrimonium inualidum ratione impedimenti dirimentis post impetratam dispensationem impedimenti requiritur nouus consensus contrahentium signo externo expressus: Ita D. Thom. *4. dist. 40 quæst. vnica*, Sotus *4. dist. 35. quæst. vnica* Nauar. *cap. 22. nu. 47.* Sanchez *lib. 2. disp. 35.* Ratio est, quia prior consensus ex parte vtriusque contrahentis ratione impedimenti dirimentis fuit inualidus, & irritus: vnde denuò reuocandus est.

An coniux conscius impedimenti possit rogare alterum coniugem inscium illius impedimenti, vt de nouo consentiat non detegendo impedimentum, nec inualiditatem matrimonij?

BRACTEA XXXIX.

R. Quod quãdo matrimonium est inualidum ratione alicuius impedimẽti occulti dirimẽtis nõ esse necesse conscium impedimenti reuelare ipsum nescienti, quando ex ista reuelatione potest suspicari aliquod periculum, sed satis esse obtenta dispensatione inuitare ipsum ad renouandum consensum verbis æquiualentibus, v. g. his verbis, Num me ita diligis, vt si inter nos non esset matrimonium contractum denuò contraheres, & me acciperes in tuam vxorem, vel alijs verbis similibus. Quod si absq; scandalo, & periculo conscius impedimenti ignaro potest reuelare impedimentum, tenetur ipsum reuelare; quia hoc modo tollitur omne dubium inualiditatis matrimonij, cum vterq; de nouo consentiat habita cognitione inualiditatis matrimonij. Et ita Bonacina *qu. 2. pun. 9. de matrim. num. 7.*

Sciendum dubium esse quodnam remedium adhibendum sit, quando nullitas matrimonij est ignota alteri nec cõsensus possit verbis extorqueri, itaut nolit respondere, & ex alia parte petat debitum, vt vxor nequeat negare absq; scandalo? Respondeo sufficere, vt ipsa copulam habeat affectu maritali, quia vt sic vterque videtur denuò consentire in matrimonium cum copulam habeant affectu maritali in ordine ad matrimonium validum, licet aliqui Doctores dicant hunc consensum non sufficere cum matrimonium contractum sit inualidum, & vir ignorans inualiditatem matrimonij non videatur denuò consentire. Ita apud Sanchez *lib. 2. disp. 36.*

An sit validum matrimonium contractum cum falso errore impedimenti, quod verè non erat?

BRACTEA XL.

R. Validum esset matrimonium si contrahentes intendant valere quantum in ipsis est. Ratio est, quia ad istud matrimonium adsunt omnia requisita, nimirum consensus contrahentium, & contrahentes habiles ad trahendum, qui intendunt contrahere, quantum possunt; ergo matrimonium validè celebratur. Et probatur à simili de eo, qui audit baptismum non valere, sed nihilominus baptizando intendit facere, quod potest, & quod intendit Sancta Mater Ecclesia, quia tunc certum est illum validè baptizare; ergo etiam idem dicendum est de eo, qui contrahit matrimonium cum errore impedimenti.

An matrimonium celebratum sub conditione sit validum?

BRACTEA XLI.

Sciendum quinque modis posse conditionem adijci matrimonio. Primò, vt tempus, vt cum additur dies crastina. Secundò, vt modum per particulam Vt, duco te, vt diter. Tertiò, vt causam per particulam Quia, duco te, quia pulchra es. Quartò, vt demonstrationem per particulam Quæ duco te, quæ pulchra es, quæ nobilis es. Quintò, vt conditionem per particulam Si, duco te si parentes consentiunt.

Sciendum 2. Conditionē esse circunstātiam, quæ apposita contractui ipsius effectū suspēdit, & earum aliquas esse de præterito, & alias de pręsēti, alias turpes, alias honestas, alias possibiles, & alias impossibiles; de præterito alias esse necessarias, & alias contingentes: turpes etiam esse in duplici differentia, quędam contra substantiam contractus matrimonii, vt contra prolem, indiuiduitatem, & contra fidem, quædam sunt turpes, licet non contra substantiam matrimonij.

Sciendum 3. bonum matrimonij triplex esse. Primum bonum, dicitur proles, quod quidam virtualiter debet semper saltem intendi à contrahentibus, vel saltem negatiuè, idest ipsum non impedire per media illicita, vt per receptionem veneni, aut per abiectionem seminis recepti, aut per procurationem abortus, ex quo patet bono prolis repugnare hanc conditionē, contraho tecum, si partum impediaris, aut potum sterilitatis sumpseris.

Secundum, bonum matrimonij est bonum fidei, seu fidelitatis, quod importat obligationem ad reddendum debitum si petatur, & ad non cōmunicandum corpus alieno, ideò huic bono repugnat talis conditio, *Contraho* tecum si pro quæstu adulterandum te tradas, vel si permiseris copulam tui illis quos ego voluero.

Bonum Sacramenti, significat indissolubilitatem matrimonij, quæ repræsentat vnionem Christi cum Ecclesia, & huic bono aduersatur ista conditio, *Contraho tecum ad septem annos, vel vsque ad obitum Patris, vel donec inueniam aliam ditiorem, &c.* Ita Rebellus *lib. 2. quæst. 12.* & alij. Quibus positis.

R. Matrimonium contractum sub conditione necessaria de futuro validum esse, ac si conditio illa non esset apposita. Ita Durandus *in 4. dist. 28. quæst. 2. num. 5.* Sanchez *lib. 5. disp. 2.* & alij. Ratio est, quia conditio necessariò futura censetur præsens, cum iam sit in determinata causa: vnde si quis dicat contraho tecum si Sol cras orietur matrimonium censetur ratum, & validum, quia ortus Solis est necessarius, & à causa necessaria determinata.

Sciendum 4. aliquando in matrimonio apponi conditionem necessariam non tanquam conditionem suspensiuam, sed tanquam suspēsionem præfinitiuam temporis, vt v.g. quando quis alicui dicit, Contraho tecum si Sol cras orietur, idest quando Sol cras orietur, contraho tecum matrimonium. In quo casu contractus non censetur statim factus, sed faciendus, cum illa conditio sit posita tanquam terminus ad illum contractum celebrandum: vt similiter quando quis dicit Contraham tecum si Pater meus è vita migrauerit; hic enim intendit cōtrahere statim, ac Pater migrauerit è vita. Qui verò dicit Contraho tecum si Antichristus nascetur, vel sub alijs conditionibus, quæ certò sciuntur euenturæ est statim validum. Ratio, quia huiusmodi conditiones reducuntur ad rationem conditionis necessariæ.

R. 2. Matrimonium contractum sub conditione impossibili inualidum esse regulariter. Ratio, quia consensus in matrimonium refertur ad conditionem, sed cum conditio sit impossibilis, consensus in matrimonium datus non censetur simpliciter datus, cum referatur ad conditionem impossibilem.

Sciendum 5. quod quando contrahitur matrimonium sub conditione impossibili consensus absolutè non datur, sed refertur ad conditionem, & cum conditio sit impossibilis præsumitur, quod contrahens nolit consentire, nisi sub ea conditione impossibili. Ratio, quia qui non vult se obligare, nisi sub conditione cognita, vt impossibili simpliciter non se obligat, nec habet intentionem se obligandi, cum impossibilium non sit obligatio, vt v. g. si filius, qui scit, patrem suum esse mortuum, & cum aliqua contrahat sub hac conditione, Contraho tecum si patri meo placuerit matrimonium censetur inualidum, cum referatur ad conditionem impossibilem, & per consequens consensum datum in ordine ad matrimonium esse nullum. Secus in casibus infra dicendis.

R. 3. Matrimonium contractum sub conditione turpi contra substantiam matrimonij inualidum esse. Ita Sanchez *lib. 5. disp. 9.* Lessius *lib. 2. cap. 18.* & alij. Ratio, quia contractus celebratus sub conditione turpi contra substantiam ipsius contractus est inualidus, quia sine substantia nihil potest subsistere, & per conditionem turpem sicuti destruitur substantia contractus, ita, & etiam ipsa res contractus destruitur.

Sciendum 6. quod licet non sint propriè de essentia matrimonij tria bona, nimirum fides, indissolubilitas, & proles, quoad executionem, tamen sunt de essentia quoad eius obligationem, cum sit de essentia, vt contrahentes obligentur ad vitam perpetuam, & indiuiduā, & ad fidē sibi seruandam reddendo sibi debitum, alijsque negando corpus, prolem non impediendo, sed educando, si Deus eam dederit: vnde inualidum est matrimonium contractum sub hac conditione, Contraho tecum si filios occidas, vel mutiles, vel si generationem prolis euites, vel, donec inueniam digniorem. Ratio est, quia de substantia matrimonii est consensus in societatem perpetuam ad fidem sibi mutuò seruandam, & prolem suscipiendam, & tales conditiones censentur turpes, & contra substantiam matrimonij, ergo, &c.

R. 4. Matrimonium contractum sub conditione turpi non contra substantiam matrimonij, validum esse. Ita Sanchez *lib. 5. disp. 15.* & alij. Ratio, quia conditio turpis censetur pro non adiecta, tum quia ad peccatum inuitat; tum etiam adest sufficiens consensus ad matrimonium, cum huiusmodi conditiones censeantur, ac si nō fuissent adiectæ, modo adsit consensus abso-

absolutus contrahentium signo externo sufficienter expressus.

Sciendum 7. vt supra dictum est, conditionem turpem duplicem esse, vnam contra substantiam matrimonij, aliam verò turpem, sed non contra substantiam matrimonij, vt sunt hæ sequentes. Contraho tecum si patrem, vel fratrem, vel filios, quos ex primo matrimonio habuisti occidas, quæ conditiones licet sint turpes, quia tamen non sunt contra substantiam matrimonij non inualidant matrimoniũ, sed pro non adiectis censentur, conditio verò turpis, quæ est contra substantiam matrimonij, reddit contractum inualidum. Et ratio est, quia ad essentiam huius requiritur mutuus consensus expressus signo externo, & licet in casu conditionis impossibilis adiectæ, contrahentes interius censeantur consentire in matrimonium, tamen exterius videntur dissentire, cum consensus referatur ad conditionem quæ non subsistit supposito, quod in matrimonium absolutè non consentiant, sed respectiuè ad terminum impossibilem: Secus verò si contrahentes signo externo exprimerent consensum, idest verbis factis, aut copula maritali affectu, quia tunc contractus esset validus, cum haberet omnia requisita.

Sciendum est 8. conditionem impossibilem aliquando esse de præsenti, aliquando de futuro matrimonium contractum sub conditione impossibili de præterito valere, vt si quis dicat Contraho tecum si cras ortus est Sol, matrimonium verò contractum sub conditione impossibili de præsenti, vt contraho tecum si digito cælum tangas validum esse, modo adsit consensus contrahentium absolutus. Ita Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 3. pun. 3.* Sanchez *lib. 5. disp. 13.* & alij. Ratio est, quia huiusmodi conditiones in matrimonio censentur pro non adiectis.

R. 5. Matrimonium contractum sub conditione contingenti honesta validum esse. Ita Henriquez *lib. 11. cap. 12. num. 5.* Sanchez *loco citato disput. 6.* Ratio est, quia posita conditione honesta nihil deest ad substantiam, & validitatem matrimonij.

Sciendum 9. cõditionem honestam triplicem esse: de præsenti, de præterito, & de futuro matrimonium contractum sub conditione honesta de præsenti appositã matrimonio, vt contraho tecum, si filia Titij es, si virgo es, si nauis aduenit, si Pater tuus vult, vel mortuus est, vel si tantam dotem habes matrimonium validum esse, si vera conditio est, & non valet, si conditio falsa. Ita docet S. Thomas *in 4. dist. 29. quæst. vnica art. 3 quæst. 3.* D. Bonauentura *dist. 28. art. vnic. quæst. 3.* & alij. Ratio est, quia contractus quilibet ex contrahentium voluntate legem, & conditionem accipit: si igitur ea sit contrahentium voluntas, vt si hoc existat, stipulatio rata sit, si verò non existat, irrita existat, ita statim fit, sicut inter se conuenerũt; matrimonium verò contractum sub conditione honesta relata in futurum, v. g. accipio te, si pater tuus consenserit, vel si mille nummos aureos in dotem dederit, suspenditur vsque ad conditionis euentum, ea verò eueniẽte perficitur matrimonium sine nouo contrahentium consensu. Ita Nauar. *cap. 22. num. 95.* Sanchez *lib. 5. disput. 8. num. 5.* & alij. Matrimonium verò celebratum sub conditione honesta de præterita statim censeri validum. Ratio est, quia conditio de præterito censetur tanquam præsens.

An quando in matrimonio adhibetur conditio de futuro, necesse sit, vt conditio adimpleatur coram Parocho, & testibus, qui fuerunt præsentes matrimonio celebrato sub tali conditione?

BRACTEA XLII.

R. Requiri, vt traditio apposita in futurum adimpleatur coram Parocho, & testibus. Et ita Petrus Ledesma *quæst. 47. art. 5. dub. 7.* vbi asserit certam, & communem sententiam, quam etiam secutus est Coninchus *disput. 29. dub. 1. num. 15.* & Gutier. *de matrim. cap. 81. num. 7.* Ratio est, quia Parochus, & testes à Concilio Tridentino requiruntur, vt intelligant matrimonium verè, & substantialiter cõtractum esse, de eoque in foro externo ad multa scandala euitanda testificari possint, & nisi intersint adimpletioni conditionis nõ possunt testificari, vtrum matrimonium verè, & substãtialiter contractum sit, sed tantum de contractu inchoato, & adhuc in futurum pendente solubili; ergo, &c. licet satis sit, quod contrahẽtes coram Parocho, & testibus postea affirment conditionem esse adimpletam, quam contrahentes apposuerant: nam & ipso censentur purificare contractum, vt rectè notauit Coninchus *loco cit. num. 17.*

An matrimonium contractum inter parentes hac conditione, si Papa dispensauerit, sit validum?

BRACTEA XLIII.

R. Validum esse adimpleta conditione dispensationis. Ratio, quia huiusmodi conditio non est turpis, sed honesta, & licet contrahentes sint inhabiles pro præsenti ad contrahendum, non tamen erunt inhabiles tempore impletæ conditionis, & contrahendõ sub tali conditione, si Papa dispensauerit, non censetur contrahere de præsenti, sed pro tunc, idest tempore impletæ conditionis. Et ita Sanchez *lib. 5. disput. 5. num. 24.* & Coninchus *disput. 29. num. 18.* & alij. Tum etiam quia sponsalia celebrata sub conditione impedimenti dispensabilis valida sunt; ergo etiam validum matrimonium.

Sciendum non peccare consanguineos contrahendo matrimonium inter se sub conditione, si Papa dispensauerit, dummodo impedimentum sit iuris humani; ita vt in eo dispensare possit. Ita Adrianus *in 4. de matrim. sacram. quæst. 3. dub. 10.* Couarun. *in epitome par. 2. cap. 3.* Ratio, quia talis promissio versatur circa rem licitam, videlicet contrahendum matrimonium post datam dispensationem.

Sciendum 2. ex huiusmodi reciproca promissione oriri veram obligationem spõsalium sub conditione, quam proinde sponsus spectare, eaque veniente, idest impetrata dispensatione, mutuò nuptias contrahere tenetur, aut si

matrimonium iam fuerit contractum de præsenti fidem facere de impetrata dispensatione; licet etiam probabilis sit opinio dicentium solùm sponsalia purificari: matrimonium autem per nouum consensum coram Parocho, & testibus contrahendum esse, sed sententia supradicta probabilior videtur, nimirum non esse necessarium, quod matrimonium denuò contrahatur coram Parocho, & testibus, sed satis esse, quod fidem faciant de dispensatione obtenta coram Parocho, & testibus, qui fuerant matrimonio.

An sint liciti tactus, & oscula inter contrahentes hac conditione, si Papa dispensauerit?

BRACTEA XLIV.

R. Oscula, & tactus licitos licere ante impetratam dispensationem, nō autem tactus illicitos, & impudicos. Ratio est, quia matrimonium inter eos secutum licet non habeat perfectam rationem matrimonij, cum non cōtrahant pro tunc, sed pro futuro, tamen habēt rationem sponsalium, & per consequens illis esse licita, quæ contrahentibus matrimonium de futuro licita sunt; cum autem sint illis licita oscula, & tactus pudici tia etiam contrahentibus matrimonium de præsenti sub conditione, si Papa dispensauerit. Ita qui tenent matrimonium contractum sub conditione, si Papa dispensauerit esse validum matrimonium, etiamsi retrotrahatur ad adimpletam conditionem.

An matrimonium contractum sub conditione impertinenti sit validum?

BRACTEA LXV.

R. Matrimonium contractum sub conditione impertinenti de futuro inualidum esse, antequam verificetur conditio, validum verò esse purificata conditione. Ita Sanchez *lib. 5. disput. 18. num. 3.* Gutieres *cap. 82. num. 31.* Ratio primæ partis est, quia contrahentes intendunt solummodo se obligare in ordine ad conditionis euentum; ergo ante euentum ipsius conditionis non cēsentur se obligare; ergo alioquin contractus obligaret vltra intentionem contrahentium. Ratio secundæ partis est, quia si non esset validum, verificata conditione esset, quia illa conditio esset improbata iure, sed à iure non improbatur, cum non sit conditio turpis contra substantiam matrimonij, & non inducat ad peccatum; ergo matrimonium validum erit adimpleta conditione, modò contrahentes non reuocauerint consensum ante conditionis euentum.

An matrimonium sit indissolubile?

BRACTEA XLVI.

Sciendum tantam esse indissolubilitatem matrimonij, vt nullo modo possit ab homine dissolui: iuxta verba Domini nostri Matthęi 19. Quos Deus coniunxit homo, non separet, & iuxta illud D. Pauli in 1. ad Corinth. *cap. 7.* His, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere; quod etiam definitur *in cap. quæsiuit, & in cap. 4. de diuortiys:* ideoque nulla de causa, licet deserta coniuge viuente alteri coniungi matrimonio, neque ob sterilitatem, neque ob fornicationem, prauos mores, fędos morbos, aut capitales inimicitias; & in hoc matrimoniū distinguitur à cęteris cōtractibus, qui cum res notabiliter mutatę sint, alijsque de causis, immò & solo mutuo contrahentium consensu dissolui possunt, sicut & nasci; iuxta illud res, per quas causas nascuntur, per easdem dissoluuntur. *Instit. §. fin.* Quibus modis tollitur obligatio. Ratio huius differentiæ est, quia matrimonium ex se ordinatur ad educandam prolem, quod vt commodè fiat, requirit firmitatem illius vinculi. Quibus positis.

R. Matrimonium indissolubile esse iure Diuino, naturæ, & humano; quod sit indissolubile iure naturæ patet ex Genesi: Quamobrem relinquet homo, & adhęrebit vxori suę, & ex verbis supra dictis: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.*

Sciendum est matrimonium aliud esse ratū, & aliud consumatum Summum Pontificem posse in matrimonio rato stante legitima causa dispensare. Ratio est, quia indissolubilitas matrimonij sit de iure Diuino, & naturali, supra quod Papa non potest regulariter dispensare: tamen in aliquibus casibus auctoritate Diuina sibi tradita potest dispēsare, sicut de facto plures Summi Pontifices dispensarunt. Et ratio, quia sicut potest dispensare in voto solemni, ita etiam in matrimonio rato; tum quia Christus Summo Pontifici, tanquam suo Vicario dedit omnem potestatem necessariam bono regimini Ecclesiæ; & ideò posita iusta causa potest dissoluere matrimonium ratum. Ita Nauarrus *cap 22. num. 1.* Rebellus *lib. 2. quæst. 15. num. 4.* Coninchus *disput. 26. dub. 3. num. 33.* Bellarminus *lib. 2. de Monachis cap. 38.* Henriquez *lib. 11. cap. 8.* & alij. Ratio est, quia matrimonium ratum non habet omnimodam indissolubilitatem ex ea parte, qua est officium naturæ, nec est ratione Sacramenti, aut significationis; ergo non est, cur Pontifex non possit dispensare, cum præsertim potestas Pontificis extendenda sit quantum licet.

Sciendum communiter sex causas sufficientes enumerari ad dispensationem. Prima est notabilis disparitas in qualitate, & cōditione, quia matrimoniū ordinatur ad mutuā amicitiam, & cōcordiā, quę nō est ordinariè, nisi inter pares. Secunda, grauis timor scandali futuri, vt fornicationis, & inimicitiarū, quia id cederet in magnum damnum commune. Tertia, lepra alteri superueniens, quia sic impeditur mutuus vsus corporis, qui est finis matrimonij. Quarta, assertio alterius coniugum, quod non habuerit animum contrahendi. Quinta, si vir efficitur Episcopus, & id necessarium esset ob bonum commune. Sexta, est mutuus dissensus, quæ tamen non est causa sufficiens, nisi quando essent inter se ita discordes, vt iure timerentur infelices exitus. Ita Filliucius *tract. 10. de sacram. matrim. cap. 2. num. 29.*

An

An matrimonium ratum dissoluatur per professionem in Religione?

BRACTEA XXVII.

R. Dissolui matrimonium ratum per professionem in Religione approbata, ita vt côiux manens in sæculo possit transire ad secundas nuptias. Et ita Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6. ijs verbis: Si quis dixerit matrimonium ratum non solui per solemne votum professionis Anathema sit.* Ratio, quia professio est mors spiritualis: quare sicut morte naturali soluitur vinculum matrimonij consumati, ita illa spirituali soluetur vinculum spirituale matrimonij rati.

Sciendum, quod quamuis plerique Doctores existimẽt hanc matrimonij rati dissolutionem per professionem ex iure naturali, vel saltem Diuina Christi traditione, ac priuilegio proficisci, tamen sententiæ Henrici Gandauensis *quodlib. 5. quæst. 35* Medinæ *lib. 5. de sacrorum hominum continentia cap. 86.* Lessij *lib. 2. cap. 41. dub. 8. num. 69.* Ægydij *tom. 2. disput. 26. num. 3.* videntur probabiliores, idest sola Ecclesiæ auctoritate per vota solemnia Religionis dissolui matrimonium ratum, quia si iure naturali, aut Diuino per vota solemnia solueretur, id ipsum etiam fieret per vota simplicia, quia solemnitas votorum, & à simplicibus differentia solo Ecclesiastico iure introducta est, vt patet *ex cap. vnico de voto in 6.* at qui per vota simplicia hodie non soluitur matrimonium ratum; ergo id non ad ius Diuinum, quod immutabile, & constans est, sed ad Ecclesiæ auctoritatem referri debet, in cuius fauorẽ conceditur ab Ecclesia coniugibus bimestre ad deliberãdum, an velint ingredi Religionem, vel non, & intra illud bimestre possit vnus alteri coniugi petenti debitum negare.

R. 2. In matrimonio rato, & consumato non posse Summum Pontificem dispensare, cum indissolubile sit à sua prima institutione, vt dicitur *cap. 2.* Genesis, vbi Adam hoc indissolubile vinculum cum vxore sua per Diuinam inspirationẽ agnouit: *hoc nunc os ex ossibus meis, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, quem locum Christus iuxta D. Thomam Matthæi *cap. 19.* interpretatus est eo fine, vt matrimonium à prima sua institutione indissolubile, atque deinceps ita seruãdum ostenderet, itaq; ait, iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus côiunxit, homo non separet, & licet matrimonium ex ipsomet mutuo consensu indissolubilitatem quandam super alios contractus obtineat, maiorem tamen firmitatem per actualem eius vsum, consumationemque acquirit. Cuius ratio est, quia vti habetur *in cap. debitum de bigamis*, & tradit S. Thomas *in 4 dist. 27. quæst. 1. art. 3* Matrimonium mutuo consensu ratum significat côiunctionem Christi cum Ecclesia per dilectionem charitatis, matrimonium verò carnali copula consumatum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, cum autem maior, & firmior sit coniunctio secũdum carnem assumptam, quam coniunctio per charitatem, quæ mortali peccato soluitur, & aufertur, inde hoc discrimen oritur, quod matrimonium inter fideles consumatum perfectam rationem Sacramenti obtinens nullo vnquam casu dirimatur, quoad vinculum; Ratũ verò matrimonium, & non consumatum dissolui per professionem in Religione approbata, ita vt alteri coniugi permissum sit ad alias nuptias transire, sicuti habetur *in cap. desponsatam, cap. decreta legalia*, & definit Tridentinum *sess. 24. de matrimon. casu 6.*

MALLEATIO LVI.

De impedimentis dirimentibus matrimonium.

De potestate constituendi impedimenta in Ecclesia?

Sciendum, vt dictum est, matrimonium non solùm Sacramentum esse à Christi institutione, sed ante Christi institutionem à principio conditionis humanæ esse contractum quẽdam iuris naturalis, ex quo efficitur inter homines potestatem esse explicandi, & etiam statuendi, quæ personæ habiles essent ad ineunda coniugia, & ad huiusmodi contractum celebrandum, sicut & circa reliquos ciuiles contractus disposuit, atque decernit, & constituere impedimenta matrimonij nihil aliud est, quam legem aliquam ferre circa matrimonij contractum. Quibus positis.

R. 1. Posse Principem infidelem suis subditis impedimenta matrimonij statuere. Ratio vniuersalis est, quia Regia potestas est instituta ad bonum Reipublicæ, cuius est prouidere ea, quæ desiderantur ad hunc finem, cuiusmodi est impedimenta statuere matrimonij.

Sciendum 2. ex tali doctrina, quod matrimonium contractum ab infidelibus contra leges à suis Principibus latas dirimentes, matrimoniũ nullum esse: vnde cum ad fidem venerint, vel separandi sunt, vel iterum renouandum est iuxta leges Ecclesiæ. Quodnam autem sit inter illos dirimens impedimentum, id ex vsu, & consuetudine apud illos recepta petendum est.

R. 2. Principes fideles sæculares posse leges validas constituere circa impedimenta matrimonij, quibus teneantur infideles subiecti eorum ditioni, & imperio; hi enim subditi tantum sunt eorum Principum sæcularium, neq; Pontifex, vel Ecclesia vllam in illos iurisdictionem habet. Quare legibus Ecclesiasticis circa matrimonium non tenentur *Cap. quando de diuortijs*; sed tantum legibus latis à Principe sæculari, cuius potestati subijciuntur.

Sciendum 3. in causa, & lite matrimoniali, quæ inciderit inter huiusmodi infideles subiectos Principibus sæcularibus fidelibus, legitimos Iudices esse sæculares, non autem Ecclesiasticos. Ratio, quia matrimonium eorum contractus quidam ciuilis est, non habẽs rationẽ Sacramenti; quod non modo intelligendum est de infidelibus subditis Principibus fidelibus sæcularibus, sed etiam de infidelibus peregrinantibus in territorio Principis Christiani, subduntur enim non legibus Ecclesiasticis matrimonij, sed ciuilibus. Quare iuxta leges sæculares Principis contrahere debent, quia peregrini alligantur legibus loci, in quo peregrinantur, & non legibus suæ regionis.

Scien-

Sciendum 4. quod fideles contrahentes in terris infidelium,& apud eos commorantes nō tenentur contrahere matrimonium sub forma Tridentini Concilij tradita, sed iuxta consuetudinem Prouinciæ, in qua commorantur, licet teneantur legibus impedimentorum ab Ecclesia introductorum, quia eorum matrimonium non subijcitur legibus sæcularis Principis infidelis, cum ex institutione Christi habeat adiunctam rationem Sacramenti, & ideò secundum leges Ecclesiasticas celebrari debet.

R.3.Solius Ecclesiastici iuris esse statuere impedimenta non solùm impedientia, sed etiam dirimentia matrimonium.Ratio est,quia causa matrimonij quoad ea, quæ necessariò respicit rationem contractus, aut ex illa proximè sequuntur, Ecclesiastica est. *Cap. tuam de ordine cognitionum.* Et ita definitur à Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 12. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos,anathema sit.* Tum etiam quia ratio matrimonij apud Christianos à ratione Sacramenti quoad iudicia inseparabilis est, quare ad illud forum spectat contractus iste, ad quod spectat de Sacramentorum rebus,& doctrina cognitio.

An apud Principes Ecclesiasticos, vt apud Papam, & Episcopos sit potestas inducendi impedimenta matrimonij?

BRACTEA II.

R. Pontificem maximum in vniuersa Ecclesia, Episcopos in suis Diœcesibus si respiciatur solùm ius naturale Diuinum posse inducere impedimenta dirimentia matrimonium. Ratio, quia quidquid pôt Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua Diœcesi. Licet hodie Episcopus non possit ea statuere, quia Papa sibi reseruauit ex generali consuetudine.

R.2.Posse Papam alicui priuatæ personæ, ita prohibere, ne matrimonium cum certa persona contrahat, vt aliter factum irritum sit, modò adsit iusta causa faciendi. Ratio est, quia si potest illud reddere generaliter irritum intra gradus consanguinitatis vsque ad quartum,& intra gradus affinitatis ex copula licita vsque ad quartum etiam: ita etiam poterit priuatim alicui ratione alicuius vrgentis causæ eodem modo prohibere, ne matrimonium contrahat cum tali determinata persona, vt Nauarrus *de matrim. contrahendo refert;* Papam nostra ætate id bis egisse propter scandala, quæ probabiliter timebantur.

Sciendum ad inducenda impedimenta requiri iustam causam non modò ad hoc,vt licitè fiat matrimonium, sed etiam vt validè. De licito præcepto omnes conueniunt ad id requiri iustam causam, quia potestas huiusmodi cōcessa est Ecclesiæ in ædificationem, non autem ad destructionem: ad id autem requiritur iusta causa,& maior exigitur causa ad dirimendum, quam ad simpliciter prohibendum matrimonium; quia sæpè aderit iusta prohibendi, non tamen dirimendi, quia dirimere grauius est, quam simpliciter prohibere.

De valido est controuersia: quibusdam dicentibus matrimonium fore irritum, si quis illud ineat contra prohibitionem Papæ irritantem, etiamsi iusta causa non subsit id faciēdi,& multa facta tenent,quæ tamen prohibentur. Alij verò affirmant ad valorem prohibitionis desiderari iustam causam, & proinde ea non existente matrimonium contra eam irritum validum esse,quoniam cum matrimonium sit vinculum iure naturali,& Diuino inuentū, ac omnibus concessum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter ascendentes, & descendentes non potest Pontifex illud ad libitum interdicere, sed sicut dispensatio in his, quæ iure naturæ obligant facta absque causa est irrita. Ita censendum est de prohibitione matrimonij absque legitima causa facta.

An Princeps sæcularis Christianus possit suis subditis impedimenta matrimonij statuere?

BRACTEA III.

R. Spectata rei natura,& seclusis Ecclesiasticis constitutionibus omnibus, Magistratus sæcularis, qui absolutam potestatem habet ferendi leges ad subditos suos, potest eisdem impedimenta matrimonij tum dirimentia,tum impedimenta tantum ob iustam causam decernere. Ita S. Thomas *in 4. dist. 34. quæst. vnica art. 1.* Petrus Ledesma *quæst. 50. art. 2. dub. 2.* Petrus Sotus *de sacram. matrim. sect. 4.* Sanchez *lib. 7. disput. 3.* & alij. Ratio est, quia matrimonium humanum, contractus est in naturæ officium, & ad propagationem communitatis institutus: qui proinde vt alij contractus subiacet dispositioni Magistratus,quatenus necessarium, vel expediens iudicatur ad bonum cuiusque Reipublicæ, vt personę aliquę inter se contrahere prohibeantur.

R.2.Non esse hodie integrum Principibus legem aliquam constituere circa matrimonium ex eo, quod materia illius per Christum sacra facta est, & per consequens extra iurisdictionem Principis sæcularis. Ita Pontius *de matrim. lib. 7. cap. 2. num. 3.*

Sciendum Principem sæcularem Christianū non solùm non posse nunc circa substantiam matrimonij condere leges,quia eius materia facta sit sacra, verùm et nec etiam circa accessoria matrimonij legem ferre, & hoc non modo quia Ecclesia non interdixerit Principibus Christianis,&sibi id reseruauit,sicut alias causas matrimoniales, quia ita decuit, postquam contractus matrimonij ad Sacramenti dignitatem eleuatus est, sed etiam ex defectu potestatis, si eo accessorio impeditur principale, potest tamē circa alia accidentalia,vel accessoria, quæ non pertinent ad eius substantiam,neque ex se impediunt principale leges ferre, vt v.g. circa dotes,lucrum dotis,vel donationes inter virum, & vxorem, & sponsalitiam largitatem. Ita Riccius *par. 3. decis. 178.* Belletus *disquisit. Cleric. tit. de exempt. Clericorum à statutis sæcularium* §.4.*nu.43.* & alij.

An

An consuetudine possint introduci impedimenta dirimentia matrimonium?

BRACTEA IV.

R. Consuetudinem non posse habere vim ad dissoluendum matrimonium iam factum, etiamsi adiuuaretur ratione scandali in illo interuenientis. Quod probatur *ex cap. fin. de sponf. duor.* vbi dicitur non esse standum consuetudini, vt spreto priori matrimonio rato persistatur in secundo: posse tamen habere vim ad inducendum impedimenta dirimentia matrimonium postea contrahendum, etiam sine alio adiuncto. Ratio est, quia de ratione consuetudinis legitimè præscriptæ est, iuri positiuo derogare, nouamque statuere legem, sicuti potest derogare in alijs legibus Ecclesiasticis; & contrarium stabilire; & primò, quod non requiratur scientia Papæ, patet ex eo, quod ipsemet generaliter legem statuit, vt consuetudine possit legi derogari. *Cap. fin. de consuetud.* ideòque talis voluntas est tacita quædam scientia, & tolerantia consuetudinis in posterum inducentæ; quod non requiratur etiam scandalum, patet *ex cap. super eo de cognat. Spirituali*, vbi dicitur dirimendum esse matrimoniũ, quod contra receptam consuetudinem initum est, nec ibi fit mẽtio scandali. Ita Filliucius *2. part. tractationis de sacram. matrim. cap. 1. num. 16.*

Sciendum, vt consuetudo vim habeat necessarium esse. Primò, quod consuetudo rationabilis sit, idest quod sit de actibus non contra legem Diuinam, aut naturalem, aut rationis æquitatem, quia omnis consuetudo contrà legem naturalem, & ius Diuinum, siuè equitatem rationis irrationabilis est à suo initio, & proinde ad inducendam consuetudinem requiritur, quod actus non sint contra legem iuris naturæ, Diuini, & contra æquitatem rationis.

Secundò, requiritur ad consuetudinem inducendam, determinatum tempus, circa quod auctores non concordant; quod ad abrogandas leges ciuiles requiritur spatium decem annorum, cum spatium decem annorum in iure longæuum tempus censeatur. Et ita Molina *tract. 2. disput. 77.* Em. Sà *verbo lex num. 17.* Rebellus *par. 1. lib. 1. quæst. 5. num. 9.* Quod quidem spatium non est sufficiens ad abrogandas leges Canonicas, sed requiritur spatium quadraginta annorum. Et ita Reginaldus *lib. 13. num. 247* Beccanus *cap. 8. qu. 3.* Suarez *lib. 7 cap. 18 num. 12.* Salas *disput. 19. sect. 4. num. 42.* Ratio est, quia Doctores communiter putant ad præscribendam consuetudinem tantum temporis requiri, quantum requiritur ad præscriptionem aliarum rerum, sed ad præscribendas res Ecclesiasticas requiritur saltem spatium quadraginta annorum; ergò, &c.

Sciendum 2. ad præscriptionem bonorum mobilium, quod propriè vsucapio dicitur requiri spatium trium annorum cum titulo, & bona fide inter præsentes, & inter absentes requiri spatium quatuor annorum cum titulo, & bona fide; ad præscriptionem verò immobiliũ requiritur contra priuatos spatium decem annorum inter præsentes cum titulo, inter absentes verò spatium viginti annorum, & contra rem immobilem Ecclesiæ requiritur spatium quadraginta annorum tàm cum titulo, quàm sine titulo, tàm inter præsentes, quàm inter absentes, siuè is, qui præscribit sit priuatus, siuè sit vna Ecclesia contra aliam, ad præscribenda verò bona immobilia Ecclesiæ Romanæ requiri spatium centum annorum, & ideò ad constituendum impedimentum ratione consuetudinis inter præsentes satis esse spatium decem annorum consuetudine firmatum, viginti verò inter absentes; licet relinquendum sit iudicio prudentis spatium temporis ad inducendam consuetudinem, qui pro negotij qualitate modò breuius, modò longius tempus statuet.

Tertiò, requiritur ad inducendam consuetudinem vsus crebrò iteratus, actuumque frequentia. Quot autem requirantur actus, dissentio est, nonnulli vnum actum perseuerantem tamen sufficere voluerunt, alij duos, sed neutrum placet, quia non esset ex vno actu, vel duobus notoria, & manifesta consuetudo, cum fieri posset, vt populus, vel per errorem, vel per ignorantiam, aut et scandalum forte nõ restitisset, & ideò requiritur, vt sæpè in vsu fuerit, & frequenter non sit; quod solum bis, & crebrò non fit, & assiduè; & ideò iudicio prudentis relinquendum est.

Quartò, non requiri, vt illi actus iudiciales sint, sed satis esse, quod sint actus extraiudiciales, neque requiritur, quod in contradictorio iudicio pro ea consuetudine lata sententia fuerit. Ratio est, quia vera ratio consuetudinis est Principis, aut populi consensus, qui non minus animum suum actibus extraiudicialibus, quàm iudicialibus declarare possunt, & multò maioris auctoritatis iudicetur esse longo tempore, & sine dubitatione confirmatus vsus, quam si in contradictorio iudicio fuerit obtentus.

Vltimò requiritur, vt approbatur consuetudo tacito, vel expresso consensu Principis, vel eius, ad quem pertineat potestas condendi leges: aliàs nullius roboris erit consuetudo. Ratio est, quia non minorem potestatem requirit consuetudo, vt vim legis habeat, quàm lex: sed lex requirit consensum Principis; ergò etiam consuetudo.

Sciendum ad maiorem intelligentiam triplicem esse consensum.

Primus dicitur personalis, & expressus; quo Princeps expressè consentit, aut dat licentiã ad inducẽdam consuetudinẽ, aut illam approbat.

Secundus est tacitus, & hic contingit, quando Princeps scit consuetudinem, & dissimulat, seu non contradicit, dum commodè potest contradicere.

Tertius dicitur legalis, seu iuridicus, & hic datur per legem, seu ius, quatenus Princeps statuens, aut sciens consuetudinem tales conditiones habentem à iure approbari dicitur consẽtire iuridicè. Ad cõsuetudinẽ nõ requiri cõsensum personalem, & expressum Principis, cũ sit præter consuetudinem, & vsum, vt omnes consuetudines ad Principis aures perueniant, sed sufficit consensus iuridicus, & tacitus; & ratio est, quia non est minoris efficaciæ, quam personalis, & expressus, cum taciti, & expressi videatur eadem conditio, & natura. Et ita Sanchez *lib. 7 de matrim. disput. 4. num. 11.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 18. quæst. 11.* Salas *disp. 19 sect. 4. nu. 20.* Vasquez *par. 2. disp. 176. cap. 2. 5 & 7.*

Sciendum ad consuetudinem non modò requiri consensum permittentis Principis, sed etiam approbantis, vt consuetudo vim legis habeat.

hentes separari possint, eo quod inualidè contraxerint.

R.2. præter impedimenta dirimētia extare ēt alia impedientia tantū,& nō dirimētia;quæ sūt interdictū, vstum, spōsalia,cathechismus,crimen,quæ omnia his versibus cōprehenduntur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Cathechismus, sponsalia,iungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Sunt etiam alia impedimenta impedientia, quæ procedunt ex impedimento criminis, quæ etiam his versibus comprehenduntur.

Incestus, raptus sponsata, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

De impedimento erroris dirimente?

BRACTEA IX.

SCiendum errorem in matrimonio dupliciter contingere posse. Vnus contingens circa personam, cum qua contrahitur, quando scilicet hæc de facto est alia ab ea, cum qua contrahens putat se contrahere, vt quando Iacob accepit Liam existimans esse Rachelem. Alter verò potest esse circa qualitatem,seu cōditionem eiusdem personæ,vt cum putatur nobilis,vel formosa,&c.Quibus positis.

R. Errorem personæ contractum matrimonij naturali iure irritum reddere.Ita S.Thomas *qu.1.art.1.* & omnes communiter.Ratio est,quia error circa substātiam,siuè obiectum substantiale vitiat omne contractum, persona autem determinatè cognita contrahēti esse solet primum, & substantiale obiectum contractus matrimonij; ergo error circa personam vitiat contractum matrimonij; tum etiam censetur irritum ob defectum consensus,cum non adsit circa illam, cum qua actualiter contrahit, sed cum alia,quæ in mente concipitur;& ideò censetur inualidum iure naturæ, cum non adsit consensus circa illam,cum qua contrahitur.

Sciendum errorem circa substantiam,quoad præsens attinet vnum antecedentem, & alterum concomitantē esse.Antecedēs dicitur,qui præbet causam actui, ita vt eo non extante actus nequaquam fieret, & si sequatur in effectu, est inuoluntarius. Concomitans dicitur, qui non est causa actus, sed ipsum concomitatur,ita vt existente illo etiam actus fieret.

R. Errorem concomitantem reddere matrimonium irritum, & inualidum, quia simpliciter tollit voluntarium,& ad validè contrahēdum requiritur voluntas,& consensus; & quamuis error comitans non faciat inuoluntarium positiuè, facit tamen non voluntarium, cum autem sine voluntario non subsistat matrimoniū sequitur, matrimonium celebratum cum errore concomitanti circa personam esse inualidū. Ita Gutier.*cap.47.num.2.* Henriquez *lib.11.cap.10. num.1.*Rebellus *lib.3.quæst.2.num.2.* & alij. Etiamsi taliter affectus esset, vt in matrimonium ipsius consensisset, si ipsam agnouisset, quia positiuè non consentit de præsenti, sed solùm indicat intentionem,& voluntatem eius, quod facturus esset. Et quod dictum est de errore concomitanti, etiam dicendum est de errore antecedenti,quia vterque error aufert actualem consensum, & tantum differunt, quod prior facit inuoluntarium, posterior autem non voluntarium. Cæterum si errans actualiter intendat contrahere matrimonium cum proposita muliere, quæcunque illa sit, validum erit matrimonium. Ratio est, quia huiusmodi error speculatiuus tantum censetur, non practicus, quippè non vitians obiectum substātiale actus voluntarij.

R.2.Errorem qualitatis personæ,& si proueniat ex dolo alterius contrahentis, & det causam contractui nullo modo irritare matrimonium,aut ipsum dirimere.Ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia matrimonium substantialiter consistens non potest dirimi exceptis casibus, quos Ecclesiæ praxis permittit: cum errore autem circa qualitatem contractus substantialiter subsistit, & cum talis error non tollat voluntarium absolutè, ac simpliciter sequitur, quod tale matrimoniū omnimodè subsistat,cum nullus Canon extet, quo irritetur.

Sciendum 3.aliquando qualitatem apponi in contractu matrimonij per modum conditionis,vt contraho tecum, si es diues, vel si es pulchra, aut nobilis, sana, aut virgo, & tunc non subsistente tali conditione contractum matrimonij esse irritum, & inualidum, cum contrahens non intēdat se obligare in matrimonium, nisi sub conditione talis qualitatis.

Sciendum 2. errorem qualitatis aliquando redundare in errorem substantiæ,siuè personæ, si videlicet aliquis existimet se cum alia contrahere, non cum ea quam exterius accipit, ideòque non consentiat cum hac contrahere, quia non cognoscentis, aut errantis non est consensus.

Sciendum 3.tunc nos posse cognoscere errorem qualitatis transire in errorem personæ, quando qualitas, in qua erratur, respicit certam,& determinatam personam distinctam ab ea,quæ præsens est,ex v.g.quando quis contraxit matrimonium cum aliqua puella, quæ se fingebat filiam talis Comitis, seu Marchionis, cuius verè non erat filia, nihilominus contrahens, filiam talis Comitis, seu Marchionis in mente habebat, in illamque directè consensit; in isto casu error qualitatis dicitur redundare in errorem personæ consequenter matrimonium contractum esse inualidum. Secus verò dicendum est, quando error qualitatis redundat in personam,vt quando quis existimat cōtrahere matrimonium cum primogenita, & contrahit cum secundogenita matrimonium validum esse, dummodo reuera intendat contrahere cum illa,quam præ oculis habet.Ratio est, quia reuera consensit in personam sibi parentem,quæcunque illa sit.

De errore conditionis?

BRACTEA X.

SCiendum seruos esse in triplici differentia. Primò, quidam sunt verè serui, ita vt Dominus possit vendere.Secundò,alij sunt adscriptitij,qui sunt addicti prædio colendo reddituri Domino omnes redditus præter sumptus, & victum. Tertiò, originarij,qui scilicet sunt orti ex his adscriptitijs; & hi duo postremi verè sunt liberi.Quibus positis.

R. Er-

R. Errorem seruilis conditionis in contractu liberi cum ancilla, vel liberæ cum seruo irritare matrimonium. Ita definitum est *cap. 2. & 3. & fin. de coniugis seuer. & cap. siquis ingenuus 29 quæst. 2.* Ratio est, quia tale matrimonium bonis matrimonij aduersatur, nimirum bono sacramenti, & indiuiduæ cohabitationi, cum seruus debeat in domo Domini habitare, à quo potest mitti in partes longinquas ibi vendendus, & consequenter non est ei liberum habitare cum coniuge similiter aduersatur bono fidei, cum non possit ad libitum reddere debitum, sed cū Domino in eius obsequijs satisfecerit. Tertiò aduersatur bono prolis; quia nequibit eam alere cum omnia acquirat Domino suo, nec erit in parentis potestate eam educare, vt voluerit.

R. 2. errorem seruitutis non veræ, vt adscriptitiæ, & triginariæ, non dirmere matrimonium. Ratio est, quia ecclesia non videtur irritare matrimonium ex errore cuiuscunque conditionis, sed tantum seruilis: ac adscriptitij, & originarij sunt verè liberi ergo, &c.

Sciendum dubium esse, quo iure error seruitutis dirimat matrimonium, Ad quod respondeo errorem seruitutis non dirimere matrimonium iure naturali, atque ita validum esse matrimonium seruorum inter se, & matrimonium liberi cum ancilla, vel liberæ cum seruo, non ignorata seruitutis conditione, & ita definitur *cap. 2* de coniugio seruorum, *& cap siquis liber* nec S. Tho *n. disp. 30. quæst. 1. art.* comparans seruitutem naturali impotentiæ non intendit omnimodam similitudinem inter ea impedimenta statuere, sed vult aliquo modo aduersari substātiæ matrimonij, & vsui libero ius quatenus supponitur ex natura seruilis status, nō teneri seruū reddere debitum quando iusta causa impeditur à Domino, quod est rationabile ideoq; iure canonico ius ciuile corrigit *l. cū, ancillis cod. de incestis nuptijs* decidens non posse constare matrimonium inter liberum, & seruum: ideò errorem seruitutis esse impedimentum dirimens matrimonium iure ecclesiastico fundato in iure naturali, cui maximè conforme est, & Ita Filliuc. *trac. 19. de sacram. matrimonij part 2. cap. 2. num. 40. & 41.*

R. 3. Errorem conditionis seruilis, vt sit impedimentum dirimens matrimonij debere esse probabilem, & iustum, etiamsi leuissimus error probabilis, sit sufficiens ad irritandum matrimonium. Ratio est, quia etiam leuissimus error tollit consensum directum, & formalem, & animum cedendi iuri proprio, & matrimonium debet fieri cum libera electione, & omninò voluntaria illius conditionis seruilis. Ratio est, quia est conditio valdè onerosa, & ideò contrahens debet esse conscius damni, quod ex errore sequitur contrahendo cum seruo vel serua, & eam scientiam aufert ignorantia quantumvis leuis, & Ita Sanchez *lib. 7. de impediment. disput. 29. num. 20.* Filliuc. *loco cit. num 42.*

R. 4. Errorem conditionis non inualidare matrimonium; quando persona, cum qua contrahitur est melioris, aut æqualis conditionis Ita communiter Doctores Henriquez *lib. 11. cap. 10. num. 4.* Gutier *cap. 90. num. 27. & 28.* Speculum *part. art. 29. dub. 1.* Sanchez *loco cit. num. 23.* Ratio est, quia Ecclesia posuit hoc impedimentum solum inter eos, quorum alter est liber, alter verò seruus, vt tollatur inæqualitas, & ne fiat iniuria personis liberis, & ita validum esse matrimonium contractum inter seruum, & seruā quam seruus credebat esse liberam. Ratio est, quia nulli fit iniuria, & in tali matrimonio seruatur æqualitas.

R. 5. Matrimoniū contractum cū errore conditionis irritum esse, & inualidum, quando contrahendo, alter contrahentium fit deterior

Ratio constat ex suprà scriptis tum etiam quia adesset maxima inæqualitas si validum esset matrimonium quando fit deterior conditio errantis, & ita communiter Doctores, secus vero dicendum est, quando liber contraheret cum serua sciens vel opinans, vel probabiliter dubitans esse seruam, quia in hoc casu non fit illi iniuria, eo quod videatur consentire in talem inęqualitatem.

An quando liber contraxit cum serua nesciens esse seruam, validetur matrimonium, si post cognitionem seruitutis habeat rem cum ipsa.

BRACTEA XI.

R. Fieri validum matrimonium si copula habeatur animo maritale, & adsit nouus consensus in matrimonium. Ratio est, quia matrimonium inualidum fit validum per mutuum consensum signo externo expressum. Ita Speculum *1. part. art. 29.* Gutier *cap 91. num. 9. & alij citati à* Bonacina *de impediment. matrimonij quæst. 3. pun. 3. num. 6.*

Sciendum non esse validum matrimonium, quando liber cōtrahit cum serua, nesciens ipsam esse seruam, licet ita sit affectus, vt si cognosceret illam esse seruam nihilominus cum ea contraheret. Ita Sotus *in 4. dist. 35.* Henriquez *lib. 11. cap. 20.* Ratio est, quia in tali matrimonio non adest voluntas, & consensus positiuus, qui maximè requiritur ad contractum matrimonij.

R. 2. Posse seruum validè contrahere matrimonium cum serua, vel etiam cum libera inuito Domino, modo seruitus sit nota alteri contrahentium. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 22.* Gutier *cap. 92.* Ratio est, quia Domini non possunt auferre seruis ius à natura datum in remedium concupiscentiæ, & ad propagationē naturæ humanæ; & ideo si serui contrahant inuito Domino validè contrahunt. Ita Rebellus *lib. 3. quæst. 3. n. 2.* Sanchez *lib. 7. disp. 21.* & alij.

Sciendum maximè debere cauere seruos, ne per matrimonium contractum inuito Domino ipsum priuent debitis obsequijs, cum per matrimonium non eximatur ab obligatione erga Dominum, verum si seruus non possit simul satisfacere Domino, & vxori, cæteris paribus præferendum est debitum cōiugale; nam matrimonium est fauorabile. Ita Speculum *1. part. art. 30.* Petrus de Ledesma *quæst. 52.* Sanchez *disp. 11. num. 11.*

An contracto matrimonio vir possit se vendere?

BRACTEA XII.

R. Affirmatiuè. Ratio quia vir vxoris subditus est solū in his, quæ spectant ad redditionem debiti huius modi autem venditio non præiudicat redditioni debiti, & ideò contracto matrimonio vir potest se vendere, & licet in fraudem matrimonij se vendiderit adhuc tamen vxori tenetur, quę lex matrimonio obligat idquę præcepto Domini.

Sciendum quod licet contracto matrimonio vir possit se vendere, vxor tamen non potest se vendere absque consensu mariti. Ratio est; quia vltrà obligationem reddendi debitum, in quo sunt pares vxor, & vir, subditur etiam viro tanquam capiti in reliquis, quæ pertinent ad regimen domus, & familiæ, & per consequens talis venditio esset contra iustitiam, quia esset contrà rationem capitis, & ius quod habet in ipsa. Ita Filliuc. *tract.10. de matrim. part.2. cap.2. num.56.*

An Domini possint vendere seruos post matrimonium contractum in locis distantibus.

BRACTEA XIII.

R. Negatiuè, quando matrimonium fuit contractum de consensu dominorum. Ratio est, quia sicut domini non possunt impedire actione positiua, ne serui matrimonium contrahant, ita non possunt facere, ne vtantur matrimonio contracto, quia facerent contra ius illi à natura tributum.

Sciendum mortaliter peccare Dominum, qui post contractum matrimonium de consensu ipsius seruum vendit in longinquas oras: Ratio est, quia faciunt contrà ius illis tributum à natura. Secundò mortaliter etiam peccare Dominum, qui seruum post contractum matrimonium etiam sine consensu ipsius, in locis destantibus vēdit quando vxor nō potest commodè sequi virū. Ratio est, quia Domini peccāt impediēdo perpetuū matrimonij vsū, & multò magis, quam si impedirent ne contraherent matrimoniū secus dicendum est, quando dominus vendit seruos in locis parum distantibus, vt nihilominus possint vel matrimonio, & sibi inuicem reddere debitum. Ita Sotus *in 4. dist. 35. art. 4.* Sanchez *lib.7. disp.21. & 23.* & alij.

An filij sequantur conditionē Patris vel matris?

BRACTEA XIV.

R. Primò, quod seruitutem filios sequi conditionem matris ideoq; si filij orti sint ex ancilla etiam filij eius erunt serui, cuius est mater; & si mater libera sit filij quoque erunt liberi, cuiuscunque conditionis sit Pater. Ratio est; quia proles recipit corpus à matre, seruitus autem ad corpus pertinet.

R. 2. quoad honorem, & nobilitatem filius sequitur conditionem Patris *l. cum legitimè ff. de statu Hominis*. Ratio quia filius recipit esse à Patre; tanquam à causa efficiente, & ideò filius sequitur conditionem Patris in his, quæ pertinent ad esse, vt sunt honores, & dignitates. Ita Filliuc. *loco cit. num.59.*

Sciendum filium ita sequi conditionem matris quoad seruitutem, vt semper sit seruus quouis tempore mater fuerit serua, si mater eius non erat libera tempore conceptionis vel tempore partus, vel quocunque tempore medio inter conceptionem, & partum, si verò mater erat libera tempore conceptionis vel partus vel medio tempore, filius non remanet seruus, si verò serua se vendidit post conceptionem, filium, qui nascitur post venditionem esse liberum, & non seruum. Ratio est, quia mater tempore conceptionis erat libera; tum quia filius non potuit vendi cum nondum esset in potestate matris. Ita Sanchez *loco cit. disp.24.*

De impedimento voti.

BRACTEA XV.

R. Primo votum solemnis professionis in Religione approbata non tantum matrimonium ratum nondum consumatum soluit; sed etiam impedit ac dirimit contrahendum, *& Ita ex cap. Meminim. cap. Rursus cap. insinuante*; & Ita communiter omnes Doctores.

Sciendum votum duplex esse vnum simplex, & alterum solemne: votum simplex illud esse, quod ex beneplacito à quocunque fit votū solemne illud esse, quod emittitur vel in susceptione ordinum sacrorum, vel in professione Religionis est autem discrimē in inter. Votum solemne, & simplex, quod votum simplex consistit solum in simplici promissione facta Deo, ac votum solemne non modo consistit in promissione facta Deo, sed etiam in donatione persone propriæ, & priuatione facultatis aliter disponendi de re non modo promissa sed etiam tradita. Tum etiā quia votum solemne fit coram Prelato cū certis ceremonijs exterioribus, & ab ipso nomine ecclesiæ acceptatur donatio facta à vouente; & ideò votum solemne professionis in Religione approbata dirimit matrimonium contractum post dictam professionem. Ita definitum est in pluribus Concilijs relatis à Sanchez *lib. 7. disp. 26. num. 1. & est de fide.*

Sciendum post contractum matrimonium ratum sed nondum consumatum contrahentibus cōcessum esse ex priuilegio spatium duorum mensium ad deliberandum de ingressu Religionis; quo tempore vterque coniux potest alteri petenti debitum denegare, & alio etiam inuito ingredi Religionem elapso vero bimestri tenetur sub peccato mortali reddere petenti debitum. Quod si etiam elapso ipso tempore ingrediatur Religionem ante consummationem matrimonij, & in ipsa professionem emittat dissoluitur etiam matrimonium antecedens, & alter liber erit, ab obligatione vinculi. Ita Sanchez *lib.2. disp.24. num.27.* & alij & coniugi in sæculo manenti licitum erit cum alia contrahere: post tamen professionem solemnem. Ita Henriquez *lib.12. cap.5. n.8.* Sanchez *loco cit. 24. & alij*. Secundò matrimonium ratum, & nondum consumatum dissolui etiam per solemnem professionem equitum militarium, vt sunt equites S. Ioannis. Ratio est, quia sunt verè Religiosi. Ita Henriquez *lib. 11. cap.8. nu.6.* & alij

& alij apud Sanchez *lib.2 disp.18.num.8.*

R. 2. Matrimonium consumatum ante ingressum religionis, seu ante professionem non dirimi per subsequentem professionem. Ratio est, quia nullo iure constat ipsum dirimi: vnde si alter ingrederetur religionem, & profiteretur post consumatum matrimonium insciente, & ignorante altero non habet vim professionis solemnis; vt patet *ex cap. placet, & cap. quidam de conuers. coniug.* Ratio est, quia non habet coniux dominium sui corporis, quod possit transferre in Religionem: habebit tamē illud votum vim voti simplicis, & obligabit illum ad non exigendum debitum, nisi votum illud emisisset dependenter à professione, & propter finem permanendi in Religione, quia tunc cessante professione ad nihil obligabitur.

Secundò, coniugem relictum posse reuocare eum, qui sic professus est, absque eius licentia quia inuitus spoliari iure suo non potest.

Tertiò, si coniux relictus consentiat in professionem iam factam absque eius licentia, non propterea validabit illam, quia semel irrita nequit tractu temporis conualescere.

Quartò, quando licentiam coniugis relicti à professo per metum grauem, vel dolum extorqueretur, tunc integrum semper esset coniugi relicto sic professū reuocare, nec professio facta valeret, quia licentia sic extorta nulla esset: vnde non peccaret propria auctoritate exeundi à Religione. Si verò coniux relictus adulteraretur post professionem viri absque licentia, non posset sic professum reuocare, quia per adulterium amitteret omne ius. Ita *cap. veniens de conuers. coniugat.* Intelligitur autem de adulterio noto à professo, nam si occultum illi esset, posset relictus eum reuocare, quia non cogitur priuare se iure suo, & professus potest exire non obstante contradictione sui Monasterij, & condonata iniuria adulterij, vxorem sibi reconciliare. Ita Sanchez *disp.36.* & alij.

Sciendum, quod si alter contrahentium ingrediatur Religionem absque licentia alterius iusta causa, vt quando datur causa perpetui diuortij, si profiteatur, valida profitetur, aut etiā validè ordines sacros suscipit, etiam altero cōiuge inuito remanente in sæculo, quia sicut coniux innocens potest abstinere à perpetuo consortio alterius, ita etiam potest ingredi Religionem. Ita Sanchez *disp.34. & 35.* Rebellus *lib. 3. quæst.4. num.15.* & alij.

Sciendum, quod vterque coniux de communi consensu potest ingredi Religionem, & in ea profiteri, dummodo statim, & eodem tempore simul ingrediantur, licet illud statim non accipiendum sit physicè, sed moraliter tantum, ita vt non detur magna distantia inter ingressum vnius, & ingressum alterius, professionem vnius, & professionem alterius.

Similiter etiam potest vnus de consensu alterius ingredi Religionem altero in sæculo remanente, dummodo concurrant hæ conditiones. Prima, vt manens in sæculo sit prouectæ ætatis, ita vt de ipso, vel ob ætatem, vel ob valetudinem non possit suspicari periculum incontinentiæ. Secunda, vt manens in sæculo emittat votum continentiæ. Tertia, consensus Episcopi non ad validitatem professionis, sed solùm de necessitate præcepti obligantis sub mortali, cum agitur de re graui.

An sponsa per vim, aut metum cognita intra bimestre possit adhuc ingredi Religionem?

BRACTEA XVI.

Prima sententia est negantium posse ingredi. Ratio, quia matrimonium censetur consumatum, & omnia iura clamant pro matrimonio consumato. Ita plures apud Sanchez *lib. 2. disp.22.* sed nihilominus

R. Quod si sponsa vim passa est, & protestata se velle frui priuilegio duorum mensium ad determinationem status potest adhuc ingredi Religionem. Ratio, quia vir ei iniuriam contulit habendo copulam cum ipsa dissentiente durante bimestri, cum ad talem vir non haberet ius, & dolus debet nemini patrocinari, & viri culpa bonum sponsæ non debet impedire, & iure suo eam priuare. Ita Sanchez *loco cit.*

Quid possit Pontifex circa dispensationem votorum?

BRACTEA XVII.

R. Primò, Pontificem posse dispensare in votis solemnibus obedientiæ, castitatis, & paupertatis tam solemnitate essentiali, quàm legitima, quia sicut potest in simplicibus votis dispensare, ita potest etiam in solemnibus, cum solemnitas legitima supra vota simplicia tantum addat constitutionem ab Ecclesiastica auctoritate prouenientem. Et ita S. Thomas *in 4. dist.38. art.4. quæst.1.* Heruæus *quodlib. 11. quæst.25.* Petrus Ledesma *de matrim. quæst. 61. art. 2.* Martinus Ledesma *2. par. 4. quæst. 69. art. 7.* & alij.

R. 2. Pontificem non tantum posse dispensare in votis Religiosorum, sed etiam penitus eorū obligationem extinguere, & irritare, & liberum quem velit dimittere omninò cessante obligatione trium votorum tàm simplicium, quàm solemnium, & facere de Monacho non Monachum etiam solemniter professum, licet plures teneant opinionem contrariam, & consequenter voti solemnis nullam esse dispensationem: primò ac præcipuè *ex cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum, vbi Innocentius tertius abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis*; adeò est annexa regulæ Monachali, vt contra ea nec Summus Pontifex possit indulgere; & per consequens Pontificem non posse ista duo imponere, scilicet proprium retinere, castitatem non seruare cum statu Religiosi, idest indulgere licentiam, vt cum proprio, & sine castitate viuens Monachus sit, quod quidem verissimum est, quia illa tria vota sunt de substantia status Religiosi, & cum eius institutio sit iuris Diuini Pontificem non posse in eo dispensare ad efficiendum, vt sine paupertate, & castitate, status Religionis permaneat. Quod tamen intelligendum est absque iusta causa, quia posita iusta causa possunt Pontifices dispensare, vt de facto dispensarunt. Et dispensatio nihil aliud est, quā quod pro aliquo tempore Religiosus non sit Religiosus; & hanc potestatem esse in Ecclesia manifestum est, vt v.g. si commune totius boni regnum id peteret, quod priuato Religioso anteferri ratio postulat, & ex eius potestatis concessione nihil

nihil absurdi sequitur, nec id rationi naturali repugnat. Quod si repugnaret ex quadruplici capite consurgeret hæc repugnantia. Primò ex ratione promissionis, iure Diuino naturali obligantis. Secundo, ex ratione materiæ, quæ est continentia. Tertiò, ex ratione solemnitatis voti. Quartò, ratione essentiæ status Religiosi, quæ in tribus votis consistit; & quod non repugnet prima, & secunda ratio, patet eo quod certa sit Pontificis potestas ad dispensandum in simplicis castitatis voto, quod habet eandem obligationem, quam habet votum solemne, tūc etiam quia eadem est prorsus continentia materiæ, quod præponderat bonum totius regni, ideòq; illi anteferendum esse, quod non repugnet tertio, patet etiam, quia Deus auctoritate propria potest remittere verbum promissionis sibi factæ, & Pontifex id poterit potestate à Deo accepta, vt dici solet de potestate accepta in voto simplici: vnde sicut necessitate vrgente potest ad vsus prophanos conuertere calices cōsecratos, vt v.g. facere licitum vsum ipsorum ad bibendum perituro aliàs præsciti, ita etiam mutatione facta, & Pontificis potestate à Deo accepta dispensante in votis, aut dissoluente Religionis statum poterit, qui iam fuit consecratus, deseruire etiam negotiis sæculi, atque nubere, & suis bonis vti pro libito.

De impedimento Ordinis?

BRACTEA XVIII.

SCiendum est ordines esse in duplici differentia quosdam esse minores, & alios maiores; minores dicuntur, qui non sunt sacri, maiores autem sacri, vt Subdiaconatus, Diaconatus, & Præsbyteratus. Quibus positis.

R. Ordines minores non dirimere matrimonium. Ita Sanchez *lib. 7. disput. 31.* Rodriquez *cap. 223.* Nauarrus *cap. 25. num.* 120. Ratio, quia nullo iure probari potest ordines minores dirimere matrimonium contractum; tum etiam, quia nō tenetur seruare castitatem, quia non tenetur primò voto solemni, cum non sit adnexum minoribus ordinibus, nec voto simplici, quia recipiens ordines non intendebat emittere votū castitatis, nec etiam peccare mortaliter contrahendo matrimonium, cum vtatur iure suo, nec faciat contra aliquam legem prohibentem, nec etiam venialiter si iusta causa id faciat.

R. 2. Matrimonium dirimi per susceptionem ordinis sacri, sine graui metu suscepti ante ipsum matrimonium. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 5. num. 9.* Valentia *tom. 4. disput. 10. quæst. 5. pun. 3.* Sanchez *lib. 7. disput.* 28. Em. Sà *de impedimento matrimonij num.* 11. & alij plures. Ratio est definita in Tridentino *sess. 24. can. 9. cap. vnico de voto in 6.* Ratio secundæ partis est, quia susceptio metu facta deficit in essentialibus; cum libera non fuerit, & per consequens inualida.

Sciendū est ordine tripliciter posse sumi, primò validè, secūdò fictè, tertiò inualidè. Sumitur validè, quādo adsunt omnia requisita essentialia; sumitur verò fictè, quando bona fide accipitur, & inscienter, seu ignoranter deficit in aliquo defectu accidentali, quo licet recipiat characterem, non tamen recipit gratiam; inualidè sumitur, quando deficit in aliquo essentiali, vt v.g. quia recipiuntur sine intentione, vel coactè, vel cum metu, & non liberè. Similiter si recipiantur ab eo, qui non habet potestatem ordinandi, vt ab eo, qui se finxit Episcopum, cum non esset.

Sciendum 2. si ordo inualidè susceptus sit, ob aliquem defectum essentialem, subsequens matrimonium validum esse, nec posse irritari, vel dirimi per susceptionem ordinis inualidè factam. Ratio est, quia destructo principali, destruitur etiam accessorium; ergo destructo ordine inualidè suscepto, destruitur etiam votū castitatis illi adnexum, cum non teneatur ipsum seruare ratione voti solemnis, cum votum sit nullum, nec ratione voti simplicis, cum recipiens ordinem non habuerit intentionem se obligandi ad votum castitatis independenter ab ordine.

Si verò ordines validè sint suscepti matrimonium subsequens dirimunt iure Ecclesiastico, & si fictè, idest sine fructu, & sine gratia non dirimitur matrimonium, quia fictè ordinatus censetur verè ordinatus, cum fictio non cadat supra essentialia, sed solùm supra accidentalia.

Sciendum 3. Dubium esse, vtrum teneatur seruare castitatem ratione voti emissi in ordine sacro, qui nesciebat ordini sacro adnexum esse votum castitatis. Ad quod respondeo affirmatiuè, quia qui amplectitur aliquem statum, præsumitur etiam amplecti omnia accessoria ad illum statum necessaria. Vnde qui in ordinibus sacris ordinatur, censetur etiam vouere castitatem, cum tale votum sit ordinationi necessariò adnexum, licet ab ipso ignoretur, sicut etiā adnexa obligatio recitandi Diuinum Officium.

Similiter etiam dicendum est, quod si quis dum ordinatur haberet intentionem positiuam non se obligandi ad castitatem, adhuc obligaretur seruare illam, non quidem ratione voti, cum non habuerit intentionem se obligandi per votum, sed ratione præcepti positiui Ecclesiastici, quo præcipitur ordinatis in ordinibus sacris seruare castitatem, & non posse contrahere matrimonium.

An ordinatus in sacris ante annos pubertatis teneatur seruare castitatem?

BRACTEA XIX.

R. Teneri seruare castitatem. Ratio est, quia qui vult principale, vult etiam accessorium; ergo recipiens ordines sacros ante pubertatis annos obligatur seruare castitatē, cū talis obligatio sit accessoria ad votum. Ita Clauis regia *lib. 10. cap. 5. num* 9. Coninchus *de sacram. ord. disp. 20. dub. 14. num. 136.* Caietanus 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 9 Sotus *de iustit. lib. 7. art.* 5. Et ideò si adolescēs vult ordines suscipere ante annos pubertatis, obligatur ratione voti, & ratione præcepti Ecclesiastici ad votum castitatis, & ad onus recitandi Diuinum Officium.

Quam pœnam incurrant initiati sacris ordinibus contrahendo matrimonium?

BRACTEA XX.

R. Incurrere primò excommunicationem, vt habetur Clementina vnica de consanguinitate. Ita Nauarrus *cap. 27. num. 141.* & alij communiter. Secundò incurrere irregularitatem, *cap. quotquot 27. quæst. 1.* quæ irregularitas incurritur etiam ante consumatum matrimoniũ iuxta Sotum *in 4. dist. 22. art. 3.* Sanchez *lib. 7. disput. 28.* Couaruu. *2. par. cap. 6. §. 3. num. 1.* & alij.

R. 2. Coniugatum recipiendo ordines absque legitimo vxoris consensu, & contra dispositionem iuris incurrere irregularitatem, vt patet *ex extrauaganti antiqua.* Ita Rebellus *quæst. 12. num. 13.* Henriquez *lib. 13 cap. 39. num. 1.* Sayrus *lib. 4. cap. 14. num. 28.* & alij dicentes remanere suspensum ab ordinibus susceptis, & suscipiendis, nec posse beneficium, vel officium obtinere.

Quid requiratur ad hoc, vt alter coniugum recipiat ordines sacros?

BRACTEA XXI.

R. Primò non posse virum promoueri ad ordines, nec ante, nec post matrimonium consumatum absque vxoris licentia. Ita definitum est *cap. contingat de conuers. coniugat.* Ratio est, quia per ordinis etiam sacri susceptionem non dirimitur matrimonium ratum, vt habetur *ex extrauag. antiqua de voto*, ideòque fieret præiudicium vxori mutato statu sine eius licentia.

R. 2. Vt possit vir habita licentia vxoris licitè ordinari, debet vxor, si senex sit, & non suspecta de incontinentia vouere castitatem, & si iuuenis debet ingredi Religionem. Ita Sanchez *lib. 7. disput. 39. num. 6.* Henriquez *lib. 12. cap. 5. num. 10.* Coninchus *disput. 35. dub. 6. num. 32.* Ratio primæ partis constat *ex cap. vxoratus, cap. cum sis, cap. ad Apostolicam de conuers. coniugat.* Ratio est, quia in promotione ad ordines requiritur, quod in emittenda professione; idemque patet *ex cap. Episcopus dist. 77.*

Sciendum, quod qui cum legitimo vxoris cõsensu sacros ordines suscepit, nõ potest petere, aut reddere debitum, qui verò suscepit sacros ordines absque legitimo cõsensu nõ potest petere debitum, quia per votum castitatis sacris ordinibus adnexum obligauit se ad abstinendum ab omni actu Venereo, vt docet Valentia *tom. 4. disput. 11. quæst. 5. pun. 3.* licet possit reddere vxori petenti, cum ipsa non fuerit priuata suo iure propter ordines susceptos à iure ipsa insciente. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 5. num. 10.* Rodriquez *1. par. cap. 22.* Gutier. *de matrim. cap. 96.*

De impedimento Cognationis naturalis?

BRACTEA XXII.

SCiendum cognationem triplicem esse, vnam carnalem, seu naturalem, aliam legalem, quæ oritur ex adoptione, tertiam spiritualem, quæ oritur in sacramento baptismi, & confirmationis. Quibus positis.

R. Cognationem carnalem, seu consanguinitatem esse quoddam vinculum personarum ab eodem stipite discendentium carnali propagatione contractum. Ita D. Thom. *in 4. dist. 40. quæst. vnica,* Sanchez *lib. 7. disp. 50.* Dicitur primò vinculum ob coniunctionem, qua consanguinei inter se ligantur magis, quam cum cœteris. Dicitur item vinculum siue causaliter, quia causat amicitiam inter consanguineos, siue effectualiter, quia consanguinitas ab eo oritur. Tum quia consanguinei communicant in eodem sanguine, & in eo tanquam in vinculo constringuntur; sanguis enim est causa consanguinitatis. Dicitur tertiò vinculum personarum ad differentiam Brutorum, quæ licet ab eodem stipite descendant, non tamen dicuntur consanguinea, quia nõ coniungũtur ad amicitiæ vnitatem, cum non sint capacia veri amoris, & amicitiæ, vt ait Aristoteles 8. *Æthycorum cap. 11.* Dicitur quartò ab eodem stipite, idest proximo, quia de proximo intelligendum est, non autem de remoto, quia si de stipite remoto intelligeretur omnes dicerentur consanguinei, quod non potest dici, quia licet virtus Adam perseueret in omnibus secundum similitudinẽ specificã non tñ perseuerat secundũ similitudinẽ indiuiduam, ob quam filij assimilantur parentibus, & ob quam similitudinem connectuntur in vinculo amoris; est autem stipes persona illa, qua cœterę, de quarum coniunctione tractatur originem ducunt. Dicitur vltimò carnali propagatione contractum, quia ad consanguinitatis vinculum non quælibet dependentia est sufficiens, sed requiritur, quod dependentia sit per carnalem propagationem: propterea Adam non dicitur Deo consanguineus, licet sit à Deo per creationem, quia non est per carnalem propagationem, & similiter Eua licet sit ex Adam formata, non tamen dicitur eius consanguinea, quia non est ab Adam per carnalem propagationem.

Sciendum 2. consanguinitatem distingui per gradus, & lineas à stipite, & inter se per stipitem, vt supra dictum est, intelligo personam, à qua descendunt consanguinei, linea consanguinitatis definitur, ordinata connectio personarum consanguinitatem inter se habentium, seu linea est ordinata connectio, & series personarum descendentium ab vno stipite continens diuersos gradus, quæ linea triplex est; vna secundum habitudinem principij ad eos, qui inde deriuantur, & dicitur linea descendentium, altera secundum habitudinem eorum, qui deriuantur ad principium suum, liberorum inquam ad parentem; & dicitur linea ascendentium. Tertia linea transuersa, quæ est habitudo eorum, quorum neuter, aut nullus ab altero, sed vterque, aut omnes ab eodem principio descendunt.

Sciendum 3. in iisdem lineis ad instar scalarum distingui gradus, qui sunt habitudines distantię personarum in eis constitutarum, ex quibus cognoscitur quota consanguinitatis distantia eædem personæ inter se differant, seu gradus consanguinitatis est distantia vnius personæ ab altera in eadem linea, seu scala consanguinitatis, nam vt in scala locus ille, in quo primum ponimus pedem dicitur primus gradus scalæ, & locus in quo post illum proximè dicitur secundus, & in quo tertiò loco dicitur tertius, & sic de cęteris, ita in linea consangui-

ſanguinitatis, quæ eſt veluti ſcala ex pluribus perſonis ſubordinatis conſtituta, perſona illa, quæ primò loco occurrit, facit primū gradum, quæ ſecundo loco ſecundum gradum, & ſic deinceps.

Atque ita in recta linea deſcendentium, quoniam ſtipes eſt Pater, vel Mater, & perſona, quæ proximè occurrit deſcendendo eſt filius, vel filia, quę verò ſecundo nepos, vel neptis, quæ tertio pronepos, vel proneptis, quę quarto abnepos, vel abneptis, in primo gradu eſt filius, vel filia, & ſic de alijs, in linea verò aſcendentium, quia ſtipes eſt filius, vel filia, & proximè occurrunt pater, vel mater. Secundo verò loco auus, vel auia. Tertio Abauus, vel Abauia. Quarto Proauus, vel Proauia. In primo gradu erunt Pater, & Mater, & ſic conſequenter: eadem ratione in linea laterali poſt ſtipitem, quę linea lateralis dicitur illa, à qua à latere continentur perſonæ, quæ à ſtipite deſcendunt, ſed vna non trahit originem ab alia. Primò occurrentes duo fratres ſunt in primo gradu, & ſecundo occurrentes duo nepotes ſunt in ſecundo gradu, & ſic conſequenter.

Sciendum 4. quod vt quis poſſit cognoſcere quo gradu diſtat à ſtipite, inter ſe has regulas in computatione gradus debent ſeruari. Prima, in linea aſcendentium, & deſcendentium tot eſſe gradus, quot perſonæ, dempta prima, nimirum dempto ſtipite, vt Auus ab Abauo differt vno gradu, quia dempta prima perſona, ſeu ſtipite, nimirum Abauo remanet ſola perſona Aui.

In linea collaterali, ſeu tranſuerſali iſta erit regula, quod perſonæ diſtant inter ſe eo gradu, quo à communi ſtipite diſtant, vt fratres primo gradu diſtant inter ſe, quia vno tantum gradu diſtant à communi ſtipite, conſobrini verò ſecundo gradu diſtant inter ſe, quia ſecundo gradu diſtant à communi ſtipite; filij conſobrini tertio gradu, quia eodem gradu diſtant à ſtipite.

Alia etiam regula aſſignatur pro linea tranſuerſali, ſeu collaterali, quod eo gradu inter ſe diſtat conſanguinei, quo gradu alter magis remotus diſtāt à communi ſtipite ſit exemplum Petrus habet duos filios Ioannem, & Franciſcum, & rurſus Ioannes habet vnam filiam, quę à Franciſco diſtat in ſecundo gradu, quia eodem gradu diſtat filia à communi ſtipite. Quibus poſitis.

R. Matrimonium contractum intra gradus prohibitos conſanguinitatis, tam in linea recta, quam in linea tranſuerſali iure Eccleſiaſtico inualidum eſſe, ſi abſque legitima diſpenſatione celebretur. Ita habetur, *cap. non debet de conſanguinit.* & in Tridentino *ſeſſ.24. de ſacram. matrim. Canon.3.*

An matrimonium in primo, & ſecundo gradu contractum, ſit inualidum iure naturæ?

BRACTEA XXIII.

R. Matrimonium in primo gradu celebratum eſſe inualidum iure naturę, tam in linea recta, quam etiam in collaterali. Ita Sāchez *lib.7. diſp.51 num.6.* Em. Sà *verbo matrimonij impedimenta nu.7.* Quod repugnet in primo gradu. Ratio eſt, quia maxima reuerentia debetur principijs per ſe, cui reuerentię repugnant actus matrimonialis, quia habet coniunctam quandam turpitudinem, & irreuerentiam alterius ad alteram, oppoſitam reuerentiæ parentibus debitæ iuxta illud Leuitici 18. *Turpitudinem Patris tui, vel matris tuæ ne diſcoperias, mater enim tua eſt.* Ratio cur etiam repugnet in primo gradu lineæ tranſuerſalis, ideſt inter fratrem, & ſororem eſt, quia inter eos eſt pudor naturalis, cui aduerſatur actus coniugalis antiquitus poſita cauſa conſeruandæ naturæ humanæ matrimonium inter eos contractum validum erat.

An matrimonium contractum cum aliqua perſona conſanguinea in linea recta aſcendentium ſit irritum iure Eccleſiaſtico, & iure naturæ?

BRACTEA XXIV.

Prima ſententia eſt, eſſe inualidū non modo iure Eccleſiaſtico, ſed etiam naturæ, in quolibet gradu aſcendentium, & deſcendentium. Et ita Nauarrus *cap 22. num.84.* Couar. *4. decretor. part.2. cap.6. §.10* Rebell. *lib.3. qu.5. num.12.* & alij. Ratio eſt, quia cum omnes aſcendentes habeant rationem principij, ſequitur matrimonium celebratum inter huiuſmodi perſonas eſſe inualidum ob reuerentiam principio debitam, eo quod huic reuerentię aduerſetur contractus & actus matrimonialis. Sed

R. Matrimonium inter aſcendentes, & deſcendentes in primo gradu conſanguinitatis irritum eſſe iure naturæ. Ratio eſt, quia apud omnes nationes ratione naturali duce, pro nefando habetur talis concubitus, vt ex pluribus citatis docet Sanchez *diſp.51. num.7.*

R. 2. In cæteris gradibus matrimonium contractum in linea recta aſcendentium, & deſcendentium non eſſe inualidum iure naturæ. Ratio eſt, quia aſcendentes, non habent rationem principij per ſe reſpectu omnium deſcendentium, ſed ſolum reſpectu filiorum ab ipſis immediatè procedentium, conſequenter reſpectu aliorum deſcendentium habent ſolum rationem principij per accidens, & ratio principij per accidens non videtur ſufficiens ad reddendum matrimonium inualidum iure naturæ, ſicuti ſufficit ratio principij per ſe. Vnde matrimonium cōtractum ab infidelibus in ſecundo, tertio, & quarto gradu lineæ rectæ validum eſſe, quia, vt dictum eſt, non eſt irritum iure naturæ, & infideles non afficiuntur impedimentis iure Eccleſiaſtico inductis. Secundò validum eſſe matrimonium contractum à fidelibus conſanguineis in linea recta extra quartum gradum, cum non irritetur ab Eccleſia, cum ipſa ſolum conſtituerit quatuor gradus, in quibus matrimonium inualidè celebratur, *cap. non debet extra de conſanguinit. & affinit.*

An cognatio spiritualis dirimat matrimonium?

BRACTEA XXV.

R. Primo, quod cognatio spiritualis est propinquitas personarum secundum iuris Canonici dispositionem orta ex administratione, vel susceptione sacramenti baptismi, vel Confirmationis. Ita Couar. 2.*part.cap.*6.§.4. & alij communiter. Ratio est, quia sicut per carnalem generationem homo formatur, & nascitur, posteà verò roboratur corporaliter, ita per sacramentum baptismi homo reformatur, ac renascitur, & per confirmationis sacramentum roboratur spiritualiter. Quamobrem etiam in spirituali regeneratione intelliguntur esse parentes spirituales, videlicet qui sacramentum ministrauit, & patrinus, & sicut per carnalem generationem contrahitur cognatio naturalis, ita per hanc generationem spiritualem, quæ contrahitur in sacramento baptismi, & confirmationis contrahitur cognatio spiritualis, & sicut cognatio naturalis dirimit matrimonium, propter reuerentiam debitam consanguineis, ita cõueniens est, vt matrimonium dirimatur per cognationem spiritualem inter alias personas, vt infra dicetur.

Sciendum, quod sicut in puero est duplex natiuitas naturalis, prior in vtero, quando concipitur, & generatur, posterior quando iam formatus ex vtero exit, sic etiam in homine duplex natiuitas spiritualis est, vna in baptismo, per quam regeneratur tener, & quasi intra Ecclesiæ vterum fouendus, altera in confirmatione, per quam iam roboratus, & fortis factus in lucem prodijt, & periculis exponitur, & in ista generatione spirituali ministrans sacramentum est pater generans illum spiritualiter in Christo, & suscipiens, seu patrinus est veluti mater, qui nomine Ecclesię baptizatum, & confirmatum suscipit, vnde per hanc regenerationem ministrans, & suscipiens cum ipso baptizato, & confirmato contrahunt ex iure Ecclesiastico cognationem spiritualem, & ideò cognatio dicitur propinquitas, cum sit quoddam vinculum conectens personas in cognationem spiritualem, nimirum inter baptizãtem, & baptizatum, & inter suscipiente, & baptizatum, inter baptizantem, & patrem, & matrem naturalem baptizandi, & inter susceptores, & patrem, ac matrem baptizati. Ita Concilium Tridentinum *sess.*24. *de reformatione matrimonij cap.*2.

Sciendum 2. cognationis spiritualis matrimonium impedientis, ac dirimentis iure antiquo tres species fuisse: videlicet *Paternitas* inter baptizantem, confirmantem, & patrinos ex vna parte, & baptizatum, vel confirmatum ex altera parte, cum *Paternitas*, inter baptizantem, confirmantem, Patrinos ex vna parte, & baptizati, vel confirmati parentes ex altera parte; & transfundebatur vtraque cognatio à viro ad vxorem, itaut si coniugatus aliquam personam baptizaret, confirmaret, vel patrinus esset, vxor eius similem cognationem cum eisdem personis, batizato videlicet, vel confirmato, & parentibus eorum contraheret. Denique fraternitas inter filios carnales baptizantis, confirmantis, patrimonium ex vna parte, & ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera parte, sed Concilium Tridentinum *sess.*24.*cap.*2. *de reform matrmony*, sustulit confraternitatem, & reliquit paternitatem, & compaternitatem cum restrictione tamen, vt tantum vnũ suceptorem esse velit, siue sit vir, siue mulier, vel ad summum vnum, vel vnam, qui baptizatum de baptismo suscipiant.

Sciendum 3. non contrahi cognationem inter ipsos susceptores, & ideò si vir, & vxor simul aliorum puerum de fonte suscipiant nullatenus priuantur iure exigendi debiti, quia nullam contrahunt inter se cognationem. Ita Sanchez *lib.*7.*disp.*59.*nu.*12. & alij. Secundò sequitur posse patrinum matrimonium contrahere cum ea, cum qua simul suscepit alienum filium. Ratio est, quia inter ipsos susceptores nulla contrahitur cognatio. Ita Rodriquez 1. *part.cap.*219 Sanchez *loco citato num.*12. & alij.

Sciendum 4. ad acquirendam cognationem spiritualem: Primò requiri, vt teneatur infans dum ministratur sacramentum baptismi, vel etiam confirmationis, idest in baptismo, dum aqua infunditur, & in confirmatione, dum ab Episcopo vngitur; propterea quando puer est domi baptizatus, & in Ecclesia supplentur solemnitates cognatio contrahitur ab eo, qui dũ domi baptizatur ipsum tenet, vel statim post baptismum ipsum suscipit, quia iste est verus baptismus: Si autem baptismus, qui domi ministratur, erit ab his, qui in casu necessitatis possunt baptizare non contrahitur cognatio spiritualis. Ita Sanchez *lib.*7.*disp.*62.*num.*14. Rodriquez *cap.*226. Ratio est, quia Ecclesia instituit susceptores in baptismo solemni, non autem in priuato. Ita Sanchez *lib.*7.*disp.*62.*num.*14. Rebellus *quest.*6.*nu.*16. Rodriquez *cap.*226. & alijs nisi forsan tenendo puerum in baptismo priuato habuerit intentionem fungendi officio patrini, quia tunc contraheret cognationem spiritualem. Ita Sotus *in* 4.*dist.*42.*quæst.*1.*art.*1. baptizans autem semper contrahit cognationem spiritualem, siue solemniter, siue priuatim, siue à Sacerdote, siue à Laico ministretur. Ita Rebellus *lib.*3.*quæst.*6.*num.*16.

Sciendum 5. vt susceptores contrahãt cognationem spiritualem requiri contactum; itaut verè, & realiter ipsum tangant, dum è fonte leuatur, qui si solum assisterent, vel ipsum tantum extremitate digiti tangerent, non contraherent cognationem spiritualem, quia verè, & realiter dici non possunt ipsum tenere, vel è fonte leuare. Ita Sanchez *lib.*6.*disp.*56.*num.*5. & alij ab ipso citati, Henriquez *lib.*11. *cap.*11. *num.*3.

Vtrum non baptizatus sit capax cognationis spiritualis?

BRACTEA XXVI.

R. Non esse capacem cognationis spiritualis. Ratio est, quia cum non sit in Christo spiritualiter per sacramentum baptismi genitus, neque cognationem spiritualem contrahere posse censetur. Et ita communiter Doctores *in* 4.*dist.*42.

Sciendum; quod si fidelis, qui puerum, v. g. baptizauit posteà ad fidem Christi conuertatur, ac baptizetur, non contracturus est cognationem spiritualẽ, quominus dictam puellam, aut etiam matrem eius vxorem ducere possit.

possit. Et ita Sanchez *lib.7. disp.60. num.11.* Coninch. *disp.32.dub.2. num.25.* Ratio est, quia fundamẽtum, ex quo proximè talis cognatio oriri deberet, videlicet baptismus præteritus non amplius existit: quare licet iam sit capacitas in subiecto non tamen consurgit cognatio. Secundò si fidelis baptizet, vel è fonte baptismi suscipiat filium infidelis nullam cognationem cum eo contrahere. Et ita Sanchez *loco citato disp.60.num.14.* Rodriquez *tom.1. summæ cap.226.* & alij. Ratio est, quia cognatio spiritualis debet esse inter duos terminos, quorum vterque capax huius relationis sit; cum igitur non baptizatus nequeat esse compater, siuè cognatus spiritualiter, neque etiam fidelis eius filium baptizans cognatus ei censeri potest.

Verum si parens prolis baptizatæ posteà sacramentum baptismi suscipiat ex eo tempore censetur spiritualem cognationem contraxisse, per quã impeditur à nuptijs cum persona baptizante, confirmante, patrinis filiæ. Et ita Siluester *verbo matrimonium 8. quæst.7.* Coninch. *disp. 32.dub.2.num.27.*

An si quis per alium aliquem in baptismo, vel confirmatione suscipiat, quis eorum contrahat cognationem?

BRACTEA XXVII.

R. Procuratorem non contrahere cognationem in hoc casu, cum non suo, sed alieno nomine teneat. Et ita Siluester *verbo matrim.8.quæst.7.* Em. Sà *de impediment.matrimonij n. 5.* Et ratio est, quia talis Procurator Patrinus non est, sed loco patrini fungens.

R. 2. Principalem, qui Procuratorem mittit ad suscipiendum in baptismo cognationem spiritualem contrahere. Ita Abbas *in cap. veniens num.4. de cognat.spirituali* Philiarcus *de offic.Sacerdot. tom.1.part.2. lib.2.cap.11.* & alij. Ratio est, quia is, cuius nomine alter è sacro fonte suscipit verè Patrinus efficitur, consequenter contrahit cognationem spiritualem, quia qui per alium facit per se ipsum facere censetur. Tum quia ipse fuit designatus non vero Procurator. Et ita declarauit Cardinalium Congreg. teste Nauar. *lib.5.consilior.* Et ita Rebellus *quæst 6.num.12.*

An qui per errorem leuat filium vnius, existimans esse filium alterius, contrahat cognationem?

BRACTEA XXVIII.

R. Non contrahere cognationem. Ratio est, quia ad fungendum officio patrini requiritur scientia, & animus ad contrahendam cognationem, & per consequens quando adest error personæ, vt quando quis leuauit filium vnius, existimans esse filium alterius non contrahere cognationem, cum nõ habuerit scientiam, cum reuera hic non intenderit exercere actionem illam veri Patrini erga hunc quem leuauit; ergo deficit intentio. Secus verò dicendum est, si habeat intentionem suscipiendi præsentem quicunque ille sit; tunc enim contrahit cognationem cum parentibus suscepti. Et ita Sanchez *disp.58. num.7.* Vnde putans tenere, vel leuare è sacro fonte filium Petri, cum teneat, vel leuet filium Pauli non contrahere cognationem cum Petro, quia non tenuit, vel leuauit filium Petri, sed filium Pauli, nec etiam cum Paulo, quia intendebat præstare officium Patrini filio Petri, non autem filio Pauli. Ita Sanchez *loco cit.num.7.*

An baptizans prolem in necessitate cognationem contrahat?

BRACTEA XXIX.

R. Primo si sponsus de futuro prolem ex spõsa susceptam baptizet propter necessitatem mortis instantis soluentur sponsalia ratione superuenientis impedimenti. Ita Nauarr. *cap.16.num.34.& cap.22.num.40.& lib.4 consilior. 5. de cognat. spirituali,* etiamsi nesciat suæ sponsæ prolem esse, quia censetur intentionem habere baptizandi hunc hominem quicunq; sit Patrinus autem, qui nesciens esse filium sponsæ, sed arbitratur alium infantem cum ea non contrahit impedimentum, sicut habetur *cap.2 de cognatione spirituali*, & docet Abbas *eodem cap.* Tum etiam, quia non habuit scientiam, licet habuerit intentionem, ergo, &c.

R. 2. Baptizantem filium concubinæ propriæ cum ea contrahere cognationem spiritualem, & per consequens impedimentum impediens, & dirimens ad contrahendum cum ipsa matrimonium.

R. 3. Baptizantem in casu necessitatis filium propriæ coniugis nullum impedimentum contrahere, siue etiam fungatur officio Patrini. Ratio sumitur *ex cap. Ad limina 30. quæst.1.* quia inculpabile iudicandum est, ad quod necessitas compulit. Quod idem de Patrino sentiendum est, quando alius Patrinus haberi nequit, quia impedimentum petendi debitum à sacris Canonibus statutum est in pęnam delicti, parens autem nihil deliquit, si sui filij Patrinus existat, eo, quod alius adesse nequeat. Si verò extra casum necessitatis prolem è fonte suscipiat non modo peccat, sed etiam priuatur iure petendi debitum. Ita Nauarrus *cap.16. num.34.* Sanchez *lib.9.disp.26.num.5.* & alij.

An Sacerdos spiritualem cognationem contrahat cum suis pœnitentibus?

BRACTEA XXX.

R. Nullam contrahere cognationem spiritualem. Et ita colligitur *ex cap.vnico de cognat.spirituali in 6.* vbi habetur ex collatione aliorum sacramentorum præter baptismum, & confirmationem spiritualem cognationem nõ oriri. An verò Confessario quando habet rem cum sua Pœnitente, sit necesse in confessione exprimere circumstantiam filiationis, dictum est alibi.

Quinam

Quinam contrahant cognationem spiritualem, quando plures tangunt puerum in Baptismo?

BRACTEA XXXI.

SCiendum primò est vtrum omnes, qui tangunt, fuerint designati ad suscipiendum? Et si fuerint designati, aut à parentibus, aut ab habentibus curam suscepti, vel à Parocho. Præterea an omnes tangant simul, an successiuè. Quibus positis.

R. Quando multi non designati tangunt simul omnes contrahunt cognationem. Ratio est, quia standum est iuri antiquo omnes contrahebant cognationem tangendo simul. *Cap. fin. de cognat. spirituali in 6.* & iure nouo nihil est decretum in hac parte, & innouatum; ergo, &c. Ita Nauarrus *cap. 22. num. 39.* Reginaldus *lib. 31. num. 152.* Henriquez *lib. 11. cap. 11. num. 3.* Si verò successiuè tangant solus, qui primò tangit, contrahit cognationem. Ratio est, quia ille primus solum functus est officio Patrini; cęteri verò non amplius contrahunt; tum quia non fuerunt designati.

R. 2. Quãdo plures designati à parentibus, vel ab alijs curam infantis habentibus omnes contrahunt cognationem, modò tangant. Ratio est, quia Concilium Tridentinum non irritat actum, quando plures designati admittuntur, sed solùm imponit pęnam contra Parochum, q plures admittit; ergo quãdo plures designati sũt à parentibus, vel à tutoribus, aut curatoribus omnes contrahunt cognationem modò tangãt simul; si verò successiuè solus primus, qui baptizatum tangit, vel ad summum duo, si fuerit masculus, & fœmina, contrahunt cognationem. Ratio est, quia illi duo verè sunt susceptores, & habent scientiam, & animum fungendi officio Patrini. Ita Em. Sà *verbo de impediment. matrim. num. 5.* & alij.

R. 3. Quod quando plures designati sunt à parentibus, & Parochus admittit vnum tantum, vnam tantum cognationem contrahunt sollummodo hi, qui admittuntur à Parocho. Ratio est, quia ex decreto Tridentini spectat ad Parochum inquirere, quinam designati sint à parentibus, & designatos admittere; si ergo nõ omnes designati fuerint à Parocho admissi, cognatio contrahitur tantummodo ab admissis, & alij perinde sunt, ac si non fuissent designati.

Quis possit esse Patrinus?

BRACTEA XXXII.

R. Primò quemcũque fidelem baptizatum, & cõfirmatum, dummodo habeat vsum rationis necessarium ad culpam mortalem cõtrahendam posse esse legitimum susceptorem in Baptismo, & Confirmatione. Ratio est, quia in eo potest reperiri legitima intentio faciendi, quæ faciunt alij Patrini vnà cum actione tenendi suscipientes illa Sacramenta.

R. 2. Non baptizatum in baptismo, neq; non confirmatum in Confirmatione Patrinum esse, posse; & habetur *ex cap. in baptismate de consecrat. dist. 4.* cuius verba sunt in baptismate, vel in crismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus.

R. 3. Hæreticum posse esse verum Patrinum. Ratio est, quia insignitus charactere baptismali capax est istiusmodi cognationis tanquam subiectus Ecclesiæ, quæ nullibi facit illum expertem muneris Patrini obeundi, quamuis ipse peccet illud assumendo, tanquam ad illud ob infidelitatem ineptus.

R. 4. Illicitum quidem esse Religiosis munere Patrini fungi, sed tamen si quem in Baptismo, aut Confirmatione suscipiant esse veros Patrinos. Ratio prioris partis est, quod tale munus sit illis prohibitum. *In cap. placuit communi 16. quæst. 1. & in cap. non licet Abbati de consecrat. dist. 4.* Ratio verò posterioris partis est, quod ea iura non statuant irritum esse contra factum, licet plures dicant, quod Religiosi mendicãtes possunt esse Patrini in Sacramento Baptismi, & Confirmationis, quia *in cap. Monachi de consecrat. dist. 4.* sub nomine Monachorum hi tantum intelligendi sunt, qui solitudinem colunt, non autem Religiosi mendicantes. Et ita Coninchus *de sacram. quæst. 3. art. 7. num. 66* & hanc sententiam docet etiam Chamerota *de sacram. tract. 2. cap. 4. dub. 8.* Licet contraria sententia sit probabilior: nimirum Monachos, & Mendicantes licitè non fungi officio Patrini. Non est tamen dubitandum, quod Episcopus Religiosus compater fieri possit, vt notat Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 24.* & alij.

An Episcopus possit dispensare, vt duo viri; vel duæ fœminæ simul suscipiant infantem in Baptismo?

BRACTEA XXXIII.

R. Non posse dispensare. Ratio est, quia inferior regulariter non potest dispensare in lege superioris, & Episcopus est inferior Summo Pontifici, seu Concilio Tridentino, in quo lata est lex circa Patrinos; ergo non potest dispensare, vt duo viri, vel fœminæ simul suscipiant; & ita declaratum est à Congregatione Cardinalium, vt refert Rebellus citatus à Bonacina *quæst. 3. de impedimento matrimonij pun. 5. §. 2. num. 33.*

An cognatio legalis dirimat matrimonium?

BRACTEA XXXIV.

SCiendum 1. adoptionem nihil aliud esse, vt iuris periti loquãtur, nisi actum legitimum, per quem fit filius, aut nepos, qui non est; siuè vt loquitur D. Thomas *4. dist. 42. quæst. 2. art. 1.* esse extraneæ personæ in filium, vel nepotẽ, vel deinceps legitimam assumptionem; quæ ambæ definitiones in idem coincidunt.

Sciẽdum 2. Duplicem esse adoptionem: vnam perfectam, & alteram imperfectam; perfecta est, per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, & hæc propriè dicitur arrogatio; imperfecta, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis.

Sciendum 3. Multas conditiones requiri, vt possit aliquis aliquem adoptare. Prima, vt adoptans sit sui iuris, & maior vigintiquinque annis,

nis, quia si non erit talis, sicut non potest administrare sua bona, ita nec adoptare. Secunda, vt sit vir. Tertia, vt possit generare: vnde frigidi non possunt adoptare, cum adoptio sit instituta ad supplendum liberorum defectum, & frigidi generare non possunt; gladio verò castrati adoptare possunt, quia ab accidente sunt impotentes. Quartò, quod ita ætate excedat adoptatum, vt possit esse eius pater. Ita Sanchez *disp.63*. Quibus positis.

R.1. Cognationem legalem esse propinquitatem personarum ex adoptione prouenientem. Ita Valentia *tom.4.disput.10.quest.5.* & alij communiter. Dicitur cognatio legalis, quod ex lege ciuili sit assumpta, cuius tres sunt species. Prima est inter adoptantem, & adoptatum, atq; adoptati descendentes hæc habetur *institutu de nuptijs* §.*ergo non omnes*. Secunda est lateralis, seu in linea transuersa inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. Tertia est per modum cuiusdam legalis affinitatis inter adoptatum, & vxorem adoptati, sicuti constant *ex l. adoptiuus ff. de ritu nuptiarum*.

Sciendum esse discrimen inter dictas species cognationis legalis, quod prima, & tertia etiã dissoluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati matrimonium dirimat, sicuti constat *ex lege citata adoptiuus, & l. quin etiam non item 2.* sed quandiù adoptatus in potestate adoptantis manet, sicuti constat *ex l. per adoptionem*.

Sciẽdum 2. quod sex modis soluitur adoptio; nempè naturali morte adoptantis, morte eius ciuili ob nuptias incestuosas, ob dignitatem vt Episcopalem, per sententiam, per mancipationem, quos latius tradit Paludanus *in 4. dist. 42. quest.1. art.2.* Quibus positis,

R. Cognationem legalem impedire, & dirimere matrimonium. Primò, inter adoptantem, & adoptatum vsque ad quartum gradum. Ita apud Sanchez *lib.7. disput.63. num.32.* etiamsi adoptio dissoluta fuerit, *cap. diligere 3. quest.3.* Secundò, dirimere matrimonium inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & adoptantem; & hæc cognatio perpetuò dirimit sicut prima, etiamsi adoptio sublata sit. *l. adoptiuus ff. de ritu nuptiarum*, & ita Sanchez *loco citato* inter filios, seu filias adoptantis, & adoptatum, seu adoptatam dirimere cognationem matrimonium contractum; & per consequens matrimonium contractum esse inualidum, quandiù scilicet filij, vel filiæ adoptantis existunt sub illius potestate. *Cap.1. extra de cognatione legali.* Si verò adoptatus contraheret matrimonium cum filia illegitima adoptantis matrimonium esset validum. Ita Nauarrus *cap.22. num.45.* Henriquez *lib.12. cap.12.* Ratio est, quia tantummodo filij legitimi contrahunt cognationem pro eo tempore, quo sũt sub potestate adoptantis, & filij illegitimi non transeunt in potestatem adoptantis: consequẽter adoptatus potest contrahere cum filia illegitima adoptantis; hac etiam de causa, adoptans potest contrahere cum filia adoptatæ, quia mulier neminem habet in sua potestate. *Institut. de adoptione* §. *femina*, Nauarrus *cap.22. num. 45.* Siluester *verbo matrim.8. quest.8.* & alij.

Sciendum 3. quod si cognatio legalis superueniat matrimonio rato, nullo modo potest impedire consumationem illius, & si matrimonio consummato superueniat, non impedit petitionem debiti. Ita Sanchez *loco citato num.190.*

Vsque ad quem gradum cognatio legalis impediat, & dirimat?

BRACTEA XXXV.

R. Inter adoptantem, & adoptatum, & adoptati descendentes vsq; ad quartum gradum. Ita plures citati apud Sanchez *lib.1. disput. 63 num.32.* Ratio deducitur, quia sicut impedimentum consanguinitatis impedit, & dirimit solùm vsq; ad quartum gradum, ita etiam impedimentum cognationis legalis. Sic Faber *in stitut. de nuptijs* §. *inter eas.*

R.2. Impedimentum inter filiam adoptantis, & adoptatum, seu adoptatam impedit, quandiù durat; & eo sublato possunt inter se inire matrimonium.

R.3. Impedimentum, quod oritur inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & adoptantem esse perpetuum, etiãsi prima adoptio sublata sit, idest vsque ad quartum gradum dirimere, *leg. adoptiuus ff. de ritu nuptiarum.*

Sciendum ex istis primam speciem cognationis legalis perpetuò dirimere vsque ad quartum gradum, & per consequens non cessare soluta quandocunque adoptione, secundum speciem, idest inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter vxorem adoptati, & adoptantem dirimere, & impedire matrimonium, sicuti prima, etiamsi adoptio sublata sit; tertiam speciem cognationis legalis in linea transuersa inter filios adoptantis, & adoptatum, seu adoptatam non impedire semper, sed quandiù durat adoptio, vt supra dictum est, *cap.1. extra de cognat. legali.*

De impedimento affinitatis?

BRACTEA XXXVI.

R. Primò affinitatem esse vinculum, seu proximitatem personarum prouenieñs ex carnali copula. Ita Couaruu. *in epitome par.2. cap.6.* §. 7. Nauarrus *cap.22. num 40.* seu affinitas est propinquitas duarum personarum, quarum vna cum consanguinea alterius copulam habet; & illi dicuntur affines, qui sunt consanguinei eius, quæ fuit carnaliter cognita.

Sciendum ad maiorem declarationem duplicem esse affinitatem, vna est, quæ procedit ex copula licita, seu quæ ex legitimo thoro originem trahit, nimirum ex matrimonio, altera, quę ex illegitimo thoro, seu copula illicita, nimirum ex fornicatione, adulterio, stupro, &c. neque interest vtrum carnalis copula fiat cum volente, an ignorante, ebria, coacta, dummodo per emissionem seminis in naturale vas mulieris efficiantur vna caro, sicut docent Doctores *in c. Fraternitatis de eo, qui cognouit, &c.* Hinc sequitur quod si Titius, & Caia carnaliter coniungantur omnes consanguinei Titij secundum eundem gradum, quo consanguinei sunt ipsius, fiãt etiam affines Caię, & omnes consanguinei Caię fiant affines Titij.

Sciendum est etiam affinitatem duplicem esse,

ſe, vnam rectam, & alteram tranſuerſalem; in recto dicitur illa, quæ eſt inter aſcendentes, & deſcendentes; aſcendentes ſunt ſocer, nouerca, &c. deſcendentes gener, nurus, & deinceps. In linea tranſuerſali conſtituuntur conſanguinei eius, cum qua copula habita fuit, vt ſorores, fratres, conſobrini, & conſobrinæ affines.

Stipes autem affinitatis, ſeu Principum ſunt perſonæ, quæ ſimul copulam habuerunt, vel licitè, vel illicitè. Quibus poſitis.

R. 2. De iure naturæ in nullo gradu affinitas dirimit matrimonium. Ita Sanchez *lib. 2. diſput. 66. num. 7.* & alij plures; & ratio eſt, quia nulla turpitudo adeſt, quæ ipſum matrimonium inualidum reddere poſſit; tum etiam vt Sanchez *loco cit.* oſtendit plura matrimonia fuerint celebrata in primo gradu affinitatis tam in linea recta, quam in tranſuerſali.

R. 3. Affinitas orta ex matrimonio, dirimit ipſum vſque ad quartum gradum. Ita Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 4.* Rodriquez *cap. 227.* Sanchez *lib. 3. diſput. 67. num. 8.* Reginaldus *lib. 31. num. 147.* Gutier *de matrimonio cap. 99. num. 22.* & alij.

Sciendum 3. quod ſi affinitas oriatur ex copula illicita, ſeu ex illegitimo thoro, id eſt ex fornicatione, adulterio, &c. dirimit ſolùm matrimonium vſque ad ſecundum gradum. Ita communiter omnes.

Sciendum 4. affinitatem ex copula illicita aliquando accedere ante matrimonium contractum, & vt ſic dirimit matrimonium vſque ad ſecundum gradum incluſiuè, & aliquando poſt matrimonium contractum; & tunc impedit habentem copulam, quo minus coniugi debitum petere liceat, quamuis innocenti coniugi reddere teneatur; nec refert ad hanc pœnam incurrendum, vtrùm inceſtus occultè commiſſus ſit, an verò publicè innotuerit, cum vtroq; caſu affinitas contrahatur cum coniuge, quæ ſola cauſa eſt, cur inceſtuoſus à petitione debiti prohibeatur; & ita notauit Gloſſ. *cap. qui dormierit*, Sotus *in 4. diſt. 32. qu. vnica.* Gutier. *lib. 1. canon. quæſt. cap. 23. num. 8.* & alij.

Quidam contraxit ſponſalia cum Berta, & ipſis durantibus copulam habuit cum eius ſorore: quæritur, an Bertam poſſit ducere?

BRACTEA XXXVII.

Sciendum affinitatem non habere propriè gradus, ſed tamen ita in ea menſurantur, ſicut in conſanguinitate, & eſt regula *quo gradu aliquis eſt conſanguineus* viro, qui habuit copulam eodem, eſt affinis fœminæ ab illo cognitæ; & rurſus *quo gradu quis eſt conſanguineus feminæ cognitæ*, eodem eſt affinis viro, qui feminam cognoſcit. Vnde primò conſanguinei viri in primo gradu ſunt affines fœminæ item in primo gradu; & è cōtra conſanguinei feminæ in primo ſunt affines viro; item in primo, & ſic de alijs. Quibus poſitis.

R. Neutram poſſe ducere Bertam propter impedimentum affinitatis cum ipſa contractū ex copula illicita habita cum eius ſorore, nec eius ſororem poſſe ducere propter impedimentum publicæ honeſtatis.

Quid requiratur ad contrahendam affinitatem?

BRACTEA XXXVIII.

R. Primò requiri, vt emittatur ſemen intra vas naturale fœminæ. Ita Em. Sà *de imped. num. 13.* Reginaldus *lib. 31. nu. 147.* Gutier. *de matrim. cap. 57. num. 15.* Coninchius *diſput. 32. de matrim. dub. 4. num. 46.* Filliucius *tract. 10. de matrim. par. 2. cap. 6. nu. 268.* Angelus *verbo matrim. 8. quæſt. 25.* & alij. Ratio eſt, quia ad contrahendum impedimentum affinitatis ita requiritur, vt fiat vna caro. *Cap. fraternitatis 35. quæſt. 10.* ſeu qua efficiatur ſanguinis commixtio. *Cap. lex ff 27 quæſt. 2.* & vna caro non fit vir ſcilicet & fœmina, niſi per copulam in ſeminis emiſſione intra vas fœminæ; ergo, &c. Hinc deducitur non oriri affinitatem ex ſola ſeminatione fœminæ, nam illius ſemen non eſt ſufficiens ad generationem, & ad ſanguinis commixtionem, qualis eſt ſola viri ſeminatio. Secundò ex congreſſu ſpadonum non oriri affinitatem, quia ſpadones non emittunt ſemen aptum ad generationem. Tertiò, non oriri ex actu præpoſtero extra vas debitum, ſicut neq; oritur ex pollutione extra vas fœmineum. Quartò, oriri affinitatem etiam ex copula habita cum fœmina dormiente, ebria, inuita, &c. Quintò, etiam ex occulta, quia iura non diſtinguunt. Ita Nauarrus *conſil. 1. dub. 2. de conſanguinit.*

Sciendum non requiri ſeminationem feminæ; quamuis enim probabilis ſit ex eo, quod ſanguinis commixtio, & vna caro ex ſeminum commixtione videatur fieri; ſed quia ex veriori ſententia ſufficit ad generationem ſemen ſolius viri, idcirco etiam ad contrahendam affinitatem. Secundò, ex matrimonio rato tantum non oriri affinitatem, ſed impedimentum publicæ honeſtatis, quia ad inducendam affinitatem requiritur ſeminis emiſſio intra vas fœmineum; & ita Sanchez *lib. 7. diſp. 64. num. 24.* & cum eo plures citati.

Quem effectum pariat affinitas ſuperueniens matrimonio contracto?

BRACTEA XXXIX.

R. Parere duplicem effectum. Primus eſt, vt ſupra dictum eſt, vt coniux, qui commiſit inceſtum cum conſanguinea alterius coniugis in primo, vel ſecundo gradu non poſſit ab ea petere debitum, quia priuatur iure petendi. *Cap. 1. de eo, qui cognouit.* Ita Sanchez *lib. 7. diſp. 25.* Gutier. *de matrim. cap. 87. nu. 4. & 6.* Si verò cognouerit conſanguineam ſuæ vxoris in tertio, & quarto gradu non priuatur iure petendi, quia impedimentum petendi ex copula illicita oritur ſolummodo ex primo, & ſecundo gradu. Secundus effectus eſt, vt coniux noſcens non poſſit aliam coniugem ducere, mortuo illo, quē de præſenti habet. *Cap. 1. de eo, qui cognouit conſanguineam.* Quod ſi eo mortuo aliam ducat, non poteſt petere debitum, niſi petat diſpenſationem. Et ita Azorius *3. par. lib. 3. cap. 20.* Leſſius *lib. 4. cap. 3. dub. 11. num. 1.*

An

De impedimento criminis?

BRACTEA XXXX.

SCiendum crimen duplex esse, quod potest dirimere matrimonium: nimirum adulteriū, & homicidium. Adulterium solùm non obstare matrimonio *ex cap. significasti* de eo, qui ducit, &c. *& cap. si quis viuente 31.* sed requiritur adulterium cum machinatione mortis alterius coniugum, aut adulterium cum fide data de contrahendo post mortem coniugis, vel cum matrimonio de præsenti facto cum adultera.

Sciendum 2. ad homicidium etiam plures cōditiones requiri. Prima est, occisio coniugis, videlicet vt maritus occidat vxorem, vel vxor occidat maritum, siuè per venenum, siuè per gladium, aut alio modo, siuè per se, siuè per alium præcipiendo, consulendo, aut alia ratione cooperando. Ita colligitur *ex cap. 1. de conuers. infidelium*. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 12.* Valentia *tom. 4. disput. 10 quæst. 5 pun. 3.* Sanchez *lib. 7. disput. 78. num. 14.* Ratihabitio homicidij ab vno facti non est causa sufficiens ad dirimendum matrimonium, quia ratihabitio nō est homicidiū, sed posterior homicidio. Ita auctores citati. Secundò requiritur, vt vir, & femina, qui conspirauerint in mortem coniugis, conspirauerint intentione in posterum contrahendi matrimonium; quod in alio fine mors causata fuerit, vt ex odio, seu vindicta, crimen homicidij non erit impedimentum dirimens, & matrimonium contractum post occisionem erit validum. Tertiò requiritur, vt mors sequatur ex actione intenta, v.g. vi veneni assumpti, aut vulneris dati ad hunc finem, quia si alia ratione sequatur, illud attentatum non erit impedimentum dirimens, vt si sequeretur culpa Chirugici, vel Medici, &c. vnde qui mandatum dedit ad occidendam vxorem, & postea illud reuocauit secuto homicidio, non censetur reus ipsius, si re integra reuocatio mandati innotuerit mandatario. Quibus positis.

R. Adulterium coniunctum cum homicidio vno machinante cum intentione contrahendi matrimonium est impedimentum dirimens matrimonium. Ita *cap. si quis, cap. propositum, cap. significasti*, & Sanchez *loco cit.*

Sciendum ad inducendum hoc impedimentum. Primò requiri intentio occisoris, vt dictum est, de contrahendo cum complice matrimonium. Ita D. Thomas *quæst. 60.* & alij plures à Rebello citati *lib. 3. quæst. 8. num. 3.* quia hoc impedimentum criminis adulterij introductum fuit ab Ecclesia, non modo ad auferenda adulteria, verùm etiam occasiones occidendorum coniuges, his, qui inter se vellent contrahere, nec opus esse, vt vterque coniugum machinetur in occisionem, sed satis esse machinationē vnius. Secundò requiri, quod adulterium præcedat homicidium. Tertiò, occisio coniugis ex machinatione alterius patrata, nimirum vel ex adultero, vel adultera.

R. 3. Adulterium coniunctum cum promissione futuri matrimonij esse impedimentum dirimens ipsius. Ita ex legibus supra citatis.

Sciendum 2. quod si promissio futuri matrimonij reuocata fuerit, vel facta animo decipiendi in foro conscientiæ non inducitur impedimentum, cum promissio ficta verè non sit promissio. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 14. num. 3.* nec necesse esse, quod promissio sit mutua, vel reciproca, sed satis esse, quod ita acceptetur, vt nullo signo externo iudicetur reijci; & in isto casu non sufficit acceptatio per taciturnitatem, cum hujusmodi promissio non sit simpliciter grata acceptanti, & sit de re onerosa. Ita Sanchez *lib. 3. disp. 79. num. 12.* & alij.

Sciendum 3. quod si adulterium, & promissio futuri matrimonij non sint simul viuente marito non inducit impedimentum dirimens matrimonium, vt v.g. si Petrus viuente Francisco copulam habeat cum eius vxore, deinde mortuo Francisco contrahat matrimonium cum vxore ipsius matrimonium erit validum, quia promissio futuri matrimonij non fuit facta viuente Francisco, & tempore adulterij, sed morte ipsius Francisci, ideò adulterium præcedens non censetur impedimentum dirimens matrimonij futuri.

R. 4. Adulterium coniunctum cum matrimonio de præsenti viuente alterius coniuge, esse impedimentum dirimens ad contrahendū matrimonium inter ipsos, & personas esse inhabiles ad contrahendum post mortem coniugis. Ita *cap. ex litterarum, & cap. significasti.*

Sciendum 4. adulterium dupliciter considerari materialiter, & formaliter; materialiter, vt cum quis habet copulam cum coniugata alterius nesciens ipsam esse coniugatam, vel credens eius maritum mortuum esse; formaliter quando quis habet copulam cum aliqua sciens ipsam esse coniugatam, aut putans se copulam habere cum coniugata credens eius maritum viuere, cum reuera mortuus sit.

R. 5. Crimen homicidij machinatione viri, vel feminæ adulteræ, vt subsecuta morte alterius coniugis inter se contrahant matrimoniū, esse impedimentum dirimens ad contrahendū. Ita *ex canon. si quis viuente*, Sanchez *lib. 7. disput. 78.* Henriquez *lib. 12. cap. 14.* Toletus *lib. 7. cap. 6.* & alij plures à Sanchez citati.

R. 6. Homicidium, quod est solùm ab vno machinante non esse impedimentum dirimēs matrimonium, modò non intercesserit adulterium cum homicidio. *Cap. super hoc de eo, qui ducit in matrim. &c.* & homicidium non sit factum eo fine, vt cum adultero, vel adultera matrimonium contrahatur, quia si alio fine factum esset, non esset impedimentum dirimens. Sanchez *lib. 17. disp. 78. num. 13.* & alij.

An si Titius copulam habeat cum Berta coniugata viuente eius viro, post cuius mortem cum ipso vult contrahere matrimonium, an sit contractum impedimentum dirimens?

BRACTEA XXXXI.

R. Negatiuè. Ratio est, quia adulterium, & promissio futuri matrimonij debent fieri viuente coniuge illius, qui est complex adulterij. Ita plures citati apud Bonacinam *de matrim. quæst. 3. pun. 6. num. 12.*

R. 2. Non contrahere impedimentum dirimens, quando adulter occidit vxorem animo ducendi aliquam indeterminatam, vel aliam præterquam adulteram, modò non habeat intentionem

tentionem ducendi illam, cum qua peccauit, etiamsi postea mutata voluntate illam ducat, modo quando occidit virum ipsius talem intentionem non habuerit. Ita Henriquez *lib.12. cap.14.* Sanchez *lib.3.disp.78.* Rebellus *lib.3.quæst.8.*

Sciendum non incurri impedimẽtum ab eo, qui occidit vxorem in fragranti crimine adulterij deprehensam, nisi fortè per dolum dederit causam adulterij, vt eam posset occidere, & ea mortua posset contrahere cum alia complice talis machinationis, seu proprij adulterij. Ratio est, quia huiusmodi homicidium non imputatur tanquam crimen, cum leges impunè permittant occidi coniugem adulterum ab adultero in fragranti deprehensum, quamuis in foro conscientiæ occidens peccet mortaliter.

Sciendum 2. eum, qui occidit propriam vxorem, vt contrahat matrimonium cum adultera, posse validè matrimonium contrahere cum alia, quia hoc impedimentum inductum est solùm, ne matrimonium contrahatur cum persona adultera, non verò cum alia. Ita Sanchez *disput.78.num.21.* licet occidens propriam vxorem contrahat impedimentum impediens, licet nõ dirimens.

De impedimento disparitatis cultus?

BRACTEA XLII.

Sciendum disparitatem cultus dupliciter posse esse. Primò, respectu fidelis, & infidelis, seu baptizati, & non baptizati. Secundo respectu fidelis, seu Catholici, & Hæretici, aut apostatæ loquimur hic de disparitate cultus priori modo, nimirùm inter baptizatum, & non baptizatum, non autem de Catholico, & Hæretica, quia matrimonium inter eos contractum validum est, licet peccent contrahendo. Quibus positis.

R. Matrimonium contractum inter infidelem, & fidelem, seu baptizatum, & non baptizatum iure naturæ non esse irritum, & inualidum. Ita Rebellus *lib.3.qu.9.* & alij. Ratio, quia adsunt in eo omnia naturaliter requisita ad matrimonium; tum quia si conuertantur matrimonium non soluitur; ergo supponitur matrimonium inter infidelem, & fidelem contractum iure naturæ esse validum.

Sciendum, quod licet tale matrimonium inter fidelem, & infidelem iure naturæ sit validum, tamen eodem iure naturæ est illicitum, tum ob periculum peruersionis; tum etiam ob repugnantiam in educatione prolis; quilibet enim vellet in sua fide attrahere, & educare prolem, quod etiam repugnat amicabili societati coniugum.

R. 2. Matrimonium hominis baptizati cum non baptizato Ecclesiastico iure irritum esse. Ita colligitur *ex cap.caue quæst* 1. & hanc communem esse sententiam Doctorum, atque Ecclesiæ praxim. Testatur Couarruu. *in epitome par.2.cap.6. §.vlt.* Bellarminus *de matrim.cap.23.* Henriquez *lib. 12.cap.13.num.3.* Sanchez *lib.7.disp.71.* Toletus *lib.7. cap.11.* & alij.

Sciendum 2. matrimonium inter infideles cõtractum non esse Sacramentum, sed contractũ naturalem, & remedium contra luxuriam; & si conuertantur non esse à matrimonio separandos, dummodo non adsit impedimentum iuris naturæ, & non adsit impedimentum dirimens inductum ab eorum Principibus, cum ipsi possint infidelibus sibi subditis statuere formam, & cęremonias, sub quibus celebretur contractus matrimonij, & sine quibus contractus matrimonij sit irritus, & inualidus.

Sciendum 3. plures causas esse, quibus aliquãdo potest dissolui matrimonium inter infideles contractum post conuersionem alicuius. Prima est, quando infidelis non vult habitare cum fideli, & ad fidem conuersa. Secunda, & licet velit habitare, sed non habitat absque iniuria creatoris, & fidei susceptæ à fideli, vt quando infidelis inducit infidelem ad aliquam cęremoniam suæ legis, & non vult audire nomen Dei, seu Sanctissimæ Trinitatis, immò blasphemat, vel prohibet, ne Deo fidelis exhibeat debitas laudes, aut præcepto Ecclesiæ satisfaciat, immò illi irridet, & tunc potest fidelis ab infideli discedere, tum ad vitãdum peccatum, tum ad vindicandam iniuriam Saluatoris. Ita Sanchez *disput.7.num.6.* Valentia *tom.4.disput.10.quæst. 1.pun.5.* Rebellus *lib.3.quæst.10.sect.2.num.4.*

An verò quando habitatio est sine iniuria Creatoris, & infidelis nolit conuerti ad fidem, licitum sit fideli dissoluere matrimonium, dicendum licitum esse ipsum dissoluere post pręscriptionem alicuius temporis, & iuridicam admonitionem, vt conuertatur, quibus elapsis si non conuertatur, non modò potest dissoluere matrimonium, verùm etiam cum alio, vel alia contrahere, & matrimonium censetur dissolutum, quando infidelis non conuertitur tempore constituto ab Ecclesia, vel à Prælato ipsius, & recusat ad fidem conuerti; & fidelem non solùm posse cum alia contrahere, verùm etiam ingredi Religionem, aut Ordines suscipere. Ita Henriquez *lib. 11. cap. 17. num. 8.* & alij, & si alter conuertatur post ingressum Religionis alterius coniugis conuersi, si ante professionem cõuertatur, potest petere, vt sibi restituatur; si verò post, non amplius potest. Ita Sanchez *disp.76. nu. 6.& 7.* & alij.

Quibus modis dissoluatur matrimonium infidelis?

BRACTEA XLIII.

R. Regulariter loquendo tribus modis dissolui matrimoniũ infidelis conuersi cum infideli remanente in infidelitate. Primus est statim, ac infidelis admonitus recusat legitimè habitare. Secundò dissoluitur, quando vt dictum est, elapsus est terminus ab Ecclesia constitutus ad determinandum, an infidelis velit legitimè habitare cum fideli. Tertiò dissoluitur per matrimonium fidelis cum fideli.

R. 2. Si infidelis, antequam fidelis alteri nubat, transeat ad alias nuptias, hæ sunt irritæ, ideoq; si conuertatur ad fidem, reddendus est priori cõiugi. Prior pars probatur, nã priuilegio dissolutionis concessum est tantum fideli in fauorem fidei, non autem infideli. *Cap.quanto de diuortijs, & cap.fin.28.quæst.* 1. Ratio secundæ partis sequitur ex primo, quia cum secundę nuptię sint irritæ, adhuc primæ manent in suo valore.

An

An Matrimonium Hæretici cum Catholica sit validum?

BRACTEA XLIII.

R. Validum esse. Ratio est, quia matrimonium Hæretici ritè baptizati cum Catholica veri Sacramenti rationem habet, & per consequens censetur validum. Est communis sententia apud D. Thomam *in 4. dist. 39. quæst. 1. art. 1.* Couaruu. *in epitome par. 2. cap. 6. §. vlt.* Sanchez *lib. 7. disp. 62.* & alij.

De impedimento vis, & metus?

BRACTEA XLIV.

Sciendum est ad validitatem matrimonij requiri mutuum consensum coniugum absolutè liberum, & nullo modo directè, vel indirectè coactum; vnde à Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 9.* fertur excommunicatio in omnes cuiuscunque gradus, & conditionis existant, qui priori modo directè, vel indirectè subditos, vel alios cogunt, quominus liberè contrahant matrimonium.

Sciendum 2. metum alium esse intrinsecum, & alium extrinsecum; metus intrinsecus est, qui est à causa intrinseca, vel naturali, qualis est metus mortis, qui procedit ab apprehensione alicuius infirmitatis periculosæ, &c. metus extrinsecus est, qui procedit à causa extrinseca, vt metus mortis, qui procedit à causa libera hominis.

Sciendum 3. metum extrinsecum alium esse cadentem in constantem virum, alium in virũ inconstantem. Metus cadens in constantem virum est, quo eligitur minus malum, vt maius malum probabiliter imminens euitetur; metus cadens in virum inconstantem est, quo eligitur maius malum ad fugiendum minus; deinde metus cadens in constantem virũ alius est iustè incussus, & alius iniustè incussus, & alius incussus adhunc effectum iustè, vel iniustè; & alius non incussus ad hunc effectum.

Sciendum 4. ad metũ cadentem in constantẽ virũ reduci metus mortis, vel mutilationis, vel fustigationis, aut atrocis cruciatus, vel incarcerationis, vel diuturni exilij, & seruitutis, vel stupri, siuè in viro, siuè in fœmina, amissionis status honorifici, amissionis omnium bonorum, vel saltem magnæ partis, vel rei pretiosæ, metus infamiæ tàm iuris, quàm facti, & etiam metus iniustæ excommunicationis.

Sciendum 5. metum cadentem in constantem virum non solùm censeri, quando imminet nobis aliquod ex his malis, verùm etiam quando immineret consanguineis affinibus, vel alijs particulari vinculo amicitiæ coniunctis. Ita Henriquez *lib. 11. cap. 9.* Sanchez *lib. 4. disput. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 2.* Rebellus *lib. 2. quæst. 9. num. 3.* Dubium est vtrum ad metum cadentem in constantem virum reuocetur timor reuerentialis, vel timor amissionis gratiæ alicuius Magnatis, v.g. Principis, Præsidis, &c. Ad quod dicendum, si cum timore reuerentiali, vel timore amissionis gratiæ alicuius Magnatis probabiliter sit coniunctus, timor alicuius malæ tractationis, ad metum cadentem in constantem virum reduci potest: aliàs non, si timor reuerentialis, &c. absolutè consideretur. Ita Regin. *lib. 31. num. 85.* Valentia *tom. 4. disput. 10. quæst. 2. punc. 2.* Sanchez *lib. 4. disp. 6.* & alij. Quibus positis.

R. Matrimonium metu cadente in constantem virum contractum iniustè incusso iure Ecclesiastico irritum esse, sumitur *ex cap. cum locum, cap. Veneris 2. cap. consultat. de sponsalibus, cap. de eo, qui duxit*, vbi significatur matrimonium graui eiusmodi metu extortum, & si iuratum sit nullius tamen roboris esse. Ita S. Thomas *in 4. dist. 29. quæst. vnica art. 3.* S. Bonauentura *ibidem art. vnico quæst. 1.* Ricardus *art. 2. quæst. 3.* Durandus *quæst. 2.* Paludanus *quæst. 1. art. 3.* Maior. *quæst. 1.* & alij plures.

Sciẽdum 6. matrimoniũ celebratum per metum leuem non esse inualidum, quia metum leuem iura æstimare non solent; sicuti constant *ex l. nec timorem ff. de eo, quod metus cap. cum dilectus de his, quæ vi*, quia alioquin plurimæ dispositiones, & contractus in controuersiam vocarentur, cum leuis metus facilè interuenire, vel quia si interuenerit allegari, probarique possit. Quod etiam dicendum est de professione Religionis, vti constat *ex cap. penult. de his, quæ vi*, & est communis sententia scholasticorum *in 4. dist. 29.* & aliorum apud Sanchez *lib. 4. disput. 17.* licet opinio illorum, qui dicunt matrimonium per metum leuem celebratum sufficere coram Deo ad infirmandũ matrimonium, vel Religionis professionem, vt docet Nauar. *cap. 17. nu. 13.* & alij sit probabilis. Dũmodo metus leuis tollat omninò cõsensum, quia ad validitatem matrimonij iure naturali requiritur consensus, & ideò loquẽdo per se, & absolutè metus leuis irritat contractum matrimonij, vt patet ex rationibus supra allatis. Secundò, dixi iure Ecclesiastico, quia iure naturæ videtur validum matrimoniũ celebratum per metum. Ratio est, quia cum cæteri contractus non sint inualidi iure naturæ, neque matrimonium videtur inualidum iure naturæ.

Sciendum, ad hoc, vt metus grauis cadens in constantem virum inualidet matrimonium, debet primò, & per se, & directè esse incussus ad extorquendum consensum: secus est, si passus aliquam iniuriam, aut cum spõtè eligat matrimonium, tanquã mediũ ad se liberandum, contrahit, v.g. cum filia Iudicis ad cõciliandũ eius animum, omni iure validum est, quia metus iniustè incussus non est per se, ac directè causa matrimonij, sed solùm per accidens, quatenus ipsemet iniuriam passus ad se liberãdum se tale remedium eligit, quod iura ipsi non adimere debuerunt; & nihil refert, an metus sit incussus ab altero contrahente, vel ab alia persona, quia iura non in odium metum incutientis, sed in fauorem libertatis matrimonij, metus impedimẽtum statuerunt. Secundò requiritur, q metus debeat esse iniustè incussus: iuxta *cap. consultationi, cap. cum locum de sponsal.* quia si iustè incutiatur à lege, vel à Iudice præcipiente matrimonium tali metu minimè infirmatur, vti constat *ex cap. ex litteris de sponsal.* eademque ratio est si metus iustus ab homine priuato incutiatur, vt si pater minetur Titio stupratori accusationem, nisi ducat filiam, quam constuprauit, metus censetur iustè incussus, si inuoluntariè filia violata est, & matrimonium contractum erit validum celebratum cum metu accusationis, quia hic metus iustè incutitur ob causam, pro-

pter quam ſtuprator iure licito compelli poteſt ad contrahendum matrimonium. Si verò voluntariè filia conſenſit, matrimonium celebratum cū metu accuſationis nō videtur validū, cū nō videatur iuſtè incuſſus, quia ſtuprator virginis conſentientis regulariter nō tenet illā ducere, niſi alius titulus adſit, quo obligetur, vnde pater habet quidem cauſam accuſandi ſtupratorem ad obtinendam ſatisfactionem iniuriæ ſibi illatæ per ſtuprum filiæ, non habet tamen cauſam iuſtè incutiendi metū in ordine ad contrahendum matrimonium, ſicuti etiam metus eſſet iniuſtè incuſſus in ordine ad matrimonium, quando quis minatur accuſare furem de furto, niſi talem mulierem ducat, conſequenter matrimonium cum huiuſmodi minis, ſeu metu celebratum videtur inualidum; aliud verò dicendum ſi ipſemet reus ſui liberandi cauſa tale medium ſpontè eligat, & illam mulierem ducat, quia matrimonium contractum erit validum propter rationes ſupra allatas.

R. 2. Matrimonium celebratum per metum incuſſum à cauſa libera, non ad hunc finem, vt matrimonium ineatur, ſed ob aliam cauſam validum eſſe. Ratio eſt, quia adeſt ſufficiens voluntarium ad matrimonium, quod ſpontè eligitur, & eſt gratum contrahenti, vnde validum eſt matrimonium contractum cum meritrice ad vitandam mortem in his locis, in quibus conſuetudine receptum eſt, vt morti damnatus, ſi velit matrimonio iungi cum meritrice, donetur vita, ſicut etiam validum eſt matrimoniū, ꝙ quis contraxit cum concubina metu inferni, vel infamiæ, vel mortis, vel naufragij. Tertiò, validū etiā eſſe matrimoniū contractū ab eo, quē Medicus dixit periturum, niſi duceret vxorem, quia hic metus oritur à cauſa naturali intrinſeca, & non eſt incuſſus à cauſa libera ad extorquendum conſenſum.

An quando metus eſt iniuſtus à cauſa libera abſque ſcientia contrahentis irritet matrimonium?

BRACTEA XLV.

R. Irritare matrimonium. Ita colligitur *ex cap. veniens 2. de ſponſal.* Tum quia iſte metus tollit libertatem requiſitam ad matrimonium; ergo inualidum eſt matrimonium, ſiuè ſit incuſſus ab altero contrahente, ſiuè à tertia perſona. Et ita Sanchez *lib. 4. diſp. 12. num. 29.* Gutier. *cap. 76.* & alij.

Sciendum non ſolùm inualidum eſſe matrimonium ratum metu contractum incuſſo ab altero contrahentium, vel ab alia perſona, ſed etiamſi matrimoniū ſit copula metu, vt ſupra conſumatum. Ita Sanchez *lib. 4. diſput. 18. num 5.* Reginaldus *lib. 31. num. 19.* Ratio eſt, quia non poteſt eſſe validum matrimonium, niſi adſit liber conſenſus; ergo etiam inualidum eſt matrimonium, quamuis conſumatum ſit per metum; copula enim nihil operatur ad validitatem matrimonij, niſi adſit conſenſus validus, & liber.

An matrimonium celebratum cum metu cadente in conſtantem virum adiuncto iuramento ſit validum?

BRACTEA XLVI.

R. Eſſe inualidum. Ita Sanchez *lib. 4. diſp. 20. n. 12.* Reginaldus *lib. 31. nu. 87.* Em. Sà *de impedimento num 9.* Gutier. *cap. 76* Coninchus *diſput. 28. dub. 4. num. 44* & alij. Ratio, quia per iuramentum non ſuppletur defectus conſenſus requiſiti ad matrimonium; tum quia iuramentum ſequitur naturam actus, ſupra quem cadit, & ſortitur conditiones illius; cum autem matrimonium celebratum ob metum ſit inualidum, ita etiam iuramentum, quod ſupra ipſum cadit, cenſetur irritum, & propterea non efficere matrimoniū validum; & patet *ex cap. 2. de eo, qui duxit*, & ideò non eſſe opus relaxatione iuramenti, quando matrimonium per metum grauem celebratum fuit addito iuramento, quia non eſt opus relaxatione, vbi non adeſt vinculum, & obligatio. Ita Sanchez *lib. 4. diſp. 20. num. 15.* Rodriquez *1. par. cap. 131. num. 4* & alij.

An metus reuerentialis inualidet matrimonium?

BRACTEA XLVII.

R. Metum reuerentialem per ſe non cenſeri iuſtum, ac ſufficientem ad infirmandum matrimonium. Ratio, quia non reducitur ad metum cadentem in conſtantem virum. Dixi per ſe, quia metus reuerentialis per accidens dirimit matrimonium, vt ſi cum voluntate, & imperio patris, vel alterius iubentis coniuncta ſit ſæuitia, aut minæ, aut malæ tractationes, &c. quas ille etiam executurus putatur, idemq; dicendum ſi timeatur grauis, & diù duratura indignatio Patris, vel alterius perſonæ, à qua hominis vita, & fortuna ſpectatis circumſtantijs plurimum dependet. Et ita Abbas *cap. ex litteris lib. 3 de deſponſat. impuberum*, Sanchez *loco citato num. 14.* Henriquez *lib. 11. cap. 9.* Valentia *tom. 4. diſput. 10. queſt. 3. pun. 2.* Reginaldus *lib. 31. num. 83.* & alij.

R. 2. Quod preces, quamuis importunæ, ac ſæpiùs repetitæ non incutiunt metum iuſtum ſufficientem ad infirmandum matrimonium, niſi cum his iuncta ſit reuerentia perſonæ rogantis, & inſtantis, ſeu metus reuerentialis, ita vt concurrant iſtæ duę impulſiones, videlicet hominis auctoritas, & precum importunitas. Ita Layman *tract. 10. par. 2. cap. 5. num. 3.* & alij.

Vtrum peccet, qui matrimonium contrahit per metum grauem?

BRACTEA XLVIII.

R. Quando coactus fictè conſenſit in matrimonium, peccat ſaltem venialiter, quia mentitur; ſi verò vtatur æquiuocatione, non peccat mortaliter, quia non cenſetur dicere mendacium pernicioſum, nec irritat Sacramētum, & nulli facit iniuriam, non enim facit iniuriam alteri, qui metum ſibi iniuſtè incuſſit, ſed

sed ipse potius patitur iniuriam ab eo, nec facit iniuriam Sacramento, cum non sit irritum ex defectu ipsius, cum intendat contrahere, sed solùm irritum ex iure Ecclesiastico. Ita Bonacina *de impedimento matrimonij quaest. 3. punct. 8. num 30.*

An possit quis cogi ad matrimonium?

BRACTEA XLIX.

R. Quod nullus est Princeps Ecclesiasticus, aut sæcularis, qui possit cogere quempiam, vt inuitus matrimonium ineat, licet ob bonum publicum Princeps possit ad id compellere, quando ad bonum commune expediret: verùm si matrimonium celebratum esset inuitis cōtrahentibus matrimonium nullum esset; cum ad ipsum iure naturali requiratur liber consensus.

R. 2. Parentes non posse cogere filios ad matrimonium, vel ad tales nuptias, licet possint filiis suadere, vt consentiant in tale matrimonium. Ratio primæ partis est, quia in matrimonio est quasi seruitus perpetua, & homo non potest compelli ad hanc seruiturem. Ita Sanchez *disput. 22. num. 4.* Ratio secundæ partis est, quia suadendo illis non facit iniuriam, cum nō tollant libertatem in ordine ad matrimonium.

Sciendum, quod quando adesset iusta causa, Princeps, nec pater peccarent impediendo matrimonium cum certa persona, vel quia esset inæqualis, & indigna, vel alia de causa, dummodo id facerent medijs suauibus, & absque vi, & metu. Ratio est, quia talis persona absolutè non impeditur matrimonium inire, sed solùm cum tali persona, vtpotè inæquali, & indigna. Ita Salon. *2. 2. quest. 60. art. 6.* dum dicit posse parentes cominari pœnam exhæredationis. Quod si filius ad aliquod matrimonium teneretur ratione fidei præstitæ, aut alia de causa peccaret mortaliter pater impediens, non tamen incurreret excommunicatione latam in Tridentino *sess. 24. cap. 9.* cum illa lata sit solùm contra Principes, & Magistratus, & alios habentes iurisdictionem in foro externo. Molina *de instit. tract. 2 disp. 176.* & alij communiter.

R. 3. Matrimonium filiorū absque consensu parentum esse validum, nec posse annullari. Ratio est, quia consensus parentum exigitur solùm de honestate, non autem de necessitate.

An filij teneantur acceptare matrimonium à parentibus propositum?

BRACTEA L.

R. Filium non teneri implere sponsalia, quę pater absque eius consensu promisit. Ratio est, quia filij in ordine ad matrimonium cēsentur liberi. Ita Nauarrus *cap. inter verba num. 9.* Sotus *dist. 27. quest. 2. art. 2.* & alij.

Sciendum, quod quando matrimonium filij multum intersit parentum, tenetur filius sub culpa mortali obedire parentibus, modò velit statum matrimonij. Ratio est, quia ex pietate tenentur filij subuenire parentibus: tale esset, quando matrimonium esset medium ad sedandas graues inimicitias, dummodo filius vt supra dictum est, alteri fidem non dederit.

Sciendum 2. quod si filius regulariter non teneatur sequi voluntatem parentum in matrimonio, tamen quando non habet iustam causam cōtrahendi inuitis ipsis, tenetur eos consulere, non tamen obligatur sequi ipsorum consilium sub peccato mortali. Et quod teneatur ipsos consulere, est communis opinio, tum etiā quia consuetudo omnium gentium attestatur grauem iniuriam inferri parentibus à filijs nubentibus absque eorum consilio. Quod non teneantur sub mortali sequi ipsorum consilium: patet ex D. Thoma *2 2 quest. 104 art. 5.* in his, quæ ad prolis generationem attinent omnes homines esse pares, nec filios subijci parentibus ob perpetuam seruitutem matrimonij, quæ requirit libertatem. Atque ita sentiunt Abbas *cap. 1. de desponsat. impuberum num. 6.* Hostiensis *summa tit de sponsalibus §. qualiter contrahunt num. 7.* Couaruu. *de matrim. 2. par. cap. 3. §. 8. num. 1.*

De impedimento ligaminis?

BRACTEA LI.

Sciendum ligamē esse vinculum prioris matrimonij, siuè consumati, siuè rati tantum vinculum, quo sequens matrimonium etiam consumatum dirimitur. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 16. num 1.* & alij communiter. Quibus positis

R. Ligamen dirimere subsequens matrimonium iure naturali, Diuino, & Canonico Quod repugnet iure naturali, patet, quia contrahere matrimoniū cū pluribus, siuè poligamia repugnat paci, & gubernationi domus; tum etiam quia aliquo modo impeditur per poligamam finis matrimonij. Et primo repugnat procreationi prolis, quia luxuriosi, & pluribus fęminis vacantes minus fęcundi esse solent, quia multitudo coniugum orbitatem facit, & quod cum libidine, & intemperantia sterilitas in coniuncta Docet Ioannes Peneda *super verbis Iob 24 Pascit sterilem, &c.* Secundò, poligamia repugnat etiam sociali cohabitationi, cum enim vxor nō sit ancilla, sed socia, & ideò ex latere viri desumpta eiusd eest honoris cum viro particeps; Principatus autem singularitatem requirit, vt Augustinus docet *lib. de bono coniug. cap 17* cumque etiam matrimonium remedium sit concupiscentiæ. *cap. nuptiarum 27. quest 1.* impeditur hic etiam finis multitudine coniugum, cum vnus vir pluribus vxoribus minus valeat debitum reddere. Adde iras, rixasque inter vxores, etiam sanctas fœminas, cum zelothipia laboret fragilis fęminarum sexus, & fieri nequeat, vt viri affectus non magis feratur erga vnam, quam erga aliam. Denique repugnat fini matrimonij, quod est Sacramentum, nulla etenim in poligamia vnitatis Sacramenti sponsi Christi cum sponsa Ecclesiæ repræsentatio. Quod repugnet iure Diuino, patet etiam, quia Nicænum Cōcilium *can. 24.* Nemo, inquit, debet duas vxores ducere, & (statim) sicut Deus ordinauit. Et Concilium Tridentinum *sess. 24.* cum proposuisset illa verba; *erunt duo in carne vna*, subdit: *hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & coniungi Christus Dominus apertius docuit*, cum postrema illa verba, tamquam à Deo prolata referens dixit, itaque iam non sunt duo,

Ddd 2 sed

sed vna caro, & infra *can.2.* si quis diceret licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege Diuina esse prohibitum, anathema sit. Et Matth.19. vbi dicitur: *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mechatur*, ex quo loco desumitur hoc argumentum, si dimittens vxorem mechatur aliam ducendo, multò magis mechatur ducẽdo aliã, retenta prima, consequenter matrimonium cum secunda est inualidum ex iure Diuino, alioquin non mecharetur. Quod etiam sit prohibitum iure Ecclesiastico, patet *ex cap.1 & vlt. de sponsalibus*, & grauis pęna imponitur ei, qui contrahit cum pluribus simul viuentibus, & præsumitur malè de fide sentire contra Sacramentum, vt tradit Simancas *de cathol. instit. cap.40.* & alij.

R. 2. Pluralitatem virorum respectu vnius vxoris interdictam esse iure naturæ. Ratio est, quia aduersatur fini primario matrimonij, qui est prolis generatio, nam nasceretur incerta proles, & impediretur generatio commixtione multorum seminum.

Sciendum 2. Vt communiter docent Doctores Deum non posse dispensare in hac pluralitate, quia non cadit dispensatio in ea, quæ repugnãt primis principijs naturæ, & si aliqui nõ agnoscant intrinsecam repugnantiam, nec etiã Papa, & Ecclesia potest dispensare in pluralitate vxorum, cum non possit dispensare in iure naturæ, & Diuino, cum nunquam pluralitas vxorum licuerit absque Diuina dispensatione; & licet legatur Patriarchas plures vxores habuisse ex reuelatione Diuina tantum ea pluralitas illo tempore inducta fuit, quæ reuelatio primis Patriarchis expresè facta, primùm ad alios eorum verbo peruenit, & exemplo.

Sciendum 3. talem dispensationem cessare ante Christum, eo quod causa dispensationis vniuocę cessauerit, vt Bellarminus affirmat *lib. 1. cap. 11. propos. 5.* certissimam tamen est sublatam esse per Christum, quia Matth.19. reuocat matrimonium ad primam ex iure Diuino institutionem; prima autem institutio proligamam excludit, vt verba à Christo prolata demonstrant, & ideò quando infidelis conuertitur, qui antea plures duxisset vxores, debere permanere cum prima, si ipsa voluerit cum eo permanere absque iniuria Saluatoris, consequenter non posse aliam ducere, præter primam; & in rigore loquendo permanente prima in infidelitate, & aliæ conuertantur præter primam, vir non tenetur vllã ex conuersis ducere, quia nulla ex ipsis est eius coniux, excepta prima. Rebellus *lib. 3. quæst. 10.* & alij citati à Bonacina *de impedimento matrim. quæst.3. pun.10. num.7.*

An vxor, quæ cum secundo contrahit Matrimonium, credens priorem coniugem mortuum, teneatur recedere à secundo, postquam cognouit priorem esse viuum?

BRACTEA LII.

R. Affirmatiuè, quia alioquin exponeret se periculo adulterii, & peccat mortaliter petendo, & reddendo debitum post huiusmodi notitiam, quia secundum matrimonium est inualidum, *Canon. si vir quæst.34.*

Sciendum ad hoc, vt vxor possit ad secundas nuptias transire debet habere certitudinem de morte prioris mariti, quæ iudicio prudentis viri existimetur sufficiens ad denuo contrahendum, ne se exponat periculo adulterij. Vnde per solam absentiam mariti per multos annos non potest denuò contrahere cum alio, nam certitudo moralis non habetur per absentiam multorum annorum, nisi talia indicia simul concurrant, vt non remaneat locus dubitandi de eius morte, sicuti etiam non sufficit fama de eius morte, cum fama oriri soleat ex auctore incerto, & plerumque fallaci, nisi fama adiuncta habent indicia efficacia ad credendum ipsum esse mortuum, vt v.g. si vir ingressus sit prælium, & non amplius comparuerit, & fama est ipsum perijsse, aut quando per litteras eorum, qui pręlio interfuerunt acceptum est ipsum mortuum esse.

Sciendum 2. Nec sufficere vnum testem ad probandam mortem alterius coniugis mortui, vt superstes possit transire ad secundas nuptias quia, vt dictum est de morte priori coniugis debet esse moralis certitudo, quæ per vnum testem, seu nuncium haberi non potest, quia vox vnius censetur vxor nullius, *l. iusiurand. C. de testib.* Tum etiam, quia si in causis pecuniarijs nõ sufficies vnus testis est à fortiori, nec erit sufficiens vnus testis in causa secundi matrimonij contrahendi in quo agitur de periculo animæ, nisi fortè adsint aliç coniecturç, vel mortuus sit in loco ita distanti, vt nequeant haberi aliæ probationes, & ita vnus testis considerata qualitate personæ erit sufficiens. Ita Sanchez *lib.2. disp. 46. num.11. & 12.* licet mulier, quæ certò nouit maritum primum esse mortuum, quamuis eius mortem probare non possit, vt accidit quãdo ipsa sola fuit præsens morti sui mariti possit cum alio contrahere secluso scandalo. Ita Rebellus *2. part. lib.3. quæst.13.* Gutier. *cap.51.* Ratio est, quia tunc cessat periculum adulterij.

R. 2. Quod si vxor solùm dubitet priorem maritum esse mortuum, non potest petere debitum, tamen reddere tenetur, cum alter habeat ius petendi, quod non amittit propter dubium mulieris, nisi forsan mulier dubitans afferat talia indicia, & notitia, vt maritus teneatur illi credere. Ita Nauarr. *cap. 22. num. 53.* Sanchez *lib.2. disp.41. num.52.* Henriquez *lib.11. cap. 15. num.13.*

De impedimento publicæ honestatis?

BRACTEA LIII.

Sciendum hoc impedimentum publicæ honestatis introductum fuisse ab Ecclesia inter certas personas: nimirum cum consanguineis alterius sponsi, vt cum sorore sponsæ defunctæ, vel cum alijs consanguineis eiusdem, aut cum fratre mariti defuncti, vel cum consanguineis eiusdem. Et hoc impedimentum dicitur impedimentum publicæ honestatis, eo quod ęquum sit propter publicam honestatem, & decentiam, vt matrimonium impediatur inter istas personas ob sponsalia, vel ob matrimonium ratum, cum affinibus mariti respectu sponsæ non oritur impedimentum publicę honestatis: vnde qui post sponsalia facta cum Petro cõtrahit matrimonium cum affinibus eiusdem

dem validè contrahit, vt docet Sanchez *lib. 7. disp. 68. num. 3.* Gutier. *de matrim. cap. 103. num. 4.* & alij. Sicut etiam cum affinibus sponsæ nõ contrahit sponsus impedimentum publicæ honestatis: vnde qui post sponsalia facta cum Catherina contrahit matrimonium cum affine eiusdem validè contrahit. Ita auctores citati. Quibus positis.

R. Ex sponsalibus certis, & validis iure naturæ non oritur impedimentum publicæ honestatis. Ratio, quia iure naturæ non censetur indecorum notabiliter, vt quis denuò contrahat sponsalia cum sorore, vel cum consanguinea sponsæ defunctæ.

Sciendum 2. Impedimentum publicæ honestatis esse propinquitatem ex sponsalibus prouenientem robur trahentem ab Ecclesiæ institutione propter morum honestatem, & decentiam. Ita S. Thomas *distinct. 41. quæst. 1. art. 1.* Dicitur primo Propinquitas, vt denotetur conuenientia, quam habet cum affinitate. Dicitur ex sponsalibus proueniens, quia in hoc distinguitur ab affinitate, quæ ex copula oritur. Dicitur robur trahens ab Ecclesię institutione, vt denotetur hoc impedimentum solo iure Ecclesiastico inductum esse: vnde cum infideles non subdantur legibus Ecclesiæ, validè cum consanguinea prioris sponsæ, vel sponsi possunt contrahere.

R. 2. Ex sponsalibus certis, & validis oritur impedimentum publicæ honestatis iure Ecclesiastico dirimens matrimonium. Ita ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 3.* Dixi ex sponsalibus certis, quia ex sponsalibus celebratis cum persona incerta non oritur impedimentum publicę honestatis, vt si quis det fidem de ducenda quadam ex filiabus Titij nulla signata ex illis habetur exprese *cap. vnico de sponsalibus in 6.* tum etiam, quia hæc non sunt propriè sponsalia. Secundo dixi ex sponsalibus inualidis, vt v. g. ex sponsalibus fictis, quę non fiunt animo se obligandi, non oritur impedimentum publicæ honestatis, quamuis iure antiquo consurgeret, quia cum sint inualida non censentur propriè sponsalia. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 68.* Reginald. *lib. 31. num. 126.* Gutier. *de matrim. cap. 103.* Coninch. *disp. 32. lib. 5. num. 63.* & alij.

R. 3. Ex sponsalibus conditionatis non oritur impedimentum publicæ honestatis ante conditionis euentum. Ratio est, quia conditio suspendit consensum vsque ad eius euentum, & sponsalia facta sub conditione non censentur valida, nisi adimpleta conditione consensus: Vnde ex illis non oritur impedimentum publicę honestatis, vnde valebit matrimonium initum cum sorore eius sponsæ conditione nondum extante; post vero conditionis euentum oritur impedimentum publicę honestatis, quia tunc sunt sponsalia pura, & habentia perfectum consensum: vnde si quis contractis sponsalibus sub conditione cum Catherina, contrahat posteà sponsalia absoluta ante conditionis euentum cum sorore ipsius Catherinę ex posterioribus spõsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis cum Catherina, & proinde non posse ipsam amplius ducere, quia priora sponsalia conditionalia pendẽte conditione non sunt vera sponsalia, licet hodie post Tridentinum *sess. 24.* impedimentum non inducatur, cum posteriora spõsalia etiam absolutè facta censeantur irrita, vtpotè facta contra priorem promissionem ante conditionis euentum, quam ex iustitia tenebatur expectare, & cum pendente conditione non posset licitè aliud matrimonium inire, promissio de eo ineundo non fuit valida, quia peccaminosa, atque subinde impedimentum non pariet.

Sciendum 3. Supradictum debere intelligi de conditione de futuro, quia si conditio sit de præsenti, aut de præterito oritur statim impedimentum publicæ honestatis, si hæ cõditiones verè extent, quia quando conditio est de præsenti, aut præterito est vera, & iam extat, nec consensum suspendit, ac proinde sunt vera, & absoluta sponsalia. Et ita Sanchez *loco citato disp. 69. num. 4.* Secundò, debere intelligi, quando conditio de futuro est contingens, quia si sit necessaria, cum eius euentus sit certus, non suspendit, & ita oritur statim impedimentum publicæ honestatis, vt v. g. si quis dicat, ducam te, si cras Sol orietur. Ita Siluest. *verbo matrim. 8. qu. 14.* Tabiena *verbo impedim. 11.* Couaruu. *4. decretor. 2. par cap. 6. §. 2.* & alij. Tertiò, debere intelligi, si conditio de futuro sit possibilis, & honesta, quia si sit impossibilis, aut turpis, sed non contra substantiam matrimonij, oritur statim impedimentum, quia pro non adiecta habetur, & idcirco sponsalia remanent absoluta, atque ita non oritur impedimentum. Et ita supplementum, Gabriel. *in 4 dist. 41. quæst. vnica art. 2.* Astensis *2. par summę lib. 8. tit. 24. art. vnico,* Rosella *verbo impediment. impedim. 13. num. 4.* Angelus *verbo matrimon. 3. impedim. 14.* Quartò, nisi conditio expressa tacitè insit, vt si vixero, ducam te, vel si tu consenseris, quod talis conditio expressa nihil prorsus operetur, sed nec suspendat, sed sponsalia ita absoluta maneant, ac si ea adiecta non fuisset.

An impedimentum publicæ honestatis contractum ex sponsalibus validis, & certis cesset, quando sponsalia dissoluuntur mutuo consensu contrahentium?

BRACTEA LIV.

R. Negatiuè. Ratio quia impedimenta non dependent à mutua voluntate contrahentium, sed ab Ecclesia, quæ constituit, vt impedimentum publicæ honestatis adhuc sit, licet sponsalia mutuo consensu dissoluatur, eo quod non deceat matrimonium contrahi inter aliquas personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia. Tum quia sequeretur hoc impedimentum posse etiam cessare post mortem alterius sponsi, quod est falsum, vt tradunt Doctores *ex cap. sponsam de sponsalibus; & cap. si quis vxorem,* ergo neq; cessat per dissolutionem sponsalium mutuo consensu factam. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 68. num. 21.* & alij.

R. 2. Impedimentum publicæ honestatis non modo consurgere ex sponsalibus certis, & validis, sed etiam ex matrimonio rato. Ita Sanchez *lib. 7. disput. 70.* Ratio, quia si oritur ex spõsalibus, quæ sunt via ad matrimonium, multò magis debet oriri ex matrimonio rato. Ita colligitur *ex cap. sponsa, & ex cap. Ad audientiam de sponsalibus.*

Sciendum ex matrimonio rato inualido defectu consensus non consurgere impedimentum publicæ honestatis, sicut nec etiam consurgit ex matrimonio metu cadente in constātem virum contracto. Vnde pueri, & amentes contrahentes matrimonium non contrahunt impedimentum publicæ honestatis ex defectu consensus, nisi fortè malitia suppleret ætatem, sicut nec etiam, qui fictè consentit in matrimonium ex defectu consensus, quamuis fictè consentiens cogēdus sit stare matrimonio propter scandala, & damna, quæ possunt sequi. Ita Nauar. *cap.22.num.57.* Sanchez *lib.7.disp.70. nu.11.* Henriquez *lib.12.cap.10. num.2.* Rodriquez *1. part. cap.234.num.3.* & alij.

Sciendum 2. Impedimentum publicæ honestatis non oriri ex matrimonio celebrato cum persona incerta, cum non sit verè matrimonium, eo quod non adsit sufficiens consensus ad contrahendum matrimonium, cum requiratur consensus circa determinatam personam Sanchez *loco citato num. 13.* & alij. Secundo ex matrimonio celebrato sub cōditione non oritur impedimentum publicæ honestatis ante conditionis euentum, quia non habet rationem contractus absoluti, sed solum sponsalium: & proinde ante conditionis euentum, quia nō adest perfectus consensus, idcircò nec oritur impedimentum publicæ honestatis. Ita Sanchez *disp.70.num.11.*

Sciendum 3. Quod, licet ex matrimonio inualido defectu consensus non oriatur impedimentum publicæ honestatis, tamen ex matrimonio inualido ratione impedimenti Ecclesiastici dirimentis oritur impedimentum publicæ honestatis, vt v.g. ex matrimonio clandestino contracto sine Parocho, & testibus oritur impedimentum publicę honestatis. Ratio est, quia huiusmodi matrimonium non videtur inualidum ex defectu consensus, sed solum ex defectu solemnitatis ab Ecclesia præscriptæ, & ideò ex eo oritur impedimentum publicæ honestatis ob supradictam rationem.

Vsque ad quem gradum impedimentum publicæ honestatis impediat, & dirimat?

BRACTEA LV.

R. Impedimentum publicę honestatis, quod consurgit ex matrimonio rato impedire, & dirimere vsque ad quartum gradum, etiamsi illud sit irritum, & inualidum. Sic declarauit Pius Quintus in motu proprio, qui incipit *Ad Romanum spectat*. Et ita Sanchez *lib.7. disp.70.* Rodriquez *cap.234.* Henriquez *lib.13.cap.11. num.2.* & alij contra Nauarrum *cap.22. num.58.* Em. Sà *de impediment.matrim num.12.* & alios existimantes ex matrimonio inualido ex impedimento Ecclesiastico non oriri impedimentum publicæ honestatis, sicut ex sponsalibus inualidis; sed respondeo aliter iure nouo sancitum esse de spōsalibus, & de matrimonio. In matrimonio rato inualido sancitum esse oriri impedimentum publicæ honestatis, quod non est sancitum de sponsalibus inualidis.

R.2. Impedimentum publicę honestatis, quod oritur ex sponsalibus certis, & validis dirimere solum matrimonium in primo gradu. Ita Sanchez *lib.7. disp.68.* Gutier. *de matrim. cap.103.* Perez *de impediment. publicæ honestatis*, Reginald. *lib.21.* & alij cōmuniter. Dixi ex sponsalibus validis, & certis, quia ex sponsalibus fictis, & incertis non oritur impedimentum publicæ honestatis.

De impedimento impotentiæ?

BRACTEA LVI.

SCiendum impotentiam duplicem esse, vnam perpetuam, & alteram temporalem. Impotentia perpetua est, quæ nulla arte humana potest auferri, licet miraculosè, vel arte magica possit auferri. Impotentia temporalis est, quę arte humana, vel medicamento potest auferri. Secundò impotentiam aliam esse ad prolem generandam, quæ sterilitas dicitur, & hæc si sola sit nullum matrimonio impedimentum affert; alia verò est impotentia ad copulam carnalem, quæ vt dictum est, alia est perpetua, alia temporalis. Quibus positis.

R. 1. Impotentiam perpetuam coeundi dirimere matrimonium. Ita Nauar. *cap.22.num.69.* Em. Sà *de impediment.num.17.* Sanchez *lib.7.disp.93. num.8.* & alij. Ratio, quia matrimonium frustraretur suo fine, qui est procreatio prolis, tum quia contractus matrimonij essentialiter includit obligationem dandi inter se corpus ad copulationem carnalem: impossibilium autem nulla obligatio est, & inhabilis ad soluendum est etiam inhabilis ad promittendum, quæ ratio ostendit, quod talis coeundi impotentia, non solum Ecclesiastico, sed etiam naturali iure matrimonio impedimentum præbet.

Sciendum 2. Ex triplici capite oriri impotentiam perpetuam. Primo ex improportione naturali, vt quando fœmina est ita arcta, vt nullo modo possit à viro carnaliter cognosci. Secundò potest impotentia oriri ex frigiditate, vt quando per frigiditatem copula haberi non potest perfectè, quod impedimentum solet prouenire, ex parte viri, non autem ex parte mulieris, & ideò dissoluto matrimonio per impotentiam ipsa potest alteri nubere, non autem vir. Et ratio est, quia ipsa non est impotens, sed eius vir. Ita Sanchez *disp.93.num.37.* & alij. Si verò post separationem probet se non esse impotentem, vel ob fornicationem, vel quia secundas nuptias contraxit, & consumauit separandus est à secunda vxore, & restituendus primæ, cum validum fuerit matrimonium primum ex eo, quod impotentia non erat perpetua, & separatus fuit ab vxore ob præsumptionem impotentiæ perpetuæ. Et idem dicendum est de muliere, quę fuit separata à viro ob arctationem, nam si postea cognoscatur apta restituenda est viro. Et ita Sanchez *loco citato nu.10.* cum alijs; Tertiò potest oriri ex maleficio perpetuo ad impediendum congressum, & copulam maritalem, & tunc potest dici maleficium perpetuum, quando coniuges post expectationem trienni post matrimonium contractum non possunt copulam habere, adhibitis remedijs tam spiritualibus, quam etiam corporalibus pro maleficio amouendo. *Cap. laudabilem de frigidis, & maleficiatis.*

Sciendum 3. Quod si maleficium sit solummodo factum respectu vnius personæ, & non respectu

respectu aliorum omnium coniuges possunt facto diuortio matrimonium contrahere cum alijs. Ratio est,quia respectu aliorum non censetur adesse impotentia perpetua. Si verò post consumatum matrimonium cum secundo, vel secunda,cognoscant coniuges redditam esse sibi potentiam ad consumandum matrimonium cum priori coniuge tenentur ad ipsum redire. Ratio est, quia illud matrimonium est perpetuum, nec irritatur per impotentiã præsumptã perpetuam,sed solum per veram impotentiam.

Sciendum 4. Impotentiam duplicem etiam esse, vnam absolutam,& alteram respectiuam: Impotentia absoluta respectu viri est quando ipse non habet potentiam ad penetrandum vas fœmineum, & nulla arte potest iuuari, & idcircò si non sit potens ad seminandum intra illud dicitur habere impotentiam perpetuam, quæ dicitur absoluta si talis impotentia sit respectu omnium, respectiua verò quando est solummodo respectu huius, vel alterius: Impotentia perpetua respectu mulieris est, quando est tam arcta,vt à nullo penetrari possit; si verò solummodo arcta sit respectu vnius,& non respectu alterius dicitur impotentia respectiua. Quibus positis.

R. Impotentiam absolutam, & respectiuam perpetuam antecedentem matrimonium dirimere,non solùm iure Ecclesiastico, verùm etiã iure naturæ subsequens matrimonium.Ita omnes Doctores cõmuniter. Quod iure canonico dirimat,patet *ex cap.quod sedem de frigidis,& maleficiatis cap.1.33.quæst.1.* Quod vero iure naturæ etiã dirimat,patet, quia per impotentiam non possunt fieri contrahentes vna caro,quod requiritur in matrimonio de essentia matrimonij: iuxta illa verba,*erunt duo in carne vna*; tum etiã quia de essentia matrimonij est perpetua obligatio, & traditio potestatis corporis ad copulã coniugalem, ac qui est perpetuò impotens ad copulam non potest alteri tradere eam potestatẽ, cum nulla sit obligatio impossibilium, & nemo potest dare,quod non habet,ergo,&c.

Quod verò impotentia respectiua perpetua dirimat etiam eodem modo matrimonium respectu illius personæ patet. Et ratio est, quia talis impotentia ita impedit potestatem tradẽdi corporis ad copulam cum illa persona, respectu cuius est impotens,sicut absoluta respectu cuiuscunquè.Quare respectu illius non poterit saluari essentia matrimonij, & ideò iure naturæ,& Ecclesiastico erit nullum.

R. 2. Impotentiam subsequentem matrimonium non dirimere ipsum. Ratio,quia indissolubilitas matrimonij postulat, vt matrimoniũ non dirimatur per impotẽtiam superuenientẽ.

Sciendũm impotentiam coeundi, quæ non est verè impotentia, sed solùm maxima difficultas non dirimere matrimonium, ideò validum est matrimonium contractum cum fœmina,quæ potest reddere debitum, sed nonnisi cũ grauissimo sanitatis periculo, vel quando non põt parere absq; graui periculo,vel qñ nõ credit fore, vt filij mortui in lucem edantur. Ita Gutier.*cap 112.num.17.*Rebellus *quæst.16.sect.1.num. 1.& 10.*& alij.Sicuti etiam validum est matrimonium contractum cum leproso, quamuis enim sit periculũ ægritudinis contrahendæ in congrediendo, nihilominus adest potentia congrediendi.*Cap.2.de coniug.leprosorum.* Tertiò,validum etiam esse matrimonium contractum inter steriles, nam inter istos intercedit vera copula.

An matrimonium contractum cum fœmina arcta, quæ per incisionem periculosam fieri potest apta, sit validum?

BRACTEA LVII.

R. Esse inualidum, quando impotentiæ non potest subueniri absque vitæ periculo, etiamsi mulier tale periculum subire parata sit, vt apta reddatur viro,consequenter vir potest ab ea separari,& ad alias nuptias transire. Ita Sanchez *lib.7.disput.93.num.20.* Secus autem dicendum si incisionem pati potest absque vitæ periculo, quia tunc huiusmodi matrimonium non censetur celebratum cum impotentia perpetua.

An mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit, & per miraculum fuit postea sanata, validè contraxerit?

BRACTEA LVIII.

R. Negatiuè, sed esse irritum, & inualidum matrimonium, nisi vir nouo edito consensu accipere illam decernat.Ratio,quia illud matrimonium censetur contractum cum impedimento dirimente, quod arte humana non potest auferri. Voco miraculum in præsenti casu id, quod fit modo extraordinario, & insueto, & hoc notandum est propter maleficiũ, quod licet auferri non possit,nisi per orationes, non tamen dicitur auferri per miraculum, quamuis auferatur modo consueto. Ita Sanchez *lib.7.disp.93.*Gutier.*cap.112.num.22.*& alij.

De impotentia respectu ætatis, an dirimat matrimonium?

BRACTEA LIX.

R. Primò matrimonium contractum ante pubertatem irritum esse iure Ecclesiastico.Ita communiter omnes.

Sciendum pro maiori intelligentia pubertatem esse ætatem requisitam ad matrimonium, quæ in fẹmina est annorum duodecim, in masculo quatuordecim completorum. *Cap.continebatur de desponsat.impub.c.ex litteris,&c.* satis tamen esset vltima dies anni duodecim in fẹmina, & decimiquarti in mare inchoata fauore matrimonij. Vnde in dubio nec masculus, nec fẹmina ante eam ætatem præsumuntur apti ad matrimonium, quia neque ad generationem, nisi malitia suppleret ætatẽ.*Et cap.de illis 2.c.pub.c.fin. de desponsat. impub.* Per malitiam autem intelligitur potentia ad copulam, & discretio ad intelligendam vim consensus coniugalis.

R. Quod verò irritum sit iure Ecclesiastico tantum,patet,quia impotentia temporalis iure naturæ non dirimit matrimonium, & talis est impotentia impuberum, secluso ergo iure Ecclesiastico esset validum, si modo doli capaces essent

essent impuberes. S. Thomas *dist. 36. quæst. vnica art. 5.* Nauarrus *consil. 39. de desponsat. impuberum*, & alij.

R. 2. Matrimonium contractum à sene decrepito, qui saltem aliqua arte aliquando iuuari potest ad consumationem matrimonij validum esse; si verò nullatenus poterit iuuari, vt aptus sit ad copulam, matrimonium erit inualidum, quia tunc censetur omninò impotens, licet plures teneant opinionem contrariam, eo quod semper retineat intrinsecam potentiam suam seminãdi, qua tantum per accidens per senectutem impeditur. Sed contrarium verius est.

De triennij experimento ad copulam, vel impotentiam?

BRACTEA LX.

Sciendum, quod quando dubitatur, an impotentia coeundi sit perpetua, an verò temporalis permittuntur coniuges simul cohabitare per triennium, vt matrimonium consument, quo tempore si nequeant consumare, nõ amplius permittuntur cohabitare ad consumandum matrimonium, quia iudicatur adesse impotentia perpetua, & consequenter inualidum esse matrionium, propterea facienda est separatio propter periculum incontinentiæ, de quo triennio multa possunt quæri. Primò, à quo tempore computandum sit. Secundò, quale debeat esse, continuum, an ita completum, vt si tempore aliquo interrumpatur, id resarciendum sit. Tertiò, quomodo restituendus coniux spoliatus, si ante illud transactum, vel post illud coniux propria authoritate recedat ob alterius impotentiam. Quibus positis.

R. 1. Computandum esse triennium à die copulæ attentatæ, quando impotentia prouenit ex frigiditate, vel maleficio; quando verò prouenit ex arctatione incipit, quando incipiunt remedia adhiberi. Ita Sanchez *lib. 7. disput.* 107. Henriquez *cap. 7. num. 2.* & alij.

R. 2. Non requiri, vt id tempus continuum sit, sed morali modo, & ciuili, vnde si per aliquot menses absens fuisset alter coniugum posset compleri adijciendo tantundem temporis post exactum terminum; quando absentia est quinque, vel sex mensium, quia de minori absentia non habetur ratio, cum non censeatur notabilis.

R. 3. Si ante triennium exactum alter coniugum recedat propria auctoritate cogendus est ad cohabitandum. Ratio est, quia non valet exceptio, quam allegat impotentiæ in altero coniuge non præmissa experientia trienni, & si post triennium completum propria auctoritate recedat cogendus est ad cohabitandum, quia nõ potuit recedere propria auctoritate non expectato iudicio Ecclesiæ, cum res ista ex maiori parte pertineat ad forum Ecclesiæ.

Sciendum dubium esse, an triennalis probatio requiratur, quando vterque coniux fatetur impotentiam non existẽtibus manifestis signis, aut verisimiliter euidentibus. Ad quod respondeo requiri triennij probationem, licet vterque coniux fateatur impotentiam, quia talis confessio non solùm non aufert triennalis experimenti necessitatem, quin potius inducit, nam facilè timeri potest, ne inter ipsos coniuges sit collusio, velintque à matrimonio recedere; vnde maiori cura insistere debet Iudex probationibus, illasque diligentius inquirere, quantò illi magis apperant dissolutionem matrimonij. Cũ enim alter eorum renuit, adhibebit etiam ille curam, vt pro se probationes idoneas afferat, & aduersarij infringat; ac si concordes extiterint coniuges, ac separari velint, cautius procedere debet Iudex, ne ab illis decipiatur. Quod enim vterque coniux fateatur impotentiam, nõ est sufficiens ad rectum iudicium probatio; tum ob rationem dictam; tum etiam quia ipsi coniuges, qui impotentiam fatentur, ignorare possunt, an sit naturalis, vel perpetua, an ex maleficio, vel ex alia causa proueniat, cum ergo nullum aliud fundamentum sit ad excludẽdam triennij experientiam, quam sufficiens probatio impotentiæ, & non sit huiusmodi confessio vtriusque coniugis deficientibus signis verisimiliter euidentibus, quæ manifestam faciant impotentiam, nulla prorsus ratio est, cur non debeat requiri probatio triennalis; tum quia *cap. laudabilem* conceditur triennium, quando non constat de viri frigiditate; quando autem vterque fatetur, si non sint alia signa, non constat verè, dubitari enim potest, vt dictum est, an sit perpetua, an sit accidentalis, ideòque expectandum est triennium, vt manifestetur veritas; tum quia ex confessione vtriusque coniugis non sit vera probatio cõtra matrimonium. *Cap. super eo, &c.* & vbi non est vera probatio impotentiæ datur triennium; ergo, &c.

Sciendum, quod quando impotentia certa non est, sed mulier affirmat adesse impedimentum negante viro, si proclamat initio matrimonij, vt post mensem, vel bimestre audienda est, & si quidem ex impotentia probetur per iudicium, matrimonium dissoluitur; si verò non proclamauit initio, sed post annum, aut dimidium audienda non est amplius, sed habenda fides viro fatenti se consumasse.

Dicitur autem non proclamasse initio, si post bimestre translactum proclamat, numerandum autem est tempus à die copulę intentatę. In quibusdam tamen casibus audienda esset, etiamsi initio matrimonij non proclamauerit. Primò, si per certa signa vxor intenderet viri impotẽtiam. Secundò, si per inspectionem probet se virginem, nec cognitam à viro. *Cap. proposuisti de probationibus,* Siluester *verbo matrim.* 8. *quæst.* 18. *num.* 21. & alij. Tertiò, si post triennium proclamet, tunc enim si per aspectum probet se virginem, & accedat iuramentum septimæ manus propinquorum, hoc est, vt cuiuslibet coniugis septem consanguinei iurent se credere, quod cõiuges verum dicant; deficientibus autem septẽ consanguineis assumi debent septem vicini cuiuslibet coniugis, qui sint bonæ famæ, si tot haberi non possint, sufficient pauciores arbitrio Iudicis, quod factum requiritur ad cauendam collusionem, quæ possit esse inter coniuges, & vt solutio matrimonij cautius fiat. *Cap. laudabilem de frigidis, &c.* Quartò, si mulier asserat se cognitam à viro, potius illi credendum est quam viro neganti; tum quia tanquam reæ absolutio impendenda est, nisi vir contrarium probet; tũ quia non est probabile eam velle habitare cum viro impotente, tum quia fauendum matrimonio in dubio. Quod etiam dicendum est de viro

roproclamante contra matrimonium ratione arctitudinis fęminæ; quod dictũ est de muliere proclamante contra matrimonium ratione frigiditatis viri, & quamuis *cap. 1. de frigiditate*, sermo sit de sola fęmina, quia de illa propositus fuit casus, tamen eadem est decisio, cum sint correlatiui, & quod de vno disponitur etiam de altero dispositum censetur.

An impotentes, qui contraxerunt matrimonium, possint simul habitare sicut frater, & soror?

BRACTEA LXI.

R. Matrimonium contractum cum viro impotente esse irritum. Ratio, quia corpus impotens non censetur subiectum capax matrimonij, cum coniunctio talium repugnet traditioni corporum ad vsum coniugalem, in quo essentia matrimonij consistit, cum vsus sit impossibilis, non potest dari obligatio ad illum, at vbi contractus essentia non potest reperiri, nequeunt contrahentes cedentes iuri suo efficere, vt is contractus valeat, quia nemo potest obligari ad impossibile etiam altero admittente obligationem, vt videre est apud Sanchez *lib. 7. disput. 97. num. 2.* quod si dicatur ad matrimonium non requiri consensus ad carnalem commixtionem, vt constat in Beatæ Virginis matrimonio cum Ioseph, tum etiam quia possunt contrahentes cedere iuri suo quoad coniugij vsum, & in alijs sibi mutuo seruire. Respondeo verum esse ad essentiam matrimonij non requiri carnalem commixtionem, ad quã contrahentes possunt cedere iuri suo, sed necessariò requiri, vt ille, qui contrahit matrimonium, sit aptus ad illud, quod si erit impotens, non erit capax illius, cum essentia matrimonij consistat in traditione corporum in ordine ad copulam, quę traditio coniugis impotentis impossibilis est, & hæc fuit in matrimonio B. Virginis cum S. Ioseph.

Sciendum, quod quando matrimonium bona fide fuit contractum, & postea detecta fuit impotentia, possunt simul ad solam vitæ societatem permanere tanquã frater, & soror, quia id expresse colligitur *ex cap. consultat. & cap. laudabilis de frigidis, &c.* & ex alijs iuribus citatis à Sanchez *loco citato num. 4.* verum his non licent actus, qui solutis interdicuntur quia reuera minimè in illis est matrimoniũ, & coniuges non sunt. Et ita Sotus *in 4. dist. 34. quæst. vnica*, Nauarrus *lib. 4. tit. de frigid. consil. 2.* Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 7. num. 7.* Petrus Ledesma *de matrim. quæst. 58. art. 1. dub. 3.* Manuel. *1. tom. sum. cap. 35.* Ludouicus Lopes *2. par. instruct. cap. 82.* Vega *2. tom. summ. cap. 34. casu 113.* Barbosa *lib. 1. par. 1. num. 92.* & alij. Quando incontinenter viuunt, nullo modo permittendos eos sic manere, vt constat ex motu Sixi V. circa Eunuchorũ matrimonia, *eos autem, qui iam sit de facto, contraxerunt, si appareat eos non vt castè simul viuant contraxisse, sed vt actibus carnalibus, & libidinosis dent operam, simulvè in vno, & eodem lecto cum prędictis mulieribus dormire conuincantur, omninò similiter separari cures*; quare Episcopi tunc est eos separare, vt tradit Hostiensis *cap. consult.* & alij, qui tamen non poterit eos separare, si velint instar fratris, & sororis simul habitare, quia habent pro se iuris pręsumptionem, cum textus expresse eam cõcedant, & Sixtus V. in suo motu solùm iubet eos separari, qui incontinenter viuunt, aut in eodem lecto dormiunt; & quia talis cohabitatio censetur periculosa, principaliter si sint iuuenes, ideò non facilè Iudex debet permittere, vt simul cohabitent. Nauarr. *lib. 4. consilior. tit. de frigidis.*

Sciendum, quod quando post matrimonium contractum constat de impotentia, nec illi possunt continenter, vt frater, & soror viuere, tenentur reclamare, vt auctoritate Ecclesiæ dissoluatur matrimonium, quando non possunt auctoritate propria separari absque scandalo stante matrimonij præsumptione in foro Ecclesiæ; quod si sine scandalo separari possunt, non requiritur auctoritas Ecclesiæ ad eos separandos, sed propria auctoritate possunt separatim viuere. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 47. num. 8.*

An matrimonium celebratum tempore mortis validum sit?

BRACTEA LXII.

R. Matrimonium contractum tempore mortis desperata iam salute validum esse. Ita communiter omnes Doctores, vti testatur Couarruu. *in epitome par. 2. cap. 8. §. 2. num. 10.* Sanchez *disput. 105. num. 3.* & alij. Et probatur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ habet, vt in articulo mortis constitutus valdè affectus erga concubinam, cui diù adhæreat, illam ducat, ne salus eius spiritualis dispereatur ob concubinæ affectum, ac defectum propositi recedendi ab illa. Tum etiã quia infirmus morti propinquus habet potentiam actus coniugalis exercendi, licet per accidens impeditam, quominus ob morbi vehemẽtiam, & mortis aduentum in actum deduci possit. Quod si verò accidat ipsam generandi potentiam vi morbi secundum se destructam esse, ita vt nulla humana arte restaurari possit, & si hominem diutius viuere contingat, tunc matrimonium validè contrahi non posse. Et ita Layman *tract. 10. de impedim. matrim. par. 4. cap. 11. nu. 6.* Ratio primæ partis est, quia morti propinquus potest inire matrimonium spirituale per professionem Religionis iuxta *cap. sic tenor de regulis*: ergo etiam matrimonium carnale. Neque obstat, quod in mortis articulo contrahens nõ habeat propositum actus coniugalis exercendi, quia tale propositum non requiritur ad matrimonium, immò contraria voluntas, videlicet nunquam exercendi actum coniugalem nõ potest infirmare matrimonium, sicut patet in matrimonio Beatissimæ Virginis. Ita Laymañ *loco citato.*

R. 2. Non modò tale matrimonium esse validum, sed etiam legitimare prolem antea susceptam. Ratio, quia *cap. tanta qui filij sint legitimi* generaliter ea virtus vero matrimonio tribuitur, quale est hoc, & ideò contrariantur matrimonium esse validum, & nõ efficere prolem naturalem antea habitam, legitimam; & ideò proles antea suscepta cum noua qualitate est effectus ex matrimonio consurgens, quasi noua proles dicitur.

Sciendum 1. dubium esse, an talis legitimatio vim habeat excludendi substituti, v. g. parens prolis

prolis sic legitimatæ institutus est in certa hæreditate ea tamen lege, vt si absque prole legitima decesserit, succedat Titius. Dubitatur ergo, an verificetur eam conditionem deficere existente prole per id matrimonium legitimata, ac proinde ea succedat excluso Titio substituto. Ad quod respondeo affirmatiuè, modò non concurrat aliqua alia suspicio fraudis. Et ita Sanchez *lib.7.disp.105.num.8.*

Quid faciendum, quando matrimonium fuit dissolutum ab Ecclesia ob impotentiam, & vir postea ingressus est Religionem, in eaque professionem emisit, sed postea compertus est error Iudicis, idest quod non fuerit verè impotentia perpetua, sed tantummodo temporalis, an professus cognito errore teneatur redire ad vxorem?

BRACTEA LXIII.

R Cum distinctione, aut vir professus est ante consumatum matrimonium, aut post consumatum matrimonium: si vir professus est ante consumatum matrimonium non debet redire ad vxorem. *Cap.ex pub.de conuers.* Ratio, quia matrimonium ratum dissoluitur per professionem, si verò professus est post consumatum matrimonium, debet redire ad vxorem, quia matrimonium consumatum non dissoluitur per professionem. Et ita Couaruu. *2 par.cap.3.§.4.* Petrus Ledesma *quæst.58 art.2.* Gutier. *de matrim.cap.105.* Henriquez *lib.12.cap.7.* & alij; vnde matrimoniũ dissoluitur, quando vterque coniux facta separatione ingressus est Religionem, in eaque professus est, & postea fuit cognitum impedimentum, per quod fuit facta separatio, non esse perpetuum, sed temporale, si professio facta fuit ante consumatum matrimoniũ, quia vt dictum est matrimonium nondum consumatum dissoluitur per professionem; secus verò dicendum est, si matrimonium erit consumatum.

Similiter virum, qui ex præsumptione perpetuæ impotentiæ sacros ordines suscepit remanente vxore in sæculo restituendum esse vxori potenti, postquam cognoscitur impotentiam non esse perpetuam. Ratio est, quia vinculum matrimonij perseuerat, & irritum non censetur ob præsumptam impotentiam; & ideò vir restitutus vxori poterit reddere debitum, sed non petere, propter votum castitatis emissum in susceptione sacrorum ordinum. Ita Henriquez *loco citato cap.8.* & alij. Quod etiam dicendũ est, quando vnus coniugum inijt secundas nuptias, & alter professionem emisit in Religione, credens matrimonium esse inualidum ob præsumptionem perpetuæ impotentiæ. Quod si prius matrimonium erat consumatum, secundę nuptiæ sunt inualidæ, secus verò si prius matrimonium non erat consumatum, dummodo matrimonium inierit post professionem viri, quia prius matrimonium non cõsumatum dissolutum fuit per professionem alterius coniugis, consequenter vxor remanens in sæculo potuit post viri professionem validè cũ alio contrahere; si verò inijt secundas nuptias ante professionem alterius, secundæ nuptiæ inualidæ sunt propter impedimẽtum ligaminis, eo quod celebratæ fuerunt adhuc subsistente vinculo prioris matrimonij; vnde vt validæ fiant istæ secundæ nuptiæ, requiritur nouus consensus post professionem alterius coniugis.

An sit validum matrimonium Hermaphroditi?

BRACTEA LXIV.

R Primò Hermaphroditum posse inire matrimonium iuxta sexum in eo præualentem, si enim præualet virilis, fęminæ nubet, si verò præualet fęmineus, virum ducet. Ratio est, quia censetur esse illius sexus, qui in eo præualet, ita vt si virilis præualeat, iudicandus sit vir, si fęmineus fęmina; vt habetur *l.quæritur ff.de statu hominum*; cognoscitur autem, quinam sexus præualeat, tum ex Medicorum, & matronarũ peritarum inspectione, tum ex ipsius Hermaphroditi dicto.

Sciendum inualidum esse matrimonium, si celebretur iuxta sexum inferiorem, quia sicut matrimonium celebratum inter personas eiusdem sexus est inualidum, ita inualidum est iure naturæ matrimonium celebratum iuxta sexum inferiorem, nam si in Hermaphrodito præualet sexus fęmineus, censetur fęmina, consequẽter non potest cum fęmina contrahere, sicut etiamsi præualet sexus virilis, non potest cum viro contrahere.

R.2. Quo si vterque sexus in Hermaphrodito æqualis sit, tunc in optione eius est eligere, quẽ velit. Ita Henriquez *lib.14.cap.8.num.6.* Sanchez *lib.7.de matrim.disput.106.* Gutier. *de matrim.cap.119.* & alij. Ratio est, quia cum nulla ratio vrgeat, cur potius censeatur vir, quam fęmina, in hoc euentu datur illi electio; iudicandus enim erit æquè vir, ac fęmina.

Neque obstat, quod Hermaphroditus non possit ordinari, nec profiteri in Monasterio, si vterq; sexus æqualis sit in eo, & ideo nec nubere, est enim dispar ratio in ordine, in professione, & in matrimonio, nã ordinis est incapax fęmina, non est incapax matrimonij, consequenter etiam incapax, qui est æquè vir, ac fęmina; ad professionẽ aũt propter indecẽtiã est inhabilis, & ob periculum peccatorum carnalium, si vel apud viros, vel Moniales profiteretur.

Sciendum 2. non posse Hermaphroditum post electionẽ vnius sexus, & contracto semel iuxta illum sexum matrimonio, mortuo coniuge mutare electionem; & secundum alium sexum cõtrahere, & si id faceret, peccaret mortaliter, quia variaret electionem sexus in re grauissima, cum sit validè indecens vti modò vno sexu, modò altero, si tamen contraheret, validum esset matrimonium, cum nullo iure irritetur.

Sciendum 3. quod licet Parochus possit assistere matrimonio Hermaphroditi, qui contrahit matrimonium iuxta sexum præualentem, non tamen posse assistere matrimonio illius, in quo vterque sexus est æqualis, donec Hermaphroditus coram Iudice Ecclesiastico protestatus sit cum iuramento, quem sexum sequi velit. Ita Maiolus *lib.3.de irregularit.cap.7.num.16.* & alij.

An

An matrimonium Eunuchi sit validum?

BRACTEA LXV.

R. Matrimonium Eunuchorum vtroque teste carentium cum implicito, vel explicito consensu copulæ inualidum esse. Ratio est, quia consensus in copulā, ideò in matrimonio licet, quia ordinatur ad prolē, & effusio illa seminis debet esse verisimilis, quāuis aliquo accidenti sit infecundum, in huiusmodi aūt Eunuchorum connubio, congressus vacuus, & inanis est, nec solùm ob accidēs aliquod in prolē ordinari non potest, sed quia verum semen non emittunt non illis licet matrimoniū inire, quia ad matrimonium requiritur potentia emittendi verum semen intra vas, qua carent Eunuchi, & ideò non possunt matrimonium contrahere.

Neque obstant, quod possint satisfacere cōcupiscentiæ feminæ, quia non possunt satisfacere per copulam suaptè natura aptam ad generationem, vtpotè vero semine carentes.

R. 2. Eunuchos, qui carent vno tantum teste validè contrahere matrimonium, cum sint apti ad generationem. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 92 num. 17.* Henriquez *lib. 12. cap. 8. num. 1.* Reginaldus *lib. 31. num. 102.* & alij. Ratio est, quia vnus testiculus potest ministerium generationi necessarium exercere perfectè, sicut alter solus oculus videndi actum perfectè exercet.

Sciendum Sixtum V. in quodam motu proprio *anno* 1587. ad Nuncium Apostolicū his verbis in Hispania declarasse, *Coniugia per quoscunque Eunuchos, & spadones vtroque teste carentes, &c. nulla, & irrita, & inualida esse decernas, idque etiamsi femina conscia illius defectus velit cedere iuri suo.* Ita apud Filliucium *tract. 10. de sacram. matrim. par. 2. cap. 3. nu. 76.* & apud Reginaldum *loco cit.*

De impedimento defectus testium, & Parochi præsentiæ?

BRACTEA LXVI.

Sciendum ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 1. de reform. matrimonij*, decretum esse, vt matrimonium aliter contractum, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de eiusdem Parochi, aut Ordinarij licentia, simulque præsentibus, vel tribus testibus, nullum, irritum esse; & ideò.

R. Matrimonium contractum sine Parocho, & testibus irritum, & nullum esse. Et ita communiter omnes Doctores. Ratio est, quia taliter decretum est à Concilio Tridentino.

Sciendum 2. quod antiquitùs matrimonia clandestina fuerunt valida, idest contracta absque Parocho, & testibus. *Cap. 2. de clandest. despons.* & ex ipso Concilio Tridentino in initio capitis primi, nunc verò ex ipso Concilio censentur irrita, & inualida.

Sciendum 3. In Concilio Tridentino plura esse statuta in ordine ad matrimonium. Primum præsentia Parochi, & duorum testium, & hoc decretum etiam locum habere in articulo mortis quando necessitas vrget, neque aduersùs illud valere Episcopi dispensationem, aut quod publicè, & sciente maiori parte viciniæ contrahatur matrimonium, aut quod contrahatur ab ignorantibus inuincibiliter memoratum Concilium. Secundò incolas locorum, in quibus Decretum Concilij Tridentini promulgatum aut receptum non est, si per modum trāsitus, & hospitij diuertant ad alia oppida, in quibus Concilium obligat non posse validè contrahere, nisi præsente Parocho, & duobus testibus. Ratio, quia Peregrini tenentur seruare in contractu solemnitates requisitas legibus, & consuetudinibus oppidi in quo contrahunt, quandoquidem quisque ratione contractus sortitur forum in loco contractus, *ex cap. fin. de foro competenti*; sicuti à contrario si incolæ locorum, in quibus Decretum Concilij Tridentini obligat si per modum transitus aliquo diuertant, vbi illud non obligat validè contrahunt absque præsentia Parochi, & testium ob supra scriptam rationem. Tertiò, vt secundum idem Decretum valeat matrimonium requiritur de necessitate sacramenti, vt Parochus proprius contrahentium eis assistat, attamen si ipsi contrahentes sint diuersarum Parochiarum posse alterius Parochi præsentiam sufficere ad valorem sacramenti. Quartò Parochum loci, in quo contrahens natus est non facere sua præsentia, vt matrimonium sit validum, nisi simul sit loci, in quo idem habet habitationem cum animo perpetuo manendi. Quintò eum dici proprium Parochum sufficienter ad coniungēdos aliquos matrimonio, aut ad dandam alteri licentiam coniungendi, qui habet potestatem ordinariam administrandi eisdem sacramentum Pœnitentiæ, vel dandi licentiam alteri Sacerdoti idem agendi, quo fit, vt idem qui est proprius Sacerdos Pœnitentis sufficienter ad sacramentum Pęnitentiæ, censeri debeat esse ille cuius assistentia siue per se, siue per Sacerdotem à se ad eam delegatum ad matrimonij validitatem requiritur. Sextò matrimonium valere, cui simplex Sacerdos assistit de licentia Parochi non obstante, quod celebretur extra Parochiam. Ratio est, quia iurisdictio, ad quam hæc assistentia reducitur cum sit voluntaria potest à proprio Sacerdote, & ab ipsius delegato extra territorium exerceri. Septimò ad assistendum matrimonio sufficere licētiam datam à Parocho generalem alicui Sacerdoti exercendi in eius Parochia omnia, quæ ad animarum curam pertinent; non sufficere licentiam concessam ad aliquos particulares actus ad animarum curam pertinentes, etiam matrimonij celebratione digniores, quia potestas delegata non est extendenda de casu expresso ad casum non expressum. Licentiam tacitam ex ratihabitione de futuro non esse sufficientem ad ipsius matrimonij validitatem. Ratio est, quia licentia ad matrimonii validitatē necessaria debet adesse dum matrimonium celebratur, at cum ratihabitio est tantum de futuro licentia non est de præsenti eo vè tempore, in quo celebratur matrimonium. Licentiam verò tacitam ex ratihabitione de præsenti sufficere posse ad validitatem matrimonij, quia simul censetur esse, cum matrimonium contrahitur, censetur autem licentia esse de præsenti, quando tempore celebrationis, vel ante celebrationem matrimonii adest consensus tacitus, & interpretatiuus Parochi aliquo signo externo manifestatus, vt si coram ipso dum

dum matrimonium contrahitur alius Sacerdos; tanquam ipsius vices gerens assistat, nec impediat, cum facilè possit, sed tacet totum videns, vel si Parochus tanta familiaritate cum tali Sacerdote coniunctus esset, vt sciens gaudeat coram illo fieri matrimonium, & data ab eo matrimonij schedulas admittat. Octauò non obstare matrimonio, quod Parochus, vel testes assistant casu, vt cum fortè transeuntes, nec data opera intersunt, aut vi detenti, aut dolo ad alium vocati, dummodo consensus contrahentium intelligant ex verbis, aut alijs signis, quibus eos exprimant; nec esse necesse, quod Parochus, vel Sacerdos delegatus proferat verba, nam talia non sunt de substantia matrimoni; præcipit tamen Concilium Tridentinum, vt Parochus coniuges interroget, an cõsentiant in tale matrimonium. Vltimò ad matrimonij valorem posse sufficere quoscunque testes habentes vsum rationis, etiamsi non habeant qualitates iure requisitas, ideòque sufficere infames, excommunicatos, parentes, consanguineos, seruos, familiares, fœminas, imò, & infideles, quia quamuis testes sint aliàs illegitimi, & inhabiles faciunt tamen sufficientem fidem quando de communi contrahentium consensu apponuntur, prout in contractu matrimonij.

MALLEATIO LVII.

De impedimentis impedientibus, sed non dirimentibus.

Quot sint impedimenta impedientia?

BRACTEA I.

R. Impedimenta, quæ non dirimunt, sed tantum impediunt matrimonium contrahendum esse sex, nimirum interdictum feriæ, sponsalia, Catechismus, votum, crimen, quæ omnia sequentibus versibus continentur, excepto crimine.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, iungito votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quæ consurgunt ex crimine sunt septem contenta sequentibus versibus.

Incestus, raptus sponsata, mors mulieris
Susceptus propria sobolis, mors, Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

De Interdicto?

BRACTEA II.

Sciendum, Interdictum multipliciter sumi. Primo, pro Interdicto generali Ecclesiæ, quo præcipitur ne nuptiæ contrahantur inter certas personas. Secundò, sumitur pro Interdicto speciali, quo in aliquo tempore anni nuptiæ prohibentur. Tertiò, sumitur interdictum pro prohibitione Ordinarij, vel eius Vicarij, vel etiam Parochi alicui interdicentis, ne matrimonium contrahat, donec si cognita aliqua causa, vel examinetur aliquod impedimentum sicuti constat *ex cap. penult. de sponsa duorum*, vbi dicitur pendente lite de matrimonij valore interdicendum esse, ne interim aliud matrimonium contrahatur, *& ex cap. vlt. de clandest. desponsat.* vbi Parochis præcipitur si probabilis coniectura impedimenti apparuerit contractus matrimonij interdicatur expressè, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis. Verum licet Parochi in tali casu matrimonium inhibere possint, non tamen de eius impedimento cognoscere, cum tractatio causarum matrimonialium ad Iudicem Ecclesiasticum pertineat, qui est Episcopus, vel similis Prælatus, eiusq; Vicarius, aut Delegatus iuxtà *caput accidentibus de excessibus Prelatorum*. Quibus positis.

R. Interdictum esse prohibitionem, qua certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Ecclesia. Ita colligitur *ex cap. non licet, cap. nec vxorem 33. quæst. 1. & cap. Capellanus de ferijs*.

Sciendum est, contrahentem matrimonium tempore interdicto peccare mortaliter, quia facit contra legem Ecclesiasticam in materia graui. Nauarr. *cap. 22. num. 68.* Siluester *verbo matrimonium 7. quæst. 1.* Reginaldus *lib. 31. num. 189.* & alij.

An Matrimonium licitè tempore Interdicti possit contrahi?

BRACTEA III.

R. Primo sponsalia validè contrahi tempore interdicti, & loco interdicto. Quod idem de denunciationibus dicendum est, quæ tempore interdicti fieri in Ecclesia licitè possunt.

R. 2. Matrimonium initum tempore interdicti, & in loco interdicto validum esse, nullo enim iure redditur irritum, *& in cap. Capellan. de ferijs*, dicitur Romanæ Ecclesiæ consuetudinem esse, vt quocunque tempore contrahatur matrimonium consensu interueniente legitimo de præsenti, quod idem dicendum est, etiamsi contrahatur ab ipsis interdictis specialiter, & personaliter. Et ita tenet communis sententia cum gloss. *in cap. alma mater verbo sacrament. de sent. excommunicat. lib. 6.* & Couaruu. *in dicto cap. alma mater*, Calderinus *de interdicto membro 6. §. viso de effectu interdicti*, Rosella *verbo interdict. 2. num. 7.* Angelus *eodem verbo 6. num. 30.* Siluester *verb. interdict. 5. quæst. 7. num. 9.* Armilla *ibidem num. 53.* Tabiena *verbo interdict. 5. qu. 13.* & alij plures. Quod etiam verum est, licet per Ecclesiam, aut Iudicis sententiam prohiberetur contrahi matrimonium, si aliàs legitimè contraheretur, valeret.

R. 3 Matrimonium tempore interdicti licitè non potest admistrari, nisi aliter per consuetudinem sit receptum. Ita Reginald. *lib. 32. tract. 3. num. 28.* & alii. Ratio est, quia licet matrimonium sit contractus, nihilominus est etiam sacramentum; sacramenta autem non possunt licitè administrari interdicto, vel tempore interdicti; ergo si id ministretur illicitè ministrabitur. Ratio est, quia generali prohibitione vetitum est tempore interdicti sacramenta ministrari exceptis Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & Eucharistia per modum viatici, vt

vt colligitur *ex cap. Alma mater vers. Nulla sacramenta de sententia excommunicat. lib.6. & cap. Quoniam eodem titulo, & cap. non est vobis de sponsalibus, & cap. Quod in te de penitentijs, & remissionibus*, cum ergo matrimonium verè, & propriè sacramentum sit, nec excipiatur alibi ab ea generali prohibitione, illa comprahendi censetur.

An benedictiones nuptiales licitè possint fieri tempore interdicti?

BRACTEA IV.

PRima sententia est asserentium, benedictiones nuptiales posse tempore interdicti conferri. Et ratio est, quia accessorium sequitur naturam principalis, *iuxta regulam iuris 42.* concesso principali conceditur accessorium, at benedictiones accessoriæ sunt matrimonio, quod eo tempore concessum est, iuxta opinionem eorum, qui tempore interdicti dicunt, matrimonium validè, & licitè posse celebrari. Et ita Rosella *verbo interdict. 2. num. 7.* Angelus *verbo interdict. 6. num. 30.* & alij.

Secunda sententia est dicentium, benedictiones nuptiales non posse cōferri tempore interdicti. Ratio est, quia benedictio nuptialis est officium diuinum, & ad actum Ordinis pertinet, cum solus Sacerdos possit sponsum, & spōsam benedicere, idque precibus, & officio peculiari ab Ecclesiæ institutis, & in Missarum solemnijs. Et ita Astensis *in summa 2. part. lib. 7. tit. 16. art. 3. quæst. 6.* Silnester. *verbo interdict. 5. quæst. 7. num. 9.* Hugolinus *de censuris tabula 5. de interdict. cap. 7. §. 3. num. 4.* Paludanus *in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 2. nu. 12.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 16. num. 2.* Quibus positis:

R. Iure nouo licitas esse benedictiones, modo fiant ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis sine solemnitate, modo coniugati habeant priuilegium assistendi officijs diuinis. Ita colligitur *ex cap. Alma mater*, in quo permittuntur diuina officia ianuis clausis, &c. huiusmodi autem benedictio est quoddam officium diuinum, vt dictum est, quod à solo Sacerdote præstatur cum certis precibus ab Ecclesiâ præscriptis; ergo, &c. Ita Couar. *in cap. Alma mater*, Henriquez *lib. 11. cap. 44. num. 1.*

Sciendum istas benedictiones fieri posse etiā cum solemnitate his diebus, quibus licitum est persoluere officia diuina solemniter, exceptis diebus, quibus benedictiones nuptiales prohibentur ab Ecclesia. Verum tamen est, huiusmodi benedictiones non posse fieri super coniugatos, quorum alter, vel vterque est personaliter interdictus, nam tempore interdicti localis generalis, *in cap. Alma mater*, conceduntur Diuina officia, & consequenter benedictiones, exclusis tamen interdictis; ergo benedictiones non possunt fieri, tunc temporis super interdictos, cum ipsi sint excipiendi; vnde sequitur non posse fieri super coniugatos, quorum vterque, vel alter est personaliter interdictus interdicto particulari, aut etiam interdicto personali generali, nisi fortè sola fœmina sit interdicta interdicto personali generali, cum enim fœmina sequatur virum, & desinat esse pars multitudinis interdictæ potest simul cum viro non interdicto benedici postquam effecta est pars populi non interdicti. Et ita plures apud Bonacinam *de censuris disput. 5. quæst. 3. num. 8.*

Sciendum multò magis tempore cessationis à Diuinis non licere matrimonium contrahere, quia etiam tempore cessationis prohibitum est sacramenta ministrare nonnullis exceptis. *Cap. Quod in te de penitentijs, & remissionibus*, multò minus licent benedictiones nuptiales, nam cessationis tempore omnia officia Ecclesiastica cessant; itaut nec cum moderatione, quæ habetur *in cap. Alma mater*, celebrari possint, vt colligit Couar. *ex cap. si Canonici §. si autem de officio Ordinarij lib. 6.* vbi ille qui in culpa fuit cessationis à Diuinis iubetur soluere Canonicis, & Clericis distributiones quotidianas, quę solum debentur his, qui intersunt Diuino officio; quod nequaquam decerneretur si officia Diuina recitare liceret tempore cessationis à Diuinis. Ita Basilius Pontius *lib. 6. cap. 9. num. 11.* & alij.

An matrimonium contractum contra Interdictum particulare sit validum?

BRACTEA V.

R. Cum distinctione, si interdictum matrimonij incūdi simplex sit, & sine clausula, quę irritum reddat matrimonium post contractum esse validum, & est decisio Benedicti Pōtificis, *in cap. 2. de matrim. contracto contra interdictum Ecclesiæ*; & habetur in appendice Concilij Lateranensis sub Alexandro Tertio, *part. 6. cap. 28.* ibi enim in fine hæc verba habentur, licet enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire nequaquam debuerit conueniens non videtur, vt ob id solum sacramentum coniugij dissoluatur, alia enim pœna debeat eis imponi, quod contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fecerunt. Et quidem meritò id statuerunt Pontifices, cum enim grauissima res sit matrimonij irritatio, aut dissolutio, non debuit nuda, ac simplici prohibitione reddi nullum.

R. 2. Si in eo interdicto, vel prohibitione adhibeatur clausula irritans nullum esse matrimonium post contractum, siue causa sit generalis, qua irritum reddatur quidquid secus fuerit attentatum, siue sit clausula specialis mentionem faciens matrimonij. Ratio est, quia Pontifex potest inhabilem reddere quamcunque personam in singulari iusta subsistente causa, ne contrahat matrimonium; ergo etiam ex causa temporali, si illam iustam esse iudicauerit, poterit inhabilem aliquem ad matrimonium ineundum efficere. Vnde iure optimo non pauci Doctores nullam distinctionem admiserunt inter clausulam irritantem ex causa temporali. Ita Basilius Pontius *lib. 6. de impedimentis impedimentibus, cap. 7. num. 5.*

Sciendum, quod quamuis matrimonium contra simplex interdictum valeat, attamen in pœnam separandi sunt coniuges ad tempus. *Cap. 1. de matrim. contra interdictum Ecclesiæ*, non tamen dissoluendum matrimonium; tempus autem quo separari remanere debent arbitrarium est, vt communis tenet Doctorum sententia, eaque imponenda coniugi nocenti, qui reddere debitum poterit, & debebit, nequaquam tamen petere, nisi vterque sit reus; at si periculum incontinen-

continentiæ immineat commutanda est pœna in aliam. Ita Basilius Pontius *loco citato num.7.*

De impedimento ratione temporis ferialis?

BRACTEA VI.

SCiendum matrimonialem coniunctionem, quæ Ecclesiam sua propagatione multiplicat semper Ecclesiæ Patres solemnem esse voluerunt, & honore simul, ac reuerentia prosecuti sunt; vt constat ex Concilio Carthaginensi 4. Laodicen. Concilio, & ex Concilio Senonensi sub Clemente VII. &c.

Sciendum 2. In tanti Sacramenti, & aliquorum dierum venerationem, ad quos ritè celebrandos, vel luctu, vel ieiuniis, & orationibus disponi fideles æquum est, certis temporibus nuptiarum solemnitatē prohibuit, quale est aduentus tempus vsque ad diem Epifaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque ad Octauam Paschæ inclusiuè. Quod tempus incipit à media nocte Dominicæ Aduentus, & à media nocte feriæ quartæ Cinerum, quia tunc incipit Aduentus, & Quadragesima ritu Romano. Ita Sanchez *lib.7.disp.7.num.2.* Reginald. *lib. 31. num.* 188 Henriquez *lib.12. cap.16. num.2.* Vnde contrahens iis temporibus mortaliter peccat, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui, nisi aliter per consuetudinem receptum sit. Quibus positis.

R. Non licere his diebus feriatis solemniter contrahere matrimonium. Ratio patet ex supra scriptis.

Sciendum 3. Quod licet his diebus prohibitum sit contrahere matrimonium solemniter, tamen licitum esse contrahere matrimonium cum licentia sine solemnitatē, simulque licitam esse traductionē sponsæ, & consummationem ipsius matrimonij, quoad primam partem ratio patet ex Ecclesiæ consuetudine permittentis matrimonia his temporibus celebrari; tum etiam, quia nullibi id prohibitum reperitur; imò, *cap. Capellanis de ferijs,* affirmatur consuetudine Ecclesiæ ita testante posse omni tempore matrimonium celebrari, tum etiam, quia non expedit, vt pia Mater Ecclesia matrimonium tot temporibus prohiberet iniri, quia daretur ausa tunc admittēdi plurima carnis peccata, cū nō possent homines tūc matrimonio copulari, quod in cōcupiscentiæ remedium est institutū. Et ita Siluester *verbo matrim.7.q.2.Dicto* 5. Armilla *verbo matrim. num.62.* Nauarrus *in summa cap. 22. n.* 61. & alij plures citati à Sanchez *disp.7.n.12.*

Quoad secundam partem, nimirum quoad traductionem sponsæ in domum sponsi feriarum tempore duplicem inuenio sententiam. Prima ait, omnem traductionem etiam sine solemnitate prohibitam esse. Et ita Rosella *verbo impedimentum impediment.17.* Siluester *verbo matrim. 7. quest.2.* & alij plures. Ratio est, quia textus Nicolai Pontificis, *cap. ne vxorem 33. quest.4.* absolutè prohibet eo tempore vxorem ducere, idest traducere; tum etiam, quia ex ipsa traductionis nouitate animus circa carnales, ad venereas voluptates magis occupatur.

Secunda sententia est (cui adhæreo) solam solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi prohiberi, quia nimia mentis euagatio decens illius temporis sanctitatem, minimè reperitur in traductione absque solemnitate, & festiuis vanæ letitiæ signis; tum etiam si non posset sponsa his temporibus feriatis in domum sponsi tradunt ad consumationē frustra fierent matrimonia. Et ita Gofredus *in sum. titulo de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ num.3.* Angelus *matrimonium 3. impedimento 2.* Nauarr. *in summa cap.22.* & alij.

Sciendum 4. Nomine traductionis solemnis sponsæ in domum sponsi intelligi conuiuio, & alijs vanis lætitiæ signis comitatam traductionem, atque ita *cap. nec vxorem 33. quest.4.* vbi dicitur non licere tunc vxorem ducere, subditur, nec conuiuia facere; item quia hæc vana lætitiæ signa sunt, quæ mentis euagationem id tempus dedecentem secum afferunt, quæ causa est illius prohibitionis, & ideo ea conuiuia, & vana lætitiæ signa prohibita esse affirmant. Hugo *cap. non oportet,* Thurrecremata *ibi art. 12.* Rebuffus *in praxi beneficiorum regula de dispensat. in gradibus prohibitis gloss.5.num.55.* Em. Sà *verbo matrimonium, vbi de impedimentis non dirimentibus num. 2.* Graphius *2.par.decis. lib.2.cap.13.num.15.* & alij.

An feriarum tempore prohibitum sit matrimonium consumare?

BRACTEA VII.

PRima sententia est asserentium prohibitum esse diebus feriatis consumare matrimonium. Et ratio illorum est, quia *Cap. nec vxorem 33. quest.4.* interdicitur traductio vxoris eo tempore, cuius ratio nulla alia esse potest, nisi vt vitetur copula carnalis. Tum etiam quia *cap. non oportet* decernitur esse separandos celebrantes nuptias his diebus, quod nequaquam fieret, si copula tum non esset prohibita, sed sola solemnitas. Sed.

R. Nullam esse prohibitionem tunc temporis consumandi tunc matrimonium; & ideò consumans matrimonium etiam prima vice non peccare mortaliter, quia nulla est prohibitio talis consumationis; tum quia iura omnia possunt explicari de consumatione coniuncta cum solemnitatibus suis; tum quia non est culpa vacare etiam his temporibus copulæ matrimoniali, tum quia vsus ipse sic attestatur. Et ita Emanuel Sà *de impedimentis non dirimentibus num. 2.* & alij.

De impedimento ex Catechismo?

BRACTEA VIII.

SCiendum 1. Catechismum Doctores appellare institutionem fidei, quæ fit ante ianuam Ecclesiæ super baptizandis, vel iam baptizato.

Sciendum 2. eum, qui tenet puerum in Catechismo cōtrahere cognationem spiritualem imperfectam, quæ tantum est impedimentum impediens, vt constat *ex cap. 2. de cognat. spiritual. in 6.* Ratio autem huius est, quod Catechismus sit quædam baptismi futuri professio, eiusque initium, & est quædam regeneratio imperfecta per fidem, quam protestatur Patrinus pro paruulo; sicut sponsalia sunt quoddam matrimonij initium; quare sicut in his contrahitur quidam gradus propinquitatis imperfectæ, ita in

illo

illo quædã cognatio spiritualis imperfecta, vt autem hoc impedimentum contrahatur nõ satis est, vt quis in exorcismis præcedentibus teneat, sed requiritur, vt in Catechismo teneat; sic Glossa *in cap. de cognat. spirit.* nec satis est, teneat, sed requiritur, vt qui infantis personam gerit, respondeat ad interrogata, dum Sacerdos rogat, an credat. Quibus positis.

R. Catechismum esse impedimentum impediens matrimonium contrahendum. Et ita communiter omnes.

Sciendum 3. dubium esse, an hoc impedimentum sublatum sit per Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 2.* vbi Concilium restrixit cognationem spiritualem ad eas tantum personas, quas ibi enumerat; cum autem ibi nullam faciat mẽtionem tenentis in Catechismo, signum est huiusmodi cognationem sublatam esse; tum etiam quia initio capitis dicit, se velle tollere multitudinem prohibitionum, deinde statuit de cognatione spirituali generaliter, inter quas personas contrahatur, cum autem nullam faciat mentionem de cognatione, quæ contrahitur per Catechismum signum est non amplius vigere post ipsum; posito verò quod hoc impedimentũ non fuerit sublatum, vt docet Nauarrus *cap. 72. num. 72.* & alij dicendum est, istam cognationem seu impedimentum contrahi solum ab eo, qui gerit personam infantis respondeo interrogationi factæ à Sacerdote circa fidei articulos, & nõ ab alijs. Supra quod impedimentum Episcopus potest dispensare, cum consuetudine receptum sit impedimentorum impedientium dispensatio non obtineatur à Sede Apostolica, excepto voto castitatis, & Religionis, vt tradit Nauarrus *cap. 22. num. 85.*

De impedimento voti simplicis castitatis, aut Religionis?

BRACTEA IX.

R. Votum simplex castitatis esse impedimentum impediens tãtũm non dirimens matrimonium. Ita Reginaldus *lib. 31. cap. 24. num. 184.* Sanchez *lib. 3. disput. 11. num. 4.* Basilius Pontius *de impedimentis impeditibus lib. 6. cap. 12.* Filliucius *tract. 10. de sacram. matrim. par. 2. cap. 9. num. 175.* Ratio est, quia res promissa alteri, impedit dominij translationem in alterum, est enim cõtra fidem præstitam, at per votum vouens promittit seruare corpus castum, & integrum à copula per matrimonium autem transfert dominium sui corporis in coniugem quoad vsum matrimonij; ergo, &c. Quod verò votum simplex castitatis solùm impediat, & non dirimat matrimonium; patet, quia licet per votum promittatur res alicui, non tamen abdicatur à se dominium illius rei promissæ, vt fit in matrimonio, ideoque si hoc contrahatur, erit matrimonium validum, & Ecclesia noluit statuere votum simplex pro impedimento dirimente, cum enim per illud nõ mutetur propriè status, nec se magis Ecclesiæ subijciant vouentes, quam ante noluit cogere ad votum seruandum via iudiciali, sed tantum per viam correctionis fraternæ.

Sciendum, quod licet votum non dirimat matrimonium contractum, tamen contrahens tenetur seruare votum, quantum potest; vnde antequam consumatum sit matrimonium, nec potest petere debitum, nec reddere intra primum bimestre, quo temporis spatio potest Religionem ingredi, iuxta *cap. ex public. de conuers. coniugat.* post cõsumatum verò potest quidem reddere non tamen petere sine dispẽsatione, quam ex Nauarro *cap. 16. num. 30.* Episcopus potest dare ei, cui periculum alioqui imminet peccandi in ea re; nec item potest priore coniuge mortua aliud matrimonium inire, quia votum perpetuæ castitatis reddit inhabilem non modò ad primariũ, sed etiam ad quodlibet aliud matrimonium ineundum, nec excusabit, quod licet vehementissimus carnis stimulis vrgeatur, expertusque sit se passim ruere, neque vires ad resistendum in se sentiat.

Sciendum 2. contrahentem cum habente votum perpetuæ castitatis, aut Religionis, aut sacri ordinis assumendi, aut non ineundi matrimonij peccare mortaliter tanquam sic cooperantem peccato alterius, vt ad illud exhibeat se socium, quandoquidem contractus matrimonij cum nonnisi inter duos esse possit, vtrũque contrahentem afficit. Ita Sanchez *lib. 2. disp. 11. num. 11.* alios citans; nec referre, quod huiusmodi votum sit conditionale, nã & si is, qui illud emisit, non teneatur ad illud, nisi impleta conditione, tenetur tamen, dum hæc pendet vitare assumptionem status, qui tali voto repugnat, nec potest cum eo consistere.

An qui agitatur stimulis carnis, possit absque dispensatione voti matrimonium contrahere?

BRACTEA X.

R. Negatiuè. Ratio patet ex ipso vsu Ecclesiæ, quia cum votum sit res grauissima, nõ est relinquenda cuiusque iudicio.

An qui prius votum castitatis emisit, & postea virginem deflorauit promissione matrimonij, teneatur potius ad votum, quam ad matrimonium?

BRACTEA XI.

R. Obligari ipsam potius ducere, quam seruare castitatem, aut ingredi Religionẽ, si puella votum promittentis ignorauit. Ratio, quia ingressus Religionis iam factus est ei illicitus, non enim potest ingredi, nisi grauem iniuriam irrogando puellæ; tum quia iustitiæ vinculum fortius est vinculo charitatis, seu Religionis. Ita Lessius *lib. 2. cap. 10. dub. 4 num 32.* & alij, nisi ea gratis remittat obligationem, aut alia via illi satisfactione præstita liberè consentiat. Quod docet Sanchez *lib 1. de matrim. disp. 45. num. 3.* Vasquez *de restitut. cap. 3 §. 2. dub. 6. nu. 20.* Ratio, quia licet obligatio voti sit antiquior, & ex natura rei, secũda promissio nulla esset, quia semper promissio subintelligit eam conditionem modo liberam inueniat materiam, neque alteri obnoxiam restitutioni; quare si inueniat materiam impeditam, vel promittentem ligatum voto, vel alia obligatione seruanda non

est secunda promissio, obligat enim sicut ipsa intelligitur tacitè, vel expresè, & in præsenti non concurrunt duę promissiones, quarũ antiquior sit præferẽda, sed interuenit ex vna parte obligatio voti, ex altera verè iustitiæ reparandi damnum illatum, quæ præferẽda est cuicunque obligationi ortæ ex promissione, licet sit antiquior promissio, quam damnificatur. Exemplum est, si quis promisit Petro se daturũ centum, & postea infert damnum Ioanni aliorum centũ, si non possit nisi centũ soluere, quia alia non habet, tenetur dãnũ integrè reparare, nec soluere promissum, etiãsi prior fuisset promissio damno illato; similiter si quis vouisset eleemosynam, & damnum intulisset proximo, nec posset vtrique satisfacere, tenetur damnum reparare omissa voti obligatione. Ratio est, quia qui damnum infert, vsurpator est rei alienæ, at nullus potest vsurpare alienum ad soluendam promissionem; ergo nec potest vsurpatum retinere, vel damnum illatum non reparare, quod est etiam alienum detinere, vt soluat, quod promisit, promissio enim intelligitur semper de proprijs; qui autem post damnum illatum vult soluere promissionem, quam prius fecit virtualiter, soluit ex alienis; & ita cõtingit in nostro casu, quod ille, qui emisso voto Religionis, aut castitatis, postea sub spe cõiugij virginẽ corrupit reuera, dãnum intulit, quod reparandum est ex iustitia, non aliter quam illam ducendo, cum nõ resarciatur pecunia, vel alio modo, quãdiù ipsa voluerit sibi promissionem impleri; prius ergo damnum reparandum est eo modo, quem exigit obligatio iustitiæ, quam quod impleatur votum castitatis, aut Religionis, etiamsi prius emissa fuerint. Quod potiori ratione dicendum est, quando quis prius sub spe coniugij deflorauit virginem, & postea emisit votum castitatis, & Religionis, implenda est enim obligatio matrimonij ratione damni illati potius, quam voti. Eadem ratio est, quando quis actu non deflorauit, sed sub spe coniugij ita familiariter cũ ea egit, vt in populo magnã suspicionẽ ingerãt; idẽ enim prorsus damnum est, ac si corrupisset, & ita eandem etiam satisfactionem postulat. Ita Basilius Pontius *de impedimentis impedient. lib. 6. cap. 12. n. 10.*

De crimine incestus?

BRACTEA XII.

Sciendum, quod incestus sumitur pro copula habita cum consanguineis, vel cum affinibus intra gradus prohibitos; vnde mulier, quæ copulã habet cũ consanguineis viri, & vir, qui habet copulã cũ cõsanguineis mulieris intra gradus prohibitos contrahit impedimentum, quo non potest contrahere matrimoniũ cum alia. Et ita Nauarrus *cap. 22. num. 74.* Rebellus *lib. 3 quæst* 18. *de incestu*, Rodriquez *cap. 222.* & alij. Quod colligitur ex Concilio Agatensi *canon. 61. & ex cap. concubuisti* ex decretis Zachariæ Papæ *32. quæst. 7 & cap. quadam cum fratre viri 32. quæst. 7. & cap. si quis viduam, & cap qui dormierit, & cap. si quis cum nouerca.*

Sciendum 2. hoc impedimentum incestus cõmune esse tàm viris, quam fœminis, ita vt non tantum vir, qui consanguineam vxoris cognouit, sed etiam fęmina, quæ consanguineum viri cognoscit, teneatur hoc impedimento, & interdicatur coniugio. Constat *ex cap. 20 si quis viduam 32. quæst. 7.*

Sciendum 3. hoc impedimentum contrahi ex incestu commisso constante matrimonio, siuè sine matrimonio. Itaque qui cum consanguinea vxoris defunctæ rem habet, siuè per copulam fornicariam eam agnouerit, quam pater, aut filius, aut frater etiam agnouit, fornicariè crimen incestus committit, & impedimentum præuenit. Primùm constat *ex cap. transmissæ de eo, qui cognouit.* Secundùm verò manifestè constat *ex canon. 43. & 44.*

Sciendum 4. Hoc impedimentum non incurri, nisi crimen incestus sit publicum, & quod in iudicio probari possit. Ita Abbas *cap litteras num. 2.* & Angelus *verbo incestus num. 4.* Sotus *in 4. dist. 37. quæst. vnica art. 1.* & alij plures. Quod colligitur ex Alexandro III. citato à Basilio Pontio *loco citato cap. 13. num. 9.* Quibus positis.

R. Incestum intra gradus prohibitos impedire matrimonium cum quacunque alia persona, non tamen dirimere contractum. Ita communiter omnes. Ratio desumitur ex approbatione Pontificum, qui in pœnam communi criminis id decreuerunt; & iure, quia cum vt plurimum tale peccatum committatur contra fidem matrimonij puniendum fuit interdicto matrimonij. Quod autem non dirimat, constat ex eo, quia nullus est textus, qui id dicat.

Sciendum 5. Quod si copula habita fuerit cum affine, quæ ignorabatur esse affinis non contrahitur impedimentum ad contrahendum matrimonium, quia sicuti ignorantia excusat à peccato, ita, & à pęna. Sanchez *lib. 7. disp. 15. num. 9.* Nauar. *lib. 22 num. 74.*

Sciendum 6. Hoc crimen incestus, per quod contrahitur impedimentum dirimens matrimonium non se extendere ad cognationem legalem, licet extendatur ad cognationem, quæ contrahitur ex impedimento publicæ honestatis ex matrimonio rato nondum consumato, quamuis ex eo matrimonio nulla sit orta affinitas, non tamen extenditur ad eum, qui cognouit illam cum qua est impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus validis, cum id nullo iure sit cautum. Ratio primæ partis est, quia nec est propriè incestus, nec reperitur textus id decernens. Et ita Paludanus *dist. 34. quæst. 1. art. 2. num. 13.* Nauar. *cons. 8. num. 8. de cognat. spirit.*

Sciendum 7. Esse differentiam inter impedimentum, quod contrahitur habendo copulam cum consanguineis sponsæ, & inter impedimentum quod contrahitur ex publica honestate; Primum esse perpetuum, & semper durare, etiam mortua coniuge; Secundum esse temporale, & mortua complice peccati non amplius esse tale impedimentum, quia hoc crimen cum non sit propriè incestus non debet puniri illa pęna perpetua, qua punitur incestus, sed temporali, idest quod non possit contrahere matrimonium viuente complice.

R. 2. Maritum, qui rem habet cum consanguinea vxoris suę priuari petitione debiti. Ratio, quia cum ea contrahit impedimentum affinitatis, licet priuetur solummodo vsque ad secundum gradum, in tertio, & quarto gradu non contrahere impedimentum petitionis debiti, quia cum hoc impedimentum sit solum de

iure

iure Canonico ex Concilio Tridentino statutum fuit non contrahi ex copula illicita impedimentum affinitatis in tertio, & quarto gradu.

Sciendum 8. Dubium esse, an hoc impedimentum oriatur ex incestu, cum propria consanguinea? Ad quod respondeo probabile esse non oriri. Et ita S. Thomas *dist. 34. quæst. vnica art. 5.* Caiet *2. 2. quæst. 154. art. 9.* Siluester *verbo matr. 7. quæst. 6.* & alij. Ratio, quia licet sit grauius crimen, tamen non inducit affinitatem, nec peccatur contra matrimonium, quæ fuit causa inducendi hoc impedimentum. Neque obstat Curiæ stilus, qui in dispensationibus incestus inter consanguineos addit, vt superstes maneat sine spe coniugij; nam id tantum est grauamen Pontificio præcepto impositum, vt ab incestu cohibeat, eosque tantum obligat, quibus id fuerit impositum; neque etiam obstat, quod incestus cum affinibus nullo constante matrimonio impediat, quare multò magis cum consanguineis? Respondeò non omnem cum affinibus impedire, sed eum tantum, qui est cum matre, ac filia ob criminis enormitatem; & quia est textus id expressè disponens.

An qui committit incestum cum consanguinea suæ vxoris mortuæ, contrahat impedimentum?

BRACTEA XIII.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia committens copulam cum affine contrahit impedimentum criminis, at cõsanguinea vxoris mortuę, est affinis marito; ergò contrahit impedimentum vir committens incestum cum consanguinea vxoris mortuæ. Ita colligitur, *ex cap. Transmissa de eo qui cognouit consanguineam.* Et ita plures citati à Sanchez *lib. 7. disp. 12.*

De crimine raptus sponsatæ.

BRACTEA XIV.

Sciendum raptum esse violentam extractionem puellæ è domo parentum, ex quo fit, eum qui vim non infert, sed vel precibus illam extrahit è domo parentum, vel quia illa iam consensit in matrimonium, raptorem non dici, neque raptorum pęnæ subiacere.

Sciendum 2. esse raptum quando puella sub parentum custodia constituta ex eorum domo ipsis inuitis abducitur, quamuis ipsa consentiat, quippè iniuria maxima parentibus irrogatur, quam ipsa remittere nequit sponte sua abducationi consensum præbens. Et ita Hostiensis *tit. de pęnis raptor. corporum* Abbas *cap. penult. num. 4 de raptor.* Rosella *verbo luxuria*, & alij plures; imò erit quoque raptus, quando parentibus ignorantibus virgo consentiens sub illorum cura existens aducta est, quamuis enim tunc nõ interueniat ipsorum contradictio positiua, est tamen voluntatis ipsorum defectus, qui nolitio appellatur; quod satis est, vt de iniuria sibi ipsis illata iustam querelam concipiant. Quod idem dicendum est, quando puella sub Tutorum potestate, aut mariti constituta, ex eorum domo absque ipsorum voluntate consentiens abduceretur. Quibus positis.

R. Raptorem alienæ sponsæ, in pęnam non posse aliam ducere, nec etiam ipsam raptam. Ita *ex cap. statutum. 27. quæst. 2.* Ratio, quia is qui alienum matrimonium perturbare ausus est, meritò priuatur iure contrahendi, itaut non solum non possit contrahere cum rapta, sed neque cum alia, *cap. statutum 27. quæst. 2.* ipsa etiam sponsa, quę suum consensum præbuit raptori impeditur ne possit cum alio contrahere matrimonium. Ita Nauar. *cap. 22. num. 74.* Sanchez *lib. 7. disp. 12. num. 43.* Henriquez *lib. 12. cap. 2.* & alij.

Sciendum 3. Aduersus raptores multas leges Ecclesiasticas editas esse, quæ varijs adhibitis pęnis eos deterrere conabantur. Potissima excommunicatio fuit à primis Ecclesiæ temporibus Apostolorum, & in pluribus Concilijs, vt videre est apud Basilium Pont. *lib. 7. cap. 69. nu. 8.*

Sciendum 4. Matrimonium contractum inter raptorem, & raptam, dum sub raptoris potestate existit, nec separata est, ac in loco tuto, & libero constituta, esse prorsus irritum; quare raptus pro eo tempore est impedimentum dirimens, & constat ex decr. Tridentini, quod nullum posse consistere matrimonium inter raptorem, & raptam pro eo tempore decernit. Quæ verba clarè significant, id matrimonium nullum valorem habere.

Sciendum 5. Ad incurrendum pęnas raptoris duo requiri. Primò, quod puella traducatur è domo; extra quod si traducatur de cubiculo ad cubiculum intra eandem domum in ordine etiam ad copulam habendam, non dicitur raptor, nec subiacet pęnis raptoris. Secundò, requiritur quod raptus fiat causa contrahendi matrimonium, quia si alio fine fiat, non erit raptor, nec pęnis raptoris subiacebit. Et ideo si quis fęminam rapiat non vt secum, sed vt cum alio matrimonium cõtrahat raptorem non subdi pęnis, ac valere matrimonium cum illo tertio initum, si fęmina reuera liberè consentiat, quamuis nondum extra raptoris potestatem sit, & constat, quia prima pęna est, vt inter raptorem, & raptam non possit contrahi matrimonium quandiù rapta sub raptoris potestate fuerit, ac proinde supponit raptum eo destinatum esse, vt raptor raptam ducat; non ergo locus erit his pęnis quando gratia ineundi matrimonij cum alio.

Sciendum 6. Nihil referre siue sequatur copula, siue non sequatur ad pęnas huius decreti incurrenda, quod non puniatur raptus causa libidinis, qui copula non secuta minimam rationem delicti perfectam obtinet, sed causa incundi matrimonij, ad quem copula nihil confert. Secundo, esse locum his pęnis, quamuis rapta causa matrimonij non sit perducta ad locum destinatum, sed in ipso itinere rapto recipiscat, eo, quod delictum hoc raptus in ipsa abductione consumatur, & tunc perfectè irrogetur matrimonij libertati iniuria; nec requiri, vt raptor aliquo loco iam raptam constituerit, vel eam duxerit, sed satis esse tantum, vt rapuerit causa matrimonij, illamque sub suam potestatem reposuerit.

Sciendum 7. Quod si solis importunis precibus, aut pretio conducta fęmina extrahatur, non esse locum his pœnis, eo quod non sit verè raptus; secus si tales essent preces, vt vio-

ſcientiæ æquiparentur. Similiter ſi dolis circumuenta virgo extrahatur non eſſe locum his pœnis, cum non ſit propriè raptus.

Sciendum 8. Sub eiſdem pœnis Concilij comprehendi raptum cuiuſcunque fœminæ, ſiue virginis, ſiue corruptæ, ſiue meretricis, & inhoneſtæ, coniugatæ, & cuiuſuis ſtatus. Ratio eſt, quod Tridentinum ibi non puniat quemcunq; raptum, ſed ſolum eum, qui fit in ordine ad matrimonium, cum violenter rapta ſit, ac libertatem matrimonij offendat, quæ non minus offenditur, quando mulier inhoneſta rapitur, & ea ratio procedit in raptu fœminæ cuiuſcunque ſtatus. Item non comprehenditur hoc decreto raptus propriæ ſponſæ de futuro, etiam reclamantibus Parentibus, quia iure communi raptus hic à pœnis liberatur. *Cap. penultimo de Raptoribus*. Ita Henriquez *lib.11. de matrim. cap.14. num.4. & 5.* Em. Sà *verbo matrim. num.9.* Sanchez *lib.7.diſput.13.num.15.* Vltimò non eſſe locum his pœnis ſi fœmina virum rapiat volentem, vt ineat ſecum matrimonium. Ratio eſt, quia decretum Concilij Tridentini ſolum de viro raptore verba facit, quod denotant verba decreti, quandiù ipſa in poteſtate raptoris manſerit, & ſtatim. Quod ſi raptor, & poſteà pœnas decernens ait; & nihilominus ipſe raptor, & proinde id decretum correctorium, & pœnale ad fœminam viri raptricem extendendum non eſt. Vnde vt matrimonium inter raptricem, & raptum valeat, non eſt opus ſeruari formam prædicti decreti, nimirum, vt vir raptus ſit à poteſtate raptricis liber, ſed ſufficit, vt liberè conſentiat ſub illius poteſtate adhuc exiſtente; licet contraria opinio ſit probabilis: nimirum decretum illud pœnale extendi ad fœminam viri raptricem. Et ita Henriquez *lib.11.de matrim. cap.14. num.4.* Manuel *1.tom. ſummæ cap.232. num.4.* Vega *2. tom.ſummæ cap 34.caſu 157.notab.5.* & alij.

Quidam libidinis cauſa rapuit virginem, & adhuc in ſua poteſtate exiſtens cum illa matrimonium contraxit, quæritur an fuerit validum?

BRACTEA XV.

Negatiuam ſententiam tenet Em. Sà *verbo matrim.num.9.* vbi ait, inter raptorem, & raptam etiam alia cauſa, quam vt vxor ducatur, quandiù eſt in poteſtate raptoris, nõ poteſt fieri validum matrimonium, & teſtatur ita declaraſſe Congregationem Cardinalium, ſed hoc non obſtante.

R. Validum eſſe Matrimonium, dummodo ipſa liberè conſentiat. Ratio eſt, quia talis abductio non eſt propriè raptus, qui impediat matrimonium, ſed ille ſolus dicitur propriè raptus impediens matrimonium, qui fit cauſa contrahendi matrimonij, & non ad exercendam libidinem, vt in iſto caſu. Et ita Sanchez *tom.2. diſp.13.nu.4.* Diana *tract.4. de ſacram. reſol.260.* & alij.

De Crimine vxoricidij?

BRACTEA XVI.

R. Qui committit vxoricidium contrahit impedimentum impediens, itaut cum alia prohibeatur matrimonium contrahere etiamſi ex ira, & odio factum ſit. Ita *ex cap. interfector. 33.quæſt.2.* quod impedimentum differt ab impedimento dirimente criminis homicidij, de quo ſupra dictum eſt.

Sciendum hoc impedimentum non induci, quando vir occidit vxorem inflagranti delicto adulterij depræhenſam, quia tunc ob adulterium excuſatur à pœna incurrenda, circa quod dubium eſt, an marito liceat occidere vxorem in adulterio depræhenſam, itaut non ſolum impunè, ſed etiam tuta conſcientia id faciat.

Prima ſententia eſt dicentium licere marito vxorem in adulterio depræhenſam occidere non priuata auctoritate, ſibique vſurpata, ſed tanquam miniſtro iuſtitiæ, publicum enim ius illos miniſtros mortis efficit; illiſque facultatem tribuit, vt in flagranti poſſit occidere: non ſecus, ac ſi poſt cauſæ cognitionem, & ſententiam latam illos exequendo, mortis miniſtros deſtinaret; deputat enim maritum, tanquam miniſtrum publicæ auctoritatis iuſtæ executioni, atque id quidem rectè fieri poſſe lege lata etiam inaudita adultera, quia notorius exceſſus examinatione non indiget. *Cap.bona de elect.* quando enim crimen notorium per depræhenſionem, ac nullatenus excuſari poteſt, non eſt neceſſaria necitatio, nec ſententia ad pœnam irrogandam. Sed

R. 2. Nullatenus licitum eſſe marito occidere vxorem in adulterio depræhenſam, & quãuis id impunè faciat, tamen iniuſtè, & cum peccato, atque adeò legibus vxoricidium non probari, ſed permitti. Et ita communiter Doctores, vt teſtatur Couar. *de matrim.2.part.cap.7.n.15.* Iulius Clarus §. *Adulteria*. Ratio eſt, quia talis lex eſſet iniuſta, quod innumeris fraudibus, & maritorum incidijs aperiret viam, nam cum vir odio haberet vxorem, aliquemque ſibi haberet offenſum occidere conaretur, ac diceret, ſe illos inueniſſe in flagranti delicto; tum etiam ſi lex id permitteret, exponeret adulteros periculo damnationis æternæ ſi maritus occideret illam in adulterio depræhenſam. Et ita Baſilius Pontius *lib.9.cap.15. num.19.* Qui ſapientiſſimè hoc probat, & varijs rationibus, & auctoritatibus non licere marito tuta conſcientia occidere vxorem in adulterio depræhenſam, licet per leges impunè occidat ob vehementem dolorem, quem maritus animo concipit ex illato dedecore; tantus enim eſt huius iracundiæ impetus, vt leges, & ſi manus non arment ad vindictam, tamen illas non omninò exarment, id tribuentes iuſto dolori, vt vir impunè poſſit necem inferre adultero.



An

An sicut vxoricidium impedit Matrimonium, ita, & etiam viricidium impediat?

BRACTEA XVII.

R. Negatiuè. Ratio, quia in iure Canonico fit tantum mentio vxoricidij: pęnæ autem non sunt extendendæ, nec fit eadem ratio de viricidio, quia viricidium est rarissimum, & vxores non sunt prouæ ad id, imò sunt timidæ; at vxoricidium est frequens, virique sunt audaciores, & procliuiores ad id delictum perpetrandum; & ideò ad virorum audaciam, & inclinationem cohibendam ius Canonicum pęnam hanc statuit viro interficienti vxorem, non autem è contra vxori virum necanti. Ita Specul. *1. part. art. 24. conclus. 2.* Toletus *lib. 7. cap. 15.* Sanchez *lib. 7. disp. 26. num. 6.* & alij. Licet contraria sententia videatur etiam probabilis, quam sequuntur plures Doctores citati à Sanchez *loco cit. num. 5.*

De Crimine Præsbytericidij?

BRACTEA XVIII.

R. Crimen Præsbytericidii esse impedimentum impediens matrimonium, modo homicida fuerit de crimine conuictus. Ita habetur, *cap. qui Presbyterum de pęnit. & remissionibus*; & meritò, quia occiditur Sacerdos, qui debet coniungere contrahentes hoc sacramentum, & esse assistens matrimonio. Ita Siluester *verbo matrim. 7.* Nauar. *cap. 22. num. 74.* & alii.

Sciendum quod quando homicidium Sacerdotis est occultum non inducit tale impedimentum, quia requiritur, vt homicida fuerit conuictus in iudicio de crimine homicidii. Ita Rebellus *lib. 3. quęst. 18. num. 6.* & alii.

De impedimento susceptionis proprij filij in baptismo?

BRACTEA XIX.

R. Hoc Impedimentum contrahi, quando quis suscepit proprium filium, vel filium alterius coniugis in baptismo, vel in Confirmatione, aut illum baptizat malo animo, idest animo insidiandi matrimonio, vt scilicet alter coniux priuetur debito coniugali ob impedimentum inde consurgens contrahit impedimentum, ne mortuo coniugi possit cum alio matrimonium inire. Ita habetur *cap. de eo 30. q. 1.* Hinc est, vt oporteat, filium qui suscipitur, vel esse communem vtriusque coniugis, vel alterius ab eo, qui suscipit, vel baptizat; sic enim contrahitur cognatio spiritualis cum altero coniuge, vtpotè matre, vel patre baptizati, vel confirmati. Ita Caietan. *verbo matrim. cap. 1. §. secundum*, Henriquez *lib. 12. cap. 2. num. 1.* Filliucius *tract. 10. de sacrament. matrimonij part. 2. cap. 9. num. 289.* & alii.



De impedimento, quod oritur ex Pœnitentia publica?

BRACTEA XX.

R. Pęnitentiam publicam inducere impedimentum impediens matrimonium. Ita *cap. de his, cap. fin. 33. quęst. 2.* quod intelligitur donec Pęnitentia perseuerat. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 6.* Filliucius *loco cit. num. 291.* Armilla *verbo matrim. num. 59.* quia tunc non est tempus lætitiæ ob nuptias, sed męroris ob peccatum commissum. Verum hodie solemnes pęnitentiæ non sunt in vsu, ideòque hoc impedimentum non habet locum.

De Crimine, quo quis contraxit matrimonium cum Moniali?

BRACTEA XXI.

R. Qui cum Moniali professa matrimonium scienter contraxit non solum inualidè contrahere, verum etiam impedire, ne possit cum alia contrahere. Ita Canon *si quis 27. qu. 1.* Ratio est, quia cum peccaret in matrimonium spirituale indignus est, qui iungatur etiam carnali. Si tamen contrahat, tenet matrimonium *ex cap. cit.*

Qualem culpam committat contrahens matrimonium cum dictis impedimentis non dirimentibus?

BRACTEA XXII.

R. Qui scienter, & malitiosè contrahit matrimonium cũ dictis impedimentis, peccare mortaliter. Ratio est, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in materia graui, licet Sanchez *lib. 7. disp. 17.* Petrus Ledesma *disp. 50. art. 1.* sentiant non peccare mortaliter præter quam in sponsalibus, & voto, & interdicto, eo quod consuetudine receptum esse videatur, vt obstrictus aliquo ex his impedimentis soleat matrimonium contrahere absque dispensatione; nec puniatur aliter faciendo. Verum hæc sententia admittenda est, vbi consuetudo inualuit, vt dispensatio dictorum impedimentorum non petatur, nec transgressiores puniantur; secus dicendum est, vbi lex in suo robore viget, quia lex in materia graui obligat sub mortali. Et ita sentire videntur Gutier. *cap. 87. num. 23.* & Reginaldus *lib. 31. num. 192.* & alij. Licet difficultas sit, quando consuetudo censeatur vires habere, cum quidam doceant, non valere consuetudinem contrariam, nisi constet, Episcopos id diù scienter dissimulasse; alii verò docent, eam consuetudinem excusare à peccato, vbi obtinuit, ne petatur dispensatio super impedimentis.

MAL.

MALLEATIO LVIII.

De Dispensationibus.

Quid sit dispensatio?

BRACTEA I.

R. Dispensationem esse relaxationem iuris factam ab eo, qui potest relaxare. Et ita definiunt gloss. *cap. requirit §. nisi rigor,* Innocentius *cap. Dilectus num. 4. de temporibus ordinandi,* Nauarrus *in summa preludio 9. nu. 15.* Grassius 1. *par. decis. lib. 2. cap. 31. num. 1.* Em. Rodriquez *quæst. regular. tom. 2. quæst. 66. art. 1.* & alij.

Sciendum Ex hac dispensationis definitione dispensationem in qualibet materia non esse interpretationem legis, siuè in casu certo, siuè dubio, contrà nonnullos ex Theologis, qui declarationem esse dispensationem censerunt. Quod cẽsetur falsum, quia dispensatio est actus iurisdictionis, legum autem interpretatio non est actus iurisdictionis. Secundò colligitur dispensationem differre à permissione, quia permissio strictè, & propriè sumpta non aufert peccatum, neque culpam, atq; adeò legis obligationem; at dispensatio tollit, licet aliquando etiam latè sumpto permissionis vocabulo soleat sic appellari dispensatio. Differt etiam dispensatio ab absolutione, cũ propriè profertur absolutionis nomen, nã absolutione à peccatis, à cẽsuris nulla relaxatur lex, quia potius executioni mãdatur: Dispensatione autẽ vulneratur lex. Sic Gloss. *in c. cupientes §. cæterum de electione in 6.* Panormitanus *in cap. tam litteris num. 3. de testibus.* Differt etiam dispensatio a simplici licentia, quod hæc non tollit obligationem legis, sed apponit conditionem quandam, quam lex ipsa postulabat, vt cum lege statuitur, ne quis frumentum extrahat sine licentia, cùm illa à Rege conceditur, non censetur in sua lege dispensare. Differt etiam à legis abrogatione, & etiam derogatione; abrogatur enim quod omninò tollitur: derogatur verò quod ex parte *l. 120. de verborum signif.* vnde cum lex pro tota cõmunitate omninò tollitur, & non ad tempus, abrogatio dicitur, cum verò tollitur, vel comparatione partis communitatis, vel comparatione materiæ legis si latitudinem habet derogari dicitur, & tamen in nullo eorum euentu dispensatio est. Denique dispensatio differre à priuilegio, non quidem in eo, quod priuilegium concedi possit sine causa, & dispensatio requirat causam, sed quia priuilegium sæpè datur non contra ius commune, sed præter ius, vt cum Princeps concedit potestatem alicui legitimandi, quam ipse habet; cum ergo priuilegium est contra ius ea priuata lex dispensatio dicitur iuris communis, quando verò est præter ius non est dispensatio, sed priuilegium propè dictum. Ita Basilius Pontius *lib. 8. de dispensationibus num. 4. & 5.*

Dispensatio quomodo interpretanda?

BRACTEA II.

R. Dispensationem adeò strictè interpretandã esse, vt si admissa huiusmodi interpretatione aliquid operetur extendenda amplius non sit, sic enim habetur *cap. 1. §. ille verò de filijs Presbyterorum in 6.* Ratio est, cum exorbitet, & à iure communi, & odioso sit, restringi debet; & quamuis dici possit beneficium quoddam Principis, & per consequens latissimè debere interpretari *c. ex olim de verb. signif.* id tamen intelligendum est de beneficio Principis nihil contra ius concedente, sed tantum præter ius, vt docet Sanchez *lib. 8. disp. 1. num. 4.*

Sciendum 2. Dispensationem in aliquibus casibus latè interpretandam esse. Primò, quando motu proprio Principis conceditur ob publicam vtilitatem, tunc enim amplè intelligenda venit; quod verè dicatur Principis beneficium, ac omni ambitione vacans. *Cap. si motu proprio de prebend. in 6.* ibi quæ de nostra mera liberalitate processit. Et ita plures citati apud Sanchez *loco cit. n. 5.* tunc autem solùm dicetur gratia proprio motu cõcessa, quãdo Pontifex expresserit in litteris dispensationis se proprio motu concedere, vt expresse habetur. *Cap. si motu proprio de prebendis in 6.* & quando Pontifex explicat se proprio motu cõcedere, dicetur motu proprio cõcessa, quamuis constet eam ab impetrante petitam, quia hæc non repugnat, sed significat Pontifex illis verbis, se non illa petitione, sed motu proprio dictum.

Secundò, nisi quando dispensatio est in iuris corpore clausa, tunc enim cum censeatur lex, non est strictè interpretanda, sed latè, & recipit omnem similis legis extensionem, nempe ad omnes casus, in quibus eadem, vel maior ratio inuenitur.

Tertiò, quamuis dispensatio sit stricti iuris, at quoties versatur circa iuris communis materiam latè interpretanda est. Ita Angelus *verbo matrim. 3. impedim. 6.* Siluester *matrim. 8. quæst. 6.* & alij, qua ratione asserunt hi Doctores dispensationem in tertio consanguinitatis gradu factam extendi ad secundum cum tertio, eo quod computari debet iuxta communis dispensationem, quod gradus computat iuxta eum, qui a stipite remotior est. *Cap. fin. de consanguinitate.*

Quartò, quando agitur de dispensationis extensione vltra verborum proprietatem, vnde ad comprehensa secundum propriam verborum significationem, & naturam benè extenditur, quod verba quæuis latè intelligantur, quatenus eorum natura petit. Ita apud Sanchez plures *loco citato num. 10.* licet iste modus non careat difficultate, quia lex multoties restringit terminos adimendo aliquid de latitudine proprij significati, quod est aliquid strictè intelligi. Quare potius spectanda est in dispensatione restrictio termini alio iure fieri solita, quam eius proprietas item verisimilis concedentis intentio, quæ ex rei qualitate deprehenditur eo semper spectando, vt minus lædatur ius cõmune, & ius tertij.

Quintò, nisi consuetudine introducta esset certa interpratatio in ea materia, tunc enim restringenda est potestas dispensandi ratione eius consuetudinis, vt caueatur scandalum. Constat *ex cap. quod dilectio de consanguinit.* sic Fellinus *cap. postulasti num. 11. &c.*

Sextò, ne facultas dispensandi absolutè concessa extendatur ad dispensandum in iure naturali, & Diuino. Ratio est, quod nulla causa pati possit, vt homo in iure Diuino dispenset, sed tantum vt interprætetur, & cum Pontifex

in

in his nequeat dispensare; non censetur eam potestatem transferre in illa generali commissione, quia nemo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet. *Regula nemo plus iuris 55. ff. de regulis iuris.*

Vltimò, latè est interpretanda, quando conceditur ad dispensandum cum personis expressis, at strictè intelligitur, vbi exprimuntur personæ, cum quibus est dispensandum. Ratio differentiæ est, quod in priori casu sit beneficium, ac priuilegium actiuum illius, qui dispensaturus est, & in eius gratiam confertur, quare ac beneficium Principis latè exponitur, at in posteriori priuilegium est passiuum ipsius, cum quo dispensandum est, vtpotè in eius fauorem concessum, quare non est tàm dispensandi facultas, quàm quasi dispensatio in esse producta solam executionem expectans Ita Sanchez *lib. 8. de dispensationib. disp. 12. num. 6.*

Quisnam possit dispensare in lege positiua?

BRACTEA III.

Sciendum certum esse in Ecclesia esse potestatem ad dispensandum in legibus Ecclesiasticis, sicuti in Principe sæculari est potestas ad dispensandum in suis legibus, vt constat ex vsu perpetuo Ecclesiæ, quia sicut in ipsa constat potestas condendi leges ad dispensandum, cum eius sit relaxare, cuius est condere. *Cap. inferior dist. 21.* Secundò, non pertinere ad potestatem dispensandi, cum nullus ordo deputatus sit ad huiusmodi ministerium dispensandi, sed ad potestatem iurisdictionis; vnde Episcopo confirmato, & nondum consecrato competit; & potest communicari tantum insignitis prima Tonsura, sicut & potestas excommunicādi.

Sciendum 2. Potestatem dispensandi impediri, sicut & potestatem ad alios actus, in quibus exercetur iurisdictio, vt excommunicatione nominatim facta, vel ob manifestam Clerici percussionem, quæ nulla tergiuersatione celari possit; & ideò facta censentur irrita, & tantum valere, cum adest titulus coloratus, & communis error.

Sciendum 3. Ad valorem dispensationis requiri internum superioris legitimè dispensantis consensum, consequenter inualidam esse dispensationem, quam superior fictè concessit absque consensu, nam actus agentium non operatur vltra intentionem eorum *l. non omnis ff. si certum per.* fiet tamen valida dispensatio adueniente interno superioris consensu, quamuis multum temporis sit elapsum, nam ad validam dispensationem nihil aliud deerat præter internum ipsius consensum.

Sciendum 4. Vt supra dictum est, nomen dispensationis significare actum iurisdictionis, quo aliquis eximitur ab obligatione legis, aut quo legis obligatio suspenditur ad aliquod tempus, & si obligatio in totum aufertur, dicitur dispensatio totalis, si tantum in partem dicitur dispensatio partialis. Quibus positis.

R. 1. Inferiorem non posse dispensare in legibus superioris absque eius voluntate, cum dispensatio auferat voluntatem superioris sua lege obligatis, & potestas inferioris dependet à superiore, & superior potest inferioris potestatem impedire.

Sciendum 5. Quod licet regulariter inferior non possit dispensare in lege superioris, tamen regulariter potest in aliquibus casibus dispēsare. Primus casus est, quoties in lege aliqua additur, vt in ea dispensari possit, eo ipso intelligitur dispensandi potestas inferiori concessa, vt docet communis sententia interpretum iuris, ne ea verba sint otiosa, atque superflua. *Cap. de priuilegijs lib. 6.* Secundò, quando vir prudens interpretatur hanc esse Pontificis intētionem, vt inferior, v. g. Episcopus in aliquo casu dispenset, licitum enim est viri prudentis opinionem sequi, quæ intentio Pontificis colligi potest. Primò, quando res leuis est, quia tunc non præsumitur voluisse subditis onus imponere adeundi Sedem Apostolicam in re leui. Secundò, quando præcipiuntur ea, quę sepè veniunt, & quæ frequenter indigent dispensatione. Tertio, quando grauis aliqua necessitas, vel vtilitas subitò aduenit, vt Sedis Apostolicæ commodè adiri nequeat, adest enim tacita Principis concessio, qui rigorosam obligationem accedendi ad ipsum non præsumitur imposuisse, nisi aliter constet. Ita Clauis regia *lib. 3. cap. 10. num. 9.* Siluester *verbo dispensat. num. 9.* Em. Sà *eodem verbo.* Nauarrus *cap. 21. num. 21.* & alij.

Sciendum 6. Inferiorem etiam posse dispensare in lege superioris, quando id ex consuetudine habet, quia tunc cōsuetudine acquiritur ei iurisdictio. *Cap. cum contingat de foro compet.* vnde consuetudine receptum est, vt Parochi, qui de iure dispensare non possunt, dispensent in nonnullis frequenter occurrentibus, vt in ieiunijs, & festorum obseruatione quoad vacandum nonnullis operibus, non verò in alijs. Et ita Sanchez *lib. 8. disput. 9. cap. 27.* & Basilius Pontius *lib. 8. de dispensat. cap. 6. num. 8.*

R. 2. Superiorem posse cum inferiore subitò dispensare, illumque ab obligatione legis eximere, perseuerante adhuc obligatione respectu aliorum. Ita Suarez *de legibus lib. 6. cap. 10. num. 2.* Azorius *1. par. lib. 2. cap. 15.* Clauis regia *lib. 3. cap. 10. num. 5.* & alij. Ratio est, quia sicut obligatio legis inducitur per voluntatem superioris legitimè præcipientis, ita etiam per ipsius voluntatem potest auferri iuxta illud, res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, nisi aliud obstet.

Sciendum 7. Per legitimum superiorem intelligi legislatorem, siuè ipsius superiorem, vel successorem in iurisdictione; & ideò sequitur Regem in suis legibus posse dispensare, cum ipsius legis sit conditor, æqualem etiam in iurisdictione posse dispensare in legibus latis ab eo, cui ipse in iurisdictione successit, eadem enim potestate gaudet; vnde Papa potest dispensare in legibus Canonicis, siuè sint latæ à Pontifice, siuè à Concilijs, quia Papa est legitimus superior, & est æqualis in iurisdictione cum alijs Pontificibus. Similiter Pontificem posse dispensare in lege lata ab Apostolis, quia non est inferior Apostolis, neque Petro, cui successit in dignitate. Ita Clauis regia *lib. 3. cap. 15.* Suarez *lib. 6. cap. 12. num. 5.* & alij.

R. 3. Legislatorem posse secum in suis legibus dispensare. Ita S. Thomas *2. 2. quæst. 185. art. 8.* Suarez *lib. 6. cap. 15. num. 8.* Corduba *lib. 3. quæst. 31.* & alij. Ratio est, quia nec repugnat iuri naturæ, quod aliquis iurisdictionem in seipsum exerceat; ratio est, quia dispensatio non est actus iurisdictionis

ctionis inuoluntariæ, siuè contentiosæ, qui requirit coactionem, vel sententiam, qua dicitur ius inter partes, sed est actus iurisdictionis voluntariæ, & gratiosæ, quem superior potest in se ipsum exercere dispensando in lege à se condita.

Sciendum 8. Actum, quo quis secum in propria lege dispensat non dici propriè, & strictè loquendo dispensationem; nam dispensatio ea propriè dicitur, qua proximè, & immediatè subditus legi eximitur ab onere legis; legislator autem non est directè, immediatè, & quoad vim coactiuam subditus legi, sed tantummodo quoad vim directiuam. Ita Salas *disput.20 sect.2. num.104.*

An Princeps supremus admittens inhabilem ad actum, scienter censeatur dispensare?

BRACTEA IV.

R. Principem supremum, qui scienter admittit aliquem ad actum, qui habet impedimentum ad illum, censeri dispensare cum illo; vt v. g. si Papa admittat irregularem ad ordines, vel ad beneficia censetur cum ipso dispensare in irregularitate. Ratio est, quia ad valorem dispensationis in lege humana non requiritur cognitio causæ, sed satis est voluntas eius ad dispensandum; satis autem constat de ea hoc ipso quod scienter inhabilem promouet ad actum, ad quem de iure non possit admitti. Ita Filliucius *tract.10. de sacram. matrim. par.2. cap. 10. nu. 299.* & alij.

An Episcopi possint dispensare in legibus Synodi Diœcesanæ?

BRACTEA V.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia in huiusmodi Synodis sunt superiores, cum illi soli leges ferant, illi subscribant, non alij, & isti Synodo intersint Parochi, qui nullam facultatem habent condendi leges, & leges illæ tantum obligent Diœcesinis, quæ pleno iure subest Episcopo. Ita Azorius *tom.1 lib.5. cap.15. quæst.3.* Sanchez *disput. 17. num. 33.* Nauarrus *in summa cap. 23. num.74* Salas *disp.20. de legib. sect.4 num.43.*

Sciendum Episcopum non dependere à Capitulo in dispensatione legis Synodi, cum non extet ius humanum id dicens, sed potius in iure vbicunque dispensatio committitur, solius Episcopi fit mentio. *Cap. at si Cleric.* §. *de adulterijs de iudicijs*, & Tridentinum *sess.14. cap.7.* & *sess.24. cap.6* Neque obstat, quod aliqui dicant dispensationem esse rem arduam: arduas autem non possit Episcopus expedire sine suo Capitulo; dico enim dispensationem non reputari rem arduam, & *in cap. quanto, & cap. nouit*, tantum dicitur, vt fiat de Concilio Capituli. Quare consensus solùm requiritur in casibus iure expressis, qui ordinariè spectant ad ius, siuè indemnitatem Capituli, siuè Ecclesiæ.

Sciendum 2. Hanc potestatem Episcoporum ad dispẽsandum nõnullos limitare multis modis. Primò limitant, vt non possit Episcopus dispensare in legibus à se latis, si iuramento confirmauerit. Et ita Azorius *tom.1. lib.5.* sed hãc limitationẽ reprobat Sanchez, & meritò *disp.17.* vnde si Episcopus cõtra iuramentũ agat, attamen dispẽsatio valebit, quia periuriũ nõ impedit rei valorẽ. Et ita Sanch. *loc. cit.* quẽ sequitur Salas *loco citato num.42. limit.3.* Secundò, alij limitant, nisi lex Episcopi, aut Synodi Diœcesanæ sit confirmata per Pontificem, quia tunc in ea lege dispensare non potest; quod tamẽ intelligendum est de vera laudatione, nam si tantum confirmatæ sunt, dicendum eas esse laudabiles, & à subditis debere obseruari, non videtur eas suas facere, vt sæpè contingit in constitutionibus Religionum, quas benedicit, quare potest Episcopus in huiusmodi legibus à Pontifice, hoc modo solùm approbatis dispensare in toto, vel illas abrogare in toto, vel ex parte. Tertiò limitant, nisi ea constitutio transierit in cõtractum. Et ita Sanchez *loco citato num.20* existimat, si constitutio Episcopi transierit in contractum in alterius commodum, vt si statuisset, omnes ad vrbem venientes gaudeant aliquo priuilegio, non posset reuocare respectu corũ, qui iam venerunt, eo quod ex illo contractu iam sit illis ius quæsitum.

An ad dispensationem requiratur causa?

BRACTEA VI.

R. Quando inferior dispensat in lege superioris requiri causam; & ideo dispensatio inferioris in lege superioris, vt v.g. Pontificis in iure Diuino naturali, vt in voto, vel iuramento concessa absq; causa erit irrita, eo quod tunc dispensetur in alienis bonis, & aliena volũtate superioris, & ideo vt validè fiat, desideratur causa, quippè ea deficiente Deus non cõsentit, qui obligationis illius creditor est. Similiter dispensationem inferiorum fore irritam, si causa legitima desit, vt si Episcopus dispenset in lege ieiunij, aut obseruationis festorum, aut quiuis alius ex Pontificia commissione, quia se habent ad legem superioris inferiores, at Pontifex ad legem Dei. Tum etiam quia quoties inferiori committitur potestas dispensandi in lege superioris intelligitur iusta causa existente. Et ita Angelus *verbo dispensatio num. 3.* & ibi Siluester *quæst.3. num.5.* Armilla *num.14.* Sotus *lib.7. de iustitia quæst.8. art.3.* Em. Sà *verbo dispensatio num.3.*

Sciendum in quibusdam casibus hoc limitari à Doctoribus. Primò, nisi inferior habeat plenitudinem potestatis à superiore cõcessam, qualem habent Nuntij Apostolici in casibus sibi à Pontifice commissis. Licet hoc displiceat Sanchez *lib.8. disp.17. num.5.* & cum eo pluribus citatis. Ratio est, quia illa potestatis plenitudo non accipienda est ad dissipationem, sed vt secundum iura dispenset, atque ita dispensationem ab ipso absque legitima causa concessam esse irritam docent citati. Secundò, nisi in dispensandi potestate exprimantur nomina eorũ, cum quibus est dispensandum, nulla cognitionis causæ dispensandi mẽtione facta, quia tunc commissarius ille constituitur verus executor, ac præsumere debet committentem certiorem factum esse de dispensationis causis. Et ita Speculator *tit. de dispensat.* §. *dicendum restat num.19.*

An

An peccet, qui dispensat sine causa?

BRACTEA VII.

R. Esse peccatum dispensare in lege sua, vel superioris sine iusta causa. Et ita docet communis sententia, quam tenet D. Thomas 1. *par. quæst.* 97. *art.* 5. Thurecremata *in cap. consequens dist.* 11. Hostiensis *in summa de filijs Presbyterorum*, & Tridentinum Concilium *sess.* 23. *de reformat. cap.* 18. vbi inquit dispensare sine causa, nihil aliud esse, quam ad transgrediendas leges aditum aperire. Et ratio est, quia cum Princeps sit fidelis, & prudens dispensator potestatis sibi traditæ abutitur ea potestate, qui aliquē eximit à legis obligatione sine causa, quia vt Paulus 2. Chorinth. 10. ait, *Potestas non est data in destructionem, sed in ædificationem.*

Sciendum dubium esse, quale sit peccatum dispensare in lege humana sine causa. Quidam putant esse peccatum mortale, & sic Couarru. *de matrim.* 2. *par. cap.* 6. §. 9. *num.* 7. Suarez *lib.* 6. *de legibus cap.* 18. *num.* 7. Alij verò dicunt esse tantummodo peccatum veniale; quod probabilius existimo, nisi adsit aliorum scandalum, aut graue damnum aliorum. Ratio est, quia non potest vti potestate cum aliorum scandalo, & detrimento sine iusta, & legitima causa: quamobrem legislator peccaret dispensando quoties præuideret fore, vt alij subditi occasionem inde caperent liberè violandi leges, quia tunc esset causa scandali. Item si dispensaret cum aliquo, vt sine causa retineret plura beneficia curata, quia huiusmodi dispensatio vergeret in damnum fidelium. Similiter Principem dispensantem secum sine causa peccare, quia est eadem ratio, & aliàs nūquam sua lege obligaretur, & ridicula esset ea obligatio, quā sine vlla causa pro suo libito posset auferre. Similiter subditū petentem à Principe dispēsationem sine causa peccare. Ratio est, quia inducit ad peccatum, inducens autem alterum ad peccatum est reus illius peccati, cuius est reus, qui inducitur, nisi excusetur à bona fide. Et ita Valentia 1. 2. *disput.* 7. *quæst.* 5. *pun.* 9. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 18. *num.* 8. & alij. Subditum etiam peccare acceptando dispensationem, quam ei Prelatus offert absque iusta causa.

An necesse sit, vt superior dispensaturus cognoscat iudicialiter adesse iustam causam?

BRACTEA VIII.

R. Non esse necessarium, quod iudicialiter agnoscat adesse iustam causam, sed sufficere quauis via cognoscat iustā causam adesse. Ita Siluester *verbo dispensatio quæsito vlt.* Azorius *lib.* 5 *cap.* 15. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 4. *num.* 19. & alij; immò Sanchez *loco citato*, Suarez *tom.* 1. *de Religionis statu*, & alij asserunt validam esse dispensationē in foro cōscientiæ datam sine cognitione causæ, modò verè subesset causa dispensandi. Ratio est, quia nullo iure probatur cognitionem causæ ad validam dispensationem in foro conscientiæ requiri.

Sciendum non solùm dispensationem esse validam sine cognitione causæ, sed etiam validā esse, si tacitè sit concessa, v. g. per nutus, aut signa, vel ratihabitionem. Ratio est, quia voluntas tacita tantum valet, quantum expressa in his, in quibus nec forma certa, nec verba necessaria sunt. *l. qui ad certum ff. locati.* Ita Sanchez *lib.* 8. *dist.* 4. *num.* 15. Salas *disp* 20. *sect.* 8. *num.* 83. & alij apud ipsos. Quod non modò valet in dispensatione concessa à legitimo superiore in propria lege, verùm etiam in lege superioris, immò etiam in votis, aut iuramentis, modò concessa sit ab eo, qui eam potest concedere iusta causa subscribente. Sanchez *loco cit. num.* 18. & 26.

Sciendum 2. Quod cum dicimus iustam causam esse debere, vt licita dispensatio sit, non intelligimus ita iustam esse debere, vt dispensatio necessariò concedi debeat, sed iustam esse posse, quamuis non sit necessaria; vnde aliquando contingere potest, vt dispensatio in causa non sit debita ex iustitia, neque ex præcepto, & tunc si subditus petat dispensationem, & illi denegetur, non statim potest agere contra præceptum, sed recurrendum est ad superiorem. Similiter etiam aliquando potest contingere, vt sit debita dispensatio ex lege, vel præcepto, & quamuis in eo casu denegetur, non statim subditus potest agere contra legem, quia iniustitia Prælati non tollit legis vinculum: quare recurrendum erit ad superiorem, vel per viam supplicationis, vel per viam appellationis. Quod si sit periculum in mora, & graue detrimentum immineat, & eius legis obseruatio deficiat, & contrariæ epicheia vtendum: aliàs non licet, & multò minus si deneget supremus Princeps, quia ad alium non est recursus. Suarez *cap.* 18. *num.* 20.

An dispensatio concessa ab eo, qui bona fide credebat iustam, & sufficientem causam, sed reuera non erat sufficiens, sit valida?

BRACTEA IX.

R. Validam esse. Et ita Sanchez *lib.* 8. *disput.* 17. *num.* 8. Azorius 2. *par. lib.* 7. *cap.* 19. *quæsito* 6. Sotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 2. Rebellus 2. *par. lib.* 3. *quæst.* 5. *num.* 12. Em. Sà *verbo votum de irritatione num.* 21. & alij. Ratio est, quia non est credendum aliam esse Pontificis intentionem circa suas leges, & Dei circa suas; in quibus permittitur inferiori dispensare; id enim recta Ecclesiæ gubernatio postulat, quo scrupulis obuietur, ac tutæ sint conscientię, nec oporteat passim infringere gesta innitendo Prælatorum vices Dei gerentiū dispensationi. Vnde Azorius *lib.* 7. *institut. moral. cap.* 19. *quæst.* 6. hæc ait, *Si Prælatus aliquis bona fide lege ieiunij aliquem liberet putans causa esse iustam; relaxatio prodest, quia bona fide facta est*, licet alij apud Bonacinam *de dispens. disp.* 1 *pun.* 3. *num.* 8. teneant opinionem contrariam.

R. 2. Validam non esse dispensationem, quam quis obtinuit expressa falsa causa, quam falsis testibus probauit, quoties talis causa est principale motiuum dispensationis, vt si superior dicat, si ita est, vt in precibus narratur. Ratio, quia dispensatio facta sub conditione corruit non subsistente conditione, quod procedit etiamsi testes putarent se verùm fateri. Ita Sanchez *lib.* 8. *disput.* 31. *num.* 3. Petrus Ledesma *de sacram.*

sacram. matrim 27. *difficultat. vltima.*

R. 3 Dispensatum posse vti dispensatione, etiamsi dubitet, an superior habuerit iustam causam ad dispensandum. Ratio est, quia in dubio standum est iudicio superioris; tum quia in facto Principis præsumitur iusta causa, saltē in foro conscientiæ, nec præsumitur delictum. Et ita Clauis regia *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 25. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 7. *num.* 17 & alij.

Quot sint causæ dispensandi?

BRACTEA X.

R. Causas potissimum dispensandi esse tres. Prima causa est vtilitas communis, vel etiam priuata. Secunda, est necessitas communis, vel priuata. Tertia, est pietas. Et ita Rodriquez *regular. quæstionum quæst.* 22. *art.* 5. Sanchez *lib.* 8. *disput.* 19. Siluester *verbo dispensatio quæsito* 1. Reginaldus *lib.* 13. *num.* 192. & alij.

Sciendum, quod licet causæ principaliores sint tres assignatæ, tamen dispensatio potest concedi ob aliquos superuenientes casus, vel rationes, quæ sufficientes, & legitimo arbitrio prudentis viri pro qualitate loci, temporis, & personę fuerint adiudicatę, & ideò iustam causam adesse quoties obseruantia legis vergeret in malum, aut maius bonum impediret. Ita Caietanus 2. 2. *quæst.* 79. *num.* 4. adest enim necessitas, vel vtilitas, saltem priuata. Secundò, periculum incontinentiæ censeri sufficientem causam dispensandi in voto castitatis in indigentiam mulieris in impedimentis matrimonij. Tertiò, facilius Principibus dispensationes cōcedi posse, quam alijs in impedimentis matrimonij. Ratio est, quia bonum pacis inter Principes sequi cōsueuit ex matrimonio inter Principes celebrato.

Sciendum 2. Maiorem causam postulari in dispensatione eorum, quę sunt de iure Diuino, quam in legibus humanis, licet hoc non sit vniuersaliter verum, & ideò attendendam esse grauitatem obligationis; nam obligatio legis humanæ aliquando est leuior, & aliquando grauior iuxta qualitatem materiæ, quam sit obligatio voti, vbi autem est maior obligatio, ibi maior causa requiritur ad dispensandum.

De Lege?

BRACTEA X.

R. Varias esse legis definitiones, vt docet Valent. 1. 2. *disp.* 7. *quæst.* 1. *pun.* 1. mihi tamen omnium optima videtur illa quam affert Diu. Thom. 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4 hoc modo *lex est ordinatio rationis ad bonum communē, ab eo, qui curam communitatis habet promulgata.*

Sciendum, Quod lex dicitur primo *Ordinatio* quia lex est quædam regula directiua, ac ordinatiua humanorum actuum, secundum quam homo, vel ad aliquod bonum agendum inducitur, & ab agendo aliquod malum retrahitur. Secundo dicitur rationis ad significandam legem consistere in actu intellectus, licet etiam habeat adiunctum actum voluntatis quatenus scilicet id legislator præcipit, quod fieri vult. Tertio dicitur ad bonum commune; ad ostendendum finem, propter quem leges condi debent, qui est vtilitas publica. Si contingat legem aliquam ferri, quæ ad singulare alicuius bonum ordinatur illam certè non alia ratione, vim, ac naturam legis obtinere, nisi quatenus bonum illud, illius particularis in bonum commune redundat, & ideò cessante omninò ratione communis boni statim legem cessare, & cum obligandi amittere.

Dixi omninò, quia cessante causa legis, tunc legem cessare, quando causa legis cessat in cōmuni, seu respectu totius rei publicæ. Secus verò si esset respectu alicuius particularis. Quartò dicitur ab eo, qui curam communitatis habet. Ratio est, quia lex habere debet vim cogendi, ac efficaciter inducendi, ad præstandum opus præscriptum, hanc autem vim non quælibet persona priuata, sed is solus habet, qui totam communitatem gubernat, ac proinde is solus leges condere potest. Quintò dicitur promulgata, nempe voce, vel scripto, nisi enim lex sufficienter promulgata sit, ac innotescat ijs, quibus constituitur vim legis non habet. Ratio est, quia lex est regula humanorum actuum, regula autem nisi applicetur ad mensurandum vana, & inutilis est, applicatur verò per promulgationem, & communem notitiam.

Sciendum 2. Ad id melius intelligendum legem tribus modis spectari posse. Primò secundum se. Secundò, vt est in legislatore. Tertiò, vt est in Subdito si lex spectetur secundum se nihil aliud est, quam quędam regula, seu mensura, quæ nos dirigit, & obligat in nostris actionibus, ostendit enim quid agendum, aut omittendum, & simul obligat; vt quod agendum est agamus, & quod omittendum, omittamus si verò lex consideretur, vt est in legislatore nihil aliud esse videtur, quam actus ille, quo legislator iudicat, vult, imperat, vt hæc, aut illa regula à subditis seruetur. Si denique lex consideretur, vt est in subdito, nihil aliud est, quam iudicium practicum, quo subditus iudicat hanc, vel illam regulam à Superiore præscriptam seruandam esse.

Quotuplex sit lex?

BRACTEA XI.

R. Cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 91. legem diuidi posse in quatuor membra, scilicet legem æternam naturalem, Diuinam, & humanam. Ratio, quia cum lex sit regula, seu dictamen practicum rationis in eo, qui Communitatem gubernat. Deus verò sit primus, & vniuersalis Gubernator vniuersi, is ab æterno vniuersi ordinem, ac dispositionem mente considerans, dicitur illa sua æterna ordinatione quasi lege omnia gubernare, huiusmodi autem ratio ordinationis in mente diuina existens, dicitur lex æterna. Idem verò Deus, prout auctor est naturæ singulis rebus, suos instinctus, seu inclinationes indidit quibus in suos fines agentur, qui quidem, seu inclinatio dicitur lex naturalis. Quia verò inter cęteras res, creatura rationalis excellētiori quodammodo talis instinctus participationem habet, ideò participatio æterna legis in creatura rationali lex naturalis appellatur.

R. 2. Legem æternam sic deffiniri posse. Est

ratio

ratio diuinæ sapientiæ in quantum est directiua omnium actuum, & motionum creaturarum. Vnde sicut ratio diuinæ sapientiæ in quantum per ea cuncta sunt creata, habet rationem artis. Ita eadem ratio sapientiæ diuinæ in quantum mouet, & dirigit ad debitum finem omnes actus, & motiones creaturarum obtinet rationem legis.

R. 3. Quod lex naturalis nihil aliud est, nisi ipsamet natura rationalis, cui tamquam regulæ bonæ actiones conueniunt, & malæ disconueniunt, & ideo dictum fuit cum de peccatis formalitatem peccati consistere in disconuenientia cum ratione, seu cum dictamine conscientiæ.

An lex naturalis sit verè, & propriè lex Diuina præceptiua?

BRACTEA XII.

PRima sententia est asserentium legem naturalem esse verè, & propriè legem diuinam præceptiuam; ac proinde includere actum voluntatis Dei obligare volentis ad sequendum dictamina rectæ rationis. Ita Gerson *par. 3. de vita spirituali*. Diu. Bonauent. *in 2. dist. 35. dub. 4.* Suarez *lib. 2. de legib. cap. 6. num. 5.* & alij. Ratio, quia lex naturalis est propriè lex, ergo diuina, cum legislator sit ipse Deus. Tum etiam, quia peccata contra legem naturalem dicuntur in scriptura esse contra diuinam voluntatem, ergo est transgressor voluntatis diuinæ. Sed

R. Cum secunda sententia legem naturalem non esse propriè legem præcipientem, sed esse legem indicantem, quid agendum, vel cauendum sit, & quid natura sua sit intrinsecè bonum, vel intrinsecè malum, ac proinde non esse aliud, nisi dictamen rationis ostendens, quid faciendum, vel cauendum sit. Et ita Vasquez *1.2. disp. 97. cap. 3. num. 8.* Beccan. *tract. 3. cap. 3. quæst. 4. num. 5.* Azor. *lib. 5. cap. 2. quæst. 2.* Filliucius *tom. 2. tract. 21. cap. 11. num. 401.* Salas *de legibus disp. 5. sect. 6.* Sayrus in Clauis Reg. *lib. 2. cap. 2. nu. 6.* & alij. Ratio est, quia lex præceptiua non est sine voluntate præcipientis, at lex naturalis non nititur voluntate præcipientis, ergo, &c. & patet, quia dictamina rationis naturalis in quibus hæc lex consistit, sunt intrinsecè necessaria, & independentia ab omni voluntate præcipiente, nam quamuis Deus nihil præciperet, aut prohiberet, adhuc mentiri esset malum, & cauendum, honorare parentes bonum, ac debitum, ergo lex naturalis non potest dici vera lex præceptiua.

Quænam sit materia legis naturalis?

BRACTEA XIII.

R. Legem naturalem complecti omnia præcepta, seu principia moralia, quæ euidentem habent honestatem, necessariam ad rectitudinem morum, itaut opposita moralem inordinationem, seu malitiam euidenter contineant. Ita D. Thom. 1.2. *quæst. 94. artic. 2.* & ibi expositores Diui Thom. Vasquez *disp. 157. cap. 3. & 4.* Suarez *lib. 2. de legib. cap. 7.* & alij. Ratio est, quia haec principia generalia per se nota, et conclusiones, quæ per euidentem illationem ex illis deducuntur, præcipiuntur, quia honesta sunt, vel prohibentur, quia mala sunt, & non è conuerso, ergo illa non pertinent ad legem positiuam, ergo ad naturalem.

Sciendum, Quod quando lex positiua superadditur naturali, transgredientem illam peccare duplici peccato, seu peccato vno, habente duas malitias, quando id, quod prohibetur lege naturali, & positiua ex diuerso motiuo prohibetur. Quod si prohibeatur sub eodem motiuo trasgredientem committere solum vnum peccatum habentem vnam malitiam. Ratio constat ex dictis, cum de peccatis, licet plures sequantur opinionem contrariam.

An lex naturalis obliget in conscientia?

BRACTEA XIV.

R. Legem naturalem obligare in conscientia. Ita communiter omnes, vt colligitur ex D. Paulo ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, &c. Testimonium illis reddente conscientia ipsorum.* Ratio est, quia lex naturalis est proxima regula honestatis, vnde malitia moralis per oppositionem ad hanc legem insurgere solet.

Sciendum ex Suarez *lib. 2. cap. 9.* obligationem naturalem propriè sumptam, non posse separari ab obligatione in conscientia, quia si sit ad aliquid agendum nascitur ex intrinseca connexione talis actus cum honestate virtutis, quā in nostris actibus seruare etiam in conscientia tenemur, vnde tunc omissio actus debiti per se mala est; Si verò sit ad aliquid vitandum, nascitur ex intrinseca turpitudine actus, qui propterea in conscientia vitandus est.

R. 2. Nullam esse obligationem in conscientia, quæ non sit aliquo modo effectus legis, saltem mediatè, & remotè. Ita Suarez *loco cit. n.* Vnde, qui non ieiunat diebus ab Ecclesia præceptis, licet immediatè, ac proximè peccet contra præceptum Ecclesiasticum, nihilominus mediatè, seu remotè peccat contra præceptum naturale, quod dictat esse obediendum superiori, rem iustam, ac honestam præcipienti.

Ad quas personas se extendat obligatio legis naturalis?

BRACTEA XV.

R. Obligationem legis naturalis non modo comprehendere adultos, sed etiam infantes. Quod comprehendat adultos omnes concedunt. Quod extendatur ad infantes patet, quia alias sequeretur licitum esse consulere his infantibus, vt efficiant ea quæ sunt lege naturali prohibita, vt mentiri, &c. sed hoc est falsum, ergo, &c. Consequens probatur, nam quando quis potest aliquid, per se loquendo licitè facere, possum ei consulere, vt efficiat. Ergo si neq; lege naturali obligantur, nec licebit consulere illis, vt faciant ea, quæ lege naturali prohibita sunt. Sic Mol. *tom. 4. de iust. tract. 5. disp. 47.* & alij. Dicendum igitur est infantes obligari seruare legem naturalē, ac proinde teneri non efficere ea, quæ sunt contra rectæ rationis dictamen, seu intrinsecè mala. Per accidens vero

verò excusantur à peccato, si ea efficiat ob defectum vsus rationis, sicut excusantur ebrii, & amentes comedendo carnes in die ieiunij.

Lex naturalis an obliget solùm materialiter, an verò materialiter, & formaliter, siue secundum rem, & secundum modum?

BRACTEA XVI.

SCiendum præcepta naturalia esse in duplici differentia. Quædam sunt negatiua, & quædam affirmatiua. Differunt autem affirmatiua à negatiuis, quia præcepta negatiua compleri possunt sine omni actu, quantum ex forma præcepti, nam per solam negationem actus prohibiti, homo est conformis præcepto, dicitur enim homo adimplere præceptum de non occidendo, eo ipso, quod non occidit; Præcepta verò affirmatiua per positiuum actū implenda sunt, nemo .n. potest implere præceptum de subueniendo pauperibus in extrema necessitate, nisi aliquem positiuum actum subuentionis circa pauperes exerceat.

Sciendum 2. Aliud esse non transgredi præceptum, aliud verò complere illud. Omnis .n. qui non peccat contra præceptum non transgreditur illud, & tamen non semper, qui non peccat contra præceptum, illud implet. Nam qui inuincibiliter ignorat præceptum, vel qui ebrius est, vel impotens adimplendum præceptum non peccat, & tamen non implet illud, quia non facit id, quod lex præcipit.

Sciendum 3. Tres conditiones requiri in actu morali, vt sit bonus. Prima conditio est, vt actus fiat ex sufficienti cognitione. Secunda vt liberè fiat. Tertia, vt non solum sit de re honesta, sed etiam cum circumstantijs omnibus ad honestatem actus requisiti. Quibus positis.

R. Modum voluntariè, seu liberè operandi cadere sub præcepto legis naturalis, & ideò necessarius est, vt lex naturalis seruetur. Ita D. Thom. 1. 2. *qu.* 100. *art.* 9. & alij. Ratio, quia lex naturalis directè cadit in actum humanum, sed non est humanus, nisi sit perfectè voluntarius, ac proinde liber, ergo talis modus operandi directè cadit sub hanc legem naturalem.

R. 2. Operari ex cognitione, esse aliquo modo necessarium ad seruandam legem naturalem. Ratio est, quia lex naturalis non potest seruari, nisi per actum humanus, at non potest esse actus humanum, nisi ex cognitione procedat, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 1. ergo, &c.

R. 3. Naturalem legem etiam obligare ad modum virtutis, idest, vt actus per quem impletur, non solum sit de obiecto bono, sed etiā vt fiat propter honestum motiuum. Ita D. Th. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 9. Sot. *lib.* 2. *de instit. quæst.* 3. *art.* 9. & alij. Ratio est, quia lex naturalis, quę præcipit facere actum honestum, præcipit etiam, vt ex honesto motiuo fiat, ergo est de iure naturali, & ideo quoties per actum malum naturale præceptum impletur, lex ipsa naturalis violatur.

Vtrum lex naturalis sit per se, & ab intrinseco immutabilis?

BRACTEA XVII.

SCiendum mutationem dupliciter posse contingere. Primò per mutationem rei ab intrinseco deficientis, vel per extrinsecus factam virtute alicuius agentis habentis ad id potestatem. Ita lex aliquando per se ipsam, & quasi ab intrinseco deficit, quia ex vtili fit noxia, vel ex rationabili fit irrationabilis aliquādo verò tolitur per superiorem, & hoc modo dupliciter. Primò absolutè, & vniuersaliter in tota lege, & talis modus dicitur abrogatio legis, vel in particulari, & dicitur derogatio legis, vel dispensatio, seu particularis relaxatio. Quibus positis.

R. Legem naturalem, per se, & ab intrinseco esse immutabilem, tam in vniuersali, quam in particulari, manente tamen natura rationali cum vsu rationis, & libertatis, nam cum lex naturalis sit veluti proprietas huius naturæ, si rationalis natura de medio tolleretur, consequenter tolleretur lex naturalis, quo ad existētiam suam, & maneret tantum, secundum esse essentiæ, seu possibile obiectiuè in mente diuina, vt docet D. Thom. 1. 2. *quæst.* 94 *art.* 5. Suarez *lib.* 2. *de legib. cap.* 13. Becan. 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *quæst.* 3. *num.* 4. & alij communiter. Ratio, quia lex naturalis est intrinseca proprietas necessario fluens ex natura rationali, ergo repugnat manente tali natura apta ad vtendum ratione, auferri legem naturalem. Tum, quia nulla lex deficit per se ipsam, nisi vel quia non erat perpetua, vel pro tempore certo, quo finito ipsa etiam finitur, & desinit esse, vel qa in materia fit aliqua, mutatio, ratione cuius lex fit irrationabilis, & iniusta, cum antea esset iusta, & rationabilis. At neuter illorum modorum locum habet in lege naturali, de priori patet, quia leges eius sunt necessariæ, & perpetuæ veritatis. De posteriori patet etiam, quia lex naturalis complectitur principia morum per se nota, & omnes, ac solas conclusiones, quæ ex illis necessariò deducuntur, quę omnia sunt perpetuæ veritatis, & per consequens non potest esse irrationabilis, & ideò iudicium legis naturalis variari non potest.

R. 2. Ius naturale nullo modo mutari, aut dispensari posse per potestatem humanam. Ita D. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 8. Almain *de po est. Ecclesiast. cap.* 13. *concl.* 1. Thurecrem. *in sum. lib.* 3 *cap.* 54 & 57. Suarez *lib.* 2. *de legib. cap.* 14. *num.* 5. Becan. 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *quæst.* 3. *num.* 4. & alij. Ratio, quia Ius naturale est immutabile ab intrinseco, & per consequens non potest mutari. Tum etiam quia, quod est contra ius naturale est intrinsecè malum ob oppositionem, quam habet cum regula rationis.

An Deus dispensare possit in lege naturali?

BRACTEA XVIII.

R. Legem naturalem esse indispensabilem, etiam de potentia Dei absoluta. Ita D Thom. 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. Caiet. Medina, ibidem. Sot. *lib.* 2. *de inst. quæst.* 3. *art.* 8. Mol. *tract.* 5. *disp.* 57. *n.* 6. Suarez

Suarez *lib.2. de legib. cap.15. num.16.* Vasquez 1.2. *disp. 179. cap.2.* Azor. *tom.1. lib.6. cap.1. quæst.1.* Salas *de legib disp.5. sect.9. num.51.* & alij communiter. Ratio est, quia lex naturalis complectitur præcepta, quæ euidentem habent honestatem, nec necessariam ad rectitudinem morum, itaut opposita, moralem inordinationem, seu malitiam necessario, & euidenter contineant, ergo implicat posse in eis cadere dispensationem, quia Deus non potest tollere ea, quæ naturaliter, & necessario insunt.

Sciendum, Quod Deus dupliciter considerari potest. Primò, vt Supremus Dominus. Secundò, vt legislator ad quē ꝓpriè pertinet dispēsare, si cōsideretur, vt Supremus Dominus, neque potest propriè, ac formaliter dispensare, sed tantum potest variare materiam, qua variata tollitur illa repugnantia ad rectam rationem, quam prius habebat, & consequenter id quod prius erat illicitum fit licitum. Vnde potest in alium trāsferre dominium cuiuscunque rei, dare auctoritatem, vt innocens occidatur, &c. Si verò consideretur, vt legislator in lege naturali non potest dispensare ob rationem supra allatam.

An circa legem naturalem locum habeat epicheia?

BRACTEA XX.

R. Legem naturalem non esse capacem epicheię. Ratio est, quia in lege naturæ non potest cadere dispensatio, ergo neque epicheia. Maior patet, quia præcepta naturalia continent intrinsecam rationem iustitiæ, quia præcepta huius legis, sunt quædam propositiones necessarię, quę per necessariam consequentiam ex principijs naturalibus inferuntur, at huiusmodi propositiones in nullo indiuiduo deficere possunt, aut esse falsæ, ergo neque potest per aliquam interpretationem fieri, vt liceat facere, quod per illa prohibetur, quia est intrinsecè malum, neque vt liceat omittere, quod per illa præcipitur, nam est per se necessarium ad honestatem, & hanc opinionem tenent Suarez *lib.2. de legib. cap.16. num.4.* Beccan. 2. *part. tract.3. cap.6. quæst.14. nu.2.* Vasquez 1.2. *disp.176. num.4.* & alij.

Sciendum, Distinguendum esse inter legis interpretationem, & epicheiam propriè dictam, nam latius patet interpretatio, quam epicheia quoniam omnis epicheia est interpretatio legis non verò è contra omnis interpretatio legis, est epicheia, sed illam solam per quam interpretamur legem deficere in aliquo particulari propter vniuersale, idest, quia lex vniuersaliter lata est, & in aliquo particulari ita deficit, vt iustè in illo seruari non possit. Et quamuis multa præcepta naturalia indigeant declaratione, & interpretatione, ad verū sensum vniuscuiusque statuendum nihilominus epicheia propriè dicta non habet locum in aliquo præcepto naturali, vt naturale est, seu secundum se spectato, & consequenter nec ab hominibus, nec à Deo ipso fieri potest. Ratio est, quia lex naturalis, cum posita sit in recta ratione, quæ à vero deficere non potest, emendari non potest. Nam si deficit iam non est recta ratio, & ideò in ea, epicheia non habet locum.

R.2. In sola lege humana habere locum epycheia. Ratio est, quia legislator humanus quando fert legem, non potest prævidere omnes casus particulares, in quibus lex non censetur rationabiliter obligare, & ideo illos non potest excipere, nec de tali exceptione cogitat, sed potius absolutè, & sine exceptione aliqua legem fert sub verbis generalibus de se cōpræhendentibus casus illos. Vnde necessaria est interpretatio, quod lex in casibus illis locum non habeat, quæ interpretatio propriè dicitur epicheia, quoniam est quædam emendatio legis, quæ deficit, eo quod est vniuersaliter lata. At vero lex naturalis, cum sit lex diuina, quia includit voluntatem, saltem virtualem Dei præcipientis, vel prohibentis non intelligitur ferri, ita vniuersaliter, cum legislator, qui ipse est Deus, benè præuiderit, ac exceperit à lege eos particulares casus. Vnde interpretatio, quę fit, quod lex naturalis non compræhendat dictos casus non dicitur propriè epycheia cum non emendet illam quasi deficeret, sed est tantum explicatio veri sensus legis, ac mutationis factæ in materia ipsius.

De Lege Diuina?

BRACTEA XXI.

R. Legem Diuinam esse a Deo tanquam gratiæ auctorem immediatè institutā, & supernaturali quodam lumine nobis notam. Ita Reginaldus *lib.13. tract.3. cap.13.*

Sciendum Legem Diuinam aliquo modo cōmunicare cum naturali. Primò in ratione nominis legis, vt videre est apud Reginaldum *loco cit. cap.2.* separatur verò in hoc à lege naturali, quoniam lex diuina positiua est à Deo, tanquā auctore gratiæ, quia Deus per gratiam, meritis Christi euexit hominem ad præcellentem statum, in quo regni cęlestis hęres constitueretur. Sic lege naturali supernaturaliter reuelatam addidisse, vt populus ad Christum ipsum spectans prærogatiuam quandam sanctitatis propter ipsius Christi reuerentiam obtineret, seu lex diuina, seu æterna est ipsa mens Diuina, quę ab æterno omnia ordinauit; strictius verò accepta est mens, & ratio Dei bona præcipiens, & mala prohibens.

Sciendum 2. Legem Diuinam duplicem esse, seu dupliciter distingui, in veterē, & naturam. Lex vetus, siue Mosaica Israelitis fuisse datam, & ipsos solos obligare, vnde, & ipsis solis fuit promulgata, *Exodi cap.20. & sequentibus*, cæteris autem populis fuisse solum in Concilio.

Sciendum 3. Legem veterem tria præceptorum genera continere. Primum moralium de his, quæ naturali ingenij lumine cognoscuntur agenda esse, vel fugienda, vt actus virtutum, & vitiorum. Secundum ceremonialium de sacrificijs, & ceremonijs, quibus Deus specialiter coli volebat. Tertium iudicialium de his, quæ pertinerent ad humanam societatem ritè seruandam in populo. Lex noua, quæ dicitur noua respectu veteris antea descriptæ, quam Christus euacuauit, non quidem illam destruēdo, sed perficiendo, adimplendoque superaddidit veritatem adumbratam, perinde ac imago carbone adumbrata non destruitur super-

additione viuorum colorum, sed perficitur. Hinc Dominus *Mathei 5.* ait, *Non veni soluere legem sed adimplere*, quæ quidem lex noua potissimum consistit, vimque suam habet positam in gratia Spiritus Sancti, & Charitate, quæ fidelibus in Christum credentibus, nisi obicem ponant datur iuxta illud *ad Romanos 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*.

Sciendum 4. Obligationem legis nouæ, siue gratiæ perseueraturam esse vsque ad finē Mundi, iuxta illud *Mathei 28. Docentes eos seruare quæcunque mandaui vobis, & ego vobiscum sum vsque ad consumationem sæculi*, & D. Thom. 1. 2. *confirmat ratione*, quia Deus legem condidit, vt per illius obseruationem perducat hominem ad beatitudinem, quod cum lex noua perfectè præstet non est expectanda illius in aliam mutatio, sicuti expectata est veteris legis, quæ nihil ad perfectum adduxit.

Sciendum 5. Legem Diuinam diuidi etiam in Diuinam naturalem, & in Diuinam positiuam. Diuina naturalis est illa, qua præcipitur idem, quod à lege naturali, vt sunt ea, quæ in Præceptis Decalogi continentur; Diuina positiua est illa, qua præcipitur aliquid, quod lege naturali non est sancitum, vt præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ ab habente conscientiā peccati mortalis, quod præceptum Diuinum positiuum dicitur, quatenus iure naturæ non præcipitur confessio ante sumptionem Eucharistiæ. An Summus Pontifex possit dispensare in lege Diuina, naturali, & positiua dictum est supra.

Quæ cōditiones requirantur ad legem humanam, vt vim obligandi habeat?

BRACTEA XXII.

R. Vt lex humana obligandi vim habeat. Primo requiri, vt iusta sit. Et ita D. Th. 1. 2. *quæst. 96. art. 4.* & omnes communiter cum eo. Ratio est, quia lex humana vim accipit à lege æterna à qua deriuat non potest autem à lege æterna deriuare, nisi sit iusta, vt illud Prouerb. 8. *Salis iudicat, per me Reges regnant, & legum conditores iuxta decernunt*.

Sciendum, Quod dupliciter lex humana potest esse iniusta, vno modo per contrarietatem ad bonum humanum, vt ea, qua multitudini onera imponuntur, vel à non habente potestatem, vel non seruata æqualitatis proportione inter partes multitudinis, vel ob propriam cupiditatem, & non ob communem vtilitatem, & ideo ad iustitiam legis requiritur, vt feratur à legitimo superiore, nam lex vim obligandi trahit à legislatore, nullus enim potest obligare, nisi sit legitimus superior. Secundò requiritur, feratur ob bonum commune, & non ob bonum particulare, siue cupiditatem propriam. Altero modo lex dicitur iniusta per contrarietatem ad bonum diuinum, quomodo iniusta est omnis lex inducens ad Idolatriam: imò ad quodcunque aliud, quod sit contra legem Diuinam, requiritur secundò, vt lex vim obligandi habeatur, vt sit promulgata publicè. Ratio est, quia cum lex imponatur omnibus, nec incognita seruari possit, debet ita diuulgari, vt possit de facto ad omnium notitiam venire; tum quia de ratione legis est, vt feratur ob bonum commune; ergo debet intimari communitati, in cuius vtilitatem, & cōmodum fertur, & cum hoc, ex recepta consuetudine fiat per publicationem; idcirco debet publicari. Et ita D. Thomas 1. 2. *quæst. 90. art. 4.* Nauar. *in manuali cap. 23. num. 44.* Molina *tract. 5. de iurisdict. disput. 70. num. 1.* Rodriquez *tom. 1. quæst. regular. quæst. 6. art. 3.* Salas *de legib. disp. 12. sect. 1. num. 1.* Nomine autem publicationis non solum intelligi publicam propositionem, se denunciationem legis, quæ fit voce præconis, verum etiam intelligi eam, quæ fit affigendo legem in loco publico, vel alio simili modo iuxta locorum consuetudinem, & non esse necesse ad obligationem legis, vt singulis intimetur, & denuncietur, sed sufficere, vt publicè promulgetur, ita ut ad aures singulorum processu temporis peruenire possit. Ita Molina *loco citato num. 2.*

Sciendum 2. Quod vt lex vim habeat obligādi requiritur post dictam promulgationem, vt aliquod tempus elapsum sit. Ratio est, quia in lege præfigitur tempus, quo obligare incipiat, & lex promulgata non obligat ante præscriptū tempus; quapropter si legislator spatium duorum mensium apposuit ad obligandum, subditi non obligantur, nisi post illos duos menses, cū obligatio legis ab intentione legislatoris pendeat, & legislator non intendit obligare immediatè post publicationem, sed post duos mēses. Si verò nullum in lege præfigatur tempus ad obligandum, legē statim obligare post promulgationem, quia lex eo ipso quod publicè lata, vim, & rationem habet imperij; ergo statim obligat, nisi legislator aliter exprimat; tum etiam quia quando legislator immediatè non vult obligare, immediatè post promulgationē solet hoc exprimere; ergo si non exprimat, censetur immediatè velle obligare post sufficientem promulgationem legis, prout sonant verba ipsius, & prout postulat natura ipsius rei. Ita Siluester *verbo lex num. 6.* Vasquez *par. 2. disput. 156. cap. 3.* Azorius *par. 1. lib. 5. cap. 3. quæsito 8.* Molina *de iustit. tract. 2. disput. 395.* Suarez *de legibus lib. 3. cap. 18.* Salas *de legib. disp. 13. sect. 3. num. 19.*

Sciendum 3. Constitutiones Pontificias vsu, atq; consuetudine receptas, non indigere promulgatione facta in Prouincia. Et patet, quia leges contentæ in decreto, & in quinque libris decretalium *in 6.* in Clementinis, & in extrauagantibus non obligant ex aliqua eorum promulgatione facta in Prouincijs. Secundò, constitutiones Pontificias, in quibus Papa exprimit se velle obligare ex eo tempore, quo Romæ facta fuerit publicè eorum promulgatio, non requirere ad obligationem, vt promulgentur in Prouincijs. Et ratio est, quia volūtas legislatoris obligandi ante factam promulgationem manifesta est. Tertiò, constitutiones generales Papæ, in quibus ipse exprimit, ex quo tempore vellit eas obligare, si ius antiquum includant, siuè Diuinum, siuè humanum ad obligationem non requirere, vt in Prouincia promulgentur, cum ius antiquum sufficienter talem promulgationem sua obligatione suppleat; si verò nō includāt ius antiquum, sed nouum constituāt, non obligare ante factam promulgationem in Prouincia, nisi expresserit tempus, in quo vult omnes obligare dicēdo, Ex nunc pro tunc, &c.

Scien-

Sciendum 4. Quod vt lex vim habeat obligandi, requiritur, vt sit vsu recepta, siuè acceptata. Et ita Nauarrus *cap. 23. num. 41.* Valentia *disput. 7. quæst. 5. dub. 2.* Em. Sà *verbo lex num. 1.* & alij. Ratio est, quia leges sub hac tacita conditione feruntur, vt vim habeant obligandi, si fuerint vsu receptæ, & acceptatæ. Tum etiam quia vt lex firmata abrogetur contrario vsu, sit moribus vtentium, seu legis vsu recepta, seu acceptata, quando populus, vel maior pars populi prosequitur facere, quod facere solebat ante legis promulgationem. Et ita Azorius *lib. 5. cap. 4. quæsito 1.* Salas *de legibus disp. 13. sect. 2. num 9.* Reginaldus *lib. 13. num. 164.* Suarez *lib. 4. cap. 16. num. 9.* & alij; tunc verò lex dicitur vsu recepta, quando maior pars Communitatis eam recipit faciendo, quod lex exprimit, aut illam approbando verbo, vel scripto.

Sciendum 5. Legem obligare eo modo, quo recipitur, & acceptatur; quod si lex accipiatur in totum, in totum obligare, si verò secundum aliquam partem solùm acceptatur, obligare solummodo secundum illam partem, non verò quoad aliam. Ita Valentia *disput. 7. quæst. 5. pun. 5.* Reginaldus *lib. 13. num. 165.* & alij. Ratio est, tum quia quæ ratio totius ad totum eadem est partis ad partē; sicut ergo obligat in totum, quando in totum acceptatur, & in nihilo obligat, quando in nihilo acceptatur, ita etiam obligat secundum aliquam partem solùm, si secundum aliquam partem acceptatur.

An peccent, qui non seruant legem acceptatam à maiori parte Communitatis?

BRACTEA XXIII.

R. Peccare, nisi ignorantia inuincibilis, aut iusta aliqua causa eos excuset, vel non seruent eā superiore sciēte, ac tolerante, ac valente cogere. In quo quidem casu superior videtur suspendere, vel tollere obligationem legis. Quod verò peccent non obseruando legem acceptatam à maiori parte; patet, quia lex promulgata, & sufficiēter acceptata obligat. Quod autem ignorantia inuincibilis excuset; patet etiam, quia illam nondum acceptauerunt, vsuq; nondum receperunt, & consequenter eos non obligat non obseruantes legem, sciente, & tolerante legislatore, peccare solùm duobus, aut tribus primis actibus, quibus illam transgrediuntur, non autem reliquis; propterea quod ex præcedentibus illis sufficienter apparet legislatoris voluntas, legem ipsam suspendendi, aut tollendi; qui verò transgreditur nesciente legislatore, vel non valente ad obseruantiam cogere, cum velit, per decenium, peccant transgrediendo, postea verò (nisi lex eadem innouetur à superiore) ob præscriptionem longi temporis, quale in proposito decennio censetur esse, excusantur à peccato.

An lex humana obliget non solùm subditos, sed etiam ipsum legislatorem?

BRACTEA XXIV.

R. Principem, seu legislatorem non obligari ex vi coactiua ad seruandam propriā legem. Ratio est, quia lex solùm obligat subditos, nullus autem est sibi subditus; tum quia actus ferendi leges est actus iurisdictionis coactiuæ, quam nullus habet in seipsum. Et ita Tabiena *verbo lex num. 28.* Reginaldus *lib. 13. num. 162.* Clauis regia *lib. 3. cap. 4. num. 5.* Suarez *lib. 3. de legibus cap. 35. num. 15.* Sotus *1. de iustit. quæst. 6. art. 7.* & alij. Excipitur tamen casus, in quo Princeps ex directa obligatione stare contractibus, vel quasi contractibus cum suis subditis factis, quia cōtractus obligat ex vtraque parte; vnde si vi cōtractus Principis sibi obliget ciuem, ciuis quoque obligabit sibi Principem, qui in contractu rationem habet priuati hominis potius, quam Principis.

R. 2. Principem obligari ad seruandam legē, quam ipse condidit ex æquo, & bono, seu ex quadam æquitate, & quod melius sit; magisque deceat ab eo seruari, quam non seruari; tum etiam quia caput debet se conformare semper cęteris membris, quod tamen intelligendum est, dummodo leges habeant materiam vniuersalem, quæ Principibus possit accommodari; vnde si Rex præcipiat neminem gladio accinctum, aut sericis indutum incedere, non tenetur talem legem obseruare, quia in ipso non est eadem, quæ in alijs ratio, cur debeat à talibus abstinere; tum etiam quia materia huius legis non est accommodata statui Principis, nec ipsum decet. Ita Suarez *lib. 3. de legibus cap. 35. num. 2.* Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 35.* Ex opposito si Episcopus præcipiat ieiunium, tenetur ipsum obseruare ex æquitate rationis, tum quia par ratio est in eo, atque in alijs: tum quia materia legis est illi accommodata, non peccare tamen mortaliter Principem, aut legislatorem, qui leges suas non obseruat. Ita Lessius *lib. 2 de iustit. cap. 35. dub. 5.* Viualdus *in candelabro par. 2. cap. 12.* Azorius *par. 1. lib. 1. cap. 11. quæsito 1.* & alij. Ratio est, quia Princeps tenetur solùm suis legibus ex honestate, & ex æquitate; ergo non videtur teneri sub peccato mortali, cum honestas, & æquitas non inducant grauem obligationem.

An lex obliget subditum legislatoris constitutum extra ipsius territorium?

BRACTEA XXV.

R. Non obligare. Et ita communiter Doctores, quos Couarru. commemorat in *cap. alma mater*, & Sanchez *lib 3 de matrim. disput. 18. quæst. 2.* An verò lex obliget non subditum legislatoris existentem in ipsius territorio. Respondeo peregrinum, seu alienigenam, qui ad aliquem locum peruenit absque intentione ibi constituēdi domicilium, vel ibi habitandi maiorem partem anni non ligari legibus locorum, in quibus pro tempore reperitur, modò eædem leges non adsint in loco sui domicilij. Ratio est, quia subiectum legis est subditus, aduena autem, & peregrinus non est subditus. Tum quia viator non sortitur forum loci, in quo transit, modò lex non feratur à superiore ipsorum peregrinorum, aut non feratur ratione rei sitę, vel cōtractus celebrandi in loco legislatoris, quia tunc peregrinus obligatur seruare leges illius loci.

Sciēdum *ex cap. vlt. de foro compet.* non subditum sortire forum ratione delicti, id est ob delictum

effici subditum ei Prælato, in cuius ditione illud committit, ita vt possit ritè coram ipso conueniri, ipseque possit iurisdictionem suam in illum exercere ob tale delictum iuxta *caput primum de priuilegijs in 6.* & ita peregrinus, qui furatur in via, subijcitur pœnis, quas imponunt leges loci, in quo furatur.

Sciendum 2. Quod & si lex non obliget aduenam, & peregrinum ad obseruantiam legum loci, ipsum tamen iuxta *caput illa autem dist. 12.* obligat in casibus sequentibus. Primò, ratione scandali vitandi, cum quilibet teneatur vitare scandalum. Et ita Sanchez *in opere morali lib. 1. cap. 12. num. 25.* Suarez *lib. 3. cap. 33 num. 6.* & alij. Obligatur etiam ratione contractus, qui celebrandus est iuxta conditiones, & solemnitates receptas in eo loco, in quo celebratur contractus. *l. si fundus ff. de euiction.* Ita Felinus *cap. 1. de sponsalibus.* Excipitur tamen ab hac doctrina contractus dotis, in cuius celebratione non attenditur statutum loci, in quo initur contractus dotis, sed attenditur statutum, in quo vir habet domicilium *l. exigere ff. de iudicijs.* Ita Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 18. num. 11.* Tertiò, obligatur aduena seruare leges loci, quando eædem leges, & consuetudines obligant non solùm, vbi aduena reperitur, verùm etiam in proprio ipsius aduenæ territorio, quia tunc aduena tenetur leges loci, in quo reperitur obseruare. Ita Sanchez *in opere morali lib. 1. cap. 12. num. 21.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. num. 15.* & alij. Obligatur etiam, quando in obseruantia, seu violatio legum vergit in damnum, vel iniuriam illius loci, in quo aduena reperitur, quia par non est, vt extraneus ibi commoretur cum damno existentium in eo loco: quamobrem si Princeps ob commune bonum prohibeat frumentum, &c. à suo Regno extrahi, aduenę tenentur legibus ipsius. Ita Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 8. num. 14.* Reginaldus *lib. 13. num. 172.* & alij.

An vagi teneantur legibus loci, in quo pro tempore manent?

BRACTEA XXVI.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia cum vagi non habeant locum permanentem, si non subderentur legibus loci, in quo pro tempore manent exempti, essent ab omnibus statutis, & legibus municipalibus, aut etiam decretis Episcoporum: quod non videtur consentaneum ipsorum saluti, & rectæ gubernationi. Ita Suarez *tom. 1. de relig. lib. 2. cap. 14. num. 20.* Sanchez *in opere morali lib. 1. cap. 12. num 23.* Reginaldus *lib. 13. num. 172.* & alij. Quod etiam dicendum est de illis, qui relicto priori domicilio quærunt, vbi constituāt domicilium, sed illud nondum actualiter constituerunt, etiamsi iam deliberauerint, quo in loco velint domicilium constituere, quia eadem est vtriusque ratio.



An lex humana obliget non tantum in foro externo, & ad pœnam, sed etiam in foro conscientiæ, & ad culpam?

BRACTEA XXVII.

R. Primò legem humanam tàm ciuilem, quàm Ecclesiasticam in conscientia obligare posse, ita vt ipsius transgressio imputetur ad culpam. Et ita Sotus *1. de iustit. quæst. 6. cap. 8.* Nauarrus *cap. 23 num. 54.* Clauis regia *lib. 3. cap. 4.* Valentia *par. 2. disput. 7. quæst. 5. pun. 6.* Vasquez *par. 2. disp. 158. cap. 2. & 4.* Ratio est, quia faciendum est id in conscientia, quod lex naturalis, & Diuina dictant faciendum, sub peccato faciendum est, sed parendum esse legi humanæ lex naturalis, & Diuina dictant; ergo necessariò in conscientia legi humanæ parendum est. Maior patet, quia lex naturalis, & Diuina sunt ipsa lex æterna naturaliter, vel supernaturaliter nobis reuelata, quam transgrediendo mortaliter peccatur. Minor patet, tum ex verbis Domini Matth. 23. *Cum dixisset super cathedram Moysi, &c.* subiungit *Omnia ergo quęcunque dixerit vobis, seruate, & facite,* & ex verbis primæ Petri cap. 2. *Subiecti igitur estote omni creaturę* propter Deum, siuè Regi quasi præcellenti, siuè Ducibus tanquam à Deo missis in vindictam malefactorū, &c. & ex verbis D. Pauli ad Titum 3. *Admone illos Principibus subiectos esse.*

Quod verò lex Ecclesiastica possit etiam obligare ex conscientia, patet ex verbis Christi Lucę 11. *Qui vos spernit, me spernit,* & ex verbis Matthæi 18. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi,* sicut æthnicus, & publicanus; ergo lex Ecclesiastica potest obligare, & in conscientia.

An vt lex humana obliget in conscientia necesse sit, vt legislator eam ferat cum intentione obligandi in conscientia?

BRACTEA XXVIII.

R. Negatiuè, sed satis esse, vt legislator eam ferat secundum totam rationem suæ auctoritatis nēpè intendendo obligare subditos, quantum sua auctoritate potest, vt si legislator vtat his verbis, *iubemus,* obligamus, pręcipimus, pręcipiendo mādamus, vetamus, interdicimus, debeant, teneantur, obligentur, non potest, necesse est, non liceat, &c. non modò censetur obligare in consciētia, sed etiam ad culpam mortalem. Ita Siluester *verbo præceptum quæsito 2.* Vasquez *disp. 158. cap. 3.* Suarez *lib. 3. cap. 15.* & alij apud Salas *de legibus disp. 10. sect. 9. num. 49.* & apud Emanuelem Sa *verbo lex num. 5.* & apud Clauem regiam *lib. 3. cap. 7. num. 27.* Secundò sumitur etiam intentio legislatoris ex grauitate, vel leuitate materiæ, quia cum non exprimit, sub qua culpa velit obligare, præsumitur velle obligare iuxta grauitatem, & leuitatem materiæ. Ita Sotus *1. de iustit. quæst. 6. art. 4.* Beccanus *tract. 3. cap. 6. quæst. 3. num. 11.* Clauis regia *lib. 3. cap. 7. num 29.* Præsumitur etiam velle in conscientia obligare ad culpā mortalē, quoties sub his verbis editur. Præcipio ex vi voti, vel iuramenti, vel in virtute sanctæ obedientiæ, vel obtestatione mortis æternæ, vel Diuini iudicij, aut sub indignatione

ne Dei, aut Sanctorum, aut sub maledictione æterna, quia legislator hac loquendi forma censetur velle quantum potest obligare. Ita Nauarrus *cap.23.num 53.* & alij. Similiter si legislator vtatur verbis imperatiuis in materia graui, vt si dicat, caueant, audiant, faciant, dicant, facite, &c. vel si vtatur his verbis sancimus, intendimus, volumus, innouamus, statuimus, &c. Ratio est, quia hæc verba continent præceptũ, & non tantummodo consilium: præceptum autem in materia graui obligat sub mortali. Ita Azorius *par.1.lib.5.cap.6.quæsito 5.* Salas *de legib.disp.10.sess.9.num.51.* & alij.

Sciendum dubium esse, quomodo possimus cognoscere in legibus materiam esse grauẽ, vel leuem. Respondeo non posse certam regulam præscribi, sed prudentis iudicio relinquendum esse, qui considerato fine, quo legislator adductus est ad legem condendam iudicabit; vnde, si res præcepta valdè conducat ad finem à legislatore intentum censebitur materia grauis, secus si non multum conducat ad finem legislatoris. Ita Suarez *lib.3.cap.25.n.4.* & alij: vnde fieri potest, vt vna materia respectu vnius personæ censeatur grauis, & respectu alterius leuis. Secundò, in iudicando spectabit circumstantias, quibus legislator ductus est ad ferendas leges, qualis est ratio vitandi scandali, aut damni communis, &c. nam materia, quæ in se leuis est, & incapax obligationis sub mortali fieri potest capax tantæ obligationis respectu circumstantiarum.

An legislator possit in materia graui obligari solùm sub veniali?

BRACTEA XXIX.

R. Posse. Ratio est, quia lex obligat solummodo iuxta intentionem legislatoris, & actus in moralibus non excedunt intẽtionem, & ideò si legislator intendat tantum obligare sub veniali in materia graui, asserendum est non obligare sub mortali. Et ita Nauarrus *cap.23.num.49.* Sanchez *de matrim. lib.1.disput.9.num.6.* Siluester *verbo præceptum quæsito 3.* & alij. Quod si dicatur legem naturalem non posse in materia graui obligare sub veniali. Respondeo diuersam esse rationem in rebus, quæ præcipiuntur iure naturæ; & in his, quæ præcipiuntur iure humano, quia obligatio naturalis oritur ex re ipsa; sicut ergo res ipsa grauis est, ita & etiam grauis debet esse obligatio, & transgressio grauis in lege naturali; at in lege humana obligatio oritur ex intentione condẽtis legem, qui suo arbitratu potest obligare aut ad culpã venialem, aut ad mortalẽ, & lex obligat etiam eo modo, quo acceptatur, & moribus vtẽtium comprobatur; si ergo non recipiatur tanquam ad grauem culpam obligans, non est asserendũ legem obligare sub mortali, nisi aliter constet de mente legislatoris.



An quando dubitatur, an lex obliget sub mortali, vel veniali iudicandum sit obligare sub mortali?

BRACTEA XXX.

PRima sententia est Salas *disp.13.sect.1.num.23.* Toleti *de septem peccatis cap.20.dub.vlt.* Medinæ *cod. de ieiunio quæst.17.* Martini Ledesmæ *2.4. quæst.17.art.2 dub.6.* & aliorum, qui dicunt dubitantẽ, an lex obliget sub mortali, an verò sub veniali, teneri obligatione legis, ac si lex obligaret sub mortali, sed

R. Probabiliter sustineri posse sub veniali solummodo obligare, si consideratis circunstãtijs rei præceptæ dubitetur, etiam an lex obliget sub mortali. Et ita Nauarrus *cap.23.num.50.* Ratio est, quia *de regulis iuris in 6.* dicitur in obscuris, quod minimum est, sequendum est; tum quia sicut in pœnis benignior pars accipienda est, ita etiam in culpa; tum quia in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem; ergo quando dubitatur, vtrum lex obliget sub mortali, vel solum sub veniali probabiliter iudicari potest, obligare solùm sub veniali, si adhibita sufficienti diligentia, seruatisque regulis iam præmissis dubium perseueret de grauitate obligationis, nam libertatem conscientiæ possidet.

An lex pœnalis obliget etiam in conscientia?

BRACTEA XXXI.

R. Non modò legem præceptiuam, sed legẽ pęnalẽ, qua videlicet aliquid præcipitur sub pęna obligare in cõscientia, & iuxta grauitatẽ, aut leuitatem materiæ ad peccatum mortale, nisi aliundè constet de contraria legislatoris intentione. Ratio est, quia lex continens præceptum iustum, obligat in conscientia, & talis est lex pęnalis; ergo, &c. tum quia in hoc præceptum differt à consilio, quod consilium non obligat sub culpa, sicuti obligat lex, & pręceptum; & ideò faciens aliquid contra ea, quæ sunt de consilio, non peccat, faciens verò aliquid contra legem, & præceptum peccat iuxta grauitatem rei, licet plures teneant opinionem contrariam, nimirum Nauarrus *in manuali cap.23.num.55.* Salas *de legibus disput.15.sect.1.num.6.* & alij existimantes, legem pręsertim ciuilem non obligare sub mortali, quando in ea contra transgredientes decernitur pęna temporalis, quamuis pęna sit grauis, & magna, dũmodò nõ constet legislatorem velle sub mortali culpa obligare. Ratio est, quia legislator apponens pęnam temporalem censetur excludere ęternam, & ideo dum solam pœnam temporalem exprimit, censetur solùm velle ad ipsam obligare, & non ad æternum. Quorum opinio censetur etiam probabilis.



An

An quando lex infert pœnam ipso facto transgressoribus, teneatur ipsam persoluere delinquens ante Iudicis sententiam?

BRACTEA XXXII.

SCiendum pęnam aliam dici latam ipso iure, seu latæ sententiæ, & aliam esse cominatoriam, seu ferendæ sententiæ. Pęna ipso iure lata dicitur illa, quę, posito delicto statim irrogatur, vt si dicatur, qui tale delictum commiserit, sit ipso iure, facto, priuatus officio. Pœna cominatoria, seu ferendæ sententiæ illa dicitur, quam Iudex cominatur delinquenti, vt si dicatur, qui tale delictum commiserit, priuabitur officio, vel bonis, &c.

Sciendum 2. Pęnas priuationis esse etiam in duplici differentia, aliæ sunt, quæ non possunt executioni demandari absque hominis actione externa; aliæ pęnæ sunt, quæ ad sui executionē nullam hominis actionem requirunt, qualis pęna est incapacitas bonorum, inhabilitas ad matrimonium, vel ad petendum debitum coniugale, vel ad officium, vel ad beneficium, vel ad Sacramenta suscipienda, vel administranda, vel ad ferenda suffragia, qualis etiam pœna est ineligibilitas ad officium, priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, & aliæ huiusmodi. Quibus positis.

R. 1. Delinquentem non teneri ante sententiam declaratoriam soluere pęnam, quæ non potest mandari executioni absque actione hominis, nisi manifestè appareat talem esse intentionem legislatoris, vt velit delinquentem pœnam subire ante Iudicis sententiam. Ita Couaruu. *de matrim. par. 2. cap. 6. §. 8.* Suarez *lib. 5. de legibus cap. 8. n. 54.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 29. dub. 8. n. 63.* Valentia *par. 2. disp. 7. qu. 5. pun. 6. §. 3.* Ratio est, quia odia sunt restringenda, tū quia sic videtur vsu, & cōsuetudine receptū, vt nō se priuet re ante obtenta, nisi declaratoriam criminis sententia præmittatur, quam tenent etiam Sanchez *in opere morali lib. 2. cap. 22* Molina *tom. 1. disput 95.* etiamsi delictum sit notorium, ita vt nulla tergiuersatione celari possit, adhuc delinquentem non teneri ante sententiam declaratoriam soluere pęnam, quæ ad sui executionem requirit hominis actionem externam, nisi vt dictum est, aliter constet de mente legislatoris, cum par sit, vt pęna fiat, auctoritate publica lata, publicè per sententiam Iudicis perficiatur. Tum quia valdè alienum est à natura, & moribus hominum, quod idem cogatur esse reus, & Iudex, vel iustitiæ executor, non rarò occulti criminis proditor, & accusator; quapropter aduertit Molina *1. 2 quæst 96. art. 4.* eiusmodi leges pęnales quatenus præceptum continent ad subditos dirigi, vt eas obseruent, quatenus verò pęnam, siuè mulctam adiungunt præcipuè ad Iudices referri, vt eam transgressoribus imperent. Licet aliqui dicant, quod quando agitur de priuatione officij, vel beneficij, vel etiam aliorum bonorum magni momenti, seu notabilis quantitatis, non incurri ante sententiam declaratoriam, quamuis in lege dicatur incurri ipso facto absque declaratione. Ratio est, quia huiusmodi lex aliter intellecta videretur iniusta, vel saltem crudelis, & nimis rigida. Ita Salas *disput. 15. sect. 3. num 46.* Em. Sà *verbo pęna num. 1.* & alij apud Salas, & alios. Sed contraria sententia videtur probabilior. Ratio est, quia superior potest ante declarationem huiusmodi priuationem indicere.

R. 2. Delinquentem teneri subire pęnam ante sententiam Iudicis declaratoriam, quæ ad sui declarationem nullam hominis requirit actionem. Ratio est, quia huiusmodi pęnæ comparantur irregularitate, & censuris ipso iure latis, quas commisso delicto statim incurri perspicuum est inter homines. Vnde si dicatur, qui tale delictum fecerit, sit excommunicatus ipso facto, incurrit excommunicationem delinquēs ante sentētiam declaratoriam, cum nulla actio requiratur ad hanc pęnam incurrendam. Et ita Sotus *1. de iustit. quæst. 6. art. 6.* Nauarrus *cap. 23. num. 67.* Clauis regia *lib. 3. cap. 9. num. 23.*

Sciendum 3. Circa pęnas priuationis officiorum vocis actiuæ, & passiuæ, & circa alias pœnas, quæ ipso facto incurruntur sine vlla sententia declaratoria, eum, qui in has pęnas ipso facto incidit non obligari priuare se officio voce actiua, vel passiua, &c. si hoc non possit facere absque infamia, etiamsi in lege habeatur delinquentem priuari officio voce actiua, vel passiua absque alia declaratione. Ratio est, quia ius ad propriam famam conseruandam magis obligat, quam tale ius humanum, nec lex humana cum præiudicio famæ videtur obligare, licet delinquens teneatur petere dispensationem, ne iniustè retineat beneficium. Ex quibus colligitur primò beneficiarium posse retinere beneficium, quod ipso iure amisit, quoadusque per sententiam declaratoriam Iudicis priuetur, nisi aliter conijciatur de mente legislatoris, vt si diceret, pęnam in foro conscientiæ statim subeundam esse, vel absque alia declaratione; & per consequens valere acta facta per beneficiatum ipso iure priuatum ante sententiam declaratoriam. Ratio est, quia adest titulus coloratus, & error communis. Ita Azorius *par. 1. lib. 5. cap. 6. quæst. 6.* Molina *lib. 1. disput. 66.* Secundò, non esse expectandam Iudicis sententiam declaratoriam, quando in lege dicitur, beneficium ipso facto vacet in conscientia, vel non retineat in conscientia, &c. quia in istis casibus apparet legislatorem velle delinquentem subire pęnam ante sententiam declaratoriam. Ita Reginaldus *lib. 3. num. 295.* & alij. Tertiò, Superiores Monasteriorum, qui alienant bona Ecclesiastica non seruata forma in extrauagante requisita *Ambitiosè* de rebus Ecclesiæ non alienandis esse ipso facto priuatos beneficio absque alia declaratione, licet talis priuatio requirat ad sui executionem actionem hominis externam; & per cōsequens ne sit subeunda ante Iudicis sententiā, tamen ex Clementina *Ambitiosè* manifestè constat legislatorem velle hanc pęnam incurri ante Iudicis sententiam. Licet in praxi aliter sit receptum. Ratio est, quia Clementina *Ambitiosè* non videtur recepta cum tanto rigore, vt beneficiarius debeat à se beneficium abdicare ante Iudicis sententiam, & lex pęnalis obligat eo modo, quo est accepta. Et ita Nauarrus *in manuali cap. 27. num. 150.* Clauis regia *lib 3. cap 9. num 4.* Sanchez *in opere morali lib. 2. cap. 21. num. 41.* Suarez *lib. 5. cap. 8. num. 10.* & alij. Immò Em. Sà *verbo pęna num. 1.*

num.1.Graphius *loco citato*, & alij existimant esse necessariam declarationem criminis tantum, consequenter superiorem qui non seruata solemnitate alienauit bona immobilia, vel bona mobilia, quæ seruando seruari possunt non teneri ex vi extrauagantis *Ambitiosè* deserere beneficium ante criminis declarationem, etiamsi in lege extrauagãti dicatur, sint ipso facto priuati beneficijs, aut absque alia declaratione vacare censeantur, quia ad incurrendam pœnam requiritur etiam declaratio criminis, & illa verba apponi maioris claritatis gratia, cũ vsu receptum sit, vt aliqua verba ad maiorem claritatem aliquando addantur, vt docet Couaruu.2.*variar.num*.9. Quartò eum, qui obtento Parochiali beneficio sua culpa non recipit ordinem Sacerdotalem intra annum in conscientia teneri beneficium deserere. Ratio est, quia licet huiusmodi pęna non possit mandari executioni absque hominis actione, nihilominus *cap.licet de elect.in* 6. decernitur hujusmodi beneficiarium esse priuatum beneficio absque alia monitione. Ita Nauarrus *cap*. 25. *num*.117. Salas *disput*.5.*sect*.2.*num*.31. Reginaldus *lib*. 13. *num*. 281. & alij; licet in foro exteriori non possit ad id cõpelli sine tali sententia. Quod etiam dicendum est de electo in Episcopum, si non consecretur intra sex menses, nimirum priuari in conscientia suo illo Episcopatu per Concilium Tridentinum *sess*.23.*cap*.2.*de reform*.

An legis pœnalis obligatio extendat se ad eos, qui illam ignorant?

BRACTEA XXXIII.

R. Primò nullam ignorantiam hominem vsum rationis habentem excusare à pœna iuris, quæ incurrũtur iusta de causa, sed sine ipsius peccato, cuius generis sunt bigamia, defectus natalium, defectus lenitatis in ministro iustitiæ damnantem sontem ad mortem, & aliæ id genus, propter quas absque peccato irregularitas incurritur, neque enim qui spurius est ex v.g. ex eo quod se talem esse, inuincibiliter se ignoret, desinit esse talis, idest spurius esse; ac proinde nec desinit habere in se causam sufficientem, per quam sit irregularis: vbi autem est sufficiens causa, ibi quoque est effectus illius, verba autem illa, Habẽtem vsum rationis sunt in propositione addita, quod pęna imponatur homine, vt vtẽdi ratione: inde irregularitatem non incurrunt infans, dormiens, aut ebrius, aut mente captus, si homicidium committant.

R.2. Ignorantiam, quę excusat aliquem à peccato, excusare etiam ipsum ab incurrenda pœna à iure statuta. Ratio est, quia res, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit, vt in *cap*.2.*de constitut*. dicitur, & ideo sicuti ignorantia inuincibilis excusat ab omni culpa, ita etiam excusat à pęna, quę non infertur, nisi ob culpam voluntariam, licet sint aliquæ pęnæ, vt v. g. interdictum Ecclesiasticum, quod propter peccatum alienum imponitur.

R.3. Ignorantiam inuincibilem pęnæ impositæ excusare ab ipsa incurrenda, etiamsi reus nõ excusetur à culpa; vnde qui scit aliquod delictũ prohibitũ esse, sed nescit illud esse prohibitum sub pęna; committendo illud delictum peccat quidem, sed non incurrit pęnam. Ita Nauarrus *cap*.27.*num*.274. Filliucius *tract*.11.*cap*.8.*quæstio* 11.*nu*. 257. & alij. Quod etiam dicendum est de ignorantia probabili facti, aut qualitatis facti, ipsam scilicet excusare à pęna. Ratio est, quia interueniente ignorantia facti, vel qualitatis facti non adest voluntarium, & ideo non incurritur pęna interueniente ignorantia facti, vel qualitatis facti; Et quod non adsit voluntarium cum ignorantia facti, vel qualitatis facti patet, quia delinquens cognito facto, vel qualitate facti fortassè retraheretur à peccato, & à delicto patrando. Ita Molina *tom*.4.*disput*.53.*nu*.1. Sotus *in* 4.*dist*.22.*quæst*.1.*art*.2. Salas *de legibus disput*. 15.*sect*.9.*num*.210. Vasquez *tract.de excommunicat.dub*. 14.*num*.2.

Sciendum ignorantiam crassam, & culpabilem facti, vel qualitatis facti non excusare à culpa mortali, ita nec etiam excusare à pœna incurrenda. Ita Reginaldus *lib*.9.*nu*.198. Suarez *tom*.5.*disput*.4. *sect*. 10.*num*.10. Coninchus *disput*. 13. *dub*.13.*num*.11. Ratio est, quia *in cap*.2.*vt animarum de constitut.in* 6. generaliter asseritur, ignorantiam, quæ non est vana, nec supina excusare ab omnibus sententijs quoruncunque ordinariorum; ergo ignorantia quæ ita est crassa, & supina, vt non excusat à peccato mortali, ita non excuset ab incurrenda pęna. Similiter ignorantiam concomitantem excusare à pęna: vnde iaciens sagittam in suum inimicum, quem credebat esse feram, sed in mente sua ita erat actualiter affectus, vt illum occidisset, si sciuisset ipsum esse suum inimicum, non contrahit irregularitatem, nec excommunicationem, si lata esset contra homicidas. Ita Vasquez 1.2.*quæst*.76.*art*.3 *disp*. 126. Molina *disp*.53.*num*.2.*tom*.4. Suarez *disp*.4.*sect*.8. *num*.8. & alij.

Sciendum 2. Legem, quæ imponit pœnam facienti scienter aliquid, non obligare in conscientia eum, qui fecerit ex ignorantia etiam vincibili, quia lex puniens facientem aliquid scienter requirit dolum, à quo non modò ignorantia inuincibilis, sed etiam vincibilis excusat, nisi sit affectata. Et ratio est, quia qui facit aliquid, ex tali ignorantia tantum neglecta, nec affectata non facit verè scienter, ideoque nec verè continetur lege lata contra facientes sciẽter, ideòque lex imponens pęnam ei, qui præsumpserit aliquid facere, non obligat illum, qui id bona fide ignoranter, imprudenter, & inaduertenter facit, quia verbum *Præsumpserit* importat dolum.

An lex conditionalis pœnalis obliget ante sententiam Iudicis?

BRACTEA XXXIV.

R. Legem, quæ pęnam imponit, non propriè vt pęna est, sed vt quandam conditionẽ, vel modum rei traditæ obligare in conscientia ante sententiam Iudicis. Ita Sotus 1.*de iustit. quæst*.6.*art*.9. Clauis regia *lib*. 3. *cap*.9. Suarez *lib*.5. *cap*.6.*nu*.10. & alij. Ratio est, quia hæc non est lex propriè pęnalis priuans alterum re iam acquisita, sed priuans iure acquirendo; lex autem pęnalis, quæ obligat ante sententiam est illa, qua

quis

quis priuatur iure acquisito. Ita Sotus 1. *de iustit. quæst. 6. art. 6.* Valentia *disput. 7. par. 6. §. 3.* Clauis regia *lib. 3. cap. 9.* Suarez *lib. 5. cap. 6. num.* 10. & alij: vnde fœmina cui relictum est legatum tali conditione, si castè viuat, si vitam inhonestam faciat non posse ipsum retinere, sed teneri statim restituere, licet in testamento non dicatur ipso facto. Ita Nauarrus *cap. 23. num. 62.* Molina *tom. 2. disput. 96.* & alij. Ratio est, quia huiusmodi pœna potius habet rationem legati conditionalis, quam pœnæ: legatum autem conditione accipi, & retineri non potest, nisi adimpleta conditione. Similiter quando in legatis, & testamentis aliquid relinquitur cum tali onere, vt res non adimpleta transeat ad alium, rem ipsam ad alterum transire, si onus re ipsa non adimpleatur. Et ita Suarez *de legib. lib. 5. cap. 6. num.* 10. Caiet. *verbo pœna*, Reginald. *lib. 13. num.* 282.

An lex humana sic obliget, vt sint irrita omnia, quæ contra ipsam facta fuerint?

BRACTEA XXXV.

R. Primò ea omnia, quæ fiunt contra legem irritantem ipso facto esse irrita, & inualida. Ratio desumitur *ex regula iuris in 6. 64.* vbi dicitur, Quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi. Tum quia penes legislatorem recidet potestas irritandi actus factos contra legẽ, & sicut lex positiua potest iuri naturali aliquod addere iubendo, aut vetando, ita potest aliquid præscribere irritando, quod iure naturæ irritum non est; ergo actus facti contra legem irritantem irriti sunt. Ita Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 4.* Salas *de legib. disp. 16. sect. 4. num. 6.* & alij.

Sciendum dubium esse, an irritatio ipso facto imposita statim incurratur. Respondeo incurri ante declarationem, quoties irritatio nõ fundatur in falsa præsumptione. Ratio est, quia talis irritatio æquiparatur inhabilitati, & priuationi vocis actiuæ, & passiuæ, cum ad sui executionem non requirat actionem hominis. Ita Suarez *lib. 5. de legibus cap. 32.* An verò ex actu humano lege irrito inducatur saltem naturalis obligatio? Respondeo negatiuè, ratio est, quia Ecclesia, & Princeps possunt actus, in vtroque foro irritare, ita vt ciuiliter, naturaliter, seu in foro conscientiæ non obligent. Tum quia ex actu, cui lex resistit, nulla nascitur naturalis obligatio. *l. quod pupillus ff. de condict. indeb.*

R. 2. Quæ fiunt contra legem non irritantem factum contrarium esse vt plurimum inualida. Et patet *ex l. non dubium cod. de leg.* & *ex cap. Imperiali 25. quæst. 2.* & *ex cap. 2. de testibus*, vbi dicitur, *quæ contra legem fiunt non habere firmitatem*. Dixi, vt plurimum quoniam dantur casus, in quibus exceptionem patitur, validumque sit illud, quod fit contra legem, per quam non irritatur expressè. Primus casus est, quando lex aliquis prohibet ob causam temporalem, vt v.g. illa, quæ ob venerationem certi temporis prohibet matrimonium in eo contrahi, in quo si contraheretur non propterea matrimonium esset inualidum, esset autem inualidum, si contraheretur inter consanguineos, vel intra gradus prohibitos, quia causa talis prohibitionis nõ est tẽporalis, sed perpetua. Secundus est, quando lex punit contrafacientẽ; tunc enim cõtra factũ, nisi expressè irritet validũ est. Tertius, quãdo lex facta in fauorẽ eius, qui contra illam agit, quia comparatione ipsius exhortatio potius est quam lex, eique ipse tanquam cedes suo iuri potest renunciare. Quartus, quando lex certum modum aliquid agendi præscribit ei, qui iure alioqui potest illud agere: sic Ordinarius, qui potestatem habet absoluendi ab excommunicatione iuris, quantumuis præcipiatur ei, vt non absoluat, nisi prius accepto iuramento, & satisfactione ab excommunicato validè absoluit, etiamsi absoluat non seruato tali præcepto. Secus esset, si potestatem tantum delegatam haberet, & in delegatione iniungeretur talem formam seruare; nam ea non seruata ille nihil efficiet, tanquam excedens limites potestatis sibi commissæ.

Sciendum 2. Posse nos cognoscere, an lex irritet aliquem actum ipso facto ex verbis continentibus irritationem, vel tantummodo negẽt actionem in iudicio, nam si continent irritationem, certum est actum esse inualidum etiam in foro conscientiæ, modò lex non fundetur in falsa præsumptione; vnde si quis prohibeat aliquid facere his verbis, Non potest, non valet, actus erit inualidus, quia particula illa negatiua præposita verbo potest, tollit potentiam ad agendum.

R. 3. Actus celebratos sine forma substantiali inualidos esse in vtroque foro. Ratio est, quia in moralibus actus non subsistit sine propria essentia; ergo nec item sine forma substantiali.

Sciendum 3. Illam dici formam substantialẽ, qua non seruata actus non subsistit quoties præscribitur aliqua forma, seu solemnitas apposita clausula irritante actum aliter factum. Ita Molina *tom. 1. de iustit. disp. 81.* Gutier. *de matrim. cap. 61. num. 5.* Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 7. num. 4.* Secundò, illam censeri formam substantialem, etiam quando præscribitur aliqua solemnitas, dum communicatur aliqui potestas ad faciendum aliquid seruata tali forma, idest solẽnitate. Tertiò, illã etiã cẽseri formam substantialẽ, quando aufertur, aut limitatur potestas ad aliquid faciendum cum tali forma. Ratio est, quia cum acta sine potestate sint inualida, & illa dicatur forma substantialis, sine qua actus inualidè celebrantur, sequitur illam dici formam substantialem, qua limitatur, vel aufertur potestas, nisi talis forma, seu solemnitas seruetur, vt quando Sacerdoti conceditur facultas absoluendi à casibus reseruatis tali modo, concedimus facultatem absoluendi iniuncta tali satisfactione, aliter non possis absoluere, facultas enim conceditur seruata tali forma, & limitatur, vel aufertur potestas absoluendi sub tali forma per particulam non possis aliter absoluere.

An quælibet omissio formæ substantialis reddat actum irritum?

BRACTEA XXXVI.

PRima sententia est Azorij 1. *par. lib. 5. cap. 28.* Suarez *lib. 5. cap. 32. num.* 10. quamlibet omissionem etiam leuem in forma substantiali efficere actum irritum.

Secunda sententia est Molinæ *tract. 2. de iustit. disput.*

disput.81. Em. Sà verbo interpretatio nu.6. & aliorum, qui putant ob leuem formæ substantialis omissionem non effici actum irritum, quia parum pro nihilo reputaturi & ideò

Respondeo cum Molina, & alijs *loco citato*, omissionem leuem in forma substantiali non efficere actum irritum, licet maxima prudentia opus sit in dijudicanda grauitate, & leuitate omissionis formæ substantialis, cum aliquãdo leuis omissio rei materialis, vt v.g. vnius syllabæ in forma substãtiali moraliter faciat grauem omissionem, vt v.g. si quis baptizando diceret loco patris, fratris, vel matris tollitur significatio moraliter substantialis formæ.

Quomodo explicanda sit lex humana?

BRACTEA XXXVII.

Sciendum duplicem esse verborum proprietatem, vnam naturalem, & alteram ciuilem: naturalem illam esse, quam habent verba ex sua primæua institutione, ciuilem quæ ob similitudinem, aut iuris fictionem extenditur à iure ad aliud significandum, quam ex prima sua institutione significet, vt v.g. Professio, quæ ciuiliter dicitur mors ciuilis, &c. Quibus positis.

R. Legem humanam odiosam explicandam, & extendendam esse solùm, quatenus important verba iuxta proprietatem naturalem; in rebus verò probabilibus explicandam, & extendendam esse, non solùm quantum importãt verba iuxta illorum proprietatem naturalem, sed etiam ciuilem. Ita Em. Sà *verbo interpretatio nu.4.* Salas *disp.21. sect.3.* & alij.

Sciendum 2. Leges tàm fauorabiles, quàm odiosas non esse explicandas vltra proprietatem verborum naturalem, & ciuilem. Ratio est, quia sicut homines loqui cõsueuerunt iuxta proprietatem verborum, ita & etiam legislator præsumitur ferre leges iuxta proprietatem verborum, modò necessitas non cogat ad aliter faciendum, vt quando ex omissione extensionis sequeretur aliqua iniustitia, vel quando lex fieret inutilis; nam omnis dispositio ita explicanda est, vt potius valeat, quam pereat; & ideò si in aliquo casu particulari lex potius periret, quàm valeret, nisi fieret extensio prędicta necessitate interueniente facienda est. Ita plures citati apud Bonacinam *disp.1. quæst.1. pun.8. num.14.*

Qualis interpretatio facienda sit, quando verba legis plures habent sensus, sed non constat, quo sensu legislator protulerit legem?

BRACTEA XXXVIII.

R. Quando verba legis habent duplicem sensum, vnum proprium, & alterum improprium, nec constat quo sensu legislator legem protulerit, tunc verba legis accipienda esse iuxta propriam significationem. *l. non aliter ff. de leg.* Ratio est, quia sicut verba in communi sermone accipiuntur in propria significatione, ita multò magis in legibus accipi debet in propria significatione. Ita Azorius *par. 1. lib. 6. cap. 16.* & alij. Quando verò verba legis plures habent sensus proprios, verba accipienda esse iuxta sensum, qui magis potest conuenire rei, de qua agitur; si verò vterque sensus æqualiter conueniat, nec constet de intentione legislatoris benigniorem, & strictiorem partem explicandam esse in odiosis, in fauorabilibus verò latiorem. *leg. fin. ff. de constitut. Principum, &c.* Si verò verba habeant duos sensus proprios, vnum iuxta propriam verborum significationem, alterum iuxta communem loquendi modum verba debere explicari iuxta communem loquendi modum, nam legislator censetur vti verbis iuxta communem vsum. Ita Eman Sà *verbo interprat. num.25.* Suarez *de legibus cap.17. num.5.* & alij.

An lex pœnalis extendenda sit ab vno casu ad alium casum, vel ab vno crimine ad aliud, vel ab vna persona ad aliam personam?

BRACTEA XXXIX.

R. Negatiuè. Et ita plures apud Clauem regiam *lib.3. cap.* 8. & apud Rebellum *de oblig. iustit. lib.1. par.1. quæst.6. art.20.* & apud Suarez *lib.6. cap.3. num.5.* Ratio est, quia *cap. pena de penis dist.6.* dicitur in pęnis benigniorem partem amplectendam esse. Tum etiam quia in lege pęnali non valet argumentari à simili, seu ab identitate rationis, aut à fortiori, aut à minori ad minus, aut à contrario sensu, modò vnus casus, seu vnum crimen non sit positum in lege tantummodo gratia exempli, nam si lex sit generalis, certum est generaliter intelligi debere de omnibus casibus, ad quos verba legis extendi possunt seruata proprietate verborum, & licet vnius tantummodo personæ facta sit mentio, non propterea reliquæ censentur exclusæ. Ratio est, quia leges non agunt de vna singulari persona, vt docet Menochius *de recuper. possess. remed.4. num. 20.* & alij. Et ideò quod dicitur de vno correlatiuo extendi etiam ad aliud, quando vnum tantummodo positum est gratia exempli, seu quando ex eadem ratione, alijsque circunstantijs constat legislatorem voluisse vtrumque comprehendere.

R. 2. Nec etiam in lege fauorabili faciendam esse extensionem ad alios casus, nisi ad ipsos extendantur verba legis, iuxta proprietatem verborum naturalem, vel ciuilem, vel nisi aliter cogat necessitas. Ratio est, quia legis dispositio pendet à voluntate legislatoris, sed legislator posita eadem ratione potest pro suo arbitrio vnum velle, & non aliud, vnum approbare, & alterum reprobare, vnum præcipere, & alterum prohibere; ergo sequitur ex eadem ratione non esse faciendam extensionem ad similes casus, nisi ad ipsos verba legis extendantur, aut nisi legislator voluerit ipsos eadem lege comprehendere.

Quibus

Quibus actibus satisfiat praecepto?

BRACTEA XL.

R. Posse satisfieri praecepto per actum ex aliqua circunstantia malum. Ratio est, quia qui facit talem actũ, substãtiam praecepti adimplet; ergo illi satisfacit. Ita communiter omnes.

Sciendum praeceptum dupliciter considerari, materialiter, & formaliter, seu quoad substantiam, & quoad modum, & aliquãdo vnum praeceptum obligare solum materialiter, & ad substantiam, vt praeceptum communicandi in die Paschae, &c. Aliquando obligare materialiter, & formaliter, seu quoad substantiam, & quoad modum, vt praeceptum recitandi Diuinum Officium, praeceptum audiendi Missam, & praeceptum confitendi: vnde si quis recitet Diuinum Officium sine attentione, & deuotione non dicitur satisfacere praecepto Diuini Officij, cùm hoc praeceptum obliget quoad substãtiam, & quoad modum; similiter si quis dormiens assistat Missae, nõ dicitur satisfacere praecepto audiendae Missae, cum hoc praeceptum materialiter, & formaliter obliget; sicut etiam non satisfacit praecepto annuae confessionis, qui sine debito dolore cõfitetur, cum hoc praeceptum materialiter, & formaliter obliget. A contrario vero satisfacit praecepto communionis, qui indignè, & sine deuotione se communicat in die Paschae. Ratio est, quia hoc praeceptum obligat solummodo quoad substantiam, & non quoad modum: vnde qui adimplet praeceptum per actum ex aliqua circunstantia malum, illud adimplet, modo vt dictum est talis finis, seu modus non praecipiatur tanquam de intrinseca ratione praecepti, peccat tamen, qui scienter adimplet praeceptum per actum ex aliqua circunstantia malum. Et ita Nauarrus *in manuali cap. 21. num. 7.* Valentia *disput. 7. quest. 8. pun. 2.* Medina *tract. de oratione quest. 16. de hor. canon.* Suarez *lib. 3. de legib. cap. 29.* Sanchez *de opere morali lib. 1. cap. 14. num. 1.* & alij.

R. 2. Vnico actu posse aliquem satisfacere pluribus praeceptis, nisi aliter coniiciatur ex mente legislatoris. Ratio est, quia obligatio legis pendet à mente legislatoris; ergo si aliud conijciatur ex mẽte legislatoris non potest quis vnico actu satisfacere pluribus praeceptis. Et ita Medina *eod. de satisfactione quest. 4.* Sanchez *in opere morali lib. 1. cap. 14. num. 5.* Valentia *2. 2. disput. 6. quest. 2. pun. vlt.* Azorius *par. 1. lib. 7. cap. 5. quaesito 3.* Henriquez *lib. 9. cap. 5. num. 5.* & alij. Hinc sequitur beneficiarium satisfacere obligationi recitandi Diuini Officij, quam habet ex ordine, & ex beneficio. Similiter quis potest audiendo Missam satisfacere praecepto Ecclesiae, & voto particulari, quod habet de audienda Missa, sicuti satisfacit praecepto dandi eleemosynam tempore Iubilaei, vt ipsum acquirat, & voto, quod habet faciendi eleemosynam, & sic de alijs.

R. 3. Eodem tempore diuersis actibus posse aliquem satisfacere pluribus praeceptis, quoties vnus actus non impedit alium actum, quoad substantiam, & quoad modum. Ita Sotus *in 4. dist. 19 quest. 2 art. 1.* Suarez *de sacramentis disp. 38. sect. 6. num. 5.* & alij supra citati; vnde patet posse aliquem dum missam audit, recitare Diuinum officium, cum actus recitandi Diuinum officiũ non impediat actum audiendi Missam. An verò tempore audiendae Missae possit quis confiteri? Respondeo negatiuè, si illa confessio importet notabilem partem Missae. Ratio est, quia actus confitendi est impeditiuus actus audiendi Missam, quoad modum, licet non materialiter, & quoad substantiam; secus verò dicendum erit si actus confitendi tempore Missae non importet notabilem partem Missae.

Qua intentione debeat quis satisfacere Praecepto?

BRACTEA XL.

R. Primo requiri intentionem faciendi opus praescriptum, vt v. g. qui recitat diuinum officium, debet habere intentionem saltem virtualem recitandi ipsum; similiter, vt quis satisfaciat praecepto audiendi Missam, requiritur intentio saltem virtualis audiendi ipsam, & sic de alijs. Ratio est, quia praecepta debent adimpleri ab homine humano modo, non adimplerentur autem humano modo, si non fieret cum intentione adimplendi opus praescriptum; vnde qui recitaret Diuinum officium intentione legendi Psalmos, & aliquid addiscendi ex ipsa lectione non satisfaceret Praecepto, cum non haberet intentionem orandi; sicuti etiam non satisfacit, qui sine debita attentione saltem ad verba recitat diuinum officium, aut audit Missam, quia sic audiendo, vel recitando non exercet actionem humano modo. Ita Sotus *3. de iustit. quest. 3. art. 9.* Sanchez *in summa lib. 1. cap. 13. num. 2.* Tertio non satisfacere praecepto audiendi Missam, qui ingreditur Ecclesiam, vt meditetur, & eodẽ tẽpore Sacerdos accedit ad Altare ad celebrandam Missam. Ratio est, quia iste habuit intentionem meditandi, & non audiendi Missam, sicuti etiam ex defectu intentionis non satisfacit praecepto, qui vi absoluta cogitur audire Missam, sicuti etiam qui vi absoluta cogitur ieiunare non satisfacit praecepto. Ratio est, quia qui facit aliquid per vim absolutam, non censetur voluntariè illud facere, & per consequens non censetur satisfacere praecepto, satisfaceret autem si per metum grauem satisfaceret praecepto. Ratio est, quia metus grauis non tollit voluntatem, nec intentionem faciendi aliquid, sicut tollit vis absoluta. Ita Azorius *par. 1. lib. 10. cap. 12. quaesito 9.* Sanchez *loco cit.* & alij.

R. 2. Non esse necesse ad satisfaciendum praecepto, vt opus praestetur intentione satisfaciendi ipsi, sed satis esse, vt opus praestetur intentione illud praestandi, vt v. g. ad satisfaciendum praecepto Missae, non est necesse, quod quis audiendo Missam habeat intentionem satisfaciendi praecepto, sed satis esse, quod habeat intentionem faciendi opus praescriptum, nimirum audiendi Missam. Sicut etiam satisfacit quis voto, seu praecepto visitandi Ecclesias, quando quis eas visitat intentione ipsius visitandi, licet tunc non habeat intentionem satisfaciendi voto.

An qui facit opus cum intentione faciendi ipsum, sed non satisfaciendi præcepto, præcepto satisfaciat?

BRACTEA XLII.

R. Satisfacere Præcepto. Ita Suarez *tom. 2. de Religione de horis Canon. lib. 6. cap. 26. num* 8. Lessius *de horis Cano. dub.* 10. Valentia *tom. 3 disp. 6. q. 2. pun. 10. de horis Canonicis*, Sanchez *in opere morali lib. 1. cap. 13. num.* 13. Arragonius 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 3. & alij. Ratio est, quia præceptum non præcipitur, vt fiat intentione implendi ipsum, sed simpliciter, vt fiat; ergo qui tale opus præscriptũ facit, etiamsi non habeat intentionem satisfaciendi præcepto satisfacit, vnde qui Missam audit in die festo cum intentione audiendi aliã, vt satisfaciat præcepto, non tenetur aliam audire, vt ipsi satisfaciat, quia iam adimpleuit præceptum, nec tenetur animum mutare, & alium voluntatis actum elicere, quo velit satisfacere præcepto, seu satisfecisse per opus anteà præscriptum. Ratio est, quia iam satisfecit præcepto, cum fecerit opus præscriptum, ergo non est necesse, vt eliceat actum intentionis satisfaciendi præcepto, sed satis est, vt desistat ab animo non adimplendi præceptum, quia sic tollit actualem affectum ad peccatum.

An lex cesset per contrariam legem?

BRACTEA XLIII.

R. Legem cessare per posteriorem legem contrariam priori, seu per restrictionem præcedentis legis. Ita Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 20. & 21.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. 27.* & alij communiter. Ratio est, quia posterior voluntas Principis præfertur priori, & lex in tantum obligat, in quantum intendit legislator obligare, etiamsi lex prior fuerit firmata iuramento. Et ratio est, quia legislator sicut habet potestatem auferendi legem absolutam, ita etiam habet potestatem auferendi legem firmatam iuramento, etiamsi ipsius nullam faciat mentionem. Et ita Bonacina *disp. 1. quæst. 1. pun. vlt. §. 1.* dummodo tamen illud iuramentum sit simpliciter assertorium de præsenti. Quod si fuerit de futuro, vt si legislator iuret, se legem non reuocaturum, tunc tenet priorem legem non reuocari per posteriorem, nisi in ipsa fiat mentio prioris, quia legislator non præsumitur velle sibi laqueum inijcere derogando legi, cui sine periurio derogare nequit.

An lex cesset per priuilegium?

BRACTEA XLIV.

R. Primo priuilegium, si nomen spectetur, proinde est, ac priuata lex, sic dictum, vel quod in priuato feratur *dist. 3. priuileg.* vel quod priuatam legem generet, 25. *quæst. 3. cap. fin.* Secundum rem verò definitur ab Hostiensi, priuatum, seu singulare ius contra ius commune indultum; siue vt alij loquuntur, priuilegium est lex, qua conceditur aliquid speciale.

R. 2. Priuilegium multiplex esse; Primò vnum Diuinum, & alterum humanum, nam Diuinum priuilegium fuit Abrahę, & Iacob plures vxores simul habere, & Israelitis exeuntibus ex Ægypto spoliare Ægyptios, Samsoni se ipsum occidendi, &c. Priuilegium humanum duplex esse, vnum generale, & speciale: generale illud esse, quod continet in se plures articulos, vel pluribus personis, aut ratione plurium personarum, vel plurium rerum conceditur; speciale verò, quod alicui loco, vel vni personę, vel vnus articulus conceditur.

Distinguitur etiã priuilegiũ in Reale, & Personale. Priuilegium reale illud esse, quod conceditur alicui loco, vel alicui rei, vel aliquibus personis occasione loci, vel cuiuscunque rei; Priuilegium personale illud esse, quod conceditur primario personæ ratione sui. Tertiò diuiditur priuilegium in Gratiosum, & remuneratorium; gratiosum illud esse, quod gratis conceditur nulla habita ratione illius, cui cõceditur, vel aliorum, Remuneratorium dicitur illud, quod conceditur alicui ratione meritorum ipsius, vel alterius. Quartò distinguitur etiam in priuilegium conuentionale, quod scilicet conceditur interueniente pacto, seu conditione, & in purum, quod absolutè conceditur. Quintò in Priuilegium fauorabile, & odiosum; Priuilegium fauorabile dicitur illud, quod priuilegiato confert fauorem, & commodum, nullique affert incommodum, & prę iudicium; vt est priuilegium, quo alicui datur facultas audiendi Missam domi, aut seruiliter laborandi die festo, aut vescendi carne tempore quadragesimæ: Odiosum dicitur illud, quod vni confert fauorem, alteri præiudicium, vt est priuilegium quo quis eximitur ab obedientiam, nam huiusmodi priuilegium dicitur odiosum respectu superioris, &c. Vltimò diuiditur priuilegium in perpetuum, quod absolutè, & absque limitatione temporis conceditur, vt est priuilegium, quod conceditur dignitati, Religioni Ecclesię, & Monasterio, & in temporale, quod conceditur cum temporis determinatione, aut quod conceditur personæ singulari, quod dicitur vitale, quia durat ad vitam illius, cui conceditur, eoque expirante expirat. Dicitur etiam temporale, quando conceditur sub aliqua conditione, vt eã impleta cesset, vt si dicatur Concedo tale priuilegiũ ad meum beneplacitum, nam concedens priuilegium sub hac forma vult valorem priuilegij pendere à voluntate ipsius concedentis, cum autem eo mortuo priuilegium non possit amplius ab ipsius voluntate pendere, sequitur priuilegium sub hac forma concessum expirare morte concedentis, si verò in priuilegio dicatur, Concedo donec reuocauero, &c. non cessat morte concedentis, quia ad reuocationem talis priuilegij requiritur actus reuocantis, qui ante mortem non est factus, vt suppono, neque potest fieri post mortem, cum sit destructum principium actionum humanarum, similiter nõ finiri priuilegium morte concedentis si concessum sit his verbis, Ad beneplacitum Sedis, &c. quia cum Sedes semper duret, semper etiam durabit priuilegium, donec reuocatum fuerit ab eo, qui Sedem tenet. Ita Azorius *lib. 5. cap. 23. quæsito* 4. Sanchez *lib. 8. disp. 28. num. 49.* Suarez *de censuris disput. 26. sect. 1. num. 17.* & alij.

Quis possit concedere Priuilegium?

BRACTEA XLV.

R. Quod solus ille, qui potest legem ferre potest etiam priuilegium concedere. Ratio est, quia ad illum solum spectat exceptionem facere, ac limites ponere in ipsa lege, aut præter eam operari, facultatem concedere, &c. Ita Azorius 1. *par. lib.* 5. *cap.* 22. Sanchez *lib.*8. *cap.*9. *&* 10. Salas *disp.*17. *sect.*3. *num.*27. & alij.

An Priuilegium suam vim habeat statim, ac concessum est à Principe?

BRACTEA XLVI.

R. Cum distinctione, quando quis per se, aut per suum Procuratorem impetrat à Principe priuilegium, hoc statim, atque impetratum est vim suam habere. Ratio est, quia simul concurrunt voluntas concedentis, & voluntas impetrantis, intimata illi per petitionem ipsam priuilegij. quando verò quis nec per Procuratorem ab ipso deputatum impetrat priuilegiũ, sed Princeps proprio motu, vel ad distantiam alterius illud concedit, priuilegiatus non gaudet eo, donec ipsum admiserit, de concessio certior factus per eum, qui illud impetrauit, vel per Nuncium ipsius, aut concedentis. Ratio est, quia priuilegium censetur concessum sub hac tacita conditione, si priuilegiatus acceptet, quia priuilegium est veluti quædam donatio: donatio autem acceptari debet à donatario, alioqui non erit valida.

Sciendum ex supradictis colligi, confessionem factam Sacerdoti ignaro concessionis sibi ab Episcopo factæ ad excipiendas confessiones validam esse, si concessio facta fuerit, & acceptata à Procuratore ipsius Sacerdotis misso ad illam petendam; si verò Episcopus concessit Sacerdoti facultatem audiendi confessiones motu proprio, vel ad distantiam alterius non missi ab ipso Sacerdote non valet confessio. Ratio est, quia in isto casu non censetur habere facultatem datam motu proprio Episcopi, vel ad distantiam alterius, nisi ipsam acceptauerit; cum autem ignorauerit talem licentiam datam, confessio facta censetur inualida ex defectu facultatis, sicuti etiam inualidum est matrimonium de licentia Parochi, vel Ordinarij celebratum coram eo Sacerdote, qui licentiam sibi concessam cognouit per alium, quam per Nuncium proprium, vel per Nuncium Parochi. Ita Sanchez *lib.*3. *de matrim. disp.* 36. *num.*8.

Sciendum 2. Duplex esse priuilegium; aliud quod ex mera concedentis liberalitate confertur, vt accidit in donatione rei propriæ, aliud quod ex parte illius, cui conceditur est meræ liberalitatis, ex parte verò concedentis non est meræ liberalitatis, sed cuiusdam necessitatis ex officio ei mandato. Priuilegia, quæ ex mera cõcedentis liberalitate proueniunt, ad modum scilicet donationis rei propriæ, posse à concedente reuocari ante acceptionem absentis. Ratio est, quia non censetur ius habere ad ipsũ acquisitum ante acceptationẽ; Priuilegium verò secundi generis reuocare non posse. *Cap. si tibi absenti de præbend. in*6. vbi decernitur, ius in beneficium collatũ absenti nõ acquiri donec acceptet, & interim collationem reuocari non posse. Ita Salas *disp.*17. *sect.*5. & alij.

An priuilegiatus possit vti priuilegio absque determinatione loci concessa extra territorium concedentis?

BRACTEA XLVII.

R. Primo Priuilegio absolutè, & absque determinatione loci concesso priuilegiatũ vti posse in quolibet loco territorij concedentis, nisi aliter constet de mente ipsius concedentis. Ratio est, quia tale priuilegium censetur generale, & per consequens priuilegiatus eo vti potest in quolibet loco cõcedentis, quia vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Si verò concedens priuilegium, determinauit locum, priuilegium nõ valet vltra præfixum, & determinatum locum. Dixi nisi aliter constet de mente concedentis, quia si constaret, vt priuilegium valeat tantum in certo loco, pro illo tantum valere dicendum est.

R. 2. Priuilegiatum posse vti priuilegio personali sibi concesso absque determinatione loci extra territorium concedentis, modo in alieno territorio non esset specialis aliqua prohibitio. Ita Azorius *lib.*5. *cap.*23. *quæsito* 6. Sanchez *lib* 31. *num.*17. Gutier *de matrim. cap.*127. *n.*9. Ratio est, quia priuilegium personale afficit personam, & illi inhæret, eamque sequitur quocunque pergat; ergo priuilegiatus potest vti tali priuilegio vbique.

Sciendum, Quod si in alieno territorio extet specialis aliqua prohibitio videndum est, vtrum extraneus obligetur legibus locorum, in quibus reperitur, quia si tenetur legibus, seu præceptis locorum non, sentio posse vti priuilegio sibi concesso à superiore, qui non habet directam iurisdictionem in superiorem loci, in quo priuilegiatus reperitur. Secus verò si non obligetur legibus, seu præceptis locorum. Ratio est, quia priuilegiatus per priuilegium exemptus est ab obligatione legis, quæ obligatio nõ reuiuiscit ob existentiam in alieno territorio. Tum quia huiusmodi priuilegium est personale, vt suppono; ergo sequitur personam vbicunque existat.

Quomodo interpretandum sit priuilegium?

BRACTEA XLVIII.

R. Priuilegium regulariter esse strictissime interpretandum, iuxta legem, *quod verò ff. de legibus*. Et ratio est, quod priuilegium aliquid iuri communi detrahat, & plerumque ius alterius diminuat, quo fit, vt illud interpretari debeamus, ita strictè, vt quam minimè possibile est derogetur iuri communi, neque ius alterius diminuatur. *Ex cap. cum dilectus* §. *fin. de consuetudine*.

R. 2. Priuilegium, quod non est contra legem communem, sed tantum contra priuatam, siuè scriptam, siuè non scriptam alicuius loci, quam reducit ad ius commune, interpretandum

dum esse latè, iuxta *caput Olim de verborum significatione*.

R. 3. Non esse strictè interpretanda priuilegia, quando ex stricta interpretatione nihil operantur, nisi præbeatur ex aliqua parte occasio peccandi, vel videatur iure naturali, aut diuino, vel gentium aduersari, aut appareat aliorum offensio, ex eo secutura, quia tunc priuilegium strictè interpretandum est, quia præsumendum est mentem superioris non esse peccata fouere, aut aliorum offensionem.

R. 4. Priuilegium quod sapit beneficium, quia scilicet iuri communi non repugnat, neq; de alieno quidquam elargitur esse latissimè interpretandum, *ex l. beneficium, ff. de constitutionibus*.

R. 5. Regulam esse generalem, quod priuilegium fauorabile sit latè explicandum, priuilegium verò odiosum strictè, seruata tamen verborum proprietate. Ratio desumitur ex illa regula iuris in 6. odia restringi, fauores conuenit ampliare, tum quia illa regula *in cap. sanè de priuilegijs*, priuilegia sunt restringenda maximè valet priuilegijs odiosis; tum quia Princeps in odiosis censetur solum voluisse derogare, quatenus expresè per verba declarauit.

An sit aliqua differentia in explicandis priuilegijs, quæ continentur in iure communi, & in explicandis priuilegijs, quæ non in iure communi continentur?

BRACTEA XLIX.

R. Maximam esse differentiam, quia priuilegia, quæ continentur in iure communi non sunt strictè interpretanda, cum censeantur vim legis, & iuris communis habere. Ita Couar. 4. *decretor. 2. part. cap.* 8. §. 8. Salas *disp* 20 *n* 90. Sanchez *disp. 1. num.* 368. Priuilegium verò, quod non continetur in iure, strictè explicandum esse, quia censetur ius quoddam priuatum cōtra ius commune. Ita Salas *disp* 10. *num* 90. Suarez *lib. 8. cap. 27. num. 8.* & ideò priuilegium concessum irregulari ad beneficia strictè interpretandum esse, & per consequens concessum esse solummodo ad beneficia simplicia, & non ad beneficia curata, vel ad dignitates, nisi aliter ex verbis, & coniecturis colligatur. Ita Azorius *lib* 5. *c. 23. quæsito* 2. & alij. Sicut etiam priuilegium concessum illegitimo ad ordines, censetur solūmodo concessum ad ordines minores, quia cū huiusmodi dispensatio sit contra ius commune strictè est interpretanda. Ita Azorius *loco cit.* & Sanchez *disp. 1. num. 26.* & alij; si verò illegitimus habeat ordines minores priuilegium seu dispensatio concessa censetur in ordine ad ordines maiores, quia alioqui priuilegium redderetur inutile. Ita Azorius *loco cit.* & alij. Secus verò dicendum est, quando priuilegium est rerum, quæ continentur in iure communi; vt quando quis impetrat dispensationem in tertio gradu, extendi ad secundum cum tertio; quia iuxta iuris dispositionem, *cap. fin. de consanguinit.* gradus remotior trahit ad se minus remotum, & computatio graduum sumenda est à persona, quæ magis distat à stipite. Ita Sanchez *lib. 8. disp. 1. num 9.* Salas *disp. 20. sess. 10. num 90.* & alij, nisi aliter tamen ferat stilus Curiæ Romanæ,

An eodem pacto explicanda sit potestas concedendi priuilegium, & dispensationem, sicuti priuilegium, & dispensatio?

BRACTEA L.

R. Non eodem pacto explicandam esse potestatem concedendi priuilegij, seu dispensationis, & ipsum priuilegium contrà ius. Ratio est, quia potestas concedendi priuilegium, seu dispensationem latè est interpretanda, tum quia non repugnat vlli iuri, nec vlli notabile præiudicium affert, tum quia est fauor, & beneficium Principis; dispensatio verò strictè est explicanda, quando proprietas, & significatio verborum patitur. Ratio est, quia est res odiosa, & stricti iuris, & dicitur ius commune vulnerare. Ita Molina *tract. 2. disp. 173.* Salas *de legib. disp. 20. sect. 3. num. 18.* Em. Sà *verbo dispensatio num. 7.* & alij.

An priuilegium his tantum intelligatur concessum, qui in ipso expresè nominantur, vel sub illis etiam aliquando comprehendantur alij?

BRACTEA LI.

R. Priuilegium esse solummodo concessum illis personis, quæ sunt in priuilegio expressæ, vel quæ in eo comprehenduntur ex significatione verborum priuilegij, aut propter materiæ, aut actionis conexionem, aut propter iuris dispositionem. Vnde quando prædicta connexio ex aliquo capite istorum satis nota fuerit, tunc certa est illius ampliatio ad personas connexas, quando verò est dubium, idem seruari poterit in priuilegio omninò fauorabili. Secus verò in priuilegio odioso, quod est contra ius commune, aut contra ius tertij, quia non præsumitur Princeps velle plus derogare iuri communi, aut velle priuare aliquem iure acquisito, vel maius præiudicium tertio inferre, quam suis verbis exprimat, ac declaret, ergo in dubio semper coarctandum est priuilegium ad personam in eo expreßam, quando vel derogat iuri communi, vel alterum lædit. Et ita Sot. *lib.* 8 *de legibus cap.* 10. *num.* 4.

Quod priuilegium censeatur esse concessum personis in eo expressis; patet, quia priuilegium tantum valet, quantum sonat, tum etiam quia ad eos solùm extenditur intentio concedentis, intentio autem concedentis extenditur solùm ad eos, qui comprehenduntur in priuilegio, vel modo supradicto comprehendi possunt; ergo, &c. Et ideò priuilegium concessum viris, censetur etiam concessum fœminis, & priuilegium concessum fratribus extenditur ad sorores, si priuilegium concedatur per nomen communis, seu ambiguæ significationis, vt est hoc nomen *Homo, filius*. Ratio est, quia masculinum concipit fęmininum. Et ita Suarez *lib. 8. de legibus cap. 10. num. 9.* Si verò loquatur priuilegium per hæc verba *viros*, aut *masculos*; tunc non extenditur ad fęminas. Et ita Suarez *loco citato*, quia facilius admittuntur fęminæ sub nomine viri, quam sub nomine masculi. Quia nomen vir videtur

detur aliquando comprehendere fœminas, etiā in communi, & vulgari sermone iuxta illud Psalmi: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, &c. Beatus vir, qui timet Dominum*, Suarez *loco citato*. Similiter priuilegium concessum bonis mariti censeri concessum bonis vxoris. Sanchez *lib.8. disput.26.num.6.* Suarez *loco citato*. Item priuilegia competentia marito ratione nobilitatis prouenientis ex stirpe, vel per accidens acquisitæ trāsire ad vxorem. Ratio, quia ex iuris dispositione sancitum est, vxorem viri nobilis esse nobilem, & etiam mortuo marito. Ratio, quia ipsa etiam in viduitate retinet nobilitatem, quod etiam dicendum de patre, & filijs; quia filij gaudent priuilegio nobilitatis patris. Cetera verò priuilegia concessa patri non extenduntur ad filios, cum sint priuilegia personalia, & pater, & filius sunt personæ distinctæ, & habitudo sola relationis non sufficit, vt filius gaudeat priuilegijs patri.

An priuilegium immunitatis concessum patri ob numerum duodecim filiorum communicetur vxori, ac filijs?

BRACTEA LII.

R. Priuilegium immunitatis concessum patri ob numerum duodecim filiorum cōpetere etiam matri pro bonis patrimonialibus, quæ ipsa vti propria possidet. Ita Vincentius de Franchis *decis.* 289. *num.* 13. Riccius *collect.*1707. Thesaurus *in addit. ad decis.* 267. *Pedemont.* & alij. Ratio est, quia priuilegia immunitatis à muneribus personalibus ob numerum filiorum competit etiam matri quoad excusationem à muneribus, quæ mulieri conuenire possunt. *leg. de personalibus cod. de his, qui numer. liberor. lib.*10. Sed munera patrimonialia, seu realia conuenire etiam possunt mulieribus. *leg.1. cod. de muneribus*; ergo ab eis, numerus filiorum excusat matrem, sicut à personalibus; & patet, quia eadem ratio, ob quæ excusatur à personalibus propter numerū militat in realibus. Nec obstat, quod iura loquantur tantum de patre, & non de matre; nam iura adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt, non autem ad ea, quæ rarò. *leg. nam ad ea ff. de legibus*: at verò rarò accidit vxores habere bona propria, ac patrimonialia, quorum administrationem independenter à marito habeant, ideò iura illa matris non meminerunt, sed tantum patris.

An priuilegium cesset vno ex filijs mortuo?

BRACTEA LIII.

R. Non cessare in tali casu priuilegium, & est communis opinio. Ratio est, quia liberorum numerus duodenarius tantum ad acquisitionem priuilegij necessarius, non autem ad illius conseruationem. Et ita Ripa *l. ex facto num.* 13. quod tamen intelligendum est quoad onera imposita ante mortem filiorum, quia secus dicendum quoad onera, quę imponuntur post mortem eorum, vt docet Ripa *loco cit.* Tiraquell. *tract. cessante causa* 1. *par. limit.*4. *num.*13.

An filius adhuc existens in vtero matris prosit patri ad hanc immunitatem consequendam si duodenarium numerum compleat?

BRACTEA LIV.

R. Negatiuè. Ratio est, quia filius existens in vtero, cum sit pars viscerum matris, non videtur distinctum suppositum à matre, ac proinde non potest propriè dici complere numerum duodenarium filiorum. Ita Rolandus alios referens *cons.*52. *num.*6. *vol.*2. Thesaurus *decis. Pedemont.*267. *num.*8. Tum etiam quia expressè definitur *in l.* 2. §. *remittit ff. excusat. tut.* Tum etiam quia si filius existens in vtero matris non prodest patri ad obtinendam immunitatem à muneribus personalibus, quæ facilius conceditur, ergo multò minus prodesse potest ad consequendam immunitatem à muneribus realibus, seu patrimonialibus, quæ difficilius conceditur, vt patet *ex lege neque tempore iuxta gloss. C. de muneribus patrim. lib.*10.

An filij mortuo patre gaudeant hoc priuilegio immunitatis?

BRACTEA LV.

R. Affirmatiuè, dummodo filij post mortem patris vnitè viuant, seu in communi, ac pro indiuiso. Ita Menochius *consil.*486. Surdus *decis.*123. Aloysius Riccius *collect.*42. & alij.

Sciendum dubium esse, an mortuis patre, & filij, gaudeat mater superstes hoc priuilegio. Ad quod respondeo gaudere hoc priuilegio. Ratio est, quia priuilegium hoc competit ęquè principaliter tàm patri, quàm matri; ergo sicut post mortem omnium filiorum, & matris, remanet in patre, ita è contra remanere debet in matre extinctis filijs, & patre, antecedens patet, nam ratio principalis, cur hoc priuilegium sit concessum patri, fuit ob fauorem Reipublicæ, cui pater tot procreauit filios: at hæc ratio habet locum etiam in matre, ergo, &c.

An nepotes ex filio præmortuo, prosint auo ad consequendam hanc immunitatem, ita vt etiam ipsi in numero duodecim liberorum computari possint?

BRACTEA LVI.

R. Primò nepotes ex filio mortuo prodesse auo ad obtinendum immunitatis priuilegium. Ratio, quia cum hoc priuilegium sit fauorabile, est latè interpretandum, at in fauorabilibus appellatione liberorum, immò & filiorum veniunt etiam nepotes ex filio; ergo, &c. Ita Rolandus *cons.*52. *num.*7. Thesaurus *decis.* 267. *num.*6. & plures alij Iuristæ.

Sciendum dubium esse, an nepotes ex filio viuo prosint auo ad obtinēdam immunitatem. Ad quod respondeo esse aliquos, qui negant; & ratio eorum est, quia vt colligitur *ex l.* 2. §. *remittit ff. de excusat. tutor.* nepotes ex filio viuo, patre non

non prosunt auo ad obtinẽdam immunitatem à muneribus personalibus; in quibus sufficiunt tres, quatuor, vel quinque filij, & quæ facilius conceditur, ergo multò minus prodesse possunt ad consequendam immunitatem à muneribus realibus, seu patrimonialibus, quæ difficilius conceditur, vt patet *ex l. neque C. de muner. patrim.* Alij verò existimant etiam viuente filio nepotes prodesse auo ad hanc immunitatem consequendam. Ratio est, quoniam immunitas patri conceditur, vt filiorum educationi, ac sustentationi vacare possit, & hac ratione nepotes post mortem patris prosunt etiam auo, in cuius potestate remanent, & à quo sustentantur; ergo multò magis debent ei prodesse viuente filio, quia tunc magis grauatur patrimonialiter, cum debeat sustentare non modò nepotes, sed etiam filium.

R. 2. Hoc priuilegio immunitatis, quod habet frater duodecim liberos habente non gaudere alios fratres cum eo habitantes. Ita Ferettus *in tract. de gabell. num.* 427. *&* 436. Io. Ardizzon. *in tract. de nobilit. par. 2. cap. 1. num.* 16. Natta *consil.* 280. *nu.* 3. Io. Antonius de Nigris *in clement. de vita, & honestate Cleric. num.* 108. Molphesius *in summa tom. 2. tract. 12. cap. 22. num.* 166. & alij. Ratio est, quia non minus fauorabilis est immunitas ab oneribus realibus, seu patrimonialibus concessa statui Clericali, quam hæc, de qua agimus, sed priuilegiũ immunitatis, quod habet Clericus, non communicatur alijs fratribus cum eo in communi, & pro indiuiso viuentibus, sed Clericus tantum est immunis pro parte bonorum sibi contingente; ergo eodem modo immunitas concessa vni ex fratribus habenti duodecim filios prodest sibi tantum pro parte sua, non autem alijs fratribus, quantumuis bona sint communia, & pro indiuiso possideantur.

An priuilegium concessum alicui extendatur ad suos familiares, vel inseruientes, aut socios?

BRACTEA LVII.

R. Quod quamuis regulariter absolutè, ac per se loquendo priuilegium concessum alicui personæ non extendatur ad familiares, socios, aut inseruientes. Ratio, quia est personale, cuius natura est, vt intra personam, cui concessum est, maneat tamen in aliquibus casibus ex iuris dispositione propter actionis connexionem extendi ad familiares, &c. Vnde priuilegium concessum Sacerdoti, vt possit tempore interdicti celebrare; extẽditur ad alterum, qui inseruiat Sacerdoti. Cum Sacerdos non possit sine Ministro celebrare. Item priuilegium alicui concessum tempore interdicti possit diuina audire, extenditur ad familiares domesticos ex iuris dispositione. *Cap. licet de priuileg. in 6.* Similiter priuilegium concessum Religioso ad ingrediendum Monasteria Monialium extendi ad Socium. Ita Rodriquez *quæst. regular. tom. 3. quæst. 6. artic. 2.* Galetta *verbo licentia*, Riccius *in praxi fori Ecclesiast. resol.* 632. Sanchez *tom. 2. lib. 6. cap. 16. num.* 46. Miranda *tract. de monialib. quæst. 2. artic.* 17. Diana *part. 3. tract. 2. resolut.* 51. & alij. Ratio desumitur ex decentia status Religiosi, quæ postulat, vt non incedant soli.

Sciendum nomine familiarium non modo intelligi vxorem, filios, nepotes, seruos, & famulos, qui ratione potestatis paternæ, vel dominij alicui subijciuntur, ac degunt numero, sed etiam dicuntur familiares, & domestici alicuius, qui eum de more comitari solent.

An priuilegia concessa alicui Communitati extendatur ad singulas personas de vniuersitate separatim sumptas?

BRACTEA LVIII.

R. Talia Priuilegia non statim communicari singulis personis distributiuè, ac separatim sumptis. Ita Mandosa *in tract. de priuil. ad instar gloss. 7. num. 9.* Ratio est, quia aliud est vniuersitas, & aliud personæ singulares, & ideò Summus Pontifex, vt etiam singulares personę statim gaudeant priuilegijs concessis id exprimit. Quod tamen limitandum est, nisi priuilegia eius generis essent, quod non nisi per singulares personas exerceri possent, vt si priuilegium versaretur circa confessiones, prædicationes, sacramentorum administrationem, Indulgentiarum acquisitionem, &c. quorum exercitium ad singulares personas, non autem ad vniuersitatem pertinet. Ratio est, quia aliàs priuilegium esset frustatorium, & inutile, ideò ex præsumpta concedentis mente, ea interpretatio capienda est, vt quod in vniuersitatem confertur, cuius ipsa est incapax, id in singulos de vniuersitate collatum intelligatur, quod probat textus *in cap. de sent. excommun. in 6.* & ideò hæc potest esse regula generalis, quod non solum in priuilegijs, sed in cœteris quoque dispositionibus collatum in vniuersitatem, quod ei competere nequit censeri in dubio ad singulos collatos. Dixi in dubio, quia secus dicendum est, quando expressè constaret disponentem intellexisse de vniuersitate, vt est quoddam corpus fictum, & non de singularibus personis, vt sic. Nam actus agentium non operantur vltra eorum intentionem, *leg. non omnes ff. si cert. pet.*

An priuilegium concessum Monachis comprehendat Abbatem?

BRACTEA LIX.

R. Priuilegium Monachis concessum comprehendere Abbatem in materia fauorabili, nisi aliud ex verbis priuilegij de mente concedentis conijciatur, cum Abbas in fauorabilibus veniat appellatione Monachorum. Ita colligitur *ex cap. fin. de simon. vbi canonistę* Armilla *verb. Abbas* Mandos. *de priuilegijs ad instar gloss. 7. n.* 28. Sanchez *in summa lib. 6. cap. 8. num.* 84. & alij. Dixi in materia fauorabili, quia secus dicendum est in materia odiosa, vel non proportionabili. Ex quibus colligitur priuilegia concessa Religioni comprehendere eius Abbatẽ, quia in fauorabilibus appellatione Collegij, aut Capituli, venit quoque eius caput, seu Prælatus. Ita Rodriquez *tom. 3. quæst. regular. qu. 51. art. 8.* & communiter omnes.

Sciendum dubium esse, quando priuilegium concessum esset alicui Religioni, & omnes per-

sonæ illius perirent, ac postea Religio renouaretur an adhuc priuilegia illi concessa durarent, circa quod respondeo aliquos affirmare, & ita sentire videtur Innocentius *in cap. grauamen de sentent. excommunicat.* & alij, eo quod Collegium retinet iura, & priuilegia, etiam mortuis omnibus de Collegio, saltem in habitu, licet non in actu, nisi Collegium per superiorē vt destruatur contrarium plures tenent, & inter alios Horatius Mandosa *in tract. de priuilegijs ad instar gloss. 7. num.* 44. Ratio, quia hæc reseruata Religio extinctis omnibus personis, ex quibus prius constat, non esset eadem cum illa priore, cui priuilegia fuerant concessa, ergo non retineret illius priuilegia. Quod si vnica tantum illius Religionis persona cęteris superesset in tali casu ea priuilegia durarent. Nam Religio ex huiusmodi diminutione, non desinit esse eadem Religio, cum apud omnes indubitāter sit receptum vniuersitates, Collegia, & alia similia corpora, semper viuere, etiam si vsq; ad vnam personam redigantur, *leg. sicut §. fin.* vbi Gloss. Bald. *in sua margarita verbo Collegium*, Panorm. *in cap. 1. num. 6.* Pauin. *de potest. cap. sede vacant. prelud. 5.*

An concessio priuilegij per communicationem, eadem sit, cum concessione priuilegij ad instar?

BRACTEA LX.

R. Cum Suarez *lib. 8. de legib. cap. 16. nu. 11.* duobus modis fieri posse communicationem priuilegiorum. Primo imperfectè, vt scilicet priuilegium vni tantum per se, & propter se absolutè concedetur ab illo autem quasi redūdet, & deriuetur ad alios propter connexionem, quam habent cum illo primo, sic priuilegia Religionis alicuius communicantur familiaribus non ratione sui, sed Religionis à qua omninò pendent in illorum vsu, & fructu. Secundò priuilegium vni concessum alteri perfectè communicatur, ita vt illo vti possit non minus quam prior poterat, & hoc modo communicatio priuilegiorum ordinariè fit inter Regulares per indulta Pontificum. Rodriquez *quæst. regular. tom. 1. quæst. 55. art. 21.* Quando priuilegium communicatur priori modo, non potest dici ad instar propriè loquendo, quia non est ibi concessio vnius priuilegij ad instar, seu imitationem alterius, sed est tantum extensio quędam eiusdem priuilegij. Quando verò priuilegium, quod vni prius concessum est, & postea absolutè, & æqualiter communicatur alteri in propria persona, ita vt fiat illius proprium, tunc est propriè priuilegium per communicationem perfectam, & in re nihil differt à priuilegio ad instar propriè sumpto. Mandos. *in tract. de priuileg. ad instar quæst. 2. num. 9.* Alij afferunt hanc differentiam, quod per priuilegium ad instar non idem, sed distinctum priuilegium conceditur, licet simile. At verò per communicationem, idem priuilegium conceditur cui communicatur, & per consequens concessio priuilegij per communicationem nō est eadem cum concessione priuilegij ad instar.

Sciendum dubium esse, an habens communicata omnia priuilegia Mendicantium, censeatur etiam habere priuilegia non Mendicantium, quibus per communicationem gaudent Mendicantes? Ad quod respondeo affirmatiuè. Ratio, quia per communicationem conceduntur omnia priuilegia Mendicantium, cum autem inter cætera priuilegia Mendicantium vnum sit gaudere priuilegijs non Mendicantium, sequitur virtute communicationis concessæ, gaudere etiam priuilegijs non Mendicantium. Ita Old. *cons. 300.* Tusc. *tom. 6. concl. 363.* & alij.

Vtrum communicato priuilegio, communicetur etiam eius restrictio?

BRACTEA LXI.

Sciendum restrictionem tripliciter posse esse in priuilegijs. Primò ad limitandum priuilegium secundum se, non intuitu Religionis, sed ratione tantum conuenientis moderationis talis priuilegij, vel ad cauendum nocumentum aliorum, vel ad vitandam aliquam perturbationem, quæ ex maiori licentia oriri possit. Secundò restrictio addi potest in fauorem, & conseruationem instituti Religiosi, vel simpliciter, vel quatenus tale institutum est in particulari. Tertiò addi solet restrictio priuilegij, quia conceditur cum speciali respectu ad res spectātes specialiter institutum, Religionē, locum, personam illam, cui primario conceditur. Quibus positis.

R. Priuilegia communicari cum restrictione primo modo considerata. Quia eadem ratio, quæ fuit ad limitandum concessionem, est etiam ad limitandum communicatione, & Pontifex, seu Princeps in communicatione nō declarauit se maiorem gratiam velle concedere, sed solum simpliciter velle communicare priuilegium, quod alteri concessum fuerat, ergo intelligitur communicatio iuxta tenorem, & rationem prioris priuilegij. Secundò priuilegia non communicari cum restrictione secundo modo considerata. Quia ratio, quæ fuit ad limitandam concessionem non reperitur in hoc casu ad limitandam communicationem. Ita Rodriquez *tom. 1. quæst. 55. art. 17.* Tertiò Priuilegia communicari cum restrictione tertio modo, & ita Suarez *lib. 8. de legib. cap. 17. num. 7.* Portella *verb. communicatio priuilegiorum num. 7.* Rodriquez *loco cit. art. 20.* Mandos. *in tract. de priuilegijs ad instar quæst. 8.* & alij.

Sciendum dubium esse an quando in concessione priuilegij apponitur clausula, quod sit incommunicabile per communicationē generalem ab alio Pontifice factam tale priuilegium communicetur in qua re duæ sunt sententiæ. Prima Rodriquez *tom. 1. quæst. 55. artic. 17.* Dianæ *part. 3. tract. 2. resol. 81.* & aliorum asserentium communicari alijs Religiosis illa priuilegia. Quia generalis communicatio omnia complectitur. Alia est contrariū tenentium, quam tenet Suarez *lib. 81. de legib. cap. 17. num. 81.* Portella *verbo communicatio priuilegiorum*, Ferdinand. Castro *part. 7. oper. moral. tract. 3. disp. 4. pun. 2. §. 9. num. 3.* Ratio, quia generi per speciem non derogatur, etiam si species præcesserit. Tum etiam, quia in generali concessione non veniunt ea, quę Princeps non esset in specie concessurus. At priuilegia hæc quorum communicatio specialiter prohibetur valdè specialia sunt, ergo nisi in communicatione

tione fiat specialis mentio illorũ, vel saltem addatur clausula, per quam comprehendantur etiam illa, quorum communicatio specialiter prohibita est per solam clausulam generalem non censentur talia priuilegia communicari.

An sub generali communicatione omnium priuilegiorum mendicantium facta alteri Religioni includantur ea, quæ consuetudine mendicantes, acquisierunt, & Indulgentiæ mendicantibus concessæ?

BRACTEA LXII.

R. Etiam priuilegia consuetudine acquisita censeri communicata. Ratio, quia in materia fauorabili appellatione priuilegij à Principe concessi, veniunt priuilegia consuetudine acquisita. Nam priuilegia consuetudine acquisita possunt dici saltem remotè a Principe concessa, cum consuetudo vim habeat conferendi priuilegia ex concessione Principis id statuentis.

R. 2. Per generalem communicationem priuilegij comprehendi etiam Indulgentias concessas. Ita Mandosa *in tract. de priuilegijs ad instar gloss 9.* Portella *verbo priuilegij communicatio num.20.* Ratio, quia ex lata significatione Indulgentiæ comprehendi possunt sub nomine priuilegij, quia omnis gratia Principum priuilegium appellari potest. Mandosa *quæst.7. num. 4.* & cum simus in materia fauorabili, idcircò debet fieri extensio. Verùm tamen per generalem communicationem priuilegiorum non censeri communicata altaria priuilegiata mendicantibus concessa, vt inquit Tamburinus *de iure Abb. tom.1. disp.17. quæst.2. num.4.*

Sciendum in generali communicatione priuilegiorum vnius Religionis alteri facta non semper venire indistinctè omnia priuilegia, sed nonnulla excipiẽda esse. Et primò debet excipi priuilegia exorbitantia, quæ scilicet non sunt solita concedi, sed rarò & cum difficultate cõceduntur, hæc enim non veniunt in generali communicatione, nisi in specie exprimantur, vt supra dictũ est de altare priuilegiato, cũ sit exorbitãs priuilegiũ. Secũdò, excipiũt priuilegia, quæ fuerunt concessa priori religioni ex aliqua ratione speciali, quę non reperitur in alijs, quibus communicantur. Tertiò, excipiuntur priuilegia, quæ sunt præiudicialia, vt sunt priuilegia de non soluendis decimis, aut de non soluenda quarta funerali, hæc enim non veniunt in generali communicatione, vt censuit Rota *in vna Vallis Tolletana quarta funeralis 19. Aprilis 1606.* Quartò, exceptio est de priuilegijs concedentibus ea, de quibus in iure reperitur statutum, vt in generali concessione non veniant, nisi in specie exprimantur, nam si in generali concessione non veniunt, multò minus venient in generali communicatione, quæ videtur magis remota concessio, quod intelligendum est, nisi sint solita concedi. Vnde si alicui Religioni concessum sit priuilegium absoluendi à casibus in Bulla Cęnæ contentis, eiusmodi priuilegio non gaudebunt aliç Religiones, quç habent communicationem generalem priuilegiorum Mendicantium, quia de his casibus statutum est in extrauaganti, *& si Dominici*, vt facultas absoluendi ab ipsis nunquam intelligatur concessa per quodcunq; generale indultũ, sed requiri, vt in specie, & expresè nominetur.

An confirmatis priuilegijs vnius Religionis, censeantur etiam confirmata priuilegia omnium aliarum Religionum, quæ habent communicationem priuilegiorum illius.

BRACTEA LXIII.

R. Cum Suarez *lib.8. de legibus cap.19. num.9.* distinguendo sic, vel communicatio priuilegiorum fuit solùm de concessis, vel etiam de concedendis, si fuerit prioris modi, negatiuè respondendum est, nam formaliter, ac per se confirmato priuilegio exemplari non confirmatur priuilegium ad instar, sed tantum vt concessum, nec priuilegium ad instar illius per se respicit futurum statum, sed illum, quem habet exemplar, quando aliud ad instar conceditur, si verò communicatio fuit de concessis, & concedendis, & confirmatio fuit ex certa scientia, tunc redundat in omnes, quibus talis communicatio facta est, quia illa confirmatio æquiualet nouæ concessioni priuilegij, vnde cẽseri potest nouum priuilegium, & noua gratia, sed per illam communicationem etiam futura, & concedenda communicantur; ergo, &c.

An priuilegium faciendi celebrare Missam in aliquo Oratorio priuato, aliquando extendatur de loco ad locum?

BRACTEA LXIV.

Sciendum dubium in hoc consistere, an quãdo Summus Pontifex concessit v. g. Petro priuilegium faciendi celebrare Missam in Oratorio suæ domus his verbis, *vt in priuato domus tuæ Ciuitatis Taurinensis Oratorio per Ordinarium loci prius visitando, ac de ipsius Ordinarij licentia posse facere celebrare Missam per quemcunque Sacerdotem, &c.* possit Petrus, cui concessum est priuilegium, si vadat ad habitandum in aliam ciuitatem vigore dicti priuilegij cum licentia Ordinarij celebrare facere Missam in Oratorio domus, vbi habitare contigerit.

Prima sententia asserit posse. Et ita Megal. *variar. resolut.161 num.6.* Diana *par.4. tract.4. Miscel. resolut.208.* Ratio, quæ affertur est, quia verba deponentium non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis sunt intelligenda. *Cap. intelligentia de verb. significat.* at ex proemio concessionis colligitur Summum Pontificem non habuisse mentem restringendi ad domum Taurinensem, quamuis de illa solùm loquatur, cum dicat ideò gratiam concedere, vt spirituali consolationi postulantis, quantum cum Domino potest, consulat, sed non consuleret, quantum potest si mutando habitationem virtute dictæ concessionis in propria domo sibi Missam celebrare facere non valeret; ergo, &c. Tum quia illa verba, *in domo tuæ Ciuitatis Taurinensis*, apponuntur solùm demonstratiuè, & nihil operantur, nec antecedenter, nec consequenter; ergo, &c. Tum etiam quia tale priuilegium cen-

censetur personale, vt colligitur ex verbis, *Teque 632. specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes,* quod sequitur personam; ergo in quacunque domo, ciuitate, aut loco potest facere sibi celebrare Missam seruatis seruandis. Sed

R. Negatiuè. Ratio, quia in priuilegijs ab homine concessis non potest fieri extensio de loco ad locum, etiam ex identitate, vel maioritate rationis. Ratio est, quia virtus, & efficacia priuilegij non est posita in ratione, sed in voluntate concedentis, quæ voluit concedere priuilegium tali personæ, vt in tali loco, & non in altero possit facere sibi celebrare Missam, & per consequens parum refert, quod in alio loco eadem, vel maior ratio versetur, si ad illum voluntas concedentis non extenditur, dũ non exprimitur; ergo priuilegium tale non extendendum, cum id non exprimatur, præcipuè cum sit priuilegium exorbitans. Tum etiam quia Summus Pontifex per vnum Breue nunquam concedit facultatem celebrandi in pluribus Oratorijs priuatis, maximè existentibus in diuersis Ciuitatibus, vt constat ex stylo Romanæ Curiæ; ergo, &c.

Sciendum dubium esse, an quando in breui concessionis licentiæ celebrandi Missam in Oratorio priuato dicitur in tua, ac tuæ familiæ præsentia, &c. liceat rem sacram facere in præsentia solius familiæ non præsente Domino. Aliqui negatiuam sententiam tenent hoc ducti fundamento, quod illa particula, *&*, sit copulatiua, & non disiunctiua, & per consequens priuilegiũ directè, & per se Domino concedi, dependenter verò à Domino, & indirectè familiæ. Alij verò affirmatiuam sententiam tenent nimirum posse Missam celebrari in præsentia solius familiæ. Ratio, quia particula, *&*, in isto casu non censetur copulatiua, sicut etiã quando dicitur, *necnon in tuorum filij comes, genitricis, &c. celebrari liberè, ac licitè possitis*, cum verba concessionis gratiæ sint absoluta, & alia ab alijs independentia, & non correlatiua. Tum etiam quia beneficium Principis est latissimè interpretandum, præsertim cum præiudiciale sit nulli, quale est hoc, præcipuè cum eadem ratio concessionis, quæ est vtilitas animæ, &c. in primo casu militet in Domino, & in familia, & in secundo æquè matrem, ac filium principaliter comprehendat, & licet vtraque opinio sit probabilis; concludo tamen cum secunda, quam tuetur Pelizzarius *in manuali regul. tom. 1. tract. 8. cap. 2 sect. 2. num. 149.* Diana *par. 9. tract. 7. de Orator. priuatis resol. 2.* & alij ab ipso citati.

Sciendum 2. Similiter dubium esse, an si quis audiat Missam die festiuo in Oratorio alicuius Magnatis satisfaciat præcepto. Ad quod respondeo ipsum, si iusta, & rationabili aliqua causa id faciat satisfacere præcepto. Ratio est, quia verè iste materialiter, & formaliter adimpleuit præceptum; ergo satisfecit, quod materialiter adimpleuerit; patet, quia assistit Missæ, quod verò formaliter patet etiam supponendo quod ipsam attentè audierit, cum autem præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam non obliget sub alia ratione, nisi materialiter, & formaliter, siuè secundum rem, & secundum modum sequitur ipsum adimplesse præceptum, & per consequens satisfecisse, cum materialiter, & formaliter ipsam audierit. Et ita Pellizzarius *in manuali regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 8. num.* 181. Sunt plures contrariæ opinionis, nimirum non satisfacere præcepto ex eo, quod in breue concessionis priuilegij dicitur: *Volumus autem, vt familiares seruitijs suis non necessarijs preter supradictos, ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minimè liberi censeantur.* Ad quod respondet Pelizzarius *loco citato*, & alij. Deinde præceptum Ecclesiasticum obligat solummodo, & simpliciter, ad Missam audiendam, siue adiuncta circunstantia loci; ergo qui die festiuo Missam audiuit, satisfecit præcepto; & patet, quia de illo semper verificatur talis propositio, quod die festiuo Missam audierit, cum autem præceptum obliget solummodo ad auditionem Missæ, & non præscribat locum, sequitur illum adimplere præceptum, quocunque loco eam audiat. Et ita plures citati à Bonacina *de sacram. disp. 4. quæst. vlt. pun. 12. num. 4.*

Sciendum 3. Dubium esse, an si quis fornicaretur in Oratorio priuato, committeret sacrilegium, ad quod respondeo negatiuè. Ratio, quia tali fornicatione non fit violatio rei sacræ, quia non est consecratus, aut benedictus. Et ita Diana *par. 9. tract. 1. de Oratorijs priuatis resol. 20.* & cum eo plures ab ipso citati.

An ad priuilegium vt lex est, ad effectum illius sit necessaria promulgatio?

BRACTEA LXV.

Sciendum priuilegia esse in duplici differentia quędam feruntur per vniuersales leges, alia verò sunt priuilegia, quæ priuatim conceduntur per particularia indulta, vel rescripta particularibus personis, vel Communitatibus, vel Religionibus, &c. Quibus positis.

R. In priuilegijs prioris generis necessariam esse ad promulgationem ad hoc, vt habeant effectum obligandi. Est communis opinio, quam sequitur Suarez *lib. 8. de legibus cap. 24. num. 4.* Ratio est, quia ante promulgationem non habent vim legis; ergo ante promulgationem non habent vim obligandi, siuè ad effectum priuilegij, siuè ad quemcunque alium. Secundò, in priuilegijs posterioris generis non requiri propriam promulgationem ad quamcunque obligationem, quę respectu aliorum ex illo potest oriri. Suarez *cap. 24. num. 8.* Rodriquez *quæst. regular. tom. 1. quæst. 7. art. vlt.* Rosella *verbo priuilegium num. 9.* Et patet ex vsu, quia talia priuilegia non solent solenniter promulgari, & nihilominus censetur obligare quantum possunt, si sufficienter probentur, & notificentur.

An priuilegium concessum alicui, & suis posteris, ac descendentibus, extendatur ad filias fœminas descendentes?

BRACTEA LXVI.

R. Affirmatiuè, quia etiam fęminæ veniunt appellatione descendentium, & posterorum *l. cum acutissimi C. de fideicommiss leg. iurisconsultus §. parentes ff. de grad. affinit.* Quod intelligendum est de feminis legitimis, nam huiusmodi priuilegia com-

ptari posit tam masculis, quam fœminis.

R.2 Priuilegium concessum pro se, & suis descendentibus masculis, & fœminis comprehendere etiā natos ex fœminis. Ratio, quia appellatione descendentiū cōprehenduntur tā fœminæ ex masculis natæ, quā masculi nati ex fœminis, vt probat Menoch. *de præsump. lib. 4. præsump. 91. n. 4.* & alij. Quod non est intelligendū de priuilegio immunitatis, quia cum hoc sit odiosum, & strictè interpretandum. Bartolus *in leg. liberorum ff. de verbor. signific.* Couaruu. *in cap. Raynaldus de testam.* & alij.

Quomodo sit intelligendum priuilegium concessum alicui pro se, & sua domo?

BRACTEA LXVII.

R. Id priuilegium toti familiæ concessum intelligi. Cum appellatione domus familia comprehendi soleat, Nomine familiæ intelliguntur omnes descendentes ab eo, cui concessum est priuilegium, filius autem naturalis sub eo nomine non comprehenditur, quia filij illegitimi non sunt de domo, & familia, neque possunt eius insignia, seu arma deferre, nisi aliter consuetudine receptum sit in aliqua Prouincia, & tunc dicerentur de domo, & familia. Ita Tiraquellus *de nobilitate cap. 15. num. 25.* Gutier. *lib. 2. pract. quæst. 155. num. 2.* & alij.

Sciendum, quod priuilegium à Principe concessum patri, si sit fauorabile, extenditur ad nepotes, quia in fauorabilibus appellatione filiorum veniunt nepotes; tum etiam quia beneficia Principis sunt latissimè interpretanda. *Cap. cum dilecti de donat.* Molina *de primogen. par. 1. lib. 1. cap. 6. num. 28.* Magon. *decis. 71.* Fontanella *tom. 1. claus. 3. gloss. 3. num. 101.* Dicitur priuilegium fauorabile, quando non est contra ius, neque affert præiudicium tertiò, sed tantum ipsi concedenti, si verò priuilegium sit odiosum, non extenditur ad nepotes, quia appellatione filiorum non veniunt nepotes in odiosis.

An priuilegium exemptionis concessum Ecclesijs extendatur ad ipsarum emphiteotas, & colonos partiarios?

BRACTEA LXVIII.

R. Pro dominio vtili, seu pro fructibus separatis à solo non extendi ad emphiteotas Ecclesiarum, & ita auctores cit. cum de priuilegio exemptionis. Ratio, quia vtile dominium, & fructus separati à solo non sunt Ecclesiastici, sed laicales: vnde leges municipales, & ius commune locum sibi vendicant contra feudatarias, & emphiteotas.

R.2. Plures asserere huiusmodi colonos partiarios pro parte fructuum sibi tangente gaudere prædicto priuilegio. Et ita Bartolus *in leg. placet C. de sacrosanct. Eccles.* Panormitanus *consil. 9. num. 1.* Zabarella *in clement. 1. de decimis quæst. 22.* Riccius *in par. 2. prax. for. Eccles. resolut. 183.* Grat. *discept.* ...tetis colonis non est amplius Ecclesiæ, sed transit in dominiū colonorum, qui sunt Laici; ergo pro illis debent teneri: quia collecta illi imponitur, qui fructus recipit. Et ita auctores citati *cum de priuileg. exempt.* Fed de sen. *consil. 111. num. 10.* Genuin. *in cap. quamquam de censibus lib. 6.* Innocentius *in cap. non minus de immunit. Eccles. num. 3.* Felinus *in cap. S. Adarię num. 59.* Siluester *verbo excommunicatio 9. num. 48.* Surdus *consil. 301. num. 89. lib. 3.* & alij plures.

An priuilegium concessum Officiali ratione officij extinguatur finito officio?

R. Affirmatiuè. Ita Bartolus *in leg. placet C. de sacrosanct. Eccles. nu. 12.* Menochius *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 76. num. 40.* & alij; nisi officium habeat dignitatem annexam, nam tunc etiam finito officio durat priuilegium. Bart. *in l. maximarum num. 2. C. de excusat. mun. lib. 10.* & alij.

Ad quos extendatur priuilegium nobilitatis concessum?

BRACTEA LXIX.

R. Priuilegium nobilitatis patri concessum transire ad posteros, & est opinio communis. An extendatur etiam ad filios adoptiuos, & ad transuersales quidam asserunt, & quidam negant.

R.2. Priuilegium nobilitatis concessum marito extendi ad vxorem, vnde mulier ignobilis si nubat nobili, efficitur nobilis. *leg. fœminæ, leg. mulieres Cod. de dignit. lib. 12.* & hoc non solùm procedit in priuilegijs fauorabilibus, sed etiam exorbitantibus, & contra ius commune concessis.

Sciendum viduam gaudere mortui viri nobilitate, & alijs priuilegijs, dummodo castè viuat, alias perdit omnia priuilegia, honores, & commoda pristini matrimonij, vt probatur in *leg. cis solis*, & ibi Baldus, Salycetus *C. de reuocat. donat.* & Felinus *in cap. pastoralis.*

R. 3. Priuilegium nobilitatis concessum matri non extendi ad filios, quare filij nati ex patre ignobili, & matre nobili, sunt ignobiles. Ratio est, quia mulier nobilis nubens ignobili amittit nobilitatem; ergo non potest nobilitatem communicare filijs, quod tamen intelligendum est, nisi aliter consuetudine sit receptum, quia quod nobilitas filiorum sit à patre, à iure ciuili introductum est, quod consuetudine mutari, & abrogari potest, sicut aliæ leges. *Cap. fin. de consuetud.* nam consuetudo potest nobilitatem inducere, & ex ignobili nobilem facere; ita vt quis in vno loco ex consuetudine ibi obseruata sit nobilis, qui ignobilis alibi reputatur. Bartolus *in l. 1.* ergo multò magis potuit inducere, quod filius ortus ex matre nobili censeatur nobilis.

An

An filij legitimati gaudeant nobilitate parentis nobilis?

BRACTEA LXXI.

R. Filios legitimatos per subsequens matrimonium gaudere in omnibus nobilitate parentum,& per consequens frui omnibus priuilegiis nobilibus concessis. Ratio, quia hi in omnibus,& per omnia æquiparantur filijs legitimè natis,& æquè succedunt patri cum alijs filijs legitimè natis. *leg.cum quis Cod.de natura liber.* Possunt ad ordines promoueri absque dispensatione;item succedunt in feudis. Et ita communiter Doctores.

Sciendum dubium esse de filijs legitimatis per rescriptum Principis, aliqui censerunt hos gaudere nobilitate parentum, & omnibus priuilegijs nobilibus concessis.Ita Molina *de primogenijs lib 2.cap* 3.Io.Garzias *de nobilitate gloss.*1.*num.* 49. Paris. *consil.* 58.*num.* 45. *vol.*4.Baldus *consil.*146. *num.*7.*vol.*1.& alij. Ratio,quia legitimati per rescriptum Principis nihil differunt à veris legitimis,vt habetur in Authent. *quibus modis natural. efficiunr legitimus* §. *sic igitur*; ergo hi legitimati gaudent nobilitate parentum, sicut gaudent filij legitimi, & consequenter ad eos extenduntur priuilegia nobilibus concessa: Alij tenent legitimatos per rescriptum Principis non gaudere nobilitate parentum, nisi in legitimatione id exprimatur, & per consequens neq; frui priuilegijs nobilibus concessis. Ratio illorum est, quia legitimati per rescriptum Principis non sũt verè,ac propriè legitimi, sed fictione iuris, vt docent Baldus *in l. eam,quam C. de fideicomm.num.*44.Decius *consil* 284.*num.*15. Tiraquell. *de primogen.quest.*34.*num*.58.nisi aliter sit consuetudine receptum, quia in multis Prouincijs legitimati per rescriptum Principis gaudent nobilitate,& priuilegijs parentum.

Sciendum pluribus modis posse aliquem habere nobilitatem. Primo modo, ratione originis, vt quia natus est ex parentibus nobilibus, vel saltem ex patre nobili. Secundo, modo ex priuilegio immediatè sibi concesso. Tertio modo,per acquisitionem alicuius feudi cum iurisdictione in vassallos. Quarto modo, præscriptione, hæc autem præscriptio debet esse immemorabilis, vt docent Ripa *lib.*2.*de resp.cap.*26. Couar. *variar.cap.*16. *num.*10. & alij communiter.

Priuilegium nobilitatis quomodo ammittatur?

BRACTEA LXXII.

R. Nobilitatem amitti per exercitium artium mecanicarum,seu vilium.Et ita plures citati à Tiraquell. *de nobilit.cap.*27. *num.* 1. Quod tamen intelligendum est. Primò, quando quis per se illas exercet, quia secus si opera aliorum in his rebus citatur Tiraquell. *loco citato num.* 7. Secundò,amitti nobilitatem,quandiù durat illud exercitium, quia si nobilis tale exercitium deserat, statim primariam nobilitatem recuperat.Ita Tiraquellus *cap.*27.*num.*5.Riccius *collect.* 733.& alij.

R.2. Filios non amittere nobilitatem sanguinis ob crimen lęsæ maiestatis diuinę,vel humanæ parentum.Ratio est,quia hanc nobilitatem non habent à patre illorum nimirum reo, sed ab antiquis progenitoribus. Ita Tiraquellus *de nobilit.cap.*35.*num.*4.Simancas *de cathol. instit. tit.*29. *num.*18.Sanchez *lib.*2.*summ.cap.*29.*num.*2 & alij.

R.2.Si nobilitas sit ex priuilegio Principis ipsi patri concessa;tunc filij,ac tota ipsius posteritas ea nobilitate priuantur propter dicta delicta paterna.Sic Tiraquellus *loco citato num.*4.Sanchez *loco citato num.*6. Ratio est, quia eo priuilegio gaudent filij, & tota posteritas ratione ipsius parentis, cui immediatè concessum est, & sic dependenter ab illo.At verò ipse parens supradictorum criminum reus amittit nobilitatem,quia eo ipso est infamis, & per consequens ab omnibus prorsus honoribus, ac dignitatibus excluditur; ergo eandem amittunt posteri, quod verò pater propter ea crimina nobilitatem amittat,docent plures Doctores Simancas *de cathol instit.lib.*9.*num.*18.Menochius *cons.*805.*num.* 8.*vol.*4.Sanchez *loco cit.*& alij.

Quibus modis priuilegium finiatur?

BRACTEA LXXIII.

R. Pluribus modis finire priuilegium.Primò, finire, elapso tempore, cessante causa finali,vel conditione, sub qua concessum fuerit. Ratio est,quia sic decernitur. *l. quoties de precibus Imperat. offerend.* tunc quia priuilegium non durat vltra intentionem concedentis,concedens autem non vult priuilegium durare vltra terminum præfixum,vel conditionem appositam, vel causam,ob quam concedit priuilegium, & non est credibile Principem voluisse concedere,vt priuilegium contra legem duret, cessante eius causa, alioqhin iniqua videretur eius concessio, cum paria sint à principio non habuisse causam,& causam iam finitam esse. *l. nihil interest ff.de nautico fœnore.* & iuxta *caput cum cessante de appellat.* Secundò,extinguitur priuilegium,si cedere incipiat in graue detrimentum aliorum, vel Communitatis,aut per rerum mutationem fiat iniquum,vt vel per se ipsum cesset, vel certè à priuilegiante reuocari possit,sicuti colligitur *ex cap.suggestum de decimis*,item *ex cap. cum ad hoc de Clericis non residentibus*, vbi habetur, si Ecclesiæ patiatur defectum ministrorum, quod priuilegiati super non residentia,ad redeundum compelli possunt,fructuum subtractione. Tertiò,si cedere incipiat in maius detrimentum ipsius priuilegiati, nam quod in gratiam alicuius cõceditur, non est in eius dispendium retorquendum. *regul.* 61. *in* 6. Quartò per renunciationem priuilegiati, si priuilegium in eius solius fauorem concessum sit, nam liberum vnicuique est suo iuri renunciare, vt dicitur *in cap.si de terra de priuilegijs*, Priuilegijs verò concessio in fauorem Communitatis, &c. vel in fauorem status nõ potest priuilegiatus renunciare, vt v. g. Clerici priuilegio canonis renunciare non possunt, cum sit priuilegium concessum in fauorem status Clericalis. Similiter Capitulum, siuè Conuentus non potest renunciare, iuri acquisito per consuetudinem, statutum, aut priuilegium,si tale ius Ecclesiæ vtile, aut honorificum sit,si secus facerent, vnus solus potest sè opponere: immò si omnes contrafacerent Superior,puta Episcopus posset,& deberet impedire, quatenus id in damnum Ecclesiæ cedit,

qua

qua etiam ratione Conuentus renunciari non possunt priuilegio immunitatis à decimis Ordini Religiosorum concesso. Quintò, priuilegia affirmatiua, quę alijs onerosa sunt, amittuntur per non vsum spatio decenni inter pręsentes, viginti verò annorũ inter absẽtes modo vtendi occasio fuerit. Ratio est, quia omnes obligationes, ac seruitutes, tàm reales, quàm personales ita extinguntur, si altero iure suo pro temporum occasione nunquam vtente res obligata legitimi temporis decursu possideatur, ac denique vsu capiatur; reliqua autem priuilegia, quę absolutę gratię sunt in nullius grauamen cedentes, vt est priuilegium, quo conceditur facultas aliquid faciendi absque aliorum detrimento, v.g. celebrandi ante auroram, dispensandi in irregularitate, absoluendi à casibus reseruatis, comedendi carnes in Quadragesima, regulariter loquendo nullo tempore in foro conscientiæ, vel externo amittitur per non vsum, etiamsi longissimum temporis intercedat, modò priuilegium concessum sit absque temporis determinatione. Ratio est, tum quia nullo iure probatur huiusmodi priuilegium per non vsum amitti, tum etiam quia non amittitur via præscriptionis, dicum nemo sit, qui contra huiusmodi priuilegia non onerosa pręscribere possit, neque via tacitæ renũciationis, quia quisque liberam habet facultatem priuilegio vtendi, vel etiam non vtendi. Sextò, priuilegia negatiua, quæ alijs onerosa sunt, vt est priuilegium, quo conceditur facultas non faciendi aliquid, vt non soluendi tributa, per actum contrariũ duobus modis amitti possunt. Primò, per præscriptionem, si post actum contrarium, seu contrauentionem priuilegij sine protestatione factum elabatur tempus legitimum ad præscribendum sufficiens: alter modus est per tacitam renunciationem; nam in foro externo præsumitur iuri, ac priuilegio suo renunciare, qui sine necessitate cogente actum ei contrarium exercet, vt si exemptus ordinarij iudicio spontè se sistat, ex eo tẽpore incipit Ordinarius esse in quasi possessione iurisdictionis, quæ possessio decenni spatio cum bona fide continuata præscriptionem absoluit. Ita Suarez *lib. 8. de legibus cap. 34. num. 20.* Septimò, amittitur priuilegium per abusum, cum quis ex priuilegio peccandi occasionem sumit, aut fini, ob quem priuilegium concessum est, directè repugnat. Verum priuilegium non amittitur ipso facto per abusum, quia amissio priuilegij per abusum est pęna; pęna autem nõ incurritur ipso iure, nisi aliter constet ex iuris dispositione, seu ex mẽte concedentis. Amittũtur etiam priuilegia per reuocationem concẽdentis, vel eius successoris, quæ merè gratiosè ad operandum aliquid præter ius commune subditis data sunt. Ratio est, quia sicut Superior potest aliquem ab obligatione legis eximere, ita potest ad eandem legis obligationem reducere, & reuocare, quod fit per reuocationem priuilegij. Ita Sanchez *lib. 8. disp. 33.* Azorius *lib. 5. cap. 20.* Suarez *lib. 8. cap. 27.*

Sciendum, quod licet priuilegium gratuitum possit ad libitum reuocari; tamen contractus onerosus, vel qui datur in remunerationem reuocari non potest. Ratio est, quia pacta, & conuentiones ab omnibus seruari debent; tum quia Superior non potest alterum rebus suis, vel ei debitis priuare sine graui necessitate, vel iusta causa, spectante ad bonum commune, quę sit sufficiens, vt alter priuetur rebus suis. Ita Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 4. num. 35.* Salas *de legib. disp. 17. sect. 4. num. 60.* & alij.

R. 2. Priuilegia gratiosa non subditis concessa, & acceptata reuocari postea non posse. Ratio est, quia postquam acceptata sunt, transeunt in pacta, quibus propriè dictum ius acquiritur, & talia sunt priuilegia, quæ Imperatores, & alij Principes Ecclesiæ concesserunt. Excipitur tamen casus, nisi tanta rerum mutatio superueniat, vt priuilegium censeatur grauiter perniciosum Regi, vel Regno.

Sciendum 2. Priuilegia posse reuocari duobus modis, expresè, & tacitè, expresè vel fit in specie, vel per clausulam generalem, non obstantibus quibuscunque priuilegijs, per quam tamen clausulam non censentur reuocari priuilegia, quæ in corpore iuris continentur, nisi eorum quoque clausula derogatoria exprimatur: tacitè reuocantur priuilegia per actum Principis contrarium, dummodo præsumi possit eum scire, & recordari antea concessi priuilegij.

Sciendum 3. Priuilegium concessum sub hac forma, vt non censeatur reuocatum, nisi in reuocatione fiat ipsius mentio de verbo ad verbum censeri sufficienter reuocatum, si in reuocatione contineatur hic modus loquendi, Reuocamus priuilegia, quamuis concessa sint sub hac forma, vt non censeantur reuocata, nisi illorum fiat expressa mentio, aut nisi recitentur de verbo ad verbum, immò etiam sufficienter reuocatur per hanc verborum formam: Non obstante priuilegio sub quacunque forma concesso. Ratio est, quia Superior his loquendi modis satis indicat nolle se amplius priuilegiũ durare; secus verò dicendum est de reuocatione facta tantummodo per clausulam generalẽ reuocatoriam, quia hęc non extenditur ad priuilegia concessa sub suprascripta forma. Et ratio est, quia Superior per clausulam generalẽ non sufficienter indicat velle se huiusmodi priuilegia reuocare. Secundò, non extenditur ad priuilegium concessum per modum cõtractus, nisi in reuocatione dicatur se reuocare priuilegium, etiamsi concessum fuerit per modum contractus. Ratio est, quia hoc priuilegium ordinariè non potest reuocari, cum eius reuocatio vergat in alterius detrimentum in iure iam acquisito. Ita Sanchez *lib. 8. disput. 33. num. 8.* Suarez *lib. 8. cap. 38. nu. 3.* Azorius *lib. 8. cap. 23. quæsito 11.* & alij.

Sciendum 4. Dubium esse, an reuocatio facta per clausulam generalem extendatur ad priuilegia contenta in concilijs generalibus, si expressa mentio nõ fiat cõcilij generalis, dicendo, Non obstante quauis constitutione, seu lege in Concilio generali edita? Ad quod R. reuocationem per clausulam generalem etiam extendi ad priuilegia contenta in Concilijs generalibus, nisi aliter constet de mente concedentis priuilegium, quam possumus colligere ex coniecturis, vt ex vsu, & praxi, vel ex modo loquẽdi, vel ex antecedentibus, & consequentibus. Secundò, quia priuilegium alioquin irritum redderetur, cum enim Superior conscius sit priuilegiorum in iure communi, seu in Concilijs contentorum pręsumendum est voluisse per clausu-

clausulas generales derogare decretis iuris cōmunis, & Conciliorum, consequenter generi çam derogationem haberi pro specifica, & expressa, vt docet Sanchez *lib.8.de matrim.disput.25. num.17.*

An priuilegium censeatur tacitè reuocari per subsequentem legem, vel per nouum priuilegium, vel per rescriptum?

BRACTEA LXXIV.

R. Primò, priuilegia non reuocari per legem subsequentem, nisi fiat mentio priuilegiorum, quando non sunt contenta in corpore iuris. Ratio est, quia priuilegia censentur iura quędam priuata, Princeps autem non pręsumitur scire iura priuata. Ita Suarez *lib. 8. cap.39.*

R.2. Priuilegium non contentum in corpore iuris non reuocari per particulare mandatum, seu præceptum, aut rescriptum Principis, nisi illius expressa mentio fiat; sicuti etiam non reuocatur per subsequens priuilegium repugnās præcedenti, nisi illius expressa mentio fiat, etiāsi posterius sit insertum in corpore iuris. Ratio est, quia Princeps præsumitur ignorare ius particulare, consequenter non præsumitur illud reuocare, nisi illius mētionem faciat; tum quia priuilegiatus acquisiuit ius per prius priuilegium, Princeps autem non præsumitur iuri alteri acquisito præiudicare sine ipsius notitia. Si verò tale ius particulare esset insertum in corpore iuris derogari potest per posterius priuilegium iuxta oppositionem, quam cum ipso habet posterius priuilegium. Ratio est, quia Princeps non præsumitur ignorare priuilegia contenta in corpore iuris. Ita Felinus *in cap. nonnulli de rescriptis*, Salas *disp.17.sect.14.num.77.* & alij.

Sciendum, quod vt reuocatio priuilegij facta habeat suum effectum, duo requiruntur. Primò, publicatio ipsius reuocationis; sicuti enim lex non obligat ante publicationem, ita nec etiam reuocatio priuilegij facta per legem non obligat ante publicationem: ita Suarez *lib.8.cap.40.* Salas *de legibus disput. 17. sect. 17. num. 8.* facta verò publicatione priuilegium manet reuocatum, ita vt non valeant amplius acta facta vigore priuilegij, nisi adsit error communis, & titulus coloratus, quia in isto casu acta sunt valida.

Sciendum 2. Quod reuocatio facta non per legem, sed priuatim operatur suum effectum, postquam reuocatio peruenit, saltem potuit peruenire ad aures illius, cui concessum erat priuilegium. Ratio est, quia concessio priuilegij non operatur, nisi postquam peruenit ad notitiam illius, in cuius fauorem fuit concessum, ita illius reuocatio non operatur, antequam de illa certior fiat is, cui datum fuerat priuilegium, nam per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur.

An priuilegium amittatur morte concedentis?

BRACTEA LXXV.

R. Priuilegium personale vim suam amittere per mortē illius, cui cōcessum fuerat. Ratio est, quia cū priuilegium personale inhæreat personæ, ipsa corrupta desinit priuilegiū, priuilegium vero reale non extingui morte illius, in cuius fauorem concessum fuit, & per consequens transmitti ad eos, qui rem ipsam acquirunt.

Sciendum priuilegium personale illud dici, quod conceditur personæ; reale verò quod cōcessum est dignitati, vt v.g. quando facultas cōmittitur alicui exp̄sso solū noīe illius, cui facultas cōmittit; priuilegiū cēseri personale, nisi aliter ex circumstantijs appareat, vt si dicatur, committimus Titio consequenter priuilegium extingui morte personæ, cui concessa est facultas, quando verò committitur facultas expresso solo nomine dignitatis, priuilegium censeri concessum dignitati, consequenter non extingui morte illius, sed transmitti ad successorem in dignitate, siuè res sit integra, siuè non, nam dignitas non extinguitur, semper manet, nisi aliter ex circunstantijs, aut verbis colligatur priuilegium esse personale.

R.2. Quando facultas alicui committitur expresso personæ, & dignitatis nomine, priuilegium censeri personale, & consequenter extingui morte illius, in cuius fauorem conceditur. Ratio est, quia nomen dignitatis contrahitur, & limitatur nomine personæ, tanquam genus à specie; tum quia nomen personæ inutiliter, & frustra poneretur. Ita Couaruu. 3. *variar. cap. 15. num. 2.* Sanchez *lib. 8. disp. 27. num. 3.* Gutier. *de matrim. cap. 125. num. 2.*

Sciendum 2. Commissiones regulariter loquendo censeri personales, nisi aliter colligatur ex circumstantijs, vel ex subiectā materia, vt v.g. si essent concessæ alicui ob ipsius industriā, tunc enim non præsumitur personale, sed reale, commissiones verò factas Officiali Diœcesano, seu Vicario Episcopi expediri posse per successorem in officio eo mortuo, vel amoto ab officio. Ratio est, quia vsu quotidiano, & praxi receptum esse videtur. Et ita Gutier. *loco citato num. 2.* dubium tamen est, an commissiones datæ Vicario, v.g. Vicario Taurinensi possint expediri per Vicarium Capituli mortuo Episcopo. Ad quod respondeo regulariter non posse expediri. Dixi regulariter, quia Vicarius Capituli non est verè, & propriè Vicarius, si verò in commissione dicatur solammodo Vicario Taurinensi tunc posse expediri, quia Vicarius Capitularis reuera est Vicarius.

R.3. Priuilegium ritè obtentum, seu gratia iam facta non cessare morte concedentis, modò priuilegium concessum sit sine aliqua conditione, seu paticula restringente vsque ad mortem concedentis. Ita Molina *lib. 2. de primogeneis cap. 7. num. 63.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 28. num. 64.* Nauarrus *cap. 27. num. 253.* Azorius *cap. 23. quæsito 4.* & alij. Ratio est, quia priuilegium est gratia, & gratia nō expirat morte concedētis.

Sciendum 3. Quod si priuilegium concessum fuerit cum aliqua limitatione, vt v.g. si in concessione dicatur, concedo hanc facultatem vsque ad beneplacitum nostrum, vel donec voluero, vel, &c. cessat priuilegium morte concedentis. Ratio est, quia tunc censetur cessare beneplacitum, voluntas, & consensus ipsius concedentis; aliter verò dicendum est, quando gratia non est facta, sed facienda.

Sciendum 4. Tunc censeri gratiam faciendam,

dam, quando nondum à Superiore obtenta est, aut quādo data fuit facultas alicui ad gratiam concedendam in fauorem tertij, sed delegatus nondum illam concessit, tunc verò dicitur gratia facta, quando ipsimet petenti gratia, seu priuilegium directè concessum est, vt si dicatur: concedo tibi facultatem eligendi Cōfessarium ad audiendam confessionem, & tunc huiusmodi priuilegium non cessat morte concedentis, etiamsi res non sit integra.

Sciendum 5 Tunc rem dici non integram, v.g. in iurisdictione contentiosa, seu in iudicijs, quando Iudex legitimè præcepit partes citari, in alijs vero rebus, in quibus citatio non adhibetur, res censetur non integra, quando Commissarius iam cœpit primum actum respondentem citationi, vt si cœpit vocare partem ad veritatem precum cognoscendam, re vero adhuc integra potestatem concessam alicui expirare morte concedentis, non solùm si concessa sit ad dispensandum cum persona designata, verùm etiamsi concessa sit ad dispensandum cum pluribus determinatis, gratia enim nondum censetur facta. Et ideò licentiam datam alicui non ieiunandi, v.g. vel celebrandi in Oratorio priuato, vel laborando in die festo, &c. non cessare p mortem cōcedentis, etiam re integra ante mortem concedentis, quia dicitur gratia facta Ita Salas *disput. 20. sect. 17.* Gutier. *de matrim. cap. 125. num. 24.* Sicut etiam non expirant morte Pontificis dispensationes, quæ conceduntur à Legato Apostolico, vel à Summo Pœnitentiario re adhuc integra. Ratio est, quia ipsorum facultas est gratia facta, & officium Legati, & Summi Pœnitentiarij non cessat morte Papæ, vt de Legato constat *cap. Legato de officio Legati in 6.* & de Pœnitentiario constat *ex clement. 2. §. & tamen proviso de elect.*

An priuilegium cesset per consuetudinem contrariam?

BRACTEA LXXVI.

SCiendum primò, consuetudinem definiri ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipit *Cap. cōsuetudo dist. 1.* in qua definitione consuetudo à lege, quæ voluntate Principis instituitur, separatur per illud, quod dicatur: *Ius moribus institutum*. Morum autem nomine significatur plurium actuum similium frequentatio à tota Communitate, aut maiore saltem illius parte, ex qua frequentione peti rationem propriam consuetudinis patet per illud, quod ex communi Doctorum sententia refert Couarru. *ad regulam possessor par. 3. §. 3. num. 2.* consuetudinem ex communi, & promiscuo vsu constituere ius, & acquirere, omnibus Regionis, & populi illa scilicet vtentis Ciuibus, ita vt specialiter non magis prosit, vel obsit isti, quam illi; qua in re consuetudo distinguitur à præscriptione, quæ certum habet vsum eius, qui præscribit, eique ius priuatum acquirit, ac in priuatum ipsius commodum dirigitur contra aliquem alium certum. Secundò dicitur, quod pro lege suscipitur, quæ verba hunc habēt sensum ex D. Antonino *1. par. tit. 16. §. 1.* quod quando negotium tale emergit, cuius declaratio nō reperitur in lege scripta, tunc ad consuetudinem recurri debet, vt Iudicem illud, de quo agitur esse saltem consuetudine admissum, si lege cautum esse nequeat indicari. Definitur etiam alio modo consuetudo, nimirum consuetudo est ius non scriptum, quod longo, & continuo vsu nascitur.

Sciendum 2. Quod duplex est consuetudo, vna facti, & altera iuris, de consuetudine facti loquitur S. Thomas *in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 4.* quod consuetudo sit frequentia operandi liberè eodem modo; consuetudo autem iuris est, vt supra dictum, & quasi altera lex parem obligandi potestatem obtinens, sicuti habetur *in l. de quibus 32. ff. de legibus.*

Sciendum 3. Consuetudo, quatenus pro iure accipitur ortum, & constitutionem suam a ccipit à consuetudine facti, quatenus idē est, quod mos populi, idest actus publicè frequentatus. Ita Siluester *verbo consuetudo num. 1.* Vasquez *par. 2. disput. 178. cap. 1.* Beccanus *tract. 3. cap. 7. quæst. 1.* & alij communiter.

Sciendum 4. Consuetudinem triplicem esse: prima est contra legem: secunda præter legem. tertia secundum legem. Prima, consistit in actibus frequentatis contra legem, & vim habet abrogandi legem. Secunda, consistit in frequētatione actuum, qui nulla lege vetantur. Tertia, declarat, seu interpretatur legem, & consistit in frequentatione actuum secundum legem & per hanc consuetudinem lex firmatur. Ita Azorius *par. 1. lib. 5. cap 17.* Salas *de legib. disp. 19. sect. 2. num. 12.* & alij. Similiter etiam diuiditur consuetudo in, Rationabilem, & irrationabilē consuetudinem rationabilem. Nauarrus *in comment. de spolijs §. 14.* definit dicens illam esse, quæ non est contra legem naturalem, vel diuinam directè, vel indirectè, & è conuerso omnem, & solam consuetudinem, quæ directè, vel indirectè repugnat naturali legi, vel Diuinæ esse irrationabilem. Alij verò dicunt omnem consuetudinem malam contra legem naturalem Diuinā, vel humanam esse irrationabilem, & è contra illam esse rationabilem, quæ bona est saltem ex parte operis, & materiæ non prohibitę. Tertiò, diuiditur consuetudo in reprobatam in iure, & permissam, Consuetudinem reprobatam esse, quæ est abrogata expresè in iure per legem, Permissam, quę non est abrogata. Quartò, diuiditur consuetudo in præscriptam, & non præscriptam, quę sit consuetudo pręscripta, & non præscripta infra dicetur.

Sciendum 5. Multa consuetudini attribui. Primùm, quod legis vim obtineat, & obliget, *ex cap. dilect. de arbitris*; secundum quod sit optima legum interpres, *ex cap. cum dilectus de consuetudine*; tertiùm, quod leges humanas abrogare possit, *ex cap. cum tanto de consuetudine.*

Sciendum 6. Ad ius consuetudinis introducendum quatuor requiri; vt consuetudo vim legis habeat. Primò, requiritur actus liberè frequentatus, requiruntur autem tot actus, & ita notorij, seu manifesti, vt probabiliter in populi notitiam deueniant; requiruntur autem actus voluntarij, quia consuetudo non potest vim legis habere, & obligationem inducere, nisi per actus voluntarios, & liberos, lex enim est actus voluntarius, humanus, & liber. Secundò, requiritur temporis diuturnitas, sicuti habetur *in l. 35 ff. de legibus*, vt infra dicetur. Tertiò, requiruntur scientia, & tacitus consensus potentis legē

condere, nam in hoc differunt lex, & consuetudo, quod in illo expressus consensus in hac tacitus interueniat. Ratio est, quia non minorem potestatem requirit consuetudo, quam lex, sed lex requirit consensum Principis; ergo etiam consuetudo.

Sciendum 6. Triplicem esse consensum. Primus, dicitur expressus, quo Princeps expressè consentit, aut dat licentiam ad introducendam consuetudinem, aut illam approbat. Secundus est tacitus, & hic contingit, quando Princeps scit consuetudinem, dissimulat, & non contradicit, cum commodè possit contradicere. Tertius, dicitur legalis, & hic datur per legem, seu ius, quatenus Princeps statuens, aut sciens consuetudinem tales conditiones habentem à iure approbari dicitur consentire iuridicè, & ad consuetudinem introducendam non requiri consensum expressum, vt ad legem, sed satis esse consensum iuridicum, aut tacitum. Et ita Sanchez *lib.7. de matrim. disput.4. num.11.* Azorius *par.1. lib.5. cap 18. quæsito 11.* Vasquez *par.2. disput.176. cap.2.* & alij. Quartò, requiritur, vt actus à populo, vel maiore parte populi frequentetur, quasi ex obligatione, seu potius animo introducendæ obligationis. Et ita Suarez *lib.7 de legibus cap.14. num.5.* Molina *tom.1. tract.2 disput.77.* Nam si populus temporis diuturnitate aliquod opus frequentet pietatis, aut deuotionis gratia non ideò nascitur iuris necessitas sub peccato obligantis, quia nullus præsumitur sibi obligationis onus imponere, nisi intendat illud imponere, & sicut lex vim habet ex intentione legislatoris, ita consuetudo vim habet ex intentione eorum, qui consuetudinem inducunt: vnde consuetudo ieiunandi in vigilijs Beatæ Virginis Mariæ, sumendi aquam lustralem in ingressu Ecclesiæ, accipere cinerem benedictam in capite Quadragesimæ, ad campanæ pulsum Salutationem Angelicam ter recitare non obligare ad peccatum mortale, si solùm fiat deuotionis gratia, & non animo se obligandi. Ita Suarez *lib.7. cap.14. num.5.* Salas *de legibus disput.19. sect.11. num.92.* Azorius *lib.5. cap.13. quæsito 8.* Reginaldus *lib 13. num.21.* Clauis regia *lib.3. cap. vlt. num.9.* & alij.

Sciendum 7. Quod quando dubitatur, an cõsuetudo fuerit inducta animo se obligandi, aut animo deuotionis non debere præsumi fuisse inductam animo se obligandi, sed deuotionis gratia. Ratio est, quia in dubijs fauorabilior pars est tenenda, & nemo præsumitur velle sibi onus imponere, seque obligare, nisi aliter constet de ipsius voluntate. Ita Suarez *cap.15. num.13.* Quartò requiritur, vt id, quod introducitur per consuetudinem possit esse materia legis. Ratio est, quia consuetudo vim habet legis; ergo necesse est, vt materia consuetudinis, seu id, quod per consuetudinem introducitur, possit esse materia legis, & ideò non posse legitimè introduci consuetudinem contra ius Diuinum, & naturale. Ratio est, quia materia huius consuetudinis esset intrinsecè mala, vtpotè contra iusgentium posse induci consuetudinem, quæ vim legis habeat. Ratio est, quia sicut contra ius naturæ non potest esse consuetudo, ita nec etiam contra iusgentium, quod regulariter deducitur ex principijs iuris naturæ. Quintò requiritur, vt consuetudo à maiore parte populi introducatur. Ratio est, quia sicut minor pars populi non potest condere legem, ita nec consuetudinem, quæ vim legis habeat. Sextò requiritur, vt consuetudo introducatur per eos, qui legem condere possunt, vel habent capacitatem actiuam condendi leges, vel saltem passiuam ipsas recipiendi: vnde populum posse cõsuetudine obligantem introducerem. Ratio est, quia potest condere statuta, & per consequens consuetudinem, dummodo tamen id nõ sit illi prohibitum, aut non repugnent iuri cõmuni. Item Communitatem Mercatorum posse introducere consuetudinem municipalem, quę vim legis municipalis habeat inter ipsos mercatores. Septimò requiritur, vt consuetudo sit longæua, & sufficiens ad inducendã obligationem legis, & ideò requiritur spatium decẽ annorum, vt consuetudo præscribat, quia spatiũ decẽ annorũ in iure longęuũ tempus censetur. *l. vlt. C. de prescript. longi temporis.* Ita Molina *tract.2. disp.77.* Em. Sà *verbo lex num.17.* Rebellus *par.1. lib.1. quæst.5. num.9.* & alij.

De secundo effectu consuetudinis, qui est interpretari legem?

BRACTEA LXXVII.

Sciendum secundum attributum consuetudinis esse, videlicet optimam legis interpretem, ita *cap. cum dilectus de consuetudine.* Et ratio, quia Principis est interpretari leges, quę ab ipso vim, auctoritatemque habent, ac Princeps leges suas interpretatur, non solùm verbis, sed etiam factis, nimirum tacita permissione voluntaria, cuius efficax argumentum est vsus publicis moribus vsurpatus, vidente, nec contradicente eodem Principe; & ideò ad consuetudinem ad hoc, vt possit interpretari legem, duo requiruntur. Primùm est publicum esse, vt neminem latere meritò possit, itaque non sufficit à multis obseruari in occulto, vt non valeat venire ad notitiam illius, qui huiusmodi legis condendæ habet potestatem. Secundùm est, vt ille, qui condendæ legis potestatem habet, consuetudinem ipsam approbet saltem tacitè, vt censetur facere, cum in vsu illam esse nouit, nec punit, cum possit.

Sciendum 2. Ex eo, quod aliquid frequentissimè fiat, & ita fieri Princeps cognoscat, ac patiatur non constitui consuetudinem, quæ sit interpræs legum, si faciens delatus ad iudiciale forum in eo puniatur, quia sic ostenditur tolerantiam Principis non esse voluntariam, iuxta *caput cum iam dudum §. fin. de prebendis,* vt si Princeps cognoscat, & patiatur vltra pretium decreto taxatum exigi à militibus in hospitijs, si exigens in iudicium vocetur, & puniatur, quia sic ostenditur Principem nolle sui statuti interpræationem fieri secundum talem consuetudinem.

De tertio effectu, qui consuetudini tribuitur, qui est abrogare legem?

BRACTEA LXXVIII.

Sciendum tertium attributum consuetudinis esse abrogare legem, seu legis obligationem tollere, modò tamen adsit consensus, saltem

tem tacitus legislatoris, vel ipsius successoris. Ita Suarez *lib.7.cap.19.num.21.* Azorius *par.1.lib.5.cap.17.* Molina *tract.2 disput.77.* Clauis regia *lib. 3. cap.vlt.num.10.* Em. Sà *verbo lex num.18.*& alij. Ratio est, quia consuetudo vim habet legis, sed vna lex potest aliam abrogare; ergo consuetudo potest abrogare legem.

Sciendum 2. Quod vt cõsuetudo possit abrogare legem, duæ conditiones sunt necessariæ: Prima, vt sit rationabilis, idest habeat ea, quæ lex iusta requirit, quo autem modo hęc conditio illi conuertire possit, dubium est, cum etiam ipsi legi, quæ per consuetudinem aliquam contrariam abrogatur, conueniat rationabilem esse, cui dubio respondet Sotus *lib.1. de iustit. & iure quæst.7. art. 2.* inquiens, legem humanam in multis casibus deficere propter hominum mutationem, ita vt hominibus magis vtile sit contra eam agere, quàm eam seruare, quibus in casibus legi contrauenièdo non peccatur, & ideò ostenditur per consuetudinem, quod lex huiusmodi non sit ampliùs vtilis. Secundò requiritur, vt consuetudo sit legitimè præscripta ad abrogandam legem; & tunc censetur legitimè præscripta, quando adfuerit tempus ad præscriptionem requisitum, seu quod consuetudo ipsa obtenta sit, tacitòque Principis consensu inualuerit per decursum temporis requisiti ad præscriptionem; & ideò ad abrogandas leges ciuiles, vt dictum est, requiritur tempus decem annorum, etiamsi consuetudo sit contra ius. Ratio legistarum est hæc, iura requirunt longum tempus ad inducendam consuetudinem. *Cod. quæ sit longa consuetudo;* sed longũ tẽpus secundũ ius ciuile est decẽ annorũ. *Cod. de præscript. longi temporis:* ad abrogandas verò leges Canonicas si consuetudo sit præter ius Canonicum, requiritur spatium decem annorum. *Ex gloss. ad cap. fin. de consuetud. in 6. verbo consuetudo,* nisi consuetudo veniat ad detrahendum iuri alicuius Ecclesiæ, quia tunc sicut in præscriptione requiritur spatium quadraginta annorum. Ita *cap. audītis de præscript.* & *cap. olim de censibus:* ita etiam requiritur in consuetudine. Si verò consuetudo sit contra ius Canonicum, requiritur tempus quadraginta annorum. Ita Canones citati, quod si consuetudo sit contra ea, quę reseruata sunt Principi, tàm iure ciuili, quam Canonico requiri tempus, de cuius initio non est memoria. *Ex cap. super quibusdam de verborum significat.* tamen ista locum habent solùm, quando Princeps consuetudini consentire nescitur; si enim de ea ante constiterit, nihil est, cur ante dictum tempus censeatur expectandum ad consuetudinis validitatem, quæ tota pendet ex ipsius Principis in eam consensu, de quo proinde vbi primùm constiterit, nihil est, cur tempus longius expectetur.

An vt consuetudo vim habeat abrogandi leges, debent constare ex actibus, qui sint liciti?

BRACTEA LXXIX.

R. Affirmatiuè; & ita *per legem consuetudinis, C. quæ sit longa consuetudo.* Et rõ est, quia cõsuetudo ex illicitis actibus constans nõ est rõnabilis, quandoquidẽ consuetudo in vniuersũ dirigit ad actus similes his, ex quib. nata est, & ideò quę nata est ex illicitis pro materia obiecta, habet actus illicitos, sicque illicita est, atque adeò irrationabilis. Vna tamen exceptio est, nisi ita inualuerit patriæ consuetudo, vt multitudo ab eo remoueri non possit, tunc enim etiam si ratio legis perseuerauerit, & peccetur agendo contra eam, postquam tamen consuetudo aduersus legem obtinuit, vt adimeretur ei vna ex conditionibus necessarijs, nimirum possibilem esse respectu multitudinis, cui imponitur, vincit, abrogatq; eã ipsam legẽ, cui exceptioni Sotus *lib.1. de iustit. quæst.7. art. 2.* Siluester *verbo consuetudo qu.7* alteram addit his verbis; vt lex pristina antiquetur consuetudo etiam illi, quæ illicitum habet ortum, potest licet non apud eosdem homines, tamen apud posteros vim obtinere, cęperunt v.g. antecessores nostri primò agere contra aliquam legem, nos autem in nostro sæculo inuenimus consuetudine abrogatam, non tenemur scrutari de consuetudine illa, qualia habuerit initia, sed liberi sumus ab eadem lege, sic cum Clerici *in cap. statuimus, & duobus sequentibus dist. 4.* iubeantur ieiunia ante Pascha per septem hebdomadas plenas nempè inchoando à Quinquagesima consuetudo à maioribus ad nos deriuata (siuè per licitos, siuè per illicitos actus cęperit) ita inualuit in contrarium, vt non peccent Clerici inchoando ieiunium tantummodo cum Laicis à feria quarta Cinerum.

An interruptio consuetudinis per actum illius contrarium, vim illius euacuet?

BRACTEA LXXX.

R. Quod si consuetudo nondum sit completa, & perfecta, tàm ea, quæ præter legem contendit ad statuendum ius, quam ea, quæ contra legem tendit ad ipsam abolendam vnico actu contrario interrumpi. Ratio est, quia ad præscriptionem requiritur præter bonam fidem etiam temporis longitudo, quare si ante tempus legitimum, v.g. annos decem, vel quadraginta completos legislator ciuilis, vel Ecclesiasticus transgressores puniant, vel in tribunali suo pro lege contra consuetudinem iudicet, præscriptio interrumpitur, quare de nouo postea inchoari debet, vt legem temporis progressu vincere possit, Dixi, quod si consuetudo nondum sit completa, quia si elapso tempore legitimo, consuetudo cõpleta sit, non tolleretur vno actu contrario, sed vel Principis lege consuetudinis abrogatoria, vel contrariâ noua cõsuetudine cum temporis diuturnitate.

An non vsu legis, sicut vsu possit induci consuetudo, per quam lex ipsa abrogetur?

BRACTEA LXXXI.

R. Non vsum legis de se non constituere cõsuetudinem, nisi talis sit, qui in se habeat actum, vsumvè tacitum contra eiusdem legis ordinationem, tunc autem non vsus includit talem vsum tacitum, cum lex fuerit de genere earum, quæ imponunt necessitatem aliquam agẽdi, non includit autẽ, quando lex nõ necessitat ad agendum, sed tantum tribuit facultatem aliquid agendi.

Hhh 2 An

An consuetudo vim habeat contra legem Diuinam, siuè naturalem, siuè positiuam?

BRACTEA LXXXII.

R. Consuetudinem nullam habere vim contra ius Diuinum. Ita *ex cap. fin. de consuetud.* Et ratio est, quia nihil est, quod Diuinæ potestati derogare in illa re possit, neque in Deo locum habet id, quod habet locum in Principe, qui sciendo, & tolerando consuetudinem, præsumitur velle tollere obligationem legis à se latæ in contrarium, quia licet tolleret peccata hominum, tamen præsumendus non est velle tollere obligationem suorum præceptorum, contra quæ peccatur. Iuxta illud: cęlum, & terra transibunt, verba autem mea, &c.

An noua consuetudo possit consuetudinem contrariam abrogare?

BRACTEA LXXXIII.

R. Nouam consuetudinem posse antiquam abrogare in eo loco, in quo noua consuetudo contraria introducitur. Ratio est, quia sicut lex posterior abrogat priorem, ita posterior consuetudo priorem consuetudinem.

Sciendum dubium esse, an introducentes cōsuetudinem contra antiquam legitimè receptā peccent toto eo tempore, quo actus contra consuetudinem exercent, donec elapsum sit tempus requisitum ad consuetudinem introducendam. Reginaldus *lib. 13. num. 247.* Valentia *disp. 7. quæst. 5. pun. 8* docent in foro externo pręsumi peccare, licet non in foro conscientiæ. Sed

R. Peccare toties, quoties agunt contra consuetudinem introductam, donec elapsum sit tempus ad ipsam introducendam, nisi adsit consensus, saltem tacitus Principis, aut nisi bona fides excuset. Ratio est, quia sic operando censetur agere contra legem; ergo peccant.

An sit discrimen inter consuetudinem, et præscriptionem?

BRACTEA LXXXIV.

R. Esse discrimen inter præscriptionem, & consuetudinem. Ratio est, quia consuetudo est quid iuris, præscriptio verò dicitur quid facti. Tum quia consuetudo requirit consensum, & vsum populi, ad præscriptionem verò sufficit factum, vel vsus priuatæ personæ. Ita Couaruu. *regula possessor par. 2. §. 3.* Suarez *tom. 1. de religione lib. 2. cap. 15. de legibus lib. 1. cap. 7. num. 10.*

An ad prescribendum contra legem requiratur bona fides?

BRACTEA LXXXV.

RESpondent Caietanus *2. 2. quæst. 97. art. 3.* Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 4. num. 14.* Vasquez *disput. 177. cap. 7.* negatiuè; vnde aiunt consuetudinem ex malis, & illicitis actibus conualescere, & legem abrogare posse, quæ sententia vera est, si Princeps sciens tolleret, ideoq; tacitè abrogationi consentire censeatur. Si verò loquamur de præscriptione aduersus legem Principe ignorante.

R. Bonam fidem requiri, sine qua impossibile est cōsuetudinem pręscriptionē inchoare cum ea iusta, & rationabilis esse debeat; ex quo ipso consequens est in eiusmodi præscriptione semper interuenire probabilem ignorātiam præscribentium.

MALLEATIO LIX.

An in Ecclesia sit potestas dispensandi in his, quæ sunt de iure Diuino?

An sit potestas dispensandi in voto?

BRACTEA I.

R. Primò in Ecclesia esse potestatem dispensandi in votis relictam à Deo ob commune bonum animarum. Ita communiter omnes, & colligitur ex verbis *Matth. 16.* vbi dicitur, *Amen dico vobis quęcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in cœlis*; quę verba, cum sint generalia, generaliter explicanda sunt de omni vinculo cōtracto erga Deum. Ita Lessius *lib. 2. cap. 40. dub. 12. num. 99.* Azorius *1. par. lib. 11. cap. 18. quæsito 5.* Clauis regia *lib. 6. cap. 11. num. 9.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 8. pun. 7.* Sanchez *lib. 4. cap. 37. num. 2.* Reginaldus *lib. 18. num. 327.*

Sciendum potestatem in votis rescidere principaliter in Romano Pontifice. Secundò, acceptum esse, hanc etiam potestatem dispensandi in quouis voto olim non solum fuisse in Romano Pontifice, sed etiam in Episcopis pro suis Diœcesibus, extendebatur etiam olim hæc Episcoporum potestas ad dispensandum etiam in votis solemnibus Religionis, cum enim essent Religiosorum Ordinarij, illis remittentibus obligationem promissionis obedientiæ ipsis factam, reliqua euanescebant vota. Tertiò communi sensu receptum esse, potestatem dispensandi in votis competere alijs, quasi Episcopalem iurisdictionem habentibus, vt Capitulo sede vacante Abbatibus.

Sciēdum 2. Nunc tempus nonnulla vota iam diu reseruata fuisse Summo Pontifici, scilicet, votum castitatis, Religionis, peregrinationis in Terram sanctam, & ad S. Iacobum in Compostella, & ad SS. Apostolos Petrum, & Paulum in Vrbe, vt constat ex constitut. Sixti IV. *Et si Dominici gregis*, & ex vsu communiter recepto.

Sciendum 3. In omnibus alijs votis exceptis potest Episcopus, & alij Prelati, quos diximus dispensare sicut & olim poterant, cum non sit illis prohibitum. Primò, potest Episcopus dispensare in voto emisso in subsidium Terrę sanctæ conuertendi debita. Et ita Suarez *lib. 6. de voto cap. 28. num. 13.* Sanchez *lib. 4. summa cap. 40. num. 8.* Ratio est, quia nullo iure, aut consuetudine, probatur eiusmodi votum commutandi debita in subsidium Terræ sanctæ esse reseruatum. Item in voto Crucis assumendæ in quolibet expeditione

... peccandi nunquam, & si dubitetur, vtrum validum sit. Idem denique dicendum est de voto ad non petendam dispensationem, nisi à Summo Pontifice, in quibus Episcopus vtens sua facultate potest dispensare. Ita Basilius Pōtius *de dispensat. lib. 8. cap. 4. num 13. §* 1. Suarez *cap. 12. num. 15.* Sanchez *lib. 4. cap. 4. num. 13.* & alij.

An Episcopus possit dispensare in votis Populi ad seruandum festum?

BRACTEA II.

R. Primò posse Episcopum dispensare cum populis, qui emiserunt vota seruandi aliquod festum, vel, &c. Ratio est, quia tale votum non censetur reseruatum.

Sciendum, quòd si loquamur de successoribus, illi non tenentur ratione voti, quæ est obligatio personalis, sed ratione statuti facti à Populo, vnde statutum illud non potest consensu populi amplius tolli; non enim pendet ab eius consensu, potest tamen tolli auctoritate Episcopi, qui vim præbuit illi statuto, vel Principis superioris. Ita Suarez *lib. 6. de voto cap. 9. num. 1.* Sanchez *lib. 4. summæ cap. 41. num. 3.*

An Episcopus possit dispensare in voto facto in fauorem tertij?

BRACTEA III.

R. Quod votum factum in fauorem tertij, & ab illo acceptatum, non potest Episcopus dispensare. Sic Toletus *lib. 4. summæ cap. 16.* & alij. Ratio est, quia cum obligatione voti astricta est obligatio iustitiæ, & Episcopus, immo neque Pontifex potest dispensare cum damno aliorum circa dominia, & ius iustitiæ. Ita Azorius *lib. 11. cap. 9. quæst.* 12. Suarez *lib. 6. de voto cap. 15. num. 7.* Azorius *loco cit.* docet, Summum Pontificem posita rationabili causa posse dispensare in voto facto in fauorem tertij, & Molina *tom. 1. de iustit. tract. 2. disp. 149.* fatetur id posse Pontificem propter commune bonum, quod etiam dicendum est in promissione facta pro loco determinato, quòd si acceptatur ab Ecclesia non potest absque causa dispensari; seu in aliud commutari, si verò non fuerunt acceptatum potest dispensari, & commutari; quia illi Ecclesiæ non fuit peculiare ius acquisitum.

Sciendum tunc promissionem censeri factam in fauorem tertij, quando illi promittitur per modum voti, vt si quis promittat Petro se daturum illi aliquam eleemosynam, & Petrus acceptet eam promissionem, hæc promissio censetur facta homini; si verò Ioannes solum promitteret Deo, se daturum illam eleemosynam Petro, & talem promissionem confirmaret voto posset Pontifex subsistente causa in eo dispensare, quia ibi non est promissio facta homini, sed votum de danda eleemosyna homini, quod longè diuersum est, & ad dispensationem, vel commutationem voti valdè considerandum.

... ligionem, & voto confirmet talem promissionem, an hæc promissio censenda sit facta homini, vel Deo, & per consequens an in tali voto Episcopus possit dispensare?*

BRACTEA IV.

R. Si ex tali promissione, & ingressu in Religionem aliqua vtilitas tēporalis accresceat Petro iudicādum esse ibi esse aliquam promissionem humanam, & in ea Episcopum non posse dispensare; si verò ex illo ingressu Religionis nihil omninò vtilitatis temporalis accrescit Petro posse Episcopum causa subsistente dispensare, quia tunc nihil fieret cum damno, & detrimento Petri, cum ex impletione eius promissionis Petrus nullum emolumētum temporale habeat. Ita Basilius Pont. *loco citato num. 16.*

Sciendum dubium esse, an quando promissio facta est Deo, & homini simul, possit ab homine remitti, v. g. Petrus Ioanni promittit daturum se illi esse aliquam eleemosynam, quod etiam promittit Deo, quæritur an hæc promissio simpliciter cesset ex eo, quod promissarius remittat promissionem sibi factam? Ad quod respondeo cum distinctione, nam vel promissarius remittit tantum obligationem iustitiæ ortam ex promissione acceptata, accepturus nihilominus si alter illum votum implere voluerit, & in hoc casu non cessat obligatio voti, quia adhuc remanet materia honesta voti, & non est, cur cesset eius obligatio, cum votum fuerit absolutè factum, & non sub conditione, si aliter promissarius vtramque obligationem remittat declarans se nolle vllo modo acceptare; cessat omninò obligatio, solum enim obligabit votum ad dandam eleemosynam, si alter voluerit acceptare; ergò non obligatur cum non vult acceptare.

An Episcopus possit dispensare in votis Papæ reseruatis?

BRACTEA V.

R. Episcopum posse dispensare in votis, quæ reseruata sunt, quando non tota materia voti est reseruata, aut nō directè propter quod deficiunt à vera, & integra ratione, & materia voti reseruati; vnde Episcopus dispensare potest in voto non contrahendi matrimonium. Ita Siluester *verbo votum 4. quæst. 4.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 9. & in summa lib. 4. cap. 40. num. 66.* Nauarrus *in summa cap. 12. num. 76.* qui testatur hanc opinionem in sacra pœnitentiaria receptam esse. Ratio est, quia tale votum, non est votum castitatis perfectæ, sed tantummodo partialis, quia ex prædicto voto non contrahendi matrimonium non obligatur vouens ad seruandam castitatem simpliciter.

Secundò, posse Episcopum dispensare in quolibet alio voto castitatis, dummodo non sit castitatis perpetuæ, vt si quis emiserit votum castitatis pro certo tempore, vel comparatione alicuius determinatæ personæ, & eodem mo-

do poterit Episcopus dispensare in voto, quod coniux de non petendo debito, quia hæc non sunt vota castitatis simpliciter, & totalia, sed solum partialia.

Tertio Episcopi dispensare possunt in voto castitatis emisso per metum, quãuis leuem. Ratio est, quia reseruatio votorũ est odiosa, ergo strictè explicanda, consequenter non videtur extendenda ad vota per metum emissa. Ita Nauar *cap.12.num.69.* Reginaldus *lib.18.num.338.* licet tale votum sit perpetuæ castitatis.

Quartò, Quando potest dispensare Episcopus in voto principali, cui tanquam accessorium adnexũ est votum castitatis, potest etiã in voto castitatis accessorio dispensare, vt si quis voueat non ludere sub pęna seruandæ castitatis, aut ingrediendi Religionem, Episcopus, qui potest dispensare in voto non ludendi, potest etiam dispensare in voto castitatis.

Quintò, quando est magnum periculum incontinentiæ, nec facilis est ob paupertatem, aut aliam iustam causam ad Papam, vel Legatum ipsius recursus, Episcopus tunc potest dispensare. Et ita Siluester *in verbo votum 4. quæst.4.* Nauarr. *loco cit. num.76.* Ratio est, quia cum necessitas tunc vrgeat Papa non censetur intendere reseruationem, sed Episcopo permittere, vt vtatur potestate ordinaria, quam habet seposita reseruatione.

Sextò, potest Episcopus dispensare in voto, quod quis emisit de suscipiendis sacris ordinibus, hoc enim votum non est reseruatum, cum non sit votum castitatis. Sic Nauarrus *cons.32. quæst.2. de voto*, Suarez *disp.21. num.7.* sicut etiam potest dispensare cum eo, qui sub disiunctione emisit votum suscipiendi ordines sacros, vel ingrediendi Religionem. Ita Sanchez *de matrim.lib.8. disp.9.num.14.* Ratio est, quia votum illud impleri potest per materiam, quæ non est reseruata, scilicet per susceptionem sacri ordinis.

Septimò, dispensare posse Episcopum cum fœmina, quæ votum de assumendo statum earum, quas vulgo bissoccas appellant, & Religiosæ non sunt; votum enim huiusmodi non est Religionis, atque adeò non est reseruatum Pontifici, vt docet Sanchez *loco cit.* Henriquez *lib.de indulgent.cap.3. nu.6.* Arragonius *2.2.q.88.ar.2.*

Octauò, posse Episcopum dispensare quando votum est conditionale, sub conditione de futuro, modo conditio non sit adimpleta. Ratio est, quia vota, quæ reseruantur sunt vota perfecta, & cum reseruatio sit odiosa, non videtur extendenda ad votum imperfectum, cum ante conditionis euentum non obliget. Non potest tamen dispensare, quando votum fuit factum sub conditione de præsenti, aut de præterito, cum huiusmodi conditio non suspẽdat consensum, nec efficiat votum conditionale, nec etiam si votum fuerit factum sub conditione necessaria, quia hæc habetur pro adimpleta cum sit necessariò euentura. Dixi modo conditio nondum sit adimpleta, nam adimpleta conditione, votum censetur absolutum, & non minus obligat, quam si fuisset factum sine conditione. Ita Reginaldus *lib.28. num.36.* Lessius *lib.2.cap.40.num.13.* Clauis Regia *lib.6. cap.11.num.77.* & alij, modo votum conditionale non sit pęnale, nam in voto pęnali probabilius esse ab Episcopo dispensari non solum ante cõditionem adimpletam, verum etiam adimpleta conditione. Et ita Reginaldus *lib.18. num.377.* Suarez *lib.6.cap.23. num.6.* Clauis Regia *lib.6.cap.11.num.32.* Ratio est, quia votum, quod Papæ reseruatur fit ex directa volitione, & ex affectu boni, quod promittitur, votum pœnale non fit ex affectu boni, quod promittitur, sed potius ex quadam detestatione illius, vt vouens retrahat se ab aliquo malo.

Nono, Episcopum posse dispensare in voto ingrediendi striciorem Religionem, vt laxiorem ingrediatur. Ita Sanchez *lib.8. disp.9. num.17.* Em. Sà *verbo voti dispensatio*. Ratio est, quia Episcopus in eo casu non dispensat simpliciter in voto Religionis, absoluendo vouentem ab eius obligatione, sed solum in circunstantia strictioris Religionis, ac proinde quoad illam non est reseruatum Pontifici, sicut etiam potest dispensare in voto perseuerandi in Religione, cum illud diuersum sit à voto ingrediendi Religionem, & etiam in voto statim exequendi Religionis votum, vt scilicet possit differre eius exequutionem; quia non est dispensatio in voto, sed in quadam eius circumstãtia.

Decimò, quãdo votum disiũctiuè emittitur, & vna pars voti est reseruata, altera verò non, modo vouens nõ eligerit partem reseruatam. Ratio est, quia in alternatiuis electio est debitoris: cum ergo in potestate debitoris, seu vouentis sit eligere partem non reseruatam, votũ, cuius vna pars est reseruata, & altera non reseruata appellandum non videtur reseruatum. Ita Azorius *1.part.lib.11.cap.19.* Suarez *lib.6.cap.24. num 4.* Clauis Regia *lib.6.cap.11.num.62.* & alij.

Vndecimò, posse Episcopum etiam dispensare in materia, in quam à Pontifice commutata sunt vota reseruata. Ita Henriquez *lib.7. de indulgent.cap.3.num.5.* Arragonius *2.2. quæst.88. art.12.* Suarez *lib.6.cap.20. num.15.* Sanchez *lib.8. disp.9.num.20.* Em. Sà *verbo votum num. vltimo*. Ratio, quia hoc ipso, quod prius votum, cum vouentis consensu commutatum est, quasi aliud, siue nouum votum euadit, quippe nouam obligationem continens materia reseruata non est. Tum etiã quia materia post prioris voti cõmutationem non est reseruata Pontifici; poterit ergo Episcopus dispensare. Quod si dicatur subrogatum sapere naturam eius, cuius loco subrogatur; ergo materia in quam transmutatur votum reseruatum erit etiam reseruata. Ratio est, quia subrogatum sapit naturam eius, cuius loco subrogatur in fauorabilibus tantum, non autem in odiosis, qualis est reseruatio. Et ita communiter omnes interpretes explicãtes eam propositionem iuris. Item posse Episcopum dispensare in qualitate peregrinationis, vt si quis vouit pedester ire ad aliquam Ecclesiam, aut mendicans, vt tali modo non eat, sicut de circumstantia Religionis dictum est.

An Episcopus possit dispensare in voto Religionis?

BRACTEA VI.

R. Posse in illis casibus, in quibus potest dispensare in voto castitatis perpetuæ. Secundò in voto castitatis Religionis non approbatæ, cum Religio non approbata non sit verè Religio.

Religio. Tertiò commutando votum Religionis arctę in votum laxioris Religionis, vt dictum est supra. Quartò in voto Religionis facto ad duos, vel tres annos tantum, hæc enim non videtur perfectum votum Religionis, sed votum imperfectum, cum non inducat obligationem perpetuam.

An Summus Pontifex possit dispensare in voto solemni Religionis, vel Castitatis?

BRACTEA VII.

R. Posse ex iusta causa. Ita communiter Canonistæ, & plures Theologi. Ratio est, qā potest dispēsare in voto simplici castitatis; ergo potest etiam in solemni, cum solemnitas dependeat à constitutione Ecclesiæ, & de facto fuit dispensatum cum aliquibus. Ita Nauarr. *cap.12. num.77.* Gutier. *de matrim. cap.123. num.1. & 2.* Lessius *lib.14. dub. 14. de voto num.111.* Reginaldus *lib.18. num.319.* & alij.

An ad dispensationem requiratur iusta causa?

BRACTEA VIII.

R. Ad dispensationem iustam causam requiri, vt valida sit dispensatio. Ita D.Thomas *2.2. quæst.88. art.12.* Sanchez *lib.4. cap. 45.* & alij.

Sciendum, Quod iusta causa est, vtilitas Ecclesiæ, honor Dei, vtilitas, & fructus spiritualis vouentis, morale periculum sæpius violandi votum, imperfecta deliberatio in voto faciendo, metus incussus ab homine ad extorquēdum votum, quamuis metus non sit grauis, dubium de obligatione voti, notabilis difficultas superueniens executioni voti, & alia huiusmodi iuxta prudentis viri iudicium.

An in Ecclesia sit potestas dispensandi in iuramentis?

BRACTEA IX.

Sciendum dubium esse, an in Ecclesia extet aliquod iuramentum reseruatum Summo Pontifici, sicut, & votum. Existimant aliqui nullum iuramentum esse Pontifici reseruatum, sed posse ex causa ab Episcopo relaxari, & ex eo quod Pontifici sint aliqua vota reseruata non colligitur etiam esse aliqua iuramenta. Et ita Tabiena *verbo iurare quæst.20.* & alij. Sed

R. Quando iuramentum factum est in confirmationem voti Deo facti, si votum est reseruatum etiam reseruari iuramentum. Et ita, Caiet. *2. 2. quæst.89. art.5.* Suarez *lib.2. de iuram. cap. 40.* Ratio est, quia dispensatio iuramenti in tali casu fit remittendo puris obligationem voti, qua ablata aufertur obligatio iuramenti; ergo quando votum est Pontifici reseruatum, erit etiam reseruatum iuramentum, cum illud non tollatur, nisi pro ablationem obligationis voti.

R. 2. Habentem facultatem dispensandi, vel commutandi voti non posse dispensare, vel commutare iuramenta. Ita Lessius *lib. 2. cap.82. dub.12. num.60.* Azorius *1. par. lib. 11. cap.20. quæstio 2.* Ratio est, quia facultas non est extendenda vltra verborum proprietatem, sed iuxta verborum proprietatem, aliud est votum, & aliud est iuramentum.

R. 3. In Ecclesia potestatem ad relaxandum iuramentum esse. Et ita communiter omnes.

Sciendum iuramentum quatuor modis auferri posse. Primò, mutatione materię, vt si materia iuramenti fiat illicita, iuramentū.n. nō est vinculum iniquitatis, aut si materia fiat impossibilis, nam ad impossibile nemo tenetur. Secundò, relaxatione eius, in cuius fauorem factum est iuramentum, etiamsi iuramentum factum sit in modum voti, vt si voueas Deo, & iures te daturum certò pauperi eleemosynam, paupere condonante obligationem, liber eris ab obligatione voti, & iuramenti, quia is potest cedere iuri suo, absque iusta causa remittendo rem sibi debitam. Tertiò, tollitur obligatio iuramenti irritatione facta per Superiorem, cui subiecta est materia iuramenti, qualem facultatem habent pater respectu filiorum, dominus respectu seruorum, maritus respectu vxoris in his rebus, in quibus tales personæ sūt subiectæ. Ratio est, quia nullus potest iurare in præiudicium alterius. Ita Suarez *lib.2. de iuramento cap. 38.* Reginaldus *lib. 18. num. 64.* & alij apud Clauem regiam *lib.5. cap.8. num.5.* Quartò, obligatio iuramenti tollitur per commutationem, aut etiam per dispensationem, sicut obligatio voti.

Sciendum 3. Quod sicut Episcopus potest dispensare in votis, ita & etiam potest relaxare iuramenta, sicut etiam possunt alij Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes in suos subditos; excipiuntur tamen ab hac doctrina iuramenta, quibus confirmantur statuta Collegiorum, Academiarum, & bonorum Ecclesiasticorum, modò hęc statuta proueniant à Summo Pontifice. Item iuramenta quibus se insignes viri obstringūt, vt cuiusmodi sunt Reges, Duces, Marchiones, Comites supremam in temporalibus iurisdictionem habentes, Episcopi, Superiores Ecclesiarum, Antistites, alijque Romano Pontifici proximè subiecti. Denique iuramenta, quæ in rebus arduis, & maximè dubijs interponuntur. Ita Abbas *cap. quanto num. 9. de iureiurando,* Azorius *1. par. lib.11. c.9.* Excipiuntur secundò iuramenta, quæ annexum habent votum Papæ reseruatum, vt est votum castitatis perpetuæ, Religionis, votum peregrinationis ad S. Iacobum de Compostella, aut ad limina Apostolorum Petri, & Pauli, aut ad Ierosolymitarum, cum igitur hæc vota sint reseruata Papæ, sequitur iuramentum habens annexum aliquod ex his votis esse Papæ reseruatum, & per consequens Episcopus non potest in eo dispensare.

An iurans possit commutare materiam iuramenti in meliorem?

BRACTEA X.

R. Posse commutare in meliorem, aut saltem in æquiualentem, & euidenter equè bonā. Ratio est, quia sicut vouens in his potest commutare sua vota, ita & etiam iurans potest in his commutare materiam iuramenti. Ita Valentia

lentia 2.2.*disput.6.quæst.7.pun.4*. Reginaldus *lib.18. num.67*.Toletus *lib.4 cap 27.num.3*.& alij.

Sciendum nos hic loqui de iuramento facto in honorem Dei, non verò de iuramento facto homini, quia iuramentum factum homini non potest propria auctoritate in melius commutari, quia non semper gratius est homini, quod est melius.

An qui non obseruat id, in quod iuramentum auctoritate Superioris fuit commutatum, dicatur periurus?

BRACTEA XI.

R. Negatiuè, sed potius facit contra pactum, quo rem illam loco materię iuratę acceptauit.

Sciendum dubium esse, an commutantes vota ex facultate sibi delegata possint etiam commutare iuramenta talibus votis adnexa. Ad quod respondeo duplicem esse sententiam. Prima est negatiua Nauarri *cap.17.num.275.* & aliorum apud Sanchez *lib.1.de matrim. disput.30.num.17.* & in opere morali *lib.4.cap.22.num.16.* Ratio est, quia tale priuilegium est odiosum, & per consequens strictè interpretandum. Secunda sententia est affirmatiua Arragonij *quæst. 88. art.12.* Rodriquez *in summa 1.par.cap. 231. num. 4.* & aliorum. Ratio est, quia sublata promissione cessat obligatio iuramenti, sed promissio, seu votum potest auferri ab eo, qui potestatem habet delegatam; ergo potest etiam ab eo auferri iuramentum: vtraque opinio est probabilis, sed prior mihi videtur probabilior.

De potestate dispensandi in impedimentis matrimonij?

BRACTEA XII.

R. Solum Pontificem dispensare posse in impedimentis inductis à iure consanguinitatis. Ratio est, quia cùm sint iure communi inducta, nequeunt inferiores Ordinarij dispensare, sed solus Pontifex. Ita *cap. inferior dist.21.* ita plures citati apud Sanchez *lib.8. disp.6.num,14.*

R.2. Neque Summum Pontificem posse dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium iure naturali. Ratio est, quia non constat huiusmodi facultatem esse Summo Pontifici concessam. Tum quia ita colligitur *ex cap. literas §. sanè de restitut. spoliatorum*. Ita Gutier. *cap.121.* Sanchez *lib.8.disp.6.num.10.* & cum eo plures citati.

R.3. In impedimentis non dirimentibus posse Episcopum dispensare, excepto voto castitatis, & Religionis. Ratio est, quia consuetudine videtur receptum, vt dispensatio istorum impedimentorum non obtineatur à Papa, excepto voto castitatis, & Religionis. Nauarrus *cap.22. num.95.* & alij.

Sciendum, quod licet Episcopus regulariter non possit dispensare in impedimentis iure humano dirimentibus, tamen quando impedimentum est occultum, & matrimonium publicum, & coniuges non possunt ab inuicem separari absque scandalo, nec adest recursus ad Summum Pontificem: tunc in impedimentis dirimentibus potest dispensare. Ita Rebellus *lib. 3.quæst.18.nu.15.* Gutier. *de matrim.cap.123.num. 7.* Ratio est, quia non est credibile Summum Pontificem velle sibi dispensationem reseruare cum tanto incommodo, & præiudicio partium contrahentium in casu tantæ necessitatis, & cum probabili periculo animarum, consequenter præsumitur Episcopo concessa facultas ad dispensandum, modò matrimonium sit bona fide contractum, quia si mala fide contractum est, non poterit Episcopus dispensare, quia cum ea dispensatio detur ab Episcopo ex præsumpta licentia, & consensum Pontificis non potest in eo casu præsumi, ne faueatur audaciæ, & iniquitati; idque constat ex Tridentino *sess. 24. de reformat. matrimonij cap.5.* cum velit carere spe dispensationis, non enim dignus est, qui benignitatem Ecclesię facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit: satis tamen erit bona fides alterius tantum ex contrahentibus. Ratio est, quia ex Tridentini decreto non colligitur vnius tantum malam fidem sufficere, vt spe dispensationis careat: tum etiam quia sicut vnius bona fide sufficit, vt proles legitima nascatur, & vt tale matrimonium reputetur ab Ecclesia, idem etiam in isto casu dicendum est, dummodo tamen non adsit recursus ad Nuncium, qui habeat potestatem dispensandi, quia sola necessitas est, quæ in eo casu præbet facultatem dispensandi; si autem potest ad eum recurrere, qui dispensare potest, necessitas cessat.

Sciendum 2. Episcopum posse dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem, vt quando matrimonio iam contracto superuenit impedimentum cognationis spiritualis, vel affinitatis, ratione cuius coniux, qui est effectus affinis priuatur iure petendi. Ita Sanchez *lib.8. disp.12. num. 16.* Henriquez *lib.11.cap.15.* & alij.

Sciendum 3. Posse Episcopum dispensare in impedimentis dirimentibus etiam ante contractum matrimonium in casu necessitatis, si non patet aditus ad Superiorem, vt si quis *morti* proximus ad legitimandos liberos, vel ad restaurandum honorem, vel pro bono pacis deberet citò contrahere, & obstaret impedimentum dirimens, vel etiam ex alia vrgentissima necessitate; quia ratione vrgentis necessitatis tollitur reseruatio, sicut cum iam matrimonium contractum est, & ea necessitate vrgente potest inferior in legibus superiorum dispensare; & pro hac nostra sententia facit argumentum desumptum à simili de dispensatione in voto reseruato in casu necessitatis, cum tamen eius obligatio naturalis sit, atque adeò strictior facit etiam, quod *cap. 2. de desponsat. impuberum* hæc habentur, *distinctius inhibemus, ne aliqui ante ætatem Canonibus præscriptam coniungantur, nisi fortè aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vtpotè pro bono pacis talis coniunctio toleretur*. Ex quibus verbis censetur concessa Episcopo dispensandi potestas, quod idem de impedimentis dicendum sit, cum sit eadem omninò ratio in simili casu.

Sciendum 4. Episcopum etiam posse dispensare, quando aliqui contraxerunt dispensatione impedimenti impetrata sureptitiè tamen, & ideo nulla, in quo casu multi docent Episcopum posse dispensare, illam dispensationem confir-

petratione matrimonium contraxerunt,sic respondit, Dissimulare poteris, vt remaneant in copula sic contracta,cum ex separatione graue videas scandalum imminere.quàm sententiam probabilem vocant, eamque tradunt Doctores,Gloss.Hostiensis,Cardinalis,Henricus,Alexander de Neuo,& alij.

An ad dispensandum in matrimonio requiratur causa?

BRACTEA XIII.

R. Ad dispensationem requiri causã. Ratio est,quia inferior nõ potest dispensare in lege superioris absque iusta causa. Verùm si dispensetur sine causa, dispensatio valida erit, licet non licita. Ita Sanchez *lib.8.disput.18.* Valentia *1.2.disput.7.quæst.9.* Henriquez *lib. 11.cap.3. num.6.* Sairus *de censuris lib.3. cap.* 10. *num.*11. Ratio est, quia obligatio legis pendet à voluntate legislatoris,si ergo legislator velit sine iusta causa per dispensationem eximere ab obligatione legis dispẽsatio erit valida;ergo,&c.Tum quia absolutio excommunicationis data sine causa, est valida;ergo etiam dispensatio.

Sciendum, quod licet dispensatio data in lege humana sit valida, licet non licita, tamen peccat, qui dispensat in lege humana absque iusta causa. Ita D.Thomas 1.2.*quæst.97.art.4.*Thurrecremata *cap.consequens dist.* 11. Hostiensis *in summa de filijs Presbyterorum*,& alij plures citati à Suarez *lib.6.de legibus cap.*18 *num.4.* Salas *disput. 20 sect. 5.num.*50. & ita colligitur ex Concilio Tridentino *sess.24 cap 5 de reformatione*, vbi inquit,dispensare sine causa,nihil aliud esse,quam ad transgrediendas leges aditum aperire. An peccet mortaliter,dubium est. Couaruu.*de matrim.2.par.cap. 6. §. 9. num. 7.* Suarez *lib. 6.de legibus cap.*18.*num 7.* respondent affirmatiuè; alij verò quod probabilius existimo,dicunt tñ esse peccatũ veniale ex genere suo, nisi adsit scandalum, aut graue damnum aliorum.

Sciendum 2. Plures esse causas ad dispensandum in matrimonij impedimentis. Prima, est extinctio magnæ litis,& ad hanc reducitur pax consanguineorum obtinenda cõ matrimonio: item ablatio scandalorum inter cognatos quoties scilicet timentur inimicitiæ, & iurgia, vel quoties timentur peccata ratione contrahentium iuuenum: item scandala secutura ex matrimonij iam initi dissolutione.

Secunda inequalitas matrimonij ob loci angustiam, vel nimiam cognationem in loco,quẽ habitat, nisi tradatur consanguineis, vel affinibus.Ratio est,quia expedit bono communi matrimonia fieri inter pares, nec requiritur, vt in locis circumuicinis non reperiatur matrimonium equale,satis enim est non reperiri in loco mulieris.

Tertia est defectus dotis competentis,ad bonum enim commune pertinet,ne maneant innuptæ mulieres defectu dotis, vel nubant inequaliter,& tunc feminam censeri pauperem, si ipsa nihil possideat, & si parentes habeat diuites, in quorum libertate sit relinquere sua bona, cui secundum statum eorum conuenientem ducant; secus si habeat ius in succedendo bonis parentum, & compellendo eos, vt eam statim competenter dotent; in primo enim casu verè pauper est, cum non habeat ius ad vlla bona, quæ facere possint dotem sufficientem, non item in secundo casu, non autem censeri pauperem, si bonis renunciauit ea intentione, vt paupertatis titulo obtineret dispensationem ad nubendum cum consanguineo. Similiter pauperem censeri, si quando quæritur dispensatio, verè pauper erat, & dum expeditur Romæ, vel apud Ordinarium fit diues ob hereditatem, vel legatum relictum, potest enim renunziare hereditati, vel legato, antequam tacitè, vel expressè acceptet, ne cesset valor dispensationis; iura enim concedunt renunciationem prędictam, quia id non est proprium patrimonium diminuere, sed tantum non acquirere, non potest tamen renunciare in fauorem alicuius,cum talis renunciatio supponat tacitam acceptationem. Similiter quoties femina verè innupta permaneret etiamsi aliunde, quam ea paupertate satis esset, omnibus enim pensatis dos sufficiens non esset.

Quarta causa est conseruatio facultatis in eadem cognatione,conducit enim bono publico fœminas locupletes conseruari, & integras.

Quinta conseruatio illustris feminę in eodẽ sanguine; pertinet enim ad commune bonum conseruatio illustrium familiarum.

Sexta excellentia meritorum, siuè petentis dispensationem, siuè eius, pro quo petitur dispensatio, expedit enim bono communi Papam remunerari sic homines, vt animosiores reddantur ad egregia facinora.

Septima proles habita cũ consanguinea bona fide, quia si mala fide potius retraheret Papam à dispensando. Ex his autem solent tres primæ acceptari in Curia Romana, tamquam iustę ad dispensationem ex Nauarro *cap. 22.num. vltimo*; reliquæ non carent sua vi, & si minus singulę coniunctim sumantur.

An quando dispensatio est obreptitia, vel subreptitia sit valida?

BRACTEA XIV.

SCiendum aliud esse rescriptum gratię, & aliud rescriptum iustitiæ. Rescriptum gratię dicitur illud,quod gratis impetratur, vt est illud,quo obtinentur beneficia,dispensationes, priuilegia, &c. Rescriptum iustitię dicitur illud,quod obtinetur ad lites forenses, vt si alicui fiat mandatum ad videndum,& finiendum in aliqua lite in foro externo.Ita Sanchez *lib.8. disput.21.num 21.* Suarez *lib. 8. de legibus cap.2.num.9.* Menochius *de arbitrarijs lib. 2. centur. 3. casu* 201, & hanc esse differentiam inter rescriptum gratię, & iustitię, quod rescriptum gratię obtentum per surreptionem irritum est ipso iure, & consequenter actus facti vigore illius sunt inualidi. *Cap fin. de filijs Presbyterorum in 6.* rescriptum verò iustitię obtentum per subreptionem validũ est

est per se loquendo; donec pars contraria indicet surreptionem esse, & curet elidi *Cap. si autem, & cap plerique de rescriptis*, & fieri posse, vt idem sit simul rescriptum gratię, & iustitię sub diuersa ratione consideratum, & si principaliter sit rescriptum iustitię explicandum erit, vt rescriptum iustitiæ; si verò principaliter sit rescriptum gratię explicandum erit, vt rescriptũ gratię; accessorium enim sequitur naturam principalis, *De regulis iuris in 6.* Quibus positis.

R. Quoties aliquid tacetur in precibus, vel falsum narratur, quo cognito Superior non dispensasset, inualida est dispensatio. Ratio est, quia in ista dispensatione non adest consensus requisitus ad ipsam, & per consequens deficiente veritate censetur deesse consensus Pontificis, qui rescriptum illud concedere non vult deficiente veritate; quod colligitur *ex cap. 2. de rescriptis* ex quo pręcipua conclusio deducta hęc est, rescriptum Apostolicum, etiamsi non exprimat, habet hanc subintellectam conditionem, si partes veritate nitantur. Secus dicẽdum est, quando aliquid tacetur, vel falsò narratur, quo cognito Superior difficilius tantum dispensasset, cum adsit sufficiens intentio dispensandi.

Sciendum 2. Hanc regulam intelligendam esse cum hac limitatione, vt videlicet non taceatur aliquid habens necessariam connexionem cum materia dispensationis, quia si non haberet necessariam cõnexionem cum materia dispensationis, dispensatio valida esset. Ratio primæ partis est, quia Superior non censetur velle dispensare, nisi sub tali conditione, nimirum si res ita sit, & nihil falsi addatur, vel nisi occultetur. Ratio secundę partis est, quia quamuis dispensans ita sit habitualiter dispositus, vt cognita re non concessisset dispensationem, nihilominus re ipsa dispensat, & vult dispensare, nec habitualis dispositio facit actum conditionalem, vt in primo casu; quia in isto subsistit causa finalis dispensationis, quia dispensator habet voluntatem dispensandi ob talem causam, quę voluntas non tollitur per illam habitualem voluntatem dispensandi. Vnde validam esse dispensationem voti factam ei, qui se finxit virum doctũ, quia huiusmodi fictio nihil refert ad causam dispensationis. Secundò, validam esse dispensationẽ obtentam tacito nomine personę, ne ipsa cognoscatur à dispensatore, quia non tacetur aliquid habens connexionem cum materia dispensationis. Tertiò, validam esse dispensationem, quando erratur in nomine personę. Ratio est, quia error nominis personę non mutat intentionem dispensantis; tum quia error circa personam non pertinet ad causam dispensationis. Ita Sanchez *lib. 8. disput. 21. num. 27.* & infra, Gutier. *de matrim. cap. 99. num. 8.* & alij; etiamsi erretur in nomine personę, cui committitur dispensatio, vt si mandetur Episcopo vnius loci, cum dispensandus sit alterius Diœcesis, Ordinarium petentis dispensationem posse dispensare, sicut potest dispensare, quando erratur in nomine petẽtis, tum quia Summus Pontifex intendit Ordinario impetrantis dare facultatem dispensandi. Quartò, inualidam esse dispensationem, quando impedimẽtum certum narratur sub dubio. Ratio est, quia tacet aliquid habens connexionem cum materia dispensationis. Quintò, inualidam etiam esse dispensationem, quando narratur tantum vna causa, & ea est falsa. Ratio est, quia tacetur aliquid, quod habet connexionem cum materia dispensationis: vnde si quis petat dispensationem contrahendi cum consanguinea narrans pro causa dispensationis obtinendæ copulam inualidam esse dispensationem, si re ipsa copula non intercessit. Ratio est, quia Pontifex regulariter non dispensat sine causa, & non dat facultatem, nisi preces veritate nitantur, in isto casu preces veritate non nituntur, cum causa sit falsa: ergo, &c.

Si verò plures causæ copulatiuè narrentur, & earum aliquæ sint falsæ videndum est ob quam causam concedatur dispensatio, si conceditur ob causam veram valida erit, dispensatio: secus verò si conceditur ob falsam; si verò causæ copulatiuè non narrentur, sed disiunctiuè, sufficit aliquam earum esse veram, quia adest actualis dispensatio, & intentio dispensandi ex quauis causa disiunctiuè narrata.

Sciendum 3. Quod si subreptitio tacendo verum, vel exprimendo falsum contingat solummodo in vna parte rescripti, irritũ ipsum reddere quoad illam partem, non verò quoad reliquas. Ratio huius secundę partis est, quia vtile per inutile non vitiatur; *regula vtile de regulis iuris in 6.* & sic decernitur, *cap super litteris de rescriptis*, quod tamen intelligendum est, dummodo vna pars rescripti sit separabilis ab alia; quia si separabiles non sint, sed tamquam accessoriæ rescriptum corruit quoad omnes partes; nam accessorium corruit destructo principali. Ita plures apud Sanchez *lib. 8. disp. 11. num. 61.*

An priuilegium, seu dispensatio valida sit, quando tacetur veritas, vel falsitas exprimitur, sed gratia, seu dispensatio conceditur cum clausula motu proprio?

BRACTEA XV.

R. Cum distinctione, vel dispensatio motu proprio conceditur sine vlla informatione, vel petitione ex parte petentis, vel conceditur præuia petitione, & informatione petentis, si dispensatio concedatur primo modo existimo ipsam esse inualidam ob dolum dantem causam dispensationi, deest enim intentio, & voluntas in concedente; & motus proprius non supplet defectum intentionis, nec firmatur gratia contra intentionem concedentis; si verò dispensatio, siuè priuilegium ex mera cõcedentis liberalitate absque pręuia petitione, vel informatione concedatur, validum est. Ratio est, quia Pontifex concedit dispensationem ex mera liberalitate, non ex causa sibi falsò narrata; tum quia sic decernitur. *Cap. si motu proprio de prebendis in 6.*

Sciendum clausulam motu proprio positam in rescriptis hoc operari. Primò, quod priuilegium motu proprio concessum magis voluntarium, & liberale, quam concessum ad instantiã petentis. Secundò, quod priuilegium motu proprio concessum non cẽsetur subreptitium, dum veritas tacetur in petitione priuilegij, aut falsitas exprimitur, qua cognita superior adhuc concessisset priuilegium. Tertiò, quod priuilegium motu proprio concessum nunquam re-

torquetur contra eum, cui conceditur, concessum verò per propriam petitionem retorqueri solet.

Quomodo impedimentum sit explicandum in precibus?

BRACTEA XVI.

R. Impedimenta explicanda esse secundum propriam speciem, & gradum, cum non ex eadem causa concedatur in gradibus, neque cum eadem compensatione; & idcircò dispensatio redditur inualida tacita qualitate impedimenti, quam iura specialiter exprimi volunt, etiamsi ea tacita Pontifex dispensasset. Ratio est, quia in eo euentu Pontifex non habet intentionem dispensandi, & ideò inualidam esse dispensationem obtentam non expresso gradu consanguinitatis, vel affinitatis, vel publicę honestatis. Et ita Sanchez *lib.4.dist.24.num.2.* & si contingat alterum, vel vtrumque contrahentium esse alteri coniunctum duplici titulo in eodem, vel diuerso gradu, vt in tertio ex vtroque latere parentis, patris scilicet, & matris, vel in tertio ex vno tantum, vel in quarto ex duplici latere, vel in tertio, & quarto ex vtroque latere bis debet mentio fieri multiplicis gradus vtroque titulo, alioquin dispensatio esset surreptitia. Ratio est, quia in odiosis mixtum non comprehenditur sub simplici: dispensatio autem odiosa est, & multiplex cognatio mixta dicitur; licet alij aliter sentiant. Tertiò, debet exprimi, an distantia graduum sit in linea recta, vel transuersali, vt si quis vellet ducere auiam, vel neptem, proauiam, vel proneptem ob maiorem, vel minorem indecentiam. Tertio in explicando gradu inęquali, si inęqualitas oriatur ex eo, quod fęmina sit propinquior stipiti, debet exprimi, alioquin erit surreptitia, vt si fęmina sit amita, vel matertera in primo, & secundo. Quartò, si fiat error in impedimento maiori, vel minori, & si similì, vt si dicatur in tertio, vel quarto affinitatis, cum sit consanguinitatis, vel è contra, dispensatio est irrita, quia cum sint diuersa, nec vnum contineatur in alio dispensatio in vno, non infert dispensationem in alio.

Sciendum dubium esse, an quando contrahẽtes distant à stipite gradu inæquali, vt vnus in secundo alter in tertio, an sit vterque exprimendus, an verò satis sit remotiorem exprimere? Ad quod respondeo satis esse remotiorem exprimere. Ratio est, quia gradus remotior trahit ad se minus remotum, modo gradus propinquior non sit primus gradus in consanguinitate; quapropter si duo affines, quorum vnus quarto gradu distat à stipite, alter secundo, vel tertio dispensatio valida est, etiamsi mentio facta solum sit solius quarti, modo alter contrahentium non distet vno tantum gradu à stipite, & modo fęmina non sit proximior stipiti, quia tunc exprimendus est gradus consanguinitatis, vt dictum est; vt v. g. si distat à stipite primo, secundo, vel tertio gradu, licet alij aliter sentiant, vt Basilius Pont. *de dispensat. lib.8. cap.17.num.27.* Similiter explicandum esse impedimentum cognationis spiritualis si sit cum filio spirituali, quia licet sit distantia, tamen propinquior gradus est primus cum Patre eius, quem tenuit, & quamuis Pius Quintus in sua constitutione non agat de impedimento cognationis spiritualis, colligitur tamen ex ea, Pontificem in primo gradu dispensare nolle. Quod si impedimentum sit ex publica honestate in gradu inæquali non est necessarium exprimere ortum esse ex matrimonio rato, eo quod post Tridentinum non potest extendi honestas publica proueniens ex sponsalibus vltrà primum gradum, & ideò in eo impedimento nulla sit distantia; licet Sanchez *lib. 8. disp. 24.* teneat opinionem contrariam.

An copula habita cum consanguinea sit necessariò exprimenda in precibus?

BRACTEA XVII.

R. Esse exprimendam quando copula contigit ante dispensationem Papæ. Ratio sumitur ex Curiæ stilo, qui iam obtinuit, vt huiusmodi incestus exprimatur, Curiæ autem stilus facit legem, tum etiam quia expresse Papa dispensationem concedit cum quibusdam moderationibus imposita maiori pęnitentia, &c. Ita Nauarrus *cap.22.num.86.* Petrus Ledesma *de matrim. quest.56. art.vlt.dub.4.* & alij cum Sanchez *disp.25.num.8.* non esse tamen necesse exprimere numerum actuum copulæ cum aliqua habitæ. Ratio est, quia sicut ex multiplici repetitione voti non multiplicatur votum, ita ex multiplici copula cum eadem non iteratur affinitas. Ita Rodriquez *1.part cap.138.* Sanchez *lib.8.disp.24. num.4.* Henriquez *lib.12.cap.10. num.3.* Gutier. *de matrim.cap.124 num.2.*

Sciendum dubium esse, an si Papa dispensaret cum consanguineis allegata copula ex qua mulier iacturam famæ passa esset, & inde scandala subsequenda, & copula non esset habita, tamen verum esset mulierem iacturam famæ passam esse, & inde scandala subsequenda, ea dispensatio sit subreptitia. Aliqui volunt esse subreptitiam, & per consequens non esse validam. Ratio est, quia radix illa, ex qua orta esse scandala, & infamiā, quę allegatur, est falsa, & ita Corduba *in sum.q.45.pun.1.* Rodriquez *1.par. sum.cap.238. concl.9.num.vlt.* Vega *1.par.sum. cap.88.* Sed

R.2. Valere dispensationem si scandala illa, & infamia vera sint. Ratio, quia sola copula cum consanguinea, cum crimen incestus sit, nõ potest recta iustitia Principem mouere ad dispensandum, vt docet Couar. *4.decret.2.part.cap.6. §.10. num.13.* Imò hanc copulam difficiliorem reddere dispensationem, ac proinde iniungitur illis pęnitentia compositionis cuiusdam pecuniariæ, at infamiam, & scandala inde secuta, mulierem mansuram innuptam prębere iustam dispensandi causam, cum ergo hæ causæ veræ sint, valebit dispensatio, & confirmatur, quia Pontifex seclusa copula ob solam iacturam famæ, ac timorem, vt ob id innupta maneat, solet dispensare. Et ita Caiet. *cap.ad limina 30.q.1. §.4.quest.134.* vbi ait valere dispensationem impetratam ex falsa relatione initi, & consumati matrimonij inter consanguineos, cum tamen nondum esset consumatum. Quia similiter, immò

imò facilius non habita consumatione solet dispensare.

An incestus post dispensationem ante Ordinarij expeditionem, sit exprimendus?

BRACTEA XVIII.

R. Non esse de nouo impetrandam dispensationem, sed eandem valere, & posse Ordinarium ad exequutionem procedere. Ratio est, quia non inducitur nouum impedimentum per superuenientem copulam; & sic est decisum in sacra Pęnitentiaria. Et ita Henriq. *lib.12. de matrim. cap.10. num.3.* Auilla *part. 7. disp.10. dub.8.* & alij.

R. 2. Quando vltrà copulam interuenisset, et ex humana fragilitate tractatus de matrimonio ineundo, vel cõtractum sit matrimoniũ cũ spe facilius obtinendæ dispensationis, id totum exprimendum est. Et ita patet ex Tridentino *sess.24. de matrim. cap.5.* vbi statuit, vt scienter contrahens id matrimonium careat spe dispensationis ad compescendam audaciam multorum, qui ea spe ficti contrahebant matrimonia, & consumabant non obstante impedimento dirimente. Nauar. *in cap. si quando de rescriptis except. 5. num.5.* Couar. *2. part. de matrim. cap.6. §.10. num.14.*

Sciendum circa hoc decretum. Primo intelligi de contrahente cum quocumque impedimento dirimente. Toletus *lib.7. cap.18. n. vlt.* Secundò excusare ab illius pęna ignorantiam probabilem, & quando denunciationes pręcesserunt, etiam crassam, quia Concilium requirit temerariam præsumptionem. Tertiò ignorantiam alterius coniugis sufficere ad non incurrẽdam pęnam, sed non sufficere ad gratiam consequendam allegando coniuges ignoranter contraxisse, sed debet exprimi, siue vir, siue fęmina fuerit conscia impedimenti.

R. 3. Si copula habita est animo facilius impetrandæ dispensationis exprimendus est is animus, alioquin erit surreptitia. Nauar. *cap. 22. num.86.* & alij. Ratio pendet ex Curiæ stilo, in litteris enim dispensationis, consanguinitatis, vel affinitatis explicata copula additur clausula, *dummodo copula habita non sit spe facilioris dispensationis*; quare non explicata copula hoc animo habita erit dispensatio surreptitia; est enim clausula conditionalis. Ita Filliucius *tract.10. cap.10. num.340.*

An quando prima dispensatio matrimonij fuit irrita necessarium sit in secunda mentionem facere de nullitate primæ?

BRACTEA XIX.

R. Non esse necessarium facere mentionem primæ in posteriori. Et ita Sanchez *lib. 8. disp.22. num.21.* & cum eo plures citati. Ratio, quia cum prima sit nullius valoris, perinde est ac si impetrata non esset. Nec enim pręstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum *cap. non præstat de reg. iur. in 6.* Quod tamen intelligendum est quoties prius rescriptum irritum, fuit impetratum ab vno ex aduersarijs, & posterius ab altero, secus quando vtrumque ab eodem impetratum est; quia tunc narrandum est prius, sic Menochius *de arbitrarijs lib. 2. casu 203.*

An dispensatio obtenta per dolum sit valida?

BRACTEA XX.

R. Vt supra dictum dispensatio extorta per dolum danrẽ causam dispensationi, siue circa causam finalem dispensationis inualida est. Ita Salas *disp.20. sect.15. num.129.* Ratio est, quia talis dispensatio in isto casu non censetur voluntaria, ex defectu consensus, quia Pontifex præsumitur solum velle dispẽsare subsistente causa motiua, & finali; ergo ea non subsistente inualida est dispensatio. Secus dicendum est si dolus fuerit solummodo circà causam impulsiuam, & non finalem.

Sciendum in dispensationibus illum dolum censeri causam finalem, seu motiuum dispensationis, quo sublato superior non concessisset talem dispensationem; tunc vero dolus dicitur causa impulsiua, quando dispensans adhuc cognita ea causa, quæ narratur dispensasset, licet non ita facilè. Ita Sanchez *in summa lib.4. cap.47. num.11.* Suarez *de voto lib.6. cap.27.* & alij.

An valida sit dispensatio, quam quis obtineat non exprimendo se illam aliàs petijsse, sed non obtinuisse?

BRACTEA XXI.

R. Validam esse dispensationem, quam quis obtinet etiamsi non exprimat se aliàs illam petijsse, & non obtinuisse. Ratio est, quia illa dispensatio valida est, quæ obtinetur à superiore, qui potest, & vult eam concedere, sed superior in proposito casu potest, & vult eam concedere; ergo, &c.

Sciendum validam esse dispensationem obtentam ab inferiore, quam superior anteà denegauerat, etiam denegationis nulla fiat mentio. Ita Suarez *de legib. lib.6. cap.22. num.4* & alij. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad validitatem dispensationis. Primò enim adest causa, quæ iusta iudicatur ab inferiore, quamuis iusta non fuerit adiudicata à superiore. Secundò adest voluntas dispensandi, vt suppono. Tertiò adest potestas ad dispensandum, cum superior denegans dispensationem non auferat alijs potestatem dispensandi.

An taciturnitas prioris dispensationis obtentæ, reddat posteriorem inualidam?

BRACTEA XXII.

Sciendum pro maiori notitia, quod quando dispensatio non additur dispensationi, sed est exequutio dispensationis iam factæ, non esse opus prioris dispensationis mentione. Ratio quia secunda vice dispensationem non impetrat, sed solum est executio prioris iam obtentæ.

Sciendum 2. Quod quando inter priorem, & posteriorẽ dispensationẽ non sũt dissonantia, sed sunt super rebus diuersis, non esse necessarium

riam mentionem prioris dispensationis. Ratio, quia nullo iure cauetur, vt fiat mentio talis dispensationis prioris, neque ex natura rei necessaria est, nam illa taciturnitas per se non causat inuoluntarium in concedente, quia sũt dispensationes super diuersis. Ita Panorm. *in cap. penult. num. 13. de praescript.* Nauar. *lib. 5. consil. tit. de priuileg. consil. 12. num. 2.* Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 22. num. 5.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 22. num. 2.* & alij. Quibus positis.

R. Quod quando inter priorem, & posteriorem non est dissonantia, sed sunt super rebus diuersis non esse opus mentione prioris dispensationis in posteriori ob rationem supra allatam. Et ita plures citati à Sanchez *loco cit. nu. 5.* Quod si prior, & posterior dispẽsatio sunt circa eandem rem, ac inter vtramque est dissonantia, & partialis quędam contrarietas, quod prior cum moderatione concessa sit, posterior autem absolutè, & absquè illa, subreptitiam esse posteriorem, nisi prioris mentio fiat. Ratio, quia hæc est vera, & Germana intelligentia *cap. 2. de fil. presbyt. in 6.* & ideò posterior dispensatio cum illegitimo, ad duo beneficia censetur irrita, eo quod in ea non fuit facta mentio prioris dispẽsationis, ad vnicum beneficium, etiamsi in secunda addatur, seu concessa sit clausula *motu proprio, & ex certa scientia.* Quia, & si motus proprius subreptionem tollat, non tamen defectum intentionis supplet, & per consequens secunda dispensatio censetur irrita ex defectu intentionis. Sanchez *loco citato num. 8.* vbi afferuntur aliquę limitationes.

De clausulis, quæ apponuntur in dispensatione?

BRACTEA XXIII.

Sciendum dispensationes esse in duplici differentia; quasdam Pęnitentiariæ pro foro conscientiæ alias cancellariæ pro foro externo in vtriusque autem distingui possunt nonnullæ clausulæ. Quo posito.

R. In Pęnitentiariæ dispensationibus octo clausulas apponi, in foro verò Cancellarię pro foro externo decem clausulas etiam apponi. Primò ergo in dispensatione affinitatis quatuor exprimenda sunt. Primùm an sit secretum impedimentum, & quomodo. Secundum, an sequantur scandala. Tertium, an subsit periculum vitæ, infamiæ, &c. Quartùm, an impedimentum sit vtriq; parti notũ, an solum vni, quæ requiruntur in matrimonio contrahendo. Secundò in dispensatione affinitatis de contracto sex sunt exprimenda. Primùm à quotannis contractum. Secundum an sit contractum seruata forma Concilij Tridentini. Tertiùm, an extent filij, quorum etiam peti debet legitimatio. Quartùm, an impedimentum secretum sit, vel saltem ius ignotum, quod scilicet tale impedimentum dirimeret. Quintum, an secutura sint scandala ex separatione, & nequeant abstinere à copula. Sextum, an alter, vel vterque sit in bona fide.

Tertiò, In dispensatione cognationis spiritualis de contrahendo, exprimi soleat potissimum quatuor. Primùm à quotannis sit contracta cognatio. Secundùm vnde oriatur, an eo baptismo, an ex confirmatione, an sit baptizantis, vel suscipientis cũ baptizato, vel suscepto, an verò baptizantis, vel suscipientis cum Patre, & Matre baptizati, vel suscepti. Tertiùm quomodo sit secreta. Quartùm, quæ scandala immineant, & quomodo.

Quartò, in dispensatione consanguinitatis occultæ aliquando dispensat etiam sacra Pęnitentiaria, licet vt plurimum, quando publica est pertineat ad datariam; Primò exprimendus est gradus, quia si sit primus, vel secundus non est facultas in Pœnitentiaria; Secundò à quanto tempore sit contractum, quia dispensatio de contrahendo non datur in Pęnitentiaria; Tertiò, quomodo occultum impedimẽtum, cui venerit in notitiam; Quartò, an adsint pericula scandalorum si petatur dispensatio in dataria.

Quintò, In dispensatione impedimenti criminis, vt adulterij cum machinatione homicidij hæc sunt exprimenda. Primò, an sit contractum in facie Ecclesiæ, & iuxta formam Tridentini. Secundò, à quo tempore. Tertiò, quãdo sit occultum. Quartò, an secutura sint scãdala ex separatione. Quintò, an sit vno tantum machinante, vel vtroque coniuge. Sextò, an sint filij, & petatur eorum legitimatio.

Sciendum 2. Circà expeditiones, quæ expediuntur in Pęnitentiaria, quod plures clausulæ pręcipuè explicandæ sunt. Prima in voto Religionis. Secunda in voto castitatis. Tertia in affinitate ex fornicatione occulta pro matrimonio contrahendo. Quarta in eodem matrimonio iam contracto. Et primò circa primam dispensationem prima clausula continet qualitates personæ, cui dispensationis executio delegatur, quarum vna est, vt sit Doctor in iure Canonico, aut Magister in Theologia: altera est, vt sit Confessarius approbatus ab Ordinario; circa priorem non satis esse, vt quis ius Canonicum, aut Theologiam publicè in aliqua Academia doceat, sed exigi, vt ad Doctoris, seu Magistri gradum promotus sit habeatque publicum Academiæ testimoniũ suę eruditionis; id enim verba Doctoris, & Magistri indicant, quibus in communi loquendi vsu soli ad gradum promitti vocantur, cęteri enim solent dici docentes ius Canonicum, aut Theologiã, non autẽ Doctores in iure Canonico, aut Magistri in Theologia; nisi impropriè.

Circa posteriorem conditionem Confessarium debere esse ab Ordinario approbatum, & quamuis occultè reuocatus sit, potest tamen eligi, si communiter ignoretur reuocatio, habet enim titulum coloratum. Item si esset approbatus cum limitatione ad certum locum, aut certas personas potest etiam eligi; An vno Confessario negante dispensationem, eo quod iudicet, eam esse surreptitiam dispensandus possit adire alium Confessarium? Respondeo posse. Ratio, quia cum talis commissio sit facta in foro conscientiæ ea sequitur eiusdem fori naturam, quæ est, vt pęnitens non adstringatur acquiescere vnius Confessarij sententiæ, sed possit alium adire, & ille prior Confessarius possit re melius considerata mutare suam sententiam.

Secunda clausula continet causam dispensationis, quę in voto Religionis, & castitatis, vt plurimum solet esse timor incontinentiæ, & ad illius verificationem nõ sufficere quascumque

tentationes carnis, nec timorem vnius, aut alterius lapsus carnalis, sed exigi maximum frequentis lapsus periculum adeò possit talis persona dici incontinenter victura.

Tertia clausula continet qualiter Confessarius debeat verificationem causæ indagare, & monita, ac consilia opportuna dare, & ideò Confessarius tenetur ad examinandum diligēter Pęnitentem, secretò tamen prout ferunt fori pęnitentialis leges, vt scilicet fides Pœnitenti de se loquenti habeatur.

Quarta clausula est, qua iniungitur, vt petens dispensationem absoluatur à mutatione propositi ea vice in forma Ecclesiæ, consueta iniuncta Pęnitentia salutari, vt confessio in singulos menses, &c.

Sexta clausula est, de litteris sacrę Pœnitentiariæ dilaniandis per Confessarium postquam dispensationem expediuit sub pœna, vt si pęnitenti reddantur illæ, ei non suffragentur.

Septima clausula est, vt solum in foro conscientiæ valeat talis dispensatio.

Octaua clausula pertinens ad dispensationes, siue ineundi matrimonium, siue instaurandi inualidè contractum exigit, vt impedimentum, in quo dispensandum est, sit occultum.

Nona clausula, vt matrimonium irritum iterum celebretur, præcipitur enim, vt ante dispensationem fiat experientia, an sine scandalo separari possint; deinde an possint simul viuere tanquam frater, & soror absque incontinentiæ periculo, si ergo Confessario id constet ex notitia præcedente statim potest dispensare si sit spes aliqua fore, vt experientia vtilitatem aliquam allatura sit, poterit differre, & expectare.

De clausulis dispensationum pro foro externo, quæ expediri solent in Dataria Papæ?

BRACTEA XXIV.

R. Primam clausulam continere personam, cui committitur, quæ ordinariè solet esse officialis illius Diœcesis, nempè Vicarius generalis in spiritualibus. Secundam continere dispensationis causā, quando ex causa conceditur, quæ variæ assignari solent. Prima est extinctio magnæ litis, ad quam etiam pax consanguineorum pertinet, quod cedit in bonum publicum: vnde sæpè solet pro causa allegari euitatio inimicitiarum, quæ orirentur ex eo, quod ea fęmina, vel infamata sit per viri copulam, vel per frequentem ingressum in eius domum. Secunda causa assignari solet, quando ob loci angustiam, & nimis propagatam fęminæ prosapiam non reperitur matrimonium æquale, nisi inter consanguineos. Tertia causa assignari solet defectus dotis, ratione cuius, vel periculum incontinentiæ est, vel nubere æquali non potest; non tamen dicitur dote carere fęmina, quæ habet dotem, vt virum competentem inueniat, licet ea dos non sufficiat ad nubendum potentiori consanguineo, qui illam ducere vult, sicut etiam dote non censetur carere, quæ nihil habet, at eius parentes diuites sunt, etiamsi parcissimè se erga illam gerant, cum habeat ius succedendi, & compellendi; quod si eo iure caret, inops censeri debet, sicut & illa, quæ non habet dotem competentem expectata sua portione legitima, nisi melioretur, & etiam illa, quam frater dotare vult, nullo tamen pacto ea voluntas firmata est, quo certa sit ea dos, & etiam illa, cuius Parentes indigent bonis, quæ habent, vt nulla se parte spoliari possint ad illam dotandam, verè enim inops est, cum nihil habeat, quo onera matrimonij sustinere possit: item si fęmina dotem habeat competentem, at tot litibus implicatam, vt viro indigeat, qui ea negotia tractet, & maximè conueniens sit, ad ea peritus aliquis consanguineus.

Solent etiam pro causis exponi, conseruatio diuitiarum in eadem familia, item conseruatio illustris familiæ, ex qua causa multis viris Principibus concessa dispensatio est: item excellentia meritorum petentis: denique etiam proles suscepta ex consanguinea. *Cap. quia circa de consanguinit.* de quibus dictum est suprà.

Tertia clausula continet examen faciendum supra veritatem causarum, quod quamuis per testes constare debeat, & in foro externo, non tamen censetur esse necessaria de iure cognitio iudicialis, sed extraiudicialis sufficit: vnde si notoria causa sit, putant nonnulli non esse necessariam causæ cognitionem, sed vt multis incommodis obuietur oppositū seruatur in praxi circa alias clausulas nihil est speciali obseruatione dignum, de quibus videri potest Sanchez *lib. 8. disp. 35.*

An quem pertineant expensæ dispensationis?

BRACTEA XXV.

R. Quod si dispensatio communi consensu impetretur ad vtrumq; pertinent ęqualiter, etiamsi nihil actum sit de illis, quia factę sunt in vtriusque vtilitatem, & tacitè continentur in consensu dato, si verò vnius tantum voluntate altero inscio, tunc ad illum tantum pertinebunt, qui propria voluntate impetrabit.

R. 2. Si alter iustè recedat à sponsalibus absq; alterius culpa, debet soluere nihilominus suam partem si dolosè contraxit habens animum recedendi, etiam ob Religionem tenetur ad soluendas omnes expensas, quia debet seruare alterum indemnem, & non debebat efficere, vt alter inanes expensas faceret, si habebat animum ingrediendi Religionem.

R. 3. Si alter dat causam culpabilem, vt alter recedat, & quidem cum proprio damno, & dedecore tenetur ille ad omnes expensas, vt si sponsa fornicata esset; contra si sponsus fornicaretur, quia non propterea dedecus esset sponsæ, sed tantum liberè, & si iustè recederet tantum soluet partem suam: vnde qui virginē deflorauit, si posteà ingrediatur Religionem tenetur ad expensas, quando culpæ tribuendus est ingressus: quando autem culpa caret tantum ad suam partem, atque ita quando defloratio fuit iniuriosa, nempè vi, aut precibus importunis ęquiualentibus violentię tenebitur ad totas expensas, quia tunc non debet Religionem ingredi: secus quando nulla data fide matrimonij consentiens virgo deflorata est.

BRACTEA XLVIII.

R. In Ecclesia potestatem esse dispensandi in matrimonio rato, & per consequens Summum Pontificem posse dispensare in matrimonio rato, quod probatur ex praxi Summorum Pontificum, qui dispensauerunt, Martini Quinti, Eugenij Quarti, Pauli Tertij, Pij Quarti, & Gregorij Decimi tertij. Tum etiam, quia matrimonium ratum non habet omnimodam indissolubilitatem ex ea parte, qua est officium naturæ, nec est ratione sacramenti, aut significationis; ergo non est cur Pontifex non possit dispensare, cum præsertim potestas Pontificis extendenda sit quantum licet, tum etiam, quia Papa dispensat in voto solemni, quod est fortius, quam dissoluere ratum, cũ sit traditio facta Deo; ergo etiam in rato, quod est minus. Quod si dicatur, quod Papa non possit dispensare cõtra ius naturale, vel Diuinum, & per consequens non possit dispensare in matrimonio rato, cum indissolubilitas sit de iure naturali Diuino? Respondeo in iure naturali, vel Diuino absoluto Papam non posse dispensare quale est de non fornicando, & de non mentiendo, at in iure naturali Diuino respectiuo, quod scilicet fundatur, in actu, vel contractu humano, vt est votum, & matrimonium ratum potest, tollendo fundamentum obligationis, & contractus humani, & quamuis idem fundamentum sit etiam in consumato, Christus tamen noluit eam potestatem concedere Ecclesiæ, quia consumatum significat vnionem Christi cum Ecclesia per carnem, quæ indissolubilis est. Quod colligitur à posteriori ex his, quæ gessit Ecclesia diuino spiritu ducta, in hoc enim nunquam dispensauit, in illo sæpius, vt dictum est.

Sciendum ad dispensandum in matrimonio rato, requiri aliquam causam, vt supra dictum est; Prima est notabilis disparitas in qualitate, & conditione, grauis timor scandali futuri, vt fornicationis, vel inimicitiarum, lepra alteri superueniens, & plures aliæ, de quibus iam dictum est.

Sciendum 2. Matrimonium ratum non modo dissolui dispensatione Summi Pontificis, sed etiã dissolui per ingressum alterius in Religionem, ita vt post professionem liberum sit coniugi manenti in sæculo transire ad secundas nuptias, & est de fide ex multis decretis Pontificum. *Cap. ex publica, cap. ex parte, cap. verum de conuersione coniug.* & ex Concilio Tridentino *sess. 24. can. 6.* vbi si quis dixerit matrimonium ratum non dissolui per solemne votũ professionis anathema sit. Dixi non dissolui per ingressum Religionis, sed per professionem, quia hoc priuilegium soli professioni concessum est.

R. 2. Siue alter coniugum profiteatur in Religione, & alter maneat in sæculo, siue vterq; profiteatur semper dissoluitur vinculum, quod oritur ex matrimonio rato ex priuilegio Christi, qui id concessit professioni, quia est mors spiritualis, & perfectior status; vnde si alter post professionem fornicetur, non est adulter, & si Pontifex dispenset in professione poterit inire aliud matrimonium, quia vinculum

Sciendum 3. Dubium esse, quo iure per professionem dirimatur matrimonium ratum. Ad quod respondeo non dissolui iuri Diuino naturali. Ratio est, quia potius ex rei natura professio est irrita post matrimoniũ ratũ, quia p hoc traditũ est corpus vnius coniugis alteri, nõ potest autẽ res vni tradita, alteri tradi absq; prioris Domini consensu, alioqui fieret iniuria, quæ non compensatur bono Religionis.

Sciendum 4. Nec dissolui iure Ecclesiastico, & patet *ex cap. ex publico de conuers. coniug. cap. ex parte.* Ratio est, quia initium huius consuetudinis non inuenitur in iure Ecclesiastico, sed fuit à principio nascentis Ecclesiæ; tum etiam quia cum dissolutio matrimonij rati sit certissima, non debuit referri in causam incertam, qualis esset lex Ecclesiastica, cum opiniones sint inter Doctores, an ipsa possit dirimere matrimonium ratum.

Sciendum 5. Dissolui matrimonium ratum per professionem iure Diuino positiuo. Ratio patet, quia cum non dissolnatur, vt dictum est Diuino naturali, & Ecclesiastico sequitur, quod dissoluatur iure Diuino positiuo, de quo Sanchez plura dicit *disp. 19.*

MALLEATIO LX.

De obligationibus mariti in ordine ad cohabitandum, & reddendum debitum vxori.

An maritus teneatur præstare vxori amorem, & honorem?

BRACTEA I.

R. Maritum teneri vxori non solum in actibus internis, verum etiam externis amorem, & reuerentiam præstare. Ratio quia quisque tenetur proximum suum diligere, vxor autem est valde proxima marito; imò sunt duo in carne vna. *Matth. 19.* Ideirco maritus tenetur diligere vxorem sicut partem ipsius, iuxta supra citatum dictum *Matth. 19.* Sunt duo in carne vna, ita etiam vxor sub eadem ratione tenetur diligere virum sicut suum caput, cum vir iuxta Diuum Paulum sit *caput mulieris, &c.*

An maritus peccet proferendo verba iniuriosa in vxorem?

BRACTEA II.

R. Grauiter peccare, modo adsit plena aduertentia. Ratio, quia qui alterum iniurijs afficit, peccat contra præceptum diligendi proximum, quia talis non dicitur proximum diligere, sicut quisque ex præcepto tenetur, licet non videatur illicitum aliquando correctionis gratia, verba aspera in vxorem proferre, modo cũ discretione, & moderamine proferantur, quia licitum est vti medijs ad emendationes fructum necessarijs, nec inde vxor dãnum pati dicitur iniustè. Ita Nau. *cap. 14. nu. 19.*

Rodriquez 1.1. *part. cap.15. num.5.* Reginaldus *lib. 20.num.47.* Clauis Regia *lib.1.cap.7.num.9.* Toletus *lib.1.cap.2.*

An maritus possit impedire vxorem ne impleat præcepta?

BRACTEA III.

R. In ordine ad præcepta iuris naturalis, vel Diuini eam impedire non posse. Ratio est, quia non potest assignari ratio, cur eam impedire posset. Secundò non posse maritum impedire vxorem quin obseruet præcepta Ecclesiæ absque iusta causa. Ratio, quia tenetur vxorem diligere, qui autem alterum impedit, ne præcepta seruet ipsum potius odio, quam amore prosequitur, ex iusta autem causa posse impedire eorum obligationem, vt si est iuuenis nimis imbecilla, aut ne deformis reddatur, & egressu è domo ad missam damnum notabile probabiliter timeatur in salute, vel si communio nimis frequens obsit gubernationi rei domesticæ: at si iusta causa non subsit, obseruationem præceptorum impedire non potest absque peccato mortali, nec moderatas deuotiones absque peccato veniali potest.

An maritus possit reprehendere vxorem verbis contumeliosis?

BRACTEA IV.

R. Maritum absque causa non posse vti verbis contumeliosis in suam vxorem, posita verò causa posse illam reprehendere verbis acribus, ita tamen vt abstineat à contumelijs, quæ famæ eius, & bonæ existimationi officere possint; tantum enim moderatè corrigere eam verbis potest, non exedendo contumeliosis verbis in eius correctione. Ita S. Thom. *2.2. quæst. 72. art. 2.* Nauarrus *cap. 14. num. 29.* Toletus *lib. 5. cap. 2.* & alij.

R. 2. Maritum grauiter peccare, qui absque causa ex odio percutit vxorem. Ratio est, quia tenetur ipsam diligere, & ipsius curam habere, & acris verberatio Iudici relinquenda est; ad quem pertinet iuridicè punire, & condignam delicti pœnam imponere. Ita Auctores citandi.

Sciendum ex graui causa, & cum moderatione, & vt vxorem corrigat, & ad meliorem frugem trahat, dum adest spes emendationis, potest ipsam corrigere, & mediocriter percutere. Ita Azorius *2.2. quæst.65. art.2.* Siluester *verbo vxor quæst.3.* Nauarrus *cap.14. num.19.* Sotus *5. de iust. quæst.2. art.2.* Reginaldus *lib.20. cap. 47.* Petrus Nauarrus *lib. 2. cap. 3. num. 467.* Sanchez *lib. 10. de matrim. disput. 18. num. 16.* Graphius *2. parte lib. 2. cap. 84.* & alij.

An maritus possit vxori derogare alimenta?

BRACTEA V.

R. Grauiter peccare maritum denegantem alimenta vxori secum cohabitanti. Ita Surdus *de alimentis tit. 2. quæst. 32.* & alij. Ratio est, quia sicut pater alimenta filio denegans non dicitur filij curam habere, ita etiam maritus si vxori alimenta negaret, hoc tamen intelligendum est, modo maritus vxorem alere possit, aut vxor propria culpa à consortio mariti non recesserit, aut is, qui dotem promisit, sit in culpabili mora soluendi dotem; si verò maritus eam alere non potest, non tenetur ei alimenta præstare, quia nullus tenetur ad id, quod facere nequit; sicuti debitor dum non potest soluere, ad debiti solutionem non tenetur Sanchez *lib. 9. disput. 4.* Reginaldus *lib. 20. num. 48.* & alij. Secundò, si vxor propria culpa mariti consortio discesserit, tunc non tenetur eam alere; secus verò dicendum, si ob viri sæuitiam recessit. Ratio secundæ partis est, quia qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet. *l. Lucius ff. de act. empt.* Si verò mulier sua culpa in obsequio viri non permaneat alimenta, ab ipso non debet recipere. Surdus *de alimentis tit. 9. quæst. 16.* etiamsi maritus dotem receperit, quia vxor nō solùm tenetur tradere dotem, verùm etiam in viri obsequio commorari.

Sciendum 2. Quod quando vxor ob sæuitiam mariti recessit, qui postea mutatus, est suauis effectus, si ipsa renuat redire, maritus, non obligatur ei alimenta præstare, quia tunc sua culpa dicitur abesse, modò maritus iudicio prudentis iuri sufficientem securitatem exhibeat, sicut ex opposito, vir qui sua culpa recessit, ius alimentorum recuperat, si pœnitentia ductus cum altero coniuge cohabitare velit, nam pœnitentia purgat delictum, & perinde est, ac si coniux sua culpa non recessisset, comparatus sit ad cohabitandum. Ita Surdus *de alimentis tit. 2. quæst. 32.* Sanchez *lib. 10. de matrimonio disp. 18. num. 24.* & alij.

An vir debeat alere vxorem, quæ tàm propria culpa, quàm mariti recessit?

BRACTEA VI.

R. Videndum esse, cuius sit vltima culpa, quæ immediatè fuit causa discessus vxoris è domo mariti, & iuxta illam iudicandum; quod si vltima culpa fuerit mariti, ob quam immediatè vxor discessit ab ipsius domo, vir tenetur eam alere, si verò vltima culpa sit vxoris, vir non tenetur eam alere.

Sciendum, quod si vtriusque coniugis culpa recessit è domo mariti, deinde ad maritum redire contendat, maritus autem ad se redire nō patiatur, alenda est à marito, quia vltima culpa, quæ fuit causa discessus, marito imputanda est. Ita Sanchez *lib. 9. disput. 4. num. 24.* & alij.

Sciendum 2. Dubium esse, an maritus debeat alere vxorem, quę ab ipso fuit separata ob eius morbum. Ad quod respondeo alendam esse à viro. Ratio est, quia quod culpa caret, in damnum vocari non potest. Ita Sanchez *loco citato*, & alij.



An

An maritus teneatur alere vxorem, dum is, qui dotem promisit, est in mora soluendi dotem, quam commodè soluere potest?

BRACTEA VII.

R. Negatiuè. Ratio est, quia dos traditur ad sustentanda onera matrimonij. *l. pro oneribus*; ergo maritus nō tenetur vxorem alere, cum obligatio alendi vxorem sit onus matrimonij, secus dicendum si is, qui promisit dotem, non sit in mora soluendi ipsam, nam maritus concedens dilationem soluendę dotis, censetur cedere iuri suo, seque voluntariè adstringere ad onera matrimonij, etiamsi dos non tradatur intra terminos præfixos, immò maritus tenetur alere vxorem, etiamsi transactus sit terminus ab ipso concessus, si promittens nequeat soluere dotem, quia sic postulat coniugalis amor, & marito incumbit onus vxoris.

Sciendum etiam teneri alere vxorem, si dos soluta perijt casu fortuito. Ratio est, quia sicut vxor diues tenetur viro in graui necessitate cōstituto alimenta prestare, ita par est, vt vir ad alendam vxorem obligetur dote casu fortuito perempta; tum quia humanum est virum participem fieri casibus fortuitis vxoris, vt dicitur. *l. si cum dotem §. si maritus sol. matrim.*

Sciendum 2. Quod si dos culpa vxoris perit, vt quia Fisco ob crimen ipsius adicta fuit, tunc maritus vxorem alere non tenetur, ac si dotem non accepisset. Ita Sanchez *lib. 9. disput. 5 num. 10.* Molina *de iust. cap. 425.* Surdus *de aliment. tit. 9. quæst. 19.* & alij.

Sciendum 3. Maritum etiam teneri alere vxorem, etiamsi dotis in cōtractu matrimonij nulla mentio facta fuerit. Ratio est, quia poterat dotem petere ad sustinenda matrimonij onera, & non petēdo censetur cessisse iuri suo, & vxorem accepisse pro dote sua. Ita Molina *disp. 425.* & alij.

An maritus possit irritare vota vxoris?

BRACTEA VIII.

R. Posse maritum indirectè irritare vota vxoris, quæ sunt ipsi præiudicialia, siuè sint facta antè matrimonium, siuè post matrimonium contractum. Ratio, quia maritus super eam habet potestatem iuxta illud D. Pauli, *Vxor sit sub potestate viri*, & per consequens maritus potest irritare vota vxoris sibi præiudicialia. Similiter votum abstinentiæ, ieiunij, peregrinationis, & similia ab vxore facta, cum marito præiudicium afferant; reliqua verò vota, vt non mentiendi, non peccandi, orationis, alicuius partię eleemosynæ, & similia non possunt à viro irritari. Ratio, quia in his non censetur subiecta viro, & hæc vota non censentur marito præiudicialia. Ita Sanchez *lib. 4. cap. 31. num. 9.* Valentia *2. 2. disput. 6. quæst. 6. quæsito vlt.* Rodriquez *cap 92. num. 10.* Clauis regia *lib. 6. cap. 10. num. 19.* Siluester *verbo votum 4. quæsito 2.* & alij apud Suarez *lib. 5. cap. 4.* & apud Sanchez *loco cit.*

Sciendum dubium esse, an vxor subijciatur marito, quantum ad dominium voluntatis in ordine ad irritationem votorum. Plures affirmarunt, & ita docuerunt posse maritum omnia vota vxoris irritare; sed contrariam sequuntur plures iurisperiti in *cap. scriptura de voto, & in cap. manifestum*, quam sequuntur D. Antoninus *3. par. tit. 2. cap. 22. §. 1.* Magon. *in 4. dist. 38. quæst. 1.* Palatius *ibidem disput. 7.* Valentia *2. 2. quæst. 88. pun. 6.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 17. quæst. 12.* Nauarrus *in summa cap. 12. nu. 64.* & alij plures citati à Sanchez *lib. 9. de matrim. cap. 34. num. 4.* Quæ sententia mihi videtur probabilior: nempè maritum non habere dominium voluntatis vxoris simpliciter ad irritanda quæcunque vota, sed tantum ratione materiæ, nimirum vt dictum est, quando materia voti est præiudicialis marito. Ratio est, quia ex natura contractus matrimonij non deducitur tale dominium vniuersale voluntatis vxoris, quia vir per contractum matrimonij censetur solummodo caput vxoris in ordine ad generationem prolis, educationem eiusdem, & indiuiduam vitæ societatem, regimen familiæ, & ad bonorum administrationem; quantum vero ad omnia vota nullo iure probatur, & ideò maritum non posse irritare votum vxoris implendum post ipsius mortem; Ratio, quia vxor quoad hoc non est amplius subiecta marito, neque hoc votum est illi præiudiciale, cum eius executio retrotrahatur post ipsius mortē. Ita Suarez *loco citato*, Sanchez *in summ. lib. 4. cap. 27. num. 33. & cap. 34. num. 18.* eo quod materia voti non sit subiecta marito. Similiter maritum non posse irritare vota vxoris facta ante contractum matrimonium, quando materia illorum non est illi subiecta, & præiudicialis. Secus verò dicendum erit, si talis materia erit illi subiecta, & præiudicialis.

Sciendum 2. Dubium esse, an secundus maritus possit irritare vota suæ vxoris, quæ fecit tempore primi matrimonij ex facultate primi mariti: Ad quod dicendum est, vt de alijs, posse irritare ea vota, quando versantur circa materiam subiectam secundo marito; & si sunt illi præiudicialia, siuè emissa fuerint ex consensu prioris mariti, siuè non; si autem non versentur circa materiam subiectam, non poterit maritus illa vota irritare.

Sciendum 3. Vota irritata à marito non reuiuiscere post mortē ipsius mariti, ita vt vxor mortuo marito teneatur ipsa exequi: si talia vota absolutè fuerunt extincta; secus verò dicendum si solùm fuerunt suspensa pro tempore matrimonij.

An maritus possit irritare votum vxoris factum cum ipsius consensu?

BRACTEA IX.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia maritus dans licentiam vxori ad faciendum votum ex eo non amisit potestatem, quam habet in ipsam; ergo neque amisit potestatem irritandi vota facta de consensu ipsius, quæ viro competit ob potestatem, quam habet in vxorem. Ita Sanchez *loco cit. cap. 34.* Valentia, & Rodriquez *locis citatis.*

Sciendum, quod duobus modis potest maritus concedere facultatem vxori, vt faciat votum aliquod. Primò, vt absolutè concedatur facultas, & fiat promissio non reuocandi illam, secūdò expressè, aut implicitè solū cōcedatur,

 prout

pront marito visum fuerit in futurum; & hoc modo poterit maritus reuocare facultatem,& votum irritare. Secundò, si absolutè concedatur facultas, & explicitè, aut implicitè fiat renunciatio iuris, & humana promissio non reuocandi illam, & in hoc casu non poterit postea irritare votum, quia ius circa materiam illius transtulit in vxorem,ipse autem non potest irrita re votum,nisi ratione materiæ subiectæ.

An vxor possit votum emittere sinè consensu mariti?

BRACTEA X.

R. In voto vxoris considerandam esse materiam ipsius; si enim talis materia legibus matrimonij, & officij sit contraria, non potest vxor votum emittere,sine consensu mariti,neque è contra. Ratio est,quia de materia alteri subiecta,non potest vouens sine consensu illius disponere;si verò materia voti non sit subiecta marito, neque debita illi poterit vxor votum emittere sine consensu ipsius. Ratio est, quia materia illa non est subiecta dispositioni mariti.

Sciendum dubium esse,an quãdo vxor emittit votum sine consensu mariti, teneatur illud votum ipsi manifestare. Affirmant aliqui de omni voto id esse necessarium, qui putant ad omne votum esse necessarium consensum Superioris,verùm si votum sit tale, quod non requirat,consensum Superioris non erit necessarium manifestare illud. Ad quod respondeo, quod quando materia voti non est subiecta marito,nec illi præiudicialis,vxor non tenetur illud manifestare. Ratio est, quia in isto casu non censetur illi subiecta quoad manifestationem; secus verò dicendum si materia voti sit subiecta viro,& illi præiudicialis.

An actus coniugalis sit licitus?

BRACTEA XI.

R. Ex doctrina catholica actum matrimonij non esse ex se malum,sed potius ex se licitum,& honestum. Ratio est,quia est vsus matrimonij rei bonæ, vtpotè à Deo institutæ, & præceptæ;ergo etiam vsus ipse erit bonus. Et ita docet catholica veritas, & communis Patrum sensus; tum etiam quia in actu coniugali seruatur iustitia, cum reddatur id,quod debetur, immò actum cõiugij posse esse meritorium gratiæ ex opere operantis, si in gratia fiat, & cum debitis circunstantijs,& fine, & ex auxilio gratiæ, licet non conferatur ex opere operato; ratio,quia actus coniugalis non est Sacramentum, neque pars Sacramenti, conferretur autem, quando in ipso actu perficeretur matrimonium ratione consensus requisiti, & antea præstiti tantum externè.

Sciendum ex contracto matrimonio duplicem obligationem oriri,vnam positiuam,& alteram negatiuam. Positiua obligatio est reddendi debitum coniugi petenti, vel tacitè, vel expressè.Negatiua est non tradendi corpus sui alteri viro, vel fœminæ. Æqua enim est vtriusque conditio.Quibus positis.

R.2. Redditionem debiti esse in præcepto,respectu vtriusque coniugis,siuè expressè,siuè tacitè petitio fiat. Ratio est,quia lex iustitiæ obligat vnicuique,quod suum est:at corpus viri est vxoris,& corpus vxoris est viri;ergo,&c.

R.3.Petitionem debiti non esse de præcepto, cum reuera ex matrimonio non oriatur obligatio petendi, cum nullus teneatur iure suo vti,sed possit illi cedere. *Cap.ad audientiam de regulis*. Si verò adsit periculum incontinentiæ in se, vel in altero potest esse peccatum ad non petendum. Ratio est, quia secundariò matrimonium institutum est,vt sit remedium contra luxuriam,quod consistit in petitione, & redditione.

R. 4. Esse peccatum mortale ex genere suo non reddere debitum coniugi legitimè petenti, & rationabiliter. Ita communiter Doctores. Ratio est,quia cum actus sit in materia iustitiæ, in ea materia regulariter est obligatio mortalis, nisi excuset materiæ leuitas ex communi Doctorum sententia.

Sciendum 2. Quod licet regulariter teneatur alter reddere coniugi petenti debitum sub peccato mortali,si neget sine causa.Secundò,& si rarò,& magna cum difficultate reddat, quia notabiliter defraudaret coniugem debito.Tertiò,si ex negatione debiti scandala, inimicitiæ, & discordiæ orirentur,periculumque incontinentiæ timeretur, siuè pollutionis secum, siuè cum alio,mortale peccatum est negare. Quartò, si coniuge se excusante ex causa non sufficiente alter coniux instanter peteret, negari non posset sine mortali peccato, tamen in aliquibus casibus non esse peccatum mortale debitum negare,vt quando non sępè negaret,sed vel vna,vel altera vice,vel si nimis immoderatè alter peteret. Similiter quando coniux petit beneuolè,& amicè non tanquam sibi debitum ex iustitia non intendens obligare alterum ad reddendum sibi debitum,sicut amicus solet aliquando petere ab amico res sibi debitas absque intentione obligationis. Ita Rebellus *lib.5.quæst.16.num.3.*Em.Sà *verbo debitum num.8.* Sotus *in 4.dist.32.quæst.vnica*, Rodriquez *cap.243.* Henriquez *lib.11. cap.15. num.7.* Sanchez *lib.9. disput.12. num.9.* & alij.

An in coniugibus sit obligatio conseruandi vires, quibus indigent ad moderatè, & iusta ratione vtendum coniugio?

BRACTEA XII.

R. Esse obligationem conseruandi vires medijs licitis ad reddendum coniugale debitum. Ratio est,quia lex iustitiæ,quæ obligat ad reddendum, obligat etiam ad media necessaria,vt reddi debitum possit.

Sciendum peccare mortaliter coniuges, qui medijs illicitis se reddunt impotentes ad vacãdum artibus coniugalibus,& ideò peccat vir se crebro polluendo, vel ad alias accedendo aduertens se reddi impotentem ad satisfaciẽdum propriæ vxori,facit enim contra obligationem contractus matrimonij, in quo se obligauit ad reddendum debitum. Ita colligitur ex D. Thoma *addit.quæst.64.art.1.*Angelo *verbo debitum num.6.* Silue-

Siluester *eodem verbo quæst.15.* Secundò, coniuges peccare, si ieiunijs, vel abstinentijs se reddant notabiliter impotentes, ita vt non possint debitum soluere alteri coniugi moderatè petenti, & ideò excusatur coniux à ieiunio Ecclesiæ, qui nõ potest aliter reddere debitum suæ vxori, excusatur enim à ieiunio vxor, ratione conseruandi amorem mariti erga se; & ideò excusatur à ieiunijs, si ipsi pallida, & deformis reddatur, timerique possit ex hac causa odiosam se futuram marito, & ad auertendum coniugis animum à se ad quærendas alias. Quod, attento viri ingenio iudicandum erit teneri desistere ab huiusmodi abstinentijs, etiamsi sint ex præcepto ob eandem rationem strictioris obligationis. Ita Basilius Pontius *lib. 10. cap. 2.* & cum eo plures citati.

An possit iusta causa debitum denegari petenti?

BRACTEA XIII.

R. Coniugem non peccare non reddendo debitum coniugi petenti illicitè ob circunstantiam personæ, & circunstantiam actus. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia huiusmodi circunstantia cum sit annexa actui, prout pendet ab vtroque coniuge, reddit illum actum illicitum respectu coniugis, sed quilibet tenetur se abstinere ab actu illicito; ergo tenetur abstinere à reddendo, quando actus est illicitus ob circunstantiam, quæ afficit ipsum actum.

Sciendum coniugem posse dupliciter illicitè petere. Primò, propter aliquam circunstantiam se tenentem ex parte petentis, vt quando coniux, qui petit, est obstrictus voto castitatis, vel petit animo fornicario, vel alio prauo fine. Secundò, illicitè petit propter circunstantiam tenentem se ex parte actus, vt quando quis petit debitum in Ecclesia, in loco publico, aut cum periculo mortis, fętus, &c. & ideò coniux non potest denegare debitum coniugi petenti illicitè ob solam circunstantiam personæ, sed tenetur reddere. Ratio est, quia reddendo debitum exercet actum ex sua natura licitum coniugatis; ergo tenetur reddere. Tum etiam quia petens illicitè primo modo non amittit ius petendi; ergo si alter non reddat, facit contra ius petentis, & ideò coniugem posse reddere debitum suæ vxori, quam sit esse obstrictam voto castitatis, etiamsi consenserit in eius votum, modò non intenderit renunciare iuri suo propter rationem supra allatam, etiamsi vterque esset obstrictus voto castitatis. Ita Reginaldus *lib. 31. num. 252.* Speculum 1. *par. art. 15.* Ratio est, quia propter votum non amisit ius petendi, & dominium, quod vterq; habet in alterius corpus, quamuis peccet faciendo contra fidem datam Deo.

❧❧❧❧

An peccet maritus accedendo ad vxorem grauidam?

BRACTEA XIV.

R. Nullum esse peccatum maritum accedere ad vxorem grauidam, dummodo non sit periculum abortus. Et ita Coninchus *de sacram. disput. 34. num. 9.* & Villabos *in summa tom. 1. tract. 13. difficult. 41.* Ratio est, quia nulla sufficienti ratione probatur hoc esse illicitum, alioquin coniuges essent obnoxij innumeris peccatis, cũ vt plurimum vxores sint grauidæ. Ita Sanchez *lib. 9. disp. 22. num. 6.* & alij.

Sciendum periculum abortus esse primò tempore coagulationis, & formationis fętus. Secundò, adest periculum fętus, quando coniuges congrediuntur proximè ante partum, cum eo tempore subsit periculum, vt fœtus suffocetur.

R. 2. Nõ esse ēt peccatũ mortale accedere maritum ad mulierem mẽstruatam, esse tamẽ peccatum veniale, nisi excusetur ob periculum incontinentię. Ita Sanchez *lib. 9. disput. 21. num. 2.* nunquam tamen esse peccatum mortale, vt dictum est, quamuis coniuges credant gignendum esse monstrum, quia melius est proli sic esse, quam absolutè non esse. Ita Filliucius *de sacram. matrim. tract. 21. cap. 9. num. 336.*

An vir incurrat irregularitatem, quando accedendo ad vxorem est causa abortus?

BRACTEA XV.

R. Affirmatiuè, quando est causa abortus fętus animati anima rationali, concedo tamen, quod qui cum fęmina congrediendo est causa abortus masculini ante quadragesimum diem, non tenetur se gerere tamquam irregularem, nam ante quadragesimum diem rarissimè formatur fętus. Neque obstat in dubio facti quemlibet se debere gerere tamquam irregularem, quia quando dubio est pro vtraque parte probabile verum esse: in hoc autem casu dubium non censetur probabile pro vtraque parte, sed est tantummodo leue dubium, nam rarissimè formatur fętus ante quadragesimũ diẽ, consequenter non adest probabile dubium fętum fuisse animatũ anima rationali ante quadragesimum diem. Ita Henriquez *lib. 14. cap. 14. num. 3.* Peres *de abortu,* Rebellus *lib. 3. quæst. 19.*

An maritus, qui præpostero actu incipit cognoscere suam vxorem, sed actum perficit in vase naturali, peccet mortaliter?

BRACTEA XVI.

R. Peccare mortaliter. Ratio, quia vtitur vase indebito, à quo natura ipsa abhorret; tum etiam, quia via minus turpi potest se præparare ad copulam; tum etiam, quia Canones *cap. omnes causationes 32. quæst. 7.* expressè sentiunt, propter attentationem huius peccati posse vxorem petere diuortium à marito. Et ita Gloss. *in cap. 32. quæst. 2.* Riccius *decis. 137.* Quod tamen

tamen limitatur à Sanchez *lib.10. disp.4. num. 6.* modo sodomia sit consumata in vase, & vir corrigi nolit. Et ita nobiscum sentit Sanchez *lib. 9. de matrim. disp.17. num.4.* & alij, contra Nauarrum *cap.27.* Angelum *verbo debitum*. Tum etiam quia se exponit periculo consummandi copulam extra vas debitum, quod est peccatum mortale, cum in moralibus idem sit exponere se periculo probabili, ac peccare mortaliter. Et ita Filiucius *tract.10. de sacram. matrim. part.1. cap.9. nu. 32.* vbi expressè docet, vxorem licitè non posse pati similem copulam, seu attentationem.

An possit maritus ne proles multiplicetur non reddere debitum?

BRACTEA XVII.

R. Primo validum esse pactum inter maritum, & vxorem se continendi à coitu coniugali ne proles multiplicetur secluso incontinentiæ periculo. Paludanus *in 4. dist.31. quæst.3. art.2.* D. Antonin. *part.3. cap.20. §.6.* Nauar. *cap.16. n.33.*

Sciendum, Maritum ne proles multiplicetur nõ posse denegare debitum vxori petenti. Ratio, quia faceret contrà iustitiam matrimonij, priuando vxorem iure suo. Ita Layman. *in Theol. moral. lib.5. tract.10. part.13. cap.1. num.26.* plures auctores citatis.

An vir si se ipsum tangat ad capiendam voluptatem absque pollutionis periculo peccet mortaliter?

BRACTEA XVIII.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia ille actus se tangendi in ordine ad capiendam voluptatem est intrinsecè malus, & prohibitus, quatenus per illum vtitur proprio corpore ad accipiendam delectationem veneream; non in ordine ad copulam coniugalem: idcircò non permittuntur actus tangendi libidinosi, nisi quatenus sunt præparatorij ad copulam coniugalem, non autem in ordine ad delectationem capiendam; & ideò si fiunt delectationis gratia sunt peccaminosi. Et ita Sancius *in select. disp.21. num.26.* Vasquez *part.2. tom.1. quæst.78. art.8. disp. 113.* Salas *part.2. tom.2. art.13. sect.14. num.129.* Ioannes Dellacrux *in director. par.1. præcep.6. art.9. dub.12.* Montesinus *part.2.* Diu. Thom. *tom.2. quæst. 77. art. 8. quæst.5.* Ratio, quia nullus censetur habere dominium proprij corporis in ordine ad vsum veneris secum explendum, sed tantum potest habere dominium corporis in ordine ad copulam licitam, & per consequens peccare mortaliter, qui vtitur suo corpore in ordine ad delectationem sensualem.

An vir committat peccatum mortale, quando copula incepta desistit à seminando, quando vxor iam seminauit?

BRACTEA XIX.

R. Peccare mortaliter, quia facit contra finem copulæ, qui est seminare, præcipuè quando vxor seminauit, quia alioquin frustraretur suo fine semen fœminæ emissum, & etiam illa actio naturalis frustraretur suo fine.

Sciendum, Quod, etsi sanum consilium sit, vt curent ambo coniuges simul complere copulam, tamen ex consensu vtriusque, & citrà periculum seminandi, vel extrà in viro, vel in vase absque viro in fœmina, non est peccatum desistere à copula ante seminationem, quia in nullius iniuriam id cedit; quod si fœmina compleuisset actum suum, vel ita esset excitata, vt probabilis sit eam completuram absque viro, tunc esset peccatum mortale, virum desistere absque iusta causa à copula ob rationem superius allatam, non esset autem mortale, si postquam vir complesset fœmina se retraheret; quia non propterea frustraretur generatio; cum eius semen non sit ita necessarium, iusta autem causa in viro est, primò si dando operam effusioni non posset, vt solet, secundò si aduerteret graue periculum sibi in vita imminere, quia fera, vel hostis superuenturus esset; tertiò honestas naturalis propter aduentum viri grauis, &c. Ita Filiucius *tract.10. par.1. cap.1. num.333.*

An vir possit vti copulam causa conseruandæ valetudinis?

BRACTEA XX.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia licet matrimonium præcipuè institutum sit ad generãdos filios, iuxta illud Genesis, Crescite, & multiplicamini. Secundariò etiam videtur institutum ad conseruandum indiuiduum; species enim nisi saluis indiuiduis propagari non potest; ergo copula erit etiam licita pro conseruatione eiusdem; tum quia nulla culpa est petere quando non occurrit aliud medium accommodatũ ad id; quando vero occurrit, esset culpa venialis, quia esset quædam peruersio debiti ordinis. Ita Filiucius *loco cit. num. 332.* contrariam sententiam tuetur D. Thomas *in 4. senten. dist.32. ar.2. & in suplemento 3. partis quæst.34. art.5.* & alij, existimantes peccare venialiter, qui causa valetudinis conseruandæ accedit ad vxorem; sed nostra sententia videtur probabilior, quia licet actus coniugalis primariò non ordinetur ad sanitatem corporalem, secundariò tamen ordinatur.

Sciendum, non etiam esse peccatum mortale; si causa vitandæ fornicationis maritus accedat ad vxorem. Ratio est, quia matrimonium post lapsum hominis in peccatum non modo institutum est ad generationem filiorum, sed etiam in remedium concupiscentiæ, iuxta illud Pauli *Melius est nubere, quam vri*. Et ita Nauarr. *cap.16. num.32.* Coninch. *de sacram. disp.34. dub.1. n.6.* Em. Sà *verbo debit. num.5.* Durand. *in 4. dist.31. qu.4.* & alij.

Sciendum

Sciendum 2. Non peccare accedendo ad mulierem causa vitandę fornicationis, etiamsi alia remedia coercendæ carnis essent. Ratio, quia vt docet Layman. *in Theolog. moral. lib.5. tract.10. par.2. cap.4. num.2.* non erit necesse noua remedia præferre, quando ad hoc medium coniugalis vsus bonum est ad eum etiam finem à Deo ordinatum, & ab Apostolo ad Corinthios commendatum; tum quia validè scrupulosum esset præsertim ijs, qui sine spe prolis copulantur si examinare debeant, nam alijs remedijs, v. g. ieiunijs, alijsque carnis afflictionibus incontinentiæ suæ mederi possint.

An vir senex, qui accedendo ad vxorem semen effundit extra vas, peccet petendo debitum?

BRACTEA XXI.

R. Senes non peccare mortaliter, nec venialiter; qui matrimonium contrahunt voluptatis causa, aut vitandæ fornicationis. Ratio constat ex supra dictis. Ita Diana *tract. 4. de sacram. resolut. 219.*

R. 2. Quod quando vir senex habet probabilem seminandi intrà vas non peccat mortaliter petendo debitum. Ratio, quia petit rem licitam, & possibilem sibi permissam, & si semen effunditur extrà vas præter intentionem fit; Si verò certò sciat non posse effundere semen intra vas, non potest petere debitum, nec vti copula, quamuis possit vti osculis, & amplexibus secluso tamen periculo pollutionis. Ita Reginaldus *lib.31. num. 334.* Nauar. *cap.16. num. 56.* vt patet à simili in eo, qui post matrimonium contractum ita detruncatur pudendis, vt vix seminare possit intra vas, aut quando vxor post cōtractum matrimonium, ita fit arcta ob aliquem morbum, vt vix carnaliter cognosci potest. Ita Henriquez *lib.11. cap.16. num.7.* & alij.

An maritus, qui deosculatur pudenda suæ vxoris peccet?

BRACTEA XXII.

R. Peccare mortaliter. Ratio est, quia talia non fiunt, nisi ex amore libidinoso, & irregulato, quæ in partibus pudēdis non permittuntur; tum etiam, quia tale osculum ratione obiecti censetur intrinsecè malum, cum fiant in partibus, quæ ab ipsa natura celantur. Ita nobiscum Paludanus *in 4. dist.31. quæst.3. art.2.* Siluester *verbo debitum*, Rodriquez *in sum. tom.1. c.129.* tum etiam, quia rarissimè possunt fieri sine periculo pollutionis.

Sciendum Posse maritum tactibus etiam inhonestis se disponere ad copulam. Ratio, quia ei conceditur omnibus medijs licitis, vti in ordine ad copulam; tum etiam, quia censetur habere dominium supra corpus vxoris in ordine ad copulam.

Sciendum 2. Tactus, aspectus, & verba turpia inter coniuges, siue ferantur ad maiorem voluptatem capiēdam in ipsa copula sunt peccatum veniale, cum etiam ipsa copula in eum finem relata sit venialis; si verò fiant ad præparandum se ad copulam, vel ad indicandum mutuum amorem tantummodo, nec etiam sunt veniale. Ita Sanchez *disp.44. num.8.* & alij. Quod si fiant ad solam voluptatem captandam absq; animo perueniendi ad copulam, & absque periculo pollutionis nō excedunt culpam venialem. Quādo ob aliquod impedimentum copula ipsa non est licita inter coniuges, nec etiam tactus licent; si vero copula sit illicita ex circunstantia aliqua extrinseca, v.g. ob periculum abortus, vel ob damnum corporis, &c. tunc tactus videntur esse liciti, quia tunc etiam sua natura licitus est vsus matrimonij, prohibetur autem ab extrinseco ratione Charitatis, vel pietatis, quibus virtutibus non sunt contrarij tactus.

Sciendum 3. Quod quando adest periculum pollutionis, tactus, aspectus, &c. sunt peccata mortalia. Ratio est, quia in moralibus exponere se euidenti periculo peccandi, & peccare est vnum, & idem; ergo quando tangendo, aspiciendo datur periculum pollutionis peccat mortaliter aspiciendo, & tangendo.

An coniuges teneantur simul cohabitare?

BRACTEA XXIII.

R. Coniuges teneri simul habitare, conuiuere, adiuuandos se mutuò, atque familiam promouendam. Ita colligitur *ex cap. litteras de restitutione spoliatorum*, *& ex cap.1. de sponsal.* & probatur per illud Genesis 2. *Non est bonum, hominem esse solum faciamus ei adiutorium simile sibi*; & patet etiam ex natura matrimonij, qua inter virum, & fęminam vinculum est indissolubile. Tum etiam ex eiusdem finibus, qui sunt susceptio, & educatio prolis, ac euitatio fornicationis.

Sciendum vxorem teneri sequi virum, quando nullum est pactum in contrarium. *Cap. vnaquęque 13. q.2.* Quod intelligendū est, quando non adest iusta causa non cohabitandi, seu non sequendi virum, vt quando vxor non potest illum sequi absque graui damno animę, vel corporis, aut quando habet iustam causam faciēdi diuortium, quoad totum, & habitationem. Ratio est, quia coniuges non obligantur cohabitare cum tanto incommodo. Ita Em. Sà *verbo debitum*, Nauarrus *cap.16. num. 25.* Sanchez *lib. 9. disp.24. num.29.* Valentia *tom.4. disp.10. qu.5 pun.3.* & alij. Verum in hoc casu non debere coniugem sanum ab altero coniuge ita longè recedere, vt non possit illi cętera obsequia exhibere, non enim eximitur ab alijs obsequijs præstandis. Ita Reginald. *lib.31. n.303.* & alij.

An maritus qui cum vxore fecit conuentionem non transferendi aliò suam habitationem, possit eam aliò transferre?

BRACTEA XXIV.

R. Negatiuè. Ratio, quia tenetur seruare promissionem, & fidem vxori datam, superueniente tamen noua causa transferendi aliò habitationem posse aliò transferre, vt quādo proscribitur à patria, ob inimicitias, aut sua negotia cogitur aliò transferre domicilium.

llum. Ratio, quia promissio non transferendi alio suam habitationem censetur facta sub hac conditione, nisi iusta causa superueniat transferendi. Ita Rodriquez *1.part.cap.15.* & alij apud Sanchez *lib.1.disp.40.*

Sciendum si coniuges nolint cohabitare si iusta causa adsit esse separandos, cęterum autem ad cohabitationem esse cogendos etiam per excommunicationem à Iudice Ecclesiastico, iuxta *Caput litteras*, aut si opus fuerit, inuocato etiam auxilio brachij sęcularis. Ita Couar. *in 4. decretal. part. 2. cap. 7.* & Sanchez *lib. 9. disput. 4. num. 6.*

An quando vir tempore matrimonij solebat vagari vxor teneatur eum sequi?

BRACTEA XXV.

R. Affirmatiuè, si hoc erat notum vxori. Ratio est, quia vxor in isto casu censetur voluisse sibi tale onus imponere, modo vir non esset solitus vagari ex turpi aliqua causa; si verò fęmina ignorabat, virum esse solitum vagari, non tenetur illum sequi, quia non tenetur tantum onus subire, sequendo virum vagantem, nisi fortè possit illum sequi absque vllo notabili incommodo. Ita Reginald. *lib. 31. num. 311.* Gutier *matrim. cap. 23.*

An maritus absque consensu vxoris possit se vendere?

BRACTEA XXVI.

R. Posse etiam renitente vxore. Ratio, quia vir subditur vxori in his quę ad debiti redditionem pertinent, atque in cęteris est sui iuris: at venditio sui ipsius non vergitur in praeiudicium debiti coniugalis, etiamsi vir in fraudem se venderet, quia etiam teneretur ad omnia, quae ex matrimonio obligatur, à quibus retrahi nequit Domini praecepto. Ita plures citati apud Sanchez *lib. 7. de matrimon. disput. 23. num. 2.*

Sciendum maritum se vendentem absque iusta causa peccare mortaliter. Ratio est, quia talis venditio est in graue dedecus vxoris, & familiae, ac in iniuriam redundat nulla iusta causa praeponderante. Sanchez *loco citato*, Petrus Ledesma *de matrim. quaest. 52. art. 3.* Tale peccatum non esse contra iustitiam, licet vir in fraudem se vendat. Ratio, quia vtitur iure suo, nec in vxoris detrimentum cedit quoad debitum coniugale. Ita D. Thomas *in 4. dist. 36. qu. vnica art. 3.* Sotus *in 4. dist. 35. quaest. vnica art. 3.*

Sciendum 2. Dubium esse si vir vendatur à Domino, an vxor teneatur eū sequi? Ad quod respondeo integrum esse Domino, qui emit maritum, qui se illum vendidit aliò vendendum mittere, si vxor possit commodè eum sequi. Ratio, quia per venditionem ius omnes, quod ipse habebat libertatis transtulit maritus in Dominum, & tantum id reseruatum est, quod matrimonium laedere poterat, at vir sine matrimonij laesione poterat domiciliū mutare, vxore potente eum commodè sequi, eodem igitur iure vtetur Dominus, & per consequens poterit virum vendere, & vxor tenetur eum si commodè possit.

An maritus inops teneatur alere suam vxorem quandiu ducat inopia?

BRACTEA XXVII.

R. Virum regulariter teneri alere vxorem, à qua accepit dotem. Ratio est, quia haec datur marito, vt is matrimonij onera sustineat, vxori, & familiae alimenta praestans, *ex l. pro oner. C. de iure dotium, & ex l. dotis fructus ff. eodem tit.* excipitur tamen iste casus, cum vxor è domo mariti propria culpa recedit, vt dictum fuit.

Sciendum maritum inopem non teneri alere vxorem quandiù durat inopia. Ratio est, quia non tenetur plus vxori, quam id, quod facere potest, iuxta illud *in l. marit. solut. matrim.* & maritum in id, quod facere potest condemnare exploratum est, & patet à simili, quia debitor aeris alieni excusatur à solutione, quandiù ratione inopię eam nequit facere; ergo etiam maritus ob inopiam excusatur alere vxorem.

An coniux sanus teneatur cum altero infecto lepra, vel alio morbo contagioso habitare?

BRACTEA XXVIII.

R. Si immineat probabile periculum ex cohabitatione contagionis non teneri cohabitare, aliter verò tenetur, iuxta *textum expressum in cap. 1. de coniugio leprosor.* & ita Reginald. *lib. 31. cap. 40. num. 303.* & alij.

Sciendum dubium esse, an maritus sanus teneatur reddere debitum vxori laboranti morbo leproso, aut alio contagioso cum periculo infectionis. Prima sententia est asserentium teneri maritum sanum coniugi leproso petenti debitum reddere. Ratio, quia ex cōiunctione momentanea, qualis est copulae non potest imminere periculum infectionis, vt ex cohabitatione assidua potest oriri & ita plures citati apud Sanchez *lib. 9. disp. 14. num. 15.* Secunda sententia docet teneri etiamsi adsit periculum infectionis. Ratio, quia ad hoc se obligauit per contractum matrimonij. tamen

R. Vbi iudicio Medicorū notabilis infectionis periculum probabiliter imminet ex debiti redditione, non teneri ad redendum debitum ratione obligationis sacramenti matrimonij, quia nullus se obligat per contractum matrimonij ad reddendum, nisi salua indiuidui incolumitate. Et ita Durand. *in 4. dist. 32. quaest. 1.* Paludan. *quaest. 1. art. 2. num. 7.* D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 20.* Caietan. *in summa verbo matrim. cap. vltimo de peccatis in vsu matrimonij*, Medina *cap. de restitut. qu. 19. §. vltim.* Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 15. n. 7.* Nauar. *in summa cap. 16.* Siluester *verbo debitum*, Rosella *verbo lepros.* Sanchez *loco citato*, & cum eo plures.

Sciendum 2. Maritum etiam excusari à reddendo debito vxori morbo gallico laboranti. Ratio, quia non tenetur cum periculo notabili suae infectionis reddere debitum. Ita Henriquez *lib. 11. de matrim. cap. 15.* Sotus *4. dist. 32. quaest. vnica*, Medina *loco citato* Petrus de Ledesma *de matrim.*

matrim. quæst. 67 *art.* 1. *dub.* 2. Victoria *de matrim. num.* 275. Armilla *verbo debitum, & verbo matrim.* Sanchez *loco cit. num.* 18.

Sciendum posse maritum separari ab vxore, quando probabiliter timet infectionem mali ex cohabitatione. Ratio, quia coniugis non tenentur cohabitare cum tanto incommodo, & licet per contractum matrimonij se obligent ad cohabitandum, tamen ab ista obligatione eximit periculum grauis contagionis ex morbo alterius cōiugis. Ita Em. Sà *verb. diuort. coniug. lib.* 15. Sanchez *lib.* 9. *disp.* 24. *n.* 29. Valent. *tom.* 4. *disp.* 10. *pun.* 3. Nauar. *cap.* 16. *n.* 25. Si verò probabiliter non timeatur notabile damnum, nō potest ab vxore leprosa discedere. Ratio, qa obligatio cohabitandi non cessat vbi non adest probabile periculum. Ita Sanchez *loco cit.* & cū eo plures. Secundò maritum, qui separatur ab vxore ob aliquem morbum non debere longè ab ipsa recedere, ita vt non possit cætera obsequia ei exhibere. Ratio, quia licet eximatur ab obligatione cohabitandi non tamen eximitur ab alijs obsequijs pręstandis. Ita Reginaldus *lib.* 31. *num.* 303. Sanchez *loco citato*, & alij.

An maritus possit separari à coniuge ob ipsius adulterium?

BRACTEA XXIX.

SCiendum tripliciter maritum posse separari seu facere diuortium cum vxore. Primò quoad vinculum per alterius coniugis professionem in Religione approbata. Secūdò quoad torum, seu carnalem copulam tantum. Tertiò quoad torum, & habitationem simul; & hoc dupliciter, vel potest fieri in perpetuum, vel ad certum tempus, prout definit Concilio Trid. *sess.* 24. *can.* 8. *his verbis Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter coniuges, quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit anathema sit.* Quibus positis.

R. Quoad vinculum certum est, tenendum non dissolui. *Cap. ex part. de sponsal.* & nuper in Tridentino *sess.* 24. *can.* 10. & probatur fusè à Bellarmino *lib.* 1. *de matrim. cap.* 16.

R. 2. Quoad torum, & habitationem, adulterium alterius coniugis est causa sufficiens diuortij. Est de fide ex Matth. 5. & 19. *cap. significasti, cap. gaudemus de diuor.* idque oritur ex natura matrimonij, frangenti enim fidem, fides seruanda non est; ergo si alter eorum non seruat fidem adulterando, nec alter innocens tenetur eam seruare.

Sciendum Quod vt adulterium sit causa sufficiens diuortij, seu separationis matrimonij, quoad habitationem, & torum requiritur, primò, vt coniux volens facere diuortium ob alterius adulterium certus sit moraliter de adulterio: nam possessio stat pro altero, & nemo in dubio priuandus est sua possessione.

Sciendum 2. Illum dici certum moraliter, qui non habet leuem suspicionem, sed maximè fūdatam, vel vt dicitur violentam, qualis in foro externo sufficeret ad conuincendam vxorem de adulterio, vt accidit quando ipsa adultera confitetur proprium adulterium, vel quando est inuenta nuda cum nudo, vel sola cum solo in lecto. *Cap. litteris de præsumptione*, non tamen sufficiūt verba amatoria, aut Xenia missa vxori ab adultero, aut oscula, & amplexus, nisi adsint aliæ circunstantiæ loci, temporis, vel personarum, quod tamen intelligendum est in foro externo, quia in foro conscientiæ non requiritur talis probatio. Ita Farinacius *tom.* 4. *qu.* 145. Sanchez *lib.* 10. *disp.* 12. *num.* 40. & alij.

An maritus propria auctoritate possit facere diuortium ratione adulterij cum vxore?

BRACTEA XXX.

R. Posse secluso scandalo. *Cap. Dixit Dominus* 32. *quæst.* 1. Ratio, quia iure naturæ frangenti fidē fides seruāda non est; cùm ergo adulter frangerit fidem adulterando, sequitur innocentem non teneri fidem ei seruare, sed posse propria auctoritate facere diuortium negando debitum, & in longinqua recedendo, quamuis in foro externo cogendus sit redire, donec constet de adulterio, Ita Sotus *dist.* 36. *quæst.* 20. *art.* 3. Reginaldus *lib.* 31. *num.* 324. Henriquez *lib.* 11. *cap.* 17. *num.* 8. Coninch. *disp.* 35. *dub.* 1. *num.* 1. & alij.

Sciendum plures dari casus, in quibus non est licitum facere diuortium ob coniugis adulterium. Primus est quando vterque coniux commisit adulterium, *in cap. fin. de adulter.* Ratio est, quia paria delicta mutua compensatione abolentur. Secundus est quando vir dedit vxori causam proximam adulterandi. Tertius est, quando vxor commisit adulterium tantum materialiter, credens illum, cum quo commisit adulterium esse proprium virum, aut credens mortuum esse priorem virum. Ita Henriquez *lib.* 11. *cap.* 17. *num.* 4. Sanchez *lib.* 10. *disput.* 5. Gutier. *cap.* 129. *num.* 5. & alij communiter. Et colligitur *ex cap. Ita ne, & cap. proposito.* Quartus est quando vxor carnaliter cognita est per violentiam. Ita Henriquez *lib.* 11. *cap.* 17. Ratio est, quia in isto casu nulla adest culpa mulieris, cum non sit voluntaria. Secus verò dicendum si per metum grauem solum commiserit adulterium, cum talis metus non tollat voluntarium. Quintus casus est, quando coniux innocens condonauit alteri adulterium, & tunc censetur condonasse adulterium, quando sciens ipsum petijt, aut reddidit debitum. Ratio est, quia per illā condonationem cedit iuri suo, quandiù alter coniux conciliatus nō relabitur in adulterium. Ita Henriquez *lib.* 11. *cap.* 17. *speculum* 3. *part. art.* 1. Coninch. *disp.* 34. *dub.* 2. *num.* 11. & alij.

Sciendum 2. Dubium esse, an coniux innocens possit facto diuortio cogere adulterum, vt ad se reddat? Ad quod respondeo, innocentem, antequam status alterutrius mutetur, posse cogere adulterum ad reconciliationem. Ratio est, quia innocens per sententiam diuortij non est priuatus iure in corpus adulteri, alioqui potius prodesset reo sententia data, quam obesset; si ergo ante illud habebat ius, ita & etiam post innocenti ius integrum, & illęsum manet, quo solus adulter priuatus est.

Sciendum 3. Quod si status alterutrius mutatus est, si quidem nocens eum statum mutauit factus professus, vel initiatus sacro ordine, tūc nullum superest ius innocenti ad reconciliandum adulterum. Ratio est, quia status assumptus

ptus immutabilis est, ideòque omnes ius matrimonij à se abdicauit. Ita Summistæ *verbo diuor.*

An innocens possit adultera inuita transire ad Religionem, vel Ordines Sacros suscipere?

BRACTEA XXXI.

R. Posse transire ad Religionem inuito nocente, vt patet *ex cap. Agatosa 27. quæst. 2. & c. constitutus de conuers. coniug.* Ratio est, quia adulter amisit omne ius coniugale, quod solum obesse potest ingressui, & multò magis innocentem posse vouere castitatem.

Sciendum Dubium esse, an requiratur antequam innocens ingrediatur Religionem sententia diuortij? Respondeo necessariò non requiri, quãdo publicè cõstat de adulterio, ratione tamen scandali, aut detrimenti Religionis, vel ordinis sacri, quem suscipere posset, regulariter debet præcedere sententia diuortij; si tamen profiteretur, valeret nihilominus professio, nisi esset aliquod statutum in Religione irritans talem professionem.

Sciendum 2. Quod licet vir innocens possit ingredi in Religionem, & profiteri inuito altero coniuge, tamen adulter potest absque licentia innocentis Ordines suscipere, vel profiteri in Religione. Ratio est, quia innocens habet ius concedendi reconciliationem cõiugi adultero, & illum repetendi, quo iure non potest inuitus priuari: de licentia verò innocentis tacita, vel expressa potest sacros ordines suscipere, aut professionem facere in Religione. Ita Reginaldus *lib. 31. num. 326.* Gutier. *cap. 129.* Coninch. *disp. 35. dub. 5.* & alij.

An præter adulterium adsit alia causa, propter quam coniuges possint ab inuicem separari, quoad habitationem, & quoad torum?

BRACTEA XXXII.

R. Matrimonium dissolui per eas omnes species luxuriæ, in quibus coniux diuidit carnem suam cum alio. Ratio est, quia matrimonium eò tendit, vt coniuges afficiantur vna caro; qui autem vnit cum alio per copulam perfectam suam carnem illam diuidit cum alio ab vxore sua, & per consequens violat fidem, & iustitiam matrimonij, & ideo alter non tenetur fidem illi seruare cohabitando, & reddendo debitum. Ita Filiucius *tract. de sacram. matrim. cap. 10. num. 367.*

Sciendum, Quod hæc carnis diuisio, primò reperitur in omni concubitu naturali cum alia; secundò in copula contra naturam, licet probabile sit non reperiri. Ratio est, quia vna caro non bis, nisi per commixtionem seminum, quæ non est in tali casu.

R. 2. Non dissolui matrimonium per eas species luxuriæ, in quibus caro non diuiditur cum aliò. Ratio, quia non violatur in illis fides matrimonij; vnde primò per mollitiem non dissoluitur, nec per aliam extraordinariam pollutionem, quæ cum altero fiat extra vas naturale, vel præposterum. Secundò, nec per oscula, amplexus, & tactus libidinosos, etiamsi animus fuerit perueniendi ad adulterium, vel aliũ concubitum. Tertiò multò minus per voluntatem fornicandi significatam etiam externè, & etiam alijs causis in quibus non est perfecta copula vtriusque, sicuti neque concubitus cum fœmina, aut bestia mortuis, qui non est diuisio carnis propriæ cum alio, sicut non esset cum statua.

Sciendum Copulam sodomiticam cum propria vxore inuita non esse satis ad faciendum diuortium, quoad habitationem, & quoad torum. Ratio est, quia per eam non diuidit carnem suam cum alio, si tamen vir admonitus ab vxore non desisteret, tunc haberet iustam causam diuertendi ob inductionem ad peccatum.

An maritus dimittens vxorem propter adulterium possit aliam ducere viuente ipsa?

BRACTEA XXXIII.

R. Non licere viro dimittenti vxorem propter adulterium viuente ipsa aliam ducere. Ita colligitur ex Matth. *cap. 19.* & probatur ex pluribus testibus citatis à Couar. *de matrim. 2. part. 7. §. 6.* Ratio est, quia per adulterium matrimonium non dissoluitur quoad vinculum licet possint separari, quoad habitationem, & torum, vt communiter docent Doctores.

An si lata diuortij sententia contingat, innocentem labi in adulterium, is cogi possit redire ad coniugem adulterij causa dimissum?

BRACTEA XXXIV.

R. Si lata sententia diuortij innocens adulteretur, non posse cogi redire coniugem adulterij causa dimissum. Ratio, quia diuortij sententia absoluit innocentem à debito coniugalis societatis, dissoluitque matrimonium, quoad ius tori, & habitationis manente vinculo, si ergo innocens postea fornicetur, erit reus adulterij in ordine ad eum non tamen peccabit aduersus coniugem dimissum, nec illi iniuriam inferet, vtpote priuato iure in suum corpus per sententiam.

Sciendum, quod poterit tamen Iudex eos reconciliare, & cogere ad reconciliationem, vt consulatur periculo fornicationis, quia delictum superueniens præiudicat rei iudicatæ ad animæ salutem: quin etiam tenetur, cum Prælatus tamquam Pastor animarum teneatur occurrere periculis incontinentiæ. Ita Gloss. *cap. Apostol. verbo viro 32. quæst. 2.* Abbas *cap. fin. de diuort. num. 5.* Siluester *diuortium quæst. vlt.* Sotus *disp. 36. qu. vnica art. 6.* & alij.



An

An crimen hæresis sit causa sufficiens diuortij?

BRACTEA XXXV.

R. Hæresim, vel apostasiam à fide esse vnam ex causis, ob quam licitum est diuortium. Ita colligitur *ex cap. fin. de conuers. coniug. cap. quanto de diuortio, cap. non solum, cap. de idolatria 28. quæst. 1.* ob periculum peruersionis coniugis catholici, vt dicitur *cap. 2. de diuortio.*

Sciendum, quod postquam accessit Ecclesiæ sententia damnãs hæreticum, est etiam alia ratio, nempè iusta irrogatio pęnæ diuortij in odium admissi criminis: vnde post hanc sentẽtiam ẽtsi recipiscant, non tenetur catholicus cum eo reconciliari. Secus tamen si ante sententiam diuortium faciat.

Sciendum 2. Non esse necesse, periculum esse imminens, quia semper censetur esse periculum sufficiẽs, licitum est autem diuortium non modo quoad mutua obsequia, & habitationẽ, sed etiam quoad reddẽdum debitum, vt colligunt Doctores *ex cap. 2. de diuortio*, vbi generaliter conceditur separatio.

An peccet maritus occidens mulierem in adulterio deprehensam?

BRACTEA XXXVI.

R. Maritum lęthaliter peccare vxorem interficiendo, vel adulterantem cum illa, etiam quando lex id ei concedit, seu permittit. Ratio autem est, quoniam lex solùm intendit concedere, vt id impunè fiat propter iustum, nimiumque dolorem, quo lacessitus id efficit, & propter dedecus maximum, quod ex adulterio vxoris ei sequitur, & vt homines caueant ab adulterio patrando, non verò intendit facere maritum ministrum iustitiæ ad eam pœnam infligendam ante sententiam; atque si lex id intenderet, esset iniusta, quæ inauditum reũ, nullaque prius expectata sententia marito traderet tam grauiter puniendum, qui imaginationibus falsis sæpè, & facilè posset occidere vxorem, si illam exosam haberet fingẽdo commisisse adulterium. Ita plures apud Molinam *de iust. tract. 3. disp. 7. num. 2.*

An maritus incurrat excommunicationem occidendo Clericum adulterantem cum vxore?

BRACTEA XXXVII.

R. Negatiuè, si fiat in flagranti delicto, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ita plures apud Bonacinam *de censuris disp. 2. quæst. 4. pun. 4. num. 2.* & apud alios.

Quam pœnam incurrat maritus, qui circa vxorem lenocinium exercet?

BRACTEA XXXVIII.

R. De iure communi, si maritus circa propriam vxorem lenocinium exerceat pœnam criminalem pro adulterio statum incurrit. Ita habetur *l. auxilium §. in delict.* vbi etiam statuitur non concedi minori restitutionem in integrum quoad tale delictum, & quoad capita oĩa legis Iuliæ *de adult. l. qui demum ff. ad l. Iulium de adultero quæst. ex adulterio vxoris suę fecerit vniuscunque sit conditionis quasi adulter puniatur*, etiamsi nullo accepto pretio leno sit suæ vxoris.

Sciendum maritum, qui vxorem in adulterio deprehensam, aut aliter certò sciens eam esse adulteratam, non dimittebat faciendo ab ea diuortium, puniri, quoniam consentire in adulterio, lenocinium circa eam committere existimabatur, si tamen velare poterat suam patiẽtiam, quod non certò adulterium cognouerit leno vxoris, non reputabatur, ac proinde, pęnam adulteri non incurrebat. Ita habetur *l. mariti, &c.* quando verò iustè timet aliquod malum ab adultero, vel aliunde sibi inferendum, nisi tacuisset, vel dissimulasset vxoris adulterium, id enim & à præsumptione lenocinij, & consequenter à pęna illa non minus ipsum meritò excusasset, quam negligentia, seu culpa lata, & nimis credulitas. Ita *l mariti, l. 2. §. cęterum, & §. si publico.* Hodie tamen post ius autenticorum, quo marito permittitur diuortium non facere ab vxore sua adultera nullam pęnam incurrit maritus ex eo præcisè, quod sciens adulterium suę vxoris iam patratum, & cuius ipse non fuit causa, atque ex eius beneplacito non fuit factum, non puniat illud diuortio vxoris. Ita Molina *de iust. tract. 3. disput. 89. & disp. 97. num. 3.*

R. 2. Quod quando maritus ob lucrum aliquod, vel ad conciliandam beneuolentiam alicuius, vxori suadet adulterium, vel in eo complacet, illudque ei ea de causa permittit, lenocinium circa propriam vxorem committit, & de iure communi pęnam mortis pro adulterio statutam incurrit. Ita colligitur *l. 2. §. lenocinij ff. ad l. Iul. de adult.* & ex alijs iuribus citatis à Molina *loco cit. num. 9.*

An maritus possit illum, quem suspectum habet de adulterio cum propria vxore occidere?

BRACTEA XXXIX.

R. De iure communi posse maritum impunè occidere eum, quem probabiliter suspectum habet de adulterio cum sua vxore, etiamsi illos non inueniat in fragranti delicto adulterij, propter solam præsumptionem iuris, quod adulterium commiserint. Ita Molina *loco cit. num. 5.*

An restitutio facienda sit marito pro iniuria illata ob adulterium?

BRACTEA XL.

R. Quando marito adulteræ ex adulterio cum vxore illius nullum damnum permanens est secutum in fama, neque in bonis exterius pro nuda iniuria, seu iniustitia adulterij esto, illa sit grauissima nullam ei debere restitutionem in conscientia; quando verò ex adulterio secutum esset damnum marito permanẽs in fama, & existimatione illius tunc ex ipsa natura

tura rei obligationem in foro conſcientiæ eſſe reſtituendi illi id damnum permanens iniuſtè datum in fama, & exiſtimatione illius. Ita colligitur ex communi praxi Eccleſiæ, cum nunquam fuerit auditum in Eccleſia quempiam pro iniuria, & iniuſtitia adulterij non ſolùm quando adulterium erat occultum, ſed etiam quando factum erat publicum, aut euidens iniunxiſſe reſtitutionem adulteris, quæ fieret coniugi, cum cuius iniuria eſſet commiſſum, maximè pecuniariam iniunctam, ſolùm fuiſſe ab Eccleſia, quando adulterium certò ad notitiam illius deuenit, in quem fuit commiſſum, & ille commotionē retinet in aīo aduerſus illum, aut illos, qui id facinus commiſerunt, vt ab illo venia petatur, cum ſignis pœnitentiæ doloris, quod id commiſerit etiam coram illo, quam rei natura poſtularet perſonam, qualitates, aut aliæ circunſtantiæ, idque, vel per ipſoſmet adulteros, vel per tertiam perſonam, quando crederetur id non ægrè laturum offenſum, eaque via ſperaretur pacandū, neque hinc timeretur ſequendum maius malū; quod tamen reſtitutio coniugi fieret pro iniuria adulterij illi illata, ſumpta præciſè à damno dato, neque auditum, neque vſu introductum fuit vnquam in Eccleſia. Ita etiam colligitur *ex l. tranſigere C. de tranſact. l. mariti §. plectitur ff. ad l. Iul. de adulter. & ex alijs iuribus*, quibus prohibetur marito quidquam accipere pro iniuria adulterij commiſſi ab vxore, aut circa eam trāſactionem facere, quin potius eo ipſo, quod aliquid acciperet, vt deſiſteret ab accuſatione de lenocinio circa ſuam vxorem accuſari, ac dānari poſſet. Ratio, quia ex ſolo damno iniuſtè illato, ac permanente conſurgit obligatio reſtituendi ex iuſtitia commutatiua: pro iniuria verò, ac iniuſtitia ſumpta præciſè à damno dato permanente, non conſurgit obligatio reſtituendi, ſed illa eſt obiectum iuſtitiæ vindicatiuæ. Ita Molina *loco cit, diſput. 100. num. 3.* Secundò, adulterum, qui indubitatus eſt pater filij noti, & qui omninò ſibi perſuadet eum eſſe ſuum filium teneri ſimul cum adultera ad reſtitutionem omnium damnorum. Ita Caietanus *in ſumma verbo adult.* Siluester *ibidem quæſt. 5.* Angelus *ibidem num. 4.* Gabriel. *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. dub. 2.* Nauarrus *cap. 16. num. 42.* & alij. Ratio eſt, quoniam adulter verè fuit cauſa eorum omnium damnorum, & qui cauſa eſt damni, iniuſtè obligatur ad reſtitutionem; ergo, &c.

An maritus incurrat irregularitatem bigamiæ cognoſcens vxorem ab altero vi cognitam?

BRACTEA XLI.

R. Affirmatiuè. Ratio, quia licet illa vis, & violentia excuſet fœminā à peccato, attñ non efficit illud matrimoniū aptū eſſe ad ſignificandam coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, tum quia ad incurrendam irregularitatem ſatis eſt adulterium materialiter. Contrarium tamen ſentit Ioannes Præpoſitus *in 3. partem* D. Thomæ *quæſt. 7. de irregularit. dub. 6.* & fundamentum eius eſt, quia mulier non cenſetur commiſiſſe adulterium, quæ vi oppreſſa fuit, ſed vt dictum eſt ad incurrendam irregularitatem ſufficit materiale adulterium, vt patet in eo, qui ducit corruptam ab alio, etiam eſſe irregularem.

Et quid ſi cognoſcat vxorem poſt eius adulterium non notorium, & ei ignotum?

BRACTEA XLII.

R. Incurriſſe irregularitatem bigamiæ in foro conſcientiæ. Ratio, quia ſiuè ſcienter, ſiuè ignoranter maritus cognoſcat vxorem, poſtquam adulterata eſt, ſemper incurrit irregularitatem ex defectu ſignificationis, etiamſi in marito adſit ignorantia adulterij ab vxore commiſſi. Ita Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 87.* & plures ab eo citati.

Contrariam opinionem tuetur Ioannes Præpoſitus in tertiam partē D. Thomæ *quæſt. 7. de irregularit. dub. 7.* vbi docet, quod ad incurrendam irregularitatem videtur requiri, quod adulterium debeat eſſe notorium; ſed à prima ſententia non eſt recedendum. Em. Sà *verbo irregularit.* Ledeſma *de matrim. quæſt. 66. art. 3.* putant tunc maritum incurrere irregularitatem, quando habet copulam cum vxore, quam ſcit commiſiſſe adulterium; ſecus autem ſi adulterium ignorat; contraria tamen ſententia tenenda eſt, quam tuentur plures citati à Sanchez *loco citato*, & Diana *tract. 2. de irregularit. reſolut. 41.* & ideò maritum, qui cognoſcit vxorem poſt adulterium commiſſum ignoranter ipſo ſoluto non poteſt recipere ordines quia irregularis.

An maritus dubitans de validitate matrimonij poſſit petere debitum?

BRACTEA XLIII.

R. Maritum, qui bona fide contraxit matrimonium, & poſtea cępit dubitare de eius validitate non poſſe petere debitum, antequam vtatur diligentia ad aſſequendam veritatem. Ratio, quia petendo debitum ageret contra conſcientiam dubitantem ante adhibitam diligentiam ad cognoſcendam rei veritatem; tum etiam quia exponeret ſe periculo peccādi, quia fieri poſſit, vt matrimonium eſſet inualidum, & accedat ad fœminam, quæ non ſit ſua vxor.

Sciendum, quod licet maritus dubitans non poſſit petere debitum, poteſt tamen reddere vxori non dubitanti, etiam ante adhibitam diligentiam ad ſciendam veritatem. Ratio, quia vxor, quæ non dubitat, habet ius petendi, & eſt in poſſeſſione, qua non poteſt priuari ob dubiū mariti, & non reddendo ageret maritus contrà iuſtitiam, quia priuaret vxorem ſuo iure poſſeſſorij.

Sciendum 2. Maritum poſt matrimonium bona fide contractum dubitantem de valore matrimonij, poſtquam vſus eſt diligentia ad ſciendam veritatem rei, ſi remanet adhuc dubius, poteſt non ſolùm reddere, ſed etiam petere debitum. Ratio eſt, quia in omnibus contractibus, qui bona fide aliquid accepit, & poſtea cępit dubitare, an ſit alienum, poſtquam vſus eſt diligentia ad aſſequendam rei veritatem, & adhuc remanet dubius, poteſt illud retinere, ac

de

de illo disponere, quia in dubijs melior est cõditio possidentis, quando possessio incepit bona fide, ita etiam maritus dubitans de valore matrimonij, postquam vsus est diligentia ad sciendam veritatem, si speculatiuè perseuerat, dubium potest vti matrimonio reddendo, & petendo. Ita Sotus 4. *de instit quest.* 5. Rebellus *lib.* 2. *quest.* 16. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 41. *num.* 46. Rodriquez *cap.* 243. Petrus Ledesma *quest.* 41. *art.* 1. Valentia *tom.* 4. *disput.* 11. *quest.* 6. *pun.* 62. & alij plures.

Quando vterque dubitat de validitate matrimonij neutrum posse petere ante adhibitam diligentiam. Ita Sanchez *loco citato*, & Reginaldus *lib.* 31. *num.* 30. Ratio, quia obligatio petendi supponit ius reddendi, sed dubitans non habet ius petendi ante adhibitam diligentiam; ergo ante adhibitam diligentiam neuter potest petere. Ratio, quia vterque exponeret se periculo peccandi. Sanchez *lib.* 9. *disput.* 44. *num.* 24. & alij.

R. 2. Maritum, qui mala fide contraxit matrimonium dubitando de aliquo impedimento non posse petere debitum. Ratio, quia per matrimonium mala fide contractum non acquisiuit ius petendi, quia possessio non suffragatur dubitanti, qui mala fide cępit possidere: posse tamen reddere vxori bona fide petenti, quia ob malam fidem alterius non potest suo iure priuari. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 42. Gutier. *de matrim. cap.* 50. & alij apud Sanchez *loco cit.*

Sciendum 3. Quod si vterque mala fide contraxit matrimonium, neuter potest reddere, vel petere. Ratio, quia ex eo, quod matrimonium mala fide fuit contractum, neuter acquisiuit ius petendi, vel reddendi, & per consequẽs non possunt reddere, aut petere debitum. Ita Speculum 3. *par. art.* 3. Sanchez *disp.* 42. Gutier. *loco citato cap.* 50. Nauarr. *cap.* 22. *num.* 154. Sotus *dist.* 27. *quest.* 1. *art.* 3. Henriquez *lib.* 21. *cap.* 15.

Sciendum 4. Maritum non posse petere debitum, qui post contractum bona fide matrimonium postea incepit opinari matrimonium inualidum esse. Ratio, quia possessio suffragatur dubitanti post adhibitam diligentiam, sed nõ opinanti, nisi fortè habeat opinionem probabilem pro vtraque parte, videlicet pro validitate, & nullitate, quia tunc potest reddere, eo quod possit amplecti opinionem probabilem, quam maluerit, relicta, & probabiliori. Ita Reginaldus *lib.* 31. *num.* 301. Gutier. *cap.* 50. Sanchez *lib.* 2. *disp.* 44. & alij.

Sciendum 5. Maritum, qui opinatur adesse impedimẽtum posse reddere debitum coniugi bona fide petenti. Ratio, quia nullus potest aliũ priuare suo iure, & possessione illi acquisita, nisi certò constet rem suam esse. Ita citati Doctores Speculum, & Sanchez.

R. 3. Maritum, qui certò scit adesse impedimẽtum dirimens, non posse petere, vel reddere debitum. Ratio, quia sic accedendo ad vxorem non censetur accedere ad ipsam tamquam ad legitimam vxorem, cum certò sciat adesse impedimẽtum, sed censetur cognoscere alienam, & non vxorem, & per consequens peccare peccato fornicationis. Ita Sanchez, Speculum, Gutier. *locis cit.* Coninch. *disp.* 34.

An maritus licitè possit petere debitum, quando matrimonio contracto superuenit impotentiam?

BRACTEA XLIV.

PRo clariori intelligentia sciendum impotentiam duplicem esse, Naturalem, & Accidentalem; Naturalem illam esse, quam quis habet à natura; Accidentalem, quæ procedit ex aliquo accidente contingenti, vt ex abscisione membri, aut ex maleficio, &c. Hoc posito.

R. In dubio, quando alter coniux petit separari ab altero ratione impotentiæ non præsumi impotentiam fuisse ante coniugium. Ratio, quia cum sit actor, ac intentionem suam fundet in impotentia præcedenti matrimonium, vt id dissoluatur, non præsumitur eam præcessisse, si ipsi onus probandi incumbit; secus si vterque coniux dissolutioni assensum præstaret, vel si alter petat aliquam in vxorem, quia tunc præsumitur impotẽtiam præcessisse. Sic Authentica *cap. frat. num.* 20. *de frigid.* Sanchez *lib.* 7. *disput.* 103. *num.* 2.

Sciendum 2. Quod quando impotentia est naturalis in dubio præsumitur præcessisse, & sic matrimonium esse nullum. Ratio, quia impotentia naturalis censetur perpetua, & qualitas, quæ à natura est semper esse præsumitur. Ita Menochius *de præsumpt lib.* 1. *præsumpt.* 14. & ita Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disput.* 103. *num.* 4. Quando verò impotentia est accidentalis, & sufficienti diligentia præmissa constare nequit, an ea matrimonium pręcesserit, an potius secuta sit pręsumi, debet illam impotentiam subsecutam esse matrimonium, ac proinde esse validum. Ratio, quia præsumptio iuris stat, vt illa impotentia non fuerit ante matrimonium, sed post, & hãc opinionem defendunt cum Sanchez plures ab eo citati *loco cit. num.* 3.

Sciendum 3. Matrimonium ratum non dirimi per impotentiam subsequẽtem. Ita plures apud Sanchez *loco cit.*

Sciendum 4. Quod si impotentia oriatur ex eo, quod vir factus sit impotens ad effundendum semen, vt si matrimonio inito priuetur vtroque testiculo, non potest, nec reddere, nec petere debitum. Ratio, quia illa petitio debiti frustraretur suo fine principali; tum etiam quia sicut maritus, quando certò scit non posse effundere semen intra vas, non potest absque peccato petere, aut reddere debitum. Ratio, quia illicitè petit, aut reddit; ita & etiam maritus, impotens factus ad effundendum semen nõ potest nec reddere, nec petere debitum petenti. Quod non ita dicendum est de senibus ad generandum impotentibus, quia in his potest aliquando obtineri finis matrimonij, & pro omnibus non potest dari regula generalis, cum plures sint potentes ad copulam, & non ad generandum, alij verò, qui laborant impedimento ad effundendum semen, qui non censentur apti ad finem copulæ, quæ consistit in emissione seminis.

An vir possit petere, & reddere debitum, quando vxor certa de eius impotentia ipsam probare non potest in foro externo, vt dirimatur matrimonium?

BRACTEA XLV.

R. Quod quando mulier certa est de impotentia viri, eo quod triennium cohabitationis iure præscriptum ad experiendum transierit, nec illam probare potest, nec potest constare per inspectionem, quod ipsa virgo non sit, & vir integra membra habeat, neuter potest, aut reddere, aut petere, eo quod constet id matrimonium esse irritum. Ita D. Thomas *in 4. dist. 34.* Sanchez *lib. 7. quæst. 102. num. 12.*

An quando maritus est tardior ad seminandum, quam vxor, possit se tactibus præparare, vt simul seminent?

BRACTEA XLVI.

R. Posse ante concubitum tactibus Venerem excitare, vel sic possit in ipso concubitu simul effundere semen. Ita Caietanus *2. 2. quæst. 15. art. 11.* Tabiena *verbo luxuriosus quæst. 7. §. 7.* Sanchez *lib. 9. quæst. 17. num. 8.* vbi plures affert rationes.

An maritus superueniente cognatione legali possit petere debitum?

BRACTEA XLVII.

R. Negatiuè respondet Siluester *verbo matrim.* Ratio, quia omne impedimentum, quod præcedens matrimonium dirimit, si subsequatur, dirimit illud secũdum quid, nimirum quoad vsum, & quoad debiti exactionem. Verùm hæc doctrina non approbatur à Sanchez *lib. 7. de matrim. disput. 63. num. 19.* quia eius fundamentum non reperitur in aliquo textu, & hanc sustinet Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 57. art. 2.* Quæ sententia censetur tenenda.

An maritus baptizans proprium filium priuetur iure petendi debitum?

BRACTEA XLVIII.

R. Vel ipsum baptizat in casu necessitatis, vel extra casum necessitatis: si ipsũ baptizat in casu necessitatis, v.g. periculi mortis filij, & non adsit alius, q possit ipsũ baptizare. Pater baptizãdo filiũ nullã contrahit cognationẽ cum sua vxore, nec priuatur iure petendi debitum; si verò baptizat ipsum extra casum necessitatis, aut adsint alij, qui filium baptizare possint, baptizando contrahit cognationem spiritualem, & priuatur iure petendi debitum. Ita Sanchez *lib. 7. disp. 36. num. 7.* & Villalobos *in sum. tom. 1. tract. 13. difficult. 51.*

Sciendum, quod si post contractum matrimonium vir, siuè mulier susceperint filios alterius coniugis in fraudem, & malitiosè, vt inde occasionem capiant negandi debitũ coniugi prætextu cognationis spiritualis, non impeditur is, qui innocens est, sed neque qui fraudulenter egit à petitione debiti, licet punibile sit delictum, sicut si contracto matrimonio alter coniux, aut communem, aut alterius tantum filium teneat, scienter tamen, non verò in fraudem, aut fraudandi, animo contrahitur hoc impedimentum, & si vnus tantum fuerit sine scientia alterius, is priuatur debiti petitione; quod si hæc scientia vtriusque sit neuter potest petere, neq; reddere. Ratio est, eò quod tam antiqua iura, quàm recentiora decretaliũ definiãt hoc impedimentum non nasci, vel cum in fraudem, vel ob necessitatem leuatur, aut baptizatur; ergo cum exceptio firmet regulam in contrarium planè colligitur, si vel malitia, vel necessitas absit incurri hoc impedimentum. Ita Basil. Pont. *lib. 10. cap. 6. num. 7.*

An per superuenientem affinitatem alter coniux priuetur iure petendi?

BRACTEA XLIX.

R. Qui scienter contraxit affinitatem cum propria vxore vltra secundum gradum posse petere debitum: secus verò si copulam habuit cum consanguinea suæ vxoris in primo, & secundo gradu. Ratio, quia impedimentum petendi oritur ex affinitate, quæ in copula illicita non extenditur vltra secundum. Et ita declarauit Sacra Congregatio, & ita Nauarrus, Rodriquez apud Petrum Ledesmam *quæst. 55.* & alij apud Sanchez *lib. 9. disp. 67. num. 14.* posse tamen reddere debitum alteri petenti, vt colligitur *in cap. discretionis de eo, qui cognouit cõsanguineam.* Ratio est, quia par non est, vt innocens damnum patiatur ob culpam delinquentis.

An maritus possit petere debitum ab vxore, quando simul susceperunt filium in Baptismo?

BRACTEA L.

R. Posse petere, & reddere vxori petenti. Ratio, quia nullam inter se contrahunt cognationem, & consequenter non priuantur iure petendi, & reddendi. Ita Reginald. *lib. 31. num. 250.* Nugnus *3. part. quæst. 6 pun. 8.* Sanchez *lib. 7. disp. 54. num. 12.* & cum eo plures citati. An verò peccent simul suscipiendo alienum filium? Respondeo iure communi non peccare, alioquin non permitterentur. Ita Nauar. *in manuali cap. 22.* & alij apud Sanchez *loco cit. disp. 57. num. 5.*



An

Quæ ignorantia iuris, vel facti excusat coniugem, qui cum altero cognationem, vel affinitatem contraxit, ne ipse interdicatur debiti petitio?

BRACTEA LI.

SVpponendum, quod alibi dictum est, ignorantiam iuris, vel facti duplicem esse; aliã inuincibilem, & inculpabilem, & aliam vincibilem, seu culpabilem. Quo posito.

R. Ignorantia facti qualiscunque sit, & etiam crassa modo non sit adeò crassa, vt sit ingens temeritas ignorare, vel non sit affectata excusat coniugem, qui affinitatem, vel cognationem spiritualem cum suo coniuge contraxit ne debiti petitione priuetur. Ita plures apud Sanch. *lib. 9. disp. 32. num.* 47.

R. 2. Ignorantia iuris statuentis hanc pęnam priuationis debiti excusat coniugem, qui facti ignarus contraxit affinitatem, vel consanguinitatem ab ipsa incurrenda, & per consequens si ignorauit illam copulam esse specialiter prohibitam, vel contrahere cognationem ex baptismo non contrahit, immunis erit à pęna. Ita Sanchez *loco citato*.

An maritus, qui cum vxore loquitur de defectibus aliorum peccet?

BRACTEA LII.

R. Peccare maritum, qui cum coniuge loquitur de defectibus aliorum, non ad honestum finem, neque causa adhibendi remedij, nisi fortè esset taliter secreta, vt non esse periculum manifestationis iuxta sententiam Caietani 2. 2. *quæst. 73. art. 2. dub.* 1. Reginaldi *lib. 29. num.* 75. Petri Nauarri *lib. 2. cap. 4. num.* 335. & aliorum asserentium non esse peccatum mortale, quia ista manifestatio non videtur grauiter lædere famam; At iuxta opinionem Salonij 2. 2. *quæst. 13. art. 2. controuer.* 1. Bannes *ibidem dub.* 1. Moline *tract. 4. disput. 29. num.* 7. Sot. *in* 4. *quæst. 6. art.* 3. & aliorum apud Bonacinam *de restitut. disput. 2. q. 4. pun. 4. propos.* 1. Ratio, quia talis manifestatio videtur grauiter lædere famam, etiamsi fiat apud vxorem taciturnam.

Sciendum maritum non peccare reuelando crimen occultum filiorum, aut famulorum. Ratio, quia crimen reuelatur ob emendationem, & propter bonum familiæ, & adest iusta causa talis manifestationis.

Et quid si maritus cum ipsa turpia loquatur?

BRACTEA LIII.

R. Non peccare mortaliter, qui cum sua vxore narrat turpia ob solam delectationem quæ præcisè capitur ex narratione absque alia praua intentione, vel absque affectu venereo, sed solum venialiter, quia hæc delectatio remotè solum disponit ad turpia consequenter non videtur mortalis, nisi adsit circunstantia scandali astantium: secus verò dicendum si turpiloquium fiat animo se oblectandi rebus ipsis turpibus narratis, quia tunc est peccatum mortale. Ita plures apud Bonacin. *de matrim. quæst. 4. pun. 9. propos.* 3. & alij.

An quando vterque coniux est adulter, & alter corrigitur, altero in fornicatione persistente liceat coniugi emendato diuortium petere?

BRACTEA LIV.

R. Quod si non emendatus fuit admonitus, vt se corrigeret, & nihilominus noluit se corrigere, sed adhuc in adulterio persistat petere diuortiũ posse. Ratio est, quia monitio illa vim habet reconciliationis, & post illã vnò eorum relabente potest alter facere diuortium, quia vltima mora sibi nocere debet, & proinde censebitur, ac si reconciliatione facta commisisset adulterium. Ita Sanchez *lib. 10. disp. 7. n.* 4. Henriquez *lib. 11. cap. 17. num.* 5. Reginald. *lib. 31. num.* 321. & alij.

Quomodo actus coniugij sit illicitus ratione finis?

BRACTEA LV.

R. Accedere ad vxorem alicuius finis gratia, qui pertineat ad tria bona matrimonij licitum est, vt actus virtutis, vt si quis accedat seruãdæ fidei communicationis indissolubilis, vel liberorum gratia, & ita communiter omnes Doctores, & ideò Augustin. *in lib. de bono coniug.* dicit, quod concubitus coniugalis generandæ prolis gratia non habet culpam. Quomodo autem quis in eo actu coniugali debeat sibi eum finem proponere, vt actum bonum exercere dicatur, requiritur effectus expressò ferri in honestum finem, vt actus ille dicatur esse virtutis, siuè ex generali intentione erga honestatem, vel speciali, aliter tantum erit actus ille virtutis materialiter, & non formaliter.

Quomodo actus coniugalis sit illicitus ratione temporis?

BRACTEA LVI.

DOctores circa hoc varia loquuntur; quidam docent esse culpam læthalem diebus festiuis debitum exigere; ducuntur testimonio D. Augustini *sermone 2. de tempore*; tum, quia sicut in sacro loco petere debitum est mortalis culpa; ergo etiam temporibus sacris; alij docent esse culpam venialem diebus feriatis petere debitum; alii denique admittunt solum esse culpam venialem exigere debitum in præcipuis solemnitatibus, quia tunc actus coniugalis habet aliquid indecentiæ: in cæteris autem festiuitatibus docent solum esse concilium abstinere. Ita Sotus *in 4. dist. 32. quæst. vnica art.* 3. Heriq. *lib. 11. de matrim. cap. 16. num.* 5. & alii apud Sanchez *lib. 9. quæst. 12. num.* 4. His positis.

R. Abstinere à petitione debiti in diebus ob reue-

reuerentiam ab Ecclesia feriatis esse solum cōcilium, ac proinde omni culpa vacare hoc exigere. Ratio, quia nulla explicita, vel implicita prohibitio adest; tum etiam, quia præceptum Diuinum, vel Ecclesiasticum de colendis festis non interdicit petitionem debiti.

Sciendum, Quod si coniux sacramentum sumere velit, accedere sequenti die, suæque obligationi satisfacere illicitus erit concubitus, nō quidem ex necessitate præcepti, sed concilium ex decentia, & congruentia propter immunditiam corporalem, & mentis distractionem, quę ex huiusmodi actu excitari plerunque solet; quantum autem temporis elabi debeat, à debiti solutione vsque ad communionem non potest certò definiri, sed id iuxta vagationem mētis, quam patitur nunc in actu definiendum est; antiquitus etiam abstinebant ab actu coniugii, quando ieiuniis vacandum erat, autem non est amplius in vsu.

Quomodo actus coniugalis sit illicitus ex circunstantia loci?

BRACTEA LVII.

R. Quòd si actus coniugalis fiat in loco publico certum est, esse peccatum ratione scandali, est enim ex se occasio ruinæ aspicientibus.

Sciendum, quod attinet ad locum sacrum, an reddat actum coniugalem illicitum difficilius esse explicatu. Ad quod declarandum dicendum est prius, quid intelligatur nomine loci sacri, deinde, an seclusa iuris prohibitione sit peccatum sacrilegii delictum commissum in loco sacro. Tertiò an ex iuris prohibitione compræhendatur copula ex se licita, qualis est actus matrimonialis. Denique an compræhendatur omnis illicita, an tantum notoria, & publica. Quibus positis.

R. Nomine loci sacri; Primò intelligitur Ecclesia benedicta, aut consecrata; Secundò intelligitur corpus, quod ad ipsum spatium Ecclesiæ spectat, quod diuinis peragendis officiis dicatum, atque benedictum est: vnde si supra tectum Ecclesię peccatum committatur non dicitur fieri in loco sacro, neque si subtus pauimentum Ecclesiæ in spelunca, vel cauerna aliqua dummodo hæc loca non sint deputata, aut diuinis officiis, aut sepeliendis corporibus, ad quæ pateat aditus per Ecclesiam, dicuntur. n. spectātia ad Ecclesię corpus, vt si sit capella aliqua in altiori loco edita, & constituta, in qua fiat sacrum, & ab existentibus in Ecclesia audiatur, vt docet Sanchez *lib. 9. disp. 15. quæst. 3. num. 26. & 27.* Similiter si extra limen Ecclesiæ committatur crimen, non censetur fieri in loco sacro, limen enim diuidit locum sacrum à profano: item neque si in cameris Ecclesię adhærentibus quæ non constituunt vnum corpus cum Ecclesia, neque in campanili, neque in Sacristia neque. n. efficit vnū corpus cū Ecclesia sicut capellæ conficiunt: idem dicendum de choro, quando separatur ab Ecclesię corpore, vt contingit in Ecclesiis Monialium, non verò quando non separatur, siue sit in loco infimo, siue in altiori, vt solet esse in Monasteriorum Ecclesiis; tunc enim censetur locus sacer, quia pertinet ad corpus Ecclesiæ. Tertiò nomine Ecclesiæ intellige illam, etiamsi non sit omninò ædificata, sed incepta, præmissa tamen benedictione Episcopi, quia in eo loco, & sacra peragi, & mortui sepeliri possunt; Quartò intelligi Ecclesias etiam Monasteriorum, & hospitaliū, dicuntur enim loca Religiosa, neque ad vsus prophanos redire possunt. *Cap. ad hæc de Religiosis domibus*, item ad diuina officia, & cultum deputata perpetua sunt, eaque deputatio ab Episcopo facta in hospitalibus locum benedictionis supplet. Azorius *tom. 3. lib. 3. cap. 31 quæsito 4.* In dubio autem præsumitur id esse factum de licentia Episcopi si publicè ibi sacra fiant, adsit campanile in publico loco constitutum, & cū celebrantur diuina omnes sine discrimine admittantur. Quintò censetur etiam locus sacer cemiterium Ecclesiæ benedictum, cum eodem modo, atq; Ecclesia polluatur. *Cap. 1. de consecr. Eccles.* Similiter loca sacra censentur Religiosorum claustra si benedicta sint, quæ diuinis officijs deputata sunt, & sepeliendis mortuis. Corduba *in summa quæst. 11.* Claustri nomine intelligo non atrium exterius serò apertum, sed spatiū, quod est intra parietes, & columnas, nisi fortè illud separatim apertum habeat rationē cemiterii, vt apud Cartusianos contingit; cætera verò loca Religiosorum etiam Oratoria approbata, etiamsi ibi sacra fiant non censentur loca sacra, quoad hunc effectum ex communi sententia, quam sequitur Sanchez *loco cit.*

R. 2. Seclusa iuris prohibitione, & Ecclesiastico iure nullum peccatum in Ecclesia commissum habere specialiter malitiam sacrilegij in confessione aperiendam. Ita Caiet. *2. 2. qu. 99. & tom. 1. opusc. tract. 31* Sotus *lib. 2. de iustit. quæst. 4. art. 4.* Victoria *in summa quæst. 196.* Angles *in floribus quæst. 9. in difficult.* an locus sacer in quolibet peccato speciem mutet, Nauar. *in manuali cap. 6. n. 11.* Gutier. *lib. 1. Canon. quæst. cap. 4. num. 35.* Sanchez *lib. 9. disp. 15. num. 5.* Valentia *2. 2. disp. 6. quæst. 15 pun. 1.* Vasquez *tom. 1. in 1. 2. disp. 98. & alij.* Ratio est, quia non omnia peccata commissa in loco sacro sunt sacrilegia; ergo quod aliqua sint, & aliqua non sint, non potest prouenire, nisi ex lege Ecclesiastica, & patet, quia *furtum* in Ecclesia commissum, est sacrilegium, at mendacium dictum in Ecclesia non est sacrilegium. Similiter dare alapas alicui in Ecclesia, &c. non est sacrilegium, vulnerare autem ita, vt effundatur sanguis sacrilegium est, quod etiam de alijs dicendum est. Consequentia etiam patet, quia si id proueniret ex natura rei per hæc omnia inferetur iniuria loco sacro, & ita omnia essent sacrilegia, & pari etiam ratione essent sacrilegia actus interni mali in Ecclesia; ergo sequitur cum ex natura rei non sint sacrilegia esse iure Ecclesiastico. Tum etiam, quia non omnia, quæ in templo fiunt habent specialem irriuerentiam cum loco sacro, aut cum eius deputatione, aut benedictione, vt optimè Caiet. *2. 2. inquit.* Directè agere contra sanctitatem loci, vt sit sacrilegium in eo consistit, quod est incurrere voluntariè in illud, ad cuius contrarium inest sanctitas loci, quare is tantum dicetur sacrilegium committere in Ecclesia in hac parte; qui factis suis consecrationem Ecclesię, & benedictionem aufert, & Ecclesia aliqua absolutè fieri prohibet, alia verò non nisi in ordine ad violationem loci sacri, vult enim

si fiant

si fiant, Ecclesiam ita pollui, vt sacra fieri in ea non possint, nisi reconcilietur: quare ea, quę hoc modo prohibentur non erunt peccata sacrilegij, nisi quatenus violant Ecclesiam, itaut reconciliatione indigeat; cum ergo sanctificari locum ad hunc, vel illum effectum sit ex lege positiua, & ex illa dependeat, quod in hoc loco sacra fiant, vel non, planè qui non agit contra eum effectum, ad quem sanctificatus est, nō committit sacrilegium contra Ecclesiæ benedictionem, & consecrationem: quare licet peccata in loco sacro commissa maiorem grauitatem habeant in sua malitia specifica, non tamen nouam speciem malitiæ contrahunt, quia illis non aufertur benedictio, & consecratio, itaut non liceat in eo sacra facere, seclusa Ecclesiæ lege, nec prophanari dicetur, solum ergo in illis peccatis erit peccatum sacrilegij, in quibus Ecclesia voluit deferri cultum Deo per immunitatem Ecclesiæ ab illis, & ita ea agere in loco sacro erit illam immunitatem violare: quinque autem constituūtur eiusmodi peccata, quorū primū est effusio seminis; & ideò asserimus secluso iure Ecclesiastico non esse speciale peccatum sacrilegij ex iure naturali.

℞. 3. actum coniugalem non habere specialem malitiam sacrilegij, etiamsi in Ecclesia fiat, licet sit sententia aliquorum, qui sine vlla distinctione docent, actum coniugalem in loco sacro esse peccatum ex circunstantijs loci, & per consequens in Ecclesia non posse aliquem petere, aut reddere debitum sine peccato, quia ab alio actus peti non potest, qui nequit fieri benè, vel malè, sed necessariò malè. Quam sententiam tenet Paludanus *in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 4.* Caiet. *in summa verbo matrim. cap. vlt.* Armilla *verbo debitum num. 6.* Valentia *tom. 4. disp. 10. quæst. 6. pun. 2. §. 7.* & alij; Alij verò cum distinctione respondent, dicunt enim actum coniugalem necessarium vitandæ fornicationis, aut incontinentiæ, vt cum longa obsidione inclusi morantur coniuges in Ecclesia non habere malitiam sacrilegij, neque pollui Ecclesiam, & esse licitum, & cum hac distinctione loquitur Auila *de censuris part. 5. dub. 1. §. secundus casus est,* Victorellus ad librum Toleti *verbo seminis,* Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæsito 13.* Sayrus *lib. 5. de censuris cap. 16. num. 19.* Suarez *tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 8. num. 3.* Ægidius *de sacramentis quæst. 83. art. 3. dub. 1.* Sanchez *disp. 15. num. 7.* & alij. Denique alij docent nullum esse peccatum si coniuges copulētur in loco sacro, neque Ecclesiam violari, siue copulentur in casu necessitatis, siue non. Sic docent Gloss. *in cap. Ecclesijs verbo semina de consecr. dist. 1.* vbi Hugo Laurentius, & Gandulfus *ibidem & in cap. vnic. de consecrat. Ecclesię in 6.* Henriquez *cap. fin. num. 3. de consecrat. Ecclesię.* Rosella *verbo consecrat. 1 num. 9.* Gerson *2. part. in compendio Theologię tract. de sacram. matrim.* Alexander Alensis *2. part. quæst. 147. membro 2.* & alij etiam quos refert Gloss. *in cap. vnico de consecrat. Ecclesiæ in 6.* Em. Sa *verbo Ecclesia num 14.* Ratio est, quia actus maritalis in loco sacro, non habent labem sacrilegij ex naturali, aut Diuino iure, sed tantum ex constitutione Ecclesiastica, quæ statuit nonnullis actibus Ecclesiam violari, & reconciliandam esse, sed nullum ius inuenitur, in quo dicatur, actum maritalem in loco sacro extra casum necessitatis sacrilegium esse; ergo non est vnde dicamus actum maritalem esse sacrilegium in loco sacro.

℞. 4. Ecclesiā nō pollui effusione seminis illicita, nisi delictum sit publicum, vnde si effusio occulta sit, neque polluitur neque speciem habet sacrilegij. Sic Toletus *lib. 5. summæ cap. 8.* Victorellus *in annotat. eiusdem,* Azorius *tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæsit. 13.* Auila *de censur. dub. 3. conclus. 2.* Em. Sa *verbo Ecclesia num. 19.* Graf. *decis. part. 1. cap. 48. num. 26.* Ægidius *de sacram. quæst. 83. art. 3.* Vasquez *disp 98. num. 6.* Ratio est, quia cum ea effusio seminis, ideo tantum sacrilegium sit, quia ex cōstitutione Ecclesiasticā locus sacer illa prophanatur, & tollitur consecratio aut benedictio, fit vt notoria tantum effusio specialē peccatū sacrilegij sit, cum per notoriam solum inferatur irriuerentia, quæ consistit in communi hominum æstimatione sicut, & fama hominum, ideò requiritur, vt notoria sit hæc quasi Ecclesiæ difamatio. Secundò requiri ad Ecclesiæ pollutionem, vt emissio seminis voluntaria sit, quia si non erit voluntaria non prophanatur Ecclesia quamuis non sit necesse, vt effundatur in terra, nam loci sanctitas violatur, etiamsi semen in terram non decidat.

Quando sit illicitus actus coniugalis ex parte modi?

BRACTEA LVIII.

R. Coniunctionem naturalem modo indebito factam esse peccatum mortale quoties interuenit tanta inordinatio, vt sequi non possit generatio. Ita plures citati apud Sanchez *lib. 9. disp. 16. num. 3.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. num. 6.* & apud Azorium *3. part.*

Sciendum coniunctionem naturalem, quæ fit modo indebito multis modis contingere. Primò, quando masculus succumbit fœminæ & fęmina supergreditur. Secundò quando copula fit præposterè, sed in vase naturali. Tertiò, quando fit sedendo, vel etiam stando, & quia generatio raro in prędictis casibus potest impediri raro etiam contingit peccatum mortale, nisi adsit aliqua praua intentio, vel alia circunstantia addens malitiam mortalem. Ita auctores citati, ordinariè tamen est grauissimum peccatum veniale, nisi aliqua iusta causa excuset, qua seclusa grauiter reprehendendi sunt coniuges, quamuis non sit inijciendus scrupulus peccati mortalis, quando non est periculum peccati mortalis. Ita Coninch. *disp. 34. dub. 9. num. 80.* Reginaldus *lib. 31. num. 335.* & alij citati.

℞. 2. Copulam viri cum vxore pręter naturalem esse peccatum mortale. Ratio est, quia coniuges solum habent potestatem ad vsum corporis, qui matrimonio deseruiat, & non alio modo, non ergo omnes tactus licent inter coniuges, & ita neque licebit prefricare pudendum in vase præpostero vxoris, & aliud asserere mera turpitudo est, & habenas laxare libidini. Similiter seminationem extra vas vtriusque, vel alterius coniugis esse peccatum mortale nullo fine excusandum si consultò id accidat. Ratio est, quia est peccatum molitici, quod non licet inter coniuges.

MAL-

MALLEATIO LXI.

De obligatione vxoris circà gubernationem domus, reddendum debitum.

An mulier quæ marito est innobediens peccet?

BRACTEA I.

R. Vxorem debere amorem, honorem, & reuerentiam exhibere marito in his, in quibus viro subiecta est. Ratio est, qa vir est caput mulieris, & superior, superiori autem, & capiti quilibet debet amorem, honorem, & reuerentiam in his, in quibus subiectus est. Ita Nauar. *cap.14.num.20.* Reginald. *lib.20.num.44.& 45.* Toletus *lib.4. cap.2.* Clauis Regia *lib. 7. cap.7. num.10.* Molfesius *tract.11.num.99.& 100.*

R. 2. Mulierem grauiter peccare dum notabiliter inobediens est marito, circa ea, quæ pertinent ad bonos mores, & familiæ gubernationem, quia in his viro subiecta est. Bonacina *de legibus disp.6.quæst.vnica pun.7.num.11.*

Sciendum vxorem grauiter peccare, dum maritum rixis, aut verbis in graueni iram, aut ad blasphemiam prouocat. Ratio, quia tunc censetur facere contra reuerentiam debitam marito. Ita Nauar. & Reginald. *locis citatis.*

An vxor marito pauperi teneatur alimenta præstare?

BRACTEA II.

R. Teneri, & grauiter peccare ea non præstando. Ratio est, quia vxor diues, casus ipsius mariti fortuitos ferre debet, *l. si cum dotem §. si marit. ff. solut. matrim.* alioquin virum diligere non dicetur, si ipsi pauperi alimenta non præstaret. Ita Surdus *de alimentis tit.1. quæst.35. & 36.* Pontius de *aliment. cap.14.*

An mortuo marito vxor teneatur ex bonis dotalibus soluere debita, quæ maritus contraxit ad sustentationem ipsius, & familiæ?

BRACTEA III.

PRima sententia est Surdi *de alimentis tit.8. priuilegio 48.nu.1.* Iasonij *si cum seruum ff. si certum petatur,* Purpurati *ibidem num.5.* Barbosæ *l. circumstante 25.nu.52.ff. soluto matrim.* & aliorum apud Sanchez *lib. 9. disp.4. num.25.* qui opinantur, si maritus erat diues dum contraxit debita, tunc vxorem non teneri ad debita persoluenda, quia tunc receperunt, quod sibi debitum erat; si verò erat pauper, tunc vxorem teneri ipsius debita persoluere, si non supersint bona marito, quia æs alienum contractum censetur verè debitum ipsius vxoris, & subinde astringi illud soluere; tum quis is, in cuius vtilitatem debitum conuersum est, tenetur in defectum recipientis, qui non est soluendo ad restitutionem, vt constat ex pluribus citatis à Bonacina *de legibus disp.6. quæst. vnica pun.7. propos.2. num.13.*

Secunda sententia est Molinæ *tom. 2. de iustit. disput.435.* Reginaldus *lib.31 num.306.* Sanchez *loco citato num. 29.* & aliorum apud ipsum existimantium vxorem non teneri ad debita mariti ex sua dote, etiamsi debita sint contracta ad sustentationem ipsius, & familiæ; tum quia vxor non se obligauit cum creditoribus mariti; tum quia actio personalis ex mutuo, competit solùm creditori aduersus eum, cui data est mutua pecunia, non verò aduersus eos, in quorum mutuatarius fauorem, seu vtilitatem expendit pecuniam, & si vxor recepit à marito pecunia mutuata alimenta non censetur alienum recepisse, sed quod illi à marito iure debebatur, quia maritus dominus erat illius pecuniæ, & in fauorem vxoris potest illam expendere, ex quo sequitur vestes, aut alimenta, quæ maritus emit ex pecunia mutua accepta, & vxori tradidit, non esse obnoxia restitutioni, etiamsi actu extent apud vxorem; nam creditorem nullam habent actionem contra res mutuata pecunia emptas, sed solùm actionem personalem aduersus mutuatarium. Quibus positis.

R. Si maritus contraxit debita, non solùm nomine proprio, sed vxoris, etiam ipsa consentiente, tunc quando maritus non est soluendus ipsa de suo soluere debet. Ratio, quia censetur debitum, etiam proprium, & in defectum mariti soluere debet; secus autem non. Secundò iuxta Sanchez; si vxor iussa à marito traderet creditoribus cētum, quæ ipsi ad hoc dedit, at vxor expendisset in familiæ sustentationem, & vir postea non esset soluendus, tunc ipsa de suo teneretur soluere, quia dedit causam, ne à creditoribus debitum recuperaretur. Ita Sanchez *lib.9. disput.4.* Lopez *1.par. cap.161.§. qualis autem.*

An vxor, quæ aliquid à primo marito accepit transeundo ad secundas nuptias, teneatur illud reseruare filijs primi mariti?

BRACTEA IV.

R. Vxorem, quæ aliquid à primo marito accepit titulo lucratiuo teneri illud filijs primi mariti reseruare, & inter ipsos æqualiter diuidere. Sic decernitur *l. femina C. de secund. nup.* & Auth. *de test.* & Auth. *in donat. Cod. eod. tit.* Quæ verò accepit titulo oneroso, tenetur ad suum libitum dare, cui voluerit. Ratio, quia illius rei censetur habere dominium absolutum.

Sciendum non obligari filijs primi mariti relinquere ea, quæ accepit ab extraneo, etiamsi illa intuitu mariti acceperit. Ratio, quia earum rerum absolutè dominium habet. Secundò matrem teneri relinquere filijs primi mariti aras, quas à primo marito accepit, quia videntur datę titulo lucratiuo, cum voluntariè fuerint datę. Ita plur. apud Bonac. *de legib. disp.6. q. vn. pun.7. n.15.*

Sciendum 2. Vxorem mortuo marito posse disponere de rebus, quæ ei absolutè traditæ fuerunt, etiamsi datæ sint à consanguineis viri. Ita Em. Sà *verbo donatio n.15.* Si verò dubitetur, an fuerint absolutè traditæ, dicendum est præsumi contemplatione mariti traditæ, & non absolutè, non vt acquirantur ei, sed ipsi viro, vt

docent

docent multi apud Sanchez *lib.6. de matrim.disp.16.num.11.*

An vxor peccet accipiendo ex bonis, quorum maritus habet administrationem?

BRACTEA V.

PRo maiori intelligentia sciendum bona cõiugum esse triplicis generis, alia sunt propria mariti, quæ ipse possidet, vt sunt bona, quæ acquisiuit hæreditate, industria, & proprio labore, nihil conferente vxore, alia sunt propria vxoris, vt dos, & bona paraphrenalia, licet sit differẽtia inter dotem, & paraphrenalia, quod administratio, & vsusfructus dotis semper pertinet ad maritum, dominium verò, & administratio paraphrenalium pertinet ad vxorem, nisi ipsa committat viro administrationem. Nauarrus *cap.17.num.251.* Graphius *1.par.lib.2.cap.6.* Molina *de contract.disput.274. num. 7.* Bona communia sunt, quæ accipiunt coniuges ex fructibus dotis, & ararum, quorum administratio, sicut & vsusfructus pertinet ad maritum. Quibus positis.

R. Vxorem accipientem notabilem quantitatem de bonis, quorum maritus habet administrationem peccare peccato furti, & teneri ad restitutionẽ, nisi hoc faciat ex præsumpta saltem voluntate mariti. Ratio, quia censetur accipere rem alienam inuito Domino; licet ad faciendum peccatum mortale maior quantitas requiratur in furto respectu vxoris, quam respectu alterius personæ.

Sciendum 2. Non peccare vxorem donando de bonis, quorum ipsa habet administrationẽ. Ratio, quia non accipit rem alienam inuito Domino, sed dat aliquid, cuius ipsa habet dominium, & in quo non est subiecta marito. Si verò aliquid donet ex bonis communibus peccare. Ratio, quia sibi vsurpat administrationem rei, quæ ad ipsam non pertinet, ex quibus sequitur vxorem posse ex rebus paraphrenalibus dare pro suo libito, cui voluerit insciente marito, cum ad ipsum non spectet eorum dominium, & administratio, non verò posse alteri donare dotem, vel fructus dotales, cum horum administratio, & vsusfructus pertineat ad virum.

R. 2. Vxorem, quæ attulit dotem competentem, ad sui sustentationem posse sibi retinere, quæ acquirit ex aliqua arte, vt nendo, texendo, &c. & ea donare cui voluerit. Ratio, quia quamuis vxor teneatur ad gubernationẽ domus, non tamen tenetur laborare pro sustentatione familiæ, cum ad ipsam non pertineat suam familiam sustentare; quod tamen limitandum est, nisi familia indigeret, quia tunc ordine charitatis subueniendum prius est domesticis. Nauarrus *cap.14.num.154.* Secundo, nisi ex mutuo consensu, vel statu lucra essent communia, & administratio esset reseruata viro.



An vxor viuente marito possit facere eleemosynam?

BRACTEA VI.

R. Viuente marito posse elargiri, quę mulieres sui status, & conditionis elargiri consueuerunt tàm ad eleemosynam, quàm ad honestam recreationem, &c. Ratio, quia maritus tenetur præbere vxori non solùm ea, quę pertinent ad conuenientem sustentationem, sed etiam tenetur ea præbere, quæ pertinent ad honestas recreationes moderatas eleemosynas, & consequenter vxor non peccat accipiendo aliquid ex bonis mariti ad id faciendum, etiamsi maritus videatur inuitus, quia irrationabiliter erit.

Sciendum in pluribus alijs casibus etiam posse vxorem ex bonis mariti accipere. Primus est, vt subueniat laboranti in extrema necessitate. Secundus, quando pater, vel mater, vel filij ex priore matrimonio sunt in necessitate, quia tũc vxor, quæ non habet bona paraphrenalia ex bonis mariti potest eorum necessitatem subleuare, non solùm in necessarijs vitæ, sed etiam status, petita tamen prius licentia à viro, & si maritus deneget, & alia via non possit illum compellere ad consentiendum, potest illis subuenire ex dote, vel eius fructibus, quia filia tenetur parentes in extrema necessitate alere, licet postea obligetur in suam partem, & dotem ea, quæ tradidit parentibus conferre. Tertius ad euitandum ingens viri damnum spirituale, & temporale. Quartus, quando ei assignatur à viro certa portio pecuniæ ad victum, tunc de eo, quod superest, vel quod sibi subtrahit, potest alijs subuenire. Ita Doctores citandi. Quintus, de suis bonis paraphrenalibus etiam repugnante viro potest alijs dare, vt suprà dictum est. Sextus quando vxori relicta est administratio, & dispensatio bonorum, vel quia maritus est absens, vel ægrotus, vel amens, vel alijs de causis. Ita Nauarrus *cap.17.num.155.* Siluester *verbo eleemosyna quæst.5.§.5.* Paludanus *in 4. dist.15.quæst.3.* Molina *disput. 174.* Petrus Nauarrus *lib. 3. cap.1. num.155.* Lessius *lib.2.cap.12.dub.14.* Clauis regia *lib. 9.cap.16.* & alij. Septimus potest vxor accipere pro necessarijs sibi, & familiæ, vt pro veste, victu, & medicamentis, quia hæc non possunt à marito denegari, & quando denegantur, potest vxor accipere de bonis mariti, & sibi, & familię prouidere. Ita Auctores citati.

An vxor teneatur dotare filias?

BRACTEA VII.

R. Vxorem per se non teneri dotem filiæ cõstituere. Ratio, quia hoc censetur munus proprium patris, & onus ipsi à iure impositum. *leg.neque mater Cod.de iure dotium, leg. si pater,* & Authentica *res, quę Cod.de dot.promiss.* Si verò filia indigeat, nec aliunde dotem habere possit, tunc eius mater tenetur illi dotem constituere. Ratio, quia sicut mater filiæ indigenti tenetur alimenta præstare, ita etiam tenetur dotem, quæ vicem alimentorum gerit assignare, & tradere. Ita Molina *disp.424.* Surdus *cons.393.* Molphes. *par.6.quæst.4.* & alij.

An

An uxor possit cum alio contrahere matrimonium, quando eius maritus abest per multos annos?

BRACTEA VIII.

R. Ad hoc, vt vxor possit cum alio contrahere debere habere certitudinem moralem de morte viri quanta iudicio prudentum sufficit ad credendum virum esse mortuum. Ratio, quia nisi adsit tanta certitudo vxor exponeret se periculo adulterij, cum fieri possit, vt eius vir sit viuus. Ita Auctores citandi.

Sciendum vxorem non posse cum alio matrimonium contrahere ex eo, quod vir eius abfuit per multos annos, quia certitudo moralis non habetur per absentiam multorum annorũ, sicut nec habetur per solam famam, cum fama soleat oriri ex auctore incerto, & plerunque fallaci, nisi fortè existant talia indicia, vt nullus dubitãdi locus relinquatur de morte illius. Ita Sanchez *lib.2.de matrim.disput.46.* Siluester *verbo matrim.8.quæsito* 13. Nauarrus *cap.22. num.53.* Gutier. *cap.51.num.3.* Rodriquez *cap.233.* Valentia *tom.4.disput.10.quæst.2.num.2.* & alij; posse autem cum alio matrimonium contrahere, quando fama sit, virum ipsius ingressum esse prælium, & non amplius comparuisse, & fama est ipsum perijsse, aut quando per litteras eorum, quo prælio interfuerunt, acceptum est ipsum esse mortuum. Ita Henriquez *lib.10.cap.6.num.3.* & alij. Relinquendum est iudicio prudentis viri iudicare in casibus particularibus, an adsit certitudo moralis, & coniecturę sufficientes ad contrahendum nouum matrimonium. Ita Couaruu. *in epitome cap.7.§.3.* & alij.

Sciẽdum mortem viri non satis probari per vnum testem, sicut nec vnus testis sufficit in causis pecuniarijs, ita neque sufficit in causa secundi matrimonij, nisi fortè adsint aliæ coniecturæ, vel nisi vir mortuus sit in loco ita distãte, vt non facilè possint haberi aliæ probationes, licet vxor certa de morte mariti secluso scandalo, quamuis eius mortem probare non possit, vt accidit, quando ipsa sola fuit præsens morti sui mariti, possit in foro conscientiæ denuò contrahere. Ita Rebellus *2.par.lib.3.quæst.13.* Gutier. *de matrim.cap.51.* & alij. Ratio, quia tunc cessat periculum adulterij.

An uxor, quæ contraxit matrimonium cum secundo, credens priorem virum mortuum esse, teneatur recedere à secundo, postquam cognouit priorem virum esse superstitem?

BRACTEA IX.

R. Affirmatiuè. Ratio est, quia alioquin exponit se periculo adulterij, & peccandi mortaliter petendo, vel reddẽdo debitum post huiusmodi notitiam. Ratio, quia secundum matrimonium est inualidum. Canon. *si virgo 34. quæst.2.* Si verò non certò nouit priorem virum superstitem esse, sed tantummodo dubitat, non potest existente dubio petere debitum. *Cap. inquisit. de sentent. excommunicat.* alioquin exponit se periculo adulterij, tenetur tamen alteri coniugi petenti reddere perseuerante dubio, nam alter coniux habet ius petendi, nec tenetur credere coniugi dubitanti inualidum esse matrimonium, nisi dubitans ita probet propter indicia, & probationes, quas affert, vt alter teneatur credere, vel dubitare, si nequeat deponere dubium. Ita Valentia *tom.4.disput.10.quæst.2.pun.2.* Sanchez *lib.2.disp.41.* Henriquez *lib.11.cap.15.num.13.* Nauar. *cap.22.num.53.* & alij.

An uxor teneatur credere viro dicenti se fictè consensisse in contractu matrimonij, vel habere impedimentum dirimens?

BRACTEA X.

R. Non teneri regulariter, etiamsi vir assertum confirmet iuramento. Ratio, quia credere magis debet mentiri asserendo hoc, quam mentitum fuisse in contractu principali, nimirum in celebratione matrimonij. Nam *cap. tuæ de potest.* dicitur *valdè indignum est, vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare.* Ita Nauarrus *cap.22. num.82.* Em. Sà *verbo debit.* Sanchez *lib.2.disput. 42.* Valentia *tom. 4. disput. 10. quæst.6.pun.2.* Speculum *3.part. art. 13.* Henriquez *lib. 11. cap. 12. num. 3.* & alij.

Sciendum, quod aliquando possunt esse coniecturæ tales, & indicia, quibus teneatur credere, consequenter non possit reddere, vel petere debitum. Ita Nauarrus, Speculum, Henriquez *locis citatis*, & Ledesma *quæst.4.* Gutier. *de matrim.cap.49.num.37.* & alij.

An uxor teneatur reddere debitum viro petenti illicitè?

BRACTEA XI.

Sciendum dupliciter posse virum petere debitum illicitè. Primò, propter aliquam circunstantiam tenentem se ex parte ipsius petentis, vt quando habet votum castitatis, vel quãdo petit animo fornicario; vel etiam alio prauo fine. Secundò, propter circunstantiam se tenentem ex parte actus, vt quando petit debitum in Ecclesia, aut in loco publico, aut cum periculo impediendi generationem, aut mortis fętus.

R. Vxorem teneri reddere debitum viro petenti illicitè ob solam circunstantiam personę. Ita Sanchez *lib.9.disput.6.num.12.* Rodriquez *cap.90.* Rebellus *2.par.lib.3.quæst.17.art.3.num.10.* Coninchus *disput.34.dubit.4.num.28.* Couaruu. *3. par. epitome cap.3.nu.6.* Henriquez *lib.11.cap.15.* & alij. Ratio est, quia petens cum tali circunstantia tenente se ex parte personę non amisit ius petendi, quãuis illicitè petat, tamen iustè; ergo alter tenętur reddere; tum etiam quia sicut vir non priuatur ob talem circunstantiam iure petendi, ita vxor denegaret iniustè, & faceret contra ius petentis, si denegaret debitum; ergo ne priuet ipsum suo iure, tenetur reddere debitum petenti.

R.2. Vxorem non teneri reddere debitum viro petenti illicitè per circunstantiam actus. Ratio, quia talis circunstantia facit actum illicitum,

citum, & iniustum, cum sit adnexa actui, & quilibet se tenetur cauere ab actu illicito, & iniusto, vt supra dictum est. Ita communiter omnes.

An vxor, quæ audiuit à Parocho, vel ab alio adesse impedimentum dirimens teneatur abstinere à reddendo, vel petendo debitum?

BRACTEA XII.

R. Primò non teneri credere asserenti adesse impedimentum, si vnus tantum ita testetur. Ratio est, quia licet dictum vnicus fide digni sufficiat, vt iustè credere possit, tamen vni tantum necessariò non creditur, sed duobus fide dignis credendum est. *Cap. cum à nobis de testib.* Verùm si vxor audiuit adesse impedimentum ab vno ante contractum matrimonium debet abstinere à matrimonio contrahendo, ne se exponat periculo fornicationis, & inualidè contrahendi; si verò iam contraxit, tenetur dubitare de validitate matrimonij, consequenter non potest petere, donec adhibuerit diligentiam ad sciendam veritatem; si verò non audiuit à fide digno, potest petere, quia qui non est fide dignus, non exhibet sufficienter rationem dubitandi. Ita Nauarrus *cap.22.num.82.* Gutier. *cap.49.num.23.* Henriquez *loco cit. num. 13.* Sanchez *lib.2.disp.46.qu.3.* & alij.

An vxor, quæ occidit proprium virum, possit alium ducere?

BRACTEA XIII.

NEgatiuè respondent Nauarrus *cap. 22. num. 74.* Paludanus *in 4. dist. 34* Henriquez *lib.12. cap.2.* Perez *§. vxoricidium*, Rebellus *lib.3. quæst.18. nu. 5.* Gutier. *de matrim. cap.88. num 4.* & alij.

R. Homicidium viri commissum ab vxore nō esse impedimentum impediens, aut dirimens. Ratio, quia textus iuris Canonici hoc impedimentum statuentis de solo vxoricidio loquuntur, non autem de viricidio patrato; vnde ad virorum audaciam imprimendam ius Canonicum pœnam hanc statuit viro interficienti vxorem, non autem vxori virum necanti. Ita Sanchez *lib.7. disput.16 num.6.* Speculum *1. par. art.24. conclus.* vbi plures refert Doctores, Toletus *lib. 7 cap.15.* & alij.

An vxor teneatur sequi virum?

BRACTEA XIV.

R. Teneri vxorem sequi virum mutantem domicilium, dummodo non extet pactum in contrarium. *Cap. vnaquæque 13. quæst.2.* Si verò extet causa rationabilis, & iusta non sequendi virum, tunc vxor non tenetur illum sequi, vt quando non potest illum sequi absque notabili periculo, aut damno animæ, vel corporis, aut quando habet iustam causam faciendi diuortium quoad torum, & habitationem, aut quando timet infectionem lepræ, vel alterius contagiosi morbi cohabitando. Ratio, quia coniuges non tenentur cohabitare cum tanto incommodo. Ita Em. Sà *verbo diuort.* Nauarrus *cap.16. num 21.* Sanchez *lib. 9 disput. 4. num. 11.* Valentia *tom.4. disp.10. quæst.5. pun.3.* & alij.

R. 2. Vxorem posse fugere à marito, si ab ipso dure tractetur, & admonitus non vult desistere. Ratio, quia non tenetur cohabitare cum damno suo; secus autem si moderatè castigetur. Ratio, quia permissum est viro vxorem corrigere, ac moderatè castigare. *leg. res iudicata ff. solut. matrim.* cum oporteat ipsam comiter tractare; talis enim esse debet inter eos societas, qualis inter patrem, & filium, non autem inter mancipium, & Dominum. Ita Sanchez *loco citato num.22.*

An vxor, quæ habet pecuniam ex adulterio, debeat eam restituere viro?

BRACTEA XV.

AFfirmatiuam sententiam tenent multi Doctores asserentes talem pecuniam marito restituẽdam, ac si aliter laborando eam acquisierit. Ratio, quia peccatum non debet delinquenti patrocinari, & in aliorum damnum vergere. Ita Petrus Nauarrus *lib.3 de restitut. num.136.* Molina *de iustit. tom.1. tract.2. disput 94.* Bannes *in 2. 2. quæst.62. art 5 dub.5.* Reginaldus *tom.1 lib.10. cap.13. num.193.* Ratio eorum est, quia maritus est dominus corporis vxoris suæ quoad actus coniugales, volunt tamen occultè esse restituendam, vt propriæ famæ consulat, & alia mala vitentur tamen.

R. Non esse restituendam maritò. Ratio, quia nullum habet ius in rebus illicitè acquisitis ab vxore, sicut nec pater in illicitè acquisitis à filio. Ad argumentum eorum respondeo maritum esse dominū corporis vxoris quoad actus licitos, non autem quoad illicitos; vnde vxor non tenetur restituere marito, quæ acquisiuit adulterando, licet illi faciat iniuriam. Ita Graphius *tom.1. consilior. lib. 3. de furtis consi.2.* Bonacina *de contract. disp.1. quæst.3 pun.3 num.12.* Diana *tract.17. Miscel. resolut.7.* & alij.

An vxor, quando consumit bona mariti in fraudem creditorum, teneatur aliquid restituere?

BRACTEA XVI.

R. Vxorem quæ consumit res, quarum maritus habet dominium teneri ad restitutionem si hoc faciat in fraudem creditorum: secus si non plus insumat, quam ipsi à marito debitum sit, quia sic etiam ipsa censetur creditrix, cum maritus teneatur illam congruè sustentare iuxta qualitatem personæ, & quantitatem dotis, & ipsa habet ius prælationis si dotem attulit. Ita Molina *disp.330. num.6.* Nauar. *cap.17. num.268.* Rebell. *lib.8. qu.16. num 12.* Vasquez *de restit. cap.11. dub.3. num.79* & alij apud Bonacin. *de contract. disp.1. qu.8. pun.2. num.32.*

An vxor in adulterio depræhensa possit occidi à viro?

BRACTEA XVII.

R. Ante sententiã Iudicis nõ licere occidere marito suam vxorem in adulterio depræhensam, licet si fiat, vt dictum est supra impunè permittatur à iure ob nimium dolorem, quæ lacessitus hæc facit, peccare tamen in conscientia occidendo ipsam ante Iudicis sententiam, & inaudita parte. Ita plures Doctores apud Bonacin. *disp.2.quæst.vlt. pun.2.n.5.*

Sciendum maritum non posse occidere vxorem volentem adulterari, licet aliter non possit euitare tantam infamiam. Ratio, quia solum licitum est occidere aggressorem ad rem suam, tuendã sed potius illam destruit; tũ etiã, qa aliter potest præcauere infamiam, nimirũ ipsam verberando, aut etiam expellendo adulterum, aut etiam, quando pluries tentauit vxorem ad adulterium. Ita Lessius *lib.2.cap.4.nu.89. dub.13.* & alij.

Sciendum 2. Dubium esse an vxor possit occidere maritum, qui parauit pugionem, vel venenum ad ipsam occidendam.

R.2. Licitum esse occidere maritum, quando iam collocauit pugionem sub ceruicali ad eius necem, aut parauit venenum, vel quid simile, modo non sit alia spes euadendi ex eius manibus. Ita Nauar. *cap.15. num.5.* Rodriquez 1. *part. cap.136. num.1.* Lessius *lib.2.cap.9.dub.8.num.4.* Molina *disp.4.num.1.* & alij. Ratio, quia vim censetur inferre, qui moraliter cępit actum aggressionis, & vim vi repellere licet; tum etiam, quia licet illum occidere, qui moraliter incepit actum aggressionis in ordine ad mortem; maritus autem, qui prçparauit pugionem sub ceruicali, aut venenum, censetur iam actum aggressionis incepisse; ergo licitum est vxori ipsum occidere ad defendẽdam propriam vitam. Ita suprà citati; non posse tamen vxorem occidere maritum conscium adulterij, si maritus nondum se præparauit ad illam occidendam, quamuis adultera timeat sibi necem à marito inferendam. Ita Bannes *2.2. quæst.64.art.7.dub.4. conclus.5.* & alij.

An vxor reddendo debitum viro incestuoso ante dispensationem peccet?

BRACTEA XVIII.

R. Probabiliter sustineri posse non peccare reddendo debitum ante dispensationem, quia non cooperatur peccato alterius, cũ reddendo debitũ nõ cooperetur petitioni; sed hac supposita cooperatur actui licito. Ita Filiucius *tom.1.tract.10.cap.9.num.309.* nisi probabiliter existimaret virum habuisse rem cum consanguinea ipsius, & per consequens adesse impedimentum ad reddendum.

An vxor teneatur aliqua obsequia impendere viro?

BRACTEA XIX.

R. Non teneri vxorem ad obsequia vilia, sed ad ea solum, quę iuxta suam dignitatem ac conditionem non dedecent; quare si vilia præstet erunt digna remuneratione. Ita Sanchez *lib.6.disp 6 num.14.* quæ tamen intelligenda sunt, nisi redacti essent ad paupertatem, vt famulam conducere nequirent, quia tunc ratione necessitatis ad ea teneretur. Sanchez *loco cit.* Secus si aliqua obsequia præstat, potest vti compensatione.

An vxor possit potum sterilitatis accipere, quia filijs abundat, aut in partu soleat periclitari?

BRACTEA XX.

R. Nam licere vxori potum sterilitatis accipere, cum nullo bono fine honestari possit, cum data opera impediatur semen à suo naturali in fine generationis, & parum distat ab effusione seminis extra vas. Ita D.Tho. *in 4.dist.31.* Caiet. *2.2.quæst.154. art.1.* Tabiena *verb. matrim.* Angelus *verbo debitum num.27.* Nauar. *in sum.cap.16.* Margarita *Confessor. 6. precept.* Petrus de Ledesma *quæst.49. a3t.6.dub.2.* Philiarcus *de officio Sacerdotum tom.1.par.2.lib.4.cap.19.* §.5. Sanchez *lib.9. disp.20. num. 2.* & alij. Ratio, quia contra naturam agunt impediendo binem generationis.

An vxor ratione impotentiæ separata à viro, quæ sententia depræhensa est falsa viro iam professo, vel sacris initiato possit repetere ipsum?

BRACATEA XXI.

R. Per illam sententiam matrimonium non fuisse dissolutum, & virum esse restituendum vxori ipsum repetenti. Ita Sanch. *lib.7.disp.99.num.39.* & cum eo plures ab eo citati. Ratio. quia matrimonium est validum, & vir non potest ingredi Religionem, nisi de cõsensu vxoris, & si ingrediatur ipsa non consentiente, inualidè profitetur, & ad ipsam redire tenetur. Henriquez *lib.11.de matrim. cap.8.* limitat hanc doctrinam, primò nisi vxor fornicata esset, quia tunc ratione fornicationis vir posset illam repellere. Secundò, nisi ex maleficio esset impedimentum, & trãsacto triennio, & alijs diligentijs præmissis facta esset matrimonij dissolutio, quia tunc licet experientia constet maleficium iam cessasse, non restituitur vir in sacris constitutus vxori repetenti, licet hæc limitatio displiceat Sanchez *loco cit.*

An

An vxor quæ voto emisso dedit licentiam marito, vt promoueretur ad Ordines, possit eo mortuo validè matrimonium contrahere?

BRACTEA XXII.

Affirmatiuam sententiam tuentur multi, & inter alios Sotus *lib.7. de iustit. qu 5. art.3.* & ratio, quia cum votum emissum sit simplex impedit, sed non dirimit subsequens matrimoniũ, & per consequens ipsam non reddi inhabilem ad matrimonium ineundum post viri obitum, sed solum eam peccare contra votum.

Negatiuam sententiam tuetur Sanchez *lib.7. disp.40. num.2.* & cum eo citati ab ipso, matrimonium fore irritum, discrepant tamen in huius reddenda ratione, quia quidam id euenire dicunt, quod vir, & vxor actiones communicent, atque subinde ex solemni voto tacitè emisso in sacri Ordinis susceptione redundat per actionum communicationem, vt vxoris votum simplex efficiatur solemne. Et ita docent plures citati apud Sanchez *loco cit.*

R. Legitimam rationem cur vxor mortuo marito non possit validè transire ad alias nuptias non esse votum simplex vxoris effici solemne per actionum communicationem, sed quia Ecclesiastica constitutio, ob reuerentiam Ordinis assumpti à viro ex licentia vxoris vouentis castitatem, reddidit eam ad subsequens matrimonium inhabilem. Et ita Sanchez *loco citato*.

Et quid si licentia vxoris esset ficta, aut metu, vel dolo extorta?

BRACTEA XXIII.

Aliqui respondent non posse vxorem reuocare virum, sed censeri vouisse castitatem, quia cum potuerit reclamare, & tacuit censetur per illam taciturnitatem vouere castitatem, & ad ea efficienda se adstringere, quæ ius facienda præcipit. Sed

R. Nullum ex eà dissimulatione vxori præiudicium generari, sed ius suum virum repetendi illæsum manere, quia ad rem tam arduam iura non contenta sunt vxoris dissimulatione, quæ varias interpretationes patitur, nec signum apertum est licentiæ, quia sola dissimulatio in tali casu non reputatur consensus.

R.2. Quando licentia fuit metu cadẽte in cõstantem virum, aut dolo extorta nullum afferre præiudicium vxori quin possit repetere virum. Ratio, quia vt vxor suo iure priuetur licentia debet esse spontanea, & si fuerit metu, vel dolo extorta non aufertur vxoris ius reuocandi suum virum. Et ita docent Siluester *verb. diuort. quæst.17.* & alij.

Sciendum, Quod si mulier non voueat castitatem, sed tantum licentiam concedat, vt vir Religionem ingrediatur, vel promoueatur ad ordines sacros, quamuis nullum votum emiserit castitatis reddit tamen inhabile ad aliud matrimonium. Et ita Sanchez *lib.7. disp.41 n.6.* adducens textus, & plures rationes, licet ignorauerit ius reddẽs eam inhabilem, cum ad hoc impedimentum dirimens non desideretur scientia iuris, cum id non proueniat ex voluntate vxoris, eiusque voto, sed ex iure Ecclesiastico, & in cæteris impedimentis ea scientia non desideratur. Ita plures apud Sanchez *loco cit.*

An absque vxoris licentia vir possit ad Ordines promoueri?

BRACTEA XXIV.

R. Negatiuè, nec ante, nec post matrimonium cõsumatum, quamuis haberet animum statim transeundi ad Religionem, & patet ab extrauaganti antiqua *Ioannis 21.* quia iura non sunt contenta solo animo viri ingrediendi Religionem, sed præstant aliquas conditiones, & qui solo eo animo ordinetur, faceret contra ius prohibens. Et ita sustinent Petrus de Ledesma *de matrim. quæst.53. art.4 dub 1.* Manuel *1. tom sum. cap 224* Vega *2. tom. cap. sum. cap.34. casu 48.* Sanchez *lib.7. disp.38 num.5.*

Sciendum de Pontificis licentia posse virum absque consensu vxoris ad ordines promoueri etiam post matrimonium consumatum. Ratio quia sola continentia ordini sacro annexa obstaculum est promotioni coniugati ad ordines: at cum illa non sit de iure Diuino, sed Ecclesiastico, potest Pontifex in ea dispensare; & per consequens potest coniugatus de licentia Pontificis ad Ordines promoueri, nec vxori fieret iniuria cum non priuaretur iure petendi, & reddendi debitum. Ita Sanchez *loco cit.*

Sciendum 2. Dubium esse, an vxor viro promoto ad ordines absque eius spontanea licentia, & sibi restituto petenti debitum teneatur reddere? Ad quod affirmatiuè respondent aliqui ex discipulis D. Thomæ. Ratio, quia per promotionem viri absque licentia vxoris ipsa non censetur amisisse ius, quod habebat petendi, & reddendi, licet vir reddendo peccet contra Religionem. Sed

R. Non teneri, quoniam vir non solum castitatis votum emisit, sed validè mutauit statum, ac proinde visus est omninò, & plenè iure suo exigendi cedere. Et ita D. Thom. *in 4. dist 37. qu 1. art.2.* Henriquez *lib.11 de matrim. cap 5. num.10.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst.53 art.4.* Azorius *lib.13. cap.14. quæst 1.* Sanchez *loco cit.* & cum eo plures alij citati ab ipso.

An vxor possit recedere à marito, qui est fur incorrigibilis?

BRACTEA XXV.

R. Posse vxorem recedere à marito, qui est fur incorrigibilis si probabiliter timeat aliquod damnum per ministros iustitiæ inferẽdum, & habeatur tanquam consentiens, & receptatrix furtorum *l. 2. C. de furtis*. Ratio, quia cum tanto suo detrimento non tenetur cum illo habitare. Ita Paludanus *in 4. dist 32. quæst.1. art.2. num.17. & dist.39. quæst. vnica art 3 nu.14.* D. Antoninus *3. part. tit.1. c.20. §.10. casu 1.* Nauar. *in sum. cap.28.* Sanchez *lib.10. disp.18 num.21.* Secus verò si ex cohabitatione vxor nullum timeat pericu-

lum, quia tunc non potest à viro recedere, etiã si vir admonitus nollet à furtis abstinere. Ita D. Antonin. *3. part. tit. 1. cap. 21. §. 4.* Nauar. *in sum. cap. 22. num. 22.* Em. Sà *verbo diuor. num. 5.*

An vxor habens votum Castitatis possit petere, & reddere debitum?

BRACTEA XXVI

R. Vxorem habentem votum castitatis prima vice reddendo peccare, cæteris autem vicibus non amplius peccare. Ratio, quia ante consumationem potest illud votum implere ingrediendo Religionem, quam potestatem sibi adimit consumando matrimonium. Ita plures citati à Sanchez *lib. 9. qu. 34. num. 2.* tum quia reddendo copulam maritalem reddet se inhabilem ad votum castitatis seruandum.

Sciendum non posse, vxorem habentem votum castitatis petere debitum. Ratio, quia votum castitatis excludit obligationem præcepti negatiui, quia per illud vouens astringitur ad abstinendum ab omni actu venereo; ergo obligat semper, & ad semper, ac proinde licet inito matrimonio teneatur vouens reddere ratione vinculi fortioris, at non poterit petere debitum, cum id liberum ei sit, nec ad id lex matrimonij astringat. Ita Sanchez *loco cit. quæst. 33. num. 5.* vbi plures adducit rationes, & plures citat Doctores.

Et quid de vxore, quæ vouit virginitatem ante contractum matrimonium?

BRACTEA XXVII.

PRo maiori intelligentia sciendũm resolutionem huius casus pendere, an huiusmodi votum obliget ad perpetuam castitatem, & ita eius obligatio permaneat virginitate iam amissa, & sub hac ratione plures affirmant obligari seruare castitatem ad semper, quia cum in eo voto intendatur perpetua continentia ab omni actu venereo adhuc amissa virginitate remanet obligatio deinceps continendi; secus si expressa intentio fuisset se ad solam à primo actu venereo continentiam, quo virgo permaneret, & non nisi secundario ad continentiam ab alijs actibus, quia tunc amissa virginitate per primum actum venereum cessaret penitus voti obligatio, quoniam obligatio voti non aliter respicit materiam ab alijs actibus, nisi mediante continentia a primo, qui fuit primaria, ac immediata voti materia; ergo vbi votũ iam minimè respiceret continentiam ab alijs, atque nec voti obligatio super illam cadet; & ideò.

R. Si vouentis fuerit intentio solum se abstinendi à primo actu venereo, tunc si iam semel non abstinuit, potest iustè matrimonium inire, illoque vti. Ratio, quia per primum actum contra votum censetur extincta obligatio ipsius, & ita communiter omnes Doctores. Si verò nondum amisit virginitatem, abstinuitque à primo actu, nequit matrimonium contrahere, & si contrahat nequibit prima vice petere, perinde ac autem prima vice an possit, eadem dico, quæ de vouente castitatem: semel autem consumato matrimonio cum iam voti materia sit facta impossibilis, atque ideò voti obligatio cessauit, poterit petere, & reddere; quod si nulla adfuerit specialis intentio sed absolutè virginitas promissa sit, iudicandum est omninò, sicut de voto castitatis.

An vxor quæ post Religionis votum init matrimonium, teneatur ab eius vsu abstinere?

BRACTEA XXVIII.

R. Quæ voto Religionis astricta matrimonium prima vice consumat, siue petendo, siue reddendo mortaliter peccat. Ratio, quia potest adhuc suum votum implere Religionem ingrediendo, & consumans matrimonium constituit se in statu, vt implere nequeat. Ita Angelus *verbo matrim. 3. impediment. 7.* Nauar. *in summa cap. 12.* Armilla *verbo debit. num. 14.* Henriquez *lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 3. & 9.* Bartholomæus Ledesma *dub. 32. de matrim.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 53. art. 1.* Manuel *1. tom. sum. cap. 242.* & alij.

Sciendum, quod semel consumato matrimonio licitum est petere, & reddere. Ratio, quia vouens aliquem statum non tenetur ad illius leges; donec illum re ipsa assumat, & per consequens qui vouit Religionem non tenetur ad castitatem sicut neque ad paupertatem, &c. donec profiteatur, & cum iam consumato matrimonio nequeat votum Religionis implere, trãscundo ad ipsam nihil est, quod debiti petitionem, ac redditionem impediat. Ita Caiet. *in sum. verbo matrim. cap. vlt.* Sotus *in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 1.* & plures alij.

Sciendum 2. Vxorem, quæ vouit Religionem, & contraxit matrimonium, teneri mortuo viro ingredi Religionem. Ratio, quia cum impedimentum cessauerit, potest implere suum votum, quia per matrimonium contractum non fuit extincta eius obligatio, sed solum suspensa, atque ita docent; Sotus *in 4. dist. 39. quæst. 2. art. 1.* Margarita *Confessor. præcept. 1.* Bartholomæus Ledesma *dub. 32. de matrim.* Manuel *1. tom. sum. cap. 141.* Graf. *1. part. decis. lib. 2. cap. 24. n. 21.* Cuchus *lib. 5. institut. maior. tit. 12. num. 18.* & alij.

Sciendum 3. Dubium esse, an vxor, quæ sine consensu mariti post contractum matrimoniũ vouit castitatem possit reddere, & petere debitum. Aliqui Doctores tenent, posse petere, & reddere debitũ, & proinde votum castitatis factum ab vxore post matrimonium consumatum esse inualidum, eo quod sit onerosum alteri coniugi: tum quia votum rei partim impossibilis, factum per modum vnius ad nihil obligat, ad hæc cadunt per modum vnius, cum petere, & reddere debitum tanquam vnum obiectum respiciatur à vouente comprehensum in castitate. Et ita videtur sentire D. Thom. *in 4. dist. 32. quæst. vnica art. 4.* Turrecremata *cap. si dicat 32. quæst. 5.* Gerson *regulis moral. lib. 2. part. tract. de matr.* & alij apud Sanchez *lib. 9. disp. 35. num. 24.* Quibus non obstantibus.

R. Votum castitatis post matrimonium consumatum emissum ab vxore absque licentia viri

viri esse validum, & obligare ad non petendum debitum, quod probatur *ex cap. quidam de conuers. coniug. & cap. placet eodem titulo*, & ex alijs iuribus, votum ab vxore emissum esse irritum quoad reddendum debitum. Ratio, quia non est in potestate vxoris non reddere debitum, cum vir habeat super corpus ipsius potestatem, cui ab vxore per votum non potest derogari.

An vxor innocens possit propria auctoritate negare debitum viro adultero?

BRACTEA XXIX.

R. Vxorem certam de adulterio viri eximi à debiti redditione, nec requiritur, vt adulterium sit notorium, nec etiam sententia Iudicis. Ratio deducitur ex illo principio, Frangenti fidem, fides frangatur eidem, ergo vxor innocens certò sciens violatam sibi fidem coniugalem libera censetur à debiti redditione. Ita plures citati à Sanchez *lib. 10. disput. 12. num. 5.* quæ negatio debiti non est instar pœnæ conuentionalis, sed est quasi conditio in contractu ipso inclusa, licet aliqualem rationem pœnæ subeat respectu adulteri, qui quasi in pœnam fidei fractæ iure exigendi priuatur: tamen est potius conditio, quam pœna. At conditione nõ seruata in contractu inclusa, alter paciscens est eo ipso liber ab obligatione fidei in cõtractu præstitæ, nec ad hanc exemptionem aliquid amplius desideratur, quam certa notitia fidei sibi fractæ.

An vxor possit discedere è domo mariti adulteri?

BRACTEA XXX.

R. Si adulterium sit occultum non permittitur in foro externo vxori propria auctoritate è domo mariti discedere, sed debet expectare sententiam Ecclesiæ. Ita apud Couar. *loco infra citando.*

Sciendum etiamsi adulterium sit publicum nõ posse propria auctoritate discedere è domo mariti. Ratio, quia non potest sibi ius dicere quoad separationem cohabitationis. Et ita Silvester *verbo diuort. qu. 8* licet plures apud Couar. *de matrim. 2. par. cap. 7. §. 6.* contrariam teneat sententiam.

Sciendum 2. Vt possit vxor innocens non expectata Ecclesiæ sententia discedere è domo mariti requiri, vt adulterium sit ita notorium, vt nulla prorsus tergiuersatione celari possit, vt nullus inficiationi sit locus. Ratio, quia cum vir sit in possessione pacifica, requiritur, vt adulterium sit notorium, quod spoliandi caussam præbet, vel maritus publicè cum adultera habitaret.

R. 2. Vxorem adulterij sui viri certam, posse in foro conscientiæ secluso scandalo ab eius habitatione diuertere, quamuis adulterium sit occultum, nec ad id aliqua sententia Iudicis desideratur; quod probatur ex pluribus iuribus. *Ex cap. dixit Dominus 32. quæst. 1. ex cap. de benedictis 32. quæst. 1.* Secundò, etiam probatur ratione, quia in foro conscientiæ non tenetur quisquam cõtrahens fidem seruare eiusdem fidei violatori; tum etiam quia licet in foro conscientiæ vxori nõ reddere debitum viro adultero; ergo etiam licebit in foro conscientiæ præciso scandalo discedere è domo mariti adulteri. Ita plures apud Sanchez *lib. 10. disp. 12. num. 32.*

Qualem notitiam debeat habere vxor de adulterio, vt in foro conscientiæ possit discedere è domo mariti?

BRACTEA XXXI.

R. Primò debere esse certam de adulterio mariti, quia cum possessio stet pro viro in dubio priuari minimè debet; quia in dubio melior est conditio possidentis. Et ita communiter omnes Doctores; neque exigitur, vt adulterium possit probari per testes, quia id solum pertinet ad forum externum, quod iuxta allegata, & probata ius dicit. Secundò, non desiderari certitudinem Metaphysicam, sed satis esse moralem, qualis habetur per ea indicia, quæ in foro externo probata conuincerent virum de adulterio. Ita Vincentius *speculo doctrinali tom. 2. lib. 10 cap. 41.* Summa Astensis *2. par. lib. 8. tit. 11. art. 3. quæst. 5.* Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnica art. 3.* Petrus de Ledesma *de matrim. quæst. 92. art. 3. notab. 1.* Vega *1. tom. summ. cap. 13. casu 4.* & alij. Tertiò, non sufficere quamlibet suspicionem probabilem, sed requiri suspicionem violentam, cum hæc sufficiat ad condemnandum. Ita *cap. afferte, & cap. litteris de præsumptionibus*; illam dici suspicionem violentam iuxta id, quod deciditur *cap. de litteris* solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem, &c. quod tamen non est ita strictè explicandum, vt sola ea explicata, præsumptio dicto *cap. litteris* sit violenta; sed sufficit quæcunque alia similis, quæ vehementer suadeat adulterium. Sic Castro *de leg. pœnali num. 42.* vnde præsumitur suspicio violenta, qua plenè probatur adulterium, quando quis solus cum sola in loco abdito inuentus est. Ita Menochius *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 41. num. 11.* quod tamen alijs Doctoribus non placet. Astensis *in summ. 2. part. lib. 8. tit. 11. art. 3. quæst. 5.* dicit non satis esse, solum cum sola in locis suspectis reperiri, nisi in eodem lecto, & hora apta ad concubitum, quia prior est suspicio probabilis, sed nõ violenta. Et ita etiam Nauarrus *rubrica de indicijs num. 20.* licet multi dicant sufficere, vt in loco secreto deprehendantur se amplexantes, & osculantes; sed tamen contra dicendum non induci violentam suspicionem ex solis osculis, & amplexibus, quando alia adminicula non concurrunt, vt ex multis locis probat Sanchez *loco citato num. 47.*

An vxor, quæ pactum init cum marito de non petendo, vel reddendo debitum, possit petere, vel reddere?

BRACTEA XXXII.

R. Pactum mutuo coniugum assensu initum non petendi, vel non reddendi debitum validum esse: posse tamen vtrumque coniugem licitè id pactum remittere, & ita petere, & reddere; quare non peccabunt, dum voluntate

mutua coniunguntur. Ratio prioris partis est, quia nullibi fit iniuria, & sicut possunt coniuges se mutuo voto ad id ligare, ita etiam mutuo pacto. Ratio secundæ partis, quia res per quæcunque causa nascitur, per easdem dissoluitur. *Cap. 1. de regulis iuris*, & ita plures apud Sanchez *lib. 9. disp. 37. num. 19.*

Sciendum, quod si pactum vtriusque iuramento firmatum sit, respondendum est cum distinctione: si iuramentum fit solùm factum in vtriusque coniugis fauorem, vt vterque liber maneret ab obligatione debiti coniugalis persoluendi, possunt ambo mutuo consensu illud remittere; secus si intuitu pietatis, vt continentiam ob Dei cultum obseruarent, quoniam in priori casu potest vterque fauori suo renunciare, in posteriori autem perinde est, ac votum communi placito emissum.

An vxor post adulterium cognita à marito possit ab eo accusari?

BRACTEA XXXIII.

R. Maritum scientem vxorem esse adulteram, si cum ea carnaliter coierit mores eius approbare videri, & per consequens non posse eam accusare de adulterio, cũ ei ignoscere videatur. Ita Gloss. *in cap. fin. de adulter.* quod tamen intelligendum est quoad commissa crimina, non autem quoad committenda. Ita Couar. *de matrim. 2. par. §. 6. num. 7.*

Sciendum vxorem propter adulterium dotem amittere, & viro adiudicari sententia Iudicis secuta. Ita tex. *in cap. plerumque de donat. inter virum, & vxorem, leg. consensu Cod. de repudiation.* etiã si vxor sit tantum putatiua, & non vera. Gloss. *in cap. plerumque*, & plures Doctores citati à Couar. *de matrim. 2. par. §. 6. num. 1.*

Sciendum 2. Non modo vxorem adulteram amittere dotem, sed etiam arrhas, atque parapherna. Gloss. *in cap. plerumque*, & plures citati à Couarruu. *loco citato*, dummodo vt supra dictum est maritus conscius adulterij, cum ea post ipsum non coierit, quia tunc pęnam condonare censetur.

Quam pœnam incurrat vxor, quæ partum supponit?

BRACTEA XXXIV.

R. Vxorem, quæ partum supponit committere crimen falsi fingendo aliquem esse filiũ ipsius, cum verè non sit, siuè ab vxore fiat, quæ fingit esse suum filium, cum non sit, siuè ab alio, qui ad id operetur consilio, vel alia ratione.

Sciendum mulierem, quæ partum supponit viro suo dicentem ex illo esse conceptum accusari criminaliter posse ad pęnam legis Corneliæ de crimine falsi à viro suo; atque ab hæredibus viri, qui non sint filij talis vxoris, & successuri fuissent ei viro in bonis illius, excluso eo, de quo contendunt esse partum suppositum, reliqui verò accusare non possunt eam mulierem de crimine falsi; si verò sint filij eiusdem matris, poterunt quidem agere ciuiliter, vt suppositus partus ab hæreditate patris excludatur, non verò criminaliter, vt mater pęna legis Corneliæ de falsis, puniatur, idque propter reuerentiam, quam filij parentibus suis debent, aduersus tamen alios cooperatores ad id crimen agere possunt criminaliter. Ita habetur *leg. si tamen ff. de accus. 1. falsi Cod. ad l. Cornel. de falso, & l. 3. tit. 7. par. 7.*

Sciendum 2. Quod qui partum supponit, aut vt id fiat, cooperatur, restituere tenetur omnia damna inde subsecuta legitimis, alioquin hæredibus, vel quibuscunque alijs, idque in foro conscientię ante vllam latam sententiam: cooperans verò solùm tenetur in defectum principalis supponentis partum, mandans verò tenetur primo loco ad eam restitutionem ante omnes alios, eoque restituente cessat obligatio cęterorum. Ita Molina *disp. 60. num. 5.*

An vxor possit contractus inire sine licentia mariti?

BRACTEA XXXV.

R. Vxorem de bonis mariti non posse sine licentia eiusdem contractus inire. Ratio est, quia de illis non habet dominium, & ad cõtractum requiritur dominium rei, de qua contrahitur, & si sine licentia mariti contrahat contractus, erit nullus, & eorum, quæ acquirit per talem contractum, obligatur ad restitutionem.

Sciendum posse vxorem sine licentia mariti de rebus paraphrenalibus contrahere, & negotiari. Ratio est; quia eorum habet dominium, & de ipsis potest disponere sine licentia mariti, quod etiam dicendum est, si negotietur pecunia acquisita ex industria, vel labore, quẽ non teneatur in domo exhibere, eo quod habeat sufficientem dotem.

Sciendum 2. Si mulier negotietur ex bonis mariti, seu communibus sine licẽtia ipsius peccare mortaliter. Ratio, quia administratio bonorum communium spectat ad maritum, & consequenter ipsi marito facit iniuriam in materia graui.

Sciendum 3. Dubium esse, an vxor teneatur stare locationi rerum dotalium factæ per maritum. Respondeo ad hoc teneri quoad locationem bonorum paraphrenalium. Ratio, quia huiusmodi locatio censetur facta à marito nomine ipsius vxoris, non tenetur tamen stare locationi fundi dotalis; ratio, quia maritus censetur locasse nomine proprio, non verò nomine communi, non tamquam administrator bonorum vxoris, sed quasi dominium habens. Ita Couarruu. *de matrim. 2. par. cap. 7. §. 6. num. 5.*

An vxor Catholica, quæ matrmonium contrahit cum hæretico, validè contrahat?

BRACTEA XXXVI.

R. Matrimonium vxoris catholicæ cum viro infideli, idest, hæretici validum esse, quoad vinculum, nec vlla ratione posse dissolui. Ita plures citati apud Couarruu. *de matrim. 2. par. cap. 6.* Ratio est, quia hæreticus est Christianus,

nus, & matrimonium contractum inter Christianos validum est quoad vinculum, nec potest dissolui; iuxta illud D. Pauli: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, quod si non poterunt cohabitare absque iniuria creatori, poterunt separari quoad habitationem, & torum, licet matrimonium non possit dissolui quoad vinculum. Et ita etiam Couar. *loco cit.*

An mulier possit contrahere matrimonium cum Religioso, vel sacris ordinibus initiato?

BRACTEA XXXVII.

R. Negatiuè. Ratio est, quia matrimonium consistit in mutua traditione corporum, cum iam corpus Clerici, vel Religiosi sit traditum per susceptionem ordinis, vel per professionem cultui Diuino, sequitur non posse amplius tradi vxori per matrimonium. Ita communiter omnes.

Sciendum Papam posse dispensare, vt possit contrahere matrimonium cum initiato ordinibus sacris. Et ita Abbas *in cap. cum olim num 5. de Clericis coniug. etiam cum Sacerdote*, Archidiaconus *in cap. cum in præterito num. 3. dist. 33* Abbas *in cap. cum ad Monaster. num. 21.* Alexander *consil. 2. lib 22. vol. 1.* & alij apud Bellettum *disquis. Cleric. tit. de discipl. Clericali* §. 9. *num.* 11.

Sciendum 2. Votum castitatis in ordinibus sacris, non esse de essentia ordinis sacri, sed tãtum accidens ex statuto Ecclesiæ. Ita D. Thom. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. Thurrecremata *in cap. Diaconus dist.* 27. cum non sit obligatio de iure Diuino, sed tantũ de iure humano, & ideò Papa põt dispensare, vt promoti ad Ordines sacros ex maxima causa vxorem ducant, & etiam ex magna causa dispensare cum Religioso professo, & cum Moniali super voto castitatis, & continentiæ, vt matrimonium contrahat. Ita plures citati apud Bellettum *loco citato*, vbi numerantur causæ necessariæ ad dispensationem.

Sciendum 3. Vxorem de consensu mariti posse ingredi Religionem, vt alibi dictum est, si nõ sit timor incontinentiæ in altero remanente in sæculo, qui si esset, alter, sine altero non potest ingredi Religionem, siuè recipi in illa, etiamsi suspectus continentiam promittat, seu voueat. Ita *cap. multos, cap. Agatoa, cap. si quis coniugatus, cap. si vir, cap. si tu abstines*, & plures citati apud Bellettum *de disciplina Clericali par.* 1. §. 4. *num.* 19. Quod tamen fieri non potest, nisi interueniat consensus, & licentia Episcopi Diœcesani. *Cap. si vir, & vxor, cap. significauit*; licet hoc non esse de necessitate, sed de honestate consuluerit. Federicus *consil. 37. num. 2.* Sanchez *de matrimonio lib. 7. disput. 39. num. 7.*

An vxori maritus debeat præstare alimenta lite pendente super separationem ob adulterium?

BRACTEA XXXVIII.

R. Lite pendente coram Iudice super matrimonio, siuè super separatione tori ob adulterium maritum obligari alimenta vxori præstare. Ita *cap. ex parte*, & plures apud Bellettum *disquis. Cleric. par. 1. tit. de fauore reali Clericor.* §. 2. & similiter lite pendente super matrimonio obligari præstare expensas liti. Ita Afflictus *decis. 152. num. 3. & 4.* quamuis mulier non dederit dotem; & ita Feretus *cons. 34. vol. 1.* quia maritus etiam indotatam alere tenetur, dũmodo nullam dotem promiserit, quia tunc sibi imputet, quod eam duxit. Innocentius *in cap. per litteras de donat. inter virum, & vxore n.* Secus autem si dos promissa fuerit, & non soluta, quia tunc vxorem alere non tenetur. Baldus *in l. fin. Cod. ad Velleian.* expensas autem debet præstare secundum dignitatem personæ *l. 7. vt si quidem* §. 1. vbi Baldus *ff. de vsufructu.*

An vxor possit sibi eligere sepulturam?

BRACTEA XXXIX.

R. Affirmatiuè. Et ita *cap. de vxore*, & si decesserit non electa sibi sepultura, debet sepeliri in sepulcro mariti. Ita *cap. is, qui* §. *fin.* & si habuerit plures maritos in sepulcro vltimi, etiamsi fuerit vidua, & reuersa ad domum patris adhuc est sepelienda in sepulcro mariti. Ita apud Bellettum *par. 1. de Clerico debitore* §. 3. *nu.* 15. & 16.

Quod forum sortiatur vxor Clerici?

BRACTEA XL.

R. Vxores Clericorum coniugatorum eundẽ cum eisdem Clericis forum sortiri. Ita Gloss. 1. *in cap. Clericum 11. quæst. 1. & in cap. eos, qui 32.* quia vxor ratione matrimonij sortitur forum viri. *leg. cum quædam ff. de iurisdict. leg. ea, quæ*; atque adeò gaudet vxor priuilegio fori, at etiam eo mortuo illud illi remanet, donec alteri nubat. *leg. filij* §. 1. *ff. ad municip.* apud Bellettum *loco citato de fauore Clericali* §. 1. *num.* 27.

An vxor, quæ simul contraxit duo matrimonia, primum ratum, & secundum consumatum possit cum secundo, relicto primo habitare?

BRACTEA XLI.

PRima sententia est Hostiensis, & aliorum apud Couaruu. *de matrim. 2. par. cap. 7.* §. 3. *num.* 5. asserentium præferendum esse secundum matrimonium consumatum primo rato, & à Romano Pontifice iudicatum esse secundum matrimonium consumatum carnali coniunctione esse priori nondum consumato præferendum, vt refert Alexander tertius *in cap. licet*, sed.

R. Matrimonium secundum copula consumatum non esse præferendum primo, nec validum esse. Ratio est, quia primum matrimonium ratum licet non consumatum ex Diuina lege naturali præfertur secundo, etiamsi consumato, nec dissolui potest iuxta illud D. Pauli: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*; & quamuis *in cap. licet* dicatur à prædecessoribus nostris aliter quãdocunque iudicatum, referendum esse ad iudicium particulare in propria opinione.

Sciendum fœminam nuptam priori viro, quæ

ſcienter contraxit cum ſecundo adulterij pęna damnari ſimul cum ſecundo marito, qui eam in vxorem ſcienter accepit. *Ex leg. cum qui duas*; punitur etiam per Eccleſiaſticum Iudicem publica ignominia, ſuſpectus etiam de hęreſi habendus eſt, qui ſecundum matrimonium contrahit primo durante, quaſi non rectè ſentiat de Sacramentis. Ita plures apud Couarru. *loco citato*. An Papa poſſit diſpenſare in matrimonio ſolùm rato: alibi dictum eſt affirmatiuè poſita iuſta, & graui cauſa, vt de facto diſpenſarunt Paulus IV. & Iulius III. in matrimonio autem rato, & conſumato nullo modo poſſet diſpenſare.

An vxor poſsit reddere debitum, quando adeſt ſcrupulus, vel dubium, vel opinio, vel certitudo de inualiditate matrimonij?

BRACTEA XLII.

R. Vxorem poſſe reddere debitum cum ſcrupulo de inualiditate matrimonij, qui oritur poſt matrimonium bona fide contractum. Ratio eſt, quia ſcrupulus non eſt ſufficiens ratio ad priuandum hominem iure ſuo, immò licitum eſt operari contra ſcrupulum ipſum deponendo. Ita Henriquez *lib.11.cap.15.num.* 13. Gutier. *de matrim.cap.49.num.23.* Coninch. *diſp.34. dub. 10.num.100.* & alij.

R. 2. Vxorem dubitantem de validitate matrimonij poſt ipſum bona fide contractum poſſe reddere debitum viro non dubitanti, non ſolùm poſt adhibitam diligentiam ad aſſequendam veritatem, ſed etiam ante adhibitam diligentiam. Ratio eſt, quia vir, qui non dubitat, habet ius petendi, quo non poteſt priuari per dubium vxoris. Ita Reginaldus *lib.31.num.299.* & alij.

Sciendum, quod & ſi vxor dubitans poſſit reddere debitum ante adhibitam diligentiam ad aſſequendam veritatem non tamen poſſe petere ante adhibitam diligentiam. Ita colligitur *ex cap. Dominus §.2.de ſecundis nuptijs, & cap. inquiſit. §.fin. de ſententia excommunicat.* Ratio eſt, quia petendo debitum ageret contra propriam conſcientiam, tum quia exponeret ſe periculo fornicationis. Et ita Petrus Ledeſma *quæſt.45.art.1. dub.2.* & alij ſupra citati; poſt verò adhibitam diligentiam non modo poſſe reddere, ſed etiam petere. Ita Reginaldus *loco citato num.299* Valentia *tom.4.diſput.10.quæſt.6.pun.2.* & alij apud Speculum 3.*par.art.*18. & apud Sanchez *lib.2.diſput.41.* Si verò vterque dubitet de validitate matrimonij ante adhibitam diligentiam neuter poteſt petere, aut reddere. Ratio eſt, quia obligatio reddendi ſupponit ius petendi in petente, ſed dubitãs, non habet ius petendi, ſed ſolùm reddendi; ergo, &c. Ita Gutier. *de matrim.cap.49.n.30.*

Sciendum 2. Dubium eſſe, an quando ſolus petens dubitat de validitate matrimonij teneatur alter coniux, qui non dubitat reddere debitum petenti. Ad quod reſpondeo non teneri reddere debitum ante adhibitam diligentiam. Ratio eſt, quia exponeret ſe periculo committendi peccatum fornicationis ratione dubij petentis.

R. 2. vxorẽ, quæ mala fide contraxit dubia de impedimento dirimente, non poteſt petere debitum Ratio eſt, quia poſſeſſio mala fide incepta non tribuit ius, & per conſequens vxor quę dubitando contraxit nullum acquiſiuit ius ſuprà corpus viri. Ita Gutier. *de matrim.cap.50.nu.2.* Coninchus *diſp.39.dub.*10. & alij.

R.3. Vxorem, quę bona fide contraxit matrimonium, & poſtea de ipſo incepit opinari, inualidum eſſe, nec poſſe petere debitum. Ratio eſt, quia poſſeſſio non ſuffragatur opinanti, ſed ſolùm dubitanti, niſi fortè habeat opinionem probabilem pro vtraque parte, quia tunc poteſt petere, & reddere, eo quod tunc poſſit amplecti opinionem probabilem, quam maluerit. Ita Reginaldus *lib.31.num.301.* licet teneatur reddere debitum alteri coniugi non opinanti. Ratio eſt, quia nullus poteſt priuare alterum iure ſuo, niſi certò conſtet rem ſuam eſſe, in hoc autem caſu vxor, quę habet opinionem de inualiditate matrimonij, priuaret alterum iure, & poſſeſſione ſua non reddendo debitum. Ita Sanchez *lib.2.diſp.44.num.3.* & alij.

R.4. Vxorem, quę certò moraliter ſcit adeſſe impedimentum dirimens non poſſe petere, vel reddere debitum. Ita colligitur *ex cap. inquiſit. & cap. Dominus de ſecundis nuptijs.* Ratio eſt, quia reddendo, vel petendo peccaret peccato fornicationis; ergo non poteſt nec petere, nec reddere. Ratio antecedentis eſt, quia accederet ad virum, non tamquam ad proprium coniugem, ſed tamquam alienum. Ita Gutier. *cap.50.num.4.* Coninch. *diſp.34.dub.6.num.96.*

An motus ſenſualitatis ſint peccata?

BRACTEA XLIII.

Sciendum ſenſualitatem, & concupiſcentiam ſecundum ſe non eſſe peccatum, licet à S. Paulo ad Romanos 7. Peccatum vocetur, non quia ipſa formaliter ſit peccatum, ſed quia cauſatiuè, eo quod ad peccatum inclinet. Secundò, motus ſenſualitatis eſſe in duplici differentia: quoſdam eſſe primò primos, & alios primos ſecundò: motus primò primus dicitur ille, qui repentè conſurgit, & antecedit omnem cõſiderationem rationis, ita vt nulla ſit apprehenſio, vel ſuſpicio malitię: motus ſecundò primus dicitur ille, qui eſt, vel poteſt eſſe cum aliqua malitię aduertentia, & ſequitur ipſum actum aduertentię, & deliberationis ſaltem implicitè, & per conſequens ipſum eſſe peccaminoſum. Quibus poſitis.

R. Quod motus primò primi, qui rationem omninò pręueniunt, non ſint peccata. Ratio eſt, quia non ſunt actus voluntarij, ſed merè naturales, nec ſunt voliti, nec in ſe, nec in cauſa; actus autem merè naturales non ſunt peccaminoſi. Ratio eſt, quia peccatum dependet à voluntate, & non à natura, & nullum peccatum eſt, quod non ſit voluntarium. Ita Valentia *tom. 2.diſput.6.quæſt.4.pun.2.* Vaſquez 1. 2. *diſput.* 106. Becanus 2.*par.tract.2.cap.5.quæſt.4.& 5.* & alij communiter; & hoc etiam valet in primis motibus voluntatis, & intellectus, qui cum ſint actus merè naturales, & non voluntarij, non cenſentur peccaminoſi.

R.2. Motus ſenſualitatis ſecundò primos non eſſe peccata, quando proueniunt ex cauſa honeſta,

nesta, vel vtili, vt quando proueniunt ex tactibus manuum, vel osculis causa amicitiç, vel parentelç facti, aut etiam ex auditione pecatorum turpium in confessione, &c Ratio est, quia ad constituendum peccatum in motibus secundò primis non sufficit voluntarium quodlibet, quod sufficit in alijs rebus, sed requiritur maius voluntarium, quam in alijs. Ratio est, quia isti motus sunt nobis validè connaturales, & in nobis facilè oriuntur ex infirmitate naturæ, vel ex aliqua alia causa, consequenter non ita facilè imputantur ad culpam, sicut imputantur aliç actiones prauç, vt homicidia, &c. hęc enim non requiruntur tantum voluntarium, sicuti requirunt motus sensualitatis.

Sciendum 2. Quod si isti motus proueniant ex causa non habente vllam honestatem, vel vtilitatem sunt peccata, quia repugnant rationi, & incitant ad vlteriorem libidinem: verùm si proueniant ex causa, tantummodo venialiter mala sunt peccata venialia, vt quando proueniunt ex iocosis verbis, ex curioso aspectu, lectione curiosa, &c. isti. n. motus sunt sufficiēter voluntarij; itaut imputentur ad culpam venialem, non sunt tamen peccata mortalia, quia vt imputentur ad mortalem culpam, requiritur maius voluntarium, quam sit voluntarium in causa venialiter mala, in qua prçuisi sunt.

Quæ aduertentia requiratur in motibus sensualitatis, vt sint peccata?

BRACTEA XLIV.

R. Requiri actualem aduertentiam ipsorum motuum secundum rationem malitię, vel saltem requiri expressam aliquam dubitationem, seu scrupulum de malitia, vel periculo eius; quapropter si mens nihil aduertat ad malitiam horum actuum non imputatur ad culpam. Ratio est, quia sine aduertentia non potest aliquid esse voluntarium; voluntas enim non fertur in incognitum: sed nullum est peccatum, nisi sit voluntarium; ergo isti motus non sunt peccata, nisi adsit aduertentia malitiæ.

Sciendum, quod sicuti in motibus sensualitatis ad constituendum peccatum, non solùm requiritur aduertentia ad malitiam, sed etiam requiritur consensus: notandum est consensum duplicem esse, vnum directum, & expressum, alterum indirectum, seu interpræ tatiuum, ac virtualem; expressus, & directus est, quando voluntas directè tendit in obiectum sensualitatis, volendo illud idem, quod appetit sensualitas sibi complacendo habere tales motus sensualitatis; indirectus verò consensus dupliciter contingit: primò, quando voluntas ad illos se habet positiuè, vt quando aliquid voluntariè fit, quod est causa motus sensualitatis, vt curiosè legere aliquem librum agentem de rebus Venereis, iocosè loqui, immoderatè aspicere fœminas, &c. Secundò, quando voluntas negatiuè se habet non impediendo, vel non reprimendo motus, quos potest reprimere; quod præcipuè potest fieri, animum aliò diuertendo. Quo posito.

R. 2. Motus sensualitatis esse peccata mortalia, quando interuenit consensus directus, & expressus. Ratio est, quia habent omnia requisita ad constituendum peccatum mortale, nisi paruitas materię aliquando excuset. Ita Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 5. num. 116.* Vasquez *in opusc. de restitut. cap. 3. dub. 6. num. 24.* Becanus *2. par. tract. 2. cap. 5 quæst. 4. & 5.* & alij.

R. 3. Motus sensualitatis volitos indirectè primo modo, esse peccata tantū venialia, quando scilicet aliquid fit venialiter malum, quod est causa motus, vt quando adest immoderatus aspectus, &c. Ratio est, quia adest sufficiens voluntarium ad constituendum peccatum veniale; quando verò motus sunt voliti indirectè secundo modo, quando scilicet voluntas negatiuè se habet non impediendo, vel non reprimendo motus, existimo esse peccata mortalia. Ratio est, quia adest sufficiens voluntarium ad constituendum peccatum mortale. Ratio est, quia quando voluntas nō facit, quod debet in moralibus, perinde est, ac si illud positiuè vellet, sed quando motus sunt positiuè voliti sunt peccata mortalia; ergo etiam quando sunt voliti per consensum interpræ tatiuū, quo voluntas se habet negatiuè. Ita Lessius *lib. 4 cap. 3. dub. 15. num.* 117. Reginaldus *lib. 11. nu.* 49. Nauarr. *cap. 11. num. 12.* & alij.

Sciendum non esse improbabilem sentētiam illorum, qui asserunt necessariam esse positiuam complacentiam in motibus sensualitatis, vt imputentur ad peccatum mortale, & non sufficere interpræ tatiuum consensum, modò in interpretatiuo consensu non sit periculum expressi consensus. Ita Caietanus *verbo delegatio morosa*, & alij.

An delectatio morosa de re turpi sit peccatum?

BRACTEA XLV.

Sciendum delectationem morosam esse actū intellectus, quo moratur circa aliquod obiectum venereum voluptatem ex ipso percipiendo, quę delectatio dicitur morosa, non à mora temporis, sed à mora rationis, eo quod ratio scienter, & aduertenter moratur circa illud obiectum, vt voluptatem ex ipso percipiat. Secundo, duplicem esse voluntatis actum, vnum efficacem, & alterum inefficacem. Actus efficax, qui dicitur voluntas, propositum, intentio exequendi, quod cogitatum est, & idcircò semper dicit ordinem ad executionem, vt quādo aliquis delectatur de fornicatione cum proposito illam committendi, dicitur habere actum efficacem: Actus voluntatis inefficax nō dicit ordinem ad executionem, sed est solùm simplex complacentia, amor, siuè delectatio in obiecto cogitato sine intentione exequendi illud: Actum efficacem habere suam malitiam, & bonitatem ab obiecto, & idcircò esse eiusdem speciei cum opere externo, & ideò circunstantiam obiecti aperiendam esse in confessione; nam delectatio de vxore alterius habet malitiam adulterij contra castitatem, & contra iustitiam, & delectatio de consanguinea, non solùm habet malitiam simplicis fornicationis, sed etiam incestus, actum verò inefficacem, seu delectationem morosam inefficacem habere suā malitiam, & bonitatem à motiuo, ita vt si delectationis motiuum sit honestum, & non peccaminosum, delectatio nec etiam erit peccaminosa;

sa; secus verò dicendum erit, si motiuum ipsius delectationis erit peccaminosum, & consequẽter esse peccatum illius speciei, cuius est motiuum, habebit tantum vnam deformitatem, & malitiam, ita etiam delectatio inefficax; si verò motiuum habebit plures malitias, ita & etiam delectatio: non verò habebit easdem malitias, quas habebit opus externum: vnde in confessione sufficit accusare se de malitia motiui, nõ autem de malitia, quam habet opus externum.

Sciendum 2. Aliud esse delectari de re cogitata, v.g. de fornicatione, itaut formalis ratio delectandi ex ipsa re sit, cogitatio verò sit tantum conditio proponens, & applicans rem cogitatam, Aliud verò esse delectari de cogitatione, v. g. fornicationis, itaut ratio formalis sit delectandi ex ipsa cogitatione tanquam obiecto pulchro, & iucundo: & idcirco oritur duplex delectatio, vna quæ dicitur de cogitatione, & alia, quæ dicitur de re cogitata: delectationem de cogitatione contingere, quando obiectum delectationis est ipsa cogitatio, vt si quis delectetur de artibus, vel stratagematibus adhibitis in furando; delectationem verò de re cogitata contingere, quando obiectum aliquod venit in mentem, & de illo sumit delectationem, vt quando quis cogitationem habens de furto, aut copula delectatur de ipsis. Quibus positis.

R. Quod delectatio morosa de sola cogitatione rei illicitæ non est ex se peccatum. Et ita S. Thomas 1.2. *quæst*.74.*art*.8. & communiter omnes Doctores cum eo; & ratio est, quia talis delectatio de sola cogitatione rei illicitæ non est delectatio efficax, sed inefficax, quæ vt dictum est sumit suam malitiam, & bonitatem ex motiuo; ergo quando motiuum non erit peccaminosum, nec etiam delectatio erit peccaminosa; secus verò dicendum erit si motiuum delectationis de sola cogitatione rei illicitæ erit peccaminosum, quia vt dictum est speciem habet à suo motiuo.

R. 2. Delectationem rei cogitatæ, seu de re turpi, & mala esse peccaminosam iuxta qualitatem motiui ipsius delectationis, seu iuxta rationem formalem, ratione cuius delectatiò fertur in obiectum; ratio est, quia talis delectatio cum sit actus inefficax totam suam malitiã, & bonitatem sumit a motiuo; si ergo motiuum est malum, mala est delectatio; secus vero dicendum si motiuum erit bonum: vnde sequitur delectationem de aliquo actu carnali, vt de fornicatione, tactibus, vel osculis esse peccatum mortale, si delectatio ex affectu carnali capiatur. Ratio est, quia motiuum istius delectationis est peccaminosum, quia est ordinatum ad percipiendam voluptatem sensualem, tum etiam ob periculum consentiendi in aliquod peccatum mortale. Secus verò dicendum de eo, qui delectatur, & ridet, & de subtili aliquo modo, & dexteritate in furando, in parandis insidijs, &c. similiter de eo, qui ob bonum finem delectatur de homicidio secuto, quatenus censetur vtile in ordine ad bonum publicum; qui verò delectatur de malo proximi, vt est malum ipsius peccat mortaliter, quia motiuũ istius delectationis cum sit malum proximi est peccaminosum.

R.3. Delectationem morosam efficacem semper esse peccatum mortale illius speciei, cuius est obiectum externum. Et ita cõmuniter omnes Doctores. Ratio est, quia voluntas faciendi malum, & malum sunt idem in moralibus, delectatio autem efficax semper est coniuncta, vt dictum est cum proposito faciendi malum; ergo, &c.

An coniuges qui in absentia alterius coniugis delectantur de actu coniugij præterito, vel futuro peccent mortaliter?

BRACTEA XLVI.

R. Non peccare mortaliter coniugem, qui de maritali copula absente coniuge cogitans de ea gaudeat, ipsamque voluntate approbet. Ita D. Antoninus *part. 2. tit.5. cap.1.* §.6. Paludanus *in 4. dist.7. quæst.3. art.1.* Caiet. *verbo delectatio morosa* §.3. Medina *quæst.74.art.8.* Vasquez *disp.113.cap.2.* Sanchez *lib.9. de matrim. disp.* 44. Ratio est, quia mortalis malitia delectationis morosæ sumenda est ex malitia obiecti, siue rei cogitatæ: copula autem maritalis malitiam nõ habet; ergo de ea, cum voluntatis approbatione, & gaudio cogitare, non est peccatum mortale morosæ delectationis; tum etiam, quia sicut actus matrimonialis licitè cõsumatur inter coniuges, & excusatur à peccato mortali, ita etiam interna delectatio suscepta in alterius coniugis absentia excusatur à peccato mortali propter præsens matrimonium; tum etiam, quia si hæc delectatio damnanda est de peccato mortali, esset quia non ordinatur ad finem generationis; sed hoc non obstat, & ratio est, quia tactus, & oscula inter coniuges, quæ non ordinantur ad copulam, essent etiam peccatum mortale, quod est falsum, ergo, &c.

Sciendũ tamen est, quod licet tactus, & oscula, vt supra dictum est, inter coniuges non sint peccatum mortale, tamen tactus immediatè dispositiui ad copulam, facti in absentia alterius coniugis sunt peccatum mortale ob periculum incidendi peccatum mortale. Secus dicendum erit si coniux in absentia alterius, eos ordinaret ad copulam futuram ob coniugem quem expectat. Ratio est, quia censetur actus præparatorij, cum ordinentur ad copulam futuram adueniente coniuge. Sanchez *de matrim.disp.*45.*num.*44. & infra.

An Vidua, quæ delectatur de copula præterita & sponsa de futuro, quæ delectatur de copula futura peccent mortaliter?

BRACTEA XLVII.

R. Non licere Viduæ delectationem veneream percipere ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonii. Ratio est, quia sicut actus matrimonij de præsenti non est amplius licitus ob mortem coniugis, ita neque licita est delectatio, quę de illo actu capitur non amplius constante matrimonio. Et ita Bonacina *de matrim.quæst.*4.*pun.*8. *num.*3. Montesinus *in part.*2. *tom.*2.*quæst.*74.*art.*8 *quæst.*6. *num.*103. Philiarcus *de officio Sacerdotis tom.*1.*part.*2.*lib.*4. *cap.*18. Filiucius *tom.*1.*tract.*10.*cap.*9.*num.*359. Basil. Pont. *de matrim.*

trim. lib.10. cap. 16. §. 2. num. 10. & alij. Secus verò dicēdū erit, quādo Vidua delectatur de actu coniugij non appræhenso sub ratione delectabili, seu ex affectu venereo, sed ob finem aliquem honestum. Ratio est, quia tunc censetur delectatio inefficax, quæ sumit suam malitiam, & bonitatem à motiuo. Ita Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 120.* & alij.

R. 2. Non esse licitum sponsis de futuro delectari de copula habenda tempore cōiugij propter periculum consentiendi directè, aut indirectè in aliquam concupiscientiam mortalem; tum etiam, quia huiusmodi delectatio de præsenti est principium operis illiciti; tum etiam propter rationem allatam suprà, & ita supra citati Doctores.

An aliquis possit absque peccato mortali, velleitatis, desiderij, vel delectationis actum de re mortaliter mala, & illicita habere cum conditione si liceret?

BRACTEA XLVIII.

SCiendum hanc differentiam esse inter delectationem, & desiderium: Primo quod desiderium fertur in rem futuram, delectatio verò in obiectum aliquo modo præsens. Secundò ex delectatione interna sequitur etiam delectatio in sensu, vi cuius excitatur ardor in corpore: hoc autem de desiderio dici non potest.

Sciendum 2. Actum internum desiderij, & velleitatis esse actum inefficacem, qui bonitatem, vel malitiam sumit à motiuo, & à ratione formali, sub qua talis actus elicitur, ad distinctionem actus efficacis, qui malitiam sumit ab obiecto, & easdem habet conditiones, quas habet opus externum. Secundo esse differentiam inter hos duos modos, *Vellem. & volo*, nam *vellem* denotat actum desiderii inefficacem, *volo* est actus efficax voluntatis, quo quis tendit in obiectum per ordinem ad exequutionem. Quibus positis.

R. Non esse peccatum habere actum desiderij, & velleitatis de re aliqua illicita ex motiuo honesto, vel sub conditione, qua per impossibile, vel possibile posita actum ille non esset peccatum. Ita Valentia *1. 2. disp. 6. qu. 4. pun. 4.* Vasquez *disp. 26. cap. 2.* Clauis regia *lib. 8. cap. 7.* & alij. Ratio est, quia vt supra dictum est, actus inefficax sumit suam maliti am, & bonitatem à motiuo, & per consequens non esse peccaminosum si motiuum sit honestum, cum autem in isto casu desiderium, & velleitas feratur, & eliciatur sub conditione licita, idest sub motiuo honesto, si liceret, non censetur id peccatum cum voluntas feratur in obiectum sub conditione si liceret, & ideò excusantur à peccato, qui habent propositum sumendi vindictam de inimico si liceret, vel nisi esset peccatum, aut offensa Dei. Secundò, qui habet desiderium suspendendi latrones si esset Iudex, aut qui dicit maximam voluptatem perciperem de tali, si esset mea vxor, quia tale desiderium, siue velleitas est sub conditione licita, si esset mea vxor, modo cum desiderio non habeat adiunctam de præsenti delectationem sensualem, vel non adsit periculum consensus in peccatum. Tertiò, cum excusari, qui in die ieiunij dicit, ergo comederem carnes si liceret. Quartò excusari a mortali Sacerdotem, qui dicit ergo ducerem talem in vxorem, si non esset votum castitatis, ad quod obligor; non excusaretur tamen à mortali Religiosus, aut Sacerdos, qui dicit, nisi essem Religiosus, vel Presbyter fornicarer. Ratio est, quia fornicatio semper censetur illicita, & non potest esse motiuum honestum, quo auferatur malitia fornicationis; sicut etiam non excusaretur à peccato Sacerdos, & Religiosus qui diceret, nisi rationem mei status haberem, profectò te occiderem, vel furarer. Ratio est, quia si spectetur status Religionis, siue non, quia homicidium, & furtum semper sunt peccata, & consequenter voluntas illa faciendi semper censetur peccaminosa. Quintò nec excusari à peccato, qui diceret si talis mihi fecisset hoc in adolescentia mea, vel antequam me reciperem ad Religionem, vindictam de illo sumpsissem. Ratio est, quia sumere vindictam in quolibet statu semper est peccatum mortale.

An oscula, & amplexus sint peccata mortalia?

BRACTEA XLIX.

R. Oscula, & amplexus causa amicitiæ, vel secundū cōsuetudinē Patriæ, vel sub alio fine honesto facta, non esse peccatum mortale. Ita communiter Doctores. Ratio est, quia in istis casibus sunt signa amicitiæ, beneuolentiæ, obsequij, &c. Dixi causa amicitiæ, quia oscula, & amplexus causa libidinis facta, sunt peccata mortalia illius speciei, ad quam ordinantur. Ita Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 46. num. 7.*

Sciendum non loqui de osculis, & amplexibus libidinosis, quæ fiunt inter coniugatos, vt se præparent ad copulam, quia isti, vt supra dictum est, non sunt actus illiciti, & peccaminosi, sed liciti, sed nos loqui de amplexibus, & osculis, quæ fiunt nō inter cōiugatos, animo fruendi delectatione venerea, quæ si taliter fiant, censentur peccata mortalia.

Sciendum 2. Ex osculis, & tactibus, quæ fiunt causa amicitiæ, vel iuxta consuetudinem Patriæ duplicem delectationē posse aliquem percipere ex illis: Prima consistit in quadam proportione, & conformitate rei tactæ cum organo tactus, aut visus: altera est libidinosa, quæ sentitur in carne cum quadam commotione spirituum vitalium incitantium ad pollutionem. Prima delectatio non videtur illicita in prædictis casibus, in quibus amplexus & oscula causa amicitiæ iuxta consuetudinem Patriæ fiunt, modo non adsit periculum, vt ex prima transeant ad secundam delectationem: Secunda verò delectatio semper est illicita, & peccaminosa si oscula, & tactus, siue amplexus fiant intentione percipiendi illam: si verò delectatio aliqua sensualis præter intentionem sequatur ex osculis, & amplexibus, vel tactibus factis causa amicitiæ, vel iuxta consuetudinem Patrię, non censentur peccata mortalia. Ratio est, quia non censentur intenti in causa, cum oscula, amplexus, &c. fiant ratione amicitiæ, & iuxta consuetudinem Patrię, nec in effectu, cum non intendantur, modo non adsit pericu-

ium

lum consensus in delectationem veneream, seu sensualem.

An in rebus venereis detur paruitas materiæ excusans delectationem, &c. à peccato mortali?

BRACTEA L.

PRima sententia est dicentium non dari paruitatem materiæ in rebus venereis, quæ excuset à peccato mortali. Ratio illorum est, quia quilibet actus, & motus, seu delectatio venerea ex sui natura tendit ad seminis emissionem: sicut autem ipsa seminis emissio est peccatum mortale, ita quælibet morosa delectatio, seu tactus, vel motus sensualitatis est peccatum mortale. Et ita Rebellus *2. par. de matrim. qu.19. sect.3.* Filiucius *tract.30. cap.9. quæsito 1. num.166.* & alij plures, ita vt quidam existiment periculosum esse asserere contrarium. Quibus non obstantibus.

R. In rebus venereis nimirum in delectatione morosa, osculis, tactibus, motibus, dari paruitatem materiæ excusantem à peccato mortali. Ita Sanchez *de matrim. lib. 9. disp.46.* Verum quia A.R. Pater Claudius Aquauiua ibi decreuit ne RR. PP. Theologi Societatis, docerent dari paruitatẽ, & in rebus venereis, idcircò reuocauit postea sentẽtiam, Zanardus *in directorio Confessariorum part 1. de sacramento matrimonij cap. 41. quæst.28.* Salas *part.2. disp.6. sect.21. n.149.* Armilla *verbo Impudicitia num.1.* Nau. *cap. si vir de pænit. dist.2. num. vlt.* Sayrus *lib.8. cap.6. num.1.* Vasquez *1.2. disp.30. cap.8. num.3.* Caramuel, & alij. Ratio deducitur ex fundamento sententię contrarię. quia quilibet actus, & motus, &c. ex natura sua tendunt ad seminis emissionem, ita vt habeant proportionatam dispositionem ad ipsam, sed plures sunt motus, oscula, tactus, &c. qui non producũt proportionatam dispositionem, ad ipsam seminis emissionem; ergo in actibus datur paruitas rei. Maior patet ex supradictis, & est Galeni docentis delectationem veneream, &c. esse inchoatam pollutionem. Minor patet etiam, quia dantur motus, oscula, &c. tàm imperfecta, & tàm paruæ entitatis ex eo, quod momentaneè fiunt, vt nullam habeant causalitatem, nec producãt effectum, seu dispositionem proportionatam, nimirum commotionem spirituum, & sanguinis, etsi aliquando commotionẽ causent, est ita insensibilis, vt non possit producere effectum, & per consequens isti actus non censentur inchoata perfecta pollutio, sed imperfecta ex defectu entitatis, & causalitatis requisitę ad producendum effectum proportionatum; tum etiam quia sicut in alijs præceptis inaduertẽtia, &c. excusant à peccato mortali, ita etiam in isto, sed plura oscula, & tactus inaduertenter fiunt; ergo in his datur paruitas, qua excusantur à peccato mortali.

R.2. In aliis actibus venereis non dari paruitatem materiæ, vt v.g. in fornicatione, adulterio, &c. Ratio, quia eorum malitia consistit in indiuisibili, cùm sit tota simul, ita Auct. citati.

An tactus, & oscula in sponsis de futuro excusentur à peccato?

BRACTEA LI.

R. Inter sponsos de futuro tactus impudicos non excusari à peccato mortali. Ratio est, quia proximè disponunt ad copulam, quæ cum non sit illis licita, ita nec etiam dispositio: oscula verò, & tactus pudici inter sponsos de futuro, non sunt peccatum mortale, modo non fiant in partibus pudendis, & non sit periculum pollutionis, vel consensus in copulam. Ita Toletus *lib.5. cap.14.* Nauar. *cap.16. num.12.* Filiucius *tract.10. num 357.* & alij. Ratio est, quia sicut matrimonium facit copulam licitam, ita sponsalia, quæ sunt præuia ad matrimonium faciunt hos tactus licitos, modò non adsit periculum pollutionis, vt dictum est; in coniugatis verò tactus, & oscula excusantur à peccato mortali, etiamsi fiant ob delectationem absque intentione copulæ coniugalis, & modo non adsit periculum pollutionis extrà vas. Ita Sanchez *lib.9. disp.46. num.7.* Azorius *3. part. lib.3. cap.25. quæsito 2.* Lessius *lib.4. cap.3. dub.15. num.121.* Henriquez *lib.11. cap.16. num.7.* Coninchus *de matrim. disp.24. dub.11. num.115.* & alij.

Sciendum dubium esse, an si quis tangat propria pudenda ex curiositate, vel leuitate, vel causa calefaciendi manus, peccet mortaliter? Ad quod respondeo non peccare mortaliter. Ratio est, quia in huiusmodi contactu nõ adest tanta turpitudo, quanta est in contactu alieno, quamuis contractus alienus fiat absque delectatione. Ita Sanchez *loco cit. num.25.* Lessius *num.60.* Filiucius *tract.30. cap.9. num.194.* & alij. Secundo maius dubium esse, an liceat aliquando tangere pudenda propria, vel aliorum absq; peccato mortali? Ad quod respondeo licitum esse interueniente iusta causa, aut necessitate; tunc enim tactus est moraliter honestus, & cõsentaneus rectę rationi, vt accidit quando adest necessitas medendi, quamuis præter intentionem consurgat aliquis turpis motus.

Sciendum 2. Dubium etiam esse an Chyrurgus expertus dum medetur pudendis fœminarum in pollutionem consentire, possit se tali periculo obiicere cum determinatione tamen non consentiendi? Ad quod respondeo duplicem esse sententiam: Prima est Castripalai *in opere morali tom.1. tract.2. disp.2. pun.9. §.3. num.11. & 13.* vbi sic ait: Chyrurgus potest verenda fęminę curare cum periculo consensus, & Ioannes Sãctius *in select. disp.21. num.9.* ita asserit, Chyrurgus qui pudenda fęminarum causa medendi videt, vel tangit expertus illas concupiscere, vel voluntariè pollui ob illud periculum à curatione non tenetur cessare, nec peccat illi se committendo, dum determinat sic non peccare, quando partes illas videat, vel tangat. Contrariam sententiam sequuntur Villabos *in sum. tom.2. tract.40. difficult.16. num.5.* Megala *in 1. part. lib.4. cap.4 n.6.* Lessius *lib.4. cap.3. dub 14 num.98.* & alij. Et ratio est, quia ob nullam rem aliquis potest se exponere formali periculo peccandi, quia qui amat periculum peribit in illo: Sed respondeo cum distinctione: vel ille Chyrurgus qui multoties determinauit non consentire peccato, post illam determinationem pluries consensit, vel non:

non: si post illam determinationem pluries cōsensit debet desistere, & non amplius se exponere periculo peccandi, & sic existimo veram opinionem Megalæ, Lessij,&c. Si verò post determinationem non pluries consensit, sed solummodo semel, aut bis,&c. non tenetur desistere. Ratio est,quia non se exponit probabili periculo peccandi, cum possit esse,quod etiam non consentiat ob determinationem factam;& sic existimo veram citatam opinionem Castripallai.

An fœmina mortaliter peccet quando aduertit se ab alio tangi,& si non retrahit?

BRACTEA LII.

R. Cum distinctione, vel tactus est intrinsecè malus, vel non est intrinsecè malus, sed extrinsecè est honestus: si fæmina primo modo tangatur,peccare mortaliter non se retrahendo, vt quando tangitur in verendis partibus. Ratio est, quia concurrit ad actum intrinsecè malum,& nimis periculosum incitantem ad res venereas: quando verò tactus sunt extrinsecè honesti, & fiunt iuxta consuetudinem Patriç? respondeo etiam cum distinctione,vel isti actus fiunt in aliorum præsentia, idest in publico, & sic fœmina non peccat se non retrahendo, & non repellendo alterum. Ratio est, quia repellendo ingereret animis astantium suspicionem peccati, & periculo poneret famam alterius: si verò fiunt in secreto peccat mortaliter eos non impediendo se retrahendo aut alia ratione. Ratio est, quia quilibet in quantum in se est debet curare ex charitate ne proximus incidat in aliquod peccatum, dummodo id commodè facere possit. Ita Graf. 1. *part.lib.2.cap.65.num.12.* Em.Sà *verbo luxuria num.*14. & alij.

Sciendum dubium esse, an leuis tactus manuum, vel pedum fęminæ,aut velicatio,aut digitorum intorsio sit peccatū mortale? Ad quod respondeo regulariter non esse peccatum mortale; ratio, quia potius fiunt ex leuitate, & ioco, quam ex prauo fine: posita autem aliqua mala intentione poterunt esse peccata mortalia. Ratio est, quia actus indifferentes specificantur à motiuo; sicut nec etiam est peccatum mortale tangere, & osculari pueros, etiamsi id fiat cum magna suauitate. Ratio est,quia hoc non fit ex venerea voluptate, sed potius ex amore puro illius teneræ ætatis.

An aspectus fœminæ, & turpiloquium sint peccata mortalia?

BRACTEA LIII.

R. Aspectum fœminæ ob curiositatem pulchritudinis,etiamsi fiat propter delectationem, quę sensu capitur non esse peccatum mortale, dummodo non adsit periculum turpis, & venereæ delectationis. Ita Nauarrus *de pœnit.dist.1.cap.si cui num.*11. Lessius *lib.4.cap.4.nu.*63. Filiucius *tract.30.cap.10.quęsito 7.n.*215. Armil. *verbo delect.morosf.num.*5.& alij. Ratio est,quia aspectus fęminæ non est intrinsecè malus, etiamsi fiat ob curiositatem, dummodo non sint aspectus de se impudici, vt quando vir aspicit pudenda fœminę, vel è contra, vel partes vicinas peccat mortaliter,tum quia isti aspectus sunt valdè periculosi, tum etiam, quia prouocant ad libidinem, nisi fortè ob curiositatem fiant tam breui tempore, vt non sit periculum magnæ commotionis spirituum in corpore, quoniam, vt supra dictū est in aspectibus,& tactibus, &c. datur paruitas materiæ. Et ita Bonacina *qu* 4. *pun.*9.de his quę pertinent ad vsum matrimonij *n.*13.Vnde colligitur esse peccatū mortale cernere cōcubitū viri cū fęmina,etiamsi fiat ex sola curiositate ex eo, quod nimis prouocet ad libidinem, non esse tamen peccatum mortale curiositatis gratia aspicere coitum brutorum, vel partes pudendas illorum, modo aspiciens inde non capiat notabilem delectationem sensualem, vel non adsit periculum capiendi dictam delectationem. An aperienda sit in Confessione circumstantia personæ, circa quam delectatio habita fuit in aspiciendo? Respondeo vt supra dictum est; quod si aspectus fiat in ordine ad copulam est aperienda, quia censetur peccatum eiusdem speciei,cum opere externo: secus verò dicendum si aspectus non fiat in ordine ad copulam, sed solummodo curiositatis gratia, vel ex alio fine honesto, quia tunc accipit suam bonitatem, & malitiam à motiuo.

Sciendum 2. Dubium esse, an puella, quæ se præbet conspiciendam adolescenti, à quo se credit turpiter concupiscendam peccet? Ad quod respondeo peccare mortaliter peccato generale scandali,quando absque causa se præbet illius cōspectui non ignorans illius turpem amorem. Si verò id faciat ex aliqua honesta causa, nimirum vt non se priuet sua libertate, vel iure exeundi domo, vel standi ad ostium domus, vel ad fenestram,&c. non videtur peccare mortaliter. Ita Caietan. 2. 2. *qu.*154. Sanchez *in sum.lib.1.cap.6.nu.*16. Ratio est, quia non censetur actus intrinsecè malus, sed extrinsecè qui posita iusta causa possunt exerceri.

R. 2. Turpiloquium si fiat propter delectationem, quæ ex simplici narratione præcisè capitur absque alio prauo fine non esse peccatum mortale, sed solummodo veniale, præciso tamen scandalo astantium,aut aliqua alia praua circunstantia. Ratio est, quia tale turpiloquium remotè solum disponit ad copulam. Secus verò dicendum si fiat animo se oblectandi rebus narratis, quia tunc est peccatum mortale, quoniam, vt sic turpiloquium proximè disponit ad copulam. Ita Caiet. 2. 2. *qu.*148. *art.*5. Toletus *lib.4.cap.*14.Rebellus *lib.3.de matrim.qu.*19. *sect.*3. Nauarrus *cap.16. num* 14. Filiucius *tract* 30. *cap.10.num.*208. & alij. Quod etiam dicendum est de lectione turpium, quæ si fiat animo delectandi se rebus turpibus narratis est peccatum mortale; secus verò si ex motiuo honesto. Similiter interesse Comedijs turpibus animo se delectandi rebus narratis,vel cum periculo delectationis, vel alterius peccati grauis, est peccatum mortale: secus verò dicendum interesse comedijs ob solam delectationem in verbis, quæ ob solam curiositatē audiuntur,etiamsi ex ipsa recitatione recipiat aliquam delectationē, dummodo non delectetur de rebus turpibus narratis; Componentes verò, & repræsentantes

tes Comedias, quæ continent res valdè turpes & excitātes libidinem peccare mortaliter. Ratio est, quia dant causam ruinæ, quamuis illam non intendant. Quod etiam dicendum est de scribentibus turpia, & depingentibus fœminas nudatis pudendis, vel cum diaphano velo, quia hęc multū ad venereā voluptatem prouocant. Ita Angelus *verbo ludus num.3.* Filiucius *tract.30. num.211.* & alij. Vltimò illos peccare mortaliter, qui pudenda absque iusta, & rationablli causa ostendunt; aut cooperiunt veste ita diaphana, & tenui, vt ab alijs conspici possint. Ratio est, quia præbent occasionem ruinæ; fœminę verò, quæ iuxta consuetudinem patriæ, & absq; praua intentione ostendunt mamillas excusantur à peccato mortali.

An tactus impudici in Ecclesia habiti, habeant specialem malitiam sacrilegij?

BRACTEA LIV.

R. Tactus impudicos, & turpes habitos in Ecclesia non habere specialem malitiam sacrilegij, modo non adsit periculum pollutionis. Et ratio est, quia malitia, & specialis deformitas sacrilegij non consurgit ex iure naturæ, sed ex Ecclesiastico statuto, quod decernit Ecclesias tantum ex sanguine, & seminis emissione violari; tum etiam, quia vt docet Caiet. *tom.1.tract.18.responsionum respons.12. dub.1.* tunc loci circunstantia sacrilegium constituit, cum peccata in eo admissa impediunt Diuina posse ibi celebrari; sed tactibus quamuis impudicis non violatur Ecclesia, neque per illos impediuntur Diuina officia; ergo non erunt sacrilegi. Ita Valentia *2.2. disp.6. qu.15. pun.1.* Henriquez *lib.5. de pęnit.cap.6. num.5.* Vasquez *in part.2.tom.1. qu.72. art.6.disp.98.num.4.*

Sciendum dubium esse, an coniuges tangentes, & deosculantes verenda peccent mortaliter? Ad quod respondeo primò, vt suprà dictum est, non peccare coniuges citrà pollutionis periculum tangentes verenda: Secundò peccare mortaliter deosculantes verenda. Ita Palud. *in 4.dist.31.quęst.3.art.2.* Siluester *verbo debitum coniugale qu.7.* Rodriquez *in sum.tom.1.cap.129.conclus.11.* Ratio est, quia vt alibi dictum est prouenniunt ex amore libidinoso, & deprauato, & bestiali, à quibus natura humana abhorret.

An ducere Choreas sit peccatum?

BRACTEA LV.

R. Ducere Choreas non esse peccatum, si absolutè, & secundum se considerentur, ex aliqua verò circunstantia poterunt esse peccatum. Ita Siluester, & Angelus *verbo Chorea,* Lopes *1.par.cap.31.* Ratio, quia per consuetudinem vbique terrarum sunt receptæ in signum communis, & particularis lætitię. Dixi, si secundum se, & absolutè considerentur, quia ex aliqua circunstantia possunt esse peccatum, vt si fierent ad se prouocandum ad libidinem, vel ratione circunstantiæ loci sacri, vt si fierent in loco sacro. An verò ex circunstantia temporis sint peccatum mortale, vt si fiant tempore audiendi sacrum, aut si fiant tempore celebrationis Diuinorum Officiorum, & impediant Diuinum Officium: respondeo nullo modo ex sola circunstantia temporis præcisè considerata esse peccatum, dummodo non sint causa omissionis sacri tempore præcepti, aut sint causa omissionis sacri tempore præcepti, aut sint causa omissionis Diuini Officij, quia tunc ducere tali tempore erit peccatum.

In oppido N. ita saltationes instituuntur, vt homines acquiescentes caput in mulieris humero, componenterque pectus ad pectus, & è medio manu dextera saltatricem amplectentes simul Choreas ducant, quæ saltationes communiter ab incolis vocantur *Fare la Tedesca*: quæsitum fuit, an ratione periculi, & scandali sit peccatum mortale taliter Choreas ducere, cui respondi ducere Choreas modo supra scripto absolutè, & secundum se non esse intrinsecè malum, & peccatum mortale: extrinsecè, & ratione prauæ intentionis, seu probabilis periculi incidendi in peccatum mortale, erit peccatum mortale, cum in moralibus idem sit peccare mortaliter, & exponere se periculo probabili peccandi mortaliter; quæ circunstantię si sint, ducentes Choreas modò supra scripto peccant mortaliter: secus non, à Doctoribus tamen damnantur ob præsumptionem praui finis, & probabilis periculi incidendi in peccatum.

An mulier fucans faciem, peccet mortaliter?

BRACTEA LVI.

R. Non peccare, si hoc faciat ob causam rationabilem; si verò id faciat vanitatis gratia peccare solummodo venialiter. Ratio est, quia ornatus non est per se malus, sed indifferens, & habet suam malitiam, vel bonitatem à motiuo, & ideò fucans faciem peccat mortaliter, si hoc faciat ex prauo fine. Ita Nauarrus *cap.16.num.14.* Em. Sa *verbo Natus num.1.* Graphius *1.par.lib.2.cap.77.num.5.* & alij; sicuti nec etiam peccat, vtendo capillis alienis, aut vestibus pretiosis, & odoriferis, pulueribus, &c. nisi hoc faciat intentione incitandi alios ad libidinem, aut adsit aliqua lex particularis, quæ hoc prohibeat. Ratio est, quia sunt res indifferentes, quæ accipiunt suam malitiam, & bonitatem à motiuo; tum quia in hac re non videtur esse tanta inordinatio, vt sit peccatum mortale: erit autem peccatum veniale ob superfluitatem ornatus, vel delicias, aut animi leuitatem. Ita plures apud Lessium *lib.4.cap.4.dub.14.* apud Em. Sà *verbo ornatus,* Graphius *1.par.lib.2.cap.77.* & alios; nec etiam peccare contra consuetudinem Patriæ ponendo signum nigrum in facie, aut inter mammas, vt melius pulchritudo, & albedo carnis videatur. Ratio patet à simili, quia sicut fucantes faciem non peccant, dummodo non adsit finis prauus, vt dictum est, ita nec peccant mortaliter mulieres, quæ in facie, vel inter mā-mas ponunt signum nigrum, vt melius earum pulchritudo, & carnis albedo videatur, dummodo non adsit finis prauus.

MAL-

MALLEATIO LXII.

De peccatis, quæ diuidunt carnem coniugum, & de alijs in materia luxuriæ.

An pollutio sit peccatum mortale?

BRACTEA I.

SCiendum peccati contra naturam esse quatuor species. Prima est sodomia, vt quando in coitu non seruatur sexus, vt quando masculus congrediatur cum masculo, fęmina cum fęmina; concubitus verò viri cum fęmina, seu cum vxore extra vas naturale. non est propriè sodomia, sed impropriè, quod tamen habet malitiam peccati sodomię. Secunda species est pollutio, seu mollities, quę est voluntaria seminis emissio ob delectationem carnalem. Tertia est bestialitas, & est concubitus, seu coitus hominis cum Brutis, vel Bruti, cum muliere, vel similiter hominis cum Dęmone sub forma mulieris. vel mulieris cum Dæmone sub forma viri. Quarta est, quando coniunctio maris cum fęmina fit quidem in vase naturali, sed modo indebito, vt quando vir retro accedit mulieri in vase tamen naturali, aut quando mulier coeundo stat supra virum.

Sciendum dupliciter pollutionem dici voluntariam, in causa, & in effectu: in causa dicitur voluntaria, quando aliquid fit, à quo immediatè, & ex intentione potest esse effectus pollutionis, vt quando quis immoderatè bibit, vel comedit, vel etiam comedit cibos calidos, vt pollutionem patiatur, tunc pollutio censetur voluntaria in causa, quia talis bibitio, vel manducatio, &c. immediatè, & ex intentione influit in effectum pollutionis; tunc verò dicitur voluntaria in effectu, quando reuera intenditur, & procuratur.

Sciendum 3. Causam, ex qua pollutio sequitur, aut esse necessariam, nec vtilem, nec honestam: rursus causam, quæ vel est vtilis, vel necessaria, nec honesta, aut esse causam proximã pollutionis, vt sunt tactus, vel tactus impudici, vel turpia verba, aut esse causam remotam, vt est crapula, & ebrietas, &c. & pollutionem tunc non censeri sufficienter voluntariã, quãdo prouenit ex aliqua causa necessaria, vel vtili, aut honesta; quando verò prouenit ex causa, quę neque necessaria est, neque vtilis, neque honesta tunc pollutionem censeri voluntariã, & imputari ad peccatum mortale, modò proueniat ex causa proxima notabiliter influente in pollutionem; si verò proueniat ex causa remota, aut ex causa, quæ non influit notabiliter in pollutionem, pollutio non censetur sufficiẽter voluntaria, ita vt imputetur ad peccatum mortale, nisi adsit periculum consensus, vel intentio pollutionis. Ita Sanchez *de matrim. lib. 9. disput. 45.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 14.* Vasquez 1. 2. *disp. 115. cap. 3. num. 9.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. num. 6.* Azorius *tom. 3. lib. 3. cap. 23. quæsito 4. & 5.* Filiucius *tract. 30. cap. 8. quæsito 6. num. 152.* Ratio, cur pollutio non sit peccatum, quando prouenit ex causa honesta, est, quia qui nam patitur, dicitur potius pati, quam agere Quibus positis.

R. Pollutionem voluntariam esse peccatum mortale; & ita communiter omnes Doctores. Ratio, quia est actio contra naturam, seu contra finem generationis; vnde D. Paulus 1. ad Corinthios 6. dicit: *Neque molles regnum Dei possidebunt.* Ex quibus sequitur pollutionem voluntariã esse peccatum mortale, cum excludat à regno Dei.

Sciendum 4. Non committi peccatum mortale, quando pollutio sequitur vi naturæ, vel quando sequitur ex aliqua causa, quæ habet alium effectum. Ratio, quia pollutio inde sequens non censetur sufficienter voluntaria, ad peccatum mortale. Secundò, excusari à peccato mortali pollutionem, quę sequitur ex agitatione itineris, vel cursu equi, modò equitans non se componat ad eum finem, vel non subeat periculum consensus in pollutionem. Tertiò, excusari à mortali pollutionem, quę sequitur ex tactu licito, vt ex amplexu iuxta Patrię consuetudinem, quia non est sufficienter volita, & pollutionem, quando prouenit ex causa venialiter luxuriosa, & leuiter influente in pollutionem non esse peccaminosam mortaliter, vt ex aspectu curioso, vel ex lectione curiosa. Ratio est, quia huiusmodi causa leuiter concurrit ad pollutionem, consequenter non est simpliciter causa pollutionis, nec pollutio inde sequens censetur sufficienter volita, ita vt imputetur ad peccatum mortale.

An quando pollutio incepit in somnis, sit reprimenda in vigilia sub onere peccati mortalis?

BRACTEA II.

R. Non obligari sub onere peccati mortalis in vigilia ipsam reprimere. Et Ita Em. Sa *verbo luxuria num.* 10. Et ratio est, quia dicta pollutio incepit in somnis sine peccato, & inuoluntariè: effusio verò illius in vigilia est effectus naturalis illius causę inculpabilis. Et ita etiam Ioannes Delacruх *in direct. par. 1. precept. 6. art. 8. dub. 10.* Filiucius *tom. 2. tract. 3. cap. 8. num. 144.*

Sciendum dubium esse, an quando pollutio prouenit ex esu quorundam ciborum calidorum, & ex accubatione in lecto tàm in somnis, quam in vigilia sit peccatum mortale, & an faciens huiusmodi pollutiones debeat se abstinere ab illis? Ad quod respondeo, quod quando non adest periculum consensus, & moralis complacentiæ in ipsa, non tenetur aliter decumbere, vel abstinere à comestione illorum ciborum. Ratio est, quia hęc censentur solummodo causa per accidens influens in pollutionem, dummodo vt dictũ est, absit periculum consensus, & complacentię. Ita Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 14. nu. 100.* Ioannes Delacruх *in direct. par. 1. precep. 6. art. 8. dub. 9.* & alij. Similiter non esse peccaminosãm mortaliter pollutionem, quę oritur ob superpositionem vnius femoris in aliud, nec obligari sic accumbantem mortum situs mutare, dum determinatus sit non consentire, neque sit periculum consensus. Ratio est, quia quis non tenetur regulariter euitare causas influentes per accidens in effectum pollutionis,

An sit licitum procurare pollutionem propter sanitatem?

BRACTEA III.

R. Non esse licitum mediatè, vel immediatè procurare pollutionem in ordine ad sanitatem. Ita Nauarrus *cap.16.num.6.* Em. Sà *verbo luxuria*. Ratio est, quia talis procuratio esset actus contra naturam, qui propter sanitatem, nec etiam est licitus. Quod si dicatur licitam esse membri amputationem ob corporis sanitatem; ergo à fortiori licita erit pollutio propter sanitatem. Respondeo in amputatione membri ob sanitatem nullum posse esse abusũ, cum sentiatur magnus dolor, & non est periculum, quod absque legitima causa aperiatur via amputationibus; at verò in procuratione pollutionis ob sanitatem posse esse abusum, & periculum, vt via aperiatur infinitis peccatis, quod non est admittendum.

Sciendum, quod licet non sit licitum ob sanitatem procurare pollutionem, tamen licitum est sumere medicinam resoluentem semen in sanguinem, vel in alium humorem, hoc enim non est contra naturam generationis. Secundò fœminam, quę propter semen corruptum patitur accidentia venenosa posse conari fricando, vel adhibendo medicamenta ad expellendum semen corruptum, quod est noxium sanitati, etiamsi inde sequatur aliqua veri seminis emissio. Ratio, quia illa emissio sequitur per accidens ad expulsionem seminis corrupti, quod est sanitati noxium, modò non sit periculum consensus in delectationem, vel in pollutionem, & modò constet semen illud corruptũ esse; & ita Bonacina *de matrimon. quæst.4 pun.10. num.11.* Villabos *in summa tom.2.tract.40. difficult.16. num.4.*

An sit licitum desiderare pollutionem?

BRACTEA IV.

R. Non esse licitum ob delectationem veneream desiderare pollutionem, vel de ipsa gaudere, sequuto effectu. Ita Em. Sà *verbo luxuria num.11.* & alij. Ratio est, quia idem esset, ac consentire peccato pollutionis; ob finem verò honestum licitum est gaudere de pollutione habita, v.g. ob sanitatem, ob sedatam tentationem, &c. non tamen licitum est illam procurare, vt supra dictum est. Caietanus *2.2.quæst.54.art.4.* & alij. An sit peccatum mortale desiderare pollutionem in somnis, aut de illa sic habita gaudere ob aliquem finem honestum? Respondeo affirmatiuè, & ita Sanchez *in summa tom.1.lib.1.cap.2.num.18.* Sanctius *in select. disput.21.num.35.* Filiucius *tom.4.tract.30.cap.8.num.10.* Reginaldus *tom.2.lib.22.cap.3.num.41.* Layman *in Theolog. moral. lib.3. art.4.num.17.* & alij. Et ratio est, quia talis pollutio sola via naturali consequens, non est peccatum mortale, nec habet malitiam obiectiuã mortalem; deinde non videtur absurdum, quod ob finem honestum liceat desiderare effectum aliquem euenire per causas naturales, & deueniente gaudere, quem tamen efficaciter intendere, aut procurare nunquam liceret.

An pollutiones sint eiusdem speciei?

BRACTEA V.

R. Pollutiones secundum se consideratas habere eandem malitiam, & per consequens esse eiusdem speciei. Ita Nauarrus *cap.16.num.6.* Azorius *3.par.lib.3.cap.23.quæst.2.* Ratio est, quia habent eundem oppositionem cum dictamine rationis.

Sciendum, quod licet pollutiones secundum se considerarę habeant eandem malitiam, tamen ratione alicuius circunstantię possunt habere malitias distinctas. Vnde si quis se polluendo haberet delectationem morosam de virgine, pollutio haberet malitiam distinctam specie ab eo, qui se polluendo habet delectationẽ, vel cum vidua, vel cum coniugata, quia præter malitiam propriam haberet etiam malitiam stupri, & secundò haberet malitiam fornicationis, vel adulterij, & talis circunstantia esset aperienda in confessione.

An pollutio impediat susceptionem Eucharistiæ?

BRACTEA VI.

S Ciendum in pollutione tria considerari: primò, culpam, vel causam, ex qua procedit: secundò maculam ipsius, seu fęditatem corporis: tertiò, cogitationes turpes, & euagationem mentis inde consequentem. Quibus positis.

R.1. Pollutionẽ ratione culpę mortalis quocunque modo accidat, impedire susceptionem Sacramenti, nisi deleatur per pęnitẽtiam, quod si deleatur, non impedit. Secundò, pollutionem ratione maculæ, & effectus inde orti, vt distractionis mentis, cogitationum turpium, recordationis illius delectationis, &c. ex congruitate impedire, & consultius est non se communicare, si tales effectus accidant, nisi ex aliqua causa melius sit communicare. Ita ferè omnes. Ratio est, quia Eucharistia recipienda est cum actuali deuotione, & reuerentia, quam si quis negligat, peccabit venialiter, & effectus dicenti, vt plurimum impediunt deuotionem, & reuerentiam; ergo consilium erit abstinere. Tertiò, pollutionem cum peccato veniali ratione culpę solius nullo modo impedire susceptionem Eucharistiæ. Ratio est, quia est eadem ratio, quę de alijs venialibus, & multò minus impediet, quando etiam sine veniali cõtigisset; & idcirco solùm pollutionem impedire susceptionem Eucharistiæ, quando est mortaliter peccaminosa.

De Sodomia?

BRACTEA VII.

R. Sodomiam propriè acceptam esse coitum inter personas eiusdem sexus. Ita communiter omnes Doctores; & ita colligitur ex Caietano *2.2.quæst.153.art.2.* Azorio *3.par.lib.3.quæst.18.* Valentia *tom.3.disput.2.quæst.3.pun.3.* Nauarro *cap.16.nu.2.* & alijs; impropriè verò sumitur pro coitu præpostero inter virũ, & fœminam extra vas naturale, quod peccatũ non est, nisi impropriè Sodomia, quamuis habeat malitiam sodomię.

Scien-

Sciendum in confessione manifestandam esse circunstantiam personæ, cum qua committitur, vt si habita sit à masculo cum fœmina, vel à masculo cum masculo, vel cum habente votum castitatis, vel non, vel cum consanguinea, vel affine intra primum, vel secundum gradum, &c. quando verò sodomia commissa fuit cum consanguinea in linea recta, gradus consanguinitatis est semper manifestandus, quia nimis repugnat iste actus reuerentiæ debitæ consanguineis; si verò sodomia habita fuit cum virgine, non est necesse exprimere circunstantiam virginis, sed satis est dicere se sodomiam habuisse cum fœmina. Circunstantia cognationis legalis, vel spiritualis in sodomia non est aperienda in confessione; vt si sodomia fuerit habita cum persona à se baptizata, vel è fonte sacro leuata. Ratio est, quia nulla specialis lex extat, quę hos congressus specialiter prohibeat pręter legem naturalem, aut etiam positiuam generaliter prohibentem nefarium congressum. Ita Azorius 3. par. lib. 3. cap. 18. quæsito 4.

An in peccato sodomiæ teneatur quis exprimere in confessione, an fuerit agens, vel patiens, vel gradus cognationis carnalis?

BRACTEA VIII.

R. In peccato sodomię teneri exprimere in confessione, an fuerit agens, & patiens. Ratio est, quia talis circunstantia licet non mutet peccatum secundum speciem, sed solummodo aggrauet, tamen quia est, quid spectans ad obiectum est aperienda in confessione. Ratio est, quia sicut alibi dictum est, quod circunstantia aggrauans regulariter non sit aperienda in confessione, tamē quando spectat ad obiectum peccati, est aperienda, vt quando v.g. est quantitas, vel qualitas eiusdem. Similiter gradum consanguinitatis, vel affinitatis esse aperiendum in confessione. Ratio est, quia talis gradus est quid spectans ad obiectum peccati, & per consequens est aperiendus in confessione, quia pręter malitiam sodomiticam includit aliam malitiam contra reuerentiam debitam cognatis, vel affinibus. Quod intelligendum est de sodomia commissa intra primum, & secundum gradum lineæ transuersalis, intra tertium, & quartum gradum non esse necesse, quia isti gradus solùm instituti sunt iure positiuo humano ad impediendum matrimonium: ius autem humanum solùm prohibet in his gradibus ordinarios concubitus cum debito sexu, non extraordinarios, qui non impediunt matrimonium: in linea verò recta gradus, vt supra dictum est, etiam valdè remotos explicandos esse propter rationem allatam.

De bestialitate?

BRACTEA IX.

R. Bestialitatem esse coniunctionem carnalem cum Brutis, vel cum Dæmonibus sub specie hominis, vel mulieris. Ita communiter omnes Doctores.

Sciendum congressum cum Dæmone diuersis modis fieri posse, vel enim fit à Dæmone comparente in forma bruti, vel in forma hominis, vel in forma fœminę, & ob id dici solet fieri, vel cum Dæmone incubo, vel cum Dęmone succubo, & ideò Dęmon, qui apparet in forma viri, dicitur incubus, si verò appareat in forma mulieris dicitur succubus.

Sciendum 2. Peccatum cum Dęmone pręter malitiam propriam habere adiunctam malitiam superstitionis, quatenus includit societatem cum Dęmone, & non solùm committi peccatum bestialitatis, & superstitionis, sed etiam speciem aliquam fornicationis, quatenus recipitur humanum semen, ex quo fętus aliquis generari potest. Ita Caietanus 2. 2. quæst. 15. art. 11. Em. Sà verbo coitus. num. 6. & alij.

Sciendum 3. Peccatum bestialitatis non differre specie pro diuersitate belluarum, cū quibus perpetratur peccatum, sed esse formaliter vnum peccatum, licet materialiter sit diuersum, & ideò non esse necessarium exprimere in confessione speciem belluæ, cum qua fuit habita copula, sed satis esse dicere, habuisse rem cum re alterius speciei. Ita Azorius 3. par. lib. 3. cap. 22. Filliuc. tract. 30. n. 161. & alij.

De coniunctione naturali facta modo indebito?

BRACTEA X.

R. Coniunctionem naturalem modò indebitè factam, quā possit impediri generatio, esse peccatum mortale. Ita plures apud Bonacinam quæst. 4. de his, quę pertinent ad vsum matrimonij pun. 13. Ratio est, quia natura suo fine, qui est generatio, frustraretur, & quia rarò ob coniunctionem modo indebito factam impeditur finis generationis: idcircò regulariter non committitur peccatum mortale, nisi adsit aliqua praua intentio, vel circunstantia, quæ addat malitiam moralem. Ita Sanchez lib. 9. disp. 16. num. 3. & cum eo plures citati, Henriquez lib. 11. cap. 16. num. 6. Filliucius tract. 30. cap. 8. num. 137. ordinariè tamen esse grauissimum peccatum veniale, nisi aliqua necessitas, vel causa excuset, vt quādo vir propter pinguedinem non potest congredi cum fœmina, nisi retrò accedat, aut quando fœmina est grauida, & non potest cognosci carnaliter, nisi ea ratione.

Sciendum coniunctionem naturalem modo indebito, multis modis contingere: primò, quādo masculus succumbit fœminæ, & fœmina supergreditur: secundò, quando copula fit prępostere retrò accedendo, sed in vase naturali: tertiò, quando copula fit sedendo: quartò, quando fit stando, & in his modis, quando nō datur periculum emissionis seminis extra vas, nullum erit peccatum mortale, etiamsi inordinatus modus fuerit ob maiorem sensualitatem, sed solùm peccatum veniale, nisi vt supra dictum est, aliqua iusta causa excuset.

De fornicatione simplici?

BRACTEA XI.

R. Fornicationem esse concubitum soluti cum soluta, & ita communiter omnes.

Sciendum nomine soluti intelligi personas,

quæ sunt liberæ à coniugio, à voto, à Religione, aut Ordine sacro. Vnde talis fornicatio licet fiat cum soluta consentiente, semper tamen est peccatum mortale, quia est actus contra iustitiam, qui rectè rationi oppugnat: vnde cum fornicatio sit intrinsecè mala, neque à Medicis sanitatis causa persuaderi potest.

Sciendum 2. In fornicatione magis virum peccare, quam fœmina, eo quod sit maioris iudicij: in adulterio verò magis fœminam peccare, quam vir, ob periculum supponendi filios illegitimos pro legitimis.

Sciendum 3. Dubium esse, an liceat Principibus permittere meretrices in aliqua parte Ciuitatis? Ad quod respondeo affirmatiuè; & ita S. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 2. & alij. Ratio est, quia etiam permittit aliqua mala, vt vitentur maiora, vel vt sequantur maiora bona. Secundò, excusari etiam à peccato, qui locant domos meretricibus, dūmodo eas locent ad habitandū principaliter, & non ad meretricandum. Ratio est, qa talis locatio nō est intrinsecè mala; tū etiam quia locās vtitur iure suo, q aūt vtitur iure suo nō peccat, dūmodo ex tali locatione, nō immineat aliquod detrimentū personis honestis, & in domo non adsit specialis commoditas ad peccandum. Ita Sanchez *lib.* 1. *cap.* 17. & alij. Tertiò, excusari etiam famulos comitantes herum ad meretricandum, modò id faciant ex iusta causa, & non cooperentur in re intrinsecè mala, sicut etiam non peccat, qui mittitur ad ducendam concubinam in domum heri, aut qui fert munera, aut sternit lectum. Ratio est, quia non sunt actiones intrinsecè malæ, sed extrinsecè, quæ ex iusta causa fieri possunt, verùm tamen est famulum non posse deferre litteras, quibus expressè petitur concubina, quia hoc esset cooperari in re intrinsecè mala.

De concubinatu?

BRACTEA XII.

R. Concubinatum esse frequentem, & consuetam fornicationem cum eadem persona. Dixi frequentem, & consuetam fornicationem, quia ad concubinatum non sufficit vnus, vel alter actus fornicarius, sed requiri consuetudinem, qua aliqui quodammodo ita cohabitant, ac si essent simul coniugati. Et ita Siluester *verbo concub. num.* 1. Riccius *decis.* 361. Toletus *lib.* 1. *cap.* 47. qui dicunt concubinarium illum dici, qui copulam habet cum fœmina soluta, vel coniugata tenendo eam in propria, vel aliena domo ad venerem, ac si esset vxor; fornicarium verò dici illum, qui copulam habet modo cum vna modo cum alia.

Sciendū Confessarium nullo modo posse absoluere Pœnitentem, qui domi habet Concubinam, vel alibi suis expensis alit, nisi prius illam è domo eijciat, vel eam derelinquat si eam alibi habet. Ratio est, quia censetur esse in occasione proxima peccati, & pœnitens, qui in occasione proxima peccati regulariter non est absoluendus. Clauis Regia *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 9. Nauarrus *cap.* 3. *num.* 19. dari tamen aliquos casus, in quibus Confessarius potest absoluere Pœnitentem, antequam dimittat Concubinam. Primus est, quando ipsam sine graui infamia non potest dimittere, quia ab alijs non habetur, vt Concubina, sed vt serua honesta, vel etiam sine scandalo, & graui incommodo; quia tunc illa occasio nō censetur proxima sed remota, cum propter infamiam, scandalum, & incommodum non possit dimitti, & tunc satis est, vt Pœnitens promittat, se ipsam dimissurū statim, ac commodè facere possit, & interim cum illa non amplius peccaturum. Vnde Concubinarius in articulo mortis si non potest commodè aut sine infamia eijcere ancillam, vel quia etiā indigeat eius seruitute in illa infirmitate potest absolui concurrentibus suprascriptis conditionibus. Similiter fornicatorem, qui modo cum vna, modo cum altera peccat, dummodo promittat se non amplius peccaturum, eadem ratione adolescens, qui sæpius cadit in molitiem potest absolui, qui licet habeat consuetudinem committendi tale peccatum, non tamen censetur esse in occasione proxima, cum occasio sit quid extrinsecum, mulieres verò concubinæ, seu omnibus expositæ, aut quæ sequuntur milites per diuersas regiones non possunt absolui, nisi peccatum, & occasionem derelinquant. Ratio est, quia cum sint semper expositæ censentur esse in occasione proxima peccati, & licet promittant se non amplius peccaturas, tamen vt plurimum redeunt ad peccatum, & idcircò non possunt absolui, nisi peccatum, & occasionem derelinquant.

An fornicator, seu concubinarius teneatur exprimere tactus, oscula, &c. quæ subsequuntur copulam?

BRACTEA XIII.

R. Non obligari exprimere. Ratio est, quia declarato actu principaliori censentur, & ipsi declarati, cum ad copulam ordinētur, & sint consumatio accidentalis ipsius, & per consequens cum actu principaliori constituunt vnum peccatum, excipitur tamen ille actus, qui cum sit exorbitans non satis exprimitur in actu principali, vt v. g. actus, quo quis non modo deosculatur, sed etiam lingit pudenda mulierum, qui cum contineat maiorem malitiam non satis explicatur in actu principali.

De Adulterio?

BRACTEA XIV.

R. Adulterium esse accessum ad alienum torum, siue concubitum soluti cum nupta, seu nupti cum soluta. Ita colligitur *ex cap. lex § Adulter. 36. & cap. nemo 32. quæst. 4.* & ita communiter omnes Doctores.

Sciendum tribus modis committi adulterium. Primò si coniugatus rem habeat cum soluta. Secundò si solutus cum coniugata. Tertiò si coniugatus cum coniugata; adulterium primo, & secundò modo includit solum vnam malitiam. Tertiò modo duas malitias includit: primam, quia violat proprium torum: secundā, quia violat etiam torum alienū; adulterans primo, & secundo modo, tenetur solum simpliciter dicere, se commisisse peccatū adulterij; adulterans tertio modo debet manifestare vtriusque malitias adulterij, dicendo esse

adulte-

adulterium ex vtraque parte.

Sciendum 2. Adulterium esse grauissimum peccatum. Ratio est, quia non solum hoc peccatum est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, includit enim grauem iniuriam contra alterum, cui data erat fides non communicandi corpus suum alteri.

Sciendum 3. Quod quando fœmina coniugata filium ex adulterio peperit, & absque prę iudicio suæ vitæ, famæ, aut honoris non potest manifestare filium ex Adulterio fuisse conceptum, potest à Confessario absolui, licet eo partu hæredibus possit esse causa damni. Ratio est, quia cum præiudicio suæ famę, & honoris non obligatur aliquid contra se dicere; si verò mulier iam aliàs fuerit infamata, aut pro honesta non habeatur, tenetur manifestare filium ex adulterio esse conceptum, & natum, ne hæredibus mariti sit causa damni.

Sciendum 4. Filium regulariter non teneri credere matri asserenti esse ex adulterio natum, sed solum quando ipsa ex indicijs certis probat ipsum ex adulterio natum, nimirum demonstrando tempore suæ conceptionis Patrem suũ abesse, aut probat maritum fuisse impotentem; in quo casu nõ potest adire hæreditatem, quia est moraliter certus, eam sibi non deberi, quando verò filius non conuincitur, non tenetur credere matri etiam iuranti, quamuis sciat matrem solitam fuisse adulterari. Ratio est, quia melior est conditio possidentis, tum quia alleganti suam turpitudinem cum alterius preiudicio nulla debetur fides, vt ait Gloss. *ad caput officij de penit. & remis.* tum quia fauor matrimonij semper præualet. Ita communiter Doctores apud Couar. *ad regul. peccat. part. 2. num. 6.* apud Hugolin. *tract. de irregularit. cap. 44. §. 6.* apud Sayrum *de censuris lib. 6 cap. 10. num. 37.* Suarez *tom. 5. de censuris disp. 50. sect. 4 num. 5.* Riccium *decis. 266.* Vnde sequitur filium non teneri credere matri asserenti ipsum esse spurium, etiamsi hoc asserat cum iuramento, aut in articulo mortis, si mater tempore conceptionis habitabat cum viro. Secundò Confessarium debere vti magna prudẽtia ne vltra modum cõpellat adulteriũ in articulo mortis detegere suum adulterium. Ratio est, tum quia filius non tenetur illi credere, tum quia fieri potest, vt ipsa liberetur ab infirmitate, & occidatur à marito, tum quia raro prodest detectio, & manifestatio adulterij.

Sciendum 5. Adulteram, quæ non potest suũ adulterium manifestare sine vitæ, vel famæ periculo, conari debere quantum potest damnum hæredibus compensare, relinquendo filijs legitimis bona paraphrenalia si habet, vel alia acquisita ex propria industria, vt ait Nauarr. *cap. 16. num. 47.* Molina *disp. 102. num. 15.* & alij. Vnde si hac ratione damno compenset ad nihil vltra tenetur; si verò hoc modo nequit, compensare debet filium inducere si potest commodè ad ingrediendam Religionem, quæ non sit capax hæreditatis, modo filius ad eam aptus sit. Ratio est, quia tam ipsa, quam adulter curare debet, quantum potest, ne legitimi hæredes damnum patiantur; vterque enim tenetur in solidum in defectum alterius.

Sciendum 6. Adulterum, qui filium ex adulterio susceptum indubitanter credit esse suum, obligari ad restitutionem damnorum, quę verus maritus patitur, & alij possunt pati vocati ab intestato ad hæreditatem obligatur etiam ad restitutionem alimentorum, saltem post tertium annum, quia vsque ad illum in defectum patris, mater obligatur, cum Pater teneatur alere filium vsque ad tempus, quo fuerit idoneus ad lucrandum sibi victum; si verò pater adulter non erit certus, sed solummodò dubius, an filius, qui dicitur ex adulterio natus sit suus, an verò mariti, tunc ad nihil tenetur, quia in dubijs tenendum est, pro matrimonio, etiamsi proles ferat imaginem Patris cum sit signum fallax.

Sciendum 7. Quod quando duo copulam habuerunt cum cõiugata, vel non coniugata quæ concepit, & peperit, sed nescit cuiusnam sit partus, Petri v. g. an Francisci, qui habebant rem cum ipsa muliere, ambo sunt obligati pro rata parte facere expensas, & præbere alimenta & resarcire damna, & si vnus nolit, alter in solidum obligatur ad alimenta, expensas, & dãna. Ita Rebellus *lib. 3. qu. 10. num. 21.* Molina *disp. 103. tõ. 4. tract. 3.* Quod si adulter ex coniugata certus sit habere filium obligatur ad expensas, & alimenta, & restitutionem damnorum, quę illegitimus potest inferre legitimis, vel hæredibus ab intestato. Similiter si ex adulterio nata esset puella, quæ postea à Patre putatiuo fuit matrimonio tradita, & dotata, adulter filijs legitimis, aut hæredibus debet restituere dotem, quam putatiuus Pater dedit puellæ illegitimæ. Nauarrus *cap. 16. num. 40.* Rebell. *loco cit. num. 9.* Arragon. *2. 2. quest. 62. art. 6.* & alij. Item adulterum teneri ad restitutionem alimentorum, quę facta fuerunt ab hospitali domo in alenda prole spuria, modo adulter non laboret egestate. Ratio est, quia domus hospitalis instituta est ad alendos pauperes, vel filios pauperum, adulter autem non est pauper, vt suppono consequenter non potest frui emolumentis domus hospitalis. Ita Rebell. *lib. 3. quest. 10. 10. nu. 21.* Nauarrus *cap. 16. num. 48.* Siluestor *verbo Adulter quæst. 5.* Lessius *lib. 2. cap. 19. dub. 6.* Azor. *l. cap. 6. quæsito 11.* Molina *tom. 4. tract. 3. disp. 103.* Vasquez *de testam. cap. 5. §. 1. dub. 10. num. 23.* & alij.

An Adultera infimæ conditionis nupta nobili viro, cui supponit filium alterius pro successione primægenituræ, an debeat se prodere?

BRACTEA XV.

R. Non teneri se prodere etiamsi sciat profuturum, nec etiam obligari manifestare factum filio spurio, & si manifestet filius nõ tenetur illi credere, tenetur tamen adultera si potest ex iustitia satisfacere, aut conferendo bona libera filijs legitimis, aut consulendo spurium ingredi Religionem. Ita communiter Doctores. An adulter teneatur ad aliquam restitutionem præcisè ratione adulterij, quamuis non susceperit filium ex adulterio? Respondeo duplicem esse sententiam. Prima est Rebelli *quest. 10. num. 1. & 2.* affirmantis teneri, quia maritus ob adulterium vilipenditur apud alios conscios adulterij, consequenter patitur damnum, damnum autem resarciendum est. Secunda sententia est Lessij *lib. 2. cap. 19. dub. 5.* Molinæ

linæ *disp.100.* Filiucij *tract.32. quæsito 10. num.222.* & aliorum negantium ob adulterium præcisè deberi aliquam restitutionem. Ratio est, tum quia Confessarij non solent huiusmodi restitutionem iniungere; tum quia non pro omni iniuria debetur restitutio pecuniaria, sed solum pro iniuria cum damno pecuniæ æstimabili.

De stupro?

BRACTEA XVI.

SCiendum stuprum constituere peccatum specie distinctum à fornicatione, siuè fiat consentiente virgine, vel non; & licet consentienti nulla fiat iniuria, tamen in isto casu: primò fit iniuria corpori virginali, quia puella non habet dominium suæ integritatis corporalis, sicut neque habet dominiũ suę vitę; deinde fit iniuria parentibus: vnde peccatum stupri semper habet malitiam distinctam à fornicatione, quæ in Confessione est aperienda, licet plures sequantur opinionem cõtrariam, nimirum stuprum puella consentiente non differre à simplici fornicatione, nec esse circunstantiam necessario aperiendam in Confessione, etiamsi Parentes, vel Tutores eius sint inuiti. Ita Suarez *tom.4.disp.20.sect.4.num.6.* Nauar. *de restitut. lib.2.cap.3.num.419.* Vasquez *in opusc. de restitutionib. cap.3.§.1.dub.1. num.6.* Coninchus *de pœnit. disp.7. dub.4. num.19.* & alij. Ratio huius sententiæ est, quia non reperitur in stupro specialis malitia, nisi adsit specialis iniuria; sed quando copula habetur cum puella consentiente non adest specialis iniuria; ergo, &c. sed fundamentum huius sententię non videtur firmum, ac solidum. Ratio, quia licet non fiat iniuria ipsi puellæ, fit tamen iniuria parentibus, cum ipsa non sis domina suę virginitatis; tum etiam, quia consensus virginis non tollit formalitatem stupri, quæ consistit in defloratione. Ita Filiucius *tom.2.tract.30.cap.3.num.66.* Azor. *3.part.lib.5.cap.5.* Caiet. *2.2.quæst.154.art.6.* Siluester *verbo luxuria quæst.1.* Angelus *verbo stuprum* Tabiena *eodem verbo nu.1.* Graf. *part.1.lib.2.cap.79.num.1.* Armila *verbo luxur. num.4.& verbo stuprum num.1.* Suarez *de pœnit. disp.22. sect.4. num.6.* & alij plures. Quibus positis.

R. Stuprum esse concubitum viri cum virgine, quo integritas carnis violatur, siuè accessus ad virginem, &c. Ita communiter Doctores.

Sciendum, Quod qui virginem deflorat per vim, aut fraudem, aut metum, aut mendacia absque promissione matrimonij tenetur restituere damnum illatum, aut illam ducendo in matrimonium, aut ipsam dotando, vel curando, vt æquè benè nubat, ac si non esset violata. Ita Nauar. *cap.16.n.16.* Azor. *3.part.lib.5.cap.5.* Gutier. *de matr.c.10.n.16.* Molina *tom.4.disp.106.* Rebell. *1.part.lib.3.qu.8.n.1.* Filiucius *tract.32.cap.8. quæsito 9. num.220.* Lessius *lib.2.cap.10.dub.2.* & alij communiter. Ratio est, quia damnum puellæ intulit contra iustitiam, per consequens tenetur damnum illatum reparare, sed non potest alia ratione damnum reparare, quam ducendo ipsam in vxorem, dotando, vel curando, vt æquè benè nubat; ergo, &c.

Sciendum 2. Quod violans puellam cum promissione futuri matrimonij regulariter tenetur ipsam ducere, dummodo non detur iusta causa non ducendi ipsam, vt v. g. si esset magna disparitas, aut si fictè promiserit, vel timeretur aliquod scandalum si tale matrimonium fieret, quia tunc non obligatur ipsam ducere, sed ad aliam restitutionem tenetur; qui verò violat fœminam consentientem in sui violationem, sine vi, aut fraude absque promissione matrimonij non obligatur eam ducere in matrimonium, aut ad aliam compensationem, nisi forsan ex copula orta sit puellæ aliqua infamia, vel aliquod damnum, quia tunc obligatur compensare damna illata puellæ, vel ipsam ducendo in vxorem, vel dotando, vel curando, vt alteri nubat. Ratio est, quia cum sit causa dãni, obligatur ad restitutionem ex violatione iustitiæ, ex qua oritur obligatio restituendi. Qui verò virginem defloraui non consentientem, obligatur ad restitutionem damnorum, & compensare iniuriam illatam, vel cum ea contrahendo matrimonium, vel dotando, augendo dotem, vel curando, vt alteri æquè benè nubat, vt dictum est suprà. Ita Auctores suprà citati. An verò teneatur stuprator ad aliquam restitutionem, quando blanditiis, persuasionibus, vel etiam munusculis extorsit copulam à virgine? Respondeo negatiue, modo non adsint minæ, vel metus, & modo fœmina non concesserit copiam sui animo repugnante, & quasi coacta. Ratio est, quia huiusmodi preces non auferunt voluntarium, nec cogunt voluntatem ad aliquid faciendum, licet aliciant voluntatem.

Sciendum 3. Quod quando ex defloratione virginis nullum secutum est damnum, aut quia defloratio fuit occulta, aut quia æquè benè nupsit, ac si non fuisset deflorata, tunc deflorator non tenetur ad aliquam restitutionem. Ratio est, quia cùm obligatio restituendi oriatur ex damno dato, nulla extat obligatio restituendi, quando nullum est damnum illatum, aut si fuit damnum illatum, fuit occultum, & reparatum ex eo, quod æquè benè nupsit. Ita Lessius *lib.2.cap.10. num.15.* Molina *tom.4. disp.106. num.11. conclus.8.* Et ratio patet à simili, quia sicut non obligatur ad restitutionem ratione furti, quando res ablata fuit restituta suo domino, ita, & etiam in isto casu stuprator non tenetur ad restitutionem, quando damnum illatum fuit reparatum.

An filius possit inuito, & inconsulto patre contrahere matrimonium cum ea, à qua copulam extorsit?

BRACTEA XVII.

R. Primò filium regulariter teneri obedire patri, in quibus est illi subiectus. Ratio patet ex pluribus locis scripturę Prouerb.1. vbi dicitur: *Audi filij mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ,* & ad Ephes.6. *Filij obedit parentibus vestris in Domino,* & etiam ex Christi exemplo, qui fuit subditus Beatissimæ Virgini, & Sancto Ioseph; tum etiam quia sicut tenemur obedire legibus, & præceptis Principum, ita etiam tenemur obedire mandatis parentum, quæ vim habent legis; & ideò filius tenetur obedire

obedire parentibus præcipientibus aliquid in ordine ad bonos mores, & ad salutem animæ. Ratio est, quia in his est subditus illis, qui tenentur illum bonis moribus imbuere, & informare, consequenter filium grauiter peccare, quando in his parentibus non obedit. Ita Nauarrus *cap.14. num. 12.* Caietanus *verbo filij peccata*, Clauis regia *lib.7.cap.5.num.9.* Graphius 1. *par.lib. 2.cap.56.num.15.* Reginaldus *tom. 2. lib.20.sess.2.num. 16.* & alij.

R. 2. Filium grauiter peccare non obtemperando in his, quæ pertinent ad domesticam gubernationem, dummodo sit inobediens in re graui. Ratio est, quia in his subiacet potestati patris. Ita Siluester *verbo filij num. 2.* Sanchez *in summa lib.4.cap.15.num.22* Lessius *lib. 2. cap.40.dub. 8.num.32.* Nauar.& Reginald. *locis cit.*

R. 3. Filium regulariter non peccare nō obediendo patri in his, quæ pertinent ad electionem status, v. g. vt in materia Religionis, aut matrimonij. Ratio est, quia in his non est illi subiectus. Et ita omnes.

Sciendum, quod si in electione status matrimonialis filius à patre dependere non debeat, tamen ex aliqua æquitate debet contrahere matrimonium iuxta voluntatem patris, tum ob rationem concordiæ, & pacis domus, tum quia filius aperiendo voluntatem patri ab eo potest multa scire expectantia ad vtilitatem ipsius,& familiæ; vnde in matrimonio æquum est, vt filius sequatur voluntatem patris. Ita Sanchez *lib. 4. de matrim. disput. 23.* Reginaldus *lib. 31. num. 4.* & alij. Vnde filius non obtemperando patri in his, quæ pertinent ad matrimonium, peccat mortaliter, vt quando contrahit contra voluntatem patris cum aliqua indigna, quę scilicet est notabiliter infra statum suum, ex cuius matrimonio magnum infertur familiæ dedecus; filius enim tenetur infamiam familiæ euitare. Similiter mortaliter peccat ducendo dignam contra voluntatem Patris, quando multum referret patri aliam ducere iuxta patris voluntatem, vt quando componerētur lites familiæ, aut quando pater magno ære alieno liberaretur, aut quando quid simile eueniret; filius enim tenetur ex pietate subuenire necessitati patris, consequenter tenetur assumere media necessaria ad illam subleuandam. Ita Sanchez *lib.4.de matrim.disput.22.* Nauarrus *cap.14. num.15.* Gutier. *cap.79.num.16.* Coninch. *disp.24.dub. 5.n.50.de matrim.* & alij.

Sciendum filium non teneri obedire patri præcipienti matrimonium, vel ingressum Religionis, vel Clericatum. Secundò, non teneri regulariter loquendo complere sponsalia, quę pater absque ipsius consensu celebrauit. Ratio est, quia filius in hoc non est subditus patri. Tertiò, parentes non posse absque iusta causa filium cogere, vel retrahere à matrimonio per metum; nam filius in hoc est sui iuris. Sanchez *lib.1.disput.14.num.4.* Gutier. *cap.4.num.4.* Quartò, filium posse inuito patre contrahere matrimonium cum ea, quam carnaliter cognouit, aut cui matrimonium promisit, nisi detur iusta aliqua causa excusans. Quintò, valida esse matrimonia, quæ fiunt inuitis, & inscijs parentibus, nam filij in hoc sunt sui iuris, liceat Ecclesia prohibeat matrimonium celebrari inscijs,& inuitis parentibus, quia iure naturæ requiritur parentum consilium, cum hoc conducat ad rectam domus,& familiæ gubernationem. Ita Clauis regia *lib. 7. cap. 5.num.13.* Couarruu. *2.part. cap.4.§ 8.num.5.* Rebellus *2.par.lib.2. quæst. 34* Bellarminus *lib.de matrim.cap.19.& 20.*& alij. An verò, qui ficta promissione matrimonij extorsit copulam à puella teneatur ipsam ducere in matrimonium? Respondeo non teneri ratione promissionis. Ratio est, quia ficta promissio non obligat: obligari tamen ratione damni dati, aut ratione scandali, si puella non erat notabiliter impar; si verò erit notabiliter impar, non tenetur eam ducere, sed dotare, aut dotem augere, vt possit æquè benè nubere, ac si esset virgo. Similiter vir, qui copulam extorsit à puella notabiliter impari diuitijs, & conditione promissione matrimonij, an sit obligatus illam in vxorem ducere cum tanto suo præiudicio; Respondeo, quod si femina nō ignorabat disparitatem, facillimè poterat coniecturare ipsum non habuisse verum animum promittendi,&c. per consequens virum non obligari eam ducere, sed solùm dotare, aut curare, vt æquè benè nubat; quod etiam dicendum est, si ipsa nesciebat disparitatem, quia vir cum tanto suo non damno tenetur eam ducere.

De incestu?

BRACTEA XVIII.

R. Incestum esse concubitum, seu congressum cum persona cognata intra gradus, in quibus potest celebrari matrimonium. Ita communiter omnes.

Sciendum incestum committi, cum quis copulam habet cum persona descendente ab eodem stipite, a quo ipse descendit vsque ad quartum gradum, vt si copulam habeat cum sorore, vel nepta. Similiter oriri incestum, quando quis habet copulam cum affine vsque ad quartum gradum ex copula licita, & vsque ad secundum ex illicita, vt v.g. Petrus, qui Catherinam ducit vxorem, contrahit affinitatem cum consanguineis Catherinæ vsque ad quartum gradum, & si cum ijs copulat habet, committit peccatum incestus. Similiter si Petrus copulam habet illicitam cum Lucia, contrahit affinitatem cum consanguineis Luciæ vsque ad secundum gradum, cum quibus si copulam habet, committit peccatum incestus. Tertio, non modo peccatum incestus oriri ex eo, quod quis copulam habeat cum consanguinaa, vel affine, verùm etiam quando quis copulam habet cum cognato cognatione legali per adoptionem, aut cognato cognatione spirituali per susceptionem in baptismo, vel in confirmatione in his gradibus, in quibus dirimitur matrimonium, committit incestum, seu peccatum contra reuerentiam debitam cognatis, vt si quis copulam habeat cum filia, quam adoptauit, vel quam suscepit in Baptismo. Ita Azorius *3. par. cap.19. quæsito 3.& 4.*& alij citati à Sanchez *lib.7. de matrim.disput.5.num.9.&10.* Quartò, incestum committi non solùm per copulam, verùm etiam per alios actus impudicos contra naturam. Ratio est, quia huiusmodi actus sunt luxuriosi, & repugnant reuerentiæ cognatis debitæ. Ita Caietanus *2.2.quæst.154.art.12.* Filliuc. *tract.30.n.106.* & alij.

Sciendum Confessarium habentem rem cum sua

sua filia spirituali non committere peccatum incestus. Ratio est, quia ex hac filiatione nulla contrahitur cognatio. Vnde hæc circunstantia non est necessariò aperienda in confessione. Em. Sà *verbo confessio num. 26.* Azorius 3. *par. cap. 9. quæsit.* 8. Parochus autem copulam habens cum filia, quam baptizauit, committit peccatum incestus propter cognationem spiritualem contractam cum filia, quam baptizauit. At verò Parochus copulam habens cum sua Parochiana committat speciale peccatum; etiamsi eam non baptizauerit? Respōdeo affirmatiuè; ratio, quia peccat cōtra proprium officium, eo quód illis specialiter incūbat cura procurandæ salutis suorū Parochianorū, & teneatur ex officio oues sibi subiectas bonis moribus imbuere. Ita Bonacina *quæst. 4. de his, quæ pertinent ad vsum matrim. pun. 16. num. 10.*

Sciendum gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis, & à gradibus cognationis legalis: & è contra; gradus verò consanguinitatis non differre specie inter se, sicut nec etiam differunt gradus affinitatis, aut cognationis legalis, &c. Ita Lessius *lib. 4 cap. 2. dub. 11. num. 79.* Azorius 3. *par. lib. 3. cap. 9. quæsito 1.* Valentia 2. 2. *disput. 9. quæst. 3. pun. 3.* Filiucius *tract. 30. cap. 5. num. 96.* & alij. Ratio est, quia isti gradus habent diuersos effectus ex sua natura; nam aliqui gradus consanguinitatis irritant matrimonium iure naturæ, & aliqui reddunt illud illicitum etiam præcisa prohibitione Ecclesiæ; tum etiam quia in peccato incestus inter consanguineos fit iniustitia, & iniuria intrinsecè, in peccato verò incestus ratione affinitatis, vel cognationis legalis iniustitia, & iniuria est extrinseca, quia in tantum peccatur, in quantum contra ius Canonicum prohibens copula habetur. Gradus autem consanguinitatis, seu affinitatis, & cognationis legalis differunt inter se secundum magis, & minus in eadem specie: vnde Petrus, qui peccauit cum consanguinea in secundo gradu grauius peccat, quam Paulus, qui cum consanguinea peccauit in tertio gradu. Ita Lessius *lib 4. cap 2. dub. 11. num. 79.* Azorius 3. *par. lib. 3. cap. 9. quæst. 1.* Pœnitens tamen obligatur exprimere circunstantiam gradus incestus cum talis circunstantia sit quid pertinens ad obiectum peccati, & quia magis violatur iustitia reuerentialis in secundo, quam in tertio gradu. Ita Suarez *de pœnitent. disput. 20. sect. 3. num. 7.* Clauis regia *lib. 8. cap. 4. num. 3.* Rodriquez *in sum. tom. 1. cap. 20. num. 3.*

De raptu?

BRACATEA XIX.

R. Raptum esse violentam abductionem, seu inuitam puellæ è propria domo ad contrahendum cum ipsa matrimonium, vel explēdę libidinis causa. Vnde raptus dicitur ille, quo puella inuita, vel resistentibus eius parentibus, seu illis, sub quorum cura est, abducitur per vim ad libidinem explendam, vel ad matrimonium contrahendum. Ita Iulius Clarus *lib. 5. sentent. §. raptus,* Molina *tom. 4. disp. 105.* Filliucius *tract. 30. num. 110.* Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 9. num. 66.*

Sciendum ad raptum requiri quatuor: primò, vt ius inferatur: secundò, vt fiat causa libidinis, vel ad matrimonium contrahendum: tertiò, vt sit abductio de loco ad alium locum: quarto, vt mulier rapta sit honestæ vitæ. Vnde primo, si puella sub nullius potestate constituta volens abducitur, non est raptus, sed fuga voluntaria: secundò, si puella consentiat abductioni, & postea copulæ resistat, non est raptus, sed copula vi extorta, quia in his respicitur initium, sicut è contra si resistat abductioni, & postea copulæ consentiat, raptus est ob eandem rationem: tertio, si parentes consentiant, & ipsa dissentiat esse verum raptum, quia infertur vis potestati, quam habet puella sui corporis, nec parentes absque iniustitia possunt eam exponere. Nauarrus *cap. 16. num. 3.* sicut si ipsa consentiat, sed hi, sub quorum potestate sit, dissentiant, etiam, erit raptus ob iniuriam, quæ ipsis fit, & quam ipsa remittere non potest: quartò requiritur, vt sit honesta; quia si esset raptor meretricis non incideret in pęnas, nisi pęnituisset, & instituisset honestam vitam.

R. 2. Quod quando puella precibus, vel donis discedit è domo nescientibus parentibus nō censetur raptus, sed fuga voluntaria, quia nulli ius infertur, tum etiam quia nulli fit iniuria.

Sciendum 2. Non modo raptum esse virginis, sed etiam viduæ, vel corruptæ; dummodo abductio libidinis causa, vel contrahendi matrimonium, & fit dissentientibus parentibus puellæ, vel puella; qui verò virginem in propria domo deflorat, vel ipsam de cubiculo ad cubiculum trahit, vt commodiùs copulam cum ipsa habeat, non committit raptum, quia licet cum violentia opprimatur, non tamen è domo educitur, quod ad raptum requiritur. Similiter si puella de agro ad alium agrum sui ruris, siuè ad nemus, vel ad alium locum remotum trahatur, vt commodiùs copula cum ipsa habeatur, non dicitur raptus, quia è propria domo non abducitur.

R. 3. Varijs pęnis mulctari raptorem, vt colligitur ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reformat. matrim.* Prima, vt raptor sit perpetuò infamis, excommunicatus, & incapax cuiuscunque dignitatis, & consilium, fauorem, vel auxilium præbentes ad raptum: Secunda, quod raptor teneatur dotare raptam, si cum ea matrimonium, siuè non, contrahat. An obligetur ante sententiam Iudicis, vel post: dicendum est obligari ante sententiam Iudicis, quia causa damni obligatur ad restitutionem damni secuti ante sententiam Iudicis. Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 13.* Henriquez *lib. 12. cap. 14. nu. 5.* Tertia, inualidum esse matrimonium contractum cum rapta, quandiù est in potestate rapientis, etiamsi dicat libere consentire, & etiam sponsalia celebrata quandiù est in potestate rapientis. Sanchez *disp. 13. num. 17.* & si puella post sponsalia ante matrimonium ratum fuit rapta, inualidum erit etiam matrimonium cum ea contractum, cum sit verè raptus, nisi post raptum constituatur in loco liberò, & tuto. Ita Henriquez *lib. 12. cap. 14.* Sanchez *loco cit. num. 15.* Rebellus *lib. 3. 2. par. quæst. 11. num. 5.* & alij.

De sacrilegio in materia luxuriæ?

BRACTEA XX.

R. Sacrilegium esse violationem rei sacræ, siuè sit persona, siuè locus, siuè res alia ad

ad Diuinum cultum dedicata. Ita communiter omnes Doctores.

Sciendum sacrilegium in materia luxuriæ ex triplici capite oriri: primò, ex violatione personæ sacræ, vt si quis copulam habeat cum persona Deo dicata per votum solemne castitatis, vt cum Moniali, &c. & non modo sacrilegium personæ oritur ex actuali copula, verùm etiam ex desiderio, vt si quis desideret copulam habere cum Moniali, quæ circunstantia desiderij aperienda est in confessione, cum mutet speciē peccati. Azorius *3. par lib. 3. cap. 27. quæst.* 8. Similiter etiam quādo Religiosus Sacerdos, aut Subdiaconus copulā habet cum alia persona non obligata ad votum castitatis committit sacrilegium ex violatione personæ sacræ, & si persona, cum qua copulam habet, erit etiam ligata voto solemni castitatis, sacrilegium duas malitias habebit necessariò in confessione exprimēdas, vt patet à simili in vxorato rem habente cum vxorata alterius, committere peccatum continens duas malitias. Secundo, oritur sacrilegium ex violatione rei sacræ, vt quando aliquid consecratum, & Diuino cultui dedicatum aliqua actione immunda polluitur, vt quando vsibus humanis applicatur, aut quando per exercitium luxuriosum polluitur. Tertiò, sacrilegium etiam oritur ex violatione loci sacri per copulam. Ita Toletus *lib. 5. cap. 12.* Nauar. *cap. 16. n. 32.* Reginald. *lib. 29. n. 182.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 15.* Ratio, quia per copulam specialis iniuria fit Ecclesiæ.

Sciendum 2. Non semper per copulam committi sacrilegium, & pollui Ecclesiam, sed solùm per copulam coniugalem, quæ publicè, & absque necessitate in Ecclesia fit. Ita Siluest. *verbo debitum n. 3.* Toletus *lib. 5. cap. 12.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 15.* Nauar. *cap. 16. nu. 32.* & alij, quos refert Lessius *lib. 4. cap. 3. dub. 12. n.* 85. Rebellus *2. par. 3. quæst. 19. n. 6.* Henriquez *lib. 11. cap. 16. n. 4.* quia per copulam occultam maritalem, quæ ex legitima necessitate habetur in Ecclesia ipsa, non polluitur, vt quando in altero coniuge datur periculum incontinentię, nec adest alibi opportunitas, vel locus reddendi debitum. Ita Azorius *par. 3. lib. 9. cap. 5.* Filliucius *tract. 30. num. 121.* Lessius *lib. 4. cap. 4. num.* 86. Reginaldus *lib. 29. num. 182.* & alij.

Sciendum non committi sacrilegium ab eo, qui delectatur turpiter in Ecclesia cogitationibus venereis, sicut etiam non peccat peccato sacrilegij, qui in Ecclesia luxuriosè delectatur de peccato facto, vel faciendo, dummodo non habeat intētionem cōsumandi copulam in Ecclesia, quia his desiderijs, & delectationibus nō polluitur Ecclesia, cum non repugnent eius sāctitati; si verò habuerit intentionem consumādi peccatum etiam in Ecclesia, obligatur in cōfessione aperire hanc circunstantiam, cum habeat malitiam distinctam. Tertiò, qui in Ecclesia habet tactus impudicos, loquitur turpia, inhonestas partes respicit, &c. non peccat peccato sacrilegij. Ratio, quia Ecclesia his non polluitur, cum non repugnent sanctitati loci; per accidens aliquando posse esse, vt Ecclesia ijs polluatur, ita vt necesse sit exprimere circunstantiam loci in confessione, vt quando tactus impudici, inspectiones inhonestæ fiunt in ordinem ad pollutionem, vel copulam, & tunc talis circunstantia in confessione est aperienda, cum ordinetur ad violationem, & pollutionem loci sacri.

Sciendum non modo committi sacrilegium, quando copula in Ecclesia habetur, verùm etiā quando committitur in cęmiterijs, Oratorijs auctoritate Episcopi erectis, & quæ sine licētia Ordinarij non possunt destrui, & conuerti ad prophanos vsus. Si verò copula habeatur in Oratorijs non auctoritate Episcopi erectis nullum committitur sacrilegium, & similiter si habeatur in Monasterijs, & in qualibet parte eorum, vt in dormitorio, claustro, & cellis apud ianuam Monasterij fabricatis, quia licet gaudeant immunitate Ecclesiastica quoad alios effectus, quoad istos verò non gaudent, quia Monasteria, claustra, cellæ, Oratoria auctoritate priuata fabricata, seu erecta non polluuntur copula in illis habita, ita vt specialem malitiam sacrilegij habeant, & necesse sit in confessione illam exprimere. Similiter etiam si quis copulam habeat cum sua amasia in Ecclesia, Oratorio, siuè Capella campestri auctoritate Ordinarij destructa non committere sacrilegium, nec necesse esse in confessione exprimere talem circunstantiam. Secus verò dicendum est, si auctoritate Ordinarij non fuerint destructa. Ratio, quia adhuc censentur loca sacra. Tertiò, sacrilegium non committi, si copula habeatur in Campanili, seu in sacristia, quia non sunt partes Ecclesiæ, sicut etiam si copula habeatur supra tectum Ecclesiæ, aut in aliquo loco subterraneo Ecclesię, vt in cauerna fabricata sub pauimento, dummodo locus ille non sit sepultura, aut non sit deputatus cultui Diuino. Ratio est, quia locus ille censetur esse extra Ecclesiam, nec spectat ad interius Ecclesię corpus à tecto interiori vsque ad pauimentum.

Quibus modis polluatur Ecclesia?

BRACTEA XXI.

Ecclesiam primò pollui voluntaria seminis humani effusione cuiuscunque Religionis sit. Dixi per voluntariam, quia si effusio sit inuoluntaria, vt si contingat in somnis, aut etiam in vigilia non pollueret Ecclesiam. Ita *cap. Ecclesijs de consecr. dist. 1. & cap. si Ecclesia de consecrat. Ecclesię in 6.* immò Sayrus *lib. 5. cap. 16. n. 21.* Henriquez *lib. 9. cap. 27. num. 5.* & alij, existimant Ecclesiam non pollui per pollutionem in somnis contingentem, etiamsi voluntaria sit in causa, nam eo ipso, quod fit in somnis non est libera, consequenter non habet secum adnexam aliquam loci irreuerentiam, ob quam Ecclesia pollui debeat. Secundò polluitur Ecclesia iniuriosam sanguinis humani effusionem, aut quando in Ecclesia eiusdem effusionis fuit causa data, aut etiam mortis. Verum si ad sui defensionem, vel ad defensionem honoris cum moderamine inculpatæ tutelę quis daret in Ecclesia causam effusionis sanguinis, vel etiam mortis non committeret sacrilegium, nec etiā Ecclesia pollueretur, nec etiam pollueretur si causa sanguinis esset ab amente, vel à puero, vel esset casu à tegula cadente, cum talis effusio non sit propriè iniuriosa.

Sciendum, Quod si in Ecclesia aliqui altercaretur, ita vt inter se pugnis, vel etiam baculo eorum carnes contunderentur, itaut etiam aliquod

quod os frangatur non polluitur Ecclesia, nec committitur sacrilegium, cum ad ipsum requiratur necessario effusio iniuriosa sanguinis. Vnde si quis etiam extra Ecclesiam vulneraretur, & ad Ecclesiam fugiendo in ea maximam copiam sanguinis fundit, ex hac effusione non polluitur Ecclesia, sicut etiam non pollueretur si quis in Ecclesia manēdo exploderet sclopum contra aliquem extra Ecclesiam commorantē, qui etiam fugiendo ad Ecclesiam in ea maximā copiam sanguinis effunderet ex hac effusione, etiam non pollueretur Ecclesia, cum in Ecclesia non fuerit vulneratus, licet à manente in Ecclesia: pollui verò Ecclesiam quando aliquis in Ecclesia manens vulneratur, licet postea extra Ecclesiam sanguinem effundat, cum in Ecclesia sit data causa naturalis effusionis sanguinis.

Secundum Dubium esse, an Ecclesia polluatur, quando quis ob defensionem honoris Ecclesiæ cum moderamine inculpatæ tutelę aliquem vulnerat, vel occidit in Ecclesia, v. g. quidam milites ingressi sunt Ecclesiam furandi causa res eo asportatas, & quia in Ecclesia mulieres illius oppidi fugerunt ad saluandam vitam, & honorem milites eas aggressi sunt vt rē cum illis haberent, quod cum officialibus reportatum fuisset, ingressi sunt Ecclesiam, vt eos impedirent; quod cum verbis, & minis facere non possent euaginando gladium, quosdam occiderunt quæritur vtrum ex vulneratione eorum, & occisione Ecclesia sit polluta, cum talis vulneratio non sit iniuriosa Ecclesiæ, sed in fauorem illius? Respondeo non esse pollutam, quia illa gesta fuerunt facta in fauorem Ecclesiæ, nimirum ne Ecclesia à militibus copula illicita, & publicâ pollueretur, & sicut Ecclesia non polluitur copula inter coniugatos, qui contineri non poterant, ita etiam non pollui his verberationibus, &c. cum non repugnent sanctitati loci, præcipuè cum fuerint ordinatæ ad defendendam sanctitatem ipsius, quę aliter non poterat defendi.

Tertiò pollui Ecclesiam quando benedicitur, vel consecratur ab excommunicato vitando, & etiam per sepulturam excommunicati vitandi, cuius ossa si dignosci possunt proijcienda sunt extra cæmiterium, alioquin non.

Quartò polluitur Ecclesia per sepulturam Pagani: verum si in Ecclesia sepeliatur filius alicuius fidelis ante baptismum non polluitur, quia ex eo, quod est filius fidelis habetur, quo possit sepeliri in loco sacro, quia ille filius reuera non est gentilis, vel infidelis, sicut est filius infidelis, cuius sepultura polluitur Ecclesia, ac si grandioris esset ætatis. An filius possit sepeliri cum matre, quæ moritur in partu vna cum filio, antequam filius susceperit baptismum? Respondeo cum Hostiens. Hugone, & alijs apud Sayrum *lib. 5. cap. 16. num. 18.* posse sepeliri, non ex eo, quod censeatur pars matris, siuè ob honorem matris, sed ex eo, quod sit filius Christianæ habeat ius ad sepulturam in loco sacro non tamen cum cæremonijs solitis, quibus Ecclesiam deferuntur fideles baptizati.

Quintò polluitur etiam Ecclesia, quando maior pars illius est destructa: est tamen differentia inter Ecclesiam benedictam, & consecratam, quod benedictio adhæret solo, & non parietibus licet muri sint destructi non tamen Ecclesia censetur polluta: at quando est consecrata, quia consecratio adhęret parietibus, idcircò quando maior pars eorum destructa est Ecclesia censetur polluta.

Quomodo se debeat gerere Sacerdos quando inter celebrandum Ecclesia violatur?

BRACTEA XXII.

R. Quod si committatur homicidium in Ecclesia, vel aliquis vulneretur, dum Missa dicitur si Canon est incohatus debet Missam absoluere, quia perfectio sacrificij magis obligat, quam ius Canonicum, cum sit de iure Diuino, & Sacrificium censetur à Canone esse incohatum, cum Hostia, tunc proximè præparetur ad consecrationem: si verò Canon nondum sit inchoatus debet Missam intermittere. Ita Suarez *disp. 81. sect. 4.* Reginald. *lib. 29. num. 179.*

Sciendum, Quod si Ecclesia aliquo delicto polluatur reconciliari debet, vt in ea Diuina misteria denuò celebrentur, si solum fuerit benedicta posse de licentia Episcopi, vel eius Vicarij à simplice Sacerdote per aspersionem aquę benedictæ reconciliari; si verò Ecclesia erat consecrata à suo Ordinario, vel ab altero Episcopo de Ordinarij licentia solum posse reconciliari.

An mulieri peccanti cum Sacerdote Religioso satis sit dicere in Confessione, se peccasse cum initiato sacris Ordinibus?

BRACTEA XXIII.

R. Satisfacere dicendo se habuisse copulam cum initiato sacris Ordinibus, vel Sacerdote, & non esse necesse dicere cum Religioso. Ratio, quia talis circunstantia est solum aggrauans, cum votum castitatis, quod habetur per Ordinem, & professionem sit eiusdem speciei, & quando dicit peccasse se cum initiato sacris Ordinibus, est ac si diceret quod peccauit cum habente votum solemne castitatis, tum etiam, quia hæc vota non habent distincta motiua, & per consequens Sacerdos Religiosus peccans committit solum vnum peccatum, & mulieri satis est dicere se habuisse copulam cum initiato sacris Ordinibus. Ita Rodriquez *1. par. cap. 53. num. 5.* Villalobos *in summ. tom. 1. tract. 9. cap. 37. num. 13.* Henriquez *lib. 5. de penit. cap. 5. num. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 27. num. 7.* Diana *tract. 7. de circunstant. resolut. 3.* Bonacina *de matrim. quæst. 4. punct. vlt. num. 28.* & alij, sicut etiam satisfacit Sacerdos, qui committit peccatum luxuriæ confitendo Sacerdoti scienti ipsum esse Sacerdotem non exprimendo in confessione ciruunstantiā Sacerdotis, vel esse astrictum voto castitatis. Ratio est, quia pęnitens non tenetur manifestare circunstantiam peccati, quæ est nota Cōfessario; tum etiam quia circunstantia peccati debet manifestari Confessario, vt qualitas ipsius innotescat, cum autem sit nota, ideò denuò non censetur aperienda.

FINIS.



INDEX

MALLEATIONVM, ET BRACTEARVM,

Quæ in hoc primo volumine continentur.

MALLEATIO I.

De Sacramentis in genere. *pag.*1

MALLEATIO II.

De Sacramento Baptismi. *pag.*17.

MALLEATIO III.

De Sacramento confirmationis. p.30

MALLEATIO IV.

De Sacramento Eucharistiæ. p.33.

Br.6.

a 2 Br.60.

MALLEATIO V.

De Sacrificio Missæ. p. 56

MALLEATIO VI.

De actibus humanis. p.81.

MALLEATIO VII.

De conscientia. p.84

MALLEATIO VIII.

De opinione probabili. p.90

MALLEATIO VIII.

MALLEATIO IX.

Br.29.

MALLEATIO X.

MALLEATIO XI.

MALLEATIO XII.

MAL-

MALLEATIO XIII.

Br. 45.

MALLEATIO XIV.

De satisfactione. p.132

MALLEATIO XV.

De effectibus Sacramenti pœnitentiæ. 138

Br.23.

MALLEATIO XV.

MALLEATIO XVI.

De Confessario sollicitante. p. 158

Br.28.

MALLEATIO XVII.

De satisfactione per Indulgentias. p.165

MALLEATIO XVIII.

MALLEATIO XIX.

MALLEATIO XX.

MALLEATIO XXI.

De Sacramento Extremæ vnctionis. p.214

MALLEATIO XXII.

De Sacramento Ordinis. p.220

MALLEATIO XXIII.

De irregularitate tanquam impedimento, siuè suscipiendi Sacramentum Ordinis, siuè susceptum exercendi. p.225.

MALLEATIO XXIV.

De irregularitate, quæ prouenit ex delicto. p.237

MALLEATIO XXV.

De excommunicatione, quatenus est impedimentum ad recipiendos Ordines, vel susceptos exercendos. p.249

Br.34.

MALLEATIO XXVI.

De suspensione, quatenus impedit susceptionem, & exercitium ordinis. 281

MAL-

MALLEATIO XXVII.

De interdicto, quatenus impedit exercitium ordinis. p.286

MALLEATIO XXVIII.

De cessatione à Diuinis. p.293

MALLEATIO XXIX

De obligationibus annexis Ordini. 294

MALLEATIO XXX.

De tertia obligatione, quæ est recitare Horas Canonicas. p.298

Br.22.

MALLEATIO XXXI.

De diſtributionibus quotidianis, quæ dantur intereſſentibus, & recitantibus Diuinum Officium publicè. p. 325

MALLEATIO XXXII.

De priuilegijs Clericorum. p 332

MALLEATIO XXXIII.

Br.38.

MALLEATIO XXXIV.

De priuilegio fori reali Clericorum. p. 359

MALLEATIO XXXV.

De priuilegio immunitatis loci Ecclesiastici, nimirum Ecclesiæ, &c. p. 367

MALLEATIO XXXVI.

De dignitatibus annexis statui Clericali. p. 375

MALLEATIO XXXVI.

MALLEATIO XXXVII.

MALLEATIO XXXVIII.

MALLEATIO XXXIX.

MALLEATIO XL.

De Officio Vicarij Generalis. p.429.

MALLEATIO XLI.

De Vicario Capitulari. p.435.

MALLEATIO XLII.

De Vicario Foraneo. p.437.

MALLEATIO XLIII.

De Abbatis dignitate. p.438.

MALLEATIO XLIV.

De Parochiali Officio annexo Ordini Sacro. p.445.

MALLEATIO XLV.

De alijs dignitatibus, & Officijs annexis statui Clericali, p.465.

MALLEATIO XLVI.

De Beneficijs annexis Ordini. p.471.

MALLEATIO XLVII.

De modis legitimis acquirendi beneficia Ecclesiastica. p.477.

MALLEATIO XLVIII.

De Pensionibus. p.490.

MALLEATIO XLIX.

Cuius sit dominium fructuum beneficiorum.

MALLEATIO L.

De spolijs Ecclesiasticorum.

MALLEATIO LI.

De Simonia.

Br.15.

MALLEATIO LII.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum. p. 525.

MALLEATIO LIII.

De rebus, seu bonis Ecclesiæ per successionem non deferendis. p. 535.

MALLEATIO LIV.

De sponsalibus. p. 538.

MALLEATIO LV.

De natura, & proprietatibus matrimonij. p.551.

MALLEATIO LVI.

De impedimentis dirimentibus. p. 571.

Br.34.

MALLEATIO LVII.

De impedimentis impedientibus, sed non dirimentibus. p.600.

MALLEATIO LVIII.

De Dispensationibus. p.608.

Br.59.

MALLEATIO LIX.

An in Ecclesia sit potestas dispensandi in his quæ sunt de iure Diuino. p.640.

MALLEATIO LX.

De obligationibus mariti in ordine ad cohabitandum, & reddendum debitum vxori. p.651.

re,

MALLEATIO LXI.

De obligatione vxoris circa gubernationem domus, & reddendum debitum. p.668.

Br.42.

MALLEATIO LXII.

De peccatis, quæ diuidunt carnem coniugum, & de alijs in materia luxuriæ. *p.685.*



